CL. VIRI D. PETRI MICHAELIS

DE HEREDIA,

REGIS CATHOLICI ARCHIATRI,

OPERA MEDICA,

In quatuor Tomos diuiſa.

QVORVM

- I. In duas Partes diuiſus, vniuerſalem continet doctrinam de Febribus.
- II. Hiſtorias Epidemicas Hippocratis elucidat.
- III. De Acutis tractat Morbis.
- IV. & Vltimus Affectuum particularium aliquot Tractationes perluſtrat, & de morbis Mulierum & Vterogerentium differit.


D. PETRVS MICH. DE HEREDIA ÆT.S.74.
AVICEN
GALENI
HIPOC
MEDI CINA
ARISTOT
PHILO SOPHI
Lugduni

CL. VIRI D. PETRI MICHAELIS

DE HEREDIA,

COMPLVTENSIS

PRIMARII, ET DECANI;

Atque PHILIPPI IV. Hispaniarum Catholici Regis Archiatri

OPERVM MEDICINALIVM

TOMVS PRIMVS,

IN QVO IVXTA HIPPOCRATIS, GALENI, ET AVICENNÆ mentem perfectè, & absolutè tractatur

DE FEBRIBVS,

Tam in genere, quàm in specie; de earúmque Essentia, Differentiis, Causis, Signis, Præsagiis, Curationibus; nec-non de Coctione, & Putredine.

Editio altera perquàm accuratè recognita, ac emendata curâ & diligentiâ D. PETRI BAREA DE ASTORGA, Regij Medici; posthumáque quæstione de FEBRIBVS ERADICATV DIFFICILIBVS aucta.



LVGDVNI,

Sumptibus LAVRENTII ARNAVD, & PETRI BORDE.

M. DC. LXXIII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

Sanctæ Mariæ de Scala urbis

Morbi in vniuersum luctus,
A DOCTORE GREGORIO VALLESIO,
AVTHORIS DISCIPVLO,
Reginæ Catholicæ Familiæ Medico.

LVGE Morbe, quisquis es, luge: ego siquidem lugeo. Soluamur perfusi lachrymis; qui iam diu, cum viximus, viguimus, non vltra vigebimus, haud mirabitur vllus. Reiuuenescebamur quotidie hucusque, memoror: extrema iam attigimus senecta. Nex propè minatur nobis. O fatum! Spectabamus enim in culmen quotidie elaturos mortuo HEREDIA, *Æsculapio; mortuo, inquam, totiúsque doctrinæ Iatricæ* PETRO MICHAELE *defunctio iubare; & en cunctis vnicus nobis obex resurgit ex humo, homóque resurgit. Planget cuncta quoque symptomatum, tum causarum, tum morborum cohors humanæ saluti infensa, ex hoc nunc inermus, quod posthuma hæc nobis artus eneruant. Suffusa acies pudore nostra, liuoréve eliminata operum horum iam erit rapina. Ægritudines omnes cum ranis Duripidem sequutæ coaxemus defunctoriè drensantes.*

Imbelles ranæ quid nisi præda sumus?

Vale mors hominum morbida: vale. Iam per tot secula tibi famulabamur libenter. Per nos quamplura vitæ vectigalia lucrabaris opima. Indissolubili nexu amicitiam quidem, tametsi professos, nos socorditer Doctor sciungit. Sodales pluries gaudebamus aliorum luctu: nunc ambo lugebimus, neque tibi vsquam in amplius parebimus. Nos vtpote satis adoriri, lucrabimur; tu sanè defungeris luce funditus, quippe nos vesperascimus.

Fatigarant equidem priscorum, neoteoricorúmque ingenia insultus nostri, nostri liuores. Minimè attamen, quantumuis nimium in nostrum vecordiam velitando insudantia, nos exterminare valuere. Sirenum

iam eramus pestis. Quaquauersus enim hominum ossa nostræ conspiciebantur profligationes. Ast HEREDIA *in eorum subsidium Orpheus factus nunc sequitur.* Sirenum insulæ *(ait Baconus)* cùm etiam longè intuentibus ex ossibus cadauerum inhumatorum alberent, huic malo remedium Orpheus reperit. *Plangamus ergo, fugiamus; planctu contenti simus, & fuga: quoniam de tuenda valetudine non scripsit: aliàs enim quod luctus hodie, cras epitaphium foret. Viuet ex nunc homo à compedibus, manicisque truculentis morborum libertus, solutus. Aurea redibit ætas. Alloqui sic iam potest felix humana stirps, vt Iphicrates Atheniensis Lacedæmonios.* Vnum *(inquit)* nobis vobiscum vinculum, & securitatis ratio esse possit, vt vobis facultas lædendi nos, si maximè velletis, minimè suppetere possit.

Haudquaquam ambiguitatis vllus supererat apex, quin posthuma haccine quandocumque edita, nos functiones lædere humanas dedoctura. Fuit profectò literatus summè. E libris antiquitatis Iatricæ in prima, secundáque tùm mensa, tùm valetudine semper succum enucleans: vt rarò etiam sine lectione cibum, neque sine scriptura huiusmodi somnum capesseret. Ambrosio suppar id genus fiebat, de quo Hieronymus in epist. ad Marcellam, *sic fatur.* Ambrosius in quadam epistola, quam ad eumdem *(loquitur de Notario ministrante)* de Athenis scripserat, refert se nunquam cibum *(Origene præsente)* sine lectione sumpsisse, nunquam iniisse somnum, nisi vnus è fratribus sacris literis personaret. *Salsamentum ipsi erat indefessus hic labor, quo sic feliciter vitam egit, vt de Operum horum constructione paciscens fuit latus è viuis. Hunc igitur præclarum virum literarij cognomen promereri secula publicent; literas quippè aras advsque fuit insequutus, quo laureæ huiusmodi coronabat Antiquitas. Sic (Salmasium,Gutheriumque legimus) Militarij nomine in militia ipsa defuncti insigniebantur, Consulatu in ipso Consularij. Ecce hic est ille, qui Epicureorum desidiam haudquaquam libens, procul ab Idiotæ deliciis se semper gessit. Idiotam vtpote indigitauit super Hippocr. Galenus* de Salub. Dieta 1. Qui soli ipsi viuit. *Neutiquam sanè vixit sibi, pro absoluendo vniuersi morbo iugiter periit. O felix exitus, quo instauratio salutis, ægritudinis lethiferæ in perpetuum fuga, & exilium, tot Mundi personant bona,non exitus viui! Poterit rectè quod Cassiodorus ad alium, de te meritò dici.* Idem est tibi pietatis, quod est vitæ principium.

Metuebamus iterum, inquam, ex his humatis tanta, atque eminentia hæc humanæ immunitatis altissima mœnia, quæ post annorum octo à Magistri morte progressum in lucem eduntur hodie: cùm altum adeò ædificium cæmentis tot temporis in humo radices altissimas germinantibus eguisse, necesse fuit, vt veritas tanta de terra orta esset. Spectatur etiam, quod iustitia de Cœlo prospiciat. Eia humane grex exulta. Gaude. Iam divinum Iudicem antea iratum, nunc tui misereri, dolenter nuntiamus.

Quo

Quoniam, si vt ait Democritus, iure quidem Apollo Æsculapium occidit, ne homines Deo inuisos seruaret: piè hoc tempore Cœlum homines prospicere aspicimus. Vnde quantumcunque Magister HEREDIA *Gigans primogenitus artis à supero morbo fuit delapsus in humum, satisfacit tellus prorumpens in Famam, morbumque depopulans. Non ergo Æsculapius* HEREDIA *est: longè procul dubio Æsculapio maior, quantò iste strages, ille veniam impetraret. Neque istum equidem principia Medicinæ dedisse refragabitur laudi: plus siquidem* HEREDIA *agit, absoluere ipsam, inuenisséque metam. Disertè idcirco Ennodius Theodoricum alloquens Principem, fatur:* Plus est occasum inuenire, quàm dedisse principia. *Ergo non vltrò lathros Zoilus detrahet, sibilabit, silebit protinus. Quocirca Author Arpocrates alter Iouis Sacerdos est.*

Quippe premit vocem, digitóque silentia suadet.

Adeò grauibus, proficuisque, ingenia si vacassent huc vsque, minùs nos creuissemus, neque cicerum modio illis Alexander soluisset.

Præfatio

Præfatio ad Lectorem.

IN LAVDEM M. V. D. PETRI MICHAELIS DE HEREDIA,

PHILOSOPHI ET MEDICI, COMPLVTENSIS PRIMARII, Regis Hiſpani Philippi IV. Archiatri.

PER D. PETRVM BAREA DE ASTORGA M. Complutenſem, & eiuſdem Regis Medicum Ordinarium, Auctoris diſcipulum.

ECce iam tibi (benemerite Lector) fideliter M. V. D. Petri Michaelis de Heredia, Complutenſis Primarij, Medicæ Academiæ Decani, ac meritiſſimi Regis noſtri Philippi IV. Archiatri, opera non legenda, ſed ſedulò contemplanda traduntur. Quod etſi non exiguo labore omnia, quæ ſparſim apud diſcipulos obliterata, & emortua penè, defuncto Auctore fuerant, iungere, tranſcribere, vt prælo committerentur, laborioſum admodum fuit, vtilitati tamen publicæ abundè profuturum ſperamus. Nam Auctor vtilitati ſcripſit, non gloriæ, vt Ouid. 3. *de Pont. eleg. vltim.*

Da veniam ſcriptis, quorum non gloria nobis
Cauſa, ſed officium, vtilitáſque fuit.

Et quidem veneratione dignum, & hæreditario iure ab antiquioribus tranſlatum in nos inceſſanter influxit, eos honorare ſummis ſuffragiis, qui pro aliorum vtilitate arduos ſuſceperunt labores: *Magna laus eſt, & grata hominibus, vnum hominem in ea laborare ſcientia, quæ ſit multis profectura.* (Cicer. pro Marc.) Idipſum ſectatus fuit noſter Magiſter, quà potuit, vt Patriæ, profeſſioni, & diſcipulis opem vbertimam tuliſſet; diceréque poterat ſibi quod Boëtius *epiſt. ad Rom. Pont. Huic inſcriptioni incumbendum mihi eſſe duxi, vt quò poſſim, proſim in eo, quo prodeſſe ſalus omnium verſatur.* Quod & contra Fauſtum D. Auguſtin. *lib. 6.* aiebat: *Qui in mediis turbis agendo, & ſuadendo populis præſunt, non vt præſint, ſed vt proſint:* quinimò & ipſe, vt in publicum daret, inſudauit, vt in doctrinam cederet, exarauit. Quare & ego, qui inter diſcipulos minimus, non voto, ſed ſorte vndequaque ſum, gratitudinis ergò in remunerationem acceptæ doctrinæ ex vetuſtis exemplaribus, ſparſiſque tractatibus in vnum aggregare volui, quæ alias poſthuma latitabant ſcripta. *Grata res eſt cuncta profectura vulgare, vt generale fiat gaudium, quod potuit eſſe votiuum.* (Caſſiod. epiſt. 16. lib. 9.)

At quamuis ego multis irretitus negotiis, ſummiſque laboribus, peregrinationibus, Principes, caſtraque ſequens, tum Curiæ Regum familiæ aſſiſtens, tum etiam meæ Palladis otiis, cuius (fauente Deo) dabo typum; tamen ab omnibus ſedulò exoneratus (nam vt Seneca rectè *lib. de breuit. vitæ, cap. 6. Nulla res bene exerceri poteſt ab homine occupato*) vacans tranquillum exoptaui, ſelegique tempus, quo maturius opera magni mei Præceptoris diligentiſſimè recognita, & tranſcripta,

quæ

quæ supererant prælo tradenda cum cæteris cuderentur: iudicans planè, & equidem benè, mihi fore non minus gloriosum in hoc insudare, vt communi Medicorum vsui, & ægrotantium saluti, in viuidum, & fulgentem solem quasi renata vulgarentur, quàm Præceptori ipsamet ad id scribenti (quo defuncto) ipsa temporis carie obruerentur: nam vt rectè Ennod. *in Paneg. Plus est occasam repellere, quàm dedisse principium.*

Sanè optimum ob multa: primò vt mutuo rependatur amore gratissimus, quo me, meósque consortes enutriuit, & genuit, infatigabilísque labor, vt & nostræ adultionis auida, summaque charitas, qua Medicus Medicos efficit, iusta retribuatur gratia. Nam si velut Hippocrates magnus iureiurando nos sobolem dilectissimam fecit Apollinis lumine, specimen esset amaræ ingratitudinis ipsum à mysterio, & patris cupidi officio excludere: ab eo Philosophia geniti, doctrina educati, scientia alti, & fulgido solis radio hæreditatis ergo ornati, imò magis eo parti; quippe huic naturam simplicem, rudem, & impolitam, feréque brutorum rusticitati haud absimilem; illi verò rationabiliorem, comprámque, vt veri homines gloriaremur sapientia in doctrinæ similitudinem debemus. Adeò vt cum Seneca *lib.6. de Benefic.cap.16.* nostrûm quisque iustè de pio nostro Doctore dicere ausit: *Alter rursus in docendo, & laborem, & tadium tulit; præter illa, quæ à præcipientibus in communi dicuntur, aliqua instillauit, ac tradidit; hortando bonam indolem erexit; & modò laudibus fecit animum, modò admonitionibus discussit desidiam. Tum ingenium latens, & pigrum iniectâ (vt ita dicam) manu extraxit: nec quæ sciebat malignè dispensauit, quo diutius esset necessarius, sed cupiit, si posset, vniuersa transfundere. Ingratus sum, nisi illum inter gratissimas necessitudines diligo.* Ingratior ego, sicut & in hoc mihi officium exercitus si paterer memoriam perennem huius M. V. tam ob omnigenum virtutum complementum, quàm ob vnicam (mediusfidius) doctrinam Stygias absorbere vndas, aut tetro Lethæi antro mutescere finerem; præsertim cùm adhuc huius gratitudinis debitores supersint multi mei consortes, apud quos, si non meruerim laudem, pœem tamen, & veniam non demerebor. Ob hoc Plato ob antiquo bonos viros, tanquam Deos, *dignos honore* iudicabat, similésque asserebat, quia sicut illi creando faciebant, sic isti docendo creabant. Ergo nunc inferiores antiquis pateremur haberi, qui ne gloriosa, famosaque magnorum virorum posteritas tempore laberetur, in memoriam, aut futuri æui testamentum æra, marmoráque extollebant, magnis ornatis Mineruæ mysteriis (velut Hippocrati, & Thessalo filio Athenienses) quòd statuæ ad famam perpetuam, etsi elingues incessante clamore heroica proclamassent facinora, sacrantes posteritati, & virtutis exemplum, & simul beneficij retributionem? Nefas quidem. Sint igitur statuæ, & marmora venturæ ætati laudis huius Clar. Viri, mysteriosæque auro nobiliores, & virtutum intertextæ gemmis coronæ opera ipsius, quæ per labores summos vigintisex annorum causa lecturæ in Complutensi Musæo sibi crexit, & parauit: quæ nunc in lucem renascentia meritissimam posthumæ memoriæ clamabunt laudem, atque perpetuam Auctori. Nec mortuum laudo, cùm ipse in incorruptibilem viuat famam. *Omnes ergo, qui magnum aliquod, memorabileque fecerunt, non modò venia, verùm etiam laude dignissimos iudico, si immortalitatem, quam merent, sectantur, victuramque nominis famam supremis etiam tabulis prorogare nituntur.* Laudo bonum, vt & simul lauder. D. August. *in lib.7. Bonum laudare non laudato, sed laudantibus prodest.* Et vt ingratitudinis mihi cesset obiectio, Senec. *epist. 102. Laudare itaque vtrisque bonum est. Nunquid putas quia iustitia & habentis bonum sit, & tuus, tui debitum soluis?* Sed laudem mortuum, non vt adulator, sed vt iustus retributor. *Laudare præsentem, adulatoris est, nam viuentes laudare irrisio est.* Mortuum itaque & licitè, & iustè laudamus, cùm ex ipsius encomiis, nec ipsi liuor, nec mihi vanæ adulationis præsumptio refundantur. *Ipsi, quia tibi est à vanitate remota laudatio, vbi etiam vituperatio ab offensione secura est.* Mihi, quia ex eius acclamatione nec spero vllum, nec matutesco fructum adulationis: *Quæ vel præcipuè fructum respicit.* Arist.2. *Rhet.* Spar. *in Poss.Nig.* D. Aug. *epist. ad Diosc.*

Sed quid (ô nefas!) me encomiis mortuum simpliciter virum quasi deploratum lugeo? Quid in irreuocabilem Lethæi oram Acherontis scapha transfretatum memoro, & quasi ineptissimi Oratoris nænias extollo, magnalia sileo? Viuum, & qui coæuam posteritati vitam nactus est, tibi obiiciam Cl. HÆREDIAM, qui cùm scribendo inuigilasset, vt tanta, & tam fructuosa in Reipublicæ beneficium, adolescentiæ doctrinam, & Medicæ scientiæ ornatum daret, cum Horat. *lib. 3. Od. vltim.* canit. D.Hier. *epist. ad Saluian.*

Non

Præfatio ad Lectorem.

Non omnis moriar, multaque pars mei
Vitabit libitinam,
Nam certè viuitur ingenio, cætera mortis erunt.
Nihil non mortale tenemus,
Pectoris exceptis, ingeniique bonis:
Musisque intermina vita
Permanet, & memori laus semper pullulat æuo.

Lib. de obit. Mæcen. Ouid. 3. de Trist. Fest. Auien.

Et quare vita mortuus iniustè prædicabitur viuus fama, qui se semper fassus est, & professus viuum, *qui magni vatis effatum vetus illud fecit semper plurimi; Otium sine literis mors est, & hominis viui sepultura. Nam qui voluptatibus dediti quasi in diem viuunt, viuendi causas quotidiè finiunt; qui verò posteros cogitant, & memoriam sui operibus extendunt.* Viuere æternè optauit, & antequam corporei vincula carceris funesto mortis somno disrumperentur, immortalis sapientiæ vitam adeptus.

Senec. epist. 82. Plin. lib. 5. epist. 5.

Viuit, & æthereas vitales suscipit auras.

Adeò operosus ipse, vt hanc Phil. assequeretur laudem, & veluti apes arguta infatigabilem suscepit studendi laborem, & vt mella suauissima doctrinæ concinnaret inuenturi, Musarum amœnissima continuò cursitaret vireta: quid non sanctioris Philosophiæ vt penetraret arcana, abditaque sacrosancta Sophiæ mysteria, vt extricaret lemmata, atque securioris Medicinæ vt edoceret legem, insudauit? quam torpido desidis otij somno commutauit Palladis vigiliam? quem vnquam (vel à primis literis) recusauit lucrificum laborem? nullum: quippè totum se dilectissimis tradidit Musis, totum Mineruæ saciauit otium, putans verè turpe quidquid vel Musæum, vel Cathedra non esset. *Neque se hominem putaret, si philosophia is turpe esse duceret*: vt cùm vel ab amicis vel à Principibus, vel Aulicis in aliis distraheretur vel spectaculis, vel negotiis, quæ ipsum ex parte possent à continuo (minimo temporis) studiò remouere, ægrè ferens prudentibus excusationibus fultus, sibi tempus pretiosum colligens, se etiam Musæo conclauatus colligebat, ne libris defraudaret tempus, quod aliis futilibus, vel vanis consumi intendebatur: Quinimò potiùs & à se quod à curatione ægrotantium supererat temporis, id ipsum lucubrationi studendo impendebat: cuius à Senec. *epist.* 82. mutuauit rationem: *Etenim quod a Republica vacui temporis habeo, non est cur mihi perire sinam: est gaudium mihi (aiebat) & solatium in literis, nihilque tam lætum, quod his lætius, nihilque tam triste, quod per hoc non sit minus triste. Et meorum periculo, & quorundam etiam morte turbatus, ad vnicum doloris leuamentum studia confugio: Sciebat enim veram animi quietem à Deo primum deinde à sapientia, & literis esse.* Sic decuit, vt tantis Musarum afflatibus ipse ad summum Philosophiæ fastigium ascenderet, ad quod nullus alius altius hucusque, neque in posterum futurus est. *Quo bono nihil vnquam maius mortalium generi datum est Deorum munere, neque dabitur.* Vt cum Solone dicere poterat: *Senesco semper plurima discens: & mihi quidem videtur semper sic oportere aliquid discere eum hominem, qui Philosophus futurus sit, siue iunior, siue senior sit, vt in vita quamplurima discat.* Hæc tædiosæ solicitudinis studendi cupiditas: hæc incessantis laboris fatigata vicissitudo: hæc vigilantis lucubrationis (adhuc naturæ somni otio spreto) auida repetitio, vt nempè veritatem Sophiæ studiis conceptam scriptis parturiret, vt vero Philosopho decet. Nam Plato 5. *de Republica*, veros Philosophos appellat, *Veritatis inspiciendæ cupidos.* Hæc ergo continua rerum naturalium, & Medicinæ penetrandarum impensa solicitudo, tantam apud omnes illi adduxit reuerentiam, vt in veneratione communi esset, veluti Tripodis oraculum ab ipso prolata sententia, quinimò apud nostrum Cathol. Reg. Philip. IV. nomine condignam meritis lucratus sit gratiam: *Cùm non sit maius meritum, quàm gratiam inuenisse regnantium: nam quibus fas est de cunctis optimos quærere, videntur semper meritos elegisse.* Vt Augustissimos patrem, auosque imitaretur, qui semper magnos sibi Hesperiæ Iathros in salutis tutelam antesignanos asciuerunt, Carthaginensem Loberam, Vallesium, Vegam, Mercatum, Sancta-Crucium, & alios, quorum memoria (tametsi eorum scripta desiderentur, proh fortuna:) neque deficit, sed viuit immortalis.

Plato in Amato. Plin. lib. 4. epist. 19. Lips. 1. epist. Plato de natur. Cassiod epist. 43.

Virgil.

Dum domus Æneæ Capitolij immobile saxum
Accolet, imperiumque pater Romanus habebit.

Hos inter iustè noster adscribendus Heredia.

Ouid.

Quem nostra est mirata, sequens mirabitur ætas.

Quod etsi huius magni viri virtutes & honestum sui apud cunctos recommendationem

nem, & ſimpliciſſimam acceptationem non valerent, aut non ſufficerent, vt ad ſu-
premam exaltationis ſedem extollerent:

Vbi Celtifer Atlas
Axem humero tollit ſtellis ardentibus aptum.

Sufficerent prorſus opera ipſius, quæ vel inuidis reluctantibus, dummodo ſine liuore
legantur, ſibimet ipſis, & Auctori comparabunt & dignitatem, & honorem.
Nec in mentem venire audet mordicos ſufficere poſſe obnubilate nitentia vberri-
mæ doctrinæ radia, nec æmulos (quorum, dum viueret Auctor multos habuit) tor-
vo aſpectu, vel ſtridore procaci tumultuoſo futilium ſophiſmatum cœtu euertere
doctrinam, tametſi verò timere liceat, hæc etſi magna, & à magno, & ſapientiſſimo
viro ſcripta opera apud detrahentium turbam fluctuare poſſe: nam

Summa petit liuor, perflant altiſſima venti. Ouid. r. de rem. am.

Cùm verò ſint homines, quos natura dedit ſiniſtros; *Nec quicquam poſſunt niſi me-
liores carpere*, atque facillimum res geſtas taxare cuilibet; & præcipuè indocti ſyco-
phantæ, & perſonati Pſendomedici, *qui tantum boni exiſtant, vt bonos exerceant*,
quibus prætet ignominiam, quam Hippocrates ipſis pœnam impoſuit *lib. de lege*,
exterminium ſcelerata mithra decoratis, & anathema commune tributum liceret,
potiùs quàm ad cenſuram, & iudicium ſapientum veluti rogatos congerere. *Sed* Senec.
hoc maiores noſtri queſti ſunt, hoc nos querimur, hoc noſtri poſteri querantur, euerſos eſſe de benef.
mores, regnare nequitiam. Præualere inuidiam, *quam non olùm Socratem virum bo-* lib. 1.
num, & innocentem à ſuis morti deſtinatum; verum etiam Lycurgum & Solonem, peritiſ- cap. 10.
ſimoſque Legumlatores falſi criminis damnatos inueniet, præcipites dediſſe fato. An ab Nicol.
inuidia tutus Milthiades? an Themiſtocles? an Phocion? Minimè. Verum quò me ver- Libur.
tam? quæ remedia conquiram? *Vbique vitia remediis fortiora?* Sileam? & muto Plin.
ſinam ore inuidos obtrectare? aut liuorem inflictum Magiſtro inultum, & impunè lib. 4.
permittam ſubterlabi? Cùm de ſententia D. Gregorij Nazianzeni: *Improborum* epiſt. 25.
linguis occurrendum eſt. Et D. Baſil. *epiſt.* 65. *Ad calumnias tacendum non eſt, ne quis* Senec.
modeſtiam in conſcientiam ducat. Certè adhuc ſilendum potiùs patienter, quàm con- lib. de
tumelias rependere, ne cùm vltionem poſco, crimen idem incurram, aut cùm iu- conſol.
ſtum vindicem me conſultum fore præſumam, præcipitem me reum reperiat; ſed D. Greg.
acuant improbi veneficam linguarum aciem, erigant ſpicula vt ſcorpij: dentibus, Nazian.
vt rabidæ feræ, collidentibus in ſeſe concrepent *Ariete calumnia rupem me habet.* D. Baſil.
Abite canicula, ego ad veſtros latratus exciter, aut mouear; fiam ipſe non aries, ſed Saluſt. in Iugurth.
veruex. Lipſ. epiſt. 15.

Hic murus aheneus eſto,
Nil conſcire ſibi, nulla palleſcere culpa. Horat. ep. 1. ad Mec.

Hinc fit, vt potiùs abundantior foret cum iſtis obſtrepeſcentibus bellum inire
dementia: quandoquidem virtuoſæ modeſtiæ, & tolerantiæ ſit relinquere peccan-
tes crimine, quam punitos conuictu falſitatis purgare. Loquantur male; quid mihi?
Loqui benè neſciunt, & morbo potiùs loquuntur, quàm iudicio. Diſplicere enim malis bo- Sidon.
norum laus eſt. Namque improborum probra æquè vt præconia bonorum immortalia Apol. lib 5.
manent. ep. 8.

Præterquam quod & ipſa Aſtræa, quæ viros magnos in ſuo quaſi fouens ſinu
protegit, vt quos ſectatores habuit, etiam ab incurſione malignantium iuſtitia ſcu-
tata tueatur, adeat, & in ſapientium limpidiſſimum tribunal iudicanda adducat,
aut aduocet noſtri magni viri opera; ipſa ſe, & ſuum (mediusfidius) clientulum
apud hos defendet abundè. *Magna quidem* (aiebat Cicero pro Marco Cælio) *eſt
vis veritatis, quæ contra hominum ingenia, calliditatem, ſolertiam, contraque fictas ho-
minum inſidias facilè ſe per ſeipſam defendet. Namque multorum improbitate depreſſa vir-
tus emergit, & innocentia defenſio interclusa reſpirat.* Inuicta virtus quidem tene-
bras depellet, & coruſcanti lucis triumphali plauſtro horridas inuidiæ deturbabit
nubes. Benè Liuius: *Veritatem laborare ſæpè, extingui nunquam: quæ obnubilari po-* Liuius.
teſt, quia Deus non eſt; extingui non poteſt, quia à Deo eſt. Et certè magnos vocare vi- Tertull.
ros, & quos abundè Pater Apollo benignò Medicinæ lumine luſtrauit, & quos ve- lib. de Preſcr.
rè Philoſophia enutriuit, in ſententiam pro noſtro Heredia magna mihi fides eſt,
quod & veritatis examen apertum, & doctrinæ laus, & Auctoris gloria ſimul ad lu-
cem emergent, dummodò ab ipſis (non ignaris, nec ferbidis) probari optauit. *Nam
qui vnumquodque ritè gerunt, & adminiſtrant, non multitudini, ſed iis tantum, qui rei
ſcientiam habent*, placere oportere ſtatutum eſt ſententia Æliani lib. 1. *Paucis quidem
probatus, potius quàm multis.* Iuſtus Lipſ. *in Crit.*

Præfatio ad Lectorem.

Nec nouum est, magnos viros apud plebeculam stultorum in derisum haberi, sicut & apud sceleratissimos bilingues in contemptum, cùm & Democritus scientissimus humanæ miseriæ contemplator apud Abderitanos demens reputatus fuerit. Atque Socrates Philosophorum veracissimus fateatur apud Plat. *lib. Soph. Viros optimos, atque scientiarum Magistros ab insciis, & ciuitatum circulatoribus nihilo æstimari, ciniles, & sophistas apparere, & opinione ipsorum insanos prorsus haberi.* Veruntamen, ô Sapientissime Lector! quisquis sis, pulsa limina, scrutator profunda, alta pete; quòd si
Plin. 3. lib. epist. 13. te cursus fortè ad omnia sufficit, inuigila totum opus, videbis: *Quòd in hoc viro nullius non artis aut perfecta, aut certè non dubia vestigia reperiantur. Quodque nihil in eo inueniendo acrius, aut exactius, nihil in tradendo plenius, aut vberius, nihil in explicando castius, aut politius, nam inuenire præclarè, enuntiare magnificè interdum etiam barbari solent. Disponere aptè, figurare variè nisi eruditis negatum est.* Iure quidem nisi eruditis id prohibitum, nam *condire scitè non cuilibet datum est*: quippe adhuc nostra ætas plures Talataros, siue Caducigeros alat; Mercurios verò paucos.

Plures Thyrsigera, paucos est cernere Bachos.

Propter quod tibi (cui nostra committitur spes fida) legendum opus traditur
Sid. Apol. lib. 5. ep. 1. huius M. V. *Magnum hoc est, & literarum viro conuenientissimum, cùm studiis ipse maximè polleas, ea in hoc viro etiam minima complecti, sed in hoc ipso consummatissima tibi gloria reponderatur; nam satis eminet ingenij proprij meritis, qui fuerit fautor alieni*; &
Cas. lib. 9. ep. 8. præcipuè cum docto, Philosophoque viro: *Principalis propositi esse debet honestos labores aliorum palma remunerationis ornare, vicissitudine, qua prouecti gaudent, desides mordeantur, sibique imputare possint, quod clementissimis temporibus iudicij tui principalia præmia non demerentur.* Et licèt ego de me tibi exaggerare possim cum Plin. *lib. 1. epist. 16. Est ergo mecum per diem totum isdem antequam scribam, isdem cum scripsi, isdem etiam cum remitto, non tanquam eundem lego.* Ipse etiam Plinius pro me tibi parabit responsum. *At quod, Deus magne, quantumque opus illud est materia clausum, declamatione conspicuum, propositione obstructum, disputatione reseratum, vernantis eloquij flore mollitum: namque in paginis eius vigilans Lector inueniet veriora nomina Camænarum, quæ propriam de se sibi pariant nuncupationem.* Hortor te tamen virum prudentem consilium Plinij 2. *epist.* 3. sectandum, ne scilicet antequàm legas, vel perpendas totum iudices, ne negligas ante quàm legas, ne carpas ante quàm capias.
Oucen. in Monosth. *Hoc volent legere, quod carpat, sic non vtitur literis, quod abutatur.* Dicebat Sidon. Apol. *lib. 5. epist.* 12. de sinistro, & imprudente lectore: *Præcept enim iudicium insani iudicis index est.*
Cicer. de Clar. orat. Conuenit ergo sapienti, qui aliàs iudicium ferre debet, aut Philosopho, qui scire cupit, *Expurgandum sermonem, & adhibendam rationem quasi ad obrusam.*

Igitur præsens iam opus est: quod à multis, & quidem magnis viris diu exoptatum fuit, vt ad limam potiùs quàm ad linguam (fœdo murmure) atteratur.
Plin. lib. 5. epist. 2. *Perfectum opus, absolutumque est, nec iam splendescit lima, sed atteritur.*
Idem. ep. 13. *Materiam ex titulo agnosces, cætera liber explicabit, quæ iam nunc oportet ita tibi consuescere, vt sine præfatione intelligatur. Tu, velim, quid de vniuerso, quid de partibus sentias, scribas mihi.*

Reperies certè hunc virum non tantùm veris Philosophiæ rationibus, atque dia-
Auson. in præfat. lecticis demonstrationibus Theorices doctrinam suam stabilire, quippè (in hac parte) *nihil non lectum, neque non intellectum*: verùm etiam (quatenus ad praxim spectat) fidissimis experimentis per quinquaginta annos acquisitis inter ægrotantes innumeros operatiuam Medicinæ partem (quæ ad curandos morbos attinet) certò definit, quem meritò beatum putare debes, qui cùm aliàs ipse admirabilis in praxi apud omnes haberetur, fecit quod scripsit, & scripsit quod multoties expertus fuit. *Equidem beatos puto, quibus deorum munere datum est, facere scribenda, aut scribenda legere; beatissimos verò quibus vtrumque.* Namque

Manil. lib. 1. *Per varios casus artem experientia fecit*
Exemplo monstrante viam.

Astion. Reperies etiam fuisse in legendis, & scrutandis Medicinæ Principibus diligentissimum, vt ex perennibus illis fontibus aquam doctrinæ, etsi reconditam exhauriret, tribueretque potandam posteritati nitentibus solertis explicationis poculis, vt quæ antea Laconismi dialectis obstrusis occlusa erant, patenti luce reserata in quasi notissima cederent axiomata: neque ad hoc opus fuit vsus Græca lingua, qua (etsi calluerit non turpiter eam) non est vsus, putans nostram linguam Latinam ad edocendam Medicinæ doctrinam Græca non esse inferiorem, imò superiorem; cùm Cicer. *lib. 3. de finib. n. 2.* inquit *Nos non modò non vinci à Græcis verborum copia, sed esse in ea etiam superiores.* Quam meritò simplicem potiùs elegit, quæ & ad explicandam

doctrinam

doctrinam commodiorem, & ad omnium communiorem intelligentiam. Nec verò ad ea apta sunt affectata, elata, excelsa: quid enim prodest concinnissima, comptissimáque factitate, doctrinam verò vel confundere, vel non sufficienter explicare? Nihilum certè: Nam eloquentiæ parens Cicer. *lib.* 1. *de offic.* legem tulit Scriptoribus de se loquens: *Sermone uti debemus, qui notus sit omnibus.* Atque Quintilianus argutus inter omnes Rhetor: *Vtendum verbo, cui vt nemo publica forma sit*, præcipit. Quod vt obuiaret D. August. (quem aliàs magnum negare oratorem nefas est) *in epist.* 10. protulit: *Malo me reprehendant Grammatici, quàm vt non intelligant populi.* Quas noster HÆREDIA leges sequutus, eum in scribendo selegit stilum, qui cum ab elegantia non recederet, claritatem verò & sinceritatem non amitteret, ne cum docere cogitaret, doctrinam ipsam obscuritate sermonis obrueret. Atque ita certè, quòd eùm apud Academiam Complut. à multis de simplicitate scribendi notari, sugillaríve sciret, in publicum (me audiente) respondit cum Sidonio Apollinari *lib.* 8. *epist.* 16. *Vnde enim nobis illud loquendi tetricum genus, & perantiquum? Nos opuscula sermone edimus arido, exili, certe maxima ex parte vulgato, cuius hinc honor rarus, & frequens vsus, hinc facilis gratia, quòd facilis inuentio est; dictio mea, quod mihi sufficit, placet amicis.* Legant verò, qui me sugillant, vel audiant Paulum Diaconum in *vit. Epist. cap.* 4. pro me respondentem: *Nam sica, quæ luce clariora esse noscuntur, sermonibus inuoluere voluerimus, audientium animos non instruimus, sed fatigamus, quia cùm multorum imperitorum minus intelligit sensus, fatigatur auditus.* Et quamuis in multis tibi videatur antiquorum viam à quamplurimis acceptam vel prætermisisse, vel accipere recusasse, & loco aliorum aliam nouam non hactenus excogitatam viam, aut opinionem suscitasse, non quidem mihi in mentem venire audet à te Auctorem minori haberi pretio, quàm alios, quos etsi varia, & quidem noua scripserunt (quia tamen solerti iudicio, acutissimo ingenio, & fortissimis rationibus scripta) in veneratione, ne dicam admiratione, omnes nunc habent; nam neque vetusta, ac trita meliora sunt. *Neque omnia apud priores meliora, sed nostra quoque ætas multa laudis, & artium imitanda posteris tulit. Non enim sunt imparia tempora nostra transactis, habemus sequaces, æmulósque priscorum.* Neque noua, quòd noua, sunt contemnenda. Tacit. 3. Annal. Cassiod. lib. 8. epist. 13.

> *Miraris veteres Vecerra solos,*
> *Nec laudas, nisi mortuos Poëtas.* Mart. lib. 8. epig. 70.
> *Indignor quicquam reprehendi, non quia crassè,*
> *Illepidéve dictum putetur, sed quia nuper.* Horat. in art. poët.

Quod apud Plinium reprobatum antea fuit *lib.* 6. *epist.* 2. dicendo: *Sum ex iis, qui mirer antiquos, non tamen vt quidam temporum nostrorum ingenia despicio, neque enim quasi lassa, & effœta natura, vt nihil iam laudabile pariat.* Et apud Sidon. Apollin. *lib.* 3. *epist.* 8. probatum sit in veteratores. *Veneror antiquos, non tamen itavt coæuorum meorum virtutes, aut merita postponam.* Quare non quòd noua, nuperque dicta, sed quòd sinistrè, falsóque scripta, damnanda; quod in hoc opere minimè reperies, quippè nil certè, quæ veris Philosophiæ principiis validè non hæreant, nihilque, quæ certis Medicinæ fundamentis stabilita non sint, & vt verbis Plinij vtar. 4. *epist.* 20. *Est opus pulchrum, validum, acre, sublime, varium, elegans, purum, speciosum etiam, & cum magna laude diffusum.*

Si tamen omnia tibi non placeant, vel quia vt Plinius 6. *epist.* 17. *Varia sunt hominum iudicia, varia & voluntates.* Vel quia vt Plutarchus *in vita Socratis*: *In magnis placere omnibus difficile sit.* Vel quia

> *Non semper idem floribus est honos*
> *Vernis, neque vno Luna rubens nitet vultu.*

Poteris quidem ea, quæ vel languida, vel hispida videbuntur, transcurrere, vt Martial. *in præfat ad* 2. *epigr.* consulit: *Epigrammata Curione non indigent, in quacumque pagina visum est, epistolam faciunt.* Nec mireris: quis enim tam irreprehensibilis hactenus scripsit, qui posteà ab aliis etsi non corrigatur, non sugilletur? quorum inter nostros tot habebis exempla, quot Auctores. Horatius *in Arte* fassus est de se in longo opere à somno obrepi, absque eo quod reputasset iniuriam. *Nam vbi plura nitent in carmine, non ego paucis offendar maculis, quas aut incuria fecit, aut humana parum cauit prudentia.*

Sed absit ab operum nostri HEREDIÆ simplicitate malignus interpres: *Improbè facit, qui in alieno libro ingeniosus est*: Nam nulli ominum hucusque datum est tam scienter scribere, quòd errare non possit: sed si competeris Auctorem errasse in aliquo, errorem discerpito, meliora veriorâque nobis (amabò) ostende. Nos tamen Mart. in præf. lib. 1. epid.

intereà pro Auctore cum Platone *in Hipp. Mayor.* clamamus: *Talia quidem nostra esse, non qualia quis optaret, vt trito prouerbio fertur, sed qualia esse possunt: Simul agnoscentes alium reperiri posse, qui plura, & meliora in hoc argumentum conferat, quì verò omnia, neminem.*

Cassiod. d.epist.3. Symmach. lib.3. epist.48. Cassiod. lib.8. epist.9. Claud. de laud. Stilicon.

Sed quò tam fusa nostra pergit oratio! Quò tam perennis prouehitur in immensum fastigium solutus sermo? *Diuertimus quidem ad benemeriti laudes, sed compendio sermonis assumpti, cùm illum referimus, te docemus.* Cessabimus tamen laudare, ne cùm frigidè, & ieiunè laudamus, videamur vituperare, vt Agellius aiebat *lib.19. noct. cap.3.* Præterquam quod *Superforanei laboris est commendare conspicuos, vt si in sole positis faciem praeferas. Sed longum est de eius gloria sufficienter loqui, quem singularem gentibus sæcula fœcunda genuerunt.*

——Equidem si carmen in vnum.
Tantarum sperem cumulos adducere rerum,
Promius imponam glaciali Pelion Ossa,
Si partim tacuisse velim, quodcumque relinquam,
Maius erit, &c.

Vale Matriti ex Musæo 6. Decembris anno 1662.

Tuus semper obseruantissimus

D. P. BAREA DE ASTORGA
Medicus Complutensis & Regius.

ELENCHVS

ELENCHVS
CAPITVM, QVÆSTIONVM,
& Sectionum, quæ in hoc Tomo Primo in binas Partes partito, secundum ordinem & seriem Auicennæ continentur.

PARS PRIMA.

FEN. I. LIB. I. TRACT. I.

TRACTATVS
De Febre Hectica.

PARS SECVNDA

HVIVS TOMI.

TRACTATVS

De Febre Colliquante.

TRACTATVS

De Febre Putrida cum fluxu alui implicita.

TRACTATVS.

De Febre Singultuosa.

TRACTATVS

De Febre Vertiginosa & eius Curatione.

TRACTATVS

De Coctione, & Putredine.

DISP. II.

TRACTATVS

De Febribus Perniciosis.

SVMMA

SVMMA PRIVILEGII.

CAVTVM est authoritate Regis, ne quis in Regno suo aliisve locis suæ ditioni subiectis intra decem annos proximos, Librum qui sic inscribitur, *Doctoris PETRI MICHAELIS DE HEREDIA, Regis Catholici Medici Archiatri Opera Medica quatuor Tomis distincta*; absque PHILIPPI BORDE, Bibliopolæ Lugdunensis consensu imprimat, aut diuendat, à die publicationis horum Exemplarium: qui secus fecerit, mulcta indicta, prout amplius in Diplomate Regio continetur, coërcebitur. Datum Parisiis die 10. Augusti 1664.

De Mandato Regis,

Signatum

LE GROS.

Hæc secunda Editio desiit excudi die 15. Septembris 1673.

Bibliopolæ ad Lectorem.

CVM de secunda editione Operum clarissimi viri D. de HEREDIA, nobis cogitandum fuit, pergratum tibi fore (benevole Lector) censuimus, si ea emendatiora, maiorique claritate donata edi curaremus. Cui studio quia beneuolè se addixit D. BAREA DE ASTORGA, Authoris discipulus, nunc Doctor Complutensis, & Regius Medicus, nos hanc secundam editionem iuxta exemplar perquàm accuratè ab ipso recognitum, & ad nos transmissum vnà cum quæstione percelebri de FEBRIBVS ERADICATV DIFFICILIBVS, quam ad calcem Tomi primi reperies; Tractatúque de EXPVRGATIONE MINORATIVA, quem in Tomo quarto, pagina 143. inuenies, quæ hucvsque lucem non viderant, repertáque sunt cum cæteris codicibus Authoris, imprimi curauimus, quam iam auctiorem, & emendatiorem tibi offerimus: ea benè vtere, & vale.

D. PETRI

D. PETRI MICHAELIS
DE HEREDIA
DOCTORIS MEDICI,
DE FEBRIBVS
SYNTAGMA VNIVERSALE;
IVXTA ORDINEM ET SERIEM
Auicennæ congestum.

A

FEN. I. LIB. I. TRACT. I.

CAPVT I.

De definitione & essentia Febris.

INTENDIT Princeps in hoc capite naturam febris exponere: duo præstat, adducit primò febris definitionem à communi Medicorum schola receptam, & tandem plures febrium diuisiones enumerat. Febris naturam sic exarauit: *Est calor extraneus accensus in corde, & procedens ab eo mediantibus Spiritu, & Sanguine, per arterias & venas in totum Corpus; & inflammatur in eo inflammatione, quæ nocet operationibus naturalibus, non sicut caliditas iræ, & laboris, cum non vltimatur, & impedit operationem ita vt retineatur.*

B

In secunda parte capitis, diuisiones plures febris adducit, vt febris quædam sit morbus, alia sit accidens. Quam diuisionem non ex propria mente, sed ex mente Rasis proponit, eam verò redarguit. De qua diuisione celebris quæstio in sequentibus dabitur: ex proprio verò placito celebrem aliam diuisionem exponit iuxta diuersitatem rerum in nobis inuentarum, quæ possunt esse prima origo caloris febrilis, & vera causa illius; sunt enim in nobis tum partes solidæ, tum humores, tum etiam spiritus, & vapores; iuxta quam diuersitatem triplex membrum febris exponit, dicendo, si accendatur febris in membris radicalibus accensione primâ, sicut accenditur adustio in partibus balnei, tunc illud genus febrium nominatur hectica febris: Et si accendatur febris accensione prima in humoribus, deinde accendatur ex eis in membris, tunc illud genus febris nominatur febris humoris. Quod si accendatur febris accensione

C

suâ primâ in spiritibus, & vaporibus, deinde accendatur ex eis in membris, & humoribus, tunc genus illud febris nominatur Ephemera; quoniam est accensa in re subtili, quæ resoluitur cum velocitate & rarò pertransit diem cum nocte suâ. Hæc ergo diuisio (inquit) est per modum propinquum febrium euenienti diuisioni per differentias.

Tandem alias diuisiones enumerat dicendo, febres quædam sunt acutæ, quædam non; aliæ sunt longæ, aliæ non; aliæ diurnæ, aliæ nocturnæ; aliæ salubres, aliæ accidentia horribilia habentes; & aliæ sunt intermittentes, aliæ continuæ, seu insuperabiles. Rursus continuæ sunt, quibus sunt quietes remissiores, aliæ quibus sunt intensiores, aliæ quibus sunt exfortiationes, aliæ quæ sunt similes. Rursus febres quædam sunt frigidæ habentes rigores, aut horripilationem, & aliæ sunt simplices, aliæ verò compositæ. Hactenus Auicenna.

Nullum verbum in diffinitione febris extra controuersiam apud Authores inuenies; & quia febrem dixit esse calorem, id priùs ab Authoribus controuertitur, quorum vestigia sequentes, & mentem eorum, & naturam in hac definitione aperiemus.

QVÆSTIO I.

Vtrum febris essentia in calore consistat?

QVod in calore non semper consistat, multa suadent; & quia plurima eorum inania satis sunt, vnico notabili à nobis exhibentur, solúmque in medium difficiliora adducentur. Sit primum ex sacrariis Hippocratis *primo prognosticorum, textu* 24. in quo, vt desperatum signum, respirationem frigidam in febribus tradidit; esset verò impossibile aërem frigidum per exspirationem emissum percipi, nisi cor, & thorax frigida intemperie laborarent; non ergo febris est

calor accenſus in corde. Quod confirmat Galenus *lib. de Marcore cap. 5.* dicendo, quod laborantes frigido corde, non capitant calidum, idque eſſe inſeparabile cordi refrigerato, ſicut contrarium calefacto: Ergo cordi febricitanti frigida expiratio repugnat. Idem ſuadet aliud Hippocratis teſtimonium 60. *Epid. ſect.* 4. *text.*30. Verba ſunt: *Signa lethaliter, per cutem calidus vapor, priùs autem naſus frigidum ſpiritum reddet, vitalia autem contra ſe habent.* Quo loco frigidam expirationem cum vapore calido per cutem exhalantem, vt ſigna lethalia in omni morbo recenſet; ergo & in febribus talis frigida expiratio inuenietur, quæ cum cordis calore, & naturali intenſione dari non poterit, ac per conſequens cum febre cor erit frigidum; & hoc Auicenna inſinuat frigidas febres in diuiſione admittendo, quod confirmat ſæpe quarumdam febrium medela, quæ nonniſi ſudoribus & calidis illis auxiliis eradicari poſſunt; erat ergo in corde frigida diſpoſitio: Tum etiam id docuit *capite de horis febrium*, vbi principium earum definiendo dicitur, quòd eſt hora, in qua calor innatus præferatur à materia ſubmerſa in membro: Eſt verò ſuffucatio caloris eiuſdem interitus, & per conſequens diſpoſitio frigida in omni principio febrium moleſtat.

Tandem ſuadetur febribus lypiriis, & epialis, quæ ſine frigore morboſo conſtitui non poſſunt: lypiria enim exteriores partes algidas expoſcit, vt epiala corporis dimidium frigidum requirit, ſentiuntur enim frigus, & calor in omnibus partibus corporis, non ergo in ſolo calore febris conſiſtit.

Sed communis Medicorum opinio eſt, quòd febris in calore conſiſtat. Conſtat ex noſtri Principis definitione, per calorem extraneum febrem definientis, deſumpſitque definitionem ex innumeris Galeni, & Hippocratis teſtimoniis: & tam celebris, communiſque eſt hæc ſententia, vt non ſolum medici, verùm & omnes alij in ea concordes ſint; quem communem conſenſum videns Galenus 6. *Epid. ſect.* 1. *textu* 29. ſic ſcriptum reliquit; *Eſſentia verò febrium eſt, non ſecundum Hippocratem modo, atque præclariſſimos medicos, ſed etiam ſecundum communem omnium notionem, caliditas præter naturam, maxime quidem in totum animal effuſa, ſin minus at omnino, vel in plurimus partibus, vel nobiliſſimis accenſa?* Quod teſtimonium pro multis ſufficiat, nec vulgus aliam diſtemperiem, niſi calidam, febrem vocat: eiúſque etymologia idem oſtendit, dicta enim eſt febris à feruore, feruor autem à ſolo calore ſuſcitatur; nam & acetum, & atra bilis exquiſita partibus calidis terram etiam fermentant; ſic Galenus 1. *de differentia febrium, cap.*3. ſcripſit: *Ex quibus vna febris exiſtit, quoties calor præter naturam in corde extiterit: deficerent prius dies quam teſtimonia prædictam concluſionem ſuadentia, ſi omnia in medium proponerentur*; quam Ariſtoteles *ſect.* 2. *problem. quæſt.* 8. *& ſect.*26. *quæſtione* 2. proprio conſenſu ſtabiliuit.

Eandem veritatem oſtendunt accidentia omnia quæ febri eſſentialia putantur, vt pulſus maior, celerior, & crebrior, vt copia maior aëris refrigerantis, & tempore breuiori trahatur, vt incendio interno eo modo quo poteſt, natura ſuccurrat, in eaſdem differentias quando febris moleſtat, reſpiratio mutatur, vt vitæ principium calore æſtuans attemperet: eiſdem enim modis pulſus, & reſpiratio primò mutantur, quando cor intenſius quàm per naturam calet.

Nec obſtat textus Hippocratis *primo prognoſt. textu* 25. cuius ſunt hæc verba; *Spirationis autem facilitatem exiſtimare oportet, per quam magnam vim habere ad ſalutem in omnibus morbis acutis, qui cum febre fiunt, & in quadraginta diebus iudicantur.* Galenus *in expoſitione* dicit; naturalem reſpirationem appellauit ſpirationis facilitatem; ſi ergo naturalis reſpiratio eſt, nequit cor calore præternaturali eſſe affectum; ergo nec reſpiratio mutatur in præternaturales differentias, vt diximus, nec febris cor videtur accendere, ſi reſpiratio naturalis eſt, vt Galenus docet: quod teſtimonium validiſſimum eſt, cum in acutis febribus optimam & naturalem reſpirationem admittat, quæ præ cæteris calidiores eſſe conſueuerunt, dicente in eius loci expoſitione Galeno, in acutis propter magnitudinem febrium, aut inflammationem propriè nominatam, pericula imminere. Galenus certè tepidè ſatis textum exponit, cum in acutis febribus impoſſibilis ſit reſpiratio naturalis; mutatur enim vt cor æſtuat: quod etiam peccatum Vega commiſit, & grauius Brauo Salmanticenſis, *primo prognoſticorum* 35. quòd tam naturalem reſpirationem per febres, vt per bonam valetudinem admittit. Valleſius per optimam, & naturalem reſpirationem non multum à naturali diſtantem interpretatur, ſed quâ ratione ſi in acutis incendium cordis eſt, & tam magnum, adeo parum à naturali reſpiratio febrientis diſtat? Ego ſic ſentio, nimirum per pulſum demonſtrari ſæpe acutiem febris, & eius intenſionem magnam, quando reſpiratio tam læſa, vt pulſus non percipitur, eò quòd expellens cordis, non ſolum naturalis, ſed & vitalis reiiciat valenter fumoſa, quæ ad cor deriuantur, ſitque ſignum reſpiratio expurgatiſſimi cordis, prout in febribus acutis eſſe poteſt, vt nec intenſo calore alteretur, & (quod certius eſt) copiâ vaporum, & fuliginum putreſcentium non obruatur, ſitque per conſequens ſignum foci putredinis à cordis ſitu diſtantis; cor itaque vbi cæteræ partes patiuntur nimis, non recipit fuliginoſa excrementa ob expellentem validam. Sicque reſpiratio à naturali non multùm diſtat, quia non multum patitur: pulſant enim partes vt quælibet patitur, reſpirat verò viuens vt patitur: cor ergo, etſi pulſus magnus ſatis, celer & creber, ſitis intenſa, linguæ ſiccitas, & ariditas, inquietudo, ſenſus caloris moleſti, & ſi quæ ſunt alia intenſionem febris ſignificantia, metum periculi incutiant, diluitur ferè totus ſi reſpiratio optima prout in febribus ſit, quia plurimum valet ad ſalutem vt ſignum forte, quatenus cor (ſine cuius ingenti læſione vita non periclitatur) cum bona reſpiratione multum pati repugnat, ſitque tibi hoc celebre ſignum, vt bonam concipias ſpem, quando vulgus, & triuiales medici, aut grande periculum, aut mortem præſagiunt, & firmiorem concipias ſi cum bona, & facili reſpiratione lotium repugnans coctioni non ſe oſtendat. Galenus *in Synopſi de pulſibus cap.*25. mutationem in reſpiratione non admittit, niſi magna caloris mutatio in corde detur; eſt locus celebris hæc verba continens; *Caliditatem autem in profundo corporis auctam, ſi cætera omnia moderatè ſe habeant, ex pulſu ſolo præcognoſcere potes, reſpirationis enim mutatio non fit manifeſta in talibus affectionibus, in quibus parum caliditatis ſecundum naturam in corde collectum eſt, aliis eodem modo ſe habentibus*: quod etiam confirmat Hiſtoria Parmeniſci quæ habet, *febris verò ſemper & bene reſpirabat. 7. epid.* & in Valleſio *lib.* 5. *n.*8.

Argumentum primum facillimè diluent negantes reſpirationem frigidam ſimul cum febre. Galenus enim in eius loci expoſitione extinctionem natiui caloris ſignificare dixit; eſt verò extinctio caloris frigida paſſio. Vega dixit idem quod Galenus, qui author 6. *epid. ſect.* 4. *text.* 30. docuit quod omne cor propè mortem frigida intemperie eſt affectum, datur verò frigida reſpiratio quando iam mors prope eſt; verùm vt certum haberi debet, quòd frigida reſpiratio cum febre inueniri poſſit. Hippocrates enim de acutis febribus, præcipuè præſagia in eo capite tradidit, & conſtat ex hiſtoria Pythionis 3. *epid. ſectione* 3. adducta: habuit enim die ſecunda ſpiritum breuem, quem in eius hiſtoriæ expoſitione, paruum, & rarum Galenus appellat: fit verò cum refrigeratur iam, & moritur vitalis facultas: Pythion verò acutè & continuè febricitauit; nam febris acuta, & quæ per dies pares moueba-

tur,

tur, non poterat non esse continua, & grauissimè affligere, & tam exitialia symptomata, tamque assidua Pythionem molestantia, febris solum continoa & vehemens exeitate poterat. Nec maior ratio videtur, cur in ardente & acuta febre sudores frigidi sb Hippoctare, & omnibus admittantur, & non sit admittenda respiratio frigida: dixit enim Hippocrates 4. *Aph.* 37. *frigidi sudores cum acuta quidem febre mortem, cum mitiori autem longitudinem morbi significant*; humores igitur incendio ardentis febris resisteutes, & smbitum corporis infrigidantes, aut quauis alia causa frigidos sudores suscitantes, aërem etiam inspiratum infrigidare poterunt, vt à calore febrili non calefiat sensibiliter, sed frigidus expiretur, vt reiicitor talis humor exsudatus: quam veritatem Galenus tradidit 6. *epid. sect.* 4. *text.* 30. Citato. Dicendum ergo, *cum frigida intemperie cor ægrotat, calidum vaporem emanare nunquam reperies:* Ergo quando talis emanat præter naturam, erit cor præter naturam calefactum: dixit verò Hippocrates, in illo textu, quod prius spiratur frigidum, quàm calidus vapor emanet: ergo datur spiratio frigida quando cor frigidum non est, sed febricitans; non enim tam desperatum accidens aliter quam febre lethali omnino facta apparere potest.

Quomodo verò cum interficiente febre respiratio frigida inueniri possit, doctè satis vt solet Vallesius noster 1. *prognost. capite* 7. exposuit: Per affectus (inquit) in quibus talis respiratio contingit, quamminimum ex ipso corde inspiratur, sed ex pulmone solum id quod inspiratum est; nam ad cor non venit aër inspiratus nisi motu arteriæ venalis: motus autem ille, vt & pulsus in eo statu quando frigidum spiratur, minimus, & debilissimus est, quo fit vt debilissima fuliginum & excrementorum expulsio fiat, & inde pusillus calor obrotus totus in visceribus laritat, reliquæ verò partes frigidæ satis sunt, & plus, quæ plus à visceribus distant. Cùm ergo frigida respiratio sine magna caloris extinctione non fiat, necesse est partes extremas intensè satis algere, vt pedes, auriculæ, nares, caput, brachia, facies, & crura. Quibusdam etiam & Thorax, vt in Pythione Vallesius putauit; vnde mirum non est, quòd aër inspiratione attractus non calefiat, expulsus verò per expirationem, frigidior extra sentiatur, quia aër motus, frigidior quam quietus sentitur. Accedit quòd sub tanta debilitate, ob extinctionem caloris, debilissims sunt respirationis instrumenta, & musculi laryngis proprio pondere concidunt, strictiorque fit via per quam aër ingreditur, & expellitur, sicque pellitur velut si exsufflaretur, ac per consequens densatur, & crassum excrementum, aut fuligo non exit, quia & via est angusta, & multò magis, quia cor, & arteria venalis ob debiles motus excrementa illa expellere nequeunt ad asperas pulmonis arterias, & sic solus aër expellitur, non vero excrementa calida, quia motu thoracis reiiciuntur solùm, quæ asperas pulmonis arterias occupant; thorax etiam quando compromittitur, decidentiæ aliquid habet, quia debilis facultas tantum pondus nequit sustinere, & sic aër spiratus violenter expellitur concidente thorace, vt sit etiam occasio vt frigidior sentiatur. Sunt ergo tot causæ ob quas respiratio frigida appareat, primò quòd non calefiat, quia instrumenta respirationis, ob extinctionem caloris frigida sunt, præsertim os, fauces, larinx, & aspera arteria: & sic infrigidatur potiùs à partibus per quas transit, & quia quando pellitur spiratione, agitatur compressione, & decedentia thoracis sentitur frigidior: densatur etiam in transitu per laringem, quia pondere concidit, vt diximus, & sic exit aër velut si ore compresso insufflaretur, qui motus si aër hominis per totum calidissimi facit vt sentiatur frigidus, conferet multo melius, vt hominis iam extincti aër expulsus frigidior

A sentiatur: rursus (vt dixi) excrementa calida in homine tam debili, ad asperas pulmonis arterias, ob pulsus languorem trahi non possunt, & sic solus aër attractus impermixtus expellitur & frigidus ob allatas rationes percipitur, estque tam exitiosus huiuscemodi casus, vt nullus quem occupauit, mortis molestiam effugerit. In confirmationem verò dictorum doctissimi Arethei testimonium adducere placuit, ex *lib.* 2. *de signis acutorum, cap.* 3. sic de accessione syncopali loquentis: frigidum spirant, quamuis magnia, & perurentibus febribus, vnde ipsa syncopa dependet, affligantur.

Nec putare licet quod contrarium locis adductis Galenus senserit: est enim communissima illius loquutio, defectum vitalis caloris, etsi à perurentibus fe-
B bribus fiat, & calor præter naturam cor molestet, frigidum affectum nuncupare, quia sub tanta extinctione plurimæ sunt partes præter naturam frigidæ, quas antea retulimus, & quasi cor calore præternaturali calefiat, dicitur frigidum priuatiuè, ob vitalis caloris defectum sine quo calor febrilis distribui per corpus non potest, nec sufficienter calefieri, cum magna quantitas agentis calidi requiratur, vt totum calore præternaturali calidum appareat. Vnde agens, quod cor calefacere potest, statim non calefacit ob paruitatem & nimiam partium extremarum distantiam: & inde non implicat, quod calidus vapor per cutem exhalet, quando frigida respiratio præcessit, quia hæc calido cordi associari potest, & calido cordi per cutem
C calidus vapor, vitali facultate iam emoriente, & exhalato per cutem vitali spiritu: sed de hoc argumento sequenti quæstione rursus incidit sermo. Auicenna verò frigidas febres appellat cum rigore, horrore, aut refrigeratione inuadentes, aut eas quæ à crudis succis dependent, in quibus causæ indicatio maioris momenti esse solet quàm febris, & sic calidis diureticis, & interdum sudoribus ex decocto smilacis asparag. & radicis chinæ extirpantur: quod verò primum principium vniuersale definierit per suffocationem caliditatis natiuæ, non obstat; quia suffocari non est in rigore semper corrumpi: & cum natiua caliditas aliqualiter corrumperetur, non manet frigidum corpus, quia suffocatio illa à putridis succis causatur, qui etsi non suf-
D focent, portionem aliquam vitalis spiritus præternaturali calore alterant.

Minus obstat frigiditas lypiriæ, & epialæ febris, cùm habeant etiam calorem febrilem adiunctum, qui partes omnes corporis alterare non potest, quia permixtio succorum impensè frigidorum in epiala per totum corpus cum calidis, & existentia crudorum in partibus externis in lypiria, obstant quod à calore succorum putrescentium partes omnes alterari possint: & cum tales febres sint inæqualis intemperiei, & ex contrariis compositæ, quæ rigent partes nullo modo febriunt, sed illæ solùm quæ calore præternaturali alterantur, nec hoc est contra febris naturam, quia etsi febris omnes partes respiciat, non verò esse in omnibus requirit: febris itaque dicitur calor ille præ-
E ter naturam, lypiria vero ob frigus externorum, & epials ob frigus per totum simul cum calore distributum, quod quomodo eueniat, propriis capitibus, & non sine vtilitate audies.

QVÆSTIO II.

Vtrum calor vt sit febris, debeat esse intensior?

RIdicula fortassis videbitur quæstio, nam si communis opinio medicorum & vulgi in calore febrem constituit, & calor naturalis non possit esse

febris, nec calor remissior naturali, quia vbi remittitur, datur necessariò distemperies frigida, & non calida, constat planè quod essentia febris in calore naturalem intendente consistere debeat, mihi quidem ridicula est, & multò magis, cum in scriptis grauissimorum authorum quamplurima argumenta directè intendentia probent, non quod in calore intensiore consistere non possit, sed potius quod non in calore absoluiè: placuit tamen præsentem quæstionem mouere, vt quæstio præcedens clarior appareat, & si aliquid supersit difficile enodandum, exponere.

Quod verò intensiori calore ad febris constitutionem opus non sit, nonnulla Galeni testimonia suadent. Sit primum ex expositione *aphorismi 26. lib. 1.* circa cuius initium sic loquitur: *Febris enim quoniam calida & sicca passio est, (est enim conuersio natiuæ caliditatis ad igneam) victum humidum consulit.* Ex quo inferunt, quod calor naturalis non solùm per intentionem nouam, sed per coniunctionem aliarum qualitatum redditur igneus: Ergo absque noua intensione reddetur febrilis. Minorem probant ex coniunctione cum siccitate, cuius copula ignea redditur, eo quod ignis siccus & calidus sit. Idem ostendunt, si mordacitati, aut putrido vapori, aut qualitati malignæ absque noua intensione adiungatur; ridiculum quidem argumentum ob multa, & vt propriùs loquamur, mendacissimum. Hoc vltimum patet, quia si Galenus dixit quod febris est calida, & sicca passio, & ob id esse conuersionem ad igneam naturam: cur relicto calore, siccitatem solam ad redarguendam Galeni doctrinam assumunt: ex hoc ergo testimonio ineprè arguitur, cum illatio Galeni sit, febrem esse conuersionem natiuæ caliditatis in naturam igneam, quia est calida, & sicca passio, quæ est ignis proprietas. Est etiam ridicula malignæ qualitatis coniunctio; ad quid enim vt calor naturalis febrem constituat? & cur maligna qualitas alias primas qualitates per sui coniunctionem non extraneat, vt nouos morbos temperamenti constituant? cur rursus lenitatem, & raritatem, vt causam febris cum calore naturali non adducunt, quia per illas in igneam naturam mutatur: quod verò permixtio vaporis putridi absque noua intensione caloris impossibilis sit, probatione non egit, si putredo à calore violento causatur, vt ex definitione Philosophi constat. Hinc habent locum argumenta adducta in antecta quæstione ostendentia respirationem frigidam cum febribus dari: & præcipuè id ostendit Galeni doctrina, ex 6. *de morbis vulgaribus, sect. 4. tract. 30.* iam adducta; docuit enim, quod omne cor prope mortem sit frigidum, cum tamen sit publicum quod innumeri à febribus pereant: ergo pereunt simul febre, & calore remisso, quia frigido intemperamento exanimantur.

Viget etiam hanc partem difficilis Galeni doctrina 3. *lib. de præsag. ex pulsu, cap. 30.* vbi febrem concedit quando visus aucti nullum signum apparet: *nonnunquam* (inquit) *percipitur in corde huiuscemodi pugnantia temperamentorum, nam modò frigidius visceris corpus æquo est, & in ventriculis contenta substantia calidior: modo e diuerso substantia frigidior, cor autem calidius, vbi etiam pulsus fiunt moderatis similes: nam medius quodammodo status hic efficitur ex duobus contrariis conflatus, &c.* Quem statum in pestilente constitutione concedit, & medicos etiam peritissimos fallere ob pulsus naturalitatem, & illud est mirum, quod certius peribant quibus maior pulsus naturalitas inerat; ergo absque intensione maiori caloris febris illa pestilens molestabat; clarius verò hæc pars ex Galeno deducitur *lib. meth. 12. cap. 3.* vbi in febre syncopali ex cruditate succeia sic loquitur: *Maximè verò quibus tum paruus, tum tardus ac rarus pulsus est, iis frigidos subesse succos putandum; & sibi obiiciens ducitur,*

A *sed fieri fortasse quod dictum est, non posse cuipiam videatur, cum nulli febricitantium, aut tardior, aut rarior pulsus fiat, &c.* Admittit ergo in ipsa febre pulsus rariores & tardiores, quia in naturali statu euenêre euidenter in accessionibus: ergo cum tales differentiæ pulsus remisso calori naturali debeantur, constat febrem non semper calorem naturali intensiorem includere.

Communior doctrina est, quod febris sit calor intensior, ita vt si naturalis calor cuiusque non intendatur, non detur febris; tam certa & vtilis est hæc conclusio, vt quod febris in calore consistat, nec nisi à cæcutientibus oppositum potest defendi. Id euidenter probat ratio à nobis adducta in initio quæstionis, B & eam Gentilis refert *quæst. 4. extrauagantium:* nam calor naturalis, quatenus talis, hoc est in intensione debita, nequit esse febris, quia febris est calor contra naturam: idem vero calor si inuariatus in entitate manet, semper constituit eandem sanitatem ex parte sui: vt ergo subiectum diuerso modo disponat, & denominet, mutationem in se accipere debet: ergo aut mutatur ad remissiorem, aut intensiorem: remissio non constituit morbum calidum, quia defectus caloris non est morbus calidus positiuus, sed frigidus; frigus enim est quod calorem naturalem corrumpens, viuens morbosum & frigore distemperatum denominat, nullo verò modo febricitans. Superest ergo quod sola ad intensiorem calorem mutatio, febris dicenda sit; C & confirmatur, quia medela febris, quatenus talis, frigidis celebratur, vt passim Galenus testatur: corrumpitur ergo aliquis calor, qui morbum constituebat. Quod verò ita sit, planè constat, quia febri succurrimus auxiliis, quæ certa pernicies fuissent, si calor præter naturam corpus non infestaret, vt potionibus frigidis, & sæpe reiterata sanguinis missione, victu & aëre frigidis; hæc verò auxilia cum soli calori opponantur, & causæ calidæ præter naturam, in calore intensiore febris constituenda est. Quam veritatem innumera symptomata stabiliunt, ardor, aut sensus molestus caloris, pulsus differentiæ, quæ soli calori aucto præternaturali debentur, magnitudo nimirum, celeritas, & crebritas. Idem in similes differentias mutata respiratio, & læsa confirmat, sitis aucta, & sæpe inexplebilis suadet, D peruigilium, intensior vrinæ color, inquietudo, cibi fastidium, colliquescentia, & marcor totius calorem intensiorem esse planè conuincunt, nec aliud nisi marcorem quem calor febrilis perperuò machinatur, præcauere intendit Hippocrates, quando victum humidum aphorismo 16. primæ sectionis, nullo dempto febrienti conuenire docet; eandem veritatem omnes causæ calidæ violenter nos alterantes aperiunt, ab eis enim in febrem incidimus, quòd nos præter naturam calefaciunt. Sunt innumera Galeni testimonia id confirmantia, & quod in calore, & intensiori consistat, quæ doctissimè tradita inuenies à Magistro meo *fen. 1. lib. 4. quæst. 1. & 6.* & à socio nostro Matamoros Medico Regio, *lib. 1. disput. 1. num. 10.* & *disput. 10. num. 7.* E pro omnibus verò locus vnus *ex lib. methodi, cap. 8.* primò sufficiat, cuius sunt hæc verba. *Sanè vnusquispiam morborum est quos intemperies creat: Et febris vtique, cum adeo immodicè auctus calor est, vt & hominem offendat, & actionem lædat.* Quo fit, vt nunquam Galenus nisi per frigida curari febrem doceat, vt patet ex 10. *aphor.* 24. & 9. *meth. cap. 14.* & constat planè ex doctrina Galeni qui simplices distemperies admittit absque complicatione aliqua: vnde si calor per coniunctionem cum siccitate extranearetur, nunquam daretur distemperies sicca seorsim consistens, quam sine læsione aliqua à calore inducta 7. *meth.* doctissimè curare docet. Nec obstat quod siccitas dicatur lima caloris, vt per eius coniunctionem operetur intensius; nam etsi hoc admittatur, cum calor vt quatuor non

possit vltra quartum gradum producere si sit naturalis vt quatuor, nunquam debitam mensuram excedet, quinimo per eam coniunctionem perficietur, quia producet in alimento quod requisitum est.

Argumenta in contrarium soluuntur facilè. Ad primum iam constat argumenti fallacia; intulit enim Galenus ex eo quod febris sit passio calida, & sicca, quod sit conuersio natiuæ caliditatis in igneam naturam, vnde testimonium illud ad probandum quod febris sit passio composita, conducit potius, quàm ad probandum quod sine nuua intensione febris detur, cum planè doceat esse passionem calidam, & siccam.

Quomodo vero frigida respiratio cum febre inueniri possit, docuimus iam ex mente Vallesij & Magistri mei. Quam doctrinam non recipit Doctor Matamoros *fol. 62. n. 17.* dicit enim quod quando frigida respiratio datur, iam sunt humores biliosi ob nimiam vstionem resoluti in partes præter modum extenuatas, alias vero partes in humores terrestres, frigidos, & siccos mutatas fuisse, quo fit vt aër frigidus inspiratus iam amplius à fuliginosis, & calidissimis humoribus (à quibus incalescebat) non calefiat, neque à vitalibus spiritibus, quoniam maximum datur eorum dispendium, nec ab ipso corde, quia hoc potius ab ipso aere refrigeratur: nam etsi aliquid à calore cordis aër reparatur, tam remissè fit, vt sub medica consideratione non cadat, & sic ita frigidus expiratur vt fuit inspiratus. Quæ doctrina mihi videtur difficilis, tum quia non reddit rationem cur sentiatur aër expiratus frigidior, vt docent Authores, si aliquo modo, etsi remissè à corde calefit. Vrget etiam, quod status ab hoc Authore positus, non potest esse mortalis, sed supponit febrem ardentem omnino eradicatam esse, imo in contrariam temperiem lapsum esse viuens, hoc autem planè refragatur authoritati Hippocratis dicentis, eam respirationem esse admodum mortalem. Et Authores omnes tam exitiosam esse testantur, vt nullus sic affectus mortis molestiam effugere possit: est etiam contra eius doctrinam expressum testimonium Hippocratis & Galeni. Hippocrates enim *6. epid. sect. 4. textu 30.* dixit signa mortalia esse, quod vapor calidus per cutem emanet, si prius respiratio frigida detur: & Galenus in eius expositione dicit, quod calidus vapor dari repugnat cum frigido corde; ergo nunquam post frigidam respirationem sequetur calidus vapor, si quando frigidum expiratur laborat cor intemperie frigida: putandum est ergo quod febris antecedens tam grauia accidentia, exitiosa sit reddita, & ea symptomata euenire modo adducto à Vallesio & Magistro, quando nimirum caliditatem vitalem omnino ferè extinxit. Lege Galenum in eius loci expositione, & lege attentissima mente, quia sine magno labore eius doctrinam non capies, & quia obscurissima, & quia apparentibus, ne dicam variis repugnantiis implicita; quod verò ibi dicit de corde, quod semper prope mortem sit frigidum, nisi intelligatur modo à nobis in antecedente quæstione explicato, sequendus non est, quod etiam tradit Magister, & Doctor Matamoros *fol. 63. n. 19.* & antè illud doctrina Brauo Salmanticensis *primo prog. textu 24.* optimè expugnauit, & tandem exposuit.

Quod verò Galenus docuit *lib. 3. de præsagatione ex pulsu, cap. 3.* satis difficile est, concedunt tamen Anthores, quod si detur illa contra-opera æqualis, ita vt status medius exquisitè resultet, non detur aliqua febris; si verò excedat calor sensibiliter, vera febris erit, & contraria intemperies si frigus excedat, eritque in primo casu febris radicaliter, tunc nempe quando frigiditas succorum, & calor cordis æqualiter pugnant, & erit similiter distemperies frigida radicaliter, quia vtrumque principium, si contrarium non esset, distemperiem sibi debitam produceret. Et est quodlibet violentum, & extra naturam viuentis.

Est tamen duplex dubium. Primum quâ ratione in ea æquali complicatione quod ægri febricitent Galen. deprehendit: secundum, cur certius peribant, quibus maior erat pulsuum naturalitas. Primum dubium dicit Doctor Matamoros ex lectione Galeni facile solui, cum sit non dubiè difficillimum: fatetur enim Galenus quod medicos etiam optimos ea constitutio decepit, & fallit semper quod inuenitur, vnde absolutè nequit esse cognitio facilis: verùm si quod Galenus vt veram notitiam refert, & media quibus tantum malum fuit assequutus, contemplemur, difficiliorem cognitionem inueniemus; verba sunt. *Qui sanè affectus vel optimos medicos fallunt, quod nunc quoque in maxima pestilentia accidit: quidam inde ab initio ad finem vsque, alij per totum morbum probum pulsum habebant, qui perparum deflexisset de natura, qui quidem præter cæteros perierunt. Animaduertimusque eos primus statim diebus, & pestilentia laborare, & pessimè affectos esse ex acredine caloris, atque ipsa caloris specie: denique quod pulsus parum præter naturam immutati, iis in eo statu perpetuo maneant.* Videtur verò ridiculum, quod ex acrimonia caloris tam pessima affectio agnoscatur, quoniam si moderata erat, constat planè quod tam grauem significationem habere non poterat: si magna erat acritudo, non poterat esse sine magno calore siccitati copulato, dixit enim Galenus *4. simplicium*; quod sapor acris est calidissimus omnium, vbi verò magnus calor molestat, & constat facultas (constat verò si tam naturalis percipiebatur pulsus) non poterit esse sano pulsui tam similis vt Galenus putat, quoniam fortitudo naturali non dissimilis, si visus viget, permutabit non dubiè satis validè pulsus. Præterea quid habet acrimonia caloris vt pestilentem affectum significat, cum à falsa pituita originem ducat, quæ pestilentes passiones creauit nunquam, aut rarissimè; excepta verò acrimonia, dicit Galenus, quod ex ipsa caloris specie pestilentem affectum agnouit. Fateor ingenuè me capere non posse, quid per speciem caloris pestilentiam significantis intelligere oporteat, si semel acrimoniam excipias; hac enim seclusa supersunt solùm remissio, aut intensio agnoscendæ; remissio pestilentem affectum, aut febrem non arguit, nec periculosam ex se: intensio verò magna non erat, ob nuper allatam rationem, implicarent enim tam parum distantes a naturali statu pulsuum differentiæ cum mediocri robore; si verò intensio naturalem statum parum excedebat, qua ratione pestilentem affectionem significare potuit, pulsus verò æqualitas nihil mali significat, nisi illi prauas differentias copules: nulla verò praua apparuit, quoniam pulsus tam paruus erat, vt perparum de natura deflexisset, & quibus tales pulsus erant præter cæteros, certius perierunt. Quod verò quando cor putredine afficitur, si febris excitatur, nulla sit magnitudo, nec crebritas, sed sola celeritas præter naturam, tam difficile est vt credi non possit: est ratio efficax, quia celeritas, & crebritas eodem modo vsui satisfaciunt, in tempore nimirum breuiore aërem attrahendo, aut fuligines pellendo, & sic facultas æquè ad eas differentias excitatur quando ob debilitatem non potest magnitudinem ponere; nec explicari potest, quod porredo cordis tam certa determinatione, & inuariabili contineatur vt solam celeritatem requirat, cum facilius crebritas resultet, quia minor virtus requiritur, quam ad celeritatem, & calor qui solam celeritatem requirit, remissus satis esse debet, alloqui crebritas poneretur.

Quod verò in fine capitis ad cognoscendam pestilentem febrem Galenus tradit, tam incertum mihi videtur vt si quid aliud sit. Verba sunt: *Deprehenduntur hac peste affecti, si febrem primum percipiant, deinde si non æqualiter perpetuò febricitent, ad hæc, si pulsum non habeant prævalidum, siquidem qui intemperiei comites sunt corporis ipsius cordis, imbecilli sunt omnes.* An adducta

signa habeant aliquid siue seorsim, siue copulatiuè firmantur, vt febris pestiens agnoscatur; mihi quidem nec pestilentem, verùm nec aliam febrem putridam ostendere posse videntur, cum omnibus communia signa sint, febrem sentire, & non febrire æqualiter, nec habere pulsum præualidum, cum nulla febris distemperies robur vitale adaugeat, sed potius effeminet: verùm hæc huius loci non sunt, adducta tamen fuere, vt constet quàm difficilis sit Doctrina Galeni, & accusandus etiam, quod non docuerit, vnde pendebat quod quidam ab initio morbi vsque ad finem optimum pulsum habebant, cùm passio tam desperata esset, & cur tales cum maiori pulsus naturalitate certius periclitabantur.

Ego verò existimo quod causa erat lenta & non fumosa cordis putrefactio, vt in sphacelo contingit, vnde nec calor intensus suscitabatur, quia mortificatio potius erat, incipiebat verò corruptio cordis, non per totum corpus ipsius, sed per partes minores serpebat, & quia nec fuligo copiosa eleuabatur, nec totum corpus cordis simul afficiebatur, inde in vsu mutatio magna non erat, & in partibus non affectis mediocre robur seruabatur, vt moderatas, & naturalibus similes differentias pulsuum apponeret, quod præcipue eueniet si sphacelus partes cordis externas prius afficiat; sic enim in internis virtus robusta seruatur, & creantur spiritus donec putredo extensa iam per totum cordis corpus, & interiora depascens, breuiter, & inopinatè ægros de medio tollebat. itaque quò profundior, & plus mortificans cordis substantiam putredo erat, minus fuliginum eleuabatur, quia calor natiuus partis extinctus vna cum sphacelo, contra causam morbi pugnare non poterat, vt verè diceres cor per particulas insensibiliter emori: ita vt putredo maligna eas tantum partes quas determinatè corrumpebat offenderet, reliquas verò minimè, & inde certius peribant qui læsionem minorem in pulsibus ostendebant, quia putredo malignior vitalem calorem & natiuum partis affectæ simul destruens, neque euaporabat, neque alias partes in consensum trahebat, & sic pulsabant velut si leuiter fuissent affectæ, donec serpens putredo illa perniciosa, & plures partes cordis, & intimas offendens, vitale robur breuiter destruens breui etiam ægroti è vita discederent. Contrarium contingit si humores cordis pestilenter putrescant, multa quidem euaporatio suscitatur, & minus cordis robur destruitur, & inde pulsus præternaturalior quam in primo casu redditur, estque affectio securior: quia vt *loco citato* Galenus docuit, non est excogitabilis medicina contra putredinem cor afficientem, nam quibus calor hic putredinosus ad humores quos continent cordis sinus magis deflexit quàm ad corpus visceris, multi horum fuerunt superstites. Est verò intelligendus Galenus, non quidem quod simul aliquid corporis cordis cum humoribus putresceret, sic enim non esset securior affectio, sed perniciosior; itaque illud magis, non est comparatiuum, sed exclusiuum, alioqui falsa diceret, nam si cordis putredo seorsim consistens irremediabilis est, quod auxilium sperari poterit si simul cum corde succi putrescant. Dices, expositio adducta non videtur Galeno consona, nam si ex pestilenti respiratione prauitatem & pernitiem passionis agnouit, & alia esse non potuit quàm grauteolens & fœtida respiratio, & hæc apparere non potest absque euaporatione fœtida, constat planè quod halitus praui ex tali cordis putredine eleuabantur, cuius contrarium docuimus naturalitatis pulsus rationem reddendo. Respondeo, quod odor in tenuissima, & vaporabili substantia subiectatur, quæ cum tenuitate etiam minima sufficit vt exquisitè sentiatur; hæc autem nec instrumentum vitiat, nec sensibiliter alterat, vt magnam in pulsu permutationem efficere queat,

A & sic parum à naturali statu deflectebat, vt dixit Galenus. Adductam solutionem argumenti principalis ex Galeno deduces sic *citato capite* loquente. *Quod verò in sermone præteriuimus, vbi aër quem inspirando attrahimus infectus putredine sit, ac putredo cordis corpus attigerit, illi pulsus fiunt, nec iam quicquam habet admirationis, si eos pulsus quos memorauimus tali peste affecti habeant, nec si pestilentem respirationem, nec si omnino morituri sint; quam enim excogites medicinam ad putredinem quæ in corde sit?*

Locus etiam ex *lib.12.meth.* non parum viget, quem sic Doctor Matamoros exposuit. Tales (inquit) differentias pulsus non solùm indicare calorem remissum, sed etiam facultatem debilem propter defectum vitalium spirituum, quorum est maxima inopia in febribus B syncopalibus, & propter magnam facultatis aggrauationem ex summa copia succorum causatam: sed prima causa est apertè falsa si supponat esse febrem actualem, quia vsui aucto debetur necessario pulsus creber, etiamsi debilissima sit facultas, vt pulsus formicans ostendit, qui crebertimus, tardissimus, & debilissimus est. Sic Galenus *in synopsi de pulsibus, cap.28.* *Si facultas* (inquit) *satis imbecilla sit, & calor egenus, parui & tardi pulsus, & frequentissimi fiunt*; & nihil communius quàm formicantem pulsum facultatis languorem extremum significare, vt *cap. 22. eiusdem libri* Galenus scripsit: quod si vsus auctus est, etiamsi onerentur arteriæ, nunquam pulsus rari euadent, sed summè inæquales & crebri. Magister meus *fol.1. lib.4.* C *fol.29. in solutione ad quintum*, tam obscurè loquitur, (ne dicam impropriè) vt quid tenendum sit, non apparet: nos autem dicimus, quod si per accessionem syncopalem calor præter naturam non deficit, vt planè sit frigidus affectus, & vsus diminutus, repugnat iuxta Galeni doctrinam quod pulsus sit rarus, nam in ipsa accessione syncopali creberrimus illos admittit *in synopsi de pulsibus cap.33.* dicendo. *Etenim febres omnes perurentes sequentem habent pulsum, qui autem in syncopis sunt, frequentes ob languiditatem, quæ a nulla vnquam syncope separatur, sunt periculosi*; & clarius paulo inferius dicendo: *Ac extrema quidem frequentia nihilo minus quam syncope laborantibus, inest iis, qui perurenter febricitant.* Idem docet *libro de pulsibus ad Tyrones, cap. 11. & 4. lib. de caus. puls. cap.* 10. Si ergo D accessio syncopalis crebrum pulsum excitat, & multò magis febrilis accessio, nunquam in febre syncopi copulata rarus pulsus expectandus est: ergo si datur in accessione illa quam Galenus 12. *meth. cap.* 3. tradit, nec erit febris, neque syncopa actualis, sed ab humorum confluxu frigidorum quidem, crudorum, & crassorum vsus diminuitur, & totum vehementer refrigeratur cum corde, onerantùrque arteriæ, & non cum ore ventriculi: sicque pulsus languidus, paruus, tardus, & rarus exurgit, donec longo tempore transacto flammam concipiant, & febris verè incipiat, pulsúsque permutentur: sola enim compressio, & copia crudorum suffocans in principio inuenitur, non inflammatio, aut ardor, sed potius contrarius affe- E ctus; dixit vero Galenus 4. *de causis puls. cap.23.* quod sola compressio oris ventriculi, rarum, tardum, paruum, & languidum pulsum causat; ea verò fit & à ciborum copia, & ab humoribus quibusdam, qui in eum confluant non mordicantibus: constat verò quod huiusmodi accidens sit familiarissimum febri syncopali, de qua *loco citato* Galenus loquebatur, vt ex eius lectione constat: lege Vallesium 1. *de differentiis feb. cap.11.*

QVÆSTIO III.

Vtrum Febris in solo calore consistat?

REi cuiusvis constitutio metaphysica est, potius quàm physica; est enim differentia per quam quodlibet ens in esse talia contrahitur, nulla verò datur implicatio, vt constitutio alicuius rei plura requirat, etiamsi specie differant: sic enim torridus marasmus per siccitatem morbosam, & calorem contrahitur, quas duas qualitates ratio necessariò includit, vt qualibet seclusa, eius natura perdatur. Quo fundamento *tractatu de Coctione* docui, essentiam in omni qualitate ad modum substantiæ pertinente collocandam esse, quia quatenus est perfectio à calore natiuo, omnia requisita vt alimentum fiat naturæ vniforme includit, quatenus talis omnia respicit; sic temperamenti essentiam in proportione plurium rerum specie differentium Medici collocant, nouiter Pater Hurtado intellectionem in productione, & informatione verbi mentis constituit. Hoc dico contra socium nostrum Matamoros *lib.* 1. *de febribus*, *disput.* 12. putantem, quod nulla essentia ex rebus specie differentibus possit constitui, quod planè falsum est, quia quæ specie differunt, etsi in se completa videantur, tamen vt ordinantur ad componendum aliud, possunt esse incompleta in ordine ad tertium, vt in materia patet, & etiam C in pulchritudine: rectè ergo dubitari potest, si febris vt talis solum calorem includat, num vero præter illum aliud exposcat.

Sunt verò qui suadeant febrem esse passionem compositam ex siccitate & calore: est communis, & celebris Hippocratis locus ex 1. *aphor. text.* 16. cuius sunt hæc verba. *Victus humidus febricitantibus omnibus confert, maximè verò pueris & aliis qui tali victu vti consueuerunt.* Medetur ergo febrientibus omnibus victu humido, & per consequens in siccitate etiam febris consistit. Quod in huius loci expositione Galenus etiam tradit; febri enim (inquit) quoniam calida & sicca passio est, victum humidum consulit. Est ergo secundum Galeni mentem passio composita ex siccitate & calore: quam sententiam innumeris locis Gale- D nus repetit, vt 1. *de victus ratione in acutis, text.* 18. & 1. *aphor.* 24. clarissimè. Et confirmatur, quia doctrina Galeni & communis est, non dari simplicem distemperiem, cum aliam sibi associet, calor verò siccam suscitat; nam Galenus docet 6. *de tuenda sanitate cap.* 7. quod nemo potest siccitatis productionem à calore naturali effugere, vt planè senectus ostendit. Minus poterit siccitatis productionem à calore violento & febrili impedire, & inde dabitur semper sicca distemperies cum illo; & probatur efficaci ratione, quoniam illæ distemperies necessario esse debent, quas causa febris vt sit talis exposcit, sed causa febris à duplici distemperie semper alteratur: ergo & viuens ab illa: nam causa aut putrefit, aut vritur. Si pri- E mum, à calore, & humiditate; si secundum, à siccitate & calore alteratur: nunquam ergo erit possibilis febris absque productione caloris & siccitatis, aut caloris, & humiditatis. Quod placitum sequi necessariò tenentur putantes, quod calor vt causa æquiuoca sit siccitatis productiuum: quod vigetur exemplo febris hecticæ, quæ sine morbosa siccitate constitui non potest, vt ex mente Galeni *tractatu proprio* retulimus: vnde 7. *methodi cap.* 8. de sicca & calida distemperia sermonem instituens dicitur, eiusmodi affectum ad portionem esse febrem, quippe quod illa vel in toto animali, vel in corde est, at propositus nunc affectus in ventriculo est.

Verior opinio est, quod ratio essentialis febris in A solo calore intensiori saluetur, vt omnis alia qualitatis complicatio excludenda sit. Constat ex dictis, & ratio a priori est, quia omnia accidentia essentialia febrem demonstrantia à solo calore excitantur, nam sola magnitudine, aut celeritate, aut crebritate, vel iis omnibus in pulsu præternaturaliter mouentia, omnes affirmant ægros febricitare, illæ verò differentiæ nullam aliam distemperiem nisi calorem intensiorem ostendunt, nec aliam vt ponantur, requirunt; ergo in solo calore intensiori febris natura consistit: atseque commune non solùm Medicorum, sed & vulgi placitum Galenus docet 2. *methodi capite vltimo*, iis verbis: *Deinde calorem ipsum qui adeo auctus sit vt occasione eius corpus laboret, nec probè perfungi actione pos-* B *sit, permittite volentes appellare febrem, siquidem omnes homines eum qui ita sit calidus, febricitare dicunt.* Et inferius ita scripsit; *Quippe expeditius dicere est, febricitare Dionem, quàm tantum in toto corpore caloris habere, vt multas functiones corrumpat.* Nec obstat quod paulo inferius sic loquatur. *Itaque composita rei nomen febris est, atque hoc etiam magis febricitans*: quibus planè docet febrem significare rem compositam: non itaque obstat, quia nomine febris intelligit non calorem seorsim, sed quatenus lædit, & symptomata includit velut effectum necessarium. Si verò quis proteruè oppositum sustineat, nulla ratione conuinci poterit, loquetur tamen contra communem Medicorum consensum, tenebiturque docere, quod malum sit cordis calor intensissimus, seclusa alia quauis distempe- C rie; nam distemperiem calidam & humidam morbosam admittunt omnes, & vt in ventriculo datur Galeno teste 7. *method.* ita in toto corpore, quod exemplo laborantium anasarca euidenter constat: respondebit fortasse, illud malum esse distemperiem calidam, non tamen febrem, nisi sibi siccitatem associet; putabit enim quod non dicitur ad conuertentiam distemperies calida morbosa cum febre. Sed contra est, quia etsi hoc ita sit, verùm si semel supponatur quod cordis incendium sit in facto in illo, aut in causa illud alterante, necessario febricitabit: nam iuxta commune Galeni & Medicorum placitum, in eo solùm distinguitur calida distemperies à febre, quod illa lædere potest quando calor nondum in facto est in corde, aut humori- D bus, aut spiritibus: ob quod Auicenna in definitione calorem iræ quando non vltimatur, à febris natura exclusit, & Galenus 1. *de differentiis febrium cap.* 10. incalescere ab incaluisse distinxit; incalescere enim distemperiem calidam solùm, incaluisse verò febrilem significat: & ita merito Auicenna caloris solius in febris definitione recordatur.

Medicorum ingenia testimonium primum Hippocratis malè torsit, & torquet adhuc. Mercurialis per victum humidum intelligit liquidum, seu fluidum, & sorbilem, non quod febribus tantum idoneus sit, sed omni morbo cui satis vires non constant: melius enim concoquitur & superatur sub illa forma: addo ego & quia sic defæcatior assumitur, pauciora excrementa relinquit, quod non paruum lucrum est, spirituosior- E que redditur. Nec obstat quod Galenus per humidum intelligat quod vere humectat, quia hoc non negamus, sed Hippocrates consueuit semper vnica dictione multa comprehendere. Neque mihi placet Magister meus *lib. de febribus*, *pag.* 49. putat enim esse contra rationem, & experimentum, quòd omnes febrientes ita debilitentur vt alimenta solidiora conficere nequeant, vt inde sit necessarium ad sorbitiones confugere; nos enim hoc non asserimus, sed nolumus quod sub dubio sit si alimentum confici possit, nam cum nunquam per febrem coctio robustior reddatur, non decet cum spe dubia ægrum reficere: & ratio à nobis allata de maiori alimenti defæcatione, puritate, & quod spirituosius reddatur, magni momenti est,

cum omnia corpora obstructa, & putredini parata (vt febricitantium) à crassis excrementis strenuè lædantur, & non alimentum desideretur ob substantiam reparandam, sicut ob qualitatem & aptitudinem vt in spiritus potest conuerti, non enim perit febricitans ob substantiæ defectum, sed ob incendium, & spirituum paupertatem, quorum cupia si adsit, nunquam periclitabitur, ob quod Hippocrates *de veteri medicina tex.* 12. & 13. sic scripsit. *Probè autem nosse oportet, quibus sorbitiones in morbis non conducunt, nam statim vbi hoc fecerint exacerbantur ipsis febres, ac dolores, & manifestum fit quod assumptum morbo quidem alimentum & incrementum præbet, corpori verò tabes & infirmitas existit. Quicumque verò homines in hac affectione existentes siccum cibum assumunt, aut mazam, aut panem, etiamsi valde modicum, decuplo magis & manifestius læduntur quàm si sorbitione vsi essent, ob nullam aliam causam quam fortitudinem eduly ad affectionem, in qua sorbere conducit, edere autem non.* Est aurea doctrina nunquam à memoria excidenda, in quam accuratè notabuntur verba illa, *etiamsi valde modicum.* Non me latet id Hippocratem præcepisse supponendo quod sorbere non verò edere conueniat: verùm nos intendimus quidem victum febrientibus propinandum esse qui simul refrigeret, & humectet, ob adductas & non leues rationes; quod quæso commodum à solidiori cibo & fæculentiori sperandum est, cum coqui difficilius, & excrementis crassioribus imbutum esse, minusque spirituosum, incommoda magna febrientibus & obstructis afferat; & certum sit quod calor materiæ densiori impressus, duret magis, & efficacius alteret: minus euaporetur, magisque attemperationi resistat, & esculenta contrariis conditionibus constent, nec calorem mordacem contrahere possint. Vnde error Ioberti *paradox.*8. *decadis* 1. facilè deregitur; putauit enim quod in allato aphorismo carnes assas & non elixas Hippocrates commendauerit, quia assa sunt humidiura, & facilius quam elixa coquantur. Esto enim quod ita putetur, verùm modus substantiæ assatis carnibus competens, tam solidus & liquationi resistens est, quod eo ipso difficilius multo cuquantur, & succus earum tardius extrahatur, quia densiori crusta contegitur, & implicat tam attemperantes esse vt elixæ, ob empyreuma ex assatione conceptum, quo biliosiores necessariò redduntur; vnde Celsus *lib.* 3. *cap.*6. ad medium scripsit ita, & rectissimè. *Cibus autem febricitantibus humidus est aptissimus, aut humori certè quamproximus, vtique ex materia quam leuissima, maximéque sorbitio, eaque si magna febres fuerint, quamtenuissima esse debet.*

Nec obstat, quod Hippocrates 2. *de morbis*, *text.* 46. *circa finem* doceat contrarium; carnes enim imperat, & alia alimenta crassioris substantiæ, ibi enim non simplici passioni, sed compositæ occurit, tabi nempe ex pulmone malè affecto, in qua & expectoratione est opus, & renutritione solidioris substantiæ ob colliquationem illius, & præcauere præcipuè oportet ne alui fluxus superueniat; nam vt *eodem text. circa medium* docet, id verò quod occidet, alui profluuium fore præsagiendum est, ob quem timorem iusculum ne sorbeat consulit.

Alij opinantur victum humidum imperatum ab Hippocrate fuisse, non quia humidum, sed quia frigidum, quia humidum nomen apud Græcos latiorem significationem habet: significat enim etiam frigidum, vt vult Holerius in illius expositione. In quem sensum dixit Philosophus 1. *sect. problem. quæst. vlt.* quod ægritudines ab igne curantur humiditate: Quam expositionem contra Hippocratem esse ex ipso aphorismo perspicuum est, quia dicit præcipuè conuenire pueris, quod non videtur probabile, si nomine humidi frigidum intelligatur, quoniam pueri cùm sint calidiores ex natiua temperie, & hæc sit per morbus seruanda,

A non potest victus frigidus esse præcipuè pueris idoneus. Qua doctrina deducitur, quod non imperauit Hippocrates humidum victum tanquam retundentem actiuitatem caloris. Dicunt enim Philosophi quod calor actiuior per siccitatem redditur, & per consequens humiditas consulitur, vt eius actiuitatis moderatrix. Sed contrà est, quia si ob hanc indicationem imperaretur, non conueniret præcipuè pueris, quia cum sint humidiores reliquis, indigerent minus victu humidiori, ad moderandam caloris actiuitatem; quæ ratio euidens est contra Magistrum meum *fen.* 1. *lib.* 2. *fol.* 52.

Sententia nostra est, quod imperetur victus humidus vt reparetur substantia humida, quæ à calore febrili assiduè depascitur: implicat itaque quod calor ille

B substantiam humidam non absumat, & inde ne tabidus æger fiat, necesse est vt victus humidus detur, nec inde colligitur quod sit passio composita, quoniam siccitas illa ob defectum substantiæ humidæ inducenda, non est morbosa statim, sed longiori tempore eget febrilis caliditas, vt eam introducere possit; itaque & præcautio est morbosæ siccitatis, & curatio aut ablatio dispositionis neutræ, quæ statim à calore humidum consumente introducitur. Ergo quia victum frigidum conuenire febrientibus tam clarum erat ex natura passionis, illum subticuit Hippocrates; quod verò obscurum magis, & veluti occultè & secundariò faciendum, necessariò tamen admonuit Hippocrates, & quia pueri resoluuntur facilius, & vt in prognosticis docuit,

C conuulsionibus sunt paratissimi, ideo & ob ætatem, & dictum conuulsionis periculum, pueris præcipuè conuenire docuit, maléque imponit Magister noster Galeno, quod tanquam remedium curatorium humidus victus imperetur, cum expositio aphorismi id non ostendat. Minus mihi probatur quod victus humidus imperetur, quia tutius medela febris humidis, quam frigidis celebratur, eò quòd frigida cruditates, obstructiones, & prohibitam ventilationem causent: sed contra est, quia si febris in solo calore consistit, nulla curatio per humida tentatur, cum nihil caloris ab illis possit corrumpi.

Alio modo exponitur Hippocrates à Magistro *folio* 52. ideo nimirum humidum victum imperari, quia humiditate actiuitas caloris hebetatur; sequitur com-

D mune Philosophorum placitum opinantium quod siccitas sit caloris lima. Vnde si coniunctione siccitatis operatur calor intensius, necesse est quod lege contrariorum humiditate hebetetur, quia in contrariis qualitatibus semper ratio opposita admittenda est; itaque humiditas non remittit caloris actiuitatem, quia calori opponatur. Sed est conditio vt minus operetur, sicut raritas, aut tenuitas sunt communes conditiones vt omnes qualitates opereutur minus, humiditas verò solum respectu caloris. Quæ doctrina probabilissima & communissima est, & experimento confirmata videtur; idem enim calor si in subiectu sicco sit, efficacius quàm im humido suam vim exerit & ostentat. Verum etsi hoc admittamus, non videtur exposi-

E tio iuxta mentem Hippocratis, cum dicat præcipuè pueris humidum victum dandum esse, tales enim cum sint humidissimi, humido victu minus indigerent, cum magis actiuitatem caloris quàm reliqui cobiberent: Vnde si ad retundendam caloris vim humiditas consuleretur ab antiquo Magistro, adulescentibus magis, & multò magis consistentibus humidus victus consulendus fuisset: ergo humidus victus ob dicta consulitur, & quia frigus alimenti minori intensione operatur efficacius si humiditati adiungatur, quia vt calor siccitate acuitur, sic lege contrariorum frigus humiditate.

Sed dubium est, qua ratione humidum alimentum imperetur omnibus febrientibus, si occasio febricitandi

taudi

tandi semper ferè succorum putredo patratur; putredo verò nihil magis quàm humiditatem amet, vt faciliùs serpat, & totum corpus inficiat: frigore ergo, & siccitate curatio celebranda est, vt sic principiis putredinis occurramus directè, sicut si ab vstione humorum febris causaretur, humidis, & frigidis sanitas optimè procuraretur. Implicat ergo, quod omnibus febrientibus victus humidus salubris esse queat, cum occasio febriendi non semper sit similis, verùm omnino interdum opposita; nam vstio siccitatem contra naturam, putredo verò humiditatem exposcit. Si ergo in causa febris composita distemperies semper datur, & quando succi ob humiditatem superfluam putrescunt, totum corpus præter naturam humescit, siccus victus & frigidus idoneus erit, non humidus, cùm temperies morbosa augeatur, & hæc contrariis sit auferenda; respondetur quod Hippocrates effectum resolutionis attentè contemplatus, alimentum humidum commendet, cum quo stat, quod si humiditas plurimùm excedens sit, & author putredinis, vt in pestilentibus constitutionibus euenit, non liceat victum humidum propinare, sed quod cum frigore siccet moderatè, aut talibus rebus conditum, vt fortè acido limonis aut citri, agrestæ, aceto, & aliis: quando verò humiditas non exorbitat, nec nimis excellit, victus humidus idoneus est ob res allatas, est enim humiditas actiuitatis remissæ, & sic nisi nimis excedat naturalem mensuram, vrget magis extenuatio, quam calor febrilis continuè machinatur, quàm distemperies humida. Accedit, quod vt *tract. de coctione* docuimus, in humido naturali si calor extraneus sit, putredo potest induci, tuncque non erit humiditas morbosa siccum victum exposcens: quod verò Galenus docuit de simplici distemperie aliam sibi necessariò adiungente, verum est, si diu duret, non tamen statim, & per consequens calor solus admittendus est aliquo tempore absque siccitatis morbosæ consortio.

Ad rationem efficacem respondetur, quod putredo per excessum caloris cum humiditate naturali potest induci, sed non habet locum in hoc casu; si verò humor præter modum excedat, erit passio composita ex humiditate & calore: verùm humor excedens essentiam febris nullo modo constituit, quia nullum symptoma ad febris cognitionem faciens, ab humiditate originatur, quin potius contraria accidentia creat, eritque in hoc casu duplex morbi natura, simplex tamen quælibet, in qua operandum est, vt de hydrope febri complicato Galenus in illius aphorismi expositione docet. Quod verò 7. *methodi, cap.* 8. calidam & siccam ventriculi intemperiem ad portionem febris appellet, nil obstat, quia aut loquitur de febre marasmo, quæ composita est: aut intelligendus est, quod ea intemperies quatenus calorem morbosum includit, sit ad portionem febris, qui (etiamsi non esset morbosa siccitas) febris partialis illius partis dici deberet.

QVÆSTIO IV.

Vtrum calor febrilis à principio interno cordis semper procedat.

QVæstio celebris discutienda proponitur ad ingeniorum ostentationem potius, quam ad medicam vtilitatem conducens: est verò duplex modus opinandi. Quidam enim, vt Magister noster in antiquis prælectionibus, & modò super *fen.* 1. *lib.* 4. *fol.* 14. acerrimè conatur defendere, esse probabilissimum; quod nihil intra corpus, nec naturaliter, nec præter naturam esse possit corde calidius, & inde omnis febris ab interno principio cordis creatur. Supponit hæc opinio, quod cor intensiorem multò calorem eminenter contineat quàm formaliter habeat: ille verò eminenter contentus actualis redditur quando ob aliam occasionem aër inspiratus calesit; nam aër ille trahitur vt incendium cordis attemperet, & impediat ne ab interno principio tantus calor emanet. Itaque cum ad generationem vitalis spiritus, & ventilationem caloris, expellendásque fuligines aër externus inspirandus necessariò foret, non poterat cor non amittere aliquem gradum caloris naturalis; ne ergo deficiat semper calor naturaliter debitus, necesse fuit vt maior calor in corde quam eius statui naturali esset necessarius, eminenter contineretur: hic autem eminenter contentus pullulat ad proportionem qua aër qui inspiratur, calefit; vnde quando humores, aut spiritus, aut aliud excrementum putredinem concipiunt, & calefiunt præter naturam, nunquam calidiora redduntur quàm sit cor in statu naturali. Quia verò calidiora sunt quàm aër inspiratus, hunc calefaciunt antequam cor ingrediatur, quod cum non attemperet, vt per bonam valetudinem solebat, emanat ab interno cordis principio tantus calor, vt fuit receptus in aëre cor attemperaturo, sicque calor præter naturam ab interno cordis principio pullulat, & per consequens febris, quo fit vt nullus humor, aut spiritus, aut excrementum, etsi sint putridissima & calidissima præter naturam, cor per se calefacere possint, nec calorem naturalem cordis intendere, sed solùm per accidens, quatenus scilicet aërem frigidum inspiratum calefaciunt, qui cum cor infrigidare nequeat vt antea, ab interno sui principio calorem febrilem producit: eodémque modo philosophandum est, si aër calidus inspiraretur, etiamsi intra corpus nihil esset calidum præter naturam; opinionem Magistri sectatus fuit Doctor Matamoros *lib.* 1. *de febribus*, *disp.* 7. *fol.* 38.

Hæc opinio nunquam mihi placuit, stabilitur enim in suppositione, quæ nullo modo potest probari, nimirum quod nihil adhuc præter naturam potest esse in corpore corde calidius, quod vt dicitur gratis, ita gratis reiicitur, suntque contra relatam opinionem ingentes difficultates, & contra contrariam nulla ferè. Sit prima, quod in opinione multorum adhuc naturaliter vitales spiritus sunt corde calidiores: ergo si concipiant putredinem, calefacient illud præter naturam, & febris erit à principio extrinseco. Quod verò sint corde calidiores, suadetur primò differentiis pulsuum præternaturalibus, quæ ob spirituum defectum suscitantur, fiunt enim pulsus parui, tardi, & rari, tales verò esse non possunt absque cordis manifesto refrigerio: ergo calefiunt à spiritibus. Ad hoc respondent Magister & Matamoros, quod tales differentiæ sunt familiares debilis virtutis, & vsus diminuti, vnde in adducto casu virtus est debilis ob defectum spirituum, & in dictas differentias pulsus mutatur, non quia cor infrigidetur, sed quia vitalis facultas effeminetur. Sed supposito quod ab iis authoribus tales differentiæ ob spirituum defectum admittantur, probo euidenter quod absque insigni cordis refrigerio dari repugnet, nam vsui aucto cum debili facultate pulsus creberrimus debetur, vt patet in pulsu formicante; augetur verò vsus in tanto spirituum defectu ob duo, & quia deficiunt spiritus, & quia deficit substantia, quæ cor attemperabat: nam si partes omnes præter cor infrigidantur, quia substantia eas calefaciens deficit, si cor incalescit, quia substantia illud attemperans deficit, duplex substantia cordis attemperatur, & vitalis spiritus, qui supponitur corde frigidior, & rursus aër, qui sub tam paruo pulsu in paruissima quantitate trahitur: crescet ergo vsus, & calor cordis; vsus ob tria, defectum spirituum, quoniam Galeno teste, in easdem differentias pulsus mutatur ob spirituum defectum, sicut propter calorem auctum: & crescet

etiam

etiam, ob defectum spirituum attemperantium, & multo plus ob aëris defectum; quia agens attemperans non minus operatur debilius, quia remissum sit, quàm quia sit in minims quantitate, vt in ignis scintilla constat: calor ergo cordis ob defectum harum substantiarum attemperantium intendetur ab interno principio, vsus verò auctus vrgebit ob dictum incendium; & quia simul datur spirituum defectus, cum hac verò vsus vrgentia dabitur nunquam ratus pulsus, quia si sit cum illo facultas extremè languida, erit pulsus formicans, si non erit creber, & celer, vt est Galeni expressa doctrina. Ergo si tardus & rarus admittitur à prædictis authoribus, erit cor extremè frigidum, & per consequens magnum calorem à spiritibus suscipiebat: neque obstat si dicas, quod iuxta allatam doctrinam nunquam dabitur pulsus rarus, quia cum cordis refrigerio non potest non esse spirituum defectus, hic verò vsum auctum constituet, qui nunquam pulsum ratum exposcit, sed crebrum, si facultas sit debilis. Respondetur enim, quod quando cordis frigiditas extrema est, erunt pulsos rati, etiamsi spiritus deficiant, quia crebra aëris attractio tam pusillum calorem extinguit, in quo euentu vrget magis cordis magna frigiditas, quàm spirituum defectus. Galenus *lib. 1. de caussis puls. cap. 6.* in caloris natiui defectu, pulsus paruos, tardos, & raros admittit: natura (inquit) quæ iam pridem refrigerata est, nec multum requirit, neque celere refrigerium, sic nec breuibus interuallis; nec obstat quod si generentur spiritus, quia plus materiæ trahitur, emendabitur frigida intemperies, & sic vt crebrius materia spiritus attrahatur, erit pulsus frequentior: sed contra est, quia cum prius materia attracta infrigidet quam in spiritus verti possit, in primo occursu extinguet pusillum calorem, & mors inducetur. In qua veritate stabilitur doctrina Galeni, dati statum morbosum in quo respiratio cessat omnino, quia cor tam refrigeratum est, quod non indigeat respiratione, imo si respiraret, poterat esse mortis occasio, quia primo occursu extingueret aër cordis pusillum calorem, antequam ex illo & sanguine generarentur spiritus. Et hic est status, in quo sæpe homines viui, vt mortui feretro traduntur, quia viuunt sine aliqua respiratione; & est exemplum Galeni *sexto de locis* in hysterica passione.

Secundò dictam opinionem vrget cerebri frigida & humida temperies; illud enim non minus quàm cor dilatatur, & aërem frigidum trahit: deberet ergo tam calidum creari sicut cor, vt in debita temperie seruaretur, saltem deberet creari calidius multo quam suæ naturæ conueniret, ne aër attractus gradum caloris sibi debitum corrumperet: hoc autem in illo est apertè falsum, ergo in corde.

Tertiò, aër inspiratus non solùm frigore sed humiditate cor præter naturam alterat, est enim iuxta mentem Philosophi summè humidus: ergo & cor deberet multò siccius creari, ne à tanta humiditate assiduè attracta distemperaretur, & per consequens vt cor ab interno principio æstuat si aër calidus inspiretur, ita siccaretur ab interno principio, si aër humiditatem summam deponeret, quod planè est contra experimentum ridiculum: Ergo videtur fundamentum contrariæ opinionis. Quinimo si natura ob necessitatem aëris inspirandi tantum calorem eminenter cordi concessit, eandem eminentiam in omnibus qualitatibus præbere debebat, cum aër inspirandus omnibus alterationibus tam expositus sit, vt nullam effugere possit.

Quartò, quia si tam calidum cor supponatur vt totam intensionem febris possibilem ab interno principio producat, non videtur possibilis reductio ad bonam temperiem etiamsi causa febris aërem prius calefaciens auferatur. Patet, quia præsente illa causa, ideo febris non cessat, quia aër inspiratus continuè calorem cau-

A sæ corrumpere omninò non potest; sed in hac opinione cor secundum naturam est calidius causa illa febris, & additur rursus tantum incendium, quantum per febres ardentes experimur: resistet ergo cordis incendium aëri infrigidanti multò magis quam calor causæ: ergo vt ipsa præsente cor æstuat, incensum manebit, quamuis deficiat. Constat, quia secundum naturam est calidius illa, & habent superadditum tam intensum calorem sibi etiam connaturalem, & est in materia densiori: calor verò causæ in fuliginibus tenuissimis & rarissimis: resistet ergo plus non dubiè cordis calor aëris frigori, quam tenuis fuligo, & per consequens etiamsi fuligo deficiat, molestabit febris, est enim (si res bene perpendatur) magnus caloris cordis excessus, & est in materia densiori: & cum ab in- B terno cordis principio oriatur, illum conseruat, & aëri inspirato resistit magis quàm tenuis fuligo.

Quintò vrget prædictum placitum argumentum ab eis adductum, cuius solutio meo iudicio inanis est: sequitur (dicunt Authores in se ipsos) quod in primo esse instantis generationis omnes laborarent febre, quia in primo debent habere materiam primam, aut totum compositum omnibus qualitatibus, quas ex propria natura forma compositi petit, & in ea intensione quam continet: ergo, si cordis forma omnem calorem febrilem continet, totum etiam in primo esse producet, cum in illo nulla qualitas esse possit eam intensionem impediens. Respondet Magister *fol. 22. in solutione ad* 2. quod licet id concedatur, non C est dicendum eas dispositiones esse morbum, quia in primo esse non est aliqua causa contra naturam in ordine ad quam talis dicatur; tunc enim non est aliqua causa contra naturam, quæ refrigerium prohibeat, & remissionem per accidens. Quam solutionem me non capere fateor ingenuè, putat enim in hac quæstione Magister, & passim repetit, quod morbus ab interno principio esse possit, vnde impertinens est quod non detur alia causa in ordine ad quam talis morbus dicatur, & inde huius opinionis improbabilitas efficaciter ostenditur, quia sine vitio aliquo, & in corpore ad iustitiam temperato, in primo esse concedenda sit febris, aut morbus calidus, quod argumentum intendebat: & cum in Galeni doctrina hectica febris causam non requirat, non obstat causæ defe- D ctus vt hectica febris non sit: quod si adhuc ob causæ defectum calor ille febrilis dici non mereatur, verùm quod morbus non sit, sustineri non potest, cum similes læsiones sit effecturus quas febris ardentissima causat. Ego verò vrgeo magis; sequeretur enim ex illa opinione, quod statim in primo esse deberet viuens seipsum ab interno principio occidere. Probatur, quia si quando febre periuit, ideo animam egit, quia ob nimiam caloris intensionem poscit ab interno principio dispositionem incompossibilem cum forma propria, cum in primo esse eandem intensionem producere debeat, quia totum quod potest tenetur producere, seipsum statim à primo ortu occidet, quia tantus calor vt continetur in eius virtute emanabit: E continet verò sufficientem ad sui interitum. Vnde non febris vt arguunt Authores contrarij, sed irremediabilis statim oriri debebat, & necessariò interficiens, aut saltem dispositio incompossibilis, vt efficaciter probatum est.

Ex dictis constat etiam improbabilitas solutionis adductæ à Doctore Matamoros. Nullum (inquit) est inconueniens, aliquem in primo instanti suæ generationis laborare morbo, vt probatum est, vnde libenter concedimus in instanti illo cor laborare febre donec paulo post aëris inspirati ingressu detrahatur gradus illa intensus caloris, qui febrem constituit. Sed contra est ratio à nobis adducta, nimirum quod non solus calor febrilis, sed qui omnino mortem inducat, sit ab interno

principio

principio producendus, quia tantus in forma continetur in dicta opinione: nec obstat quod in solotione rursus insinuat, nempe quod non sit necessum, vt forma producatur in primo instanti generationis cum summo gradu & perfectiori sibi debito. Contrà enim est, quia in opinione dicentium quod accidentia subiectentur in toto composito, indubitatum est, vt quicqoid potest forma producere, tempore produci debeat, quia nihil repugnans in eo instanti datur impediens debiti productionem; in opinione verò affirmantium quod subiectentur in materia prima, bene potest admitti quod non detur summa intensio debita in primo instanti; quia in materia potest esse contraria dispositio, verùm hæc cum sit violenta, necessariò destruitur à forma genita, quia eam non petit, & habet internam vim ad producendam contrariam qualitatem, & sic ab interno principio vt paulatim reducitur, paulatim se interimet, quod quàm absurdum sit in vera philosophia, nemo non videt, & iuxta hoc placitum malè conceditur quod omnes in primo esse febre laborent.

Sed respondetur, quod aër qui inspiratur statim in primo esse obstat emanationi tanti caloris: verùm id est planè falsum, quia fœtus in vtero nullo modo respirat, nec datur via per quam aëris ingressus in vtero admittatur, vt latè, & doctè à Magistro meo probatur *de locis affectis disp.* 71. *cap.* 2. ex Galeni mente; est ergo fictitia & impossibilis hæc attemperatio. Quod si dicas, quod cùm fœtus in vtero pulset, trahet aliquid à quo attemperetur, & tanta caloris emanatio impeditur; Sed contra est, quia si trahitur aliquid, erit solum quod inclusum intra proprias cauitates per quas attractio fit, remanet: illud verò nequibit tantum incendium attemperare, cum aër frigidissimus de nouo assiduè inspiratus, & magna respiratione mortalium febrium incendium attemperare non possit, non est verò remissius in primo esse in allata opinione; & confirmatur: ideo per febres lethales ægri pereunt, quia ratione immoderati caloris, aut ponitur incompossibilis dispositio cum forma, aut aliqua actio non fit sine qua non potest vita consistere; sed tantus calor in primo esse necessariò datur: ergo aut corrumpetur, aut deficiet actio illa. Constat, quia similis distemperies in primo esse inuenitur, quod etiam planè suadet paruitas pulsus in prima formatione inuenta, si datur, quæ tam minimam aëris quantitatem trahere potest si aër trahitur; si verò vapor solus sanguinis, vt est verius, & docet Magister, *cap.* 3. clarius apparet impossibilitas reductionis à tanto calore.

Sextò, venena calida in quarto, sunt calidiora corde in naturali tempore constituto: ergo potest cor ab illis calefieri, & febris inde orta non emanabit ab interno cordis principio. Totum quod in argumento continetur, euidens est. Dices quod talia aërem prius calefaciunt, & postea cor ab interno principio incalescit. Sed contra est, quia calidior res citius ab extrinseco quàm frigida calefit; est verò cor calidissimum, aër verò inspiratus frigidus: ergo potiùs cor quàm aër veneno actuato calefiet, & per consequens ab extrinseco febricitabit. Idem argumentum de calefactione à sole fieri potest. Nam cum ignem medio calore producat, intensiorem vim calefaciendi medio lumine habet, quàm cor ab interno principio: alterabitur ergo à calore solis extrinseco. Respondet Magister *fol.* 17. quod ille non docet nihil esse in natura corde calidus; sed quod intra corpus non detur aliquid naturaliter, nec præter naturam corde calidius. Nec obstat si dicas, quod humores aut spiritus à calore solis vri, aut putrefieri possint, & cum maiorem calorem quàm cor actu habet, possint à sole recipere, cor per se calefacient. Respondet Magister, quod in hoc casu spiritus, aut humores antea corrumpuntur quàm tantum calorem concipiant, quantum cor naturaliter participat. Quæ solutio friuola est, imo

A ex ea corruptione argumentum efficax contra illum conficio, quia non repugnat quod mixta illa de nouo genita per vstionem, aut putredinem, petant ex se intensiorem calorem quàm cor naturaliter habet: calefacient ergo cor; vnde enim repugnantia huius euentus demonstrari potest? Imo cum in mea opinione nihil ex rebus nostris sit causa febris, nisi prius propriam formam amiserit, rectè potest mixtum de nouo creatum esse calidius corde, & illud per se calefacere. Ergo in vera philosophia nihil repugnans inuenio vt ita contingat, estque per consequens mihi hoc argumentum efficacissimum.

Septimo vrget allatam opinionem cordis putredo, quam omnes cum Galeno in hectica pestilente admittimus B 3. *de præsagatione ex pulsibus*, quæ teste Aristotele à calore externo fieri debet, & passim Galenus tradit. Ergo aut calefit ab externo principio, aut est à calore interno admittenda putredo violenta & morbosa, contra definitionem putredinis à Philosopho adductã, quod argumentum magnum est, contra opinionem traditam, quam etiam vrgent vlcera cordis passim inuenta, quæ nisi ab erosione, & calefactione extrinseci humoris prouenire non possunt; ex putredine pericardij cor suppuratum fuisse historiæ declarant: incalescebat ergo cor à pericardij pure ipsum putrefaciente, & supputante paulatim, nec per partes minimas putredo cordis serpere poterat, aut vstio, vt historiæ anatomicæ ostendunt. Constat, quia ab interno principio incalescens ob aëris inspirati calefactionem, tota cordis moles & non C vnica particula præternaturaliter calefieri potest, vnde aut totum simul putrescere, aut vri necesse erat; & non per particulas, nec partes extrinsecæ prius quàm internæ eam labem expertæ fuissent.

Octauò falsitas huius opinionis redarguitur, quia tempore æstiuo non redditur calor cordis tam præternaturalis, vt est aër inspiratus; nam iter agentes per aërem calidissimum, & agricolæ etiam in eodem tempore laborantes, nullam insignem mutationem in pulsu ostendunt, cum tamen insignis caliditas in aëre inspirato sit; non ergo ab interno principio incalescit cor, ad proportionem aëris calidi inspirati: ergo refrigerium cordis pendet magis à ventilatione, & expulsione fuliginum, quàm ex præcisa aëris frigiditate, D etiamsi hæc aliquo modo sit necessaria ad alios vsus; alioqui pulsus æstatis cum parui reddantur, deberent esse celerrimi, & creberrimi, ob insignem aëris caliditatem, & paruitatem pulsus, quia etiamsi vsus non augeretur, dummodo minor redderetur pulsus, foret necessariò celerior & crebrior; ergo si paruitati aëris attracti calor excessiuus adiungatur, vt in æstate, crescit magnopere vsus, & pulsus fient celerrimi, & creberrimi; quod tamen non fit, sed cum paruitate celeres & crebri tantùm redduntur, vt Galenus docet 3. *de causis pulsuum cap.* 6. quod suadetur etiam, quia non datur tam insignis mutatio inter pulsus hyemis, & æstatis, vt datur inter aëris inspirati distemperies.

Nonò, eadem improbabilitas ostenditur ex eo, quod si in ea opinione fuligines sunt frigidiores corde, crescit E quando augetur nouum agens cor necessariò infrigidans, cum concessum sit apud omnes Philosophos, quod remissum remittit intensum, ac per consequens mutua pugna erit, ita vt fuligines calorem cordis remittant, quem cor ob aëris calorem intendere procurat. Vnde implicare videtur, quod tam ardentes febres creentur, vt quotidie experimur, si vt aër calefit à fuliginibus, cor ab eisdem infrigidatur, quia in hac opinione tam calidum supponatur, tanta capacitas, vt à fuliginibus infrigidetur, in corde inuenitur, quanta in aëre vt calefiat ab eis, repugnat ergo quod ab eodem agente cor infrigidante, & aërem calefaciente, tantum incendium succrescat, vt in vstiuis febribus datur, cùm ex contrariis causis resultet temperatus effectus.

Decimo,

Decimò; prædicta opinio improbatur exemplo laborantium asthmate, qui tam difficile respirare coguntur, vt iacentes suffocentur: in eia verò quamminima aëris quantitas trahitur, & nihilominus non febricitant: ergo non incenditur cor ab interno principio, quia aër ipsum non contemperet, nam in dicta orthopnea ob paruitatem aëris attemperatio fieri nequit, & cor non incenditur: quod argumentum efficax putat Magister meus, & validissimum Mercatus.

Vndecimò; dicta opinio multis veræ Philosophiæ principiis refragatur. Sit primum, quòd nunquam cor esse potest nisi in statu violento, quia semper eo, quod sibi secundum propriam naturam debetur, priuatum est; contineret enim intensiorem calorem quem in seipso produceret, nisi ab extrinseco aëre impediretur: patitur ergo ab aëre refrigerationem violentam quam ab interno principio corrumperet si extrinsecum refrigerans non sit: ergo contra internum impetum. Est verò veræ philosophiæ omnino aduersum, quod eam qualitatum intensionem secundum naturam mixtum, aut formens exposcat, cum qua nunquam in statu naturali esse possit, quia si ab aëre refrigeratur, amittit calorem ab agente extrinseco, quem interno impetu & virtute producere cupit, & debet: si verò non attemperetur, neque infrigidetur ab aëre, seipsum interno impetu occidit. Ex quo inconueniente sequitur aliud, nimirum quod in corde tanta detur calorem producendi virtus, quod internè se interimat, & propriam desitionem machinetur, & exequatur: nec obstat si dicas aliter produci non posse, quippe si homo sine respiratione viuere non poterat, & respiratio sine aëris frigidi attractione dari repugnat, à quo cor infrigidandum necessariò erat, non potuit cor sine illa virtute caloris tanti productiua creari, vt in naturali statu quandiu respirat, consistat. Sed contrà est, quia si si supponamus calorem illum à fuliginibus verè produci vt Galenus putat, loquimur magis philosophicè, quia inconuenientia à nobis adducta in hoc argumento fugimus, & per aërem quem necessario cor attracturum est, constituitur in statu natura, quia corrumpitur calor violentus à fuliginibus productus, vt inde actio illa naturalis pulsandi, sit medium, quo naturalem temperiem cor consequatur, & in illa seruetur: at in contraria opinione, actione illa tam naturalissima violentum, & contra naturam redditur, quia corrumpitur calor quem interno impetu, & inclinatione naturali, si non esset pulsus, & respiratio, produceret, & se ipsum corrumperet, vt internè operetur, contra id quod internè desiderat, & actio naturalissima id quod naturaliter petit, destruat, quæ sunt in Philosophia magnum inconueniens: sicut quod morbus exitialis ab interno principio producatur, & si producitur, non sit violentus, neque contra naturam, quia ab interno principio emanat & pullulat, & quod forma substantialis, quæ esse tam nobile præstat, temperiem præstet ex se, cum qua non solùm commodè & naturali modo operari non possit, sed quod ad interitum ducat, & actiones violentas, & symptomaticas celebret, & eliciat, nisi ab aëre violento impediatur, vt in viscere tam nobili axioma tritum Philosophorum, quod esse naturale sit propter naturales operationes, opinio relata fallax, ementitumque admittat.

Verùm hæc omnia, & si quæ sunt alia inconuenientia philosophica, & medica, absque nausea aliqua cupiditas noua dogmata fingendi auidè deglutit; morbum enim ab interno principio admittit, & inde quod non sit in rigora violentus, & rursus quod id, quod est namtale ex parte principij, possit esse violentum ad finem, seu contra naturam, & quod viuens seipsum interimat, quod non implicet aliquid semper esse in statu violento, & quod id quod viuens quatenus mixtum, petit, possit esse repugnans formalitati viuentis, & illud tale lædere, vt viuens quatenus mixtum perfectum est, latitudinem contrariarum qualitatum adimpletam requirit. Vnde partea, quæ ab extrinseco agente illud quo egent ad operandum recipiunt, si illo requisito priuentur, vt producunt in se ab interno principio qualitatem contrariam, & morbum per consequens, vt quia cerebrum ad operandum naturaliter calore spiritus eget, si talis deficiat, infrigidatur ab interno principio, quo frigore morbosum redditur, & malè operatur: verùm ego id non admitto, qui censeo à nulla forma emanare posse quod illam destruat, & sit suo operari repugnans, si esse naturale est propter naturales operationes; vnde etsi cerebrum ab interno principio (quando spiritus deficit) infrigidetur, non læderetur sensibiliter ab eo frigore, nec propter illud morbosè operaretur, etsi minus bene quàm cum calore spiritus: ergo si morbosè operatur, non est propter frigus, sed quia calor vitalis deficit, qui à calore distinctissimus est, & si qualitas illa vitalis in cerebro esset, quamuis esset illud frigus, operaretur intra naturæ limites, etsi minus benè, quia corpus temperatum, nec oppositum potest probari aliquo exemplo efficaci; idémque dicendum censeo in omni alia actionum læsione à defectu spirituum orta, nimirum quod non lædantur à frigore ob defectum spirituum succedente ab interno principio, aut in partibus, sed quia vitalis illa qualitas deficit, sine cuius consortio partes operari nequeunt. Notanter dixi, si frigus illud ab interno impetu animæ oriatur, quia non implicat ab humoribus excedentibus præternaturalibus, aut aliis excrementis frigidis partes lædi, quæ in præsentia spirituum, quatenus calidi sunt, non læderentur; nam de excrementis, & læsionibus ob præcisam læsionem actionum succedentibus, alia est ratio.

Quod verò viuens vt tale possit petere id quod non petit vt mixtum, est planè falsum; quia cùm ratio mixti non sit determinata, sed ratio communis, potest non dubiè, & debet cum quauis ratione inferiori viuentis coniungi, quia sub ratione mixti petit solum latitudinem quatuor qualitatum, vt viuens verò tale, petit intensionem earum determinatam, quæ rationes non pugnant vt constat: Et quando materia ad formæ viuentis introductionem disponitur, non potest aliter sigillari, quam mixta dispositione hoc viuens corporeum determinatum petente, & inde eadem Indiuisibili dispositione ad vtramque rationem sigillatur, mixti scilicet & viuentis determinati. Vt enim illæ duæ rationes identificantur realiter, sic eadem reali dispositione præparantur: nec inconueniens corruptionis à seipso hac distinctio fugit, quando nequit ab insito principio corrumpi sub mixti ratione, & non sub ratione viuentis, nec econtra. Quod verò morbus possit ab insito principio produci, parum interest, quia semper in eo casu aliquod vitium præsupponitur morbosum contra naturam viuentis. In hac verò opinione ab insito principio, & ex natura propria id quod viuens interimit, aut interficere potest, expetitur: res quidem absurda, nec quod de ætatibus Magister insinuat, mihi probatur, quas ab insito principio esse Galenus & ipse docent: cum aliquibus verò ætatibus, seu temperiebus eas constituentibus viuens malè operatur, & tandem interit ab insito principio: certè hoc exemplum nullius momenti est, tum quia est in controuersia positum, tum quia omnino dissimile. Ratio est, quia supposito quod per naturam non potest mixtum aliter quàm ex elementis aut eorum partibus & repugnantibus qualitatibus concinnari, & componi, non potuit à propria compositione & fabrica internum corruptionis principium excludere, vtpote ex oppositis rebus constructa: at verò ab Insito principio petere id quod in quolibet die desitionem propriam machinatur, & eam exequi potest vt omnino deficiat, absque fundamento, imo contra omnem veram philosophiam admittitur; quia nec necessaria composi-

tio

tio illud requirit, neque finis conueniens essignari potest, & sic solum conceditur à singulariter opinantibus, velut illud quod possit esse aliquid naturale ex parte principij, violentum in ordine ad finem; cum implicationem dicat, esse principium neturale, & non producere quæ sint fiot, & operetionibus proportionate, cum naturalitas principij operatiui ex elio cognosci repugnet quàm ex effectus naturalitate. Si verò effectus neturalis est, neque symprometicus esse poterit, & Inde si forma vt naturale principium operatur, nec morbum, nec symptoma creare poterit, quia temperies à principio vt naturali orta oaturalis necessariò erit: & si morbose est, non erit eius otigo naturelis.

Verùm pro coronide tam fastidiosæ quæstioois legatur Galenus *lib. de curandi ratione per missionem sanguinis, c. 5.* In quo tam clerè docet, quod spiritus & B sanguis neturaliter cor calefacient (vt quando putrescunt) quod de eius mente dubitare non liceat, quod non solùm præterneturaliter, sed etiem neturaliter detur, quod corde calidius sit, vt sic demus Magistro quod enixè enxiéque expuscit *lib. de febribus, fol. 15. pag. 1. in principio.* Sequentia itaque verba Galenus scripsit non longè à principio capitis. *Sic qui in corde est calor, interdum seipso minor efficitur, aut propter sanguinis copiam, aut propter ingentem inopiam, aut propter qualitatem frigidam: interim vero maior aut propter calidam sanguinis qualitatem, aut propter pauculam inopiam: quicquid autem cor in caliditate, frigiditateque perpetitur, eius proximus & alia corporis partes participes fiunt.* Inferius verò de senguine putrescente loquendo, sic exarauit. C *Ergo si pars qua hoc pacto incaluit, insignis sit, & calorem suum in cor protendere valeat, siue quod vicina ipsi sit, siue quod ex principalibus, siue quod calida, simul & ipsum accendet vt quod natura calidissimum sit.* Hæc Gelenus, ex cuius mente aggregatum ex vitali spiritu, & sanguine calidius corde est naturaliter, elioqui redde mihi rationem cur ex inopie multe sanguinis frigidus reddetur, nam si sanguis cum viteli spiritu in tua opinione corde frigidior est, duplex occasio datur ob quam cor iocendi, & æstuare deberet. Prime quod euacuatur copia magna agentis, à quo cor refrigerabatur; secunda quod paruissimus pulsus reddatur sub ingenti saoguinis inopia, & sic aër à quo etiam cor refrigerabatur, in minima quantitate trahatur; deficiet ergo duplex agens, à quo cor D refrigerium suscipiebat, & non quómodolibet, sed sub ingenti quantitate, vt Galenus suppooit; ac per consequens conuicta opinio contrarie vnum ex duobus fateri obligatur, aut quod ab aëre, & sarcina tanta sanguinis & spiritus, cor non tepefiebatur, nec infrigidabatur, quod est omnino chimæricum, & falsissimum: aut quod ipsis deficientibus ab interno principio intensè accendatur, quia incendi debet ad pensum quo agens cor ipsum Infrigidans deficit. Quod verò primum sit chimæricum, & falsissimum, constat, quia opinio illa, nec spiritum, nec sanguinem putrescentes, etsi intensissimè, tam calidos præterneturaliter admittit, vt est cor in neturali statu: ergo si cum tam intensu calore sunt adhoc frigidiora corde, erunt non dubiè in magno excessu frigidiora illo, quando sunt io naturali E statu; ergo cum sint in tanta copia, & tam frigida respectu cordis, multum calorem in eorum præsentia per repassionem deperdet, quem in eorum ebsentia recuperare debet, & per consequens calidum multum reddetur in Ingenti sanguinis inopia, quod & Galeno *loc. cit.* refragatur, & experimento, contra quod nulle ratio valida datur. Est verò experimentum quod ex nimia sanguinis profusione pulsus paruissimus, tardissimus, & rarissimus fiat, quod si cor non infrigideretur, & vehementer, euenire non poterat, nam vt antea insinuaui, & Galenus docuit, cum vsu aucto, & debilissima facultate, creberrimus pulsus, non rarus creandus est, calidis etiam auxiliis cordi essiduè applicatis, tam intus,

A quàm extrinsecus statim succurrimus, ne calor deficiat omnino & pereat æger.

Videturque sui oblitus Magister, quendo *disp. 66. de locis affectis, cap. 5. fol. 1082.* clarè fatetur, cor naturaliter eb spiritibus calefieri, & inde procedere quod in hysterica accessione tanta frigiditas cor & totum occuper, quia maligno halitu spiritus corrumpuntur, quorum defectu (inquit) cor ipsum & totum corpus eb insito principio refrigerantur: dicitque hanc esse rationem ab omnibus authoribus treditam. Quam veritatem confirmat quod Galenus in illa accessiooe inueniri fatetur 6. *de locis c. 5.* admittit enim ebsque vlla respiratione vitam seruari, quia calor cordis tam extinctus est, vt sola insensibili per pulsum transpiretione seruetur, & respiretione non egeat. Vnde constat, quod in ingenti B spirituum resolutione, aut extinctiooe tam intensè ab insito principio cor infrigidetur, vt nulla sit opus respiratione, immo insensilis pulsus sit satis, vt vita tueatur, quod esset impossibile si ab spiritibus non calefieret cor naturaliter, cum deberet potius ab insito principio in spirituum extinctione calefieri, cum deficiat corpus illud infrigidans. Nec obstat, quod illa frigiditas cordis eb eodem agente producatur, à quo vitales spiritus extinguuntur, & sic non ab insito principio cordis. Sed contrà est, quia in opinantibus quod morbus hystericus sit à tota substantiæ, non producitur frigus, sed qualitas deleteria, & occulta, quod dicta disputatione Magister meus sustinuit, & ille corrumpit spiritus, & postea sequitur cordis, & totius corporis C infrigidatio. Vrgentius verò arguitur, quia sanguinem menstruum & putridum, & semen etiam illius accessionis authore Galen. *loc. cit.* & medici omnes statuunt, in quo euentu nec cor, nec totum infrigidari possunt, multo minus tam intensè, nisi ingentem spirituum corruptionem fateamur, quia omnia putrida calidiora redduntur, & quando ob has causas accessio non excitatur, vapores replentes, & suffocantes sunt causa illius, non qualitas frigida.

QVÆSTIO V.

In qua vera sententia traditur?

D SEntentia nostre est, quod spiritus & fuligines sint corde calidiora in naturali statu, & per consequens semper febris eb extrinseco principio nascitur, vt in definitione Auicennæ per calorem extraneum non solùm intelligatur quod sit extraneus in ordine ad opera, sed etiam ex parte principij effectiui. Probatio huius conclusionis efficax satis ex impugnetione præcedentis opinionis epperet, & docuit Princeps in definitione, & Gelenus *c. 5. cit. de vena sectione.* Ratio à priori insinuata iam est, quia non datur repugnantie aliqua, vt ob putredinem aut vstionem, spiritus aut humores inflammentur tam intensè, quod cordis calorem intendere possint; oppositum enim nec epparenti, nedum probabili ratione suaderi potest. Hanc sententiam probabiliorem putat Magister meus *lib. de febribus, q. 5.* E *fol. 25.* & est communissime, & celebris apud omnes euthores, quos sine ratione & Galenum etiam Gomezius Pereyra dereliquit, tam absurdum modum creandi febrem suadens, quod nec refutationem ob chimæricum inuentum mereatur: ne tamen quæ in Galenum edduxit ingenia Tyronum retardent, in medium proponere & diluere decet.

Sit primum, quod nihil possit Intra corpus calidius corde creari, quia ex Galeno constat cor tam calidum esse, vt igni in calore proximum iudicet, quem gradum nihil attingere poterit intra corpus, etiamsi putridum sit. Secundum, quod cùm humores quattuor animantia perfecta vt homo possideant, crebrius illa, quàm ho-

minem febres cuiuſvis ſortis affligerent. Patet, quia eandem materiam intra vaſa vt homo continent, & ex alia parte minus curioſa ac religioſa victus ratione vtuntur, cuius errores vt experimento conſtat, febrium præcipua cauſa eſt. At experimur contrarium, nimirum quod homines paſſim febribus afflicti decumbant; bruta verò, & reliquum aoimantium genus minimè. Ergo cauſa febrium nequeunt eſſe putridi humores, aut ſpiritus,aut fuligo: quod & Plinius ante illum notauit *lib. 7. cap. 1. & 5.* Tertium ex vulneribus cerebri neceſſariò febris ſuſcitatur, vt docuit Hippocrates *6. aphor. tex. 50.* dicendo; *Quibus præciditur cerebrum, iis neceſſe eſt febrem, & bilis vomitum ſupernenire.* Et *eadem ſectione, tex. 27.* Galenus docuit ex mente Eraſiſtrati experimentum docere, quòd ſi aqua hydropicorum aut ſuppuratorum pus, confertim & ſubitò extrahantur, febres & mors ſuperueniant. At verò, nec ex vulnere, nec ex aquæ corruptæ, vel puris putridi euacuatione, putredo de nouo humores, aut ſpiritus inuadere poteruot, cùm potius aquæ, & puris grauenlentium & corruptorum præſentia febrem ereare deberet; ſuccedit verò ſi vniuerſim, & confertim extrahantur: ergo talis febris nec humores, oec ſpiritus authores eſſe poſſunt, quoniam ex defectu tam corruptarum ſubſtantiarum, occaſio putredinis noua ſuſcitari non poteſt.

Quartum, inter cauſas febrium putridarum, & diariarum nulla à Galeno frequentior & communior vt obſtructio viſcerum, aut vaſorum traditur, eo quod fuligo in locis obſtructis detenta ſpiritus aut humores calefacit, & ad putredinem ducit, aut ipſa fuligo corpus calidius reddit; hoc verò, inquit Pereyra, contra rationem eſt, cum nullus fumus detentos flammam augeat, ſed eam ſuffocet & extinguat. Eſt verò fuligo fumus à flamma ſeu vitali calore ſuſcitatus: excrementum ergo illud eohibitum calorem vitalem extinguet, & inde repugnabit vt corpus accendatur, ipſu per obſtructioner detento. Et confirmatur authoritate Galeni inter cauſas morbi frigidi obſtructiones numerantis: nequeunt verò illæ non cohibere intus excrementa fuliginoſa: ergo hæc detenta infrigidant, & non calefaciunt.

Quintum, ſi fuligo ex ſuccis putreſcentibus eleuata febrem putridam crearet, maior febris ægros moleſtaret morti iam proximos quàm antea; tunc enim expultrix facultas minus valida eſt, & calor vitalis, & natiuus minus reſoluuor, putredóque humorum potentior percipitur,quia minus per coctionem corrigitur,alioqui noo eſſet mortalis ſtatus. Docet verò experimentum morti iam proximos, noo æſtuantes, ſed frigidos ſæpe percipi, imo & qui proximè mortui ſunt, calidiſſimi ſentiendi eſſent, quod eſt apertè falſum; ergo alitee quàm Galenus cenſet febres ſuſcitari. Et confirmatur, quia ſi ſucci naturales à corpore extracti, aut ſanguis ſtatim putreſcunt, vt conſtat, id melius multò iam putridis extractis eueniret, ac per conſequens poſt extractionem à corpore calidiores multo deberent ſentiri; contrarium tamen docet euentus, nimirum quod excrementa putrida recens extracta calidiora ſint quàm paulo poſt: ergo illa non calefiebant ab inſita putredine, ſed à cauſa alia intra corpus, & per conſequens febris ab eis non generabatur.

Sextum, quod videatur impoſſibilis febris à fuliginibus, ſi pulſus doctrina à Galeno tradita admittenda eſt; docet enim, & velut primum principium ſtatuit, quod cordis & arteriarum compreſſio fuligines intra eas partes coacetuatas reiiciat: non ergo in tam breui tempore ex ſuccis putreſcentibus intra vaſa communicari arteriis, & inde cordi fuligo poterit, cùm latum tempus requiratur vt ex venis per arterias ad cor fuliginum tranſumptio fiat, ante quod ſæpius arteriæ vt fuligines expellant comprimuntur. Præueniet ergo ſemper arteriarum compreſſio contactum fuliginum ſeu diA ſtributionem verſus cor, non ergo ab eis incaleſcit: alia argumenta vt Galenum ſuggillet *c. illo 6.* conficit, quæ quia inania,ſatis conſultò prætermitto.

Sed hæc non obſtant contra Galeni tam probatam, & methodo rationali confirmatam doctrinam, quæ latius capitibus propriis febribus dicatis à nobis exponentur. Vnde iam argumentum falſum ſupponit, non poſſe aliqoid intra corpus corde calidius generari, nam & naturaliter, & media putredine, aut vſtione illud admittimus. Naturaliter calidiores ſunt vitales ſpiritus, & excremeota fuligiooſa, qoorum generatio perennis per totam vitam datur, cenſemuſque fuligines eſſe naturaliter ſpiritibus calidiores, à quibus tantum calorem cor concipit, vt tam calidum præterea à Galeno prædicetur, vt *lib. de vſu pulſuum, c. 2.* dicat, opus eſſe vt cor ferueat naturali calore, putamúſque per conſequens, B quod calor ſpirituum ſit naturaliſſimus, vt ob illum nunquam frigiditate aëris cor indigeret; calor verò à fuliginibus conceptus maior eſt quàm ſtatui naturali debeatur, ad cuius moderationem aëris frigiditas neceſſaria ſimpliciter eſt, vt merito Galenus dixerit opus eſſe reſpiratione, non ſolùm propter aëris ſubſtantiam tanquam ſpirituum materiam, ſed etiam propter qualitatem frigidam, vt calor fuliginum naturalem excedens remittatur, & ſic media reſpiratione naturalis temperies cordis inſtauretur; & ſi mihi liceret aliquid nouum doctrinæ Galeni & tam probatorum authorum addere, non ſolùm propter frigus, ſed propter humiditatem etiam aërem neceſſarium putarem: ſunt enim fuliginoſa excrementa tam ſicca & exuſta, quod non calorem in naturalem ſolùm, ſed ſiccitatem etiam vio- C lentiſſimam cordi infetant, dicente Galeno *1. lib. de difficultate reſpirandi*, quod quæ velut fuligiooſa, ac fumoſa excrementa appellamus, in caliditatis genere ea omnia terrea ſunt; & *lib. de vſu pulſuum* docuit, quod vapor fuliginoſus ex humorum aduſtione excitetur; & *8. meth.* tradidit, quod fuligo ex materiis immodicè aſſis & exuſtis creatur.

Sed pro ſtabilienda opinione Pereyræ non facile argumentum confici poteſt, nam ſi aëris frigus non impediret, quod ab inſito principio cor incenderetur, etiamſi inſpiraretur calidiſſimus, viuens non interficeretur, quod eſt contra experimentum. Probatur, quia reſpiratio non fit minor quàm per naturam, nec pulſus: ergo expelluntur fuligines non minus quàm antea; non ergo datur alia occaſio interitus ob aëris calidita- D tem immodicam, niſi quod cor ab inſito principio æſtuet. Conſtat, quia ſi excrementa fuliginoſa ſola cor calefactura ſint, & hæc expelluntur vt antea, non manet ex parte ipſarum occaſio ob quam cor incendatur, quia nulla infrigidatio aut attempetatio maior quàm agentis calefacturi reiectio: pellitur verò reſpiratione, & pulſu, vt inde veroſimilius appareat, quod in cordis compreſſione quando expelluntur fuligines, & aër per dilatationem attractus ſeipſum inflammet, quia & aër attemperans pellitur, & fuligo etiam, quæ ſunt corde frigidiora. Reſpondetur, quod ſi generatio fuliginum eſt ineuitabilis, eſt etiam ineuitabilis violenti caloris productio, & per conſequens ſemper eſt neceſſarius aër frigidus, vt caloris violenti incrementum impediatur, E & quod iam productum eſt remittatur,ſpiritus etiam vitales à calore nimio extenuati diſſipantur breuiſſimè, vt de igne externo lumini intenſo expoſito paſſim Galenus docuit, quod inconueniens aëris frigore præcauetur.

Ad ſecundum reſpondetur, quod homo freqoentius quàm reliqua animalia febricitat, quia iniuriis externis multò minus reſiſtit,quia poroſior, cutis tenuioris, & carnis: eſt etiam ſanguinis tenuiſſimi,& inflammabilis, vaſáque anguſtiora & minus capacia participat, bruta verò iniuriis externis ob cutem denſiorem minus quam homo offenduntur: ſanguis eſt craſſior, & minus

inflamma

inflammabilis, & est alimentum eorum putrescentiæ minus obnoxium, vasa capacissima sunt, vt sic minus obstruantur; quod verò aliquando febricitent, negari non potest, cum & humores, & carnes putredinem concipere possint, vt Galenus docuit 1. *de differentiis febrium, cap.* 3.

Ad tertium respondetur, quod ex vulneribus cerebri & aliarum partium febres suscitantur ob inflammationes subsequentes, & ineuitabiles ferè fluxiones & dolores; in eductione verò aquæ aut puris confertæ febres superueniunt, quia ob debilitatem contractam ex nimia effusione spirituum, virtus expultrix nec excrementa separat, nec idonea commutat coctrix, & calor externus putrefactionem effectuus natiuum debilem inueniens, facile corrumpit & destruit: Galenus verò in eius Aphorismi expositione, cur febres ex immodica euacuatione suscitentur subticuit, e st eas ex mente Erasistrati admittat.

Ad quartum non est tam facilis solutio, & quatenus ad primam partem respondeo, quod cùm flamma fit verè ignis, nihil potest dari illa calidius; at calor noster cum sit igne multo remissior, ab extrinseco agente potest intendi. Vnde rectè potest flamma extingui ab eo quod calorem nostrum intendit & auget. Maior difficultas est, qua ratione obstructio inter causas febrium numeretur, si morbi frigidi etiam est author. Solutionem Galenus adduxit *lib. de causis morborum, cap.* 30. nam si fuligo per obstructiones detenta plurima fuerit, & obstructio, etiam periculum est ne calor naturalis strangulatus aliquo modo ab excrementis extinguatur: quod si superfluitas pauca fuerit & obstructio parua, febris accendatur. Nec obstat quod Pereyra obiicit, nimirum quod nunquam flamma augetur si fumus detineatur, & per consequens, nec calor noster intendetur, etiamsi moderata tum obstructio, tum fuligo fuerit: est enim ratio dispar, quia cum fumus semper sit flamma frigidior, nequit ab eo non repati & extingui, si improportionatus fuerit; at verò cum in Galeni opinione (quam veram esse putamus) calidior sit fuligo omnibus quæ sunt in corpore, si semel in maiori copia quàm statui naturali conueniat, detineatur, calorem intendet sensibiliter, & febris excitabitur.

Sed tunc vrget ratio in Galeni doctrinam, quoniam si supponitur fuligo omnibus calidior, nunquam morbi frigidi author esse poterit. Probatur, quia Galenus dicebat quod quando moles copia fuliginum, & obstructionum datur, frigidus affectus creatur: id verò veræ Philosophiæ aduersatur docenti, quod agentis moltitudo ad intensiorem effectum conducat, quod in opinione Galeni non contingit: & quod peius est, non solùm calidior passio non fit crescente agente calido, verùm contraria intemperies inducitur frigida. Respondet Magister meus *fol.* 24. *in solutione ad tertium*, quod si loquamur de primatio affectu, probat argumentum quod intendit, nempe quod deberet esse calidior; si verò suffocatio vitalis spiritus attendatur, contrarius affectus resultat, quia ob excrementorum & obstructionum copiam extincto vitali spiritu ab infito principio partium, frigus producitur, & fit frigidus morbus. Si verò (inquit) substantia calida suffocans corruptis iam spiritibus applicata partibus viuentibus maneret, partes calefaceret, & morbus calidus excitaretur, quia esset potentior quàm internum principium ad refrigerium: in quo casu daretur morbus per defectum vitalis qualitatis præter frigidum, aut calidum. Quæ solutio mihi non probatur; tum quia si fuligo supponitur spiritibus calidior, & est non dubiè etiam corpulentior, quia terrestrior, vt Galenus dicebat, spiritus verò aërei, & ignei sunt, non potest actiuitatis sphæra non esse maior quàm in spirim, & per consequens si spi-

D. Petr. M. de Heredia, de Febribus.

A ritus anta corruptionem totum calefaciebat, calefacier illud intensius moltitudo suffocans fuliginum, applicatio verò non potest esse minor quàm erat in spiritu, quia quod suffocat, tenetur attingere suffocatum propria mole, & corporatura, aliòqui non esset vera suffocatio; & si sphæra actiuitatis maior erat in fuliginibus, poterit etiam minorem applicationem supplere, præterquam quod minor esse non potest; tum etiam quia supponit doctrina Magistri, quod morbus frigidus ob suffocationem inductus, ab insito principio animæ oriatur, quod etiam mihi est improbabile, & est in opinione positum: non decet verò infallibiles & certos effectus in dubias causas reducere; est verò euidens, quod suffocatio sit morbi fri-
B gidi causa, & exitialis sæpe.

Dicendum ergo est, quod ex alio principio sequatur infrigidatio totius: in primis ex alimento aut sanguine non solùm fuliginosa excrementa, quæ propriè talia sunt, eleuantur; sed ex parte terrea etiam quæ fauillosa dicuntur, sicca, & frigida, si ad ignem & flammam calorémque nostrum comparentur. Sic Galenus docuit 1. *de difficultate respirandi* dicendo: *Quæ enim velut fuliginosa, fauillosa, & fumosa recrementa appellamus in caliditatis genere, ea omnia terrea sunt*; quod in igne externo constat, nam præter sursum ascendentem inuenitur suprà prunas subtilissimus cinis, qui per insufflationem facillimè separatur, vulgo *pauesa*, à qua distinctissimus est cinis terreus grauior, & ponderosus, vt est etiam diuersissimus fu-
C mus ab iis duabus substantiis; fuligo verò & fauilla sunt quæ medio aëre attracto per pulsum separantur à calore vitali, & per compressionem pelluntur; duplex enim commodum ab aëre per dilatationem attracto calor vitalis suscipit, & quod ea excrementa separentur ratione impulsus aëris intromissi, & quod calorem, quem fauilla remittebat, instauret, sicque reaccendatur, quod etiam dum aërem insufflando in ignem mittimus, contingit. Rursus notabis, quod quando spiritus suffocantur, comprimuntur & condensantur ab excrementis terreis iamdictis, partim etiam infrigidantur, quamuis alij fuliginibus propriis incendantur; verùm quia fuligo calidior & lenior, subtiliorque est, separatur per pulsum, & respirationem, multò facilius, & extra corpus pellitur, reliquorum verò ex-
D crementorum copia maior remanet. Vnde necesse est, quod non solùm hæc maneant in maiori copia quando calor vitalis suffocatur, sed etiam quod vitales spiritus in frigidiorem substantiam permutentur; disponunt enim ad corruptionem infrigidata, & condensata materia, quo fit vt tandem viuens infrigidetur ab excrementis dictis, & substantia frigidiori, da noua ex spiritibus suffocatis creata: & cum tandem partes omnes se infrigident ob spirituum defectum, resistunt minus frigori à dictis substantiis introducendo, donec calor vitalis deficiat, & nequeat cor ob defectum materiæ & virtutis spiritus reproducere: deficit materia quia deficit aër, quia omnia quæ suffocata pereunt, eo deficiunt, quia ob aëris defectum corruptio-
E ni eorum occasio datur, agens verò cor infrigidatur, & vitalitas spirituum simul deficit, sine quibus spiritus reproducere nequit.

Circa quod notabitis, quod quantitas sola corporis impedientis aëris ingressum, non est satis vt corrumpantur spiritus, nec compressio per impulsum, sine densitas; vt malè putauit Magister, & quidam Neotericus. Est enim primum principium in doctrina Philosophi & Authorum, quod nulla corruptio, aut generatio entis substantialis fieri possit absque productione primarum qualitatum; nam nec dispositio conseruatiua prioris formaliter potest corrumpi, nec materia ad nouam formam sine determinato temperamento primarum qualitatum potest sigillari. Vnde vi-

detut extta omnem philosophiam, quod spiritos ob impulsum comprimentem eorum corporaturam corrumpantut, quia si est densitas secuoda qualitas, nequit sioe primarum prodoctione antecedenter creari, & sic pet impulsum vnientem magis partes spirituum, non potest poni in materia dispositio incompossibilis cum forma, quia nec temperies primarum, nec secundstom variatur, & per consequens adæquata dispositio conseruatiua formæ, inconcussa, stabilisque manet; tum etiam, quia supponit hæcopinio quod densitas sit dispositio ad formam tequisita, qua deficiente vt ab illa expellitur corrumpat formam: quod esse falsum constat in ceta liquata, & in metallis etiam quæ densissima cùm sint, oon corrumpuntut, etsi ita ab igne extenuentur, vt liquidissims, feruentiaque conspiciantur: cur etiam aqua palo agitata & impulsu vehementi extenusta nun corrumpitur, sicut in contraria opinione ignis, aut spititus densatus. Et quomodo ignis in ferro, & in lignis densissimis introducitur, si raritas est dispositio essentialis formæ ignis inttoducendæ? Putandum ergo est, quod corpus suffocans non corrumpit quod suffocatur pondere solo opprimente, sed quia ptopris corporatura excrementa ab aëte expurganda detinet, & etiam poros per impulsum densaudo, & sic es excrementa, & corpus etiam densans, spiritos corrumpunt: loquimur modò dè entibus minimo non indigentibus, vt non viuentia sunt, nam quæ viuunt per solam quantitstem deficere posse, publicum est, & eius necessitas ob dispositiones requisitas admittitut, quæ diuersæ (ex parte organi) ratioois, & contrariarum qualitatum sunt, & non possunt sub eadem quantitate copulari.

Ad quiutum respondetur; qui moriuntur in vigore accessionis, pereunt cum summo incendio, provt in morbo; qui in declinatione, pereunt resoluti, & cum minori febre; qui in principio, suffocati, & cum remissa etiam febre, quia nondum humores succensi sunt, qui in augmento partim suffocati, partim æstuantes pereunt; quod per *libros de crisibus* latè Galenus docuit. Qui verò moriuntur velut frigidi, est quia aut interno incendio ttahuntur spititus & sanguis, aut quia expultrix facultas iam labascens, & pulsus paruissimus, nequeunt excrementa per totum distribuere, sed interius accumulantur, & intensè febricitant, si iam suffocatio non detur, quo casu leuissimè febriunt; vt qui in initio accessionum animam agunt, eodémque modo philosophandum est io proximè mortuis: humores verò putridi extra reiecti cum ventilentur, statim & magis quàm iotra corpus frigidiores necessariò sentiuntur, quia partes calidiores euolant, in corpore verò quod eleuatur per totum distribuitur, & minus tepatitur à frigore, quia corpus calidius est, & idem contingit si exterius putrescaot, scilicet quod quæ sunt calidiora statim separantur, & sic quod remanet apparet frigidius.

Ad sextum dicimus, quod quando febris non cessat per compressionem expulsis fuliginibus, est quia non omnes expelluntur, nec possunt; calor enim nunquam ab eorum eleuatione desistit, quia ille per compressionem non pellitur, sicut aqua calida non statim omnino temperatur, etiamsi calefaciens separetur; eleuantur enim in loco diuerso à quo pelluntur, vt si intta venas humores putrescant, ibi generantur: pelluntor verò quæ sunt in arteriis, & quando febris non cessat, creantur breuius, & plures quàm quæ compressione pelluntur: & sic ardor fatigat & cogit arterias dilatari vt attemperetur, quarum dilatatione fuligines rursus de nouo ttahuntur, & sic datur mutua circulatio, & febris perseuetans, eodémque modo philosophandum est, quando intta arterias humores putrefiunt. Addo ego, quod hactenùs quem viderim nullus dixit, videri mihi improbabile quod per potos arteriarum pellantur fuligines, vt Galenus putat: sunt enim arteriæ substantiæ duræ, & crassitudinem, corpulentiamque mag-

A nam participant, & fuligo suam etiam habet corpulentiam, quæ visu per expiratiooes percipitur, præsertim per hyemem, & cum sanguis iotra arterias contineatur, vt *proprio libro* Galeous monstrauit, sitque ipsis poris tunicæ internæ intimè applicatos; videtur omnino improbsbile, quod per potos fuligines expellantur, tum ob dicta, tum quia non videtur ratio maior, cur non pellantur spiritus, cum sint fuligioibus tenuiores. Si igitur fuligioum expolsio admittenda est, erit per osculs, per quæ etiam aërem aut sanguinis vaporem quando arteriæ dilatantor, ad se alliciuot, quo fit vt fuligines quæ è directo prædictis osculis non respondent, expelli ooo possint, & sic non omnes compressione pelluntut, & febris manere potest; idem de sëre iudico, quod per poros arteriarum oon intret, nec B expellatur, sed per oscula.

QVÆSTIO VI.

Vtrum ad naturam febris constituendam debeat calor febris necessariò cords inhærere?

IN definitione febris dixit Princeps, quod sit calor accensus in corde: oh quod inquirimus, quid habeat calor in corde ratione cuius febris dicatur, ita vt aliam partem extra cor lædens calor præter naturam nullo modo febris naturam constituat. Quæstio quidem difficilis, & à nullo quem legerim, ad vnguem exagitata. C Est verò discutiends duobus soppositis. Primò si detur calor præter naturam in omnibus partibus, excepto corde, ita vt illud aut sit tempetatum, aut frigidum præter naturam, calor ille à quo oullo modo cor læditur, sit appellandus febris. Secundum suppositum sit, si calor præter naturam cor tantummodo lædat, reliquæ verò partes ab eo liberæ maneant, sit calor solius cordis vera febris.

Est verò supponendum quod extta cootrouersiam est, nimirum quod febris sit morbus communis omnibus partibus corporis, ita vt nulla detur quæ febre molestari non possit. Nam præterquam quod Auicenna illud in definitione ttadit, dicendo, quod per venas & arterias in totum corpus procedit medio spiritu & sanguine; ratio idem suadet, quia omnes fatentur quod D febris sit morbus calidæ distemperiei, & cùm nulla sit pats quæ eam distemperiem effugere possit, nulla per consequens est, quæ non possit febrire. Quo supposito inquiritur, quid habeat calor cor afficiendo, merito cuius & illud, & partes reliquæ dicantur febrire, quod nollo modo includit si reliquæ partes extra cor afficiantur, defectu cuius calor præter natoram in eis febris non sit, quia cor nullo modo læditur. Supponimus verò quod causa febris reliquas partes præter cor alterans, sit calida præter naturam in facto, quod requiri iuxta meotem Galeni & Medicorum omnium postea videbimus. Quod vt clariuś percipias, suppone quod carbunculus extremum digitom pedis obsideat, à quo tam intensè pats illa calefit vt caro verè aduratur, & E sphaceletur, & quia nimis à corde distat, non potuit humor cor calefacere præter naturam; dubitatur si pars illa carbone aut sphacelo corrupta laborauerit febre renera aut nullo modo, eo quòd cor calor lædere propter distantiam non potuit.

Nemo quem legerim sentit, quod possit dari febris nisi cor incalescat. Sic Galenus pluribus locis tenet, vt *lib. 1. de differentiis febrium cap. 3.* docet. Verba sunt: *Est quidem sanè & hoc ipsum calor præter naturam, nondum tamen febris, nisi cor vnà calefiat.* Et *lib. 2. de fracturis, text. 23.* dixit; *sed quoniam cor innati caloris fons est, consequens est, vt à corde febris oriatur.* Et *3. de præsagatione ex puls. cap. 5.* circa finem scripsit: *Equidem iam omnes mihi videor febrium, quas ex pulsibus sumas,*

differentias

differentias percurrisse, siquidem sanè earum essentiam rectè in nimio cordis calore posuimus. Habuit quidem Galenus velut primum principium, quod nulla passio morbosa vniuerso corpori fieri possit communis, nisi cor tali passione prius opprimatur, quod planè ducuit *libro de marcore, cap. 1. in fine* dicendo: *Iam igitur si totius corporis affectus est marcor, illud etiam nobis perspicuum est, nunquam ipsum fieri posse, nisi animalis principium affectum fuerit.* Quin etiam fieri nullo modo potest, vt alius quidem in toto animali sit affectus, alius autem principium occuparet: nomine autem principij cor intelligere planum est. Nam indè immediatè intulit Galenus, quare cordis corpus siccari marcescentibus est necesse, & nos ex huius loci doctrina inferre tenemur, quod cùm febris sit affectio communis omnibus partibus corporis, nequit non pati simile incommodum & distemperiem cor ipsum, aut non potest esse morbus communis: Rationem à priori desumpsit Tralianus ex testimonio *lib. de fracturis*, nimirum quod si cor est principium distributionis caloris vitalis per vniuersum corpus, ita debet esse caloris præternaturalis, ac per consequens si solum cor totum calefacere calore influenti potest, sic illud solum calorem contra naturam distribuet. Et vrgetur etiam hoc dogma, quoniam medicus febres non agnoscit, nisi per pulsus determinatas differentias: pulsus verò præternaturales differentias non admittit, nisi vitium, & morbus cor prius possideant; implicat ergo quod febris detur absque cordis incendio præternaturali. Vnde Galenus *caput proprium* instituit *de pulsibus* ad cognoscendas febres. Et confirmatur, quia illud est signum essentiale quod solum sufficit ad morbi agnitionem; sed sola pulsuum mutatio in magnitudinem, celeritatem, & crebritatem, febres ostendit: ergo illa est essentiale signum, hoc verò sine cordis passione non datur: ergo nec febris. Ita cum Galeno sentit Magister meus *lib. de febribus, fol. 54.* & vt communem sententiam admittit.

Nulla opinio tam celebris, & tam communis, tam leuibus fundamentis in arte medica mihi videtur stabilita, opinórque tam impertinentem esse cordis existentiam vt sit subiectum febris, quod etiamsi cor non existeret reuera daretur. Ratio à priori est, quia caloris febrilis distributio per totum non pendet ex eo quod in corde subiectetur: ergo est impertinens eius existentia. Patet primò, quia si magnitudinem visceris attendamus, dantur alia multò maiora, vt cerebrum, iecur, lien, ventriculus, & vterus; ergo ex parte quantitatis agentis maior erit sphæra, si eodem calore afficiantur huiusmodi partes, quod in philosophia est euidens: ergo non vt subiectum præcisè requiritur, neque ex eo quod calorem vitalem producat, & illum calefaciendo & distribuendo per totum distribuat etiam cum illo febrilem, quod video esse principale fundamentum contrariæ opinionis. Probatur, quia calor febrilis non indiget influente calore vt distribuatur, vt non indiget natiuus febrili: ergo nec corde indigemus. Constat, quia vt spiritus creantur à corde, & pelluntur ab illo media compressione, non quidem in totum corpus, sed in partes solum sibi proximas; sic fuligo putrida eleuatur ex foco putredinis, & pellitur ab illo in partes sibi proximas, trahitúrque medio motu arteriarum, & per totum distribuitur donec resoluatur: & est indubitabile, quod maiorem copiam fuliginum potest pars inflammata, aut quæ focus putredinis est, eleuare, quàm sit quantitas vitalis spiritus à corde creata: ergo si isti quia distribuuntur per totum facilè ob innatam tenuitatem & lauitatem totum calefaciunt, eodem modo fuliginum multitudo quæ multò maior esse potest (cum sæpe spiritus ab ea præfocentur) totum corpus calefaciet, quia secum deferunt calorem febrilem, nec corde egent vt distri-

A buantur, nec spiritibus, vt efficaciter probatum est. Nam vt spiritus simul à corde expulsi absque alia operatione cordis per totum distribuitur, sic fuligines absque cordis actione distribuentur.

Est ergo omnino impertinens, quod in eo calor febrilis subiectetur vt distribuatur per totum. Et confirmatur, quia quando extremus pedis digitus inflammatione laborat, calorem febrilem distribuit vsque ad cor absque cordis auxilio, imo & repugnante partium expultrice. Vnde ergo Authoribus contrariæ sententiæ constat, quod si cor plus distaret, non accederet calor ad illud; & rursus, quod si non esset cor, non disseminaretur calor ille per reliquas partes, vt fuit disseminatus vsque ad cordis situm; huius enim impossibilitatis nulla probabilis ratio potest afferri; gratis ergo
B cordis necessitas tanquam subiectum necessarium fingitur, vt fiat ea distributio. Quod etiam suadet efficaciter, quia per cordis compressionem in Galeni opinione pellitur ad pulmones quod fuliginosum eleuat intra se; ergo pellet etiam quod ab aliis partibus suscipit: ergo actio eius conducit potius vt extra corpus pellatur fuligo, quàm vt per illud distribuatur apertè.

Nec valet si dicas quod cum etiam per compressionem distribuat vitales spiritus, & hos calefactos præter naturam distribuat, per consequens calorem febrilem. Sed contra est, quia calor ille non est in spiritu in facto; ergo nec est causa febris. Est euidens in communi opinione quæ etiam Galeni est; ergo ca-
C lor spirituum neque est febris, neque causa eius. Non febris quia non viuunt: nec causa quia non habent calorem in facto: ergo non distribuitur, calor febrilis. Si dicas, quod si spiritus distribuuntur non possunt etiam non distribui fuligines, iam hoc est impugnatum quia cor non distribuit per totum corpus, sed à se solum pellit, postea verò aut motu arteriarum, aut expultrice naturali à parte in partes pelluntur, & per consequens est euidens quod id quod cor compressione præstat (pellere nimirum à se quod est fuliginosum) præstabit quælibet pars naturali expultrice. Quod etiam suadetur, quia fuligo cùm eleuetur copiosa ex succis putrescentibus, velut fumus ex lignis viridibus, ipsa conquiescere nescia seipsam impellit, & cum liber motus sursum non sit ob viæ rectitudi-
D nem, per latera & totum distribuitur. Et quod vrget nimis Galeni & eius sequacium placitum, est hectica febris; nam cum in eius opinone sit calor independens à causa, non potest adduci modus probabilis quo à corde in totum possit communicari calor febrilis, quia repugnantiam inuoluit esse calorem independentem, & quod à corde per totum distribuatur, quoniam si distribuitur, pendet à causa, aut productiua, aut expulsiua; putare verò quòd calor cordis qui est in eo independens, potest per totum continui alteratione produci, est improbabile, nam sicut antea docui, cerebrum, iecur & alia maiora viscera idem melius præstabunt, cùm sint non dubiè maiora; si verò mediis spiritibus id fiat, iam non erit hectica febris in reliquis parti-
E bus, quia dependebit à causa extra cor.

Idem confirmat in febre orta ex cutis constipatione, aut obstructionibus magnis: nam cutis constipatio in toto facit abundantiam fuliginum absque cordis opera, & per consequens calorem febrilem: est euidens, quia abundant in toto, eò quòd exire non possunt, & cum partes omnes excrementum fuliginosum creent, in omnibus detinebitur, etiamsi cor non daretur, & in toto abundabunt, vt fumus, si non sint in domo fenestræ aut foramina aperta, totam domum replebit: idem damnum multitudo obstructionum inferet, eodem modo exitum fuliginum impediens, vt patet. Idem confirmant recentiores, quando in exortu arteriæ magnæ extra cor humores concipiunt putredinem:

calefacient non dubiè sanguinem & spiritus non minus quàm cor, & per totum corpus distribuetur calor; nam cùm pars illa sit spirituum receptaculum, vt eos cor calefacit, sic & illa efficacius multò, si supponatur esse focus putredinis, præterquam quod vt docui, est impertinens etiam spirituum calefactio, si maior copia fuliginum, & calidior in ea potest dari, vt potest reuera.

Solùm superest explicare, an pulsus in arteriis mutarentur, si cor affectum calore non esset; nam si manerent in statu naturali, non indicarent medici quod esset febris, cùm solo viso pulsu naturali, non esse febrem statim affirment & iurent. Mihi videtur dicendum, quòd si arteriæ sint calidiores præter naturam, cor verò in naturali temperie, aut frigidum, quod erunt pulsus maiores, & celeriores, & crebriores in arteriis, non verò in corde; nam Galenus *lib. de vsu pulsuum cap.* 3. id expresſè docet. Verba sunt: *facile promptéque collectu arbitror, caloris in quaque parte custodiendi causa, pulsum esse conditum, itaque quod ex respiratione præstatur cordi, id ex pulsu calori illi qui in toto est animali accedere.* Ex quo constat, quod si calor totius intenderetur non aucto cordis calore, in præternaturales differentias pulsus mutarentur in arteriis totius, non verò in corde, ac per consequens cordis solius incendium ex respiratione venandum est, non ex pulsibus aliarum partium, si calidiores ab eo non sint redditæ. Quam difficultatem tetigit Magister noster *fol.* 56. Sed potest quis respondere; & eius solutionem pollicitus inferius, indiscussam reliquit. Vnde contra Galenum grande argumentum fieri potest, quod dentur febres, & acutæ, in quibus cor modo nullo patiatur etiamsi in arteriis differentiæ pulsus febres ostendentes appareant; est autem argumentum quod de bonitate respirationis Galenus admittit 1. *prognosticorum, tract.* 25. & nos ex eius mente *prima quæst.* discussimus: naturalis enim respiratio in solo corde optimè temperato inueniri potest, ac per consequens si eam in febribus admittit, tenetur etiam febres absque cordis calore concedere, & inde quod ad earum essentiam impertinens sit cordis existentia.

Cum verò fateantur Authores cum Galeno, quod arteriæ moueantur propter proprium finem particularem, vt calor partium naturalis quibus deseruiunt seruetur, si cor frigidus succis abundet, aut ex alia causa frigidum sit, & humores putrefiant intra arterias, dabitur febris absque vllo cordis præternaturali calore. Probatur quia arteriæ omnes differentiis debitis febri pulsabunt, & cor respirationem non mutabit, nec pulsum, quia nec mutabit temperiem, quin potiùs à calore præternaturali humorum potest in statu naturali constitui, quia supponitur morbosum à frigore: quam complicationem 3. *de præsagatione ex pulsibus cap.* 3. Galenus admittit, & febrem. Verba sunt: *Vt autem paulò ante cum visceris calidioris, & vicinorum ei frigidorum consideraremus pulsum, febrem diximus esse hecticam, ita nunc si viscus sit frigidius omnino quàm naturalis modus permittat: & vicina calidiora, febricitabit quidem homo non hectica tamen quàm vocant febre, sed vel diaria, vel ea quæ putredinem humorum consequitur.* Nihil clarius dici potuit. Et inferius sic scripsit. *Contra iam magis refrigeratum cor sit, quam vicina incaluerunt, ac febris sit diaria, horum pulsus manifestè languidiores erunt, &c.* Nec obstat si dicas, quod in dictis complicationibus semper supponit Galenus, quod cor calefiat præternaturaliter, & propterea febrem admittit. Sed contra est, quia in prima complicatione dicitur, quod cor sit frigidius omnino quàm naturalis modus permittat: quæ verba intelligi nequeunt nisi de frigida distemperie, cùm supponat esse frigidius, quàm permittat modus naturalis; idest naturalis status. Quod clarius ex secunda complicatione deducitur, in qua supponit quod cor sit magis refrigeratum quàm vicina incaluerunt, quod siue intelligatur ante humorum aut spirituum putredinem, siue postea, necessariò cor erit frigidius quàm in statu naturali: quia si supponitur maiori frigore alteratum, quàm sit calor in partibus vicinis, non poterit ad æqualitatem reduci seu ad naturalem statum, cùm remissior calor præter naturam à Galeno in vicinis admittatur, & in corde maior intensio frigoris morbosi: præterquam quod verba Galeni actualem iam complicationem factam supponunt; admittit enim quòd magis refrigeratum sit cor, quàm iam vicina incaluerunt. Qua suppositione quomodocumque intellecta, implicat quod cor calore febrili possit laborare, quia si supponitur magis frigidum quàm incaluerunt vicina, aut non reducetur ad naturalem statum vt insinuaui ob remissius contrarium, aut si reducatur, non poterit intendi ita vt febre laboret, cum frigus illius calorem vicinorum excedat. Vnde nec placet Magister meus *fol.* 57. *lib. de febrib.* docet enim, quod si humor putridus ponatur iuxta arterias valde distantes à corde, ita vt ab eis nequeat cor alterari propter distantiam, etiamsi in hoc casu pulsus arteriarum mutaretur vt vsui aucto debetur, non dicerentur laborare febre, sed calida distemperie, quia cor non patitur, hoc enim est contra Galenum *loco citato* in corde frigido, & vicinia calidis febrem concedentem; & gratis dicitur, quod illæ partes non febricitent, cum ob cor non calefactum, signum aliquod essentiale febrium non deficiat in calefactis arteriis.

Notat verò Magister id esse intelligendum, quando per continui alterationem humor distans à corde illud non potuit alterare; nam si aliter mediis fuliginibus febris cordi communicetur, rarò (inquit) casus contingat, & ita non solùm debet concedi, cor frequenter vt plurimum esse subiectum febris, sed semper, & necessariò. Peccat hæc Magistri doctrina, quia communicationem caloris substantiæ cordis à putrido humore mediis fuliginibus rarum casum putat, cùm potius sit ratissimus contrarius; nempe quod per continui alterationem talis productio fiat, nihil communius nec naturalius, quàm quod humor putridus in fuligines totus dissipetur, & totum corpus sic calefacere, quod indicat clarè arteriarum compressio in accessionum initiis: inuoluit etiam pugnantia in eius doctrina, quia si rarus casus admittetur, in quo corde opus non sit vt totum febricitet, iam non semper nec necessariò erit cor subiectum febris. Galenus enim in bubone solùm admittit esse inclusam fuliginem 1. *de differentiis febrium*; in aliis verò casibus nihil communius (vt dixi) quàm in fuligines totum humorem mutari & sic accessiones finiri: ob quod Hippocrates dixit 1. *acutorum* 46. quod quando caliditas ad pedes descenderit, tunc clarè expedit: descensus verò motum localem dicit, quia à visceribus ad pedes transfertur fuligo, à qua calor præter naturam causabatur, dicente Galeno in fine expositionis, quod descendere commutationem caliditatis ex alia parte in aliam manifestat, & ex tota expositione illius textus, quilibet deducet facillimè quàm alienum sit à communi doctrina, quod Magister docet, & nos latius *tract. de temporibus* exponemus.

Est ergo sententia nostra, quod in rigore loquendo non sit necessarium quod cor calefiat, vt calor per totum distribuatur, neque ad febris essentiam illud requiri in rigore. Quia verò cor reliquis partibus calidius est, & vt influit in arterias motum earum causat, estque author vitalis spiritus, facillimè inflammatur, & distributioni caloris per totum proprio motu & arteriarum auxiliatur; ideo in definitione ponitur vt pars quæ frequentius patitur, & totum in consensum trahit motu sui & arteriarum, quæ absque cordis auxilio cieri non possunt. In quem

sensum

ſenſum exponendus etiam Galenus eſt, quando ſine cordis calore præter naturam febrem non admittit; nam quando dicitur *lib. de marcore*, quod nulla paſſio poteſt eſſe communis toti corpori, ſine eo quod cor talis paſſionis ſit Author, improbabilis ſententia mihi videtur, & tanto Authore indigna: & optimè Argenterius vim magnam iecoris vt humores generat, ad totius permutationem inſignem ea ſimilitudine carnium cum alimento ex quo nutrimur, oſtendit: & Galenus docuit doctiſſimè *lib. 3. de cauſ. ſympt. cap. 2.*

QVÆSTIO VII.

An ſit admittenda febris partialis in quauis corporis parte?

Difficultas noua quæ ex reſolutione præcedentis quæſtionis ſuſcitatur. Non dubitamus, quod omnes partes poſſint laborare febre, id enim omnes fatentur quando totum corpus febricitat, nolunt tamen Authores recentiores quod calor dicatur febrilis, niſi illum accipiant ab aliqua parte nobili, aut magna, quæ in totum corpus, aut plurimas partes calorem violentum producere poſſit: ac per conſequens ſi digitus pedis inflammetur, aut carbone torreatur, non febricitabit reuera, ſed calida ſolum diſtemperie opprimetur; quod etiam de partibus omnibus Magiſter docuit, quando cor non calefit. Videtur expreſſa Galeni ſententia 6. *epid. ſect.* 1. *text.* 29. in cuius initio ſcriptum reliquit. *Eſſentia verò febrium eſt non ſecundum Hippocratem modò, atque præclariſſimos Medicos, ſed etiam ſecundum communem omnium hominum notionem, præter naturam caliditas, maximè quidem in totum animal effuſa: ſin minus vel in plurimis partibus, vel in nobiliſſimis accenſa.* Vbi partium multitudinem accenſam, aut totum ad febrem requirit; & conſtat ex communi Medicorum conſenſu, febrem communem morbum appellantium: talis verò non erit neceſſariò, ſi in vnica tantùm parte conſiſtere poſſet.

Contrariam partem multa ſuadent, & non leuia fundamenta; nimirum quod quælibet pars ſeorſim conſiſtens febrire poſſit, quia quælibet à calore poteſt lædi, eſſéque impertinens ad rationem febris rigoroſam, quod cor (vt vidimus) aut plures partes à calore lædantur; aliud enim eſt loqui iuxta communem hominum exiſtimationem & loquutionem aliud in rigore phyſico, & medico, iuxta quem mihi probabilius videtur, quod quælibet pars ſi habeat calorem in fieri eius operationes lædentem, qui calor dependeat à calore in facto in cauſa, febricitet verè & propriè. Quam doctrinam Galenus pleuè inſinuat *lib. 7. meth. cap. 5.* de calida & ſicca ventriculi diſtemperie agendo. Verba ſunt: *Illud nobis perſuadentes eiuſmodi affectum febri proportione reſpondere, quippe quod illa in toto animali, vel in corde eſt, id nunc propoſitus affectus in ventriculo eſt.* Et 2. *lib. ad Glauconem, c.* 1. de inflammatione ſicca loquendo, ſcripſit. *Siccam verò quando nullo humore influente calor naturalis augeſcit, hoc autem vſque ad aliquid quidem veluti febris eſt membri.* Clarius id inſinuat tranſlatio primi loci ex antiquo codice, quæ habet. *Illud nobis perſuadentes eiuſmodi affectum ad portionem eſſe febrem, &c.* Quæ verba à Galeno non poterunt adduci, niſi ad explicandam particularem febris naturam, ſeu febrem partialem determinatæ partis, cum iam ſuppoſuerit in initio capitis ſe agere de diſtemperie ſicca, & calida ventriculi; & docet quod idem quod calor præter naturam eſt in toto, aut in corde, id eſt propoſitus affectus in ventriculo; ſed calor in corde, aut in toto, habet rationem febris: ergo eandem rationem & formalitatem ventriculo dabit calor præter naturam.

Ex quo loco hæc ſumitur ratio à priori, & efficax febris eſt morbus communis omnibus partibus corporis: ergo quælibet pars verè laborat febre: ergo eſt propria natura ſubiectum illius & locus affectus; ſemper ergo quod ſimili diſtemperie laboret, cum conditione ad febrem requiſita febricitabit. Sed eam quando ſeorſim laborat reuera participat, vt quando laborat cum toto: ergo quando ſeorſim calefit, reuera febricitat. Conſtat, quia ſimilis forma cum eiſdem conditionibus eandem denominationem tenetur tribuere: Reſpondet Magiſter meus *fol.* 59. quod læſio à calore adhuc à cauſa producto independenter illud habente, non dicitur ad conuenientiam cum febre, quia etiam conuenit diſtemperiei calidæ morboſæ, quæ non dicitur ad conuertentiam cum febre. Valet enim illatio, eſt febris, ergo diſtemperies calida: non tamen bene infertur, eſt calida diſtemperies morboſa, ergo febris; nam ad febrem requiritur quod cor patiatur, & ſit ſubiectum caloris. Sed hoc impugnatum iam eſt, & eſt contra Galenum loco illo ex *lib. 6. epid. ſect. 1. text.* 29. in quo dicit, quod ſecundum Hippocratem, Medicos alios, & vulgus eſſentia febris eſt caliditas præter naturam, maximè quidem in totum animal effuſa; ſin minus vel in plurimis partibus vel in nobiliſſimis accenſa. Qui locus meo iudicio non rectè exponitur à Magiſtro; rigoroſe enim intellectus vt verba ſignificant, duas partes habet. Prima eſt, ſecundum omnium iudicium eſſentia febris eſt caliditas præter naturam. Secunda eſt, verùm maximè & præcipuè talis appellatur, quando aut totum corpus, vel plurimæ partes, vel nobiliſſimæ accenduntur; ergo ſi præcipuè dicitur febris calor totum corpus, aut plures partes aut nobiliſſimas afficiens, minus principalis febris dicetur, quæ nec totum, nec plures partes, nec nobiliſſimas obſidet; nam ſi Galenus ſentiret eſſe neceſſarium ſimpliciter ad febris eſſentiam, quod totum aut plures partes, vel nobiliſſimæ accenderentur, non diceret maximè, ſed abſolutè loquutus fuiſſet; nam ad explicandam partem affectam in hepatica paſſione, Iecur in fotet pessims, maximè iecur eſſe affectum, cùm nulla alia pars talis morbi ſit particeps. Et quia Galenus videbat eam eſſe communem omnium æſtimationem, vt non ſecluderet calores partiales à ratione phyſica aut medica febris, poſuit merito illud aduerbium *maximè*, & quia putabat eſſe admittendas partiales febres, explicuit ſuam mentem 7. *meth.* & 2. *lib. ad Glauconem*: quibus locis de caliditate præternaturali vnius tantùm partis ſermonem inſtituit, ſimul aduertens eam calidam diſtemperiē partialem eſſe ad portionem febris. Eſt etiam accuratè expendendus locus, colligitur enim euidenter ex illo, quod Galenus non putauit eſſe neceſſarium vt cor ad febrem patiatur adhuc, ſecundum Hippocratem & communem exiſtimationem. Conſtat, quia diſiunctiuè loquitur, & plures partes, vt vnum membrum prout contra principaliſſimas diſtinguitur, conſtituit, aliud verò inter principaliſſimas: ergo quamuis principaliſſimæ non incaleſcant, ſi aliæ plures accendantur, erit ſecundum omnium exiſtimationem verè febris: inter principaliſſimas verò non poteſt non includi cor, & inde conſtat, quod etſi febris dicatur morbus communis, eò quòd omnes partes poteſt ſimul lædere, non tamen id eſt neceſſarium, ſed ſufficit quod quamlibet diſtributiuè afficere poſſit, & quælibet poteſt eſſe verum ſubiectum illius.

Secundò probatur ex definitione adducta à Galeno 5. *aphor. text.* 16. dicit enim quod febris eſt conuerſio natiuæ caliditatis in igneam naturam: ergo quælibet pars poteſt laborare febre. Conſtat etiam à ſimili; ex eo cor laborat febre, quia eius calor intenditur à cauſa habente calorem in facto. Sed quælibet pars eodem modo poteſt pati, & ab eadem cauſa: ergo quælibet ſimili morbo & febre opprimetur. Dicere

verò quòd eo reliquæ partes à corde alteratæ laborant febre, quia patiuntur à principio communi, econtra est solutio friuola, & ad respondendum solùm parata, quoniam pati per consensum, & per propriam passionem, non potest mutare morbi intrinsecam naturam, vt est euidens in dolore colico, cardialgia, & dolore capitis, aut quouis alio morbo: & per consequens si calor in pede à corde, aut iecore susceptus, febris est, eandem naturam participat si ab inflammatione pedis idem calor suscitetur, quia eandem læsionem infert, & eandem indicationem refrigerandi præbet, præterquam quod iam probaui efficaciter, quod quælibet pars inflammata potest esse principium sufficiens communicandi calorem vniuerso corpori, quia potest à se tantam copiam fuliginum mittere, aut eleuare, quod totum alteretur ab eis, & suffocetur eius natiuus calor. Quod confirmatur efficaciter, quando propter vniuersalem plenitudinem corpus obstruitur, & diaria laborat: tunc enim quælibet pars fuligines creat, quas quia expellere nequit ob defectum commodæ viæ ab eisdem alteratur, & febricitat absque aliqua communicatione caloris ex alia parte, quoniam quælibet pars calefit, quia non ventilatur ob propriam partialem plenitudinem, & ab excrementis fuliginosis opprimitur, calefit, & tandem si nimis crescat plenitudo suffocatur: & nostram opinionem suadet etiam opinio probabilissima, quod in arteriis spiritus vitales non minus quàm in corde creentur, vt Magister in parte naturali probat ex mente Galeni: & per consequens ex earum inflammatione, aut putredinis foco medio spiritu, & sanguine, calor præter naturam in totum distribuitur; dicere verò quod non creentur spiritus in tanta copia ab arteriis, quod per ipsos in totum possit calor distribui, dicitur gratis & sine fundamento. Vnde enim constat? præterquam quod iam est à nobis probatum esse impertinentem spiritum, vt calor per totum diffundatur, cùm sit fuligo calidior & actiuior illo, & in tanta copia ex succis putridis eleuari possit, & in multo maiori quàm spiritus generentur, aut à corde, aut reliquis partibus.

Dicendum igitur est, quod febris aut est communis, & quæ propriè dicitur talis secundum Hippocratem, & omnium existimationem, aut ea quæ aut totum corpus, aut plures partes, aut nobilissimas possidet, vt Galenus *loco allegato ex 6. epidemior.* distinxit, & docuit, & hæc fuit à nostro Principe exposita, quando per cordis calorem eam definiuit. Alia est particularis, quæ vnicum tantum membrum lædit, aut partes solas sibi proximiores, & totum in consensum non trahit, nec cor, vt determinata inflammatio in parte aliqua extrema, aut phlogosia, de qua Galenus egit 2. *ad Glauconem, cap.* 1. *& 7. method. cap.* 8. à qua non dicitur homo in rigore febricitans, quia totum denominare pars sola calida nequit, sed illa verè dicitur febricitans.

Et si inquitas, cum doceant authores omnes cum Galeno, quod calida distemperies non dicitur ad conuertentiam cum febre, in quo discriminantur? Respondeo, quod id explicuit Auicenna illis verbis definitionis, non sicut caliditas iræ, aut laboris, cum non vltimatur: & Galenus 1. *de differentiis febrium*, adducta distinctione inter incalescere, & incaluisse: est verò vltimari calorem, quod ita sit causæ febris affixus, vt nequeat ab illo se reducere, & idem est apud Galenum incaluisse. Quando ergo eam firmitudinem calor in causa acquisiuit, calor productus ab ea est tenera febris. Si verò ab eo possit se liberare, distemperiem solam in rigore, non febrem producit; de quo erit *infrà* singularis quæstio.

QVÆSTIO VIII.

An totus calor sit febris, vel solùm additus?

CVm antea diximus, quod febris sit calor præternaturalis, quod eius præternaturalitas ob maiorem intensionem subiecto dabita oriatur, inquirit quæstio, an ratio formalis præternaturalitatis, & febris, in solo calore addito, an verò in composito ex naturali & addito consistat. Ex titulo autem quæstionis excluditur opinio Thomistarum putantium quod qualitatum intensio ob maiorem radicationem in subiecto fiat, quoniam in hac opinione non fit compositio aliqua ex diuersis partibus qualitatis, ita vt sit diuisibilis in partes diuersas: controuertitur ergo solum in opinione partes diuersas graduales intensionem componentes admittente.

Rursus nota esse duplicem opinionem circa perfectionem graduum qualitates componentium: vna æquales omnes esse efficaciter suadet. Alia econtra in perfectione inæquales omnino constituit, & per consequens vnum gradum esse necessariam dispositionem ad alium, vt primus ad secundum, & secundus ad tertium, & sic de reliquis: eam verò inæqualitatem in indiuiduali proprietate solùm quidam collocant, ita vt secundus gradus à primo differat solo numero, aut entitate reali, sit tamen perfectior eius proprietas indiuidualis. Alij inæqualitatem specificam, incompletam tamen inter gradus admittunt, vt eandem distinctionem in composito substantiali admittunt etiam, ita vt caro specie incompleta à neruo differat. Nec putant inconueniens ob incompletam rationem quod ordinentur ad componendum vnicum totum, & verè vniantur, etiamsi specificè differant, vt eo modo & maiori, materia & forma humana discriminantur, vniuntur tamen nihilominus ad componendum totum substantiale completum; & idem censendum est de partibus accidentis diuisibilis, ita vt substantia capitis differat specie à parte substantiali cordis, de quo argumento doctissimè & latè disputanit Pater Mendox *disput. 2. de anima, fol. subsection. 2.* & deinceps.

Est ergo conclusio. Prima quod in opinione graduum inæqualitatem admittentia, non potest sub dubio cadere quod febris per solum calorem additum constituatur. Ratio est manifesta, quia cum calor additus sit diuersæ perfectionis à naturali, nunquam potest esse formæ proportionatus, & debitus, & sic semper est morbosus, & violentus: intensio verò ipsi formæ debita, nunquam potest esse contra naturam, quia nunquam propriam perfectionem mutat, nec numerum; nam secundus gradus in hac opinione semper est secundus ex propria natura, & sic nec in perfectione, nec in numero aliquam mutationem per coniunctionem cum aliis suscipit, & inde semper eius entitas est conformis viuenti eam exposcenti, & naturalis omnino, gradus verò non expetitus, naturalis nunquam esse potest, quia eius perfectio propriæ formæ repugnat. Secundò illud habet morbi rationem quod per auxilia determinatè destruitur, & ipso ablato sanitas amissa recuperatur. Sed ablato gradu à viuente non postulato febris destruitur: ergo ille erat in rigore morbus: aufertur verò quartus determinatè, quia ille solus quartus est.

Tertiò illud habet rationem morbi cuius natura est medicatrix; sed natura quartum solum gradum corrumpit: ergo ille solus habet rationem morbi. Omnia sunt manifesta in hac opinione, maiorem verò Hippocrates tradit 6. *epid. sect.* 3. *tex.* 1. dicendo; *morborum natura medicatrices:* & *tex.* 2. *in fine* scripsit: *Et cum nihil didicerit, facit quæ expediunt;* & *lib. de alimento* scripsit: Natura sufficit omnia omnibus.

Quarto,

Quartò, in hac opinione quilibet gradus superior potest totum quod inferiorea; & addit eis quod ipse per se est, & per consequens, etiamsi inferior aufertur loco additi superioris, non constituitur temperies naturæ debita, sed semper improportionata consistit, quia semper est plus perfectionis quàm natura requirit, & inde idoneo instrumento priuata læsè operabitur necessariò, quod est esse morbosa, quod suadetur exemplo communi corruptionis alimentorum: nam gradus naturales nunquam concurrunt ad eorum vstionem, quia tres gradus nunquam vltra tres producere possunt, & ad quartum alimenta exorientem nunquam concurrunt, quia est illis tribus perfectior; vstio ergo alimenti à solo calore addito emanat, & per consequens ille solus morbosus putandus, quia symptoma illud ab eo solo procedit.

Difficilius est explicare quid in alia opinione tenendum sit. Magister meus *fol. 35. in fine* tenet, in solo calore addito febrem consistere, & contrariam opinionem vt falsam reiicit, Augenium & Gentilem sectatus. Sit prima ratio, quia solus calor additus est ab extrinseco principio passo non consentiente vim; ergo ille solus est violentus, & præter naturam, & morbosus per consequens. Maior probatur, quia ille solus à causa morbosa producitur, cuius introductioni totis viribus natura resistit: ergo est violentus, & contra naturam. Quam rationem in gratiam Magistri vrgeo. Illud haber morbi rationem quod per se à causa præternaturali producitur, quia effectus causæ morbificæ morbos est, quo medio causa operationes lædit; sed solus calor additus à causa morbi producitur; ergo ille solus morbi rationem sortitur.

Secundò; idem gradus nequit esse naturalis, & morbosus, seu violentus. Sed gradus præexistentes erant naturales, & entitatem non mutant, nec naturam; ergo nequeunt sub eadem entitate morbi rationem contrahere. Quod entitatem non moueat, constat, quia per aduentum aliorum nulla mutatio in eis fit, sed potius manendo vt præexistebant aduenientibus vniuntur. Et confirmatur, quia nihil potest esse naturale instrumentum respectu cuius est contra naturam. Sed calor additus est contra naturam animæ, à qua nutritio celebratur; ergo additus nequit esse instrumentum nutritionis naturalis. Probatur quia calor præexistens est, qui vltimo materiam alimenti disponit & naturaliter, additus verò est qui alimentum vrit, aut dispositiones naturales à præexistente calore inductas corrumpit, & mutat; ergo solus additus lædit, & per consequens ille solus morbosus erit.

Tertiò: si vterque calor lædit, vel vt causa totalis, aut partialis. Non primum, quia si præexistens vt causa totalis læderet, etiamsi alius non adueniret, eandem læsionem inferret; nam causa totalis est quæ sola effectum potest producere absque consortio causæ eiusdem generis: Neque vt partialis, quia calor naturalis (inquit Magister) etiamsi gradus alter addatur, manet idem quantum ad entitatem partialem: ergo quantum ad modum agendi idem etiam manebit, & per consequens nullam in actionibus læsionem induceret, quia idem in quantum idem semper idem facit; ergo si antequam calor additus superueniret, nollo modo præexistens lædebat, nec lædet post aduentum alterius. Et confirmatur, quia si vt causa partialis læderet, erat necessarium quod in effectu aut actione laesa aliquid calori præexistenti respondeter: at nihil respondet, nec est assignabile: ergo nullatenus partialem rationem morbi participat.

Quartò, quia Authore Galeno 1. *ad Glauconem c. 1.* tantus est morbus, quantus est discessus à naturali statu. Sed per solum calorem additum discedit æger à naturali statu; ergo per eum morbosus redditur. Et confirmatur, quia ille solus calor est febris, qui curatione destruitur; solus verò additus à remediis, & à natura tollitur: ergo. Probatur, quia si aliquid præexistentis caloris tolleretur, non solùm deficeret febris, sed in distemperiem contrariam lapsus fieret, & morbosus redderetur æger; ergo illi sanitatem constituebant, non febrem.

A Hæc opinio nunquam mihi placoir, si sustineamr æqualitas perfectionis in gradibus; existimo enim esse magnam æquiuocationem in consideratione quarti gradus, quatenus additus consideratur, quando tres gradus naturalem temperiem constituebant; nam quartus ille gradus seorsim consideratus nullo modo febrem constituit: ergo indiget auxilio & copola aliorum trium vt febrem faciat: concurrunt ergo alij tam necessariò ad febrem vt quartus. Probatur, quia si solus consisteret, non daretur febris: nequit ergo negari aliorum necessitas. Tunc inquiro qua ratione requirantur vt quartus sit febris? certè aliud dici non potest quàm vt per præexistentes superueniente alio febris suscitetur. Sed cur suscitatur? non quidem nisi quia latitudo caloris per quartum gradum naturalem proportionem excedit: sed ad hunc excessum tam essentialiter requiruntur trea primi vt quartus additus: ergo tam essentialiter illi vt quartus ad febrem concurrunt. Omnia mihi aperta videntur, quia ad constitutionem caloris excedentis, omnes gradus æqualiter concurrunt, & rursus nullus sine aliis febrem crearet: ergo omnes se iuuant vt lædant, & id planè indicat ipsa contrariorum loquutio; nunquam enim quartum gradum sine eo quod additus alijs sit, febrem nuncupant: indiget ergo aliorum additione, & consortio, vt lædat; cur ergo excluduntur à ratione febris, & morbi. Dices, requiritur vt conditio vt febris à quarto creetur: idem de addito dicam, quod nimirum requiratur ab aliis, vt ex omnibus improportio oriatur, & illi cum quarto excessum constituunt: & à simili argumentum conficitur; nam in graduum inæqualitate ideo quartus solus febris erat, quia ille per se, & sua intrinseca natura quartus est sine aliorum consortio, & quamuis alij priores in subiecto non essent, solus quartus febris esset reuera. Sed in graduum æqualitate nullus est quartus ex se, sed omnes participant æqualem rationem, & nullus sine aliis lædere posset; omnes ergo culpandi sunt, quia ad excessum ad febrem requisitum omnes concurrunt æqualiter, & ex omnibus vnicus numero calor totalis resultat naturalem excedens proportionem, & sic totus est improportionatus & morbosus in ordine ad læsionem à febre vt tali oriundam.

B

C

D Ad hoc respondet Magister *fol. 37. in solutione ad 2.* negando totum illum calorem esse præter naturam; quia licet sit vna numero qualitas, includit tamen diuersos gradus intensionis, ita vt ratione gradus additi solum sit præter naturam illa Intensio, & inde rectè infertur, quod læsio actionum à solo addito, & non ab eo & præxistente procedat, quia licet vnus sit totus calor, & actio calefaciendi sit vna numero, tamen quia habet gradus diuersos intensionis, potest ratione gradus intensioris aliquid facere, quod non secundùm remissum: & sic potest intelligi, quod non læsio procedat à solo intensiori gradu; nam sicut intensior calefactio non fit à quolibet gradu causæ, sed ab intenso, quod negari non potest, si inæqualitas in gradibus admittatur: Ita neque læsio in actione procedit, nisi ab intensiori gradu, & intensiori calefactione, & per consequens in ipsa actione seu calefactione distinguibile est, & debet distingui id quod est naturale, ab eo quod est symptomaticum. Nam quando communiter dicitur, quod calefactio fiat ab omnibus gradibus, est intelligendum de effectu qui non excedit perfectionem agentis, vt si sit calor vt quatuor, omnes gradus concurrunt ad productionem primi, tamen ad productionem secundi non concurrit primus, quia est imperfectior secundùm se, & per consequens secundùm causalitatem. Adduxi integra verba Magistri, vt ex illis constet, non potuisse solutionem adducere absque inæqualitate graduum,

E

qua

quæ non solùm non est ad rem, cùm assertio nostra probetur in opinione dicentium, quod gradus sunt omnino æquales; sed ex illa vis argumenti clarior appareat, quia in adducta opinione de graduum æqualitate, videtur insolubile, & ex Magistri solutione secundum argumentum deducitur non leue: est autem quod sequitur.

Secundum argumentum in confirmationem meæ sententiæ apparet firmissimum; in primis quando actio symptomatica erronea est, vt delirium, in quo nihil videtur, quia actio tota est erronea, cui non correspondet aliquid gradibus naturalibus, quia tota contra naturam est: & vigetur etiam in ablatione actionis, quid enim in ea gradibus naturalibus remanentibus correspondet? nihil certè, cum sit totalis depravatio. Verùm in adducta opinione de graduum æquali perfectione vrgetur magis Magister, quoniam tota actio calefaciendi prouenit à toto calore, ergo & quod est symptomaticum prouenit à toto, & non à gradu determinato, ac per consequens totus calor est verè morbosus. Probatur: ad productionem quarti gradus concurrunt omnes quatuor, quia omnes operantur vnica actione, & effectus productus omnium quatuor concursum requirit; tum quia requirit causam non inferiorem se, vt est euidens, quia est effectus vniuocus; tum quia omnes sunt verè actiui, & effectus non excedit virtutem, & perfectionem causæ; ergo tota causa operatur; tota ergo concurrit ad illud quod in actione symptomaticum fuerit, & sic tota operatur vt morbus. Et confirmatur, quia vstio alimenti non fit à solo calore excedente, sed ab omnibus gradibus in alimento productis, quia vt coctio requirit calorem vt quatuor, sic vstio aut conuersio in nidorem requirit calorem vt sex, ad quem omnes gradus essentialiter requiruntur: in hoc autem symptomate nihil calori vt naturali respondet, quia calor vt naturalis nunquam nidorulentum alimentum reddit, nec vstum, cùm sit mutatio in alienam qualitatem.

Vnum tamen argumentum discutiendum superest, quod Magistro meo magnam dubitationem contra nostrum placitum fecit. Viuens (inquit) quando febricitat, nutritur; ergo alimentum coquitur si coctio fit à calore naturali & proprio: ergo in febriente datur calor propriè naturalis; sed hic alius esse non potest nisi præexistens: ergo solus additus febrem, & morbum constituit. Et confirmatur, quia nulla forma vtitur instrumento violento, vt opera naturalia eliciat, & per consequens coctio à solo calore naturali vt instrumento procedet, quia febrilis violentus cùm sit, non potest vt instrumentum naturale sumi. Respondeo in adducto argumento multa esse consideranda: in primis falsum est, quod calor vt instrumentum coctionis à natura sumatur, quia cùm calor solùm deseruiat vt calor, & quatenus alimentum calefacere potest, & ad hoc sit vera causa principalis, nec eget naturæ concursu, nec ab ea vt instrumentum assumitur, quia etsi natura nullo modo cum calore concurrat, celebratur coctio. Dico secundò, quod quando viuens nutritur, producitur non dubiè coctio in alimento à calore naturali & morboso, non tamen producitur tanta intensio, vt vratur, aut in nidorem vertatur, nam hoc implicat si verè coquitur, & viuens nutritur; producitur ergo dispositio quæ naturalem coctionem non destruat ex parte caloris, etiamsi maior calor in alimento producatur, quia non per quemlibet excessum ad coctionem non requisitum mutatur cibus in qualitatem alienam; tunc autem calor febrilis non habet rationem morbi in ordine ad coctionem, quia eam non lædit, cùm fateantur omnes, quod non omnes actiones læduntur necessariò à calore febrili, & vt sic morbosus in ordine ad

A hoc opus debet illud vitiare; & cum certum sit, quod non producitur in passum tota intensio qualitatis agentis, potest non dubiè esse alimentum tam frigidum, quod calor moderatus in eo producatur, & coquatur optimè.

Tandem notabitis, quod in opinione de graduum æqualitate, si calor præexistens corrumperetur & maneret additus, tam naturalis esset calor additus formæ sicut præexistens, quod est euidens: quia maneret intensio debita formæ eiusdem rationis, cuius est naturaliter conseruatiua, cum quo stat, vt calor additus, si maneat præexistens, non conseruetur à natura, quia vt non habet vim producendi naturaliter ab intrinseco principio nisi naturalem intensionem, sic nisi illam tuebitur; & inde quando causa febris deficit, idem calor ab ea productus corrumpitur, quia

B priores gradus natura conseruabat, & sic deficient intensiores ob defectum conseruantis; si verò ea gradibus naturalibus auferret Deus eandem intensionem quam excedebat febrilis, aut additus, conseruabitur additus, quia tam naturalis est vt priores ablati, & eis indiget vt sit in statu naturali.

Sed dices, si calor præexistens conseruatur à forma, additus verò minimè, solus additus erit morbosus. Probatur, quia morbus non conseruatur à natura, & additum calorem corrumpet, quod est euidens signum, præexistentem esse naturalem, additum verò morbosum, & violentum. Hoc argumentum vrget non leuiter nostram sententiam; verùm est quod respondeas, nimirum quod calor naturalis præexistens per coniunctionem cum addito redditur impro-

C portionatus naturæ, hoc est respectu formæ per accidens, quia non potest impedire actionem causæ febrilis, ad eam verò improportionem concurrit non minus calor naturalis quàm additus (vt sæpe docui) & sic ad morbi rationem, quia ab vtroque emanat excessus vt à causis partialibus eiusdem ordinis, vt in duobus portantibus lapidem, quorum nullus sufficeret. Et hoc exemplum nostram opinionem tuetur, nam portationis lapidis quilibet homo est causa partialis, quia in eodem genere causæ concurrunt, & nullus seorsim sufficit. Sed gradus caloris sunt eiusdem ordinis, & entitate propria disponunt ad febrem, taliter quod additus solus non asset satis, nec solus præexistens vt homo febricitaret; ergo si nullus sufficit ex se, & concursus eorum est eiusdem

D causalitatis, & necessarius, habebunt se vt duæ causæ partiales in ordine ad excessum, & febrem, quia mutuò se iuuant ad illam creandam, & nullus gradus seorsim consideratus sufficit.

Maior dubitatio videtur in nostra doctrina, si totus calor ex vtroque resultans sit dicendus febrilis? Id enim videtur impossibile, quia si natura petit determinatam intensionem, non apparet probabile, quod intensio petita possit esse morbosa, & sic solus additus erit febrilis. Respondetur, quod iuxta placitum nostri Vegæ quilibet gradus dicitur febrilis, quia quilibet cum aliis excedit, & quilibet ad excessum concurrit; & inde non minus gradus naturales, quàm additi, vt coniuncti cum aliis ad febrem

E faciunt, aut rationem eius participant. Et hoc mihi videtur euidens contra Magistrum, si gradus sunt eiusdem perfectionis: & hac ratione intelligenda est nostra conclusio, ita vt gradus naturalis qui præexistebat, prout coniunctus cum aliis, excedat reuera, vt reuera excedit, vt sic febris esse possit; & eodem modo philosophandum est in reliquis gradibus. Et cùm causa infrigidans non producat frigus quod magis vni gradui caloris quàm alij opponatur, etiamsi ex gradibus præexistentibus corrumperet quod excedit, & manerent producti à causa morbi, constitueretur viuens in naturali statu, quod iam à nobis probatum est: ex

quo

quo deducitur, quod præexistentes vt excedebant cum aliis, erant morbosi. Constat quia ipsis ablatis cessat febris. Ergo verè ad eius constitutionem conducebant, impugnatio verò adducta à Magistro nullius momenti est, procedit enim concessa graduum inæqualitate, quam Vega in sua doctrina, & nos etiam negamus.

Ex dictis in hoc notabili argumenta contraria vel facilè dilui possunt. Ad primum, quod calor productus à causa putrida nullo modo sine naturali calore febrem causaret, & vt ille sine aliis præexistentibus febris non esset, est verò illis adiunctus, sic præexistentes aduenientibus vniri immoderati fiunt & morbosi, sine illis verò minimè, & inde nec solùm quod causa produxit, morbus, est quia illud solùm non esset satis, sed præsentia aliorum requiritur, & inde secundum argumentum nullius momenti est, cùm potius requiratur eorum permanentia, vt excessus cum productis à causa febrili constituatur; mutari verò per coniunctionem aliorum quantum ad rationem moderati, aut immoderati caloris, necessarium est, vt mutantur in ratione partis actualiter componentis maiorem calorem. Secunda pars argumenti soluta iam est, vbi explicuimus quod calor in ordine ad coctionem non est verè instrumentum: & qua ratione cum febre potuit viuens nutriri. Probauimus etiam quod in hac opinione de graduum æquali perfectione, totus calor ad alimenti vstionem concurrit quando vritur.

Ad tertium, quod calor præexistens, & additus, se habent vt causæ partiales, quia nullus ad febrem sine alio sufficeret, & quamuis maneat eadem entitas, mutatur tamen proportio quando addito calori vniuntur, quia maiorem intensionem componunt cum aliis, & sic etiam mutatur agendi modus, quod in Philosophia est euidens, & concurrunt cum gradibus additis ad intensionem maiorem, quam seorsim nullo modo attingere possent: in actione verò læsa cuicumque gradui, quatenus aliis addito responder præternaturalitas illa quæ in actione inuenitur.

Ad quartum negamus, quod per solum calorem additum fiat discessus à naturali statu, sed per omnes, vt dictum est, quia additus solus sine præexistentibus non sufficeret ad discessum, si ad excessum non sufficit sine aliorum consortio. Confirmatio soluta iam est, nam in curatione debet auferri quod excedit: excedit autem quælibet pars caloris, quatenus quælibet ad improportionem constituendam confert, & per consequens siue ex præexistente calore, siue ex addito auferatur excessus, manebit viuens illæsum.

QVÆSTIO IX.

Vtrum febrilis calor medio spiritu, & sanguine communicetur?

QVod mediis substantiis dictis per venas & arterias distributis talis communicatio fiat, in ipsa definitione expressit Princeps: debet autem intelligi de distributione per totum corpus celebranda, vt ipse se explicat; nam cum calor febrilis à parte primariò affecta, & foco putredinis oriatur, communicari partibus proximis absque spiritu aut sanguine per continui alterationem posse, extra dubium est, cùm calor tam actiuus sit, & quælibet pars calore febrili affecta certam sphæram actiuitatis habere debeat, & per consequens, si ad febrem partialem in mea opinione non requiritur aliqua caloris communicatio extra illam, nec ad febrem absolutè necessarium est, quod totum corpus calefiat præter naturam; & non repugnat quòd ab aliqua parte primariò affecta plures aliæ sibi proximiores alterentur per continui alterationem: nec ad hanc febrem spiritibus & sanguine indigemus, cum intra sphæram contineri possint. Totum tamen corpus calore febrili alterari absque spiritu implicat, quia nulla pars tam actiua est, vt calor eius totum corpus continui alteratione immutare possit, nisi medio spiritu, aut vaporibus sanguinis per totum distributis; sunt enim partes corporis solidæ satis, & cùm calori febrili introducendo innato frigore obstent, nulla actiuitas tam grandis in aliqua parte seorsim habitare potest, vt totum continuè alterando, illud violet. Id duobus exemplis vel facilè concipies, si inflammatio interna vehementis incendij detur, quo attractrix facultas, vt solet, deprauetur: vruntur interna, quando extrinseca lethali præsagio algida nimis percipiuntur, quod non alia causa contingit, quàm attracto spiritu cum sanguine ad inflammatum locum, vt millies Galenus, præsertim *aphor. 48. quarti libri* memoriæ prodidit. Quinimo quò ardentior febris, aut phlogosis est, tantò extrinseca frigidiora sunt. Ex quo constat eo per totum corpus calorem non distribui, quia neque spiritus, nec vapor sanguinis disseminari possunt per totum, quia calore nimio partis internæ æstuantis intro trahuntur, sic morti iam proximi tarò non sentiuntur tepidi; quia etsi succi vehementiùs tunc putrefiant, vt illorum ratione tunc incendium molestare plus deberet, id non experimur, sed oppositum, quia ob extinctionem, & defectum spirituum, calor extrinsecus non communicatur. Quod etiam clarissimè Galenus 4. *aphorismorum, tex.* 37. nos docuit, rationem tradendo sudoris frigidi in acutis febribus. Refero verba: *Cùm verò aliquando hæc duo contigerint, tum humores qui sunt in vasis, putrescere; tum eam, quæ solida corpora regit naturam (quæ secundum Hipocratem est calor naturalis,) vel omnino extingui, vel proximam esse extinctioni. Quæ quidem ex iis euacuantur, frigida sentiuntur, eam verò quæ fit ex putredine caliditatem, nihil prohibet vehementissimam esse, atque adeo signum exitiale, &c.* Aliud exemplum sit in cadauere, quod etsi igni per vnicam tantùm partem applicetur, nunquam totum calefactum percipies, & pars applicata vstionem prius experietur, quàm mediis illa totum calefiat, eò quòd nec spiritus sint, neque arteriarum motus. Neque obstat quod sit cadauer tam frigidum respectu hominis viui, quoniam iam supponimus ignem esse applicatum, qui calorem humorum magnis numeris excedit, & tamen cadauer totum calefaciet nunquam. Meritò ergo Princeps ea media vt necessaria ad totius calefactionem recensuit; est tamen intelligenda necessitas, non quod sine illis omnino totius calefactio implicaret, vt modò referam, sed dixit esse necessariam eorum calefactionem, quia cùm sint necessariò intra corpus, & tam facilè à calore alterabilia, calefactionem putridæ causæ fugere nequeunt, & per totum corpus caliditatem dispergere; quæ modò diximus memoriæ mandabis, si innumera argumentium sophismata reprimere cupis.

Dixi verò non esse simpliciter necessarium, quod medio spiritu & sanguine calor corpori vniuerso communicatur, quia meo iudicio solæ fuligines sufficere possunt, quando earum magna copia eleuatur, & præcipuè quando cutis totius obturata, aut compressa, aut astricta, fuligines suscitatas interius cohibet, & detinet, vt exemplo suffocati spiritus euidenter constat; quod si simul adsit humorum magna, putredo, & cutis obturatio magna, aut per totum obstructio satis extensa, & totum à solis fuliginibus posse calefieri renuas, suffocationem spirituum à fuliginibus negare teneberis, & rei tam possibilis repugnationem adducere, quod nunquam exequeris. Magister meus *fol. 62. in solutione ad* 4. dicit, quod si fuligines perseuerarent intra vasa, posset febris mediis illis communicari: non verò (inquit) ita euenit, quia pelluntur compressione, & licet aliqua portio remaneat, est exigua, neque sufficiens. Sed si possunt esse causa febris, non obstante prædicta

dicta expulſione, etiam mediis illis communicari poterit. Poſuit ergo (inquit) Auicenna ſpiritum, & ſanguinem, tanquam media neceſſaria, vt per totum febria diſtribuatur, quia neceſſariò, & ſemper dantur, ſúntque ſufficientia: non tamen negauit aliud reperiri poſſe ad aliquas febrea, quo mediante caloris communicatio fieri poſſit, quando à corde originem ducit: nos verò addimus noſtram ſententiam ſectantes, etiam ſi à corde non ducat originem, quod antea probauimus.

Vnicus ſcrupulus diſcutiendus reſtat, ſi calor productua mediis ſpiritibus, & vaporibus ſanguinis, ſit verè febrilis? Ratio dubitandi eſt, quia in definitione vt conditionem poſuit Auicenna, quod calor in cauſa debeat vltimari, & taliter eſſe, quod nequeat reducere ſe ab eo calore; id verò non patiuntur ſpiritus, aut ſanguis in febre putrida, vt fatentur omnes: ergo calor productua ab eis per totum, non erit febrilis. Si verò vltimatum eſſe calorem dicas, & in facto admittenda eſt neceſſariò complicatio febrium, ita vt nunquam putrida ſine diaria detur, quod omnea negant. Mihi videtur probabilius, quod non ſit neceſſaria ea conditio caloria vltimati in medio, per quod diſtributio caloris fit, ſed ſolùm in cauſa prima febris deſideretur, cenſcóque aliter opinari non poſſe ob rationem adductam de complicatione febrium, & inde exiſtimo, quod quando ex bubone incenditur febris diaria, non ſit calor in facto in ſpiritibus mediis, quibus per totum deriuatur, ſed humor bubonem cauſans calorem in facto ſortitur, qui non excluſis à ſe fuliginibus, vt Galenus putat, quæ intra bubonem concluduntur, ſed continui alteratione, & calefactis ſpiritibus & ſanguine in fieri vniuerſo corpori communicatur.

QVÆSTIO X.

Vtrum omnes actiones à calore febrili lædantur?

NOn eſt tam facilis quæſtionis propoſitæ reſolutio vt quibuſdam videtur; nam Princeps noſter in definitione videtur omnium læſionem admittere: Dicitur enim quod calor febrilis inflammatur inflammatione quæ nocet operationibus naturalibus, & cùm per eas non intelligat ſolùm quas propriè naturales appellamus, vt diſtinguatur à ſenſitiuis & intellectiuis, ſed omnes quæ nobis naturaliter conueniunt, vt optimè Gentilis expoſuit, videtur ſentire Auicenna quod lædantur omnes, quod etiam Auerroës 3. *collect. cap.* & Pereda, & Euſtachius cum Gentile docuerunt, & duplici argumento ſuadent. Primò quod febris ſit morbus communis, & per conſequens communem læſionem inferre tenetur, quia non eſt maior ratio vnius quàm alterius. Secundò, quod calor vitalis per febres neceſſariò patiatur, & cum talis ſit omnium actionum commune & neceſſarium inſtrumentum, nulla poteſt vitiati inſtrumenti detrimentum effugere: repugnat verò quod vitiato communi actionum inſtrumento maneant illæſæ.

Contraria ſententia communior eſt, nimirum quod non lædantur omnes actiones. Id experimento probatur in viſione, auditu, tactu, & aliis ſenſibus externis nullam offenſionem oſtendentibus ab initio febris; nam ſic intelligenda venit concluſio, nempe quod non omnes actiones læſæ eſſe debeant vt ſignum eſſentiale febrium; nam poſtea diuturnitate earum non eſt dubium quod omnes lædantur, aut ſaltem lædi poſſint. Idem argumentum in intellectione, & diſcurſu & ſenſibus internis conficitur; nulla enim læſio ſenſibilia in eis apparet, nec quantum ad perfectionem, & intenſionem, nec quantum ad durationem, vt malè putauit Pereda, nec probare potuit. Galenus 7. *aphor.*

A *com.* 6. ſic ſcripſit. *Faſtidium cibi ipſum per ſeipſum prauum eſt ſignum, nam in iis qui à talibus morbis ſunt euaſuri, contrarius affectus ſolet accidere, vehemens ciborum appetentia, &c.* vbi appetitum perfectiſſimum in febribus diuturnis admittit, & tanquam optimum ſignum ſalutis venturæ prædicat. Sic in alui deiectione nulla ſæpe læſio ſe oſtentat, quod Hippocrates planè docuit 2. *prognoſticorum cap.* 13. ſecundum tranſlationem noſtri Valleſij. Verba ſunt. *Deiectio optima eſt mollis, & conſtans, & eo tempore excreta, quo per ſanitatem ſolet: multitudo autem ad portionem aſſumptorum, nam ſi talis exit, venter infernus bene valet.* Quid clarius; quod verò vrina per febres diariaa naturaliſſima eſſe debeat, cum Galeno publicum eſt, vt *proprio tractatu* diſputabitur. In attractione alimenti nullum detrimentum apparet, B nec in expulſione excrementorum cuiuſque regionia ſunt: Dormiunt ſæpe, & vigilant febrientes, vt per bonam valetudinem, quod & Hippocrates etiam vt optimum ſignum tradit 2. *prog. cap.* 15. in tranſlatione Valleſij: tam claraque eſt hæc aſſertio, vt experimento planè refragare oppoſitum ſuſtinens teneatur.

Probatur à quibuſdam huiuſmodi concluſio, quoniam ſæpe dantur partes diſtemperatæ per frigus, quarum actiones à frigore læſæ emendantur à calore febrili. Ratio quidem inepta, quoniam partes intemperie frigida laborantes, ſi à calore febrili corriguntur, nullo modo febricitant, ſed in ſtatu naturali conſtituuntur, eo modo quo Galenus 3. *de præſagatione ex pulſibus* philoſophatur. Ratio ergo à priori eſt, quia latitudo ſa- C nitatis eſt magna, & diuerſiſſima in facultatibus, nam actiones quarundam tardiſſimè & niſi ab intenſo nimis calore læduntur, vt retentio, attractio, & expulſio, item actio memorandi, iraſcibilis etiam facultas; actiones etiam omnes ſenſuum externorum carent à calore niſi intenſiſſimo detrimentum ſenſibile patiuntur: indè quia non quælibet febris tantam intenſionem ad ſui conſtitutionem requirit, non lædit neceſſariò omnes actiones.

Conueniunt ergo omnes recentiores, quod actio quæ neceſſariò læditur, eſt actio pulſifica ſi in corde calor conſiſtat, mutatur enim pulſus in magnitudinem, celeritatem, & crebritatem, maiorea quàm ſtatui naturali conueniat: idem dicendum eſt ſi arteriæ afficiantur. Si verò in alia parte extra pulſantes febris eueniat, D neceſſariò aliqua actio earum lædi debet, cum ſit verè morbus; verùm nec Magiſter meus, nec alius quem legerim explicuit, quæ actiones neceſſariò lædi debent à febre, vt ſit verus morbus, nec eſt tam facile vt ipſi putant ſuſtinere, quod actiones illæ pulſus ſint ſymptomaticæ in rigore; videtur enim hæc doctrina omnino Galeno oppoſita *libro de differentiis ſymptomatum, cap. vlt.* Verba ſunt; *Aliqua enim quamuis etiam toto genere præter naturam ſint, veluti ſanguinis per nares profuſio, vel vomitus, vel ſanguinis deiectio, vel hemorrhoës, vel aliud eiuſmodi; tamen præter naturam adhuc non ſunt, ſi modò tempeſtiuè fiant: fiunt autem tempeſtiuè cum id quod contriſtat, expellitur; ſtante igitur de quo inter initia conuenit (nempe quæ ſymptomata læſiones actionum* E *ſint) nihil eorum quod ad animalis commodum fiunt, ex hoc genere ſymptomatum eſt: opus namque naturæ vnumquodque eorum potius eſt, quàm læſio aliqua.* Quæ doctrina ſi admittenda eſt, non poſſunt eſſe ſymptomaticæ actiones illæ pulſus, quia ſemper fiunt tempeſtiuè, & in hominis commodum vt conſtat, quia compreſſione fuliginoſa pelluntur, dilatatione verò aër ad cordis refrigerium & ſolatium trahitur. Quid ergo præter naturam in dictis pulſibus inuenitur, cum nihil quod tale ſit, commodum animali eſſe poſſit? Dices, eſt actio aucta, & maior quàm ſtatui naturali conueniat, & non fieret niſi morbus eſſet: & inde neceſſariò videtur ſymptomatica. Huic dubio Galenus occurrens citato iam capite, ſic ſcriptum reliquit. *Verùm hic attendendum*

dum diligenter est, vt accuratè distinguantur ab operibus symptomata, sæpe enim tam similia inter se sunt, vt & symptoma putetur opus, & opus symptoma. Ac nisi quis in hoc sano sit iudicio, ex iis in quibus ipse fallitur, nostram disputationem calumniabit. Quippe si naturalium excretionum (sic autem vocant eas quæ sanis accidunt,) vel quantitatem, vel genus ipsum substantiæ pro scopo sibi proponat, deinde hæc intuens symptomata iudicet, subinde fallitur. Quippe sudor aliquando multò amplior, quàm pro naturæ modo, vel alui deiectio, vel vrina ægrotantibus incidit, non solùm nulla actione læsa, sed etiam cum virtutis robore, & prouidentia de animalis salute, &c. Vides quam clarè & quam doctè relatam redaeguttonem diluit Galenus, non admittens quod actio intensior quàm statui naturali conueniat, appellanda symptoma sit, etiamsi ratione morbi celebretur, dummodo in bonum hominis & ad consequendam salutem à natura rentetue: & in omni euacuatione exemplum adducit.

Itaque illatio illa qua omnes ferè vtuntur, falsissima est, & Galeno aduersa: hæc actio non fieret nisi morbus adesset, ergo est symptomatica, quia expulsio materiæ morbificæ sine morbo non fieret, non tamen est symptomatica. Et ad maiorem huius veritatis stabilitatem adduximus nos *disputat. de sanguinis reiectatione*, actionem illam qua natura se reducit ad antiquam temperiem, ablato humore putrido, frigus enim ab insito principio productum & febrilis caloris corruptiuum, non produceretur à natura nisi morbus præcessisset & esset, & tamen nullus sanæ mentis audebit sustinere, quod reductio ad naturalem statum sit appellanda symptomatica, cùm terminus eius sit naturalissimus, & viuenti debitus, vt in statu salubri constituatur. Est ergo opus vt nos admonuit Galenus, quod opera naturæ perfectè operantis à symptomatis distinguantur, quoniam non quicquid fit ratione morbi est contra naturam, vt mereatur nomen symptomatis, si natura vt se à morbo liberet, tempestiuè operatur; est autem huius generis actio pulsus, quando magnitudinem, celeritatem, & crebritatem maiores apponit; omnes enim operationes naturæ rectè operantis, & tempestiuè, & in naturæ subsidium & commodum, quas *loco citato* à natura symptomatum Galenus exclusit, quod etiam in particulari exemplo nos docuit, 3. *epidemior. sectione* 3. *ægroto* 12. iis verbis: *Nam per naturam non vt morbi symptoma ventris vacuationem accidisse, ipse dilucidè iis verbis explicauit, &c.*

Nec obstat si dicas, per eas maiores differentias facultatem debilitari, & per consequens esse contra naturam. Sed contrà est, quia etiam sudoribus, deiectionibus, & aliis euacuationibus à Galeno relatis, non leue virium dispendium adiungitur, imo & maius multò, & non ob id symptomaticas Galenus iudicauit, quia hoc est omnino per accidens naturalitati actionis, quæ tamen dicit esse à principio naturali, & in naturalem finem consequendum, salutem scilicet, nihilque læsum intrinsecè in illa actione dari, præterquam quod censeo, nullatenus per motum pulsuum languorem aliquem contrahi; id enim nullus probauit, nec potuit congruam rationem talis languoris reddere, vt *tractatu de somno & vigilia* efficaciter vt censeo probaui. Vnde doctè Galenus *lib.* 2. *de facultatibus naturalibus, cap.*8. probauit, quod per illas mutationes pulsus, non languor, sed robur ventriculo accrescat. Verba sunt; *Verùm motus alteratio non modò ventris actionem non lædet, sed etiam illi conferet in illis animalibus, in quibus pro certo præsumitur plurimum ad concoctionem valere spiritum illum, qui per arterias in ventriculum incidit.*

Et si censeam adductam doctrinam probabiliter sustineri posse, verius iudico eas actiones symptoma-

A ticas dici posse, tum quia sunt signa essentialia morbi calidi cordis & arteriarum, quæ autem morbum ostendunt, non possunt non esse contra naturam; tum etiam quia Galenus planè vehementiam præternaturalem pulsus fatetur, numquam tamen vehementia potest esse nociua naturæ, quia semper inconuenientia motum impedientia aufert, vt per spatium idoneum cor, & arteriæ moueantur liberius. Neque obstat quod in viuentis commodum celebrentur, quia etsi hoc ita sit, fiunt nihilominus ob morbi vrgentiam, & sic non possunt non esse præter naturam, & sunt (vt insinuaui) illius signa necessaria, si facultas constet, & instrumentum obediat: nec est par exemplum aliarum euacuationum, quia nulla earum competit homini naturaliter in cer-

B ta mensura, & sic quando fiunt, possunt esse naturales etiamsi fiant ratione morbi: at actio pulsandi in certa proportione est naturalis, & per consequens non potest eam excedere nisi ratione morbi, & esse præter naturam, ita vt actio aucta verè sit si cum naturali conferatur; expulsio verò materiæ morbificæ, siue per aluum, aut lotium, aut sudorem, in nulla mensura est naturalis, hoc est non conueniunt homini, vt sano, & ideo quando fiunt, non excedunt limites naturales, sed sunt perfecta naturæ opera materiam morbi expellentia, quæ dum fiunt tempestiue, nihil symptomaticum includunt; pulsus verò quia in certa mensura magnitudinis, celeritatis, crebritatis, & vehementiæ naturalissimus est, non potest eam naturali-

C tatem amittere, quin præternaturale, & symptomaticum aliquid admittant, etiamsi in commodum hominis eliciatur, quia fiunt propter finem præternaturalem, nempe propter morbum calidum, & copiam malorem naturali fuliginum. Sed hoc adhuc habet difficultatem, quia etiam quando natura euacuat causam morbi, est operatio illa propter expulsionem rei præter naturam, & nihilominus, non est actio symptomatica, quia tota est in naturæ commodum: ergo etiamsi pulsus fiat ob morbi ablationem, non erit symptomaticus, quia tempestiuè semper fit, & totus est naturæ vtilis, & commodus. Et confirmatur in expulsione lapidis renum qui est morbus in numero, & actio illa symptomatica esse non potest in Galeni doctrina, quia semper est tempestiua, & cum naturæ

D commodo.

Non est minus difficile explicare, quæ actiones læduntur in aliis partibus: & mihi videtur primò, quod in sentientibus perfectè non potest esse essentiale symptoma sensatio caloris molesta in diariis febribus, & putridis, quia tales à causa dependent, in hecticis verò Galenus negat quod sentiatur calor. Res mihi tam dubia sicut quod non dependeat à causa, de quo suo loco erit sermo. Præter hoc signum, quod nullus notauit, Galenus 2. *de facultatibus naturalibus, cap.*8. scripsit ita: *Porro in febribus admodum vitiatur ipsa concoctio ventriculi, ob calorem illum præter naturam*; quod *eodem cap.* sæpe repetit, & *ad medium cap.* sic loquitur. At si febricitet, protinus concoctio redditur deterior; quod si

E ita est, & omnium aliarum partium coctio vitiabitur; nam nulla mihi minus apta vt lædatur, quàm coctio ventriculi apparet, quia cum alimenti maioris copia, & crassioris conditionis, pugnam contrahit, & per consequens resistit magis introductioni caloris præter naturam, & inde minus vitiatur. Sed hoc non obstat, quia si læsio nascitur ex spirituum defectu & agentis raritate, constat quod plus læditur agens, quod passum magis resistens vincere debet.

Verùm quomodo vitietur, magnum dubium est, nam non necessariò in nidorem, aut acorem mutatur, nec aliam extraneam, ineffabilemque corruptionem cibus adquirit; quid ergo præter naturam per febres cibus necessariò lucratur, vt malè sit coctus? Crederem ego

non reduci ad idoneum lentorem, & glutinosiorem, quæ conditio vt nutritio sit felia, iam necessaria est, vt sine illa cibus commutari nequeat, vt in hydropicis; lentor enim alimenti calorem soauem humidum cum sicco, lenta actione absque resolutione humidi superflua permiscentem requirit, hanc calori febrili naturalis admiatus exequi repugnat, quia celeri actione, & nimiè humidum resoluente operatur, ob coniunctionem cum illo: sic alimentum terreum ex parte biliosum, ex alia exsucce manet, & sine idoneo lentore. Accedit etiam partibus omnibus aliud secundum incommodum, vt infeliciter concoquant, attenuari nimirum & rarefieri, vt sic minus necessariò operentur: resoluuntur etiam magis quam deceat vitales spiritus ob eandem rationem, & quia ipsi catenuantur etiam, & inde influunt remissius. Plus verò digeri febritentium corpora quàm secundum naturam, extra dubium esse debet, ob eandem rarefactionem, & extenuationem, & sic disponuntur ad tabem: calor etiam immodicus idoneæ alimentorum retentioni vehementer obstat, quatenus feruorem concitat; est autem retentio vt prospera coctio fiat tam necessaria vt omnes fatentur, & tot occasiones febrilis calor vt mala coctio fiat, conuocat.

Sed si hoc ita est, qua ratione Hippocrates deiectiones & vrinas tam perfectas per febres vt in sanis admittit? eo enim probauimus non omnes actiones necessariò iri læsas à febre, nam si coctio ventriculi necessariò læditur, nequeunt excrementa tam sana vt in sanis esse, cum sint concoctricis effectus. Rursus si deiectio ab Hippocrate tradita significat (vt ipse dicit) quod venter infernus bene valet, non potest admitti quod laboret febre; sunt enim pugnantia bene valere, & febrire. Respondetur quod etsi febris dicatur morbus communis, non est quia omnes partes necessariò lædantur, etsi reuera lædi possint; vnde quamuis febris sit præsens, potest aliqua pars non ita valenter distemperari, vt aliqua actio lædatur, & illa non laborabit febre: potest itaque non ita venter inferior calere, vt coctio eius lædatur, in quo euentu nisi ad sensum molesti caloris confugias, rectè dices non febricitare secundum illam partem, quia in nulla actione læsio sensibilis percipitur. Idem de ossibus dices, quæ cum non sentiant & raritatem tam difficilè admittant, nulla læsio ipsis apparet, nisi quando vehemens incendium ægros molestat.

Ex dictis argumentorum solutiones liquent; nam vitalis spiritus dicitur instrumentum commune, non ob calorem, sed ob qualitatem: hæc verò à calore febrili nullo modo mutatur aut corrumpitur, & inde non læditur viuens necessariò in omnibus actionibus, immo ex parte vitalis qualitatis in nulla potest esse læsio in febris initio: calor verò non semper ita intenditur, quod omnibus actionibus incommodus sit, vt latè dictum & probatum est. Dicitur verò febris morbus communis, non quia omnes actiones, sed eam vitiat primò quæ à calore, in hac aut illa parte facilius læditur; nam cùm sit cuiusvis partis tam discors temperies & substantiæ modus, diuersæ actiones in eis detrimentum patientur prius quàm ob diuersam temperiem & conditionem natiuam à calore facilius lædatus.

Notat tamen Magister meus *folio 63. ad finem*, quod si quis ex propria temperie habeat actionem intensam vt duo, & accedente febre, actio illa intendatur, & sit per consequens in ordine ad propriam entitatem actio illa perfectior, tamen in ordine ad hoc subiectum est symptomatica, quia perfectio illa ex morbo, seu febre procedit. Quæ doctrina absolutè mihi non probatur, sed opus est distinctione; nam si ex actione illa intensiori sequatur terminus viuenti violentus, ac contra naturam, censenda est symptomatica, vt si

A retentrix intensior expulsionem excrementorum, aut alimenti distributionem remoretur: constat enim ex ipso termino præternaturalitas actionis, & principij operantis, quia sequitur læsio determinata, aut quod non expellatur quod debet tempore idoneo, aut quod non distribuatur alimentum; tamen quando actionis intensio nullam noxam homini infert, censeo non esse symptomaticam, vt quando homo plus videt, aut longius audit, aut differentias colorum & soni distinguit perfectius; in hoc enim casu vnde constat talis actionis præternaturalitas? Dices, quia ex morbo procedit. Sed dicerem ego, quod respectu illius perfectionis, non est distemperata pars, sed è contra vt decet temperata, quia quod in virtute animali & potentiarum
B continetur, naturale est, & inde quando nil præternaturale ex ea perfectione resultat, reducitur potius perfectio illa ad actum sibi debitum ab illa temperie de nouo adueniente, quæ respectu illius perfectionis sanitas perfectissima est, & pars illa non laborat febre in ordine ad illam actionem.

QVÆSTIO XI.

Vtrum diuisio febris, in diariam, putridam, & hecticam sit sufficiens, ita vt solùm detur triplex genus febrium.

C TAm diffusè quæstionem propositam, & tam indebita methodo Magister meus disposuit, vt absque magno labore ad idoneam dispositionem & methodum nequeat reduci. Quam vt intelligatis tenenda est communis Galeni & Medicorum doctrina, nempe quod ad febris rationem necesse sit, vt causa illius sit calida in facto, ita vt ab eo calore reduci nequeat ab insito principio, etiamsi causa calefaciendi primò remota fuerit, aut iam non sit, & hoc est quod Auicenna in definitione vltimari calorem appellauit, & ita, aut laboris calorem à ratione febris exclusit quando non vltimatus; ergo quando calor in spiritibus vltimatur, & cor, aut totum calent præter naturam, quia spiritus nequeunt à se calorem conceptum corrumpe-
D re, dicitur ea febris diaria; si verò calor in facto in humoribus sit, in corde verò & in toto in fieri, ita vt ab humoribus conseruetur, dicitur febris humoralis, seu putrida: si verò calor ille in facto in partibus solidis habitet, in reliquis verò substantiis in fieri sit, hectica febris nuncupatur. Est ergo quæstio si valeat hæc illatio; est febris, ergo aut diaria, aut putrida, aut hectica, vel non; sed dentur febres, quæ nullo dictorum membrorum claudantur.

Et quod dari possint, suadent multa. Sit primum, quando ex bubone febris excitatur, in quo humor collectus putrescens febrem producit, quæ diaria non est, quia calor non est in facto in spiritibus tanquam in causa, nec est hectica, quia non est in facto in partibus solidis; nec est putrida, quia non habet signa pu-
E tridarum, cruditatem nimirum vrinæ, nec pulsus coarctationem, aut acrimoniam caloris. Eandem partem confirmat febris ex lacte putrido, aut chilo in nidorem mutato, aut putrido, aut semine, aut excrementis tertiæ coctionis; nec enim est in spiritibus, aut humoribus, aut partibus solidis calor in facto: ergo neque est diaria, aut putrida, aut hectica.

Secundò; febris continens non putrida nulla ex dictis est; non putrida quia sine putredine admittitur à Galeno, & omnibus medicis; non diaria, quia non est calor in facto in spiritibus; non hectica, quia non est in solidis; ergo datur alia distincta.

Tertiò, quando brachium, aut aliud membrum extra cor putredinem concipit, febris inde orta non est diaria, nec putrida, vt constat; nec hectica, quia

cus

cor non est calidum in facto, sed calesit dependenter à calore membri putridi, quod est in doctrina Galeni contra naturam hecticæ febris: tum vrgentius, quia hectica febris in doctrina Galeni, simpliciter morbi indicatione curatur, & nulla indicatio à causa sumitur: at in membro sphacelato si eius putredo, aut pars putrida auferatur, febris cessat: ergo sumitur à causa curatoria indicatio, quod est extra rationem hecticæ.

Quartò, quando humor putridus euacuatur, & manet distemperies ab eo producta, distemperies illa non potest esse aliqua ex dictis febribus, quia nec pendet ab humoribus, cum euanuerint, nec à spiritibus, aut partibus solidis; ergo est alia diuersa.

Communis opinio est, quod diuisio in diariam, putridam, & hecticam, sit sufficiens, aut solùm sit admittendum triplex genus febrium. Ita noster Author in litera capitis exemplo parietum balnei, & aquæ eius, & aëris; nam si accendatur (inquit) febris in membris radicalibus accensione prima, sicut accenditur adustio verbi gratia in parietibus balnei, aut per follem ferrarij, aut per ollam coqui, tunc illud genus appellatur hectica febris; & si accendatur febris accensione prima in humoribus, deinde accendatur ex eis in membris, vt quando aqua calida in balneo effunditur & igniuntur latera balnei, aut ius calidum in ollam effunditur, & accendatur olla causâ eius, nominatur febris humoris. Quod si accendatur febris accensione sua prima in spiritibus, & vaporibus, deinde accendatur ex eis in membris & humoribus, sicut accidit vt perueniat ad balneum aër ignis qui accenditur in eo, & calefacit eius aërem, & peruenit ad aquam, & parietes; tunc genus illud febris nominatur ephemera, quoniam accensa est in re subtili, quæ resoluitur cum velocitate, & citò pertransit diem cum nocte sua, nisi conuertatur ad genus aliud febrium. Et addit quod hæc diuisio febrium est per modum propinquum diuisioni eueníenti per differentias.

Quam sententiam latissimè in huius capitis expositione Iacobus explicuit ex mente Rasis, Alexandri, & Galeni. Tenent etiam recentiores scriptores, & Magister meus, *fol.* 87. *ad finem.* Commune fundamentum est, & quia in nobis solum datur triplex substantia, in qua velut in causa calor insinuari, & esse in facto possit vt corpus calefaciat, & inde triplex tantùm genus febrium admittitur modo ab Authore explicato: non esse verò nisi triplex genus substantiæ, constat ex doctrina Hippocratis 6. *epid. sect.* 8. *text.* 13. iuxta diuisionem nostri Vallesij. Verba sunt: Continentia, contenta, impetum facientia. Quod etiam in eius loci expositione in quodam fragmento, etsi spurium putetur, Galenus docuit dicendo; ex hoc triplici genere, hoc est, ex continentibus, contentis, & spiritibus, corpus humanum constat, & latissimè eandem doctrinam tradidit *primo lib. de differentiis febrium, cap.* 1. *ad finem*, locum Hippocratis exponens dicendo, Continentia siquidem solida appellant, contenta verò humores, impetentia autem spiritus: in qua diuisione adæquatè corpus diuiditur, vt non sit excogitabilis alia substantia præter dictas, in qua calor in facto tanquam in causa febris possit contineri; & per consequens triplex genus solùm febrium datur. Vbi est notandus modus loquendi Auicennæ dicentis, quod si febris accendatur accensione prima in humoribus: non enim calor in humoribus febris esse potest, cum sit morbus, & vt talis subiectum viuens afficere debeat: loquitur ergo de accensione prima velut in causa febris, eodemque modo intelligendus venit de accensione prima in spiritibus, seu vaporibus. Non me latet esse controuersum, si sanguis vita fruatur: Verùm opinio quod non viuat, est vera, cùm nonnulli Philosophi plantis etiam vitam denegare ausi sint.

A Est tamen dubitare dignum, si quando dicit Author, quod si febris accendatur accensione prima in membris radicalibus, tunc illud genus febrium appellatur hectica, debeat intelligi ita quod calor iste qui in facto est in membris solidis, seu radicalibus, sit causa febris, & nullo modo febris? Si calor in facto in humoribus, aut spiritibus prima accensione productus, causa solum esse potest, non febris; Respondeo, quod in mea opinione, quam verissimam, etsi nouam, esse censeo, membra radicalia quæ prima accensione accenduntur, hoc est calor in eis vltimatur, & in facto est, solum sunt causa febris, in eis tamen febrem esse implicat. Ratio est quia calor qui febris rationem participat, semper esse debet in partibus viuen-
B tibus, quia vt nuper docui, est morbus; quæ verò putredinem, aut vstionem concipiunt ita vt calorem violentum corrumpere nequeant, iam mutarunt formam priorem, & aliam cui tali calor sit debitus, induerunt, & per consequens membra radicalia, in quibus accensio prima facta est, & in facto sunt calida, vitæ expertia cum sint, sunt per consequens causa febris, non febris, quod latius, & vt censeo efficaciter inferius demonstrabo singulari quæstione. Vnde deducetis (vt latè probabo *tract. de febre hectica*) quod nulla febris datur quæ calor in fieri non sit, hoc est, quod non dependeat à causa, ita vt intrinsecè dicat calorem in causa habitualem seu proprium, & independentem, seu in facto; idem enim hæc nomina signi-
C ficant in mea opinione; in partibus verò viuentibus, in quibus calor verè febris est, semper est in fieri, hoc est, à causa conseruante dependet, alioqui reducerentur statim.

Est deinde notorium, quod vt in febribus humoralibus datur duplex membrum; primum quod exquisitæ sint; secundum, quod nothæ seu spuriæ, vel illegitimæ; ita in diariis, & aliis datur ratio exquisitæ, & nothæ febris. Est verò duplex conditio necessaria, vt diaria sit legitima. Prima vt sit in spiritu, aut vaporibus, aut fuliginibus; secunda quod talia excrementa non sint eleuata ex succis aut humiditatibus crassioribus putrescentibus, sed materia earum febrium sit aut spiritus solus, aut fuligo ex partium ustione eleuata, aut vapor ex sanguine non putrido, quando ef-
D feruescit in opinione multorum: & quia quando calor in huiusmodi substantiis subiectatur, calorem suauem inducit; pulsum non coarctat, nec arterias grauat, & est maior dilatatio quàm compressio, nec mutat vrinam. Eodem modo quando aliquid, quod non sit spiritus, fuligo, aut vapor, putrescit, similia signa præstant diariam febrem, spuriam tamen, seu illegitimam causat, quia quamuis non sit vaporosa substantia, sed humor qui putrescit, inducit nihilominus accidentia & signa diariarum propria, quibus medici vnum genus febrium ab alio distinguunt; est ergo diaria, quia signa eius præbet. Spuria tamen, quia non spiritus, aut vapor, aut fuligo, sed humor crassior putrescit, sicut tertiana dicitur legitima, quando
E sola bilis naturalis putrescens causa est febris; illegitima verò, quando alij humori copulata tertianam causat, aut si bilis, quamuis sola naturalis non sit, sed ex speciebus præternaturalibus, tertiana suscitatur.

His suppositis dico, quod rectè sustineri potest, quod diuisio febris in putridam, hecticam & diariam sit adæquata: ergo sub aliquo genere, aut membro talis diuisionis comprehenditur, & per consequens in idem coincidit diuisio febris per primam accensionem in contentis, continentibus, & impetum facientibus, cum ea quæ diuiditur in diariam, hecticam, aut putridam. Ratio est, quia quando calor primò accenditur in vaporibus, aut fuliginibus, aut spiritibus, nullus negat, quod sit diaria, & similiter extra dubium fatentur omnes, quod quando est accensio

prima in solidis partibus, sit appellanda hectica.

Superest igitur tertium membrum, de quo magna digladiatio inter Authores datur, si nimirum febres ab humoribus, aut aliis succis putrescentibus ortæ, debeant esse necessariò aut diariæ, aut putridæ: nam si hoc probabiliter iuxta antiquorum Patrum decreta suaderi possit, manebit probata conclusio & eorum authoritate fulcita: id verò ex sacrariis Hippocratis primò deducitur, qui *lib. 4. aphor. text. 55.* scripsit: *Ex bubonibus febres omnes mala præter diarias*; quem aphorismum ineptè satis meo iudicio Galenus exposuit; dicit enim quod diariæ febres dicuntur tales ab Hippocrate, quæcumque sui ratione vna die durant: tales autem sunt ex tumoribus inguinum, quando ex causis manifestis consistunt. Expositio quidem omnino improbabilis, cùm inguinum tumores à causis manifestis suscitati, vltra diem, & per plures possint extendi, & per consequens febres eorum; & esse diariæ, quæ tales sint natura, etsi non constitutione. Vallesius verò ex tumoribus inguinum febres diarias admittit, quod etiam fecit 2. *epid. sect. 3. tract. 3.* in quo Hippocrates rursus scripsit, in bubonibus febres malæ sunt exceptis diariis, & qui in febribus bubones nequiores, in acutis ab initio decrescentes. Quod etiam Galenus tradidit 1. *ad Glauconem cap. 2.* dicendo: *& quæ ex bubonibus febres ortum habent ex hoc genere sunt*: erat enim sermo de diariis. Et idem retulit 2. *de differentiis febrium, cap. 5.* estque concors omnium opinio: ergo ex Inflammationibus, aut tumoribus præter naturam, & diariæ, & putridæ febres emanare possunt, ac per consequens febres inde ortæ, aut diariæ, aut putridæ erunt. Discrimen verò Princeps noster insinuauit *lib. 4. tr. 4. fen. 1. cap. 10.* in quo de febribus apostematum egit. Verba sunt; Et quod sunt secundum plurimum de genere febrium diei, eum apostemata ista secundum plurimum non proueniunt ad cor, nisi cum calefactione sua absque putredine; cum autem peruenit putredo earum ad cor propter suam magnitudinem, aut propter suam propinquitatem, fortasse non fit febris de genere febris diei: itaque quando humor inflammationis etsi putrescat, non tamen per totum corpus putridos vapores disseminat, sed intra locum inflammatum fuligo concluditur, tunc excitatur febris diaria, quia vt *loco citato* Auicenna docet, non peruenit ad cor nisi sola caliditas absque materia putrida; quod etiam docuit Galenus *primo de differentiis febrium, cap. 5.* per continui alterationem solam in dicto casu febrem creari docens, esséque diariam, quia signa omnia diariæ præbet antea à nobis relata; si verò ex materia inflammationis fuligines putridæ per totum distribuantur, & cor malè afficiatur, iam non diaria, sed putrida febris excitatur, quia arteriæ grauantur, & inæqualis fit pulsus, & vrina vitiatur ob mistionem vaporum & fuliginum, & calor cum acrimonia percipitur; nec est necessarium quod vrina semper vitiata appareat, etiamsi febris putrida sit, vt malè recentiores scriptores suadent, cum sæpe in malignis febribus inculpata vrina percipiatur, quas nullus esse propriissimè putridas hactenus negauit, cum sint continuæ, & inuasionibus afficiant, & vt pendentibus à putridis succis medeamur: & eodem modò philosophandum est in febribus ex putrido semine, lacte, aut chilo creatis, licet in iis frequentius sit febres putridas esse, quia cùm causa earum conclusa non sit, vt in bubonibus, facilè totum corpus vaporibus putridis repletur, & cor obruitur, quod in lactis corruptione passim experimur, excitat enim non contemnendas febres, & per plures dies repetentes, inordinatè satis affligendo; quæ verò ex satietate creantur diarias in duratione æmulari consueuerunt, intra diem enim finiuntur, nisi in malignas degenerent, vt solent.

A Quæ si bene intelligantur, argumentum primum cum suis confirmationibus solutum manet, nam si prædictæ res per continui alterationem solum calorem producunt, diariæ; si verò vapores putridos per totum dispergant, putrida febris suscitabitur, vt docuit Auicenna *loco citato*.

Ad secundum respondeo, quod febris continens non putrida est verè diaria, calor enim in facto in spiritibus & fuliginibus est, & quia sine magna plenitudine nunquam creatur, nec tanta copia vaporis & fuliginum transpirat, sanguis efferuescit, & sic intensa febris apparet; nam ab excrementis cohibitis sanguis efferuescit, à feruore rursus calefit, donec euacuata plenitudine, vaporibus, & fuliginibus vt transpirent, commoda via datur.

B Ad tertium respondeo, quod ex membro putrefacto excitatur hectica febris, quia est calor in facto in solidis partibus & continentibus, in fieri verò in corde, & in reliquis partibus esse debet in mea opinione, in qua etiam indicatio à causa adhuc in hecticis, si inueniri possit, dubium est. Magister meus *fol. 100.* in initio secundæ paginæ dicit, hanc febrem esse hecticam partialem, quia in parte solùm putrida datur calor independens, vbi partialem hecticam admittit, vt nos docuimus, & ipse antea proteruè negauerat, non possum tamen ei suffragari in hoc quod membrum putridum febre laboret, nam si in mea opinione viuentis forma priuatur, non potest esse morbi subiectum, & per consequens neque febris: est ergo causa febris

C hectica, quia calor in facto est in solidis & continentibus, in fieri verò in corde, & reliquis partibus, quam libentiùs hecticam spuriam appellarem, quàm hecticam propriè dictam. Hæc enim species marcoris est in mea opinione, quam etiam Galeni esse censeo, vt *proprio tractatu* videbimus. Nec de hac differentia hecticarum Galenus meminit, sed de illis quarum causa occulta est, & calore, & siccitate statim ad tabem disponit, indeque signa quibus hecticam incipientem Galenus inquirit, in membro putrido inueniri non debent, vt malè quidam dixerunt; non enim præter alia calor ab assumpto cibo efferuescit, nec est febris æqualis, etsi febrire sentiant ægroti.

D Ad quartum respondetur, quod calor febrilis post euacuationem humorum & fuliginum manens iam febris naturam deperdidit, quia intrinsecum ordinem ad causam actu existentem, & habentem calorem in facto includit. Vnde eo ipso, quod causa euanuit, formalitas febris vnà cum causa delituit, in quo à Magistro, & aliis scriptoribus dissentio. Nam alioqui cùm calor iræ aut laboris quando non vltimatur, febris non est, si sola caliditas sine causa à qua pendeat præsenti, verè febris dicitur. Nec obstat satis esse, quod ab humore putrido caliditas illa producta fuerit, vt febris putrida dicatur, nam si calor quando producebatur à causa calida, quæ nondum omnino computruit, neque erat calida in facto, non merebatur rationem febris, sed distemperiei calidæ, ob intrinsecum

E ordinem ad causam tali modo dispositam, constat planè quod si nulla sit causa, non possit esse febris, sed distemperies sola calida lædens operationes. Nec obstat Galeni testimonium ex *lib. 8. meth. cap. 1. circa finem* dicentis: *Itaque si iam præsens febris est, sed causa quæ eam excitauit, iam desiit, huic tamen sanandæ eius consilium dirigetur vt refrigeret*. Quibus planè fatetur febrem dari quando iam causa defecit: Respondetur, quod ibi loquebatur de indicationibus curatiuis exequendis, & quia similis indicatio ad refrigerandum à calore seorsim considerato desumitur, non curauit febrem aut distemperiem calidam appellare; vtitur verò attemperante extrinseco, etsi causa conseruatiua deficiat, quia citius frigus producitur applicatis auxiliis, quàm si à

natura

natura sola reductio fieret; metus enim esse potest, ne in eo spatio impressio caloris remanentis fiat, & noua febris exurgat.

Sed de tote putrido non leuis controuersia est, quam speciem febris generet in nostra opinione. Et respondeo quod est hectica, & inde eos sub membris continentibus comprehendi debet; nam etsi non viuat, est iam quid consistens, & minimè fluidum, aut vt sic dicam vacillans, vt humores, semen, & lac intra vasa, & per consequens se tenet ex parte membrorum radicalium, à quibus iam assimilari incipit, & fieri vnum cum illis: & quod febris ex totis putredine orta hectica sit, concors est multorum opinio cum Galeno; de quo *proprio tractatu* incidet sermo, & docuit noster Vallesius *libello de febribus*, *cap.2.* vbi ex maligna totis cordis putredine hecticam pestilentem creari docet, & in febribus de totis putredine absolutè loquens, idem tradidit.

QVÆSTIO XII.

De diuisione febris in febrem morbum & accidens.

NEc minus difficilis est huius quæstionis resolutio, ob authoris nostri doctrinam & aliorum dissidentes sententias: est enim difficillimum explicare, in quo formalitas febris symptomaticæ, seu accidentis collocanda sit. Pro cuius intelligentia notandum est, quod symptoma vt tale necessariò præsupponit, & quod morbus præcedat vt Author symptomatis, ita vt si morbus non esset, nec symptoma daretur. Rursus certum est, quod symptoma, etsi morbum necessariò præsupponat, non tamen illum requirit tanquam symptomatis productiuum: imo rarum est, quod symptomata aliquando ab ipso morbo immediatè producantur. Probatur clarè in læsis actionibus, & excretis, aut retentis contra naturam; actiones enim læsæ ab ipsis potentiis si quid ab anima distinctum sunt, aut ab anima ipsa immediatè procedunt, & eodem modo quæ contra naturam expelluntur, aut retinentur, quia hæc sunt termini actionum prius læsarum: quod verò aliqua symptomata à morbo effectiuè pendere possint, vt cum Galeno Medici putant, parum obstat: quia si vera & integra ratio symptomatis absque dependentia effectiua, à morbo saluari potest, impertinens erit, aut accidentale omninò, quod ab eo producatur. Rursus symptomata etsi eam dependentiam à morbo debent habere, quod sine illo non fiant, non tamen vt sine illo non sint, non quidem statim à morbi recessu euanescere debent, sed nomen symptomatum merentur, postquàm morbus euanuit si durent, quia non dicunt morbi necessariam coëxistentiam, sed solùm quod præcesserit. Est commune exemplum in calore auriginoso ictericiæ, post obstructionem vesicæ fellis ablatam, aut distemperiem calidam iecoris, aut totius iam emendatam, & in ipso etiam humore in cutem impacto constat, symptomata in retentis contra naturam constituente, postquam morbus à quo processit, extinctus iam sit: nam quod dixit Galenus quod symptoma sequitur morbum vt vmbra sequitur corpus, intelligendum est quantum ad primam creationem, non tamen quod durare accidens non possit etsi morbus non maneat. Ratio est, quia si verè probauimus symptomata non producí à morbo necessariò, ita nec ab eo in conseruari pendebit, & vt manet sæpe morbus absque causæ præsentia, sic symptoma absque morbi existentia manere poterit, quia non dicit maiorem dependentiam ab eo, quàm ille à sua causa.

Ex iis quæ in doctrina Galeni verissima sunt, sunt febres morbi tantummodo, & quæ verè accidentia seu

A symptomaticæ appellandæ sunt, nam quæ sunt solùm morbi, nullum alium morbum vt causam aut conditionem ante illas requirunt: quæ verò symptomaticæ aut accidentia dicuntur, tam necessariò antecedentes morbos requirunt, vt sint, sicut eos antecedenter exposcunt, quæ propriè dicuntur symptomata, quod non est intelligendum tam strictè; nam symptomata tam præcisè antecedentem existentiam morbi requirunt, vt absolutè sine illo esse non possint; febres verò quæ accidentales dicuntur, rectè dari possunt absolutè absque alterius morbi præexistentia: nam si diaria febris est symptomatica, quia cum morbo antecedente & ad eius generationem conducente necessariam habet connexionem, tamen absolute morbi talis antecedentiam
B non petit, quia sine illo ex alia causa quæ morbus non sit, pendere potest & ab ea produci: quod nunquam in symptomate datur; semper enim ad absolutam eius existentiam morbus præcedere debet.

Est ergo primò certum iuxta doctrinam traditam, quod febres omnes diariæ pendentes ex cutis densitate aut obstructionibus, sint symptomaticæ. Patet, quia pendent ex morbo symptomatum more, quia illas præcedit tanquam occasio proportionata earum creationi, & ablatis relatis morbis incipiunt sedari, & tandem finiuntur: sic Princeps in littera scripsit. Dicamus ergo propterea, quod febres apostematum, & oppilationum sunt febres accidentes, & Galenus 2. *meth. cap.2.* dixit, quod febris quæ ex sola obstructione ortum habet, ipsa obstructionis solutio, est febris
C sanatio. Quam doctrinam Scriptores recentiores sequuti, peculiare caput febri symptomaticæ ditant, & inter frequentiores causas tenacem viscerum, aut vasorum obstructionem recenset, vt constat ex Eustachio, Feroelio, & Sennerto. Idem dicendum est de febribus ab inflammatione aut tumoribus, aut abscessibus creatis: constat ex littera antea adducta, & est expressa Galeni sententia 1. *ad Glauconem* dicentis *ad finem cap.3. Et quæ ex inflammationibus fiunt, sunt veluti quædam accidentia partium phlegmone laborantium*: & 4. *aphor. in fine expositionis aphorismi* 66. scripsit: *Et cum Hippocrates in febribus dicit, morbos febriles intelligit, quando febres ipsæ sunt morbus, non sympto-
D ma partis alicuius, quibus & febrem morbum, & accidens admittit.*

Verùm notabitis accuratè, quod duplex diaria ex bubonibus, abscessibus, aut inflammationibus excitari solet. Prima per continui alterationem. Secunda producto calore in facto in spiritibus. Quælibet potest esse accidens. Sed proprius illa quæ per continui alterationem producitur, immediatè à morbo dependet, & nullam aliam causam sortitur: at quando in spiritibus calor firmatur, iam non dependet à causa inflammationis necessariò, sed ab ipsis spiritibus putridis, ita vt si inflammatio cessaret, non minueretur febris, si spiritus non dissipentur. Verùm quia spiritus exhalari necesse est, & paulatim febris remitti, si inflammatio deficiat, etiam hæc diaria accidens in-
E flammationis putatur, quia febrem præcessit vt causa, aut occasio eius.

Dubium maius est si febris putrida possit esse symptomatica? & respondeo affirmatiuè, quia si ex loco inflammato distribuatur fuligo putrida ad cor, erit ex mente Auicennæ febris putredinis, & erit symptomatica, quia ab antecedente inflammatione creatur, & cessat paulatim vt diaria resolutis fuliginibus si inflammatio deficiat, & sic veram rationem accidentis participat, vt participant ephemeræ.

Dico secundò, quod omnes febres putridæ per circuitus repetentes sunt symptomaticæ. Noua videbitur assertio, verùm mihi probabilissima & vera. Ratio est, quia semper præsupponitur morbus in parte determinata; aut in partibus antequam repetat.

Constat ex recepta Galeni doctrina & communissima, nimirum quod non dentur huiusmodi febres nisi focus determinatus detur, in quo succi corrumpuntur, & in opinione probabiliori ad febrium repetitionem duo vitia determinata requiruntur, vnum in parte mittente, aliud in recipiente, ad quam mittitur vt accessionem faciat; necesse autem est, quod in mittente sit vitium quod humores corrumpat, & cetrtus in recipiente, quæ propriè focum constituit; in foco enim, teste Galeno, semper seruatur calor præter naturam ad nouam reaccensionem humoris, vt per circuitus repetere possit, & per consequens si febris ex inflammatione pendens symptomatica est, quando fuligines putridos per totum distribuit, quia ex morbo antecedente creatur, & si inflammatio deficiat, resoluuntur paulatim, & tandem eradicatur febris more accidentium; sic febris per circuitus afficiens determinatam partem læsam, & morbosam supponit, quæ humorea corrumpat, & putrefaciat, cuius vitium si cessat, cessat statim paulatim accessio humoris iam putridi, & amplius non repetit, vt non molestat amplius febris quæcumque, quæ ab inflammatione pendebat: ergo si implicat febrium repetitio absque læsione antecedente & morbosa, quæ repetitionis & nouæ succorum putrescentiæ origo & causa sit, nulla repetitio dabitur quæ symptomatica non sit, quia ex priori morbo creatur, qui si non esset, non repeteret febris, quippe noua putrescentia succorum à priori morbo proficiscitur, vt eius accidens, & à putrescentia succorum febrit. Galenus *lib. 11. meth. cap. 2.* sic loquitur: *Quippe particula quam obstructio, aut putredo, aut phlegmone obsedit, febris ipsius veluti focus est*: & *lib. de marcore, cap. 7.* dicit: *Focum febris dico eam animalis particulam, qua prima suis ipsius solidis partibus immodica fuerit calefacta.* En quam clarè aut obstructionem, aut tumorem præter naturam, aut incendium in foco putredinis admittit, quoniam occasione succi putrescunt. Vnde sicut ad locum inflammatum humor moueri nequit, sine morbi illius creatione qui febrem antecedit, & ideo febris sequuta accidens dicitur, sic implicat quod humor repetitionem causans ad partem determinatam habentem rationem foci, moueatur absque morbi noui productione ante febrem ipsam; obstruitur enim & à prohibita ventilatione incenditur, sicque humor corrumpitur vt accessio fiat: quod vitium si in foco priùs non contraheretur, non fieret febris circuitio, quia succus confluens non putrefieret, sed tumorem aut obstructionem sine febre crearet, semel verò accenso humore in foco, non mundatur amplius omnino, sed vitium contraxit firmum, si repetitiones dantur, vt doctè Galenus monuit 2. *de differentiis febrium, cap. vltim.* Verba sunt: *Atque eodem rursus modo principium, ascensus, consistentia, declinatio alterius fit accessionis, nec hoc per circuitum desinet fieri, donec in prima particula superfluitates generante, seruatur affectus.*

Est verò huiusmodi affectus duplex; alter quidem imbecillitas partis ex qua fiunt superfluitates, alter verò qui eisdem quotidie genitis acetuatur; nec enim existimes in exterioribus istis vasis, in quibus elixatum obsonium nidorosum factum est, quandam relinqui dispositionem, nullam autem in partibus in quibus humores putruerunt.

Nec obstat si dicas, quod etsi hoc sit verum, non potest ea febris dici symptomatica, qua humor putridus propria curatione, & auxiliis indiget, etiamsi vitium in foco deficiat. Sed contra est, quia calor hictericus auxiliis etiam eget, etsi prior morbus ablatus sit, & dicitur nihilominus symptoma: ergo idem dicemus respectu febris, cum sit ratio par, præterquam quod portio faciens accessionem (vt in intermittentibus constat) absque vllo auxilio medico resoluitur: & idem in continuis subintrantibus contingit. Ablato igitur morbo qui in foco insuitur, cessabit febris omnino, quia sensim humor accensus resolutus euanescet; eodemque modo philosophandum est de morbo partis mittentis, si ipsa ob proprium vitium excrementa generet, & in aliam debiliorem mittat. Inde etiam consequenter dicendum est, quod si calor partis inflammatæ per continui alterationem humores vasorum corrumpat, à quibus febris etiam producatur, erit dicenda symptomatica; quia à morbo dependet & conseruatur, & ablata inflammatione, paulatim deficiet illa febris, quia humor putridus paulatim euaporabitur. Et idem dicendum est de humoribus obstruentibus, & in succis vasorum putredinem inducentibus, quæ si obstructio non esset, non induceretur in illis. Ratio probatur à simili ex dictis: Vnde Horatius Augenius *lib. 5. de febribus, cap. 3.* omnes febres quarum humores extra putrent, & subintrantes ad infebricitationem non peruenientes, symptomaticas esse dicit.

Ex quibus redditur ratio, ob quam non rarò in febribus putridis eueniat, quod cum vrina cruda cesset febris repetentia, & omnino absoluatur, quod quando hæc scribo bis expertus sum. Quidam enim cum vrina crassa, & intensè flaua, quam per totum morbum collegit inopinatè absque aliqua euacuatione iudicatoria liber remansit. Alius qui prius aquosam, & crudam habet, in medio morbi naturalissima fuit, & nihil minus aurea molestabat, imo quando ob vrinæ coctionem nubi solutionem spectabamus, absque vllo errato ex simplici tertiana duplex insurgit, & non sine admiratione: perseuerante verò tertiana duplici cepit paulatim calorem intensiorem lotium comparare, & sedimentum etsi paruum, ad flauum mutari, qua mutatione durante febris addita cessauit, & antiquior molestiùs affligit, mutato lotio & sedimento ad colorem flauiorem, quo facto inopinatè, & præter spem absque aliqua euacuatione febris euanuit. Ratio verò est, quia vitium quod erat in foco, deficit, aut per attemperantia & deobstruentia, aut resoluto humore in facto & obstruente, & sic absque vlla coctione prægressa, accessiones cessarunt. Primus æger recidiuam non habuit. Secundus verò in hoc ipso die in quo historias memoriæ commendo, liberatus est; nec est omnino improbabile, quod illud flauum sedimentum potuit esse portio humoris adusti, quæ in foco continebatur, & accessiones faciebat, quo deficiente cessarunt. Et præter hos duos relatos, laborauit alter tertiana notha, etsi pituitæ minima esset portio, & in quarta accessione consultatione facta dixit quidam si Galeno credendum est 2. *de crisib. cap. 3.* ante septem circuitus præsens morbus non finietur, est enim vrina intensè flaua, & crassa; non legisti, dixi *libellum de vrinarum fallacia*, & cum eadem prauitate aut inconcoctione vrina per aliquos dies durante, in ea quarta accessione morbus euanuit, nec amplius rediit. Potest itaque vitium, aut morbus partis creantis excrementa, aut trahentis moderari, & auferri, antequam vrina mutationem præternaturalem ex illo vitio, aut accessionibus prægressis contractam amiserit, & sic accessiones cum vrinæ prauitate cessabunt: infrequens tamen est hoc. Galenus 1. *ad Glauconem, cap.* dicit, absque vitio iecoris rarò tertianam, aut sine vitio lienis quartanam, aut quotidianam sine vitio ventriculi generari; significans febres repetentes symptomaticas esse, quia semper morbum in parte determinata supponunt, à quo originatur succorum putredo: cui morbo si nunquam succurras vt triuiales Medici faciunt, febrium longitudine si chronicæ sint, marcore ægri conficientur, aut breuiter si ex acutarum sint sorte. Quod diligentissimè nos Hippocrates per historias morborum vulgarium admonuit, partes internas malè affectas recensendo; & Vallesius in historias Philisci 1.

epidem

epidem. exposuit, dicendo; quod non datur, aut rarò febris acuta absque vitio interno alicuius partis determinatæ, & inde nunquam esse omittendam curam hypocondriorum, thoracis, capitis, vteri, renum, septi, aut vesicæ partem determinatè affectam accuratissimè inuestigando, vt ei velut radici affectionis subueniamus, in quo momentum & facilitas curationis consistit.

De hecticis febribus, tanquam indubitatum omnes supponunt, symptomaticas nullatenus esse posse, quod & de putridis etiam Vallesius noster *lib. 5. contron.* tradidit, & meo indicio nullæ magis quàm hecticæ symptomaticæ sunt, & à morbo contumaci partium internarum oriuntur: de quo argumento latius *tractatu proprio* tractabitur. Opinor enim, contra Galenum, & communem medicorum consensum, quod omnis hectica ab interna causa à viuente distincta necessariò prouenit, & eadem causa, quæ febrem diariam symptomaticam causat, hecticam faciet, si causa ipsa stabilis & fixa reddatur; vt si obstructio viscerum inconcussa ob aliquam ob aliquam occasionem reddatur, aut eorundem densitas altiores radices acquirat, aut aliud sit vitium stabile, & firmum, quod cum lenta febre corpus siccet, aut siccitatem simul cum calore inducendo, aut nutritionem impediendo. De quo argumento duo manifesta exempla nobis Galenus *5. de locis* 1. scripta reliquit. Primum in simia quæ sensim tabescens periit, dissecta verò tumor in tunica cor ambiente inuentus est ex squoso humore ortus. Secundum in Gallo, cuius cordis tunica scirrhoso tumore affecta erat, velut si plures crassæ membranæ altera alteri inuolutæ fuissent: in quibus affectibus si lenta esset febris vt esse potuit, & homo eis esset affectus, quis non iuraret hectica febre vitam egisse, cum lenta esset febris, & sensim tabescens.

Tandem inquirunt authores, si febris accidens potest esse intermittens? nam, quod possit esse continua, indubitatum est. Respondeo cuiusque rationis participem esse posse, & si verum est quod de repetentibus febribus docui, nimirum quod sint symptomaticæ, & plurimæ ex repetentibus intermittunt, erunt per consequens symptomaticæ intermittentes. Sic Princeps noster ex frigidis apostematibus renum intermittentes febres admittit, & ante illum Rasis. Sic diariæ ex obstructionibus repetunt, & intermittunt, quoniam sæpe obstructio, quæ ex se satis non est ad efficiendam febrem, quando alimentum distribuitur, & detinetur ab obstructionibus, augetur vitium, & febris suscitatur, donec alimentum distribuatur, & cessat tunc, quousque aliud nouum alimentum adueniat, & obstruat magis; nec implicat quod humor moueatur in partem aliquam quam obstruat, & febrem causet, resoluatur verò antequam noua obstructio succedat, tuncque intermittet, redit verò cedente obstructione. Et quod magis mirum videbitur est, quod Vallesius notauit 1. *epid. section.* 3. ex mente Hippocratis, qui postquam docuit quasdam febres intermittere, quasdam continuè molestare, dixit: *Accidit autem hoc fieri in omni febre, & in omni morbo:* quam sententiam Vallesius exponens, affirmat se vidisse exquisitam pleuritidem, quæ intermittebat, & per tertios dies repetebat velut tertiana; quo exemplo sententiam Hippocratis confirmauit, & de febribus symptomaticis à dolore excitatis dubitandum non est quod fiat intermittentes, vt ipsæ dolorosæ passiones intermittere & repetere solent: quod si iuniores Scriptores notassent, in tam absurdam sententiam cum Fernelio non venissent, omnem febrem symptomaticam, diariam, & continuam censentes.

A

QVÆSTIO XIII.

Vtrum febris in diariam putridam & hecticam diuidatur essentialiter?

PRo huius quæstionis intelligentia notandum est discrimen inter distemperiem calidam, & febrem, quando rigorosè & distinctè loquuntur authores & Princeps noster in definitione, quando calorem iræ, aut laboris non esse appellandum febrem docuit, si non vltimatur. Est verò communis Authorum omnium doctrina, quod vltimari calor non sit aliud quàm eum
B habere taliter causam febris, vt ab eo ab interno principio nequeat se reducere, siue causa sit spiritus aut humor, aut pars solida; quando verò calor extraneus in relatis substantiis tam impressus non est, vt ab eo ab insito principio liberentur, seclusa causa eas substantias alterante, distemperies calida in corde & partibus viuentibus producta, non est appellanda febris, sed morbus calidus, aut calida distemperies. Vnde distemperies calida morbosa, in eam quæ febris non est, & in eam quæ est febris, immediatè, & propriè à Medicis diuiditur; opponuntur verò membra diuidentia, quia vt diuisum contrahatur ad esse febris, essentialem ordinem dicit ad causam caloris productiuam affectam determinato modo, nempe calore independente; reliquæ verò distemperies calidæ, aut à causa non pendent,
C aut si pendent, non sunt calidæ in facto, sed in fieri, & per consequens ipsæ statim se ab eo calore deponeant, & viuens etiam consequenter. Rursus calor dependens à causa calida in facto, diuiditur in febrem diariam, putridam, & hecticam: sic diuido febrem, quia in mea opinione omnis febris à causa modo dicto affecta dependet, vt *cap. de hectica* probauimus. Est ergo dubium, qualis sit ea diuisio, an accidentalis, an verò essentialis?

Communis doctrina est, quod ea diuisio sit accidentalis, quia est diuisio effectus in causas: est autem omnino calori febrili accidentale, quod ab hac, aut illa causa producatur: calor itaque in febrei partes viuentes informans semper est eiusdem speciei infimæ. Vnde
D non potest diuidi, nisi aut in plura indiuidua vt species, aut in causas diuersas, à quibus producitur, ratione quarum medicè distinctas indicationes præbet, & curationi maximè necessarias. Quod si Galenus diuisionem traditam per materias seu causas febris maximè propriam appellauit 1. *de differentiis febrium cap.* 1. id docuit non quia sit essentialis diuisio, sed quia datur per id quod vsibus medicis magis inseruit, ob diuersas omnino indicationes oriundas à diuersitate materiæ putridæ, vt constat ex magno discrimine auxiliorum conducentium pro curatione diariæ, respectu putridæ, & earum respectu hecticæ. Addit Vallesius *in scholio cap. 1. citati*, quod illa diuisio fuit maximè propria à Galeno nuncupata, quia datur per subiecta quæ calor vt est
E accidens propriùs, tanquam quamlibet aliam proprietatem respicit, quia calor potest esse mordax, & non esse, intensus, aut remissus; at sine subiecto nunquam datur, & inde hæc diuisio per diuersa subiecta si cum aliis conferatur, maximè propria meritò dicitur.

Sed altiori consideratione, & magis methaphysicè hoc placitum consideratum, non leues patitur difficultates, etsi communissimum sit. Videtur enim quod illa diuisio sit essentialis, quia datur per conditionem tam essentialem cuique membro vt sine illa constitui non possit; nam putrida febris ita dependet à succorum putredine, vt sine illis constitui non possit, & diaria ita includit intrinsecam dependentiam à putredine spirituum, vt quatenus exquisita est aliam causam ha-

A ber: non poſſit: eodemque modo hectica partium ſolidarum putredinem reſpicit, aut cauſam tam firmam, quod moueri, aut nullo modo, aut multo negotio poſſit. Et ratio à priori eſt, quia quatenus febris eſt morbus calidus, conuenit genericè cum quauis alia calida diſtemperie. Vnde ſicut eſſentialiter contrahitur ad eſſe febris diſtemperies calida per hoc, quod eſt dependere à cauſa calida in facto, & aliter eſſentia febris nequit conſtitui, ita vt eſt febris diuerſa, diuerſum ordinem & intrinſecum, ad diuerſum principium includit, & dicit, ita vt diaria exquiſita aliter nequeat conſtitui, nec poſſit intelligi, quàm per calorem viuenti morboſum à ſubſtantia ſpirituoſa, vaporoſa, ſeu fuliginoſa productum, quia proprietates huius febris, per quas eius natura agnoſcitur, & eius eſſentia conſtituta intelligi- B tur, per talia accidentia à ſolo calore à tali cauſa producto emanère poſſunt; eodémque modo de febre ex humorum putredine philoſophandum eſt, cuius proprietates iam eſſentialiter dependent ab humoribus putridis, vt ſine illis eſſentia eius conſtituta nunquam agnoſcatur. Sic hectica nunquam venatur niſi per calorem fixum, & ſtabilem, continuum, non intenſum, nunquam acceſſiones habentem, perducentem interim ad tabem, hecticum inducentem pulſum, corpus colliquantem, languorem virium ſtatim cauſantem, non immutantem vrinam, dilatationem maiorem compreſſione inducentem, & cuius natura ſit talis, quod poſt duas horas ab aſſumpto cibo nouum incrementum ſuſcipiat; ob quæ accidentia tam intrinſecum ordinem C ad cauſam ſtabilem, & per modum habitus efficientem dicit, vt ſine illa in eſſe hectico talis calor nequeat conſtitui, ac per conſequens vt nemo dicit, quod eſt febri accidentale, quod calor morboſus à cauſa calida in facto dependeat, vt ex definitione conſtat, ita non poteſt eſſe accidentale diuerſæ naturæ febris, quod à cauſa determinata oriatur, quia diſcrimen ab aliis aliter nec eſſe, nec intelligi poteſt. Itaque conceptus formalis febris ſecundum hanc determinatam rationem, compoſitus eſt ex calore lædente, & cauſa productiua illius determinata, quæ tam neceſſaria eſt ad eſſe illius, vt calor. Et hæc ratio communis diuiditur in diariam, hecticam, & putridam, per reſpectus intrinſecos ad cauſas diuerſas in facto calidas, & hominem lædentes, D vt explicatum eſt. Quis enim audebit negare, quod febris tertiana exquiſita differat ſpecificè ab hectica, aut diaria, quia tertiana intelligi nequit abſque repetitione per tertios, quod continua non ſit, à bile naturali putrida pendeat, quatuor tempora in qualibet acceſſione pertranſeat, & vltra horam duodecimam moleſtare non poſſit, quorum nullum in hectica datur; quod non aliter contingit, niſi quia tertiana exquiſita vt talis, non dicit calorem ſolùm lædentem, ſed productum à tali cauſa, quæ illa accidentia ſecundum propriam naturam, & rationem intrinſecam ſuſcitare debet; ſic tertiana exquiſita à ſpuria, & illegitima eſſentialiter differt, quia ſpuria dicit reſpectum intrinſecum ad duos humores vt cauſam, aut ad ſpecies bilis præternaturales, ſine quorum exiſtentia implicat conſtitui tertianæ E illegitimæ proprietas, & natura. Quod confirmatur in ipſa cauſarum complicatione, quæ ſola ſatis eſt, vt aſſeueremus conſtanter febres complicatas eſſe, quamuis aliqua ex cauſis nullum calorem producat, vt ſi eſſet ardens continua, & putreſceret pituita, horrorem leuem inducens cum aliis ſignis intermittentis quotidianæ, verè dicimus eum ægrotum duplici febre laborare, etſi nullus calor à putreſcente pituita in corde, aut aliis partibus produceretur, quia intenſior multò à febre ardente productus ſupponebatur. Quinimo, idem numero calor, qui diariam conſtituebat, ſi antequam deficiant ſpiritus, producatur in humoribus putredo, & poſt reſoluantur ſpiritus, febrem putridam conſtituit, quia iam dependentiam, & vt rigoroſius loquamur,

A formam mutauit: quippe certum eſt ex Metaphyſicis, quod id, quod vt communius ad aliud præſupponitur, ſe habeat vt materia, aut ſubiectum; illud verò quod particularius eſt, ſe habeat vt forma, ac per conſequens calor, qui quid communius eſt ad febris naturam, & eſſentiam, per dependentiam illam à cauſa calida præter naturam in facto tanquam per formam contrahitur, aliud eſſe non habet, vt eodem modo diaria aliud non habet, niſi à calore in facto in ſpirituoſa ſubſtantia dependere, & inde quatenus diaria, non poteſt in putridam permutari, nec putrida vt talis in hecticam, nec econtra, quoniam ordinem intrinſecum dicunt ad res ſpecie differentes. Vnde conſtat quod ratio generica (ſuperior tamen) febris conſtituitur per calorem lædentem operationes, inhærentem tamen cauſæ febris B independenter, & diuerſum febrium genus infimum per calorem lædentem ab humoribus, aut ſpiritibus, & vaporibus, aut partibus ſolidis, ita vt natura communis aliter conſtitui non poſſit: nec particularis, niſi in ordine ad dictas cauſas, ex quarum varietate variatur etiam febris natura, & in diuerſas ſpecies diſſecatur, quod Princeps noſter reſpiciens dixit *cap.* 1. quod interpretamur, quod huiuſmodi diuiſio eſt per modum propinquum diuiſioni euenienti per differentias. Ratio eſt, quia immediatè, & intrinſecis conſtitutiuis rationem genericam diuidit & contrahit.

Sed dices, calori eſt omnino accidentale, quod inhæreat huic, aut illi ſubiecto, ac per conſequens vt eſt accidentale, quod ſubiectum viuens informet, & C ſit in cauſa illius productiua independens, erit etiam accidentale omnino, quod febris appelletur, & in diuerſas ſpecies diſſecetur. Reſpondetur, quod huiuſmodi differentiæ ſunt intrinſecæ, ſuppoſita communi doctrina authorum non admittentium calorem tanquam febrem, niſi ſit contra naturam, & à cauſa dependeat calorem in facto habente, quoniam effectus naturales febrium non poſſunt aliter euenire, vt mox dicemus. Vnde ſicut non admittitur eſſe animal niſi quod ſentit, & mouetur, neque viuens quod non augetur, decreſcit, aut habet in ſe aliquod principium motus intrinſecum, & inde formalitates diuerſas concipimus, quibus hoc in eſſe animalis, illud in eſſe viuentis conſtituitur: ita quia medici febrium effectus niſi à cauſa ha- D bente calorem in facto creari non poſſe viderunt, ratione ratiocinata aſſeuerant, calorem febrilem ex propria natura petere, quòd eius cauſa ſit calida in facto, hoc eſt independenter ab alio agente extrinſeco, & in hoc differre à quauis alia diſtemperie calida rationem febris non induente. Et iuxta hanc opinionem dicendum eſt, quod hectica febris non includit ſiccitatem tanquam eſſentiale conſtitutiuum hecticæ; ſed tanquam inſeparabile, & neceſſariò coniunctum.

QVÆSTIO XIV.

De aliis diuiſionibus febris.

E PRæter relatam diuiſionem, aliæ ab authoribus, quorum cognitio neceſſaria eſt, adducuntur. Prima adducitur à Galeno in fientem, & factam febrem diuidente 8 *meth. cap.* 1. Facta in opinione omnium eſt hectica; fiens, quæ talis non eſt, nec hectica verè dicitur, quia à cauſa non pendeat, vt malè quidam, ſed quia cauſa eius firma, ſtabilis & inconcuſſa, ferè eius ablationi firmiter reſiſtit, ob quod Valleſius hecticam, habitum, alias verò diſpoſitiones appellauit, & ſpecie differre docuit, vt habitus & diſpoſitio ſpecie differunt. Rurſus febris alia eſt ſimplex, alia compoſita. Simplex dicitur, quia non eſt complicata cum alia, aut quia pendet ex vnica tantùm cauſa. Compoſita dicitur quando ſimul duæ febres moleſtant, aut à duplici cauſa dependet:

pendet : simplicitas enim vnioni duorum directè opponitur. Rursus febris alia continua, alia est intermittens; illa dicitur, quia nunquam cessat : intermittens verò quia datur tempus, in quo æger sensibiliter febre vacat, intermittere enim est propriè cessare; de quibus dixit Hippocrates 4. *aphor*.43. quod quomodocumque intermiserint, significant abesse periculum. Aphorismus quidem mihi satis difficilis, vt nullus sensus authorum mihi satis arrideat; nec probatur, nam communis sensus authorum, nimirum quod tempore intermissionis possit facultas instaurari, & causam morbi debellare, absurdus est, vt quotidie experimur. Et ratio est clara, quia maior potest esse dissipatio virtutis in longissima, aut vehementi accessione, quàm instauratio tempore intermissionis, vt tandem, aut accessionum longitudine, aut vehementià reiteratis, virtus omnino superetur; & absurdius sentiunt, vt sentit Vallesius cum hac expositione, quòd febres subintrantes sint intermittentes, cùm tam frequens à subintrantibus febribus interitus hominum conspiciatur: quod enim tempus in subintrantibus concoctioni humorum, & virtutis reparationi accommodatum inuenitur? nullum quidem, cùm priùs noua accessio quàm prior deficiat, molestare incipiat. Nec Galenus eam rationem tradere ausus fuit, securitatem enim intermittentium in duas causas reduxit, aut quod non dependeant ex inflammatione aliqua, nec ex maligna humorum putredine. Primum admittamus. Secundum verò vnde constat? cur enim materia intermittentium malignè vt continuarum putrescere nequit? Rursus mortis origo non ex inflammatione sola, aut humorum maligna putredine pendet; ergo ex aliis causis necare poterunt, vt necant continuæ. Sed ratio aphorismi alibi à nobis tradetur, & vt mihi non probatur, quod eo ipso quod febres intermittant, periculo careant, sic dissentio quod eo ipso quod sint continuæ, sint periculosæ, vt omnes communiter docent, & docuit Vallesius *in expositione aphorismi*; continuitas enim periculum necessariò secum non affert, constat planè ex Hippocrate 3. *progn. text*.2. dicente; *mitissimæ enim febres, & signis firmatæ securissimis quarto die cessant, aut prius*. Vbi de continuis plane loquitur, & mitissimas vocat, quia nullum prauum morem ostendunt, ex quo mors metuenda sit. Sed omnia signa mortem significantia defecerunt, ac per consequens, quæ periculum præsagire poterant; non enim periculum cum indiciis securitatis esse potest. Galenus verò in eius loci expositione, si securitatis indicia extiterint, vltra primum quaternium febres non posse procedere docet: ergo si febris continuitas prauum morem, & rationem omnem periculi excludere potest, non pendet à continuitate periculum, sed ex aliis principiis, vt loco principe affecto, aut prauitate succorum, aut maligna putredine, aut vehementia, & longitudine accessionum, aut vitium in ordine ad morbum defectu, quæ omnia in intermittentibus inueniri posse, negabit nemo, vt quotidie experimur, & per consequens periculosas esse posse, quod ingenuè fatetur Galenus 1. *ad Glauconem*, vbi *c.de tertiana notha* dixit, non esse omnino securam, nec qui putant continuitatem semper cum periculo dari, ex Hippocrate rectè colligunt, qui 1.*epid. sect*.3.*text*.3. scripsit : *Sunt autem acutissimi, maximi, grauissimi morbi, ac præ cæteris omnibus lethales in continua febre:* quod nos fatemur; non est tamen sensus Hippocratis, quod omnis continua febris acutissimos, maximos, grauissimos, ac præ cæteris mortales morbos necessariò sibi associet; sed quod in continuis tales inueniri soleant, quod planè in fine expositionis Galenus tradit, dicendo: *Quod si quis orationem intelligat de solis Synochis habitam, eximere videtur alias continuas, seu non periculosas, nec vehementes, aut acutas:* quem sensum cum non reprobet Galenus, continuas extra periculum planè concedit.

Intermittentes rursus subdiuiduntur in quotidianas, tertianas, quartanas, quintanas, & septimanas, dicunturque tales, quia aut quotidie repetunt, aut per tertios, aut quatuor dies, non vt alij putant, quia ex humore determinato pendeant; nam continens ex bile (si datur) nulla ex dictis est, nec septimana, aut quintana ab alio humore excitatur, nisi à quo quartana, aut quotidiana fiunt, & in tertiana notha per tertios dies pituita repetit, & talis non est tertiana & quotidiana simul; & in mea opinione quilibet humor potest quotidie, & per tertios, & quartos repetere, vt proprio loco videbimus: in continuis similes repetitiones admittuntur vsque ad quartanum circuitum, longiores verò cum continuitate, nec vidi, nec qui viderit legi aut audiui, quoniam materiæ crassities lentè congeritur, & paucissimæ euaporationis est, & inde breui accessio finitur; sunt etiam continuæ febres, quæ in vnica tantum accessione finiuntur, vt exquisitæ diariæ, & continentes; nunquam enim repetunt; cur verò diariæ exquisitæ continentes non sint, proprio loco dicemus.

Deinde tertiana, aut quotidiana, aut quartana, vel est exquisita, vel notha: illa dicitur, quia à bile naturali putredine infecta creatur, vnde duplex ratio spuriæ insurgit, aut quia bilis præternaturalis putrescat, aut quia cum bile naturali putrida, alius humor ad accessionem simul concurrat, eodémque modo in reliquis philosophandum est.

Deinde febres omnes, aut malignæ sunt, aut simplices, siue mites: illæ dicuntur, aut quia præter calorem detur simul venenosa & contagiosa qualitas, aut quia ab alio principio praui sit moris, de quo *tractatu proprio* incidet sermo. Rursus febris aut est acuta, aut non: illa dicitur quæ est celeris motus, & cum periculo, vnde omnes longæ febres etsi sint periculosæ, non putantur acutæ, vt hectica, nec quæ sunt celeris motus acutæ sunt, si periculo careant, vt diariæ exquisitæ. Sunt enim breues, non acutæ. Rursus aliæ sine accessionibus sunt, hoc est præter accidentia sibi necessariò debita, non inferunt alia; sunt verò aliæ cum accidentibus, & interdum grauissimis, de quibus Galenus 1. *ad Glauconem cap*.14. & Hippocrates *in prorrheticis*, & *in coacis prænotionibus*, per innumeros textus, & *in prognosticis*. Aliæ febres sunt longæ, vt quartana autumno superueniens, de qua Hippocrates 2.*aphor.text*.25.dixit; *Æstiuæ quartanæ magna ex parte breues, autumnales longæ, & maximè quæ hyemem attingunt*. Aliæ sunt breuis constitutionis, *vt diariæ febres, & omnes acutæ, & magis peracutæ, & biliosæ præ cæteris humoralibus*. Vnde Hippocrates 1. *epid. sect*.3. dixit; *Tertiana exquisita celeris indicationis, non lethalis*. Est rursus febris alia diurna, alia nocturna. Diurna dicitur, quæ accessiones per diem habet, teporem verò, seu declinationem in nocte; nocturna econtra quæ teporem in die, paroxysmos in nocte, de quibus Hippocrates eodem loco scripsit: nocturna non valde lethalis, longa autem, diurnâ longior; est autem quibus & in tabem repat. Quam sententiam Princeps noster transtulit, estque etiam doctrina satis difficilis proprio *cap*. examinanda.

QVÆSTIO XV.

Quid intelligatur per calorem in facto.

IN præcedentibus insinuauimus non semel, quod calor in facto dicitur apud medicos, qui in causa febris in habitu, seu in dependentia est. Sit exemplum calor iræ in sanguine ex eius feruore contractus, de quo in definitione febris dixit Princeps quod talem rationem excludit, quando non vltimatur, hoc est quando spiritus & sanguis ab iræ motione incalescunt, ita vt sedata

data passione calor per illam acquisitus remitti statim incipiat, & viuens attemperari: si verò calor conceptus tanquam fixionem & stabilitatem acquirat, vt nequeant spiritus talem calorem expellere, lædátque actiones, producendo in viuens calorem morbosum, tunc calor viuentis merito febris dicitur, quia vltimatus in causa est, seu in habitu, seu independenter, & alium calorem actiones lædentem producit. Et contraria ratione calor in fieri dicitur, quando est in aliquo subiecto cum dependentia à causa extrinseca, taliter, quod si illa deficeret, inciperet subiectum calorem illum corrumpere; talis naturæ est calor in aqua, quæ si calefaciens extrinsecum absit, calorem illum ab insito principio corrumpit; & est hæc expressa Galeni doctrina 1. *de differentiis febrium*, *cap.* 1. dicentis: *Neque enim parum refert, si calescere dicamus, aut calefactam esse.* Et in aliis translationibus legitur; *neque enim parum differt aliquid incalescere, aut incaluisse*; dixerat enim paulò ante, *cum sola aërea substantia sufficienter incaluit, humores autem & solida corpora calescant quidem adhuc, nondum autem sunt calefacta, &c.* In cuius loci expositione dixit; *Quandoquidem cum calor factus sit, qui est in habitu non pendens ex causa, &c.* Vnde constat, quod incaluisse non significat temporis prioritatem, vt malè quidam putarunt, respectu incalescere, sed esse calefactum, aut incaluisse, significant habere calorem independentem, ita vt ab insito principio rei sic calefactæ reductio ab eo calore fieri non possit. Cur verò requiratur huiusmodi conditio in causa febris, explicuit nullus à priori; infertur tamen ex febris duratione, & ex temporibus accessionum, quæ non adessent, si in causa febris calor habitualis, seu independens non esset; exempli gratia irascatur aliquis, aut vehementius, & longius exerceatur, incalescit nimis, & si calor acquisitus de nouo in nulla corporis substantia firmatus & in facto sit, statim quod ira aut motus cessant, incipit calor diminui, quia statim incipit corpus quodlibet præternaturaliter calefactum infrigidare se ab insito principio; neque amplius calor intenditur: verùm si aliqua substantia calorem in facto contraxit, etsi motus cesset, non cessat calor, quin potius noua febris accenditur, quæ incipit, augetur, summúmque vigorem acquirit, & tandem declinat, quæ ex ordine non euenirent, nisi causa calefaciens, firma, stabilisque esset, & calorem independentem sortiretur. Ex duratione itaque, & modo affligendi deducendum est, quod calor in causa habitualis sit, & irreducibilis ab eo, sicque corpus alterat quousque a proprio calore extenuata resoluitur, aut à corpore pellitur. Vnde non iudico verum, quod calor in facto requiratur, quia febris requirit certam durationem, & permanentiam, vt Magister meus *folio* 91. putauit. Sed contra ex permanentia, & duratione infertur, quod causa eius calida independenter sit, & si vulgus nullum febrientem censet qui longo tempore à calore afflictus non sit, ex ipsa hominum existimatione calor in facto requiritur, quia nulla causa interna longo tempore affligere potest, quin calorem factum contraxerit, quia si talis non esset, statim se infrigidaret.

Nec obstat quod Galenus 2. *meth. cap.* 3. medicos putantes durationem esse intrinsecam conditionem ad rationem morbi reprehendat, quia alioqui (inquit) non diuideretur bene morbus in longum, & breuem; ergo febris non petit vt conditionem intrinsecam quod duret, quia cum sit morbus poterit esse breuis. Argumentum quidem friuolum satis. Respondetur tamen, quod morbus in communi solum petit, quod lædat sensibiliter, siue breui, siue longo tempore; quia verò multorum morborum breuis est constitutio, aliorum verò longa, ideo si secundum totam constitutionem considerentur, diuiduntur optimè in breues, & diuturnos: est enim differentia morborum in communi

A contrahens. Vnde febris quia particularem morbi speciem constituit, requirit vt febris quod non exposcit morbus in communi, quod planè insinuauit Galenus *de differentiis febrium cap* 3. dicendo: *Quod si ita contigerit, vt ea corpora, quæ in se caliditatem admiserunt, longo eam tempore retinere naturâ apta sint, licet cordis motus sedetur, in hisce tamen remanet calor præter naturam, atque inde hominem febricitare est necessarium.* En quam clarè Galenus dicit, quod si apta sint corpora vt longo tempore caliditatem retineant, febrem superuenire sit necessarium: longum ergo tempus Galenus requirit vt calida distemperies sit febris, & eo ipso requiritur quod calor in causa habitualis sit, vt febrem producat; addo ego, quod etiam in causa peculiaris duratio requiritur, B cum accidentia aliam durationem quàm subiectum habet, habere implicet.

Ex dictis duo notabitis. Primum quod nulla sit febris quæ à causa non pendeat, taliter quod sine causa intelligi nequeat. Ratio à priori est, quia si petit eam durationem quam omnes admittunt, & Galenus *loco nuper citato* tradidit, & calor febrilis debet esse in partibus viuentibus, quibus violentus necessariò & contra earum naturam est, durare non poterit, nisi causam ipsum tuentem & conseruantem habeat, quia viuentis forma si causa conseruans abesset, eum calorem statim corrumperet; nec enim calor ille minus contra naturam viuentis est quàm aquæ, quia ab intrinseco principio productus passo non conferente vim: ex quo secundum deducitur, nimirum quod omnis febris sit calor C in fieri, hoc est dependens, & per consequens cuicumque calori in facto ratio febris repugnat, conuenit tamen ratio causæ quando ad lædendum sufficienter alterat, quod latius sequenti quæstione explicabitur.

Nec obstat si dicas, quod calor conseruante causa non egeat, quia est qualitas permanens, & per consequens semel productus si non deficiat subiectum aut contrarium corrumpens adueniat, permanebit semper: nam etsi admittamus quod sit permanens qualitas, indiget nihilominus conseruante extrinseco, quia cùm sit violentus subiecto, ab insito principio reducetur: est enim notorium discrimen inter calorem, & lumen, quod calor semel productus nunquam deficiet, etiamsi deficiat conseruans, nisi per defectum subiecti, aut ad-D uentum contrarij: at lumen statim ac producens, & conseruans deficit, corrumpitur, quia indiget actuali concursu conseruante: quod intimè assequutus Galenus 7. *de placit.* duplicem effectum lumini tribuens, vnum successiuum, alium permanentem appellat. Successiuum appellat lumen productum, permanentem verò calorem, quoniam hic non corrumpitur defectu conseruantis, sed manet; lumen verò econtra, statim enim eius desitio succedit ac luminosum deficit; appellat verò successiuum non quia in tempore aut successiuè per se producatur, sed quia morem successiuorum obseruat, nimirum quod vt successiua nunquam sunt nisi adsint agentia actu influentia, eodem modo lumen requirit lucidum actu influens, vt duret, iuxta quam do-E ctrinam si aër in statu naturali, & in vacuo constitueretur, & ab igne alteraretur, nunquam calorem illum à se depelleret, quia in opinione Philosophi nulla frigiditas in aëris forma continetur, à qua corrumperetur calor ille, & cum sit qualitas permanens, durabit donec contrarium adueniat calorem corrumpens, aut subiectum destruens. Neque rectè inferas, quod aër in dicto casu in Instanti corrumpetur, quoniam si non habet aliquid frigoris, fiet in summo calidus in instanti, quia cùm non detur contrarium, totus calor ignis & summus producetur, cum quo aëris forma nequit stare. Sed id non obstat, quia falsum est, quod summus calor in aëre sit producibilis, quoniam nullum agens tantum quantum habet, producit, & datò quod produceretur in instanti, non corrumperetur aër, quoniam nulla forma

introduci

A introduci posset; nunquam verò prior forma desinit esse, quin dispositio adæquata & vltima pro forma noua detur in materia: in casu verò adducto datur nulla in primo illo instanti calefactionis summæ.

QVÆSTIO XVI.

De modo quo calor independens, & in facto reddatur.

TOrsit semper, & torquet adhuc difficultas proposita, qua nimirum ratione calor in causa febris independens fiat, & tam finè radicetur, vt nequeat causa talem calorem corrumpere, etiamsi supponamus esse B violentum rei alteratæ, vt quando immoderato labore taliter inflammatur spiritus ad febrem diariam creandam, quod ab eo calore per laborem concepto sa denudata non possent; idémque de humoribus per febres putridas, & de partibus solidis per becticas intelligitur. Ratio dubitandi est, quia omnes vt certum supponont, calorem illum esse rebus iamdictis violentum, quia ab extrinseco principio, passo non conferente vim. Vnde fit, quod ablato agente alterante, aut cessante passione tenebatur calor ille diminui, & tandem omnino auferri, vt contingit, quando aqua calida ob defectum calefacientis extrinsecè calorem sibi extraneum corrumpit, quod in becticis difficilios videtur, in quibus Galenus, & cum eo tota medicorum schola, cau- C sam aliquam extra viuens eum calorem conseruantem non admittant; quid inquam sit quod obstet, ne possit viuentis forma eum calorem reiicere, si nulla causa conseruatiua illius supponitur.

Est ergo in primis supponendum id quod vt certum omnes Philosophi fatentur, nempe quod omnis forma substantialis habeat vim producendi ab insito principio temperiem sibi debitam, & per consequens, quando alteratur præter naturam, si deficiat agens quod corpus illud alterauit, statim incipit reduci; idque in omnibus mixtis igni applicatis experimor, quæ si in ignem, aut aliud corpus non mutentur, si separentur ab igne, refrigerari ab insito principio incipiant: ea quo sententia Veigæ Lusitani exploditur, putauit enim quæ putrida sunt aut vsta, partes frigidas à quibus reductio D afficienda erat, deperdere, & inde reduci non posse. Sed contra est primò, quia etiam calidæ deperduntur, si perditio per resolutionem celebranda est. Secundò, quia si manet forma mixti, & hæc innata virtute temperiem sibi debitam producera potest, etiam si partes frigidæ resolutæ essent, posset nihilominus ab insito principio, vt causa æquiuoca, quod sibi debetur producere; nam forma non vtitur partibus frigidis, vt instrumentum ad infrigidandum, vt est communis Philosophorum doctrina.

Communior ergo, & celebris opinio in scholis est, quam insinuat & tuetur Doctor Matamoros *lib.4. de febribus, disp.*10. *à n.*10.*vsque ad* 11. opinatur enim quod quæ cocta sunt, aut putrida, calidiora independenter reddantur, quoniam per hasce alterationes producuntur E secundæ quædam qualitates, determinantes quodammodo subiectum illas recipiens, vt ab insito illius principio calor intensior pullulet, aut saltem conseruetur, si ab agente extrinseco productus supponatur; iis enim qualitatibus mixtum capax redditur, & dispositum ad vlteriorem calorem, dummodo (inquit) in forma contineatur. Et *ad finem num.* 11. *folio* 407. sic loquitor. Simili ergo modo philosophandum est de calore rei putrescentis ac de coctiona dicebamus, per putredinem anim (idem est de vstione) producitur qualitas secunda, quæ ad calorem determinat, & ita bilis, aut quiuis alius humor si putrescant, fiunt febris causæ, acquisito calore præter naturam modo explicato. Ex qua doctrina constat, quod quando res aliqua leuiter alteratur, ita vt modus substantiæ non permutetur, reducitur statim ad naturam pristinam si agens defecerit; si verò tam violentia sit alteratio, aut modus ille peruertatur, & acquiratur alius, vt per coctionem, putredinem, aut vstionem reuera acquiritur, tam firmiter calor imprimitur, vt ab eo nequeat res alterata liberari: imo cogitur illum conseruare, etiamsi agens quod impressionem caloris efficit, deficiat. Vnde consentaneum dicere tenentur, quod si eam secundam qualitatem, quam terminum putredinis constituunt, Deus in tali mixto produceret, forma illius calorem illum maiorem in proprio subiecto produceret, quia ad maiorem illum calorem qualitas illa disponit.

Hæc opinio improbabilis omnino mihi videtur: primò quia per putredinem omnia calidiora fieri publicum est ea doctrina Philosophi, 4.*meth.* nec minus certum ea eodem Dictatore, quod omnia præter ignem putredinis infectionem effugere nequeant: ex quibus deducitur, quod omnia præter ignem sint calidiora eminenter, quàm sint calida formaliter, imo quod sint tam calida, vt per quamcumque putredinem potest introduci modus ille substantiæ remissior, aut intensior: quæ positio quàm absurda sit, nemo non videt, cùm nullum sit philosophicum principium asserere cogens, quod omnia sublunaria corpora excepto igne calorem tam intensum eminenter contineant. Ad quid enim, aut propter quem finem, cùm nihil aliud ea tali positione sequatur, quàm quod ab insito principio se intemant, & corrumpant.

Secundò, ex hac positione rursus sequitur, quod omnia mixta sunt in potentia calida, quod est merum insomnium. Constat, quia omnia putrefieri possunt: ergo producunt calorem illum intensiorem (posito putredinis, aut vstionis, aut coctionis termino) quem in omnibus rebus illis permutationibus alteratis experimur, ac per consequens relatis iam mutationibus actuantur, & calidiora fiunt, quod est esse calida potentia: quis verò non videat id esse ridiculum, & contra communem doctrinam Galeni, & medicorum: Et confirmatur, quia hæc opinio admittit non dubiè alium modum actuationis, quem in mixtis potentia calidis Galenus ignorauit, etiamsi doctè naturam vstionis, putredinis, & coctionis exposuerit. Nunquam verò Galenus dixit, quod per eas mutationes mixta quæ erant potentià calida, actuentur, & actu talia fiant, cùm tamen doctissimè & sæpe de actuatione medicamentorum ageret; & piper actuaretur bifariam, & per prædictum terminum earum mutationum, & per actuationem in nobis, quæ diuersissima est à putredine, vstione, aut concoctione. Non potest verò idem principium operatiuum in ordine ad productionem eiusdem qualitatis infimæ (vt caloris) per tam diuersam naturam dispositionum determinari. Quod vrgenter confirmatur, quia omnes fatemur coctionem, & putredinem opponi contrariè, aut saltem coctionem esse correctiuam putredinis, ac per consequens quod putredo induxit, coctione destruitur, ob quod Galenus dixit, quod coctio est actio faciens cessare putredinem: ergo si oppositæ aut incompossibiles motationes sunt, bonæ philosophiæ opponitur, quod ad eandem qualitatem infimam disponant, nam hæc contrarias dispositiones exposcere nequit, vt in subiecto recipiatur, aut ad eius productionem determinetur, quod mihi euidens videtur; & inde qualitas secunda à coctione producta, nequit ad maiorem calorem, aut eius actuationem disponere, si quæ à putredine manat ad eandem actuationem conducit; imò lege contrariorum, qualitas secunda per coctionem acquisita ad frigidum disponere tenebatur, si producta à putredine ad maiorem calorem disponit. Oppositionem verò in dictis secundis qualitatibus perspicuam satis faciunt, quæ in coctis, & putridis experimus;

A timur: putredo enim subiectum laxat, emollit, & mixtum, aut eius mistionem dissoluit, & violat, ita vt totum in fuliginea, & vapores conuertat, & quando ita dissipari non potest, quia validè extenuari resistit, in cineres & terram permutat, vt Philosophus docuit. Coctio verò omnia permiscet, coagmentat, solidiora facit, si cum putredine conferatur, dissoluta à putredine copulat, firmiori vinculo alligat, fœtorémque putrescentiæ reprimit, & destruit. Vnde ergo conformitas esse potest, vt tam discordi natura ad eandem qualitatem disponant? quid rursus commune vstioni, & coctioni in ordine ad qualitates secundas, vt maiorem calorem suscitent ab eadem forma manantem; imo vstio, & putredo in secundis qualitatibus manifestè discre- B pant, quia vstio humiditatem absumit, & siccitatem exposcit: putredo è contra siccitatem renuit, & humiditatem exorbitantem amat, implicat verò cum siccitatis & humiditatis excessu, eiusdem secundæ qualitatis productio, vt in elementis perspicuè cernimus.

Tertiò, calor ille eminenter in forma contentus, aut est violentus ipsi, aut naturalis. Si violentus, implicat ab insito principio emanare, cùm debeat esse à principio extrinseco, vt ex definitione violenti liquet: si naturalis, non eget illa qualitate secunda ex parte formæ se tenente; tum quia est caloris effectus, & sic non potest ad caloris productionem conducere: tum præcipuè, quia forma non eget aliqua qualitate secunda ad productionem primarum, quæ sunt sibi naturales, vt constat in productione totius temperiei naturalis. C Vrgentius id probatur, quia qualitas se tenens ex parte principij actiui, vt aliquis effectus emanet, ad totius qualitatis productionem requiritur. Vnde si secunda qualitas putredinalis ad caloris intensionem requiritur, erit etiam necessaria ex parte agentis ad cuiusque gradus productionem, quod quàm absurdum sit, constat, cùm gradus remissiores absque aliqua putredinali qualitate producti supponantur; semper enim ad eandem formam aut effectum materiæ requiritur similis dispositio ex parte materiæ, aut agentis. Vnde si esset irrationabile asserere, quod secunda qualitas putredinalis teneatur in materia præcedere, vt calor in ea recipiatur, quia videmus in rebus non putridis recipi, imo in omnino imputrescibili, vt igne: sic præter communem rationem philosophicam esset sustinere, quod calor ex D parte principij actiui ad eius productionem qualitatem illam putredinalem requirat, cùm ab eadem forma absque vlla putredine gradus remissiores producti supponantur, essétque ab authoribus sententiæ oppositæ adducenda ratio, cur gradus inferiores illa forma sine tali secunda qualitate produxerit, reliquos verò non possit, si eos eminenter continet; nam quod calor absolutè eam non petat, nec ex parte materiæ, nec agentis, in igne euidenter constat: ergo si illa secunda qualitas desideratur ad productionem caloris, erit ex parte agentis determinati: at nec hoc potest sustineri, quia sine illius consortio inferiores gradus produxit, vt constat, præterquam quod putredinalis qualitas est violenta rei putrescenti; quod verò tale est, instrumentum esse non E potest ad productionem effectus naturalis, quia instrumento violento quod est naturale produci repugnat, nec violenta dispositione naturale principium disponi potest ad productionem effectus sibi debiti naturaliter.

Quartò, quia hic author talem intensionem caloris media putredine ortam, aut conseruatam admittit solùm in mixtis, quorum formæ calorem intensiorem eminenter continebant. Sed quid dicendum est de mixtis, quorum formæ maiorem calorem quàm formalem non continent, illamne putredinem concipere possunt, & ratione illius independentem calorem sortiuntur? Est ergo alia ratio independentiæ in illis tradenda: quis enim hactenus dixit, quod pituita, aut melancholia A sint mixta in potentia calida, & quod ab interno principio inflammentur.

Quintò, in opinione huius authoris eodem modo calor per rarefactionem de nouo productus redderetur in facto, aut independens, vt redditur talis media qualitate putredinali: quod est apertè contra experimentum. Probatur, ideo media qualitate putredinali calor in facto redditur, quia ratione illius cogitur forma calorem producere, aut productum conseruare, & à calore de nouo producto, aut conseruato, conseruatur etiam putredinalis qualitas. Sed eodem modo raritas inducta de nouo in aliquo mixto, in opinione huius authoris cogit formam ad productionem maioris caloris, ergo calor superueniens conseruabit non minus ra- B ritatem quàm agens extrinsecum, & rursus durante raritate non potest forma non producere intensiorem calorem: ergo erit mutua circulatio, vt in putredinali qualitate; & vt hæc calorem in facto constituit, sic raritas. At experimur, quod cessante agente quod raritatem introduxit, cessat statim raritas, & calor ob eius occasionem dimanans; ergo eodem modo cessabit calor putredine acquisitus, si deficiat agens putrefactionem inducens; omnia certè sunt paria si bene perpendantur, & præ se falsitatem huius doctrinæ conuincunt.

Sextò calor inductiuus putredinis in corpore aliquo est illi violentus; ergo quicquid producitur ab illo erit eidem mixto violentum, ergo violenta erit qualitas putredinalis: nequit ergo ab interno principio conserua- C ri; ergo nec conseruabitur à calore ab insito principio emanante. Constant omnia, quia quod violentum est, nequit non esse ab extrinseco principio & productum, & conseruatum. Rursus illa secunda qualitas putredinalis in conseruari dependet à calore, vt in produci, nam modi substantiæ apertè mutantur, si primarum proportio varietur; ergo si humor putridus infrigidetur ab extrinseco agente, cessabit statim secunda illa qualitas, & calor etiam ab insito principio procedens nunquam redibit: hoc autem est contra experimentum, nam etiamsi res putrida in externis refrigeretur & satis validè, putrida semper conspicitur, & si agens infrigidans separetur, corrumpitur frigus ab insito principio rei putridæ: ergo aliud principium illius secundæ qualitatis conseruatiuum ponendum est, quod durado- D nem habeat, etiamsi mixtum illud putridum infrigidetur.

Septimò inquiri potest, ad quid putredo conducat vt intensior calor ab insito principio oriatur. Si dicatur quod tollit aliquam qualitatem impedientem emanationem, est apertè falsum, quia, vt dixi, omnia putrescibilia essent calida in potentia, quod est chimæricum, & à nullo dictum; tum etiam, quia idem impedimentum seu eandem qualitatem secundam, impedientem intensionem debitam formæ in omnibus rebus sublunaribus præter elementa admittere, absque vllo fundamento sustinebitur, imò planè repugnat, cum tam opposita temperamenta & discordes naturæ, & proprietates in mixtis inueniamus, quod est euidens; E & per consequens simili demonstratione suadetur, quod omnia sublunaria corpora eam proprietatem infallibilem (nimirum quod intensiorem calorem eminenter contineant) habere non possint, quoniam proprietates communes oriri debent à communi natura ab omnibus participata: Non assignabitur verò à sic opinantibus, quænam natura sit illa ob quam tantum calorem actualem habere non possint, vt in virtute formæ continetur. Et rursus ob eandem rationem improbabile est, quod omnia mixta etiam diuersa ab eadem qualitate in specie infima, ad intensioris caloris productionem determinentur, ob quæ chimæricam relatam opinionem censeo, & meritò vt falsam à Magistro meo (etiamsi illius fuerit primus inuentor) explosam esse, *lib. de febribus*

*bribus, fol.*263. ad medium vltimæ paginæ; babetque paradoxi quid, nimirum quod sit præter omnium mentem & opinionem, non tamen quod sit admirabilis.

QVÆSTIO XVII.

In qua noua opinio Magistri proponitur?

ALiam opinionem meo indicio non minns damnandam Magister meus *eodem lib. folio* 272.*pag.vlt.* vt probabilem tradit; dicit enim rectè intelligi posse, quod calor per putredinem conseruetur absque vllo concursu formæ rei putrescentis: conseruatur, inquit, propter terminum putredinis, cui adeo coniunctus est calor, & vnitus, vt toto tempore quo terminns ille durat, perseueret etiam calor; terminus autem durat ablato putrefaciente, & ita conducit ille ad conseruationem in genere causæ materialis, quia non est modus, qno corrumpatur: nec enim defectu subiecti, quia idem subiectum manet, nec defectu termini, quia non est relatiuur, sed quid absolutum, nec defectu conseruantis efficientis, quia ab illo non pendet. Videmus enim rem putridam cum sua putrida qualitate madere, etiamsi refrigeretur ab alio; addere debebat Magister, etiamsi agens quod putredinem induxit, deficiat, nec deficit à contrario, quia maximè deberet esse terminus coctionis per incompossibilitatem formalem: at probabo (inquit) *infra*, coctionem, & putredinem verè contraria non esse.

Contra qnam sententiam obiicit primò Magister, quia si deficit agens quod rem putridam calefaciebat, necessariò ab insito principio formæ rei putridæ frigus emanabit, calorem violentum corrumpens. Negat casum Magister, quia infrigidatio illa impeditur à termino putredinis, velut si esset præsens agens calefaciens, etiamsi sit differentia, quod ab agente impeditur vt producente calorem & illum conseruante; at illa qualitas putredinalis impedit frigoris emanationem vt materialis dispositio, nec hoc (inquit) est incidere in opinionem, quam impugnauimus contra asserentes esse necessariam dispositionem aliquam materialem, vt primæ qualitates recipiantur, aut vt producantur intensiores ab insito principio: quoniam quod negauit Magister solùm fuit, quod ratione qualitatis putredinalis non potuit produci ab Insito principio calor, qui sit intensior naturali calore, tamen quod ratione qualitatis putredinalis impediatur frigoris emanatio in re putrida ab insito principio, est quod modò asserit, & per consequens quod calor non possit corrumpi ab interno principio, quia putredinis terminus productioni frigoris obstat.

Hæc opinio tam improbabilis vt prima ab eo impugnata censenda est, est enim tota ad libitum dicta, & nullo philosophico principio nedum apparente stabilitur. Non enim explicat Magister, quæ coniunctio sit illa inter calorem violentum, & putredinis terminum, ob quam reductio ad frigus naturale fieri repugnet. Et ratio est, quia si terminus putredinis non potest calorem, à quo emanauit producere, vt est euidens, nec poterit calorem conseruare efficienter: ergo ex hac parte nulla vnio Intelligitur, ob quam frigus emanare omnino impediat; exclusa verò huiusmodi conseruatione mutua, etiamsi qualitas illa putredinalis vt conditio ad efficacius resistendum admittatur, non tollet omnem actiuitatem formæ, sed eam solùm retardabit, vt retardant aliæ conditiones ex parte materiæ, vt densitas non tollit reductionem ad frigus naturale in ferro, etiamsi igniatur, sed illam reuera remoratur. Vnde ergo constat, quod illa qualitas putredinalis sit conditio materialis tam valida, vt calor cum illa tam potenter resistat formalites, quod ab insito principio frigus emanare non possit; quin potius si dispositionem à putredine derelictam attendamus, ad patiendum facillimè præparare subiectum inueniemus; illud enim emollit, laxat, rarefacit, & vt à quolibet impetu dissoluantur & partes eius separentur, disponit, vt melius dicere posset Magister, quod ratione illarum qualitatum ita effeminatur virtus actiua formæ, quod nequeat contra calorem inductum pugnare, & sic non reducitur. Verùm & hoc esse falsum constat; quia si humor putridus incendatur ab agente extrinseco, reducitur ab eo maiori calore: ergo non erat virtus actiua formæ ita effeminata, vt calorem inductiuum putredinis corrumpere nequeat, quando intensiorem calorem manifestè corrumpit. Rursus si ob coniunctionem cum illa qualitate redditur calor tam firmus aut radicatus, quod respectu formæ iam sit inenitabilis, eandem vim restitiuam respectu agentis extrinsecei in rebus putridis experiri tenebamur: hoc autem est contra experimentum, quia humor putridus si euomatur, infrigidatur statim, & nullum calorem molestum in eo percipimus, vt percipiebatur interius; ergo non redditur firmior ad resistendum ab ea qualitate putredinali: est ergo chimærica illa Magistri coniunctio.

Secundò vrgeo Magistrum meo iudicio efficaciter, quoniam ex eius opinione sequitur, quod si humores putridi, aut quodvis aliud corpus simpliciter refrigerentur, cessaret febris statim, & maneret terminus putredinis sine calore illius inductiuo. Patet clarè, quia si calor corruptus semel sit à quouis frigido agente, non potest mixtum illud ad intensiorem calorem redire; non enim à forma, cum sit illi violentus, & id clarè Magister admittit, non solùm ob rationem violenti, sed etiam quia in virtute formæ non continetur; nec potest à termino putredinis produci, quoniam est effectus caloris æquiuocus, & per consequens minus principalis calore, & ita euidenter colligitur, quod per simplicem refrigerationem quælibet causa febris attemperaretur, vt amplius non calefaciat, & in opinione Magistri nulla hectica esset cuius sanatio non daretur facillima, quia per simplicem refrigerationem totus calor hecticus corrumpi facillimè posset, neque daretur agens à quo rursus calor produceretur.

Tertiò vrgeo Magistri doctrinam argumento nuper Insinuato, nimirum quod conditio conducens vt aliqua qualitas efficacius operetur, aut resistat, conducit necessariò omnibus gradibus illius, vt densitas totum calorem subiecti robustiorem reddit, & tenuitas, aut raritas, totum debilitat: ergo si qualitas putredinalis ob vnionem illam cum calore reddit illum robustum & actiuum magis, aut restitiuum, si ratione illius coniunctionis non potest forma calorem remissum corrumpere, poterit minus corrumpere intensiorem: at intensiorem destruit: ergo & remissiorem. Quod intensiorem destruat, probatur euidenter, si hecticus exerceatur, aut irascatur, aut alia occasione intensiorem calorem hectico compararet: statim enim sedata passione, aut occasione alia incipit calor diminui, & frigus de nouo producitur: ergo nullo physico principio sustineri potest, quod qualitas illa tam resistentem calorem reddat, vt totam actiuitatem formæ contemnat, quando calorem intensiorem illo manifestè corrumpit. Quod argumentum demonstratio mihi est, contra opinionem Magistri, quod non possit dari conditio materialis, aut dispositio tam resistentes qualitates primas reddens, vt totam actiuitatem formæ superet, quia si humor putridus ab agente extrinseco frigido vt duo verè reparitur; melius à forma intrinseca eundem frigoris gradum potente producere repatietur; quia eiusdem virtutis est, & potest esse maioris, & est ex alia parte magis passo applicata quàm agens extrinsecum; aget ergo aliquid, & sic paulatim incipiet se reducere ad

debitam temperiem: & cùm principium operatiuum nunquam diminui possit, quia entitas formæ immutabilis est, si semel operari incipiat, operabitur semper donec totum calorem destruat.

Multa etiam pro positi placiti defensione vt certa Magister supponit, quæ aut absurda, aut improbabilia sunt; nam quod qualitas putredinalis cum sit secunda, non dependeat à primis in conseruari, non probat; sed quod qualitas illa nisi ad defectum subiecti deficere possit, sit planè falsum; hoc enim secundis qualitatibus perspicuè repugnat, cùm mutentur omnes si in primis magna mutatio fiat, vt in metallis liquatis liquet, duritiem, consistentiam, crassitiem, & inuiolabilem ferè partium vnionem caloris violentia admittentibus, vt mirum sit quod cum tam violenta in omnibus proprietatibus mutatione antiqua forma metalli seruetur. Et ratio à priori contra Magistrum est, quia in contrariis qualitatibus semper datur contraria virtus ad oppositos effectus & primarios, & secundarios creandos, & inde qualitates contrariæ inducentibus terminum putredinis, producent necessariò terminum oppositum, & per consequens deficiet putredinis terminus, etiamsi subiectum non corrumpatur, censéoque improbabile, quod per coctionis terminum non destruatur qualitas secunda putredinalis; id enim ita euenire sensus ostendit, quippe putredo subiectum emollit, laxat, & eius consistentiam destruit, & vno verbo, omnes modos substantiæ coctione acquisitos demolitur, cum sit teste Galeno mutatio totius putrescentis substantiæ in corruptelam. Ex quo planè constat oppositio, & repugnantia inter terminos harum mutationum, alioqui quomodo coctio esset actio faciens cessare putredinem, vt Galenus passim testatur, & omnes experimur, ni incompossibiles essent termini: Et id ostendunt proprietates optimi puris & sedimenti, si cum accidentibus humoris putridi conferantur; albicantia enim sunt, coagmentata, vnita, leuia, & non fœtentia, aut perparum, cùm humor putridus antequam coqueretur, fœtore, caloréque putredinali molestissimus esset, inæqualis, facilè resolubilis, & in fuligines conuertibilis, ac mordax: itaque per coctionem putredinis vitia emendari nemo negauit, & per consequens euidens est, quod oppositionem, aut incompossibilitatem earum termini includant. Nec hoc ad dubij propositi solutionem conducit, cùm tota difficultas sit, quomodo calor putridæ rei expelli, aut corrumpi ab insito principio non possit, si iam agens extrinsecum deficit, & calor ille violentus rei iam putridæ supponitur, vt Magister, & omnes admittunt.

QVÆSTIO XVIII.

In qua tota controuersia deciditur.

SI quæ contra allatos iam philosophandi modos retulimus, oculis non conniuentibus cernantur, leuia non esse apparebit. Mihi quidem tam difficilia, & contra veram philosophiam visa semper fuerunt, vt in nouum modum philosophandi, nunquam tamen auditum nos impulerint. Et verò quod calor nullus violentus dari possit à quo forma ab interno principio non liberetur, si iam agens quod calorem illum peregrinum impressit præsens non sit, ac per consequens quicquid per vstionem, putredinem, aut coctionem, calorem in habitu, seu in facto concepit, non manet sub forma priori, sed alia de nouo in ea materia creata est; cui calor ille debeatur & sit naturalissimus, & inde humores, spiritus, & partes solidæ si causæ sunt febris, formam mutarunt, cui tantus calor debeatur, & propterea non reducuntur ab eo, quia illum vt sibi naturalem tuentur & conseruant. Et idem intelligendum est de alimento corrupto, & omni alia entitate, quæ cum ex se febrem producere non potuit, per putredinem, aut vstionem iam febrem suscitat. Veritas huius asserti ex impugnatione aliarum perspicua satis est, quam experimenta innumera stabiliunt, & verè suadent: in primis aqua validè calefacta rarefit vehementer, extenuatur, efferuescit, & leuior redditur, nec alia maior mutatio sub aquæ forma desiderari aut admitti potest; & nihilominus calefaciente semoto à tanta violentia ab insito principio se liberat, & naturalem temperiem rursus requirit; non ergo mutatio in qualitatibus primis, & secundis virtutem formæ tam potenter debilitat, vt ablato alterante operari, & tandem violentas illas permutationes superare non possit.

Secundum experimentum erit in metallis liquatis, vbi experimur tam solida corpora, & tam consistentia liquari, & fluida fieri, tam dura emolliri, tam frigida ita calefacta esse, quod carnem si eam contingant, adurant; tam densa ita rarefieri, vt locum maiorem multò quàm antea occupent; nequit verò tam insignis mutatio in primis, & secundis qualitatibus impedire, quod forma metallorum pristinam & sibi debitam temperiem non restauret, quoniam tanta mutatio formam eorum destruere non potuit.

Sit tertium exemplum in nobis, nunquam enim carnem putridam vidimus, in qua aliqua vitæ operatio elucescat; non enim nutritur, nec mouetur, nec sentit, eámque si putridam conspiciamus, resecandam statim præcipimus, ne contagio corpus contaminet, illúdque depascatur, quod etiam in fructibus eodem metu obseruatur: ergo quod verè putridum est, vt à qualitatibus illis liberari non possit, nouam formam induit, cui tales qualitates debeantur. Ratio à priori est, quia ad inueniendam distinctionem formarum nullum principium, aut inuentum maius physicum est, quàm quod in hac materia, aut in hoc ente homogeneo inueniantur de nouo noua accidentia, & in ea materia perseuerantia diu, quando nullum agens extrinsecum nouas illas qualitates conseruat, quia cum sint nouæ proprietates, & semper durantes, nouum principium radicale à quo emanent, redarguunt, & hoc multò euidentius, sicuti prius existenti violentæ sint, & tales agnoscantur; sic enim acetum à vino specie differre asserimus, quia saporem acidum, frigiditatem, astrictionem, & acerrimum, nouumque odorem in vini materia percipimus, quæ proprietates, aut accidentia sub forma vini non conseruantur, sed alia multò diuersa. Rursus quod animalis spiritus ex vitali creatus specie à vitali discrepet, ex nullo principio assequimur, nisi quia qualitas motui & sensui deseruiens in animali spiritu de nouo agnoscitur, & in eo seruatur; ergo si naturali & efficaci ratione suademur, quod si in mixto putrido calor, qui prius erat violentus, seruatur, & cum eo tot qualitates diuersæ quæ prius non erant, & extraneæ sunt respectu formæ præexistentis, iam verò seruantur, & ab illis liberari non potest, sit necessariò concedendum nouum ens, cui tales qualitates sint naturales, nam cum tam intenso calore dantur etiam laxitas, mollitudo, coloris & saporis mutatio, & fœtor insignis, & noua acrimonia, quæ non minus internè seruantur quàm accidentia præcedentia à forma antiqua tuebantur, & cùm antiqua euanuerint, & alia tam opposita modò in ea materia seruentur, etiamsi agens quod ea introduxit, deficiat; euidens est quod noua forma, cui tot accidentia & tam diuersa debeantur, genita fuerit. Quod si tam efficax argumẽtum ad ostendendas formas diuersas non admittas, nullum principium physicum mihi propones, vt credam quod papyrus à linteo ex quo formata fuit, specie differat, nec chilus à pane, neque

sanguis

sanguis à chilo: sed omnes transmutationes accidentales esse asseuerabo, à formáque seruari, aut propter coniunctionem secundarum cum primis, vt somniauit Magister, mutuò seruari sine formæ præexistentis corruptione, quod non dubiè ridiculum erit, & extra omnem philosophiam.

Secundò idem suadet, quod omnes Medici publicè fatentur, omnem scilicet humorem putridum in fuligines permutari, & eas esse causam principaliorem, & magis immediatam febrium; quoniam per totum distribuuntur, & cor, & arteriæ compressione assidua reiicere tentant; nemo verò negat, quod illæ à bile naturali, aut quouis alio humore differant specie, & quod calor earum sit sibi naturalissimus, & per consequens, quod est causa febris, non violento calore, sed sibi naturali illam producit.

Tertiò, quia calor fuliginum naturalium non est tam intensus, vt ille qui in febribus putridis, & ardentibus inuenitur, imo nulla naturalis fuligo tam intensa esse potest vt febres diariæ, cùm sit in controuersia positum, an sint à prædominio calidæ. Quo supposito argumentum contra opinionem contrariam non leue conficio, si humor, aut spiritus, qui ad inducendam febrem putrefiunt, non mutant formam, non erit in eis tantus calor, vt in fuliginibus naturalibus: ergo nequibunt febrem causare si formam non mutant. Constat, quia fuligines (exempli gratia) detentæ ob prohibitam ventilationem, calorem tantum quantum habent, in subiectum externum producere nequeunt; ergo si substantiæ alteratæ à fuliginibus formam non mutant, remissioris caloris erunt quàm fuligines; ergo vt hæ naturali suo calore tam intensum vt in febribus datur, producere non possunt, sic humor, aut quæuis alia substantia ab eis calefacta tam intensum calorem producere repugnabit, cum sit in eis remissior quàm in fuligine; necesse ergo est, vt quicquid putrescit, aut vritur, nouam formam acquirat, quæ ab insito principio tantum calorem quantum in febribus experimur, producere possit. Nam quòd respondent aliqui opinionis contrariæ, nempe quod supposito putredinis termino ab interno principio formæ præexistentis tantus calor producitur, impugnauit efficaciter Magister, & nos eius doctrinam sequentes, ex proprio marte noua fundamenta doctrinæ Magistri superaddentes reiecimus.

Sed multa sunt nostram opinionem labefacere conantia. Sit primum quod omnis diaria à spiritibus orta absque syncope, aut deliquio dari non poterit, quia illa symptomata ex defectu vitalium aut animalium spirituum oriuntur. Vnde si in mea opinione corrumpuntur spiritus, euenient necessariò syncope, aut deliquium: syncope si vitales spiritus, deliquium si animales pereant. Respondetur quod ad diariæ creationem sufficit minor multò defectus quàm requiratur ad dicta accidentia, nec in diariis exquisitis ita cor distemperatur vt nouos spiritus assiduè non creet, & inde virium defectus insignis non datur; requiritur verò extremus ad syncopen, magnus verò ad deliquium: quod si fortè eueniat vt causa corrumpens spiritus insignem eorum corruptionem inducat, non est dubium quod dicta accidentia superuenire possint, vt in sudore Anglico intra diem necante Authores admittunt.

Dices secundò: omnis putredo calorem in facto constituit, & non omnis formam mutat: ergo. Probatur, quia mixta non deficiunt quocumque gradu violentæ dispositionis suscepto, sed intensio determinata requiritur; ergo ante vltimum intensionis gradum qualitatis putredinalis dabitur per reliquos calor in facto, si putredo talem illum constituit. Respondeo, quod non omnis putredo calorem independentem constituit, nisi illa quæ nouam formam induxit, quia à qua-

A libet alia res alterata reducetur, quia est illi violenta, vt latè & efficaciter probauimus. Ita Galenus docet 2. *aphor. tex.* 17. *ad finem*, dicendo: hoc idem in sanguine euenit, nam & ipse vbi in eo sit facta magna corruptio, non redit amplius ad habitum naturalem; si verò pauca contigerit, vbi id quod erit superfluum fuerit euacuatum, quod residuum existit ad suam naturam restituitur. Quibus clarè ostendit duplicem in sanguine mutationem dari; vna quæ corrumpat, alia quæ disponat, non tamen omnimodam corruptionem moliatur, sed manet sanguis sub propria forma, etsi præternaturaliter sit alteratus; & dicit quod est corruptum, id est mutauit formam, reiiciendum esse, vt impotens redire ad bonitatem sanguinis: Si verò pauca fiat alte-

B ratio, euacuando prius quod est superfluum, hoc est corruptum, quod remanet, ad suam naturam restituitur. Vnde doctè notat, quod huiusmodi dispositio remissa, quæ ad formæ mutationem non coëgit, non appellatur corruptio, sed multitudo, illa sola vocata corruptione quæ tam essentialem habet, eámque ad id quod præter naturam est, euersionem, vt non possit iterum ex naturæ coctione ad pristinam humoris redire bonitatem. Hæc Galenus, ex qua doctrina non parum opinio nostra stabilitur; est enim publicè confessum ab omnibus, quod nullus humor, qui fuit causa febris putridæ, ad antiquam bonitatem redire potest, sed quod eius tenuius est, in fuliginem permutatur: crassum verò in excrementum vertitur, & fit pus,

C aut sedimentum; ergo quicquid fuit causa febris, formam mutauit, alioqui non à vitio, sed à plenitudine febris causaretur, quia sub propria forma sanguis, aut humor remanet.

Dices tertiò; causam febrium agnoscimus per accidentia humoribus naturalibus debita; nam quod febris sit biliosa, per amarorem, colorem pallidum, ardorem, & siccitatem, & quod inflammetur facilè, assequimur, præsertim si vomitus aut deiectiones bilis inueniantur. Et idem in pituita & melancholia continget: ergo absque mutatione formæ febres humoralia causamus. Respondeo, quod nullus humor febrem putridam causat, nisi prius in fuligines vertatur, quæ sunt distinctæ speciei. Dico secundò, quod color pallidus, amarus sapor, siccitas, & inflammatio facilis, mixto

D de nouo genito ex bile multò melius conuenire possunt; sunt enim accidentia communia: quando verò sub forma bilis expellitur; non est causa febris, sed materia antecedens, quæ ad focum miscenda erat vt corrumperetur, si extra non reiiceretur; nec quando humores putrescunt, corruptio omnium partium simul perficitur, quoniam non sunt vniformes, nec agenti corrumpenti pariter omnes æquè applicantur, & ita secundum portiones quasdam potest esse febris causa, secundum alias verò sub propria forma manere; & hanc causam febris esse repugnat.

Dices quartò, hecticus calor in opinione Galeni, & omnium, ex putredine aut vstione partium solidarum creatur: ergo si mutant formam, acquirent neces-

E. sariò formam cadaueris, hæc enim est quæ necessariò & immediatè formæ viuenti succedit, ex quo secundum inconueniens infertur. Primum quod hecticus calor à causa dependeat contra communem medicorum consensum, quoniam calor productus auferre non poterit nisi prius partes illæ extra viuens pellantur aut resoluantur omnino. Secundum, & magnum est, quod cùm forma cadaueris sit frigidissima, vt in homine iam defuncto constat, non poterunt partes illæ tali forma ornatæ febrilem calorem producere; extra dubium enim est, quod cadaueris forma sit frigidior multò quàm viuens, quomodo ergo febrem inducet? Respondetur quod si hecticus calor à putredine aut vstione partium viuentium oriatur, non viuent absque dubio si calorem factum sortiantur, vt docuimus. Quod verò in minimis

partibus quæ putridæ sunt, forma cadaueris detur, non probo.: nam hæc in mea opinione eam partium diuersitatem vt inter requirit, quam viuentis forma vt intret exposcit, & inde si digitus auferatur: non informabitur forma cadaueris, sed alia diuersa, nec si digitus igni expositus crematetur, cadauerosus fieret: sic quæ per partes putrescunt, cadauerosæ non sunt, sed mista diuersa iusta dispositionces in materia introductas, quæ calidissima esse possunt. Est etiam controuersum si cadaueris forma generica sit, vt ipsum viuens, & inde si dantur viuentia frigida, & calida, ita & cadauera talia esse possint, quod mihi probabilissimum apparet. Ex quibus constat, quod hecticus calor non minus quàm aliarum febrium à causa dependeat, quicquid Galenus dicat, quia nulla causa febris hecticæ viuere potest, & per consequens esse indicationem à causa, de quo latius *proprio tractatu*.

Duo in calce notabitis. Primum, quod quando dicimus, quod si cocta redduntur calidiora, in facto debeant mutare formam, est intelligendum de coctione alimentorum, aut substantiæ alienæ, non verò de maturatione; nam hæc formam non mutat, sed mixtum, seu viuens sub eadem forma manendo perficitur, vt *tractatu de coctione* latè disputauimus. Aliud est quod cum in mixtis non viuentibus non dentur passiones propriæ quarto modo cum essentia conuertibiles, vt risibile in homine, aut hinnibile in equo, non potest specifica distinctio inter illa venari, nisi ex permanentia qualitatum contrariarum, siue secundæ sint, siue primæ: exempli gratia, pituita naturalis est humidissima, & frigidissima omnium quæ in corpore secundum naturam dantur, at quando febrem causat est calida à prædominiô, & illum calorem conseruat: mutauit ergo formam. Sic bilis atra ex melancholia naturali genita, specie ab illa distinguitur, quia acrimoniam, acorem, splendorem, & maiorem partium densitatem ostentat, quàm accidentium congeriem naturalis melancholia recusat. Sic acida pituita secundum partes acidas formam mutauit, vt salsa, quia acida ab immodico frigore, salsa ab exurente calore originem ducunt; & sic de reliquis, quando per alterationem propter naturam creantur. Quod autem diximus de conseruatione nouæ qualitatis, aut intensionis præexistentium, intelligendum est quod arguat formæ mutationem, quando insignis mutatio in præexistentibus qualitatibus datur; nam leuior eam mutationem non infert, vt si à bile naturali serum separetur, non mutaret formam, quamuis calidior, & acrior non dubiè maneret, quoniam tota caliditas, & siccitas, quæ ob seri frigidi & humidi permixtionem deperditur, debet ob seri defectum pullulare, nec aliqua res in natura rerum inueniri potest, quæ præter naturam alterata non sit, & per consequens si contrarium à quo alteratur, deficiat, mutabitur temperies ab initio principio; istæ tamen mutationes insignes non sunt, alioqui omnia corrumperentur.

CAPVT II.

De corporibus præparatis ad febrem.

DISPOSITIONES variæ corporum ad incidendum in febrem *in præsenti capite* Princeps noster graduare intendit. Et quamuis ex aliena mente loqui videatur, doctrinam vt veram suscepit, cum eam nulla ratione redarguat. Prima propositio est; dicerunt quidam quod corpora vehementius præparata ad febres sunt calida & humida, & propriè cùm humiditas est fortior caliditate, & isti quidem sunt fætidi sudoris & vrinæ, & egestionis. Secunda est, corpora calida & sicca iterum sunt præparata ad febres, & incipiunt prius ephemeræ, deinde festinant ad putredinem, & ad vstionem, & quandoque faciunt cadere in hecticam. Tertia propositio est; corpora æqualis siccitatis & humiditatis, caloris tamen excedentis, sequuntur post duas temperies iam positas, & dicitur quod ista corpora sunt de genere earum, in quibus incipit febris vaporis calidi, deinde permutatur ad febrem humoris. Quarta propositio est, quod post dicta sint corpora æqualis caloris, & frigoris; humida tamen in excessu, quæ secundum plurimum in primo insultu febribus putridis corripiantur. Vltima propositio est, & corpora frigida, & humida, & frigida & sicca sunt longinquiora à febribus, & propriè ab ephemera; hæc in litera.

QVÆSTIO VNICA.

An graduatio corporum rectè definita sit?

VT quæstio intelligatur, supponendum est, quod corpora incidunt in febres, eò quòd putredo aut vstio in aliqua substantia eorum inducitur vt in spiritibus, aut humoribus, aut partibus solidis, ob quas mutationes calor in facto producitur, & excitatur febris diaria, aut putrida, aut hectica, prout fuerit hæc, aut illa substantia putredine infecta, vt insinuatum iam est. Est etiam constans opinio, quod putredo à calore, & humiditate inducitur, & vstio à calore, & siccitate, & per consequens est etiam publicum, & ab omnibus extra controuersiam susceptum, quod corpora calida, & humida; & calida & sicca, sint præ cæteris ad febres parattiora, quoniam eorum temperies proximè accedit ad febrem, ob excessum caloris, in quo (vt vidimus) essentia febris consistit, & vt corpora calida ob caloris superantiam facilius calefiunt, sic calida & humida promptius putrescunt, & calida & sicca promptius vruntur, quia illæ temperamræ magis idoneæ sunt ad dictas impressiones suscipiendas. Hæc absque controuersia & lite omnes admittimus, eò quòd facilius in passiones similes, quàm in dissimiles incidamus; & ratio à priori, & efficax est, quia corpora vt calidiora sunt, habent frigoris minus, & cùm resistentia violentæ caloris introductionis medio frigore fiat, & minus sint frigida quæ sunt calidiora vt minus caloris introductioni resistant, necesse est, & per consequens facilius in febrem incidunt, & ob eandem rationem corpora calida, & humida facilius quàm calida & sicca putredinem concipiunt, sicut vstionem calida, & sicca facilius quàm humida admittunt.

Verùm si calida & humida tam facilè putrefiunt, sicut vruntur sicca & calida, non leuis controuersia est: video tamen magis communem esse opinionem, quod tam facilè vrantur calida & sicca, sicut putrescunt calida, & humida, ac per consequens tam facilè vnum vt aliud febricitare. Ratio efficax à priori est, quia hactenus non est inuentum discrimen inter illa, cum non detur ratio ob quam non disponat tam bene ad putredinem humor, vt ad vstionem siccitas; nam de calore quæstio non est, cùm sit idem in eis: ergo tam facilis erit lapsus in vno ad mutationem sibi analogam, vt in alio. Quo argumento Magister meus conuincitur *lib. de febribus, folio* 100. & sic eandem aptitudinem ad febriendum vtrisque concedit, quia tam facilè putrescit calidum, & humidum, vt siccum & calidum vritur.

Sententia opposita probabilior nobis apparet, nimirum quod corpora calida & sicca faciliùs febricitent,

quàm

quàm calida & humida. Sic sentit Galenus 8. *methodi, cap.*8. Verba sunt *in principio cap. Cùm verò octo intemperies in vniversum sint (vt ostendimus) opportunissima ad febres est calida & sicca, & nisi quis hanc vt dictum est cibet, ocyssimè in ea mutatur diaria febris in acutam. Propinqua huic est præsertim quod ad febrem attinet, quamuis ad alia sit deterior calida intemperies, & humida.* Quibus verbis conclusionem positam manifestè amplectitur, suntque accuratè expendenda verba illa, *præsertim quod ad febrem attinet, quamuis ad alia sit deterior:* significant enim quod etsi ad alia sit deterior humida, & calida; tamen ad febrem non est deterior, sed proxima calidæ & siccæ intemperiei, & secundum locum habens.

Ad hoc testimonium respondet Magister, quod Galenus eo capite non loquebatur de febre absolutè, sed de diaria in calida & sicca natura, & præcipuè quando non cibatur commodè; nam talis natura, ex inedia vritur, & sic facilè febres vstionis patitur. Sed hæc expositio est omnino sinistra, quia si de occasione febricitandi ex inedia ob vstionem esset sermo, non foret collocanda natura calida, & humida in secundo loco, sed calida à prædominio, & in humiditate & siccitate temperata, quia hæc facilius quàm calida, & humida vritur, cùm habeat plus siccitatis: quod mihi videtur euidens. Secundò, quia explicatio Magistri ex loquutione Galeni apertè redarguitur, quia simpliciter dicit naturam calidam, & siccam, esse opportunissimam ad febrem, in qua si cadat, & commodè non cibetur, diaria in acutam febrem ocyssimè mutatur. Et rursus sic loquitur. *Propinqua huic est, præsertim quod ad febrem attinet, calida intemperies, & humida:* quibus clarè constat quod de febre absolutè loquatur, & non ex vstione, aut putredine orta, sed ex communi causa. Nec valet communis solutio, quod calida, & humida natura rarior sit, ob quod est vstioni paratior quàm calida à prædominio, & in siccitate, & humiditate temperata. Sed hæc solutio non est ad rem, quia quando fit inter duo comparatio, omnes conditiones debent esse æquales, præterquam in ea in qua comparantur. Vnde eandem æqualitatem in omnibus admittere debent, præterquam in intemperie de qua est controuersia. Et ad hominem est argumentum, quia ob raritatem erit natura humida, & calida paratior ad putredinem, quàm sicca ad vstionem, & per consequens malè asseritur, quod tam promptè vratur sicca, & calida, vt putrefit calida, & humida. Præterea sequitur ex adducta solutione, quod natura humida, & calida facilius etiam vratur, quàm sicca. Probatur, quia si ob tenuitatem cum humiditate vritur facilius quàm sicca, efficacius ad vstionem disponit tenuitas cum humiditate, quàm siccitatis excessus cum calore, & per consequens non solùm in febres putredinis incidet facilius, sed etiam in febres vstionis. Præterquam quod ignis est summè tenuis, & rarus, & est summè calidus, & prope summum siccus, quod in natura eiusdem temperiei inueniri per consequens debet: non ergo commodè Galenus exponitur, qui absolutè docuit, calidam & siccam temperiem præ cæteris paratiorem ad febrem.

Ratio autem philosophica, & longo tempore à nobis inuestigata opinionem Galeni suadens, ex communi doctrina philosophorum desumenda est. Docent enim quod calor siccitati adiunctus efficacius operatur quàm si humiditati copuletur: quod placitum vt verum Magister meus admittit, & inde ab omnibus lima caloris siccitas nuncupatur. Ex quo placito, & lege contrariorum ego colligo, quod si siccitas est caloris lima, sic & humiditas debet esse lima frigoris, quia eandem analogiam habet humiditas ad frigus, quam siccitas ad calorem, & in contrariis qualitatibus concedendas esse similes proprietates, etsi oppositas, pla-

A num est. Vnde si siccitas vim actiuam caloris acuit, tenetur per consequens actiuitatem frigoris hebetare, & vt humiditas remittit actiuitatem caloris, tenetur augere actiuitatem frigoris; & hoc experimentum docet, quod plantæ facillimè pereunt, & gelantur, si post pluuiam nox frigida, & serena veniat, quæ si pluuia non præcessit, plantas minimè mortificat, aut vehementissimum frigus sine pluuia requiritur. Quo supposito natura calida, & humida resistit magis calori introducendo, quàm sicca, quia frigiditas cum humiditate operatur valentius, & sic introductionem caloris magis remoratur, quia operator magis, & plus destruit caloris, & breuiori tempore, & per consequens agens febrem introducturum debilitat plus, &
B tardius natura vincitur, caditque tardius in putredinem, quàm sicca in vstionem.

Quæ ratio si bene perpendatur, planè probat, quàm facilè in natura sicca & calida diaria febris in vstionem humorum, & hæc in hecticam permutetur, aut earum complicatio fiat; nam calor spirituum quia siccitati adiunctus est, operatur in humores, & hi in membra solida efficacius, at in natura humida remissius. Rursus frigus in natura sicca resistit minus actiuè, & per consequens, & ex parte actiuitatis agentis, & ex parte actiuitatis passi, datur occasio, vt sicca & calida natura facilius febriciter, quàm humida, & calida, obiter notando, quod in natura humida, omnia sunt humidiora, partes scilicet, humores, spiritus, &
C fuliginosa excrementa, dicendumque est, quod sicut calida ob vnionem cum siccitate validius calefacit, si ob eandem vnionem alios secundarios effectus validiores, & breuius producit, alioqui non incideret natura sicca, & calida tam facilè in febrem, cùm ad illam induci debeat putredo, quæ secunda qualitas est. Meritò ergo Galenus naturam calidam & siccam, vt faciliorem ad febricitandum prædicauit, & docuit etiam, quod febris diaria ocyssimè in acutam permutatur, si idonea victus ratione non contemperetur. Ratio patet ex dictis, & qua ratione fundamentum sententiæ oppositæ diluendum veniat.

Ex dictis constat, quod natura calida facilius quàm frigida febricitat, & ideo Princeps noster & Gale-
D nus 8. *meth. cap.* 8. triplicem temperiem à prædominio calidam, vt paratiorem ad febriendum enumerant, calidam & siccam, calidam & humidam, & calidam solùm à prædominio, & in alia oppositione temperatam; quorum veritas, & doctrina in communi placito stabilitur, nimirum quod facilius sit in morbos similes quàm in dissimiles incidere, ob quod Galenus omnes intemperatas naturas reducere tentat, & præcipit, ne facilè in morbos similes labantur. Et inde 8. *meth.cap.*7. de natura calida & humida dixit, quod morbis ex putredine sit vehementer parata, eò quòd per ipsam sanitatem proximè ad putredinem accedit, & latissimè docuit 3. *aphor.*2. & 3. *ad finem.*

Sed dices; quælibet natura resistit formaliter eadem efficacia calori introducendo: ergo non datur in hac
E parte maior aptitudo. Antecedens constat, quia quælibet solùm resistit formaliter per vnicum gradum introducendo oppositum, vt natura frigida vt quinque resistit tantùm per quintum gradum frigoris quarto caloris introducendo, & sic in reliquis. Sed tam facilè corrumpitur quintus frigoris à quarto caloris, vt tertius frigoris à sexto caloris; ergo tam aptè vna vt alia febricitabit ex parte resistentiæ formalis. Respondetur, quod si solùm attendatur resistentia formalis in opinione dicentium quod gradus sint eiusdem perfectionis, argumentum probat. Verùm facilitas incidendi in morbos similes, non consistit in sola resistentia formali, sed in actiua; & quia gradus frigoris in frigidiori natura sunt plures, necesse est quod contra agens febrem introducere tentans operetur validius, & magis,

& ſic actiooem eius aut caloris violenti introductiooem magis temoretur, quia omnes gradus frigiditatis concurrunt ad productionem cuiuſvis gradus, & ſic plus frigoris citius producit quamcumque partem frigoris.

Dices, falrem in opinione dicentium, quod ſi gradoa ſunt ioæquales, non erit facilios incidere in morbos ſimiles. Probatur: non ob reſiſtentiam formalem, vt coocesſum eſt: non propter actiuam; ergo ex nulla radice. Quod non propter actiuam conſtat, quia ad gradua ſuperiotis productionem nullo modo concurrunt Inferiores, quia ſunt imperfectiores: ergo ſi à natura frigida vt quinque, eſt expellendus quintus gradus frigoris per quartum caloris, non concurrunt ad qoatti productionem tres primi gradus, ſed quartos & ſuperiorea. Rurſus in calida natura vt quinque debet produci, vt febricitet ſextus caloris gradus, ad qoem quinque ioferiores concurrere nequeunt, ſed ſextus & ſuperiores ſi dentur; iam ergo in hac opinione de graduum inæqualitate non erit facilior lapſus in morbos ſimiles. Reſponderur, quod in hac opioione reſiſtentia formalis eſt maior in natura frigidiori, quia hæc reſiſtit formaliter per gradus perfectiores, quia quintus frigoris eſt perfectior qoàm tertius, qoo natura calida vt quinque reſiſtere debet. Sed ex parte actiuitatis eſt in natura frigidiori plus reſiſteotiæ, quia operatur quioto gradu qui eſt perfectior tertio, quo natura calida, vt quinque operati poteſt: ergo hæc debiliùs contra agens calidum aget quàm frigidior natura, vt conſtat. Sed & ex parte caloria agentis, & introducentis febrem ſuadetur efficaciter maior facilitas incidendi in morbos ſimiles, quia natura calida vt quinque vt febriat, ſuſcipere debet ſextum gradum caloris: ſed ſextus caloris eſt actiuior quarto, ergo citiua producet ſextum quàm quartua quartum: Vnde clarè deducitur facilitas maior cadendi in ſimilea morboa. Deinde ſi quis opinetur quod gradus inferiores ſint conditio vt ſuperiores operentur validius, etſi effectiuè gradus inferior ad ſuperiorem non concurrat, opinabitur probabiliſſimè, & per conſequens quintoa gradus frigoris actiuior erit quàm tertiua, non ſolùm ob iotrinſecam perfectionem ſibi debitam, ſed etiam quia pluribus gradibus eiuſdem qualitatis coniunctus eſt. Cur enim dicet, coniunctio caloris cum ſiccitate erit conditio vt calor validius operetur, & non erit etiam conditio coniunctio caloria cum maiori calore? & inde dicet, quod octauus grados caloris ſi ſeorſim conſiſteret, tardiua octauum produceret, quàm ſi aliis ſeptem copularetur, quod indicat experimentom; quia quò agens intenſius eſt, quemcumque gradum citioa producit; iuuatur ergo multitudine formæ, aut quia tota concurrit ad productiooem cuiuſlibet, ſi ſunt ſimiles; aut quia ſi ſint diſſimiles, babent ſe inferiores vt conditio, vt perfectiores operentur validius & citius.

Eſt etiam argumentum contra oppoſitam ſententiam validiſſimum, oempe quod omnis febria ſemper expoſcit in cauſa excedentem calorem in notabili exceſſu. Quod euideoter conſtat in quauia remiſſa febre, nulla enim remiſſior quàm hectica admittitur, & in illa dantur pulſus maiores, celeriores, & crebriorea multò, qoàm in iuuene ſecundum naturam; vnde cum iuuenis ſit calidus in exceſſu, calidior multò eſſe debet quælibet cauſa febria: ergo natura frigida tardioa multò quàm calida febricitabit. Probatur euidenter, quia ad eum exceſſum ad febrem requiſitum pluribus gradibus caloris eget, quos non requirit calida: ſine fundamento ergo à tam probata & recepta ſententia, Authorea oppoſiti receſſerunt.

Quarto loco ponitur natora humida à prædominio, & in calore & frigore temperata: bæc enim ob exceſſum humiditatis oon loogè abeſt à putredine, cum

A fit moderatè calida, & ita dicit Princeps, quod talis natura ſtatim à principio patitur febres putredinales, & ex doctrina à nobis adducta antea conſtat, quod calida natura, & in alia oppoſitiooe temperata, ſit paratior ad febrem vſtionis, quàm humida tantùm ad febrem putredinis, eò quòd frigiditaa cum humiditate reſiſtit plus qoàm cum ſiccitate, & ita ad incidendum in febrem abſolutè paratior eſt calida tantùm, quàm humida tantùm, quia citios cadet in vſtionem, quàm humida in putredinem: & hoc Galenus docuit 8. *meth. cap.*8.

Sed doctrina Auicennæ planè Galeno aduerſatur, qui *cap.*8. nuper citato naturam ſiccam à prædominio, & in calore & frigore temperatam quatto loco conſti- B tuit, in quo Auicenna humidam collocauit; & abſolutè Galenua ſequendus eſt, ob fundamentalem rationem totius graduationis à nobis adductam. Nam ſi frigos cum humiditate operatur validius, neceſſe eſt quod bumida oatura tardius quàm ſicca febricitet, quia frigiditas humidæ actiuior erit, quàm ſiccæ.

Tandem dicit Auicenna, quod corpora frigida & humida, & frigida & ſicca, ſunt longinquiora à febribus, & propriè à diariis. Ratio eſt clara, quia ob frigoris exceſſum calori febrili introducendo validiſſime reſiſtunt, & magis multò quàm quatuor temperies Iam ab eo traditæ, quia nulla frigida erat in exceſſu. Eſt tamen hoc diſcrimen inter frigidam & ſiccam, & frigidam & humidam, quod illa febribus putridis plua reſiſtit, quia frigus & ſiccitas cauſis putridis ex C diametro opponuntur, & frigida & humida per vnicam taorum qualitatem, nempe per frigua: at verò ad febres vſtionia paratior eſt natora frigida, & ſicca, quàm frigida & humida, & incidet faciliua in vſtionem, quàm frigida & humida in putredinem, ob ſæpe adductam rationem de maiori actiuitate frigoris, quando humiditati copulatur.

Corporis temperati oblitus fuit omnino Auicenna, quod Galenus *cap.*8. *citato* poſt naturam à prædominio ſiccam collocauit, dicendo: *Ab hac deinceps media omnium eſt, quæ mediocritatem in vtraque appoſitione ſeruat.* Vnde videtur quod in quinto loco à Galeno collocetur, cum in ſexto potius deberet numerari; nam primo loco calida & ſicca, ſecondo calida & humida, D tertio calida tantom, & in alia oppoſitione temperata, quarto ſicca à prædominio, quinto humida, ſexto temperata. Et ratio eſt euidens, quia ſicca & humida à prædominio habent tam intenſum calorem, vt temperata, & ex alia parte iam io humiditate, & ſiccitate excellunt: ergo facilios incidunt in putredinem aut vſtiooem, quam temperata. Verùm eſt, quod pro Galeno reſpondeas, nimirum, quinto loco eam collocaſſe, & poſtea humidam, quia ſolum fuit attentus ad læſionem ex inedia venientam, & ex aliis cauſis ſiccantibus, à quibus plus temperata, qoàm humida offenditur, quia inedia plus ſiccat quàm calefaciat, & ſic minus offenditur homida; quinimo humida & frigida potiua inedia iuuatur, vt ibi Galenus docet, E quod Hippocrates ante illum docuerat 7. aphor. 59. dicendo: *Corporibus carnes habentibus humidas, famem adhibere conuenit, fames enim corpora ſiccat.*

Receptui ergo canentes ſic naturæ graduandæ ſunt iuxta noſtram ſententiam; aptior præ omnibus calida & ſicca febricitat. Secundo loco calida & humida. Tertio calida à prædominio, & in alia oppoſitione æqualia. Quarto ſicca à prædominio, & in calore & frigore æqualis. Quinto humida à prædominio, & in alia oppoſitione vniformis. Sexto temperata in omnibua ad pondus. Septimo frigida & ſicca. Octauo frigida & humida: vltimo frigida à prædominio & in humiditate & ſiccitate temperata. Ratio talis graduationis ex dictis perſpicua ſatis eſt, ſtabiliturque in duabus ſuppoſitionibus. Prima eſt, quod febris in communi, aut

ex

ex vstione, aut ex putredine caussatur: in quo omnes concordant authores. Secunda est, quod frigus humiditati adiunctum operatur fortius quàm si siccitati copuletur, calor verò econtra, fortius cum siccitate, obtusius verò seu debilius cum humiditate. Ex quibus suppositis ordo à nobis constitutus planè & necessariò deducitur; notando accuratè, quod quando fit comparatio inter corpora, debent esse omnino in omnibus æqualia, præterquam in eo, in quo comparantur, & respectu cuiuslibet est admittendum agens quod febrem producere possit, vt sic delirium reiiciatis putantis, quod calida natura quò calidior, tantò difficilius febricitat, quia non est tam facile inuenire agens quod naturam intensè calidam intendere possit; est vero facilius multò inuenire illud respectu naturæ frigidioris: nam hæc ratio nec refutationem meretur, quia omnis comparatio fieri debet supposito agente, quod naturas comparatas ad febrem perficere possit, alioqui comparatio ridicula foret.

CAPVT III.

De horis febrium.

CApvt quidem celebre propter vtilitatem, & ob insignes concrouersias, quæ non solùm antiquitatem totam malè torserunt, sed & modò omnium ingenia premunt & grauant. Est intentum Principis tempora morborum febrilium tradere, & exponere. Dicit primò, quod horæ, seu prima tempora febrium sunt quatuor, vt in aliis morbis; principium, augmentum, status, & declinatio. Rursus tempora, vel sunt vniuersalia, vel particularia; & notat, quod timor, seu periculum mortis est à principio vsque ad statum, apud declinationem verò seu in declinatione non moritur æger ratione febris iam inclinatæ, nisi ob alias causas quæ ab eo adducentur.

Deinde naturam cuiusvis temporis exponendo dicitur: *Est principium quidem, & hora in qua calor naturalis præfocatur à materia submergente ipsum in membro, & est hora in qua non apparet digestionis, aut diuersitatis eius contraria digestioni vestigium.* Augmentum est hora, in qua commouetur caliditas innata ad resistendum materiei motu manifesto, & apparent signa digestionis, aut digestioni contraria. Status est hora, in qua vehemens est pugna inter naturam & materiam, & apparet victoria vnius ambarum earum super aliam, & est hora pugnæ. Declinatio est hora in qua calor innatus iam dominatur materiei, & vincit eam, & existit in separatione congregationis eius, scilicet rei post rem, & tunc alleuiatur caliditas intrinseca, & expellitur ad extremitates donec resoluitur, & multoties accidit error; alia litera habet, & *multoties ingrossatur.*

Expositis temporibus tradit quædam eis competentià, quæ in quolibet tempore à nobis adducentur: notat tamen, quod plures febres complent principium, augmentum, & statum in vnica accessione, & in secunda iam declinat febris: differunt etiam febres, quoniam in quibusdam augmentum prolongatur, in aliis declinatio. Hæc Auicenna in littera.

QVÆSTIO I.

Quid sit febrium tempus.

TEmpus cuiusque rei si in rigore sumatur, nil aliud est quàm eius duratio & permanentia: verùm quia hæc consideratio vsibus medicis inartificiosa est, & parum vtilis, præsertim ad certam cognitionem temporum febris, in qua eam diuersitatem temporum Medici dimittunt, quatenus intensibilis & remissibilis est, vt ipse calor, in cuius entitate consistit febrium omnium natura, necesse est quod in eis tempora diuersa secundum quod incipiunt, augentur, & summum vigorem prout in morbo acquirunt, & tandem declinant, machinemur, & si ad rationem morbi requiritur quod sensibiliter actiones lædat, sic febris in quouis tempore lædere sensibiliter tenetur. Tempus ergo in communi sumptum postea definiendum quatuor differentiis contrahitur; principio nimirum, augmento, vigore, & declinatione: nam calor quando eam intensionem primò acquirit, quia iam sensibiliter lædit, constituit principium; si verò ita intendatur quod supra primam læsionem principium constituentem, aliam sensibilem læsionem de nouo superaddat, quæ si seorsim consisteret, læderet etiam, appellatur augmentum. Notanter dixi, *quæ si seorsim consisteret illa sola læderet*, quia quodlibet tempus morbi prout contra alia tempora distinguitur vt est pars morbi, ita vt pars sola lædere sensibiliter debet. Summus vigor, seu status est consistentia illa, seu duratio, sub qua summum intensionis prout in morbo acquisiuit, comprehendens eam intensionem maiorem quàm post augmentum sensibile sensibilem illam fecit. Ratio est, quia si postquam morbus seu calor febrilis intensionem primam sensibiliter lædens acquisiuit, constituit principium, etsi rursus magis intendatur, dummodo intensio illa sola priori addita læsionem inferret, augmentum constitueret, sic intensio sensibilis supra intensionem augmenti, vigorem constituit vsque ad vltimum gradum, prout in morbo, sub quo tempore durat, donec sensibilis remissio appareat, quæ declinationem constituat, vsque ad eam remissionem quæ iam sensibiliter non lædat: quod dico propter neutram dispositionem, quæ non rarò medicos fallit, & febrire ægros non solùm affirmant, sed iurant, cum alij sentientes melius, neutram dispositionem esse solùm sustineant, & si primos ignorantia non decipit, propter lucri cupiditatem mentiuntur; hæc intelligenda sunt de febre quoad eius entitatem formalem, & quatenus insensibilis, & remissibilis est.

Galenus verò non entitatem solam caloris respiciens, sed causam sensibilem eius, ex cuius variatione & mutatione diuersa, similis variatio in febre succedit, quod etiam in aliis morbis ab humore quouis pendentibus inuenitur, per causæ mutationem tempora definiuit & exposuit, aut per mutationem excrementorum à parte affecta manantium, vt in pleuritide, pulmonia, vlceribus omnibus, & alui, & ventriculi excrementis fecit; ea enim morbum, & tempora eius ostendunt: & cum Medicus possit illa vt sunt percipere, sic potest euidenter dicere, nunc est morbus in principio, nunc in vigore, nunc in augmento, aut declinatione, quia vt causa morbi mutatur, sic ille in certo tempore constituitur, & eodem modo per excrementa à partibus læsis manantia tempora morbi ostenduntur, vt propriis capitibus dicemus. Dixit ergo Galenus *lib. de optima secta*, quod tempus morbi est causæ morbi commotio: quæ definitio à quibusdam damnatur, quia non omnis morbus à causa dependet, quod mihi falsum videtur, si intelligatur de morbi productione; nullus enim est morbus qui absque causa productiua inueniri possit, & sic omnia eius tempora causæ commotionem includunt: est autem causæ commotio, operatio ipsa, quâ morbus producitur, aut conseruatur. Dixit etiam, quod morbi tempus sit morbi pars, aut ætas, quoniam totus morbus in quatuor partes diuiditur, principium, augmentum, vigorem, & declinationem: ætas etiam dicitur tempus, quia vt viuens incipit, augetur, & statum sibi debitum acquirit, post verò decrescit per senium, sic morbus in prima ætate incipit, in secunda au-

gerur, in tertia vigorem & ſtatum acquirit, tandémque declinat, & perit, vt pereunt viuentia ſenio confecta. Quæ explicationes in bono ſenſu accipi poſſunt, & nulla maior bonitatis earum probatio, quàm quod ab Argentetio *lib. de morb. temporibus cap.* 2. probentur; in noſtra verò ſchola tempus definitur, quod ſit morbi mutatio in diuerſo tempore apparens, nec ſumitur mutatio propriè quatenus dicitur rem aliter quàm prius ſe habere; nam ſic vigori, augmento, & declinationi ſolùm conueniret, nullatenus autem principio: igitur mutatio idem ſignificat quod apparitio, quaſi dicas, tempus morbi eſt eiuſdem apparitio in tempore diuerſo.

Quæ definitio impropriiſſima mihi apparet, quia idem tempus inuariatum ſi duret, apparet in tempore diuerſo; eſt ergo definiendum quod ſit diuerſa apparitio in tempore diuerſo, & hac ratione eſt etiam mala definitio, quia diuerſa apparitio neceſſario dicitur reſpectu alterius diſtinctæ apparitionis, quæ prius fuerat, & ſic non poteſt principium morbi comprehendere, ſi propriè loqui velimus; ſi verò minus propriè, rectè admitti poteſt, & fortaſſis melius definitur tempus morbi, quod ſit diuerſum eſſe partiale morbi. Sic enim rectè tempus exponitur, quia quodlibet tempus & diuerſum eſt ab alio, & vera morbi pars, in qua omnia tempora conueniunt, quod eſt intelligendum in ordine ad morbi entitatem: Si verò, quatenus dicit morbus reſpectum ad cauſam, tempus illius definiatur, optimè poteſt accommodari Galeni definitio, quod ſit cauſæ morbificæ commotio diuerſa, quia vt cauſa mutatur, commouetur ad operandum, & operatur diuerſimodè, quæ diuerſitas partim contingit ob contrarias diſpoſitiones, vt quando per putredinem principium conſtituit, & per coctionem augmentum, & vigorem in mea opinione; partim verò ob mutationem localem, ob quam declinare poteſt morbus, quia extra corpus cauſa pellatur, aut à parte patiente ſeparetur.

Ergo in præſenti diſputatione de temporibus febrium ſolum inſtituetur ſermo generalis, quia euidens eſt eorum cognitio ob manifeſtam & claram cauſæ cognitionem, & mutationis eius, ratione cuius tempora diuerſa febres participant, vt euidenter Medicus dicere poſſit, nunc febris eſt in principio vniuerſali, nunc in augmento, nunc in vigore, aut declinatione; & hæc eſt artificioſiſſima, & doctiſſima temporum diſtinctio, quia certitudinem ereat, & magnæ vtilitatis eſt; non ſolùm quia certò cognoſcimus ſub quo tempore morbus ſit, ſed etiam quia occaſionem auxiliorum nobis exponit, & qualiter victus inſtituendus ſit. Quæ commoda in temporibus per excrementorum mutationes deſignatis, non minus declarant. Quibus principiis Galenus noſter ſemper fuit vſus, tam in febribus putridis, quàm in pleuritide, pulmonia, vlceribus, ophthalmia, alui excrementis, in affectionibus eius, ſicut in muco per coryzas, & in catarrho per ſputa; iuxta quam conſiderationem poteſt eſſe morbus in entitate minor, quando eſt in augmentu aut vigore, per cauſæ mutationem, quod præcipuo loco explicauimus; & inde Galenus quando cauſa coquitur, ſemper dicit quod tunc coquitur morbus, nec aliud tempus in morbo aut ſymptomatibus diſtinxit ab eo in quo per cauſæ mutationem conſtituitur, vt infinita teſtimonia pòſt adducenda confirmant, quæ noſtrum Valleſium ſuaderunt, vt 10. *lib. controu. capit.* 60. diceret, nullum inuentum magis barbarum, quàm tempora diuerſa cauſæ, morbo, & accidentibus dicere; eò quòd Galenus eam diſtinctionem nunquam fuerit ſequutus ad medicam praxim docendam, & inde definiuit tempus morbi per cauſæ eius mutationem vt vidimus. Sit exemplum, Galenus ſemper docuit febres in principio vniuerſali, quandiu cauſa eius manifeſta coctionis ſigna non habet, in quo

A tempore poteſt eſſe morbus Intenſiſſimus, & remitti etiam valde in ordine ad entitatem, eò quòd materia cruda poteſt eſſe magis aut minus putrida, & etiam quia putredo poteſt eſſe in maiori aut minori materia, etſi putredo ſit ſimilis: in quo caſu ſemper morbus eſt in principio illo, quia ſemper eſt ſub crudia omnino excrementis, aut ſub putrida cauſa abſque aliqua manifeſta coctione: & quamuis morbus ſit intenſiſſimus ſubeunte omnino materia, malè diceret Medicus, quod tunc ſit in vigore morbus, quia cauſa eius in principio vniuerſali talem morbum conſtituit ob eius cruditatem, & per conſequens in vigore eſſe non poteſt, ſi cauſa eius in principio illo continetur, quia quatenus eſt cauſa morbi, in tali tempore eſt, & inde morbus etiam in eodem

B tempore erit. Et conſtat planè, quia nullus medicus audebit ſuſtinere, quod quando cauſa eſt cruda, ſit in vigore morbus, etiamſi intenſiſſimus ſit, quia poteſt intendi, aut extendi putredo, & magis ac magis perinde creſcere, & per conſequens incerta omnino eſt temporum determinatio, & inſida omnino, ſi per intenſum & remiſſum caloris definienda foret; quam fallaciam Galenus fugiendo, perſpicuas, & claras cauſæ mutationes vt tempora certò definiret, aſſumpſit, ob quod Horatius Augenius *lib.* 2. *de febribus, cap.* 9. docuit, quod medici non intelligant in omnibus morbis tempora eorum, ſed in illis ſolùm, qui à materia dependent.

Deinde Author tempora febrium diuidit dicendo; *Et hora ſunt quandoque vniuerſales, & ſunt quandoque*

C *particulares ſecundum quemlibet paroxyſmum*; ita vt principium morbi aliud ſit particulare, aliud vniuerſale, augmentum ſimiliter, & ſtatus, & declinatio: diſtinctio verò temporum vniuerſalium à particularibus ex diuerſo principio ſumitur; illa enim tempora ex putredine & coctione ſumuntur, particularia verò ex potione illa quæ ad creandam acceſſionem ad focum mouetur, & per conſequens in vnico tempore vniuerſali omnia particularia includentur, imo in vnica eius acceſſione, vt in littera Princeps inſinuat dicendo, quod horæ particulares ſunt ſecundum quemlibet paroxyſmum, quia qualibet acceſſio particularis ſi finiatur, incipit, augetur, vigorem ſummum acquirit, & tandem declinat, vt verè dicas, quod tempora particularia ſunt portiones materiæ cuiuſque vniuerſalia tempora, ſiue

D coctio, ſiue putredo ſit, quia illa tempora à coctione abſtrahunt, eò quòd non minus ſub putrida quam ſub cocta materia appareant, & per conſequens tempora particularia in vniuerſalibus nequeunt aliquam mutationem efficere, ſed ſub illis potius continentur tanquam partes eorum, vt principium, augmentum, ſtatus, & declinatio materiæ omnino putridæ, ſint tempora vnius tantum temporis vniuerſalis, principij videlicet, quia illud principium per ſolam materiam crudam conſtituitur; particularia verò tempora, etſi includant putredinem, quia ſine illa febrem non efficerent, præter illam tamen aliud includunt per quod contrahuntur, vt in quolibet tempore ſeorſim dicemus.

E

QVÆSTIO II.

Per quid conſtituatur vniuerſale principium.

TAm clara eſt Galeni doctrina circa vniuerſalis principij conſtitutiuum febrium putridarum, vt de eius mente dubitare ſit nefas. Supponit primò vt certum *lib. de totius morbi temporibus, cap.* 2. quod principium illud dici non debeat primus morbi inſultus, ſeu prima apparitio: hæc enim acceptio nullam vtilitatem parti curatiuæ affert, eſtque præter rationem æquale principium in omnibus morbis admittere, & quod tam breue principium morbus per annum duraturus,

turus, vt qui intra dies quatuor finitur, obtineat. Vnde etiam infert ob eandem rationem, quod principium vniuersale spatio trium dierum determinari verè non possit: cui doctrinæ nos addimus, quod intra primos tres dies & mori, & saluari ægros euenit, vt in extremè peracutis morbis experimur, & docuit Hippocrates 3. *prog. text.* 2. dicendo: *Mitissimæ febres, & signis firmata securissimis, quarto die, aut citius finiuntur, deterrimæ autem, & signis ferocata pessimus, quarta die, aut citius occidunt.* Vnde si febres ad bonum, & salutem ante quintum iudicantur, & tales necessariò tempora quatuor percurrere debent, vt est omnium medicorum consensus; repugnabit planè quod eatum vniuersale principium ad diem tertium extendatur, cum intra illos tres dies, & augmentum, & vigorem, & declinationem pertransisse necesse sit. Et rursus cùm perniciosæ, & desperatæ febres intra diem tertium necare soleant, & tribus primis temporibus (vt in littera author docet) interficere possint, poterunt non dubiè illa prima tempora tria intra tertium diem pertransire, & inde principium vniuersale spatium trium primorum dierum significare propriè non potest, sed erit falsissima acceptio: neque ignorare licet, quod interdum soles principium significare spatium quatuor dierum, vt 1. *prorrhet. com.* 1. Galenus docuit; verum frequentissima acceptione pro spatio trium dierum sumitur, vt sæpius Galenus docuit.

Est ergo doctrina Galeni *cap. 3. lib. de totius morbi temporibus*, quod principium vniuersale febris pendent is ex humorum putredine, sit totum tempus cruditatis humorum molestantium; vnde constat febrem esse in principio illo toto tempore in quo materia cruda primò putrida absque manifesto signo coctionis inuenitur, siue febris crescat, siue minuatur: vbi notabitis propter dicenda inferius, quod Galenus tempora febris per mutationem putredinalem causæ, aut coctionem cum putredine definit, non distinguens entitatem febris à causa in ordine ad temporum constitutionem, quam doctrinam vt inuiolabilem in arte medica semper tenuit, ob quod 1. *de crisi. cap.* 8. scripsit. *Principium vniuscuiusque morbi coctionis signis determinatur* non quidem quod sit principium quando signa coctionis damur, hoc enim præceptis eius planè aduersatur, vt inferius constabit, sed determinat idem quod finiri significat; quam doctrinam in præsenti carere Auicenna transsulit dicendo: *Et principium quidem est hora in qua calor innatus præfocatur à materia submersa in membro, donec appareat vestigium maturationis, &c.* Constat verò quod quandiu calor innatus præfocatur, durat sub potredine absque signo coctionis materia morbi, & per consequens est in principio vniuersali, quod Galenus 1. *de crisibus, capite* 19. sequentibus verbis docuit: *Nam iam perfecti principij manifestum & firmum est signum coctio manifesta.* Et rursus paulò inferius scripsit; *Specialiora verò indicia futuri sunt primo ægritudinis tempore coctionis indicia sunt.*

Est tamen dubium, si adducta definitio principij sit vniuersalis principij, an verò particularis: putarunt quidam in nostra schola, adductis verbis vtrumque principium definitum fuisse, & particulare exponi illis verbis: *Est hora in qua caliditas innata præfocatur*; & per illa verba, *in qua non appareant maturationis vestigia*, principium aliod declarant. Et hoc vltimum constat planè, quia in principio particulari accessionum quæ in declaratione vniuersali fiunt, signa coctionis verissima apparent & perfectissima: ergo non potuit particulare principium definiri.

Quod verò prioribus verbis principium vniuersale non definiatur, sed particulare, suadent quia non est assignabilis causa, ob quam quando adest humorum cruditas, calor natiuus soffocetur. Nec obstat si dicatur causam esse magnam fuliginem copiam in illo principio suscitatam, & calorem natiuum suffocantem. Sed contra esse dicunt, quia in summo vigore aut perturbatione critica, maior copia fuliginum datur, vt planè ostendunt symptomata pluta iis temporibus molestantia, & maior febris intensio, & nihilominus vitalis calor non suffocatur. Præterea, quia non est sufficiens qualibet fuliginum copia, vt calor natiuus suffocetur, & inde etsi detur maior quantitas in principio quàm in aliis temporibus, non est necessarium quod sit tanta, vt calor suffocetur. Et confirmatur, quia in statu & declinatione accessionum vniuersalis principij, pulsus satis bene dilatantur: ergo non suffocatur à copia fuliginum vitalis calor, quia cum tanta quantitate non erat possibilis tam magna arteriarum, & cordis dilatatio. Et si ab iis authoribus inquiratur, cur in particulari principio cuiusuis accessionis calor natiuus suffocetur? Respondent quod in rigoribus febrium ita contingit, quia in eis calor vitalis ad intra retrahitur, & sic suffocatur, quia moto ad extra priuatur: in aliis verò principiis sine rigore incipientibus conuocatur causatur à vapore, aut portione humoris, quæ tunc moueri incipit, & inde calidiras natiua præfocata apparet, & pulsus tanta contractio inuenitur, notàndque quod calidnas natiua apparet præfocata: sed vera suffocatio non est, sed conuocatio sola, aut retractio ad interna.

Hæc opinio, & explicatio definitionis principij mihi non probatur, sed tenendum est per eam definitionem, secundum omnia verba principium vniuersale definiri. Et constat ex mente omnium expositorum sic definitionem exponentium, & copula verborum priorum cum vltimis in translatione Genilis & Cesari nostram sententiam confirmat: verba sunt: *Et principium est hora, in qua calor innatus præfocatur à materia submersa in membro tamdiu, donec appareat maturationis, aut dispositionis contrariæ eius maturationi vestigium.* Quæ verba de principio particulari intelligi nequeunt, cum in eius materia coctio, aut signum coctionis repugnans nunquam expectetur: ergo si ex mente Auicennæ principium est hora, in qua calor natiuus præfocatur à causa morbi, quousque appareat coctio, aut repugnantiæ coctionis vestigium, repugnat quod particulari principio verba accommodari possint ob allatam rationem, quia nunquam in materia accessionum particularium coctio expectatur, vt earum augmentum veniat, & principium terminetur. Et adducta opinio ex verbis Auicennæ suscitatur; hic enim author non dixit, quod in toto corpore calor natiuus præfocetur, sed in membro determinato, in eo nimitum, in quo focus putredinis stabulatur; nam in eo calor natiuus per totum illud principium reatur à præfocatur, & à causa putrefaciente vincitur; ex qua victoria emanat, quod signum, aut vestigium coctionis oon appareat, vt ex ipsa coctionis priuatione, quod calor natiuus præfocetur, perspicuè deducitur, alioqui coctio appareret.

Nec obstat si dicas, quod victoria causæ morbificæ in principio vniuersali, non semper ex præfocatione vitalis caloris oriri tenetur, & per consequens principium vniuersale per illam definiri perpetuò non potest. Constat planè, quia & à nimio frigore antecedentis materiæ, & à corruptione praua, aut venenosa condit one, calor natiuus superari potest, imò & ab ipsa causa simpliciter putrefaciente potest calor naturalis corrumpi absque præfocatione, quia actiuitas eius potest esse maior quàm vigor naturalis caloris. Respondetur, quod etsi hoc ita sit, tamen in febribus putridis semper est verum, quod in principio illo caliditas natiua præfocetur, & hoc in foco determinato putredinis est euidens, quia magna copia humoris ad eum mouetur, & inde totus impletur & obstruitur; & quod vitalis calor suffocetur ex ipsa victoria causæ morbificæ, constat planè, quia in omnibus febribus putridis, non prauis, aut malignis, non decet alias causas consulere, etsi ad victoriam

riam conducant, cum hæc sola sufficiat & in omnibus febribus inueniatur, in quibus datur focus determinatus, in quem humores moueantur. Dico secundò, quod adhuc in toto corpore datur caloris vitalis præfocatio, maior in principio quàm in reliquis temporibus, & per consequens optimè definitur à nostro authore per præfocationem illam. Ratio est, quia toto tempore cruditatis, datur totius maior obstructio, ob quam calor vitalis non ventilatus obruitur fuliginibus, & coquere non potest, sed putrefactio vincit: & inde Galenus ex pulsus maiori contractione crudam esse materiam morbi colligit. Est elegans locus 4. *lib. de præsagatione ex puls. cap. vltimo, ad finem*, cuius sunt hæc verba. *Quare pessimæ sunt excretiones, quæ pulsum nec magnum obtinent, & celerem in contractione ostendunt. Porrò autem si etiam se plus intro recipiat, fumosi hic excrementi affluentis in primis est nuntius, atque ob id crudi morbi.* Quo loco clarè docet tempore cruditatis affluentiam dari fuliginosi excrementi, & vtrumque significari celeritate contractionis in pulsu. Ratio est, quia tempore cruditatis effumant succi putrescentes, vt ligna viridia, multum nimirum, & crassum, nondumque digestum; quod ob crassitiem & corpulentiam in corpore nimis obstructo, vt est in febrium putridarum initio, difficulter transpirat & resoluitur; & inde plus quàm in reliquis temporibus vitalem calorem suffocat; quod etiam consonum est Galeni doctrinæ dicentis, quod tempora vniuersalia quandam proportionem cum particularibus seruant. Vnde si in principio particulari ab aduersariis caloris vitalis præfocatio, & oppressio admittitur, idem incommodum in vniuersali principio admittendum est, quia similia sunt in modo afflictionis. Ex quibus deducitur, quod etsi in vigore, & declinatione accessionis particularis pulsus dilatetur, nunquam tamen tam bene in accessionibus vniuersalis principij, vt in aliis temporibus ob copiam obstructionum & fuliginum plenitudinem; & quia quæ ex succis putrescentibus eleuantur, crassiora, corpulentioraque sunt, vt ex lignis viridibus crassius & nebulosius eleuatur excrementum fuliginosum. Quo exemplo Galenus passim vtitur. Rectè ergo noster Princeps asseruit, quod principium est hora, in qua calor natiuus præfocatur in foco putredinis præcipuè, & in vniuerso corpore etiam, quod ex dictis, & rationi, & Galeno consonum esse constat.

Nec adducta in contrarium alicuius momenti sunt, cum in illo principio copia maior fuliginum eleuetur; & quamuis esset minor, suffocaret magis ob corpulentiam & crassitiem, & quia corpus plus obstructum inuenit; ob quam conditionem in vigore non inuentam, & maiorem tenuitatem fuliginum obstruerent, minus autem suffocarent, etsi in maiori copia darentur in augmento & vigore. Sed quod in vniuersali principio plus fluat ad focum quàm in aliis temporibus, concedunt omnes, & inde in illo suffocatio maior contingit; quod verò in critica perturbatione non poterit calor vitalis plus aliquando opprimi, falsum est, nec oppositum poterit probari.

Obiicies; ergo quamvis calor febrilis vehementer augeatur, dummodo materia sit cruda, dicendum erit quod febris sit in principio; hoc autem videtur contra rationem, cùm entitas febris tam intensa reddatur supra priorem sensibilitatem. Respondetur quod in Galeni doctrina ita tenendum, vt antea insinuauimus; dicendum itaque est, febrem semper esse in vniuersali principio, quandiu materia eius nullam coctionem manifestam ostendit, quia existentiam sub tali tempore, non ab entitate, sed à causæ eius determinata alteratione, & motione mutuatur, & inde in morbi principio perire dicitur, quia sub cruda materia occiditur, etiamsi intensissima febris oppressisset illum; vt si remitteretur vehementer, & nihilominus cruditas materiæ duraret,

A non in declinatione, sed in principio interfectum fuisse asserendum est. Sic docet Galenus 1. *de crif. cap.* 17. dicendo: *Nam si morbus naturá longus extiterit, vt quotidiana febris, & videatur in hoc ægroto tardè moueri, ac quodammodo succendi, & suffocari, & hyems fuerit, regio frigida, & ætas, multo tempore intermedio eget ad manifesti signi generationem, quod totum tempus principio erit contribuendum.* Cui testimonio & doctrinæ, nec sibimetipsi consentaneus videtur Horatius Angenius; nam cùm ille tempora morbi, & causæ non distinguat, etiamsi morbus intendatur, tempus mutare non potest, si eius causa sub eadem cruditate manet; an verò quævis putredo principium constituat semper tam in febre salubri quàm in mortali, inferius discutiendum est: dicitur tamen cruda materia ob putredinem, quia &
B priuatur coctione quam obtinebat, & caret etiam termino coctionis, que sub forma sedimenti, aut puris constituitur, quando à natura putridus humor coquitur.

Appendix.

De iis quæ cuilibet principio conueniunt.

SI principium sumatur pro primo morbi insultu, magni momenti est eius certa cognitio, ad certitudinem dierum criticorum; sunt enim numerandi à
C prima apparitione febris, quod cùm sit in doctrina Galeni tam certum, quàm quod certissimum, nullo modo eius doctrina potest admitti, quod principium in hac acceptione nullum commodum arti medicæ afferat. Est etiam vtilissimum ad medici honorem; nam si in opinione Galeni Medicus doctus videns primam morbi accessionem, tenetur agnoscere quod sit tertiana, quotidiana, aut quartana, poterit diem, & horam repetitionis præsagire, & vulgo admirabilis erit, si vsque ad tertium aut quartum non redituram febrem præsagiat, & horam etiam reditus diuinare poterit, ex cuius cognitione aliud commodum suscitatur, nimirum idoneum cibationis tempus in die accessionis futuræ. Id etiam ex nobis obseruans, quod si tertiana exquisita, aut quæ proximè ad eam accedat, fuerit, raro primæ accessiones
D anteponuntur, quod & præsagium eum conditione erit, eam anticipationem timendo, & idoneum tempus cibationi. Rursus si tertiana exquisita vltra horas duodecim extendi non potest, hoc etiam à primo insultu numerandum est, & translationis eius certam horam negatiuè saltem prædicere medicus poterit, dicendo; ante horas duodecim hæc febris euanescit, & si Astrologiæ fides adhibenda est, ab eo primo insultu (punctum vocant Astrologi) tota ratio præsagiendi pendet, eò quòd in eo sub tali positione, & Luna, & reliquæ Planetæ fuerint collocatæ, salutem, aut mortem, aut morbi diuturnitatem, vel determinatum abscessum significantes. Similiter quod febris sit diurna, aut nocturna, à puncto inuasionis dependet, si deinceps mutatio in
E paroxysmis non fiat: ergo primus morbi insultus magnæ vtilitatis artis medicæ erit. Hippocrates 4. *de victu acut. tex.* 57. scripsit: *Obseruare autem oportet primum diem, quo æger valere cœpit, principiumque vnde & quando inspicere, &c.*

Si verò principium sumatur pro tribus primis diebus, minoris frugis esse videtur, de illo enim solùm legimus, quod si in eis signa coctionis appareant, morbum breuem significat. Sic Hippocratem Galenus interpretatur 1. *aphor. commento* 12. dicentem, vt in morbo laterali, si circa initia statim sputum appareat, morbum breuiat: Galenus *in commento: Quod ante tertium diem exspuisset, vel circa septimum, vel nonum, vel omnino vndecimum diem indicatio esset subsecuta, & si in*

in ipso tertio die exspuere cœpisset, quatuordecimum diem non transcendisset. Et inferiùs; *Verum si hæc circa tertium, vel quartum diem apparuerint, non contingit morbum transcendere septimum diem.* Quo loco principium non solum tertiam, sed quartam etiam diem corpus comprehendere docuit. Hippocrates etiam 1.*prog. text.*7. *&* 9. si facies ab eo depicta inter initia, hoc est intra tres primos dies, in ægris absque externa causa se ostentet, lethalem esse notam aduertit.

Principium verò vniuersale quatenus materiæ cruditatem significat, magnum commodum arti medicæ præstat, in illo enim magnorum auxiliorum occasio continetur. Constat ex Hippocrate 1. *aphor. textu* 29. dicente; *Cùm morbi inchoant, si quid mouendum videtur, moue: cùm verò consistunt ac vigent, melius est quiescere.* Quo loco per initium morbi cruditatis materiæ tempus Galenus intelligit, quia nunquam auxiliis maioribus natura indiget, quàm quando à morborum causis magis superatur; nunquam verò superatur magis quàm vbi putredo succorum præualet, & calor vitalis oppressus nullum signum coctionis manifestum præbet: hoc autem in principio vniuersali in dicta significatione euenit, quod ipsa Galeni interpretatione constat. Verba sunt: *Circa initia verò illorum morborum, in quibus speramus ægrotum conualiturum, tentandum est maiora afferre remedia, de quibus Hippocrates dixit, si quid videtur mouendum, moue, sunt autem hæc maximè quidem, vena sectio, nonnunquam verò & purgatio, quorum neutrum oportet in vigore adhibere, vt enim in lib. de crisibus manifestauimus, coctiones morborum tunc maximè fiunt. Vt igitur hæc citius eueniant, melius est in principiis euacuare, quò minorem iam factam materiam facilius natura possit concoquere.* Hæc Galenus; ex quibus deducitur primùm, quod per principium vniuersale sit intelligendum tempus cruditatis; nam auxilia maiora in primo insultu celebrari repugnat, & non solùm in tribus primis diebus, sed in aliis etiam sanguinis missio, & expurgatio imperanda sunt, si indicentur. Vnde Galenus non solùm *in methodo*, sed 4. *de victu acutor.* sustinentes quod à certo numero dierum ad imperanda auxilia maiora indicatio sumatur, reprehendit, cùm numerus eorum nihil indicet, sed morbi conditio, & grauitas.

Deducitur secundum, quod Galenus docet in vniuersali principio sanguinis missionem præcipuè conuenire, quia innumera commoda ex eius imperio sequuntur, vt in communi methodo trademus. Dicitur verò quod aliquando conuenit purgatio, qui locus Achilles est opinantium, quod in morborum principiis sit interdum minoranda materia medicamento expurgante; & cùm Galenus cum limitatione loquatur dicendo, *nonnunquam verò & purgatio*, magno ægrotantium incommodo occasionem illam ratam subiicuit, quam non inueniens Vega, ad turgentiam succorum ne erraret, confugit, cum humores turgentes non minorari sed eradicari debeant, & sic ea expositione securam & certam praxim adducat, Galenum tamen absque errore interpretatus non fuit; nam reddendo rationem dixit, *quò minorem iam factam materiam, facilius natura possit coquere*; turgens verò materia incoctilis est, & non minorari, sed ex toto eradicari indicat & exposcit: ergo quod ex textu deducitur, est quod in principio vniuersali est secandi venam occasio principalissima, raro verò ad expurgandum inuitat, quod in communi methodo à nobis exponetur; neque licet modò in huius rei confirmationem *aphor.* 22. *primæ sectionis* tacere, dicente Hippocrate; *Cocta medicari oportet & mouere, non cruda, nec in principiis nisi turgeant.*

Habet verò hoc tempus incommoda non leuia. Primum sit, quod cum in eo maior humorum copia detur, est plus in eo cibandum, vt vsque ad vigo-

A rem æger sufficere possit, iuxta oraculum Hippocratis 1.*aphor. text.* 10. *ad finem. Prius verò vberiùs victus* (inquit) *adhibendus est, vt æger sufficiat.* Sit secundum, quod cum in principio sit corpus magis obstructum, deobstruentia non admittit nisi prius inanitum sit totum, quia deobstruentibus humores impetuosios confluunt ad focum, si antequam multitudo deposita fuerit imperentur, obstructiones geminantur; quod in iis verbis 8. *meth. cap* 4. Galenus præcipit. *Præstat enim vitiosi succi maiori parte emissa, ad detergendas obstructiones accedere, cùm alioqui metus sit, si obstructionibus liberandis prius quàm vacuaueris, studeas, ne ipsas magis impingas.* Hinc fit vt non leuiter errent medici, si in vniuersali principio frigidum nimia, & copiosum potum imperent, quia obstructiones indurantur, & corpus à frigore coarctatur B & densatur, sicque minus perspirabile redditur, & plenitudo augetur, quia minus transpirat, vt nulla occasio maior ad morbi longitudinem esse possit, quàm amethodè frigidam dare in principio vniuersali; tum etiam quia cùm in principio illo in magna copia humores ad focum confluant, si nimius potus detur, confluunt impetuosius. Neque obstat si dicas, ob idem inconueniens fore etiam alimentum subtrahendum, quia non potest non augeri fluxio si alimentum non detrahitur. Sed contra est, quia potus fluxionem concitat, & virtuti non succurrit, & inde absque vllo commodo incommodus est: cibus verò etsi fluxionem ad focum proritet, quod euitari non potest, virtutem tamen instaurat, cuius C indicatio alias quascumque superat. Neque inde inferas, quod si in vniuersali principio mouentur impetuosius humores ad focum, sit falsum quod antea docuimus, nimirum quod plus alimenti in principio vniuersali sit offerendum, cum in inflammationum principio tenuissimè cibare præcipiat Galenus, eò quod in illo ferocius humores mouentur. Verùm est ratio dispar, quia inflammationibus mouentur in solo vniuersali principio, & in febribus repetentibus, in omnibus temporibus mouentur, cùm in omnibus dentur accessiones, & inde in principio vniuersali inflammationum tenuissimè cibamus, & postea sensim augemus: in febribus verò cùm in omnibus detur indicatio subtrahendi cibum, & quia in principio distat plus summus vigor, plus cibandum est, D vt vigorem virtus attingat. Rursus in inflammationibus, & tumoribus præter naturam, totum quod confluit, seruatur in loco affecto, & per consequens in principio vniuersali tenuissimè cibandum est, ne ita inflammatio crescat, vt non medicabilis fiat; in febribus verò repetentibus quod ad focum mouetur, ferè totum resoluitur, & sic minus vrget indicatio fluxionis quàm indicatio virtutis, & inde cibamus vberius; quod discrimen notabitis, vt non leues difficultates soluatis, etsi difficilior soluta iam sit.

Sed vrgebis, supponamus quod inflammatio interna dies quatuordecim sit duratura, & quod febris eundem terminum attingere debet; videtur quod laborans E inflammatione teneatur necessariò perire, si in vniuersali principio cibatur tenuissimè, vt Galenus præcipit. Patet, quia in ardentis febris vniuersali principio vberius cibamus, ne ante vigorem virtus cum vita deficiat; ergo si inflammatione oppressus eundem terminum, & dierum spatium attingere debet, deficiet necessariò ante vigorem, si in principio vniuersali tam tenuiter cibetur. Respondetur, quod in morbis eundem terminum attingentibus eadem cibi quantitas necessariò est danda, & sic eadem in dictis ægrotis imperabitur; verùm cum hoc discrimine, quod in inflammationis principio, quod minus datur, per alia tempora sensim augetur, at in ardente febre è contra; quod plus in eius principio offertur, sensim per alia tempora subtrahitur; & sic æqualis cibi

quanti

quantitas illis tribuitur, vt virtus & vita seruentur. Nec obstat, si dicas quod inflammatione laborans contra Hippocratis præceptum cibatur, nam *aphor.* 8. *sect.* 1. scripsit: *Quando morbus in suo vigore constiterit, tunc victu tenuissimo vtendum est*; ergo si sensim cibus augetur post inflammationis vniuersale principium, non cibatur tenuissimè in inflammationis vigore. Rursus *aphor.* 10. dixit idem Author, quod non solùm in ipso vigore, sed parùm ante illum cibus subtrahendus est; contrarium verò in laborante inflammatione exequimur, cum ante vigorem, & in ipso vigore cibum in copia maiori quàm in principio impetremus. Quinimo rationi & authoritati Galeni *in expositione aphorismi* 8. talis modus cibandi refragatur; dicit enim, in vigore cibandum esse tenuiter, tum propter symptomatum magnitudinem, tum propter morbi coctionem: nec enim (inquit) distrahere oportet naturam ad alteram nouam coctionem, cùm eo tempore humorum morbum facientium coctioni fortiter vacet, sed quando inflammatio suppuratur, est vigor illius, vt *lib. de totius morbi temporibus* Galenus docet, tuncque febres & dolores maiores fiunt, vt *aphorismo* 47. *lib.* 2. Hippocrates docet; ergo & propter symptomatum magnitudinem, & ne coctio & suppuratio materiæ impediatur, cibare docet tenuissimè, & non in principio vniuersali, vt docuimus; alioqui symptomata ingrauescent, & quod peius est, & plus formidandum, coctio, & victoria morbi impedietur, quia ad nouam alimenti coctionem natura distrahetur.

Verùm ex dictis solutio elicienda est, quia cum certum sit totam materiam ferè in inflammationibus C & tumoribus ex fluxione creatis, intra locum inflammatum seruari, & accumulari, nunquam cibatio maior grandius periculum quàm in vniuersali principio machinatur, ob impetum naturæ ad expellendum, & inde (vt docui) ne ob magnitudinem non medicabilis inflammatio reddatur, tenuissimè in principio cibandum est, & postea sensim cibus augendus. Accedit alia ratio, nimirum quod humoribus intra vasa existentibus coctioni eorum cibus vberior vehementer obstat, quia sanguis in maiori copia creatus cum putridis humoribus permiscetur, & sic coctio eorum retardatur, quia distant plus ab agente coquente ob permixtionem aliorum humorum, & quia ab illis etiam repatiuntur, & simul etiam natura: at in inflammationibus cùm humor totus extra vasa sit, & intra poros collectus, ac D vehementer vnitus, & ad eum locum paucissimum ex sanguine genito, aut ferè nihil accedat, quia pars plena est, ideo coctio non impeditur in vigore quando coctio perfecta celebratur, & sic securius multò in illo, quàm in principio vniuersali plenius cibantur; & si inflammatio in thorace sit, est alia ratio peculiaris, ob quam in vigore & ante illum cibus vberior imperandus sit, nempe quod eo tempore iudicium morbi per sputum fiat, ad cuius expulsionem multa vi opus est, quia media tussi reiicitur; indiget verò vis fortis vt seruetur & duret, alimento vberiori, vt 5. *acutorum, tex.* 23. Hippocrates docuit.

Est etiam principium vniuersale infelicissimum tempus morborum acutorum iudiciis, ratò enim funesti non E sunt, aut grande periculum innuunt, si crises eorum eo tempore natura tentet. Sic 1. *epid. sect.* 2. *tex.* 45. & 46. sequentibus verbis Hippocrates tradidit: *Coctiones iudicij celeritatem, salutisque securitatem significant, cruda autem, & incocta, & ad malos abscessus conuersa, indicationis carentiam, vel dolores, vel longitudinem, vel mortes, vel eorundem malorum reditus.* Et 4. *aphor. tex.* 22. scripsit; *morbis quibuslibet incipientibus, si atra bilis, vel supra, vel infra exierit, lethale.* In cuius loci expositione testimonium ex 1. *epid.* paulò ante à nobis adductum Galenus tradidit, qui absque ratione doctrinam Hippocratis coarctat, cum de solis morbis à putredine ortis aphorismum interpretetur, Hippocrates verò ad omnes mor- A bos illud præsagium propagat, & extendit, cùm dicat; *morbis quibuslibet incipientibus.* Non itaque periculi caussa in eo quod cruda materia idest putrida sine coctione excernatur, consistit, sed in praua humoris natura fundatur, & inde duplex periculum si morbus febrilis sit, emanat; vnum, quòd pendeat ex causa tam praua: aliud quod absque signis coctionis iudicium tentetur; & hoc secundum, cuicumque humori intempestiuè expulso commune est, & vt dixi, ratò non est perniciosum aut mortale, quod Hippocrates 2. *epid. sect.* 1. *tex.* 90. sic docuit: *Etenim eorum, qui statim morituri sunt, celeres indicationes, etenim labores celeres, continui. Quæ autem indicant in melius, ne statim appareant, indicatoria non indicantia, partim mortalia, partim difficilis indicij: quæ præindicata, si cum cruditate indicata* B *sint recidiuæ, sin minus acrisia, fuerunt autem & mortalia, quæ non parua.*

Quibus constat, quàm perniciosa sit iudicationum in principio vniuersali apparitio, vt ea quæ bene iudicare solent, quando coctio præsupponitur, appareant perniciosè sub cruditate, & in vniuersali principio, quia quæ cruda euacuantur, morbum tollere nequeunt, suntque per consequens iudicatoria, non iudicantia. Dicuntur verò non iudicantia, quia nec morbum omnino tollunt, nec magnopere minuunt: quæ verò nec minuunt, nec tollunt, aut mortalia sunt, aut difficilis iudicij morbum significant. Distinctio verò ex adiunctis aliis accipienda est, mors enim meritò timebitur, si euacuationes principij magnæ fuerint: ob hoc enim dicit Hippo- C crates, lethalia fuisse quæ parua non fuerunt; nam quæ mala sunt, tantò grauiora erunt, quantò maiora, quia velocissimè vires dissoluunt, & multum: aut enim intolerabilem irritationem, aut magnam retentricis effeminationem significant, tam maleque de euacuationibus in vniuersali principio tentatis Galenus sentit 4. *aphor. tex.* 22. vt sequentem sententiam scripserit. *Quando aliquis morbus incipit, si quid excernitur, nihil tunc excernitur ratione naturæ, sed omnia sunt symptomata earum quæ sunt in corpore præter naturam dispositionum. Quo enim tempore a caussis morbum facientibus natura grauatur, & abest cruditas humorum, tunc aliquid bene euacuari est impossibile.* Quæ doctrina raros euentus non tollit, interdum enim euacuationes symptomaticæ cum naturæ commodo fiunt, materiam morbi minuendo, aut mor- D tem retardando, vt ex historiis *in lib. epid.* ab Hippocrate relatis constat, illúdque Tralianus *lib.* 8. *cap.* 7. tradit dicendo: *Quare initio ea quæ corporis commodo, atque vtiliter excernuntur, reprimere minimè conuenit, nec materia sursum educta humorum supradictos affectus generat, sed ad statum vsque contemperari cibis debem.* Quomodo autem in permittendis, aut sistendis symptomaticis euacuationibus Medicus se gerere debeat, Vallesius noster 5. *meth. cap.* 14. doctissimè exposuit: cur verò in principio febrium tam perniciosæ & periculo plenæ euacuationes sint, & nequeat natura vtiliter euacuare, *tractatu de maligna febre* docuimus. Est verò doctrina tradita de euacuatione indicatoria totius morbi intelligends, nam euacuationes partiales, quæ paroxysmos se- E quuntur in principio, aut in fine, pessimam significationem, vt vniuersales non habent.

Est autem dubium, si in principio deobstruentia, & detergentia auxilia conueniant, an verò concoctoria solum, & attemperantia. Dubij occasionem Galenus præbuit 1. *aphor.* 28. in quo non solùm medicamenta expurgantia, quando cruda est materia, non admittit, sed omne aliud motionis genus reformidat. Verba sunt: *Eos verò (humores scilicet) qui sunt in aliqua parte corporis formati, nec vllo alio auxilio mouere oportet, nec medicari ante coctionem.* Verùm huius dubij solutio ex hoc alio perspicua est: dixit enim Galenus 8. *meth. cap.* 4. *Præstat enim vitiosi succi maiore parte emissa, ad detergendas obstructiones accedere.* Vnde constat,

quod

quod post commodam venæ sectionem, deobstruentia & detergentia conueniunt, nam motio eorum, nec turbationem aliquam, nec languorem virium, nec aliud damnum infert, suntque ex alia parte vtilissima, eò quod tenaces succos obstruentes secant, detergunt, & sic deobstruunt, vt ventilatio noua putredinem cohibeat; ergo potiones, aut syrupi ex attemperantibus, concoctoriis, & deobstruentibus parabuntur, notandum accuratè, quod sine acidorum permistione nunquam imperentur, quoniam putredini succorum strenuè resistunt, & biliosos ac pituitosos respiciunt, appetentiam suscitant, & sitim extinguunt. Quod si ob vteri proprietatem in fœminis acida timeas, crede non sine magno incommodo acidis priuari. Verùm si constet eis quando bene valebant non lædi, per febres non licet acida timere, quia calore febrili eorum damno vterus resistit. Circa quod contra vulgi opinionem audiendus est Galenus 3. *de victu acutorum*, tex. 2. Verba sunt: *Quod si viscosi humores fuerint, non humiditate solum est opus, verùm quoque & ea quæ ab acidis fiat succis detersione.* Galenus verò illo aphorismo, quæ magnam commotionem suscitant damnat, vt vomitoria, clysteres fortes, cucurbitulæ, & vehementes frictiones, quia si cruda non sunt medicamento expurganda, nec dicta auxilia conueniunt, quia commotionis incommodum æquale est, vtilitas verò impar, nihil enim notabile educunt; medicamentum verò expurgans, etsi commoueat, educit tamen magnam humoris portionem: cur verò quæ humores commouent, dehortentur, est quia coctionem impediunt, cum retentio eorum tam necessaria conditio sit, vt coquantur; ob quod Hippocrates 4. *de victu acutorum*, tex. 44. præcipit, corpus quieti permittere, vngere, & æqualiter contegere: tex. 40. coctioni opitulantia explicuit dicendo. *Iacere autem in conclaui obscuro debent, & lecto valde molli, diuque positum eum sustinere, & quamminimè se proiicere, & iactare, nempe id talos maximè iuuat.* Lux enim commouet, exterius vitale calidum trahit, & sic coctioni obstat; ergo tenebræ conducent, lectum molle ad quietem plurimum valet, & sic ad coctionem. Quies verò bifariam conducit, & quia non commouentur succi coquendi, & quia vitale calidum seruat, & inde virtutem, quæ commotione, & inquietudine dissipatur; lectum verò molle, præter quietem ad quam inclinat, habet aliam vtilitatem, nimirum quod totus locus, in quo æger quiescit, repletus spiritibus, & calor diutius ægro applicatus manet exterius, & intra, sicque putridus humor, aut suppuratur, aut coquitur, plúsque resoluitur. Contraria iis iactatio facit, & inde in febribus perniciosa est: putauitque Philosophus, sicut flamma ventilatione accenditur, sic febrilis calor commotione; constat verò quod si sudor syncopalis affligat, locum mutare suauiter conducat, multò magis quod assidua ventilatio aëris fiat.

Cognitio verò vniuersalis principij in febribus tam facilis ex dictis est, vt noua recordatione opus non sit, cognoscitur enim signis simplicis cruditatis; dixique notanter debere esse signa simplicis cruditatis, quatenus per simplicem cruditatem intelligo coctioni non repugnantem, quippe (vt postea videbimus) si sint signa coctioni repugnantia, non in principio, sed in statu aut augmento morbi lethalis erit iuxta mentem nostri Principia inferius tradendam. Si verò opinio contraria sequatur, nempe quod signa repugnantia coctioni quando apparere incipiunt, constituant morbi mortalis principium, constat esse agnoscendum per ea signa quæ in vrina coctioni repugnare ostendant, de quo postea incidet sermo. Et quia quod putridum est, ita vt manifesta signa coctionis impediat, semper & necessariò constituit cruditatem, quia semper coctionis terminum tollit, optimè intelligitur, quod vniuersale principium per signa cruditatis debeat cognosci: circa quod Horatius Augenius crassè peccauit *lib. 2. de febribus, cap. 14.* in quo signa ad cognoscendum principium promittens, nullum tradit, quod non conducat ad cognitionem breuitatis, aut tarditatis principij, velut si esset idem principium vniuersale, & tarditatem, aut breuitatem eius agnoscere.

Sed obiicies, sæpe dantur febres putridæ cum vrina omnino naturali; in quo euentu signa cruditatis nullo excremento demonstrari possunt, quia nec alui excrementa, nec aliquod aliud datur, quod sensibiliter insinuet materiam morbi esse crudam, quando materia putrida in secunda aut tertia regione, putrescens febrem generat. Respondetur: in hoc casu magnam vim habet doctrina Galeni adducta, quando ex pulsuum contractione crudam esse materiam docet, 4. *de præsagatione ex puls. cap. vltimo*; tarò etiam non datur aliqua tensio in pulsu, aut propter obstructiones, aut frigus, aut siccitatem materiæ antecedentis, quæ cùm per coctionem moderentur, mollities acquiritur, & signum est iam esse finitum principium: sic pulsus durus statim apparuit in illo adolescente tam diuturna tertiana spuria oppresso, vt refert Galenus 1. *ad Glauconem*, sicut si quando dilatatio pulsus manifestior apparet, si eius paruitas ob aggrauationem introducta non fuit, hoc enim semper excipi debet in doctrina Galeni; debes tamen intelligere quod aggrauatio non facit ex se contractionem maiorem, sed pulsum obscurat, quia dilatari prohibet, quod est distinctissimum à contractione maiori, quam vt signum morbi crudi Galenus retulit: cruditatem verò deperdere, crebritas minor in externa parte etiam ostendet, quia in ea plus arteria moratur, vt minus veget fuliginosum excrementum corporatura, & copia. Et si fides Galeno tribuenda est, ad proportionem coctionis incipientis vitale robur augetur; constat ex vltimis verbis, *aphor. 29. lib. 2.* vbi docuit, in vigore summo coctionis, vitalem facultatem esse maximè fortem; hic etiam habet locum anticipatio, & longitudo, & maioritas accessionum, quibus Galenus 1. *de crisibus, cap. 3.* augmentum cognoscere docet, quæ si dentur, & ex aliis signis constet morbum salubrem esse, finitum esse principium ostendent: præsens verò esse, quamdiu ea signa deficiunt, & vitale robur debilius magisque oppressum percipitur. Intendit etiam Augenius, quod in morbi principio debeant esse similes accessiones, ita vt in intensione, & remissione sensibilis differentia non detur, nec ob hoc (inquit) asserendum est, quod in vigore consistat, nam æqualitas summum vigorem constituens, debet esse illa, quæ manet postquam augmentum præteriit, non quæ illud præcessit. Quæ doctrina in eius opinione admittenda non est, nam cùm non distinguat tempora entitatis morbi à temporibus causæ & coctionis, semper quod cruditas absque manifesto coctionis signo inuenietur, etiamsi accessiones notabilem intensionem, aut remissionem accipiant, principium vniuersale constituet.

Debet etiam esse Medicus in principio vniuersali morborum diligentissimus in cognitione constitutionis eius, si longus, si breuis futurus est, alioqui idoneè victum imperare non poterit; sed quod accuratissimè etiam perscrutari debet, est, si initia dentur alicuius periculosi decubitus in partem principem, vt eum præcauere & præsagire possit; sæpe enim leuissimi motus conuulsiui decubitum in cerebrum portendunt per lethargos, & phrenitidem necantem; idem dolor capitis vehemens pollicetur, de quo Hippocrates 3. *prognost. text. 11.* dixit: *Capitis dolores fortes, & continui cum febre, si quidem aliquod signorum lethalium extiterit, valde mortale.* Significant enim magnum humorum confluxum in cerebrum, qui mortem inferre per conuulsionem aut apoplexiam, aut phrenitidem poterit,

poterit & non rarò per epilepsiam, vt sæpe expertus sum. Et 4. *aphor.* 31. scripsit; *Lassitudinem habentibus in febribus, in articulos, & circa maxillas potissimum abscessus fiunt*: & *aphorismo* 34. dixit. *Sed etsi ante morbum aliqua pars doluerit, ibi morbus firmatur.* Sic vigilia præter naturam, si causam ex dolore, aut alia occasione manifestam non habeat, delirium significat, & phrenitidem; quod iis verbis Hippocrates 1. *prognost.* docuit: *Pessimum autem nec noctu, nec diu dormire; nam aut dolore, aut labore vigilabit, aut delirium succedet huic signo.*

QVÆSTIO III.

Per quid augmentum vniuersale constituatur.

EX dictis in præcedente quæstione, quod præsens inquirit, manet decisum; nam si post principium venit augmentum, & principium finitur quando signa coctionis manifesta apparent, tunc augmentum incipiet, quando signa coctionis manifesta incipere inuenimus; & hoc firmiter tenendum est, siue calor remittatur, siue intendatur, vt de principio vniuersali contra Augenium docuimus, permanebitque febris in illo augmento, semper quod ea signa manifesta se ostendant, quomodolibet calor varietur. Sic noster author hoc tempus definiendo tenet. Verba sunt: *Et augmentum quidem est hora in qua mouetur caliditas innata ad resistendum materiei motu manifesto, & apparent signa digestionis, aut signa digestioni contraria.* Oportet autem notare, quod manifestum signum coctionis dicitur, non quod manifestatur absolutè, nam signum perfectum coctionis non minus, imo magis manifestatur; dicitur ergo manifestum prout opponitur non apparenti, & etiam perfecto, quasi diceret, augmentum incipit, quando coctio quæ prius non erat, iam apparet, non est tamen coctio perfecta: quia cùm coctio magis, & minus suscipiat, & cum contrarietate celebretur, necesse est vt prius gradus coctionis remissæ, quàm perfectæ se ostendant. Verùm illa coctio manifesta augmenti illius constitutiua, talis esse debet, quod obscuram coctionem excludat, nam obscura etiam in vniuersali principio admittitur; est enim hic eodem modo quo in ipso morbo philosophandum, nimirum quod sicut morbus sensibiliter afficere debet; sic quod est partis morbi constitutiuum, sensibile manifestè esse debet, & distinctum sensibiliter à quolibet alio.

Est deinde aduertendum, quod augmentum hoc bifariam consideratur. Primò in ordine ad salutaria signa, secundò in ordine ad mortalia; vtrumque verò in definitione Princeps noster coniunxit dicendo: *Et apparent signa digestionis, aut signa digestioni contraria.* Vt enim ad salutem consequendam coctio conducit, sic vt periclitentur homines, signa coctioni repugnantia conferunt, vt si in rigore loquendo signa salutis augentur, quando manifesta coctio se ostendat, sicque augmentum in ordine ad vitam constituit; eodem pariter modo si post cruditatem materiæ principium constituentis, noua signa corruptionis maioris in prauitate appareant, vt quod vrina, quæ simpliciter cruda extiterat, iam liuida, viridis, aut nigra appareat, morbi augmentum in ordine ad mortem constituit, vtrumque verò augmentum allatis iam verbis Princeps explicauit. Quam doctrinam quantum ad signa salutaris augmenti ex Galeno mutuauit *lib. de totius morbi temporibus, cap.* 3. dicente. *Vbi concoqui cœperint, initium finiri; secundum autem tempus, quod ascensum nominant, accedere.* Quam doctrinam sequutus 1. *de cris. cap.*

A 11. docuit, in peracutis morbis tempus principij angustissimum esse, nam si statim (inquit) in prima die in vrinis appareat aliquod signum coctionis, iam hîc principium transgressum est. Et inferius scripsit: *Hoc enim vniuersaliter cognoscere oportet, nisi aliquod manifestum coctionis signum inspiciatur: quidquid temporis interiacet, principium est ægritudinis.* Quantum verò ad signa mortalia desumpsit ex eodem Authore *libro citato cap.* 6. dicente: *Ascensus, non in coquendo, sicut in his, qui superstites futuri sunt, sed in signis cruditatis, lethalibusque consistit.*

Circa quam doctrinam magna est inter scriptores discordia. Ludouicus enim Mercatus *tom.* 1. *lib.* 3. *de morbis, classe* 4. *capite* 8. putat, quod quando lotium B crudum simpliciter præcessit, & post cum signis lethalibus, & coctioni repugnantibus, grauius affligit, constituatur tunc morbus in vniuersali principio morbi mortalis, & minimè vt censet Auicenna in augmento mortali; quem nostræ scholæ scriptores sequuntur. Id ita tenendum esse suadet: Primò, quoniam morbi mortales non minus quàm salubres suo principio debent ornari, & constitui; quippe morbus, in esse mortalis non minus quàm salubris incidit: ergo vt salubri quatenus tali suum principium salubre dicatur, sic morbo mortali quatenus tali principium mortale dicandum, constituendumque est; ergo si principium febrium salubrium est vrina cruda simpliciter, non poterit esse tale signum morbi mortalis; ea per consequens quando à simpliciter cruda in prauam C dispositionem coctioni repugnantem mutatur, non augmentum, sed principium in ordine ad mortem constituit. Patet, quia ante eam prauitatem in esse salubri constituebatur febris: ergo modò incipit sub lethali ratione constitui: & verè est in eius principio; sunt enim salubre, & mortale formales rationes distinctissimæ, & oppositæ: ergo & distinctum constitutiuum à quo incipiat suum esse, assignandum est.

Secundò suadent, quia non potest adduci ratio probabilis, ob quam in primo morbi insultu seu prima apparitione sensibili, non dentur signa repugnantia omnino coctioni; in quo casu erit morbus necessariò in principio vniuersali, quia sine illo constitui primò non potest: ergo cum signis coctioni oppositis, & D repugnantibus, est verè in principio illo, alioqui ab augmento inciperet, in opinione Auicennæ, quod dici non potest. Ex quibus deducenda sunt duo. Primum, quod quando vrina simpliciter cruda præcessit, & mox succedit quæ coctioni repugnat, datur per vltimam morbus in principio mortalitatis. Secundum, quod non verentur hi Authores duplex principium vniuersale in eodem morbo admittere, ita vt vnum immediatè post aliud sequatur, quia non implicat quod idem morbus modò sit salubris, modò verò mortalis reddatur, & vt talis incipiat.

Antequam mentem nostram aperiamus, notabilis aliud esse inquirere, an omnis febris ad interitum ducens, debeat habere in vrina necessariò aliquod E signum coctioni repugnans; aliud verò quando tale signum apparet, in quo tempore morbum collocet. Primum nullus sanæ mentis sustinebit, nisi tam vecors sit, quod quæ sensui patent, negare sit ausus: experimur enim quotidie innumeras febres putridas necare, quin in vrina aliquod signum coctioni repugnans inueniatur, imo ex innumeris à febribus putridis interemptis, viri aliqui cum signis repugnantibus coctioni perierunt; & Galeni doctrina, quam noster Princeps in litera capitis amplexatur, & omnes concorditer recipiunt, id apertè comprobat. Omnes quidem sustinent, quod in principio, augmento, & vigore per coctionis signa constitutis, ægri perire possint; erant ergo febres illæ mortales, & nihilominus non erant signa

inco

incoctibilitatis, quin potius opposita, si in augmento, & vigore coctionis mortis periculum contraxerunt, quod in littera perspicuè Author noster notauit, postquam docuit, esse vniuersalia tempora quatuor, dicendo; *Et timor est à principio vsque ad statum, apud declinationem vero non moritur æger.*

Quæstio ergo esse videtur, si quando signa cruditatis simplicis præcessere, & mox repugnantia coctioni succedunt, constituatur morbus in vniuersali, & nouo principio mortalitatis; an verò in augmento, vt Galenus & Auicenna insinuant. Et nobis opinio Galeni, & Auicennæ verior apparet; aut negandum est, quod quando lotium crudum simpliciter est, non constituat morbum salubrem, nec mortalem, quod nullus nec ex contrarium opinantibus hactenus docuit. Quod sic ostendo. Signa simplicis cruditatis morbum esse superiorem, & naturam vinci planè significant; ergo implicat quod ea se morbum salubrem constituant. Et constat planè, quia signa cruditatis principium vniuersale constituentia, nequeunt esse signa salutaria, quia ex putredine coctionem destruente pendent, nihil verò magis nostræ naturæ opponitur quàm putredo: ergo aut constituunt mortalem, aut indifferentem ad mortem, & vitam: si mortalem, habeo intentum, nempe quod quando vrina in praviorem mutatur, & signa coctioni repugnantis ostendere incipit, morbum in augmento vniuersali mortalitatis constituit; si verò indifferentem esse dicas, ergo non constituit morbum in esse mortalis, aut salubris; & per consequens, vt dicis, quod quando in deterius mutatur, constituit morbum in principio lethali, tenetis à simili sustinere, quod quando coctionis signa manifesta se ostendunt, incipiat morbus constitui in esse salubris. Paritas est euidens, & assertio tua vniuersali Galeni, & omnium Medicorum consensui refragatur; cum nemine dempto doceat, quod signa coctionis manifesta augmentum constituant in ordine ad vitam; quod augmentum mihi firmissimum est, & inde censeo, quod simplex cruditas morbum indifferentem constituit, & quod lethalitas, aut salubritas ex signis mox succedentibus ostendatur; & per consequens aut dicendum est, quod morbus in esse salubris incipiat, quando signa coctionis manifesta apparent; & si contraria apparent, incipit esse mortalis; aut si cum manifesta coctione in augmento salubris constituitur, sic cum manifesta pernicie, & prauitate signorum in augmento lethalitatis collocari debet. Et mihi videtur doctrinæ Galeni consonum 1. aphor. tex. 12. scribentis. *At verò signa cruditatis diuturnum quidem ex necessitate morbum significant, sed quantum in ipsis est, nec moriturum morbo, neque euasurum à morbo hominem ostendunt.* Quid clarius, vt constet quod diximus, nimirum quod signa simpliciter cruditatis tam parata sint ad morbum lethalem, sicut ad salubrem, & sic esse principium vniuersale indifferens, determinati verò per signa sequentia, imò quatenus est ex se, lethalem potius quàm salubrem morbum constituunt, quia semper vrina omni coctione priuata morbum victricem ostendit, quæ si duret, etsi aliam prauam mutationem non acquirat, interficeret ægrotum: quod planè Hippocrates docuit 2. prognost. iis verbis: *Cum est vrina cruda, & tenuis, morbum esse crudum significat; si verò diuturnus sit morbus, vrina autem huiusmodi, periculum, cùm non possit homo sufficere donec cocta sit vrina*; ergo incoctibilitas etiam simplici cruditati conuenit, & per consequens si cum illa simplici cruditate morbus potest esse mortalis, quando in prauiorem cruditatem mutatur, erit in augmento mortali.

Nostram doctrinam Galenus planè tradidit *lib. de totius morbi temporibus, cap.* 7. verbis iam antea relatis, quæ modò integrius repetere libet. Sic caput illud, in quo de temporibus morborum lethalium tractat, incipit.

A *At morbi tempora tunc partim simili modo cum prædictis sumuntur, partim dissimili, siquidem initium similiter in morbi generatione constituitur. Ascensus, non in concoquendo, vt in iis qui superstites futuri sunt, sed in signis cruditatis, lethalibusque consistit.* Quibus duo clarissimè tradit. Primum quod idem principium morbis lethalibus, & salubribus competat, & in hoc conueniunt vtrumque genus morborum; at in augmento planè differre; nam in salubribus in coquendo, in mortalibus verò non in coquendo, sed in signis lethalibus & cruditatis consistit. Nihil clarius in nostræ assertionis tutelam adduci ex Galeno potest, quem sequitur Vallesius noster 1. *epid. in historia Philisci*, dicendo: *Habuit enim hoc febris in primo circuitu principium vniuersale, ex quo proinde verisimile est vrinam* B *cruditatis signa habuisse; in secundo incrementum, proindeque incepit vrina habere signa contraria concoctioni, feríque nigra*; estque expressa doctrina Gent. in huius capitis expositione.

Si quæ hactenus diximus, ad amussim expendantur, assertio nostra est, quod febris incipiens cum signis simplicis cruditatis, non constituitur per illa in esse determinato salubris aut mortalis, sed in statu indifferente, vt Galenus *aphorismo* 12. *sectionis* 1. docuit; nullus enim cordatus Medicus cum signis cruditatis salutem polliceri certò poterit. Hæc autem indifferentia signis subsequentibus tollitur, nam si coctionis fiunt, augmentum salubre euenet, si coctioni contraria, augmentum lethale: quod ex dictis constat, & docuit etiam Magister meus *lib. de febri*C*bus, folio* 159. dicendo, *& tanquam certum existimare oportet, quantum agitur in ipsis, neque salutem aut mortem præsagiendam esse, quia ad hæc indifferenter se habent.*

Dices; ergo nunquam cum signis cruditatis securitas esse potest; quod videtur esse contra doctrinam communem, & Hippocratem ipsum plures febres putridas securas appellantem 1. *epid. sectione* 3. vbi quartanam securissimam esse dicit, septimanam & nonanam & tertianam exquisitam lethales non esse docet. Respondetur, aliud esse quod ipsa morbi species pollicetur, aliud verò quod semel concepta putredine in humoribus timemus; nam intermittentes febres vacare periculo Hippocrates docuit 4. *aphorismorum* 43. esset verò temerarius Medicus, si salutem in omni-D bus intermittentibus polliceretur, eo ipso quod intermittunt, eum periculosissimas & desperatas intermittentes quotidie videamus. Itaque duplex consideratio in febribus putridis datur, alia propriæ ideæ competens, alia contagio, quod semper timemus cùm succi putrescentes alios semper præter naturam disponant, ob quod corruptionis periculum donec materia febris (etsi salubris sit) concoquatur, salus promittenda non est: Hippocrates verò ideam solam respiciens rectè dixit, quasdam febres esse securas; & Auicenna in *hoc capite* absolutè notat, quod detur timor mortis à principio vsque ad statum, quia etsi febris ex se secura videatur, nulla tamen est quæ certum indiuiduum in tribus primis temporibus necare non possit, E quia ob debilitatem accessionibus trium temporum resistere nequibit; omne enim periculum, aut omnis securitas ex mensura morbi ad vires infirmi pensitanda, metiendáque sunt, quando lethalissimos morbos quidam superent ob naturæ vigorem; alij verò ob natiuam debilitatem leuissimis morbis succumbunt, qui respectu aliorum indiuiduorum contemptibiles essent, quod obseruat verbis Galenus, *lib. de totius morbi temporibus ad finem cap.* 6. dicendo. *Verùm intellectu id quod maximum est, capere oportet, ad quod alias morbus peruenit, alias perueniens occidit.* Et rectè etiam 1. *aphor. tex.* 12. sic scripsit. *At verò signa cruditatis diuturnum quidem necessitate morbum significant, sed quantum* in

in ipsis est, nec moriturum, neque euasurum à morbo hominem ostendunt: tibi verò prius ratiocinanti & ægroti vires expendenti, etiam ex iis licet præcognoscere. Quo loco in communi loquitur, & doctissimum præceptum exarauit, esse nimirum ad rectè præsagiendum, metiendum exquisitè robur ægroti & morbi, quia respectu hominis debilis tam incoctibilis est eruditas simplex, vt respectu hominis robusti, quæ contrarium signum coctionis ostendat; ergo considerandum est ad quod aliàs morbus peremit, aliàs præueniens occidit, quia idem modus salubris, ex conditione natiua & natura propria præueniens occidit, quia ægrum in viribus se inferiorem inuenit; quod præceptum vt magnum 1. *ad Glauconem* fere ipsum rursus reliquit.

Ex dictis constat argumenti primi solutio: nam in vigore nulla febris putrida in morbi principio salubris est, sed indifferens ad mortem & vitam; salubritas verò ostenditur quando incipiunt signa coctionis manifestè apparere, aut mortalitas, quando signa contraria, & per consequens occulta salubritas principij augetur cum signis coctionis; mortalitas verò cum contrariis. Argumentum secundum longiorem solutionem exposcit, & in sequenti quæstione melius dissoluetur.

QVÆSTIO IV.

De signis, & proprietatibus augmenti vniuersalis.

VNiuersale augmentum in ordine ad vitam ex signis coctionis manifestæ comprehendendum est: illa verò partim in liquore vrinæ, partim in contentis se ostendunt: liquor ex tenui præter naturam crassior manifestè redditur; nulla enim putredo datur, quæ liquorem tenuiorem non reddat; nam & vrina turbulenta, seu perturbata, tenuior in ipso liquore non dubiè est; & constat à priori, quia si eo ctione emendatur, & coctio semper incrassat, nil a vrina, quæ eoquitur, verè crassior antea esse potest; nam si erat crassa præter naturam, & coctione plus incrassatur, non redderetur naturalis, sed magis præter naturam. In contentis, & color, & modus substantiæ, & locus in quo remanent, consideranda sunt; ergo si contentum naturale album, leue, & æquale esse debet, & inferiorem regionem occupare, emendari debent in illo, quæ à dictis conditionibus deuient: ergo cuiusque coloris præternaturalis sit, si incipiat mediocrem albedinem ostendere, augmentum constituet, si diuulsum erat, & asperum, & manifestum liuorem iam acquisiuit, sensibiliúsque coagmentetur, & in sese partes vnitæ magis apparentes, augmentum etiam salubre constituet, quæ in nebula, & appendiculo, & sedimento vera sunt: quod si dictæ conditiones in excremento iam in inferiore regione existente apparere manifestè incipiant, ex parte loci bonitas maior spectanda non est, in qualitatibus tamen spectabitur, quia albidius, & æquabilius, & leuius esse poterit. Scire autem ex primis principiis licet, quod naturale sedimentum, etsi in inferiore regione vrinæ stabulari debeat, debet nihilominus tantisper subleuari, vt ipsi matulæ non hæreat, neque ei sit immediatum, sed aliquid vrinæ infra se contineret tenetur. Vnde hærentia matulæ contentum verum non sunt, sed excrementa cruda, aut terrea, exustáque nimis. Cur verò naturale sedimentum hærere matulæ fundo non debeat, sed tantisper subleuatum esse, tam difficile mihi hactenus apparuit, vt in nulla ratione ab authoribus tradita animus noster pacatus quiescat: idem de appendiculo, & nebula

A dubitatur; quæ verò sit mea mens, in loco commodiori aperiemus. Laudant etiam authores in sedimento pyramidalem figuram, quam proprietatem nunquam legi in Galeno: fuit Barbarorum inuentum, & eam tradit Auerroës 4. *lib. collect. cap. de hypostasi vrinæ*. Habet tamen rationem probabilem, quia argoit omnia in aomento æqualiter vt debent & possunt esse emendata, & concocta: dixi vt debent & possunt, quatenus crassa, & tenuia nequeunt æqualiter coqui, quia nequeunt ad vniformem modum substantiæ eodem modo reduci, & sic crassiores partes sedimenti basim eius constituunt, plúsque in fundo extenduntur: quæ verò minus crassæ sunt, supereminent dictis crassioribus, minúsque B se extendunt: at minùs multò quæ præ cæteris sunt tenuiores, sieque fitmaræ supra reliquas pyramidem formant & figorant, ob quod in nubecula aut appendiculo talis figura nunquam apparet, quod multam materiam, eámque difformem requirat, vt figura pyramidalis formetur.

Si verò vrina coloris sit naturalis, tenuis tamen in in modo substantiæ, crudum morbum significare, ex Hyppocrate antea tradidimus: illa verò quantum ad colorem cocta non dubiè est. Verùm quia coctio ad modum substantiæ magis spectat, & illa peccat in modo, cruda meritò absolutè appellatur, dicente Hyppocrate: *Cum fuerit vrina tenuis & rufa, morbum esse crudum significat.* Est enim omnium opinio, leuiora indicia esse quæ à colore, quam quæ à modo C substantiæ sumuntur, & leuiora etiam quæ à modo, quam à contentis; nam magis resistentia, cum victa manent, fortiorem arguunt virtutem, contenta verò resistunt plus, quia crassa magis.

Verùm si febris ex humorum vstione fiat, crassior & opacior vrina apparebit, constituéque augmentum si crassitiem deponat; fiatque perspicua sensibiliter. Sed id quomodo fieri possit, ambigeris, si coctione incrassante emendari debet; ergo aut non emendanda coctione, aut si tali modereitur, non semper incrassat. Dubium quidem pulchrum; sciendum tamen est, quod quæ assantur, tenera crassiora fiunt, quia serum, & partes aquosæ absumuntur, à quibus diluebantur, & cum coctionem absque caloris altera- D tione recipere nequeant, non possunt per illam mediocrem tenuitatem rursus recuperare, nisi prius diluantur imbibendo intra se humorem aquosum, à quo diluuntur, tenuioraque fiunt; sieque deinceps concocta postquam tenuiora reddita fuerunt, crassitiem nouam acquirere incipiunt, & coctionem manifestam ostendunt, ob quod febres vstionis, & largiorem potum requirunt, & attemperatione magis quam concoctione emendantur. Docet ergo Galenus, quando augmentum vniuersale significat, & quando non, 1. *ad crif. capit. 17. ad finem*, his verbis: *Debilis coctio est, quando ex aquosa, mediocriter subpallida facta fuerit; & quidem si turbulens apparuerit, & talis permanserit, hæc quoque occulta, & debilis coctionis est signum, & rufa etiam* E *hactenus ex eodem genere est.* Sed nihil bonum iam principium esse finitum ostendit; hoc enim manifestius indicium semper expetit, vel solùm nebulam albam, aut suspensionem æqualem, continuam, atque albam: & quidem rubens nebula, subsidentia talis, & sine subsidentia bene colorata vrina, & crassitudine mediocris, finem principij manifestat.

Est tamen grande dubium, si nubecula rubens morbum in augmento vniuersali significet, ita vt ex illa salubrem morbum, & tam securum colligamus, vt ex aliis signis augmentum in ordine ad salutem significantibus. Ratio dubitandi est, quia rubedo in sedimento nullam coctionem à natura factam significare potest, vt illam non significabit sedimentum pallidum, aut nigrum.] Constat, quia significatur humor vt est in se; nam

nam sicut pallidum aut flauum sedimentum significat vstam, aut putridam bilem; sic rubens sanguinem vstum, aut putridum, maximè tamen elaboratum à natura significabit; nam si coctio naturalis creat in sedimento aut nubibus album colorem, & rubedo est sanguinis naturalis, hancque per morbos seruat, auidens est quod post putredinem nulla coctio sanguinem elaborauerit, cùm colorem rubrum, quem ante putredinem naturaliter obtinebat, obtineat post illam; potius ergo rationi videtur consonum, quod vniuersala principium constituat, & nullo modo augmentum. Tum etiam, quia quæ manifestam coctionem ostendunt, semper sunt bona, Galeno teste 1. *aphor.* 12. At Hippocrates *in coacis prænotionibus* oppositum docuit dicendo; *Nebulæ in vrinis albæ quidem, & deorsum petentes salutares, rubræ verò, nigræ, & liuidæ difficiles.* Et confirmatur, quia vrinam rubram, & sedimentum, aut nebulam eiusdem coloris, ex sanguinis colliquatione interdum prouenire docent Authores, hoc verò non solùm non bonum, sed perniciosum est: est etiam contra doctrinam Galeni testimonium Hippocratis 2. *prognosticorum*, dicentis: *Si autem vrina fuerit subrubra & sedimentum subrubrum & leue, diuturnior multò est quàm prima, sed salutaris valde:* ergo si diuturnior multò est, non potest esse signum coctionis, nam coctio teste ipso Hippocrate *loco* iam *citato*, iudicij celeritatem, & salutis securitatem significat. Rursus quis dixit, quod signa bona esse possint morbos diuturnos significantia, præsertim in acutis, de quibus Hippocratem loqui ipse nos in eodem opere admonuit. Constat enim quod perniciosa sint quæ in acutis longitudinem pariunt, cum nequeant acuti morbi cum symptomatum grauitate & celeritate motus longum tempus viribus vt concoquant concedere. Dixit etiam Galenus 1. *aphor. text.* 12. quod signa cruditatis diuturnum ex necessitate morbum significant: ergo si sedimentum subrubrum, & leue, diuturnam significat affectionem, cruditatis est signum, & non coctionis manifestæ. Vrget ipsum Galenum aliud eiusdem testimonium 1. *de arte curatiua ad Glauconem, capite 7. ad finem.* Verba sunt: *Nam in quotidianis vel alba sunt, & tenues, vel crassa, & turbulenta, rubida:* ergo si in principio quotidianæ febris vrina rubra esse potest, & tanquam signum demonstratiuum illius adducitur, repugnat quod coctionem significet, nam coctionis signa præterquam quod ex accidentibus sunt, speciem morbi significare repugnat; Galenus verò *loco citato* inter vrinas quotidianam exquisitam monstrantes, rubram reposuit.

Opposita sententia est apud omnes Scriptores communissima, nempe quod nubecula rubra sit signum coctionis manifestæ & victoriæ naturæ, & inde si appareat in quarta, iudicium morbi in die septima celebrabitur. Est expressa Hippocratis doctrina 4. *aphor. text.* 71. dicentis: *Quibus septima indicatur, iis nubeculam rubram quarta die habet vrina, & alia ex ratione;* nullus tamen ex expositoribus quos legi, & legi non paucos, causam ob quam ea nubecula coctionem manifestam, & naturæ victoriam ostendat, idoneè satis exposuit. Galenus experimentum pro ratione tradit, quia illud vidit, rationem verò non inuenit. Mercurialis in eiusdem aphorismi expositione loco ex Coacis prænotionibus succumbens, totam suam expositionem irritam fecit. Cardanus nubeculam rubram coctionem mediam significare supponit, non tamen probat, tradens vt certum quod est difficillimum, vt ex Galeni expositione constat, cùm dicat quod si ab Hippocrate non doceremur, quod nubeculæ rubræ iudicationibus suffragarentur, nemo tale crederet, nec eam vim eis tribueret. Simile peccatum cum Cardano Vallesius noster commisit, supponens vt certum, quod signum concoctionis manifestæ rubra

A nubecula sit, quod tam difficile Galeno, si quid aliud, fuit visum, vt ex aphorismi expositione constat. Antonius Musa Brassauolus, idem quod Vallesius supposuit, meliusque aphorismum explicare potuit, si authores ab eo relatos, vt legit, intelligeret. Vega noster ad alia se diuertens, aphorismi rationem subticuit, quod etiam Vgo Senensis, & alij multi fecere. Hollieriusque locum Hippocratis ex Coacis prænotionibus, in quo nebulas rubras condemnat, inexpositum dereliquit, cùm tam oppositus sit doctrinæ Hippocratis 2. *prognost.* vbi sedimenta subrubra secura dicit esse; & mirandum magis est, quod Magister meus *lib. de febribus, fol.* 159. cum rationem dubitandi à nobis positam vidisset, eam non diluit, sed vt reliqui authores,
B quod erat probandum, supponit vt certum.

Suspicari possumus illum aphorismum esse corruptum, & per rubram nebulam, esse legendum albam. Sic legit Auerroës 4. *collect. c.* 24. dicendo: *Sed significatio quæ à loco sumitur, est hæc, videlicet quia illud quod stat in parte superiori, quod nebula appellatur, significat principium apparitionis digestionis, dummodo sit alba: & propter hoc dicit Hippocrates, quod si vrina nubem albam quarta die fecerit, indicabit in septima.* Ego quidem sic censeo, nimirum quod in materia putrida nullus color nisi albus coctionem significat, quia vt coctio perfectissima significatur per album perfectum, sic quod nullo modo albicat, extra omnem coctionis significationem reponendum est: quod efficaciter ratio dubitandi suadet, & inde nec incipientem coctionem
C rubor significat, sed semper materiam crudam. Hippocrates verò non præsagit crisim venturam ex colore rubro, sed ex permixtione magna illius paruæ portionis humoris, siue sanguis sit, siue rubra bilis, aut pallida, naturam ex vehementi mixtione cum albo succo, quem color ille occultat, coctio significat; quia sine mediocri consistentia vehemens permixtio, & intima duorum fieri nequit. Arguitúrque per consequens robur facultatis concoctricis & permiscentis intimè quæ concoquenda sunt; nam vt putredo omnia dissoluit, sic coctio vt contraria putredini omnia vnit, permiscet, & coagmentat; & propterea diuinus ille author vt doceret quod ex colore rubro non præsagiebat crisim, non posuit illum solum vt signum crisis venturæ, sed addit, *& alia ex ratione.* Quæ verba in varios sensus,
D & vanos absurdósque deduxerunt authores, cum rigorosus sensus aphorismi sit, quod vrina quæ non solam nebulam rubram, sed alia ex ratione continet die quarta, iudicium in septima significet: alia verò quæ ex ratione continere debet, sunt crassities paulò minor moderata, & quod biliosi morbi significationem faciat, nam illi sunt, qui in septima iudicium præ nimia acutie & motus celeritate, & irritamentis grauioribus habituri sunt, quod liquor vrinæ coagmentatus etiam, & non turbulentus appareat post eius excretionem, splendeat etiam velut vrina naturalis, quod signum semper magnifacio, & accuratè contemplor: & quod breuis nebula post mictam vrinam appareat, significat enim lentorem maiorem, & maiorem partium
E vnionem coctricis vi acquisitam, leuitatem etiam habere debet. Ratio aphorismi est, quia si in biliosis & acutissimis affectionibus mediocris modus substantiæ & color naturalis absque sedimento aliquo, aut nebula, status significatur, vt Galenus docuit 1. *de Crisibus, cap.* 17. non est mirum quod nebula rubea cum aliis signis secundum rationem iam dictis, augmentum significet. Quod si ruber color resultat (vt multi opinantur) ex permixtione bilis cum pituitæ portione, quando rubra apparet in quarta die, & tenuem bilem, & paucam pituitam significat, & per consequens coctionem tardari multum non posse, quia intima permistio mediocrem coctionem arguit in materia pauca & subtili, quæ propterea breui coquenda perfectè est; in cuius

confirmationem eſt celebris locus Hippocratis 2. *prognoſticorum*, *text.* 44. dicentis: *Permiſtumque appareat flauum admodum ſputo*; vbi vt Galenus notat, non laudat admodum flauum, ſed quod ſi flauum cum ſputo excernatur, ſit vehementer ſputo permiſtum, quia exquiſita illa permiſtio, vi coctricis facta, abſque mediocri coctione conſiſtere nequit, & ob id ab Hippocrate vt bonum ſignum deſideratur, quia coctionem manifeſtam ſignificat.

Sed obiicies; ſi vrina rubra cum rubro ſedimento detur, & natura coneuqui incipiat, remittetur non dubiè rubedo intenſa, & fiet ſubrubra vrina, cum ſedimento eiuſdem coloris: ergo ſubruber color quando ruber præceſſit, non ob permiſtionem, ſed ob alterationem coctionem ſignificabit; idémque de nebula dicendum erit. Reſpondetur, quod etſi hoc concedatur, non obſtat, quia quandiu ſedimentum ſemirubrum in vrina videtur, principium ex parte coloris ſignificat, non augmentum, quia coctio manifeſta augmentum determinans, non eſt quæ in præternaturalibus coloribus manifeſtam remiſſionem facit, alioqui ſedimentum ſeminigrum ex nigro, augmentum in ordine ad vitam conſtitueret, quia per coctionem gradus intenſiores nigredinis amiſit; debet ergo eſſe coctio manifeſta reſpectu accidentium, quæ in coctione ſedimenti naturalis reperiuntur; hæc autem ſunt albedo, leuitas, & æqualitas, & per conſequens ex parte coloris nullus præter album manifeſte augmentum conſtituet. Hippocrates *in coacis prænotionibus loc. cit. tex.* 34. ſic loquitur: *Periculoſa vrina & biloſa, non ſubrubra in acutis*: ergo ſentit quod detur biloſa ſubrubra, & ſic nubecula rubra facta ex bile rubra ex parte ſanguinis tenuiori in bilem verſa cum aliis conditionibus ſecundum rationem, ſignificat materiam non craſſam, nec multam, & quod coctionis facillimæ ſit, & quod ſit benignioris naturæ, & per conſequens quod ad ſalutem in ſeptima morbus terminabitur, ſi in quarto die apparuerit; quam rationem Actuarius inſinuat, eſtque doctrinæ Hippocratis conſona 6. *epid. ſect.* 5. *text.* 13. dicentis; *Lingua vt lotium ſignificat, lingua chlora biloſa, bilioſum autem à pingui*; hoc eſt, bilioſum à pingui parte ſanguinis generatur, & à dulci etiam, vt Galenus *in commento* docet, ita vt per pingue non ſolùm vnguinoſum, ſed dulce intelligendum ſit; nam eſſe partem quandam pinguem in ſanguine Galenus docet, & nos *tractatu noſtro de colliquantibus febribus* docuimus. Hæc pars pinguis dum ſanguis putreſcit, aut vritur, in bilem præternaturalem permutari apud omnes cum Galeno publicum eſt, & quia ex ſanguine fit, quid mirum quod aliquem ruborem materiæ ex qua fit, naturalem repræſentet, cùm tam naturale ſit omnibus ortis, qualitates aliquas materiæ ex qua fuerunt genitæ ſeruare, quia ſunt accidentia communia, vt mirum ſit, cur à multis ſpecies bilis rubræ tam acriter impugnetur, cùm ſit rationi tam conſonum, & tanti, & tam graues authores eam admiſerunt: hæc ergo bilis ſpecies, quia nimis & celeriter inflammabilis, acutas febres creare poteſt, & velociſſimi motus, & per conſequens ſi in ſeptima die iudicandæ ſunt, nebulam rubram in die quarta continebit vrina, quam ſi contineat, & alia etiam ex ratione criſis ſummo iure in ſeptima ſperabitur; ſi verò febris vrinam optimam habeat, non eſt temporum eius per illam deducenda cognitio, ſed ex pulſibus venanda, etſi non facile poterunt, quòd ſint maiores, & compreſſio arteriarum minor, & minor etiam oppreſſio, & ſi durities, aut tenſio præceſſerit, mollius inſtrumentum apparebit, acceſſiones maiores in intenſione, & duratione apparebunt, & antequam priores anticipabuntur, vt 1. *de criſibus*, c. 3. Galenus tradit: anticipatio verò communis eſt augmento mortali & ſalubri, & per conſequens ex adiunctis ſignis æquiuocatio tollenda. Idem in intenſione, & longitudine

A inuenies; nam & ratio dictat, quod ſi morbus in exitium tendat, ſint acceſſiones maiores in intenſione, & tempore, & antequam priores ingruant, & ſe anticipent. Cur verò ſi augmentum ſalubre ſit, & manifeſtè materia coquatur, acceſſiones anticipari debeant, non eſt facile rationem reddere. Conſiſtit verò in hoc, quod coctio in materia putrida quando fit, nouum incendium ſuſcitat, quoniam eſt ſuppuratio quædam, & inde maiori calore, & acrimonia facultatem magis ſtimulat, & ſic pellitur citius ad focum quàm ſolebat: dixi notanter, dum fit coctio; quia tunc à calore alteratur, & efferueſcit, & acrior redditur neceſſariò, quia exuritur; ſedato verò feruore omnia moderantur, quia acre, & fuliginoſum fuit reſolutum; et iſtum verò

B quod manet, & ſedimentum ob exquiſitam mixtionem attemperatum iam eſt, & minus moleſtum, etſi aliqua acrimonia non careat, vt in aceto, & pure experimur.

In augmento vniuerſali ad ſalutem ſanguinis miſſio vtiliſſime imperatur, quia vt poſtea conſtabit, acceſſiones febriles vrgent magis quàm antea, & natura à cauſis earum non leniter opprimitur, ob quod Galenus docuit, quòd qui in augmento pereunt, partim propter febris intenſionem, partim propter ſuffocationem periclitari ſolent, ita vt reuera non minus vtilis quam in principio venæ ſectio eſſe ſoleat; ſed vſum medicamenti expurgantis augmentum vt vniuerſale principium non admittit, quin potius illum non leuiter recuſat, non ſolùm ob acceſſionum maioritatem,

C ſed quia coctio iam celebratur manifeſtè: tunc verò irrationabile eſt medicamento ſeligente naturam turbare, & ſuccos quos iam firmiſſimè retinet agitare, & contra retentricem agere, cùm nihil magis coctioni obſtet quàm humorum commotio, quam etſi venæ ſectio aliquo modo moliatur, ceſſat tamen ſtatim, cum ad replendum vacuum moueatur, eámque comitantur vtilitates innumeræ cum certitudine auxilij, quæ in expurgatione deficere poteſt, cum ſit difficillimum quæ iam retinentur tam elatè vt coctio manifeſta declaret, à medicamento poſſe trahi, cùm eius tractioni tam perſpicuè natura reluctetur, & manifeſta retentione reſiſtat, ob quod Hippocrates 4. *de*

D *victu acut.* 64. ante quintum diem medicamenta expurgantia conſulit, ſi venter murmurauerit, quia murmur ventris commotionem ſuccorum ſignificat, & naturam adhuc non retinere, ſi verò non murmuret à medicamentis (inquit) abſtineto.

Et quia augmentum vniuerſale minus eſſe obſtructum corpus ſignificat, potum frigidiorem quàm principium admittit, non tamen extremè, vt eſt in communi vſu citra delectum in omnibus temporibus, potiones ſatis frigidas, & plures concedendo; ob quem indexterum vſum, aut diuturniores fieri febres, aut mortales dubitandum non eſt, quia protrahere acutos morbos mortem ſæpe infert. Eſt etiam in hoc tempore cibus paulatim minuendus, vt *aphor.* 10. *lib.* 1. Hippocrates docuit; ante vigorem enim minuere cibum præci-

E pie, quia cibus coctionem ſemper remoratur, & iam ſignificatur morbi breuitas; conſtat verò id eſſe intelligendum iuxta cuiuſque morbi conſtitutionem, & in febribus quæ propriè morbi dicuntur; nam ſi adiuncta ſit inflammatio thoracis, quæ expurganda ſit medio ſputo, indicatio ad cibum augendum ſi ſimul cum febre morbus coquatur, ab augmento ad indicationem inſurgit: de quo *capite de pleuritide* abundè egimus.

Signa augmenti lethalis ſunt, quæ poſt ſimplicem cruditatem prauiorem ſenſibiliter & magis ad coctionem contumacem vrinam ſignificant, vt Galenus *de totius morbi temporibus cap.* 6. ſcripſit his verbis: *Ex oppoſito vt ita dicam vrina cruda eſt, quæ nec ſuſpenſum quicquam, nec ſubſidens, aut nebulam habet,*

imò

imò quæ nec crassitiem aliquam, vel pallidum colorem assumpsit, sed alba est, & consistentia tenuis aquæ speciem referens, si certè nebula quædam, vel aliquid nigri suspendet vel subsidet, & maximè si tota turbida, lethalis est, quemadmodum si quædam similia parti crassiori farina, vel lenis in ea apparent. Quin etiam, quæ fœditatem odoris habet, & quæ pinguis est, quam oleaceam vocant, mortem minatur. Hæc Galenus, quibus adiungenda sunt alia praua signa, vt si liuida aut viridis appareat, vel totum serum insigniter corruptum, quod non solùm ex odoris graueolentia, & abominabili fœtore, sed ex calore nimis extraneo & deprauato modo substantiæ agnoscendum est, vt anno elapso per malignas, & syncopalea febres experti sumus, omnes ferè serum supernatans, non pallidum, sed extraneo modo corruptum in sanguine extracto ostendebant, quod cùm per totum corpus distribuatur, vt necessarium alimenti vehiculum totum alimentum contaminat, ineptum alitioni, & multò magis spirituum vitalium creationi reddens, & quod deterius est, eorundem spirituum corruptiuum, & dissipatiuum, cùm sit, & tam aptum vt per sudores pellatur, tam exitiosos & desperatos vt videbamus concitabat: est enim seri praua corruptio periculosissima ob dicta, & quia nulla pars corporis paruitatem seri recusare potest, & validissima corruptionis causa est quæ serum sic putrefacit, estque incoctile, quia inquietum, & mobilissimum, & crassitiei per coctionem acquirendæ resistens stenuè tenuitate & mobilitate sua.

Sed dices, quomodo Galenus inter signa simplicis cruditatis lotium aquæ simile reposuit, videtur enim inter vrinas coctioni repugnantes, aqueam, non inter crudas numerari debere: constat ex *aphor.* 72. *lib.* 1. cuius sunt hæc verba: *Quibus vrina albæ sunt & perspicuæ, malæ, præsertim verò in delirantibus apparent.* In cuius loci expositione Galenus docet, eam vrinam extremè crudam esse, & nullum delirantem cum illa vixisse. Constat verò quod vrina extremè cruda, coctioni vehementer repugnans esse debeat, & si omnes delirantes cum illa perierunt, inter signa exitialia numerabitur. Accedit, quod aqua sola non crassescit; & cùm coctio aliud quam incrassare ignoret, nil à coctionis actualitate magis quàm aquea vrina distabit: est ergo planè coctioni repugnans, quod clarissimè Galenus 1. *de crisibus cap.* 12. sequentibus verbis dixit: *Quæ verò ad summum incocta est, has omnes vincit, est autem aquosa exquisitè, nec iam coqui incipiens, qualis turbulenta, nec in spe vt coqui debeat, vt quæ paulò post perturbatur, sed veluti desperata coctionis accidens*: & Hippocrates *in opere prognosticorum*, inter exitiales eam reposuit dicendo: *Magis exitiales vrinæ sunt, quæ sunt fœtida, & aquosa, & nigra, & crassæ.* Et inferius: *Sunt autem viris & mulieribus vrina nigra pessima, pueris verò aquosa.* Et ratio id suadet, quia vrina aquosa (seclusa omni causa procatartica) languorem extremum coctricis significat, nil verò coctioni plus quam languor coctricis extremus obstare potest: ergo duplex occasio incoctibilitatis in aquosa erit, & coctricis paralysis, & in ipsa vrina, aquea conditio; at in nigra solùm passi resistentia vt albescat coctilem difficulter illam reddit, non agentis resolutio, & summa debilitas. Meritò ergo inter signa lethalia numerabitur aquea, & mihi quidem ita asserendum videtur, & docuit Vallesius noster *in prognosticis, cap.* 14. iis verbis: *Hæc ergo meritò habetur in exitialibus, nam quamquam in genere signorum cruditatis, quæ per se ambigua sunt, tamen cum maxima cruditas significatur, fiunt signa mortis, quia facultas non potest sufficere vsque ad morbi coctionem.* Quod doctè Celsus *lib.* 2. *cap.* 6. ita verbis significauit; *Vrina verò rubra, & tenuis in magna cruditate esse consueuit, &*

A *sæpe antequam spatio maturescat hominem rapit.*

Neque Galenus contrarium docuit, sed omne genus cruditatis exposuit, in quo etiam exitialis conditio continetur. Circa quas albas vrinas notabitis, quod alba potest esse & perspicua, non tamen omnino aquosa, quia quæ ob solum raptum bilis in aliam partem albescit, non redditur tam tenuis vt aquosa omnino sit, quia si serum reuera coctile est (vt multi putant) crassius erit quàm aqua, etiam sine bilis admixtione, quia per coctionem crassitiem necessariò comparauit; si verò præter coloris pallidi defectum tenuitatem maiorem comparauit, non arguit solam bilis priuationem, sed languorem etiam coctricis, talisque esse debet vt desperata in phreniticis sit, quia affectio tam acuta est, vt tempus
B requisitum ad coctionem aquosæ vrinæ non concedat, quod Princeps noster sequentibus verbis sic notauit. *Et nullus phreneticorum visus est, cuius vrina fuerit sicut aquea, qui euaserit*; aquea ergo vrina, alba, perspicua, & tenuissima esse debet, tenuitas verò significatur optimè per perspicuitatem, quia serum coctione crassatum perspicuum perfectè non est, ob quod Hippocrates in allato *aphor.* 72. *lib.* 4. quia perspicuitatem notauit, tenuitatem subiicuit.

In augmento vniuersali febrium lethalium, periculum statim præsagiendum est, & vt docuit Hippocrates, quod si nubecula rubra in quarto, & alia ex ratione in vrina appareat, sit crisis bona in septima speranda; sic si in eodem die nigra nebula appareat, mors
C in septima meritò timebitur. Idemque de omni alio signo exitioso prædicendum erit, nunquam tamen augmentum mortale aliquod auxilium ex maioribus dehortatur. Nam cum morbus tanto superior natura agnoscatur, auxilia magis & crebrius exequenda indicantur; cunctatio enim in acutis nunquam non fuit perniciosa. Quod si vstio succorum vigeat, & colliquatio perinde timeatur, attemperatio magna, tum per potiones, tum per extrinseca imperanda est phlogosi tantæ accuratè occurrendo: si verò putredo vigeat ob humiditatis excessum frigidis, acidis, & moderatè siccis cohibenda putredo, & quantum vires permittant euacuatio corrupti tentabitur, & tempore breuiori, quia morbi exitiales, aut in augmento, aut in vigoris ingressu occidere solent, cùm declinatio-
D nem nunquam permittant; rarum est quod in exitiosis febribus non dentur statim grauiorum accidentium, aut alicuius periculosi decubitus præludia mortem machinantia, & in augmento, aut vigoris introitu promissis stent, nisi Medici accurata cognitio, & diligens præcautio, imminentis mali ante eius stabilitatem vires infirmet.

QVÆSTIO V.

Vtrum in febris primo insultu signa coctioni repugnantia dari possint?

E HVius dubij solutio restabat, vt tela inimicorum detenta vulnerare nequeant, nam si quod inquirit quæstio, possibile est, caduca erit opinio nostra, quod signa lethalia quando primo apparent, morbum in augmento & non in principio constituant; nam cùm nullus morbus per augmentum vniuersale incipere primo possit, si in primo insultu inueniri signa coctioni contraria non implicat, repugnabit quod augmentum constituant; quod verò non implicat, probatur argumento Gentilis, quia febris in principio vniuersali potest esse mortalis, ita vt statim in primo insultu signis lethalibus ostendatur prauitas eius, quæ enim repugnantia potest adduci, vt cum vrina nigra, aut liuida, aut viridi, incipere febris non possit?

tunc autem non ſignis ſimplicis cruditatis, ſed coctioni repugnantibus primo incipiet; ergo vniuerſale principium ſignis lethalibus poteſt conſtitui.

Contrariam ſententiam tenet Princeps noſter in hoc cap. & conſtat ex definitione principij, & augmenti, hoc enim ſic expoſuit: *Et augmentum quidem eſt hora in qua mouetur caliditas innata ad reſiſtendum materia motu manifeſto, & apparent ſigna digeſtionis, aut ſigna contraria digeſtioni.* Et *inferius* docet, quod apud ſtatum completur veſtigium digeſtionis, aut contrarij eius: nunquam ergo iuxta mentem huius authoris ſigna digeſtioni contraria principium conſtituere poſſunt; quod ex Galeno meo iudicio deſumpſit, *lib. de totius morbi temporibus, cap. 6. in principio cap.* dicente: *At morbi tempora tunc partim ſimili modo cum prædictis ſumuntur, partim diſſimili; ſiquidem initium ſimiliter in morbi generatione conſtituitur. Aſcenſus non in concoquendo, vt in iis, qui ſuperſtites futuri ſunt, ſed in cruditatis, lethalibuſque ſignis conſiſtit:* clarius dici non potuit, vt apertè contra Galenum ſentire videatur oppoſitum ſuſtinens. Ratio fundamentalis eſt, quia ſi vſtio & putredo febres, & ardentes quotidie creant, abſque eo quod in vrina ſignum coctioni contrarium inueniatur, euidens eſt, quod ante tantam vſtionem, aut putredinem, datur occaſio febricitandi, non ſolùm abſolutè, ſed euidenter: ergo cum implicet ad tam intenſam putredinem, aut vſtionem deuenire, quin prius remiſſa detur, & hæc remiſſior ſit ad febrem ſufficiens, nunquam eueniet quod febris in primo eſſe cum ſignis coctioni repugnantibus detur.

Et ex fundamento huius concluſionis ſoluta manet ratio dubitandi, nimirum quod repugnet vt alteratio prima materiæ febris eſſet tam peſſima, quod ſigna coctioni contraria oſtendat; ſed antequam ad tantam prauitatem accedat, febrem non dubiè creabit, vt in concluſione docuimus. Sed inſtabis, ſi atra bilis, aut porracea, aut æruginoſa, putredinem concipiant, non poterunt non eſſe in primo febris inſultu ſigna coctioni contraria, & mortifera. Patet, quia maligna erat materia & exitioſa ante putredinem: ergo ſi putreſiat, apparebit ſtatim vrina nigra, ſi ſit cauſa atra bilis; aut liuorem oſtendet, ſi ſit bilis porracea. Reſpondet Gentilis, quod in hoc caſu non eſt attendenda diſpoſitio materiæ antecedens putredinem, vt conſtitutiua temporum febris, ſed eam ſolùm contemplabimur, quæ à cauſa putrefaciente inducta fuit; hæc verò quando incepit, non fuit ex ſe tam praua, vt lethalia ſigna ab ea emanarent; quod verò in primo inſultu appareant, pendet ex malitia materiæ ante febrem obtenta, ſicut è contra, ſi materia iam cocta faciat febrem de nouo, apparere poterit in primo inſultu ſignum coctionis manifeſtæ: quæ coctio inducta fuit antequam febris eſſet, & non conſtituit verum augmentum, ſed fallaciſſimum, quia non fuit producta illa diſpoſitio per actionem caloris naturalis coniuncti febrili; ſed ex diſpoſitione ante febrem.

Sed contra hanc reſolutionem inſurgit Magiſter meus, *folio 201. §. ſed fundamentum*; Sequeretur (inquit) quod tale ſignum non oſtenderet mortalem febrem, quia ſi tempus conſtituendum eſt per alterationem cauſæ putredinalis, & hæc non eſt exitioſa, non procedet ab ea ſignum lethale. Sed contrarium experimento conſtat, & omnes medici iudicant talem febrem tanquam exitioſam: ergo in principio cum ſignis lethalibus fuit. Reſpondeo, quod doctrina Gentilis eſt probabiliſſima, nempe quod in eo caſu febris ſit in principio, ſi attendamus alterationem ſolam à cauſa febrili productam, quia ex ſe quando incipit, non eſt tam praua, vt lethalia ſigna cauſet: quando verò materia antecedens tam praua fuerit, vt etiamſi leuiter putreſcat, ſigna oppoſita coctioni præſtet, eſt omnino per accidens, nec mors eueniet ob ſolam al-

A terationem putredinalem, ſed ob prauitatem materiæ ante putredinem habitam, vt Hippocrates de dyſenteria ab atra bile incipiente putauit. Et quia diſpoſitio antecedens ob eius prauitatem ad mortem conducet vt partialis cauſa, & etiam ad incoctibilitatem materiæ, & ſigni prauitatem; inde etſi ex parte ſignorum videatur eſſe materia in augmento mortali, non tamen quatenus à febre aut eius cauſa procedunt, quia agens putrefaciens materiam illam, vt febrem cauſet, non produxit ex ſe tam prauam diſpoſitionem in primo inſultu, vt ab ea ſola coctibilitas materiæ penderet, & prauum ſignum oſtenderet.

Inſtat rurſus Magiſter, quod non poteſt adduci ratio probabilis, ob quam implicet quod materia febris non poſſit alterari ſtatim in primo eſſe tam praua diſ-
B poſitione, vt ſtatim ſigna contraria coctioni præbeat. Verùm ratio hæc à nobis adducta iam eſt, & non parum efficax, nempe quod ante tam prauam alterationem dantur alia media neceſſariò febris inductiua, & conſtitutiua vniuerſalis principij; & cùm alteratio illa per contraria fiat, & tam prauæ diſpoſitioni inducendæ magna reſiſtentia in paſſo inueniatur, non poteſt tam breuiter introduci, vt prius ſigna ſenſibilia coctioni non oppoſita præbeat, & ſi medicus eſſet præſens, eam verè perciperet; verùm quia præſens non eſt, & eam non percepit, putat quod febris cum ſignis coctioni repugnantibus incepit, & verè fallitur: quod notauit Auicenna *in præſenti cap.* dicendo: *Et principium quidem eſt inuentum in omni ægritudine, verùm*
C *quandoque occultatur; eſt etiam occultatio in ſynocho, epilepſia, & apoplexia.*

Inſtat rurſus Magiſter; poteſt febris incipere cum ſignis obſcuræ coctionis, ergo poteſt incipere cum ſignis contrariis obſcuræ coctioni, quia non eſt maior ratio vnius quàm alterius; tunc autem non erit in augmento vniuerſali lethalitatis; ergo in principio poſſunt dari ſigna obſcuræ coctioni contraria. Reſpondeo, quod ſicut ſigna obſcuræ coctionis non conſtituunt augmentum ſalubre, ſed principium, ſic ſigna occulta, aut obſcuræ coctioni repugnantia, non conſtituunt augmentum lethale, ſed principium, accedens tamen ad lethalitatem plus quàm ad ſalubritatem, vt principium cum obſcura coctione ad ſalutem magis quàm ad mortem accedit, quia in indiuiſibili nullum
D tempus conſiſtit.

Vrget adhuc Magiſter noſtrum authorem hoc argumento. Si detur vrina nigra abſque aliquo contento, eſt neceſſariò in principio: ergo. Probatur: ſi detur poſtea in ea vrina nubecula nigra, erit in augmento lethali, quia vt nubecula alba augmentum ſalubre conſtituit, ſic nigra contrarium, & ſi detur poſtea nigrum ſedimentum, erit febris in vigore lethalitatis, vt cum albo ſedimento, & æquali eſt in vigore ſalubri; conſtat ergo planè, quod in vniuerſali principio poſſunt dari ſigna coctioni repugnantia, quia vrina ſola nigra nullum habens contentum, nequit aliud tempus quàm principium conſtituere, ſi nigra nebula augmentum, & ſedimentum nigrum vigorem conſtituit: omnes
E verò cum Galeno fatentur, quod vrina nigra ſola ſignum ſit coctioni repugnans. Reſpondetur, quod vrina nigra non conſtituit tempus diuerſum à nigra nebula, ſed quælibet ſeorſim, & ambæ coniunctæ in idem tempus conſpirant, ſicut vrina mediocriter craſſa, & bene colorata, augmentum ſalubre conſtituit, etiamſi nihil contineat, cui ſi nebula alba ſuperueniat, non conſtituet aliud nouum tempus, quia omnia coctionem tantùm manifeſtam oſtendunt; ſic ſimiliter vrina nigra, & nebula nigra ſe habent, nam & ſeparatæ & coniunctæ eundem gradum lethalitatis ſignificant.

Sed videamus qualiter Magiſter meus authoritatem Auicennæ explicet; dicit enim, quod quando aſſeruit

Auicennæ

Auicennæ principium esse; donec appareat vestigium maturitatis, aut dispositionis contrariæ maturationi, non loquitur de quolibet signo maturationis, sed de manifesta; ita neque de quavis dispositione contraria, sed de illa quæ opponitur directè, & adæquatè maturationi manifestæ; non tamen explicuit Magister quid debeat esse illud, quod directè coctioni manifestæ opponitur in lethalibus signis. Et mihi videtur, quod si nebula alba augmentum salubre constituit, debeat nigra augmentum lethale significare, quia directè opponitur in malitia illi salubri signo; & cùm nigra vrina minorem prauitatē quàm nebula significare nequeat, non potest significare tempus minoris prauitatis quàm nebula, & per consequens augmentum lethale, vt nebula. Et contra Magistrum videtur esse, quod si vrina nigra absque aliquo contento principium lethale significat, & nebula pòst apparens augmentum lethale, quod appendiculum significabit statum lethalem; quia vt est in salubribus coctionis maioris signum appendiculum quàm nebula, ita in prauis signis erit deterius. Vnde sequeretur, quod sedimentum nigrum tempus nullum significaret, quod est apertè falsum: ergo putandum est, quod vrina nigra, nebula, & appendiculum significant augmentum letbale, sedimentum verò vigorem summum. Nam etsi appendiculum nigrum nebula nigra sit granius, & maiorem prauitatem innuat, non constituit tempus diuersum, cùm in salubribus signis, nebula alba, & eiusdem coloris appendiculum augmentum salubre significent, vt docent omnes. Vnde in mea opinione dicendum est, quod vrina nigra sine contento aliquo directè opponitur signo manifestæ coctionis, aut coctioni manifestæ; quia si cruditas simplex interficere potest, augetur manifestè prauitas, si cum cruditate lotium nigrum reddatur, etsi nihil contineat, nebula verò aut appendiculum nigrum, etsi maiorem prau tatem significent, non tamen tantam vt nouum tempus constituant, donec sedimentum nigrum superueniat vigorem constituens, quia non quælibet maior malitia tempus mutat, sed insignis, & magna, vt in ætatibus etiam fatentur omnes: ob quod Galenus *lib. de totius morbi temporibus, cap. 6.* dixit, quod augmentum morbi lethalis, non in concoquendo vt in salubri consistit, sed in signis cruditatis, & lethalibus; ergo cùm sic euidens vrinam nigram, crudam, & lethalem esse, non constituit principium, sed augmentum; sic enim intelligit exitiales vrinas (vt antea dictum) nigram Hippocrates reposuit *in prognosticis*: quem Galeni locum inexplicatum reliquit Magister, quia contra illius placitum apertissimus erat.

QVÆSTIO V.

De summo vigore febrium putridarum.

Etsi omnium temporum cognitio maximè necessaria sit, & vtilis, nullum tamen tempus tam vtiliter vt summus vigor agnoscitur; tum quia in ordine ad illum victus ratio instituenda est; tum quia in eo iudicia morborum celebrantur; & quamvis accessiones in vigore terribiliores sint, si contingat eorum incrementum ob materiæ concoctionem, securiores cum eo incremento non dubiè sunt. Est autem apud vulgus magnæ æstimationis, quando accessiones crudeliùs affligunt, crisim & salutem polliceri; hoc tempus Princeps definiens scripsit: *Et status est hora, in qua vehemens sit pugna inter naturam & materiam, & apparet victoria vnius earum ambarum super aliam, & est hora pugnæ.* Quibus verbis, & statum salubrem, & lethalem definit; nam si natura morbificam causam superat, cum illud præstat per coctionem summam, & hanc summa & maior alteratio celebret, nunquam vehementior pugna quàm in statu salubri ex parte naturæ potest excogitari; & quia in hac victoria (vt postea explicabo) accessiones, & omnia symptomata maioribus accessionibus debita, vehementius premunt ægrotos, videtur dari inter naturam, & causam morbi mutua circulatio ex parte pugnæ, seu alterationis maioris: nam si quando natura concoquit summè, maiores & graniores accessiones fiunt, & reliqua symptomata magis etiam premunt, vehemens pugna inter morbum & naturam tempore status datur, nam causa morbi plus patitur, & natura similiter, si & accessiones, & dolores, & sitis, & peruigilium, & difficilis respiratio quando materia plus superatur, affligunt magis naturam. Merito ergo dicit author, quod status est hora in qua vehemens pugna inter naturam, & materiam datur; hæc autem pugna per solam alterationem ex parte morbi contingit, quoniam causa morbi aliter quàm alteratione contra naturam pugnare non potest; natura verò vehementiùs irritata expulsionem materiæ tentare solet, & crisim mouere, quæ si coctam materiam præsupponat, salubris erit, sin minus periculosissima, vel mortalis, imperfecta, & sæpe cum periculo reperens. Vnde ex parte naturæ duplex pugna considerabitur; vna per alterationem emendantem materiam, alia per expulsionem materiæ extra corpus, aut in aliquam partem ignobilem abscessu tentato, cb quod notauit author, quod est tempus, seu hora pugnæ: nam etsi in principio, & augmento natura irritetur, nunquam tamen quando rectè operatur, expulsionem materiæ ante coctionem perfectam procurat, quam dum celebrat, & vehementius eam alterat, & ad expulsionem eius se accingit, sicque propriè hora pugnæ appellatur.

Ex quibus constat, ineptè vigorem à Iacobo explicari de sola pugna locali, omissa omnino alterationis pugna, quæ principalissima non dubiè est: nam si omnes morbi salubres siue summo vigore esse non possunt, & non omnes crisi terminantur, non exponeret Auicenna iuxta Iacobi explicationem, summum vigorem morborum salutarium per resolutionem terminatorum, quando in iis nulla localis expulsio critica agnoscitur. Et vt suam mentem de duplici pugna à nobis allata Princeps publicaret, postquam in definitione dixit, quod est hora, in qua vehemens sit pugna inter naturam & materiam, &c. rursus scripsit; *& est hora pugnæ.* Quæ vltima verba de pugna locali ex parte naturæ intelligenda sunt; prima verò de pugna per alterationem, alioqui esset inutilis repetitio. Et constat, quia morbus, & natura in sola alteratione conueniunt, non in locali motione: & si morbus pugnare contra naturam dicitur, quia alteratione præternaturali, & grauibus accidentibus eam excruciat, cur non dicitur, quod contra morbum pugnet natura quando illum alteratione destruit, & omnino debellat: pugnant igitur vt verè contraria actione, & reactione successiua, donec actio victoriosa vnius appareat, destructo morbo, aut extincta natura; nam quod de bello Cadmico dicitur, mihi non probatur; non enim morbus & natura possunt se simul vincere, ita vt in eodem tempore ambo deficiant: quoniam natura vt vincit morbum, roboratur, & morbus etiam dum contra naturam victrix euasit, maior non dubiè fit, & per sui defectum corrumpi non potest.

Dicit rursus Auicenna, quod illic apud statum complerur vestigium digestionis, aut contrarietatis, hoc est, in statu datur summa coctio quando natura vincit, aut datur contrarium summæ coctioni; nempe summa signorum malitia, vt vrina nigra cum nigro sedimento, aut in aquosis vrinis extrema tenuitas, cum perspicuitate & albedine, vt ab aqua non differat, aut parum.

parum. Constat verò quod vrina nigra absolutè non significat perpetuò statum, nam interdum optima esse potest, vt quando post signa coctionis apparet, est quidem tunc indicatoria, vt Galenus nos docuit 4. *aphorismorum, text.22. circa finem*, dicendo: *Et propter hoc, atra bilis, & alius omnis huiusce modi humor, vbi signa coctionis in morbi processu apparuerint, bonam significat euacuationem.* In morbis etiam à superabundanti melancholia prouenientibus, lotium non necessariò constituit, quoniam humor melancholicus cum simplici putredine non est incoctibilis, etsi sit diuturnus, vt in quartanis quotidie experimur. Quinimo in prædictis passionibus à primo febris insultu lotium nigrum inueniri probabilissimum est: ergo nigredo vrinæ statim lethalem constituet, aut significabit quando ex mera alteratione inductiua febris, aut causæ eius emanat, quæ nigredo nunquam in primo insultu inuenietur, sed ante illam permutationem febris cum leuioribus signis dabitur, vt antea docuimus. Quod si adhuc instes, quando vstio in materia melancholica lethalem febrem causat, in quo casu semper lotium nigrum & à primo insultu dabitur: iam dubium hoc antea solutum manet, docuimus enim eam nigredinem non pendere in prima febris inuasione ab alteratione putredinali, aut vstiua, sed esse naturalem humori antecedenter.

Sed dubium non leue est, si in statu coctionis æger perire possit? nam si in statu, vt hic docet Auicenna apparet victoria vnius super aliam, nunquam victoria naturæ melius apparet, quàm quando summa morbi materiam concoquit; implicat verò naturam periclitari posse, quando eius victoria contra morbi materiam ostenditur, nam si victrix apparet, nequit apparere succumbens, cum pugnantia hæc duo sint, vincere, & vinci ab eodem in eodem tempore; nunquam ergo in vigore coctionis, vitæ periculum includetur. Secundò id ostendit magnum & celebre testimonium Hippocratis dicentis, *Coctiones indicij celeritatem significant.* Sed nunquam coctio maior est (vt postea docebo) quàm in vigore summo; ergo nunquam maiorem, aut certiorem securitatem ostendet, ac per consequens securitas à coctione debet excludi, aut si non excluditur, nunquam securitas maior quàm in vigore, cùm sit summa in illo: quod planè confirmatur authoritate Galeni 2. *aphorismorum, commento* 29. *in fine* dicentis: *Morbo autem consistente, cum iam natura concoquit, supernacuum est vacuare, tum propter alia, tum quia vis animalis magna ex parte eo tempore est defatigata, licet dua aliæ, vitalis scilicet ac naturalis, maximè fortes persistant.* Est autem impossibile, quod æger succumbat si vitalis in summo vigore coctionis maximè fortis persistit, quoniam vt ipse Galenus docuit *lib.* 5. *de locis aff. cap.* 2. semper mors sequitur ad immodicas cordis intemperantias: non potest autem esse immodica intemperies, vbi robur vitale maximè forte persistit; tale verò est in summo vigore coctionis: quod etiam suaderur, quoniam negari non potest quod dentur febres salubres: erunt ergo tales in quolibet tempore, & per consequens non solùm in vniuersali declinatione, sed in principio, augmento, & statu securæ & salubres erunt; ergo multò plus in vigore coctionis, in quo summa victoria ostenditur, si coctio victoria est, vt cum Galeno omnes Medici tenent, cum coctio faciat cessare putredinem: cessabit ergo omnino quando summa coctio inuenitur, est verò summa in morbi vigore. Quod verò dentur febres salubres, Galenus ex mente Hippocratis tradit 3. *de crisibus, cap.*4. *Nec enim* (inquit) *contingit febrem omnia signa securissima habentem, nec illam in qua sunt omnia maximè perniciosa, alteram quidem non liberare, alteram verò non occidere in primo quaternario ægrotantem.* Tandem Galenus docuit, quod nullus in crisi facta

A post materiæ coctionem fuit mortuus; at omnes crises fiunt in vigore summo: ergo in illo nullus periclitabitur. Verba sunt 3. *de crisibus, cap.* 3. *Siquidem ego millies cum dum crises fierent interessem, neminem vnquam vidi interemtem, qui præcedentibus coctionibus crisim habuisset.* Et *cap.* 5. scripsit. *Et quidem si morbi in hoc tempore crisim non habuere, fieri non potest vt in declinatione habeant, &c.*

In contrarium stat nostri Principis testimonium in capite quod interpretamur dicentis: *Et timor est à principio vsque ad statum*; ergo in statu timor mortis includitur. Nec obstat si dicas, quod sit intelligendus vsque ad statum exclusiuè, nam ita intelligendus foret, vt excluisit periculum à declinatione dicendo, apud declinationem verò non moritur æger; idem do-B cere de statu tenebatur: solam ergo declinationem securam censuit, cum à sola illa excludat mortis periculum. Quam doctrinam ex Galeni documentis per *libros de crisibus* Princeps noster transcripsit; nullum enim tempus, nisi declinationem, securum prædicauit. Verba sunt 3. *de cris. cap.*5. *Et nullum est mortis periculum tempore status elapso, quantum iudicio assequi possum.* Desiderat ergo Galenus vigoris præteritionem vt securus sit æger: ergo in illo periclitari potest. Et constat planè, quia adhuc inter medicos non leuis altercatio est, si in vniuersali declinatione saluus omnino sit æger, quibusdam enixè suadentibus, & non leuibus omnino rationibus, quod in declinatione ipsa periculum mortis detur: Quinimo experimentis idem Medici C suaserunt, vt Galenus ipse *loco citato* refert, dicendo: *Et tamen quidam sunt qui putant se vidisse multos ægros in declinationibus periisse.*

Et ratione efficaci suadetur, quia in vigore summo coctionis (vt postea ex mente Hippocratis, & Galeni probabo) accessiones vehementissimæ fiunt, aut saltem maiores quàm in quouis alio tempore; ac per consequens non potest euidenter constare, quod illa febrium maioritas non vincat ægrotum, quod præcipuè timendum est in acutis, & peracutis passionibus, in quibus Medici docent, quod tota morbi materia ad vnam criticam expulsionem seruatur; in eis enim vehementissimæ accessiones in ipso vigore venturæ sunt, quas non constat posse naturam sustinere; nunquam ergo securitas prædicari potest antequam vniuersalis D declinatio appareat: quod in febribus continentibus, quæ semper increscunt, clarius apparet, in quibus quando materia coquitur summè, molestissima febris esse debet præ nimia intensione, & poterat non dubiè ægrum de medio tollere. Hippocrates 1. *epidem. section* 3. inter febrium partitiones reposuit quasdam, quæ circa crisim & simul cum crisi abundè elucent; ergo si non abundè increscit circa crisim, & in crisi, quæ in vigore summo celebratur, poterit in vigore mors euenire ob magnum illud, & nouum incrementum vigori copulatum. Est etiam celebratissimus aphorismus 47. *lib.* 2. dum pus fit, dolores ac febres accidunt magis, quàm iam confecto: constituit verò puris generatio summum inflammationis, vt *cap.* 3. *libelli de totius morbi temporibus*, Galenus tradit dicendo: E *Nam in puris generatione, dolores, febrisque magis quàm iam facto infestant; vocatur autem huiusmodi tempus vigor affectionis.* Quem aphorismum passim tradit Galenus, ad probandum quod etiam in febribus quando materia coquitur, & suppuratur, febres increscant. ergo implicat, quod in vigore vniuersali salus certa absolutè esse possit, cum deterior pars morbi nondum transacta sit.

Mihi quidem ita asserendum videtur, & est doctrinæ authorum magis consentaneum, & per consequens sola declinatio vniuersalis morbum salubrem absolutè constituit, ob rationem Galeni propria quæstione referendam: quod etiam expressè tenet Herculanus

fol. 9.

folio 9. in expositione huius cap. dicendo: *Est ergo vnà cum Auicenna dicendum, quod contingit ægrum mori à principio vsque ad statum, siue materia sit vniformis, siue difformis, imo & apparentibus signis completa digestionis*: quod etiam quotidiana experientia probatur. Notanter dixi, quod sola declinatio morbum salubrem absolutè constituit, quia etsi sint plures febres salubres, in quibus si ad certa indiuidua referantur, de salute dubitare non liceat, tamen cum summus vigor in intensione, & remissione accessionum, & aliorum symptomatum grandem admittat latitudinem, poterit non dubiè vigor acutissimæ febris robustum hominem perdere, vt debilioris febris summus vigor hominem debilem; nam quod hunc status acutæ febris necare possit, dubitare non licet. Galenus *lib. de totius morbi temporibus cap.5.* id docet dicendo. *Itaque morbi singuli ex sua natura magnitudinem quandam possident hæc morbi magnitudo, vel supra vires est vt eas grauet vel è contrario viribus ægri imbecillior, vt ab illis superetur omnibus probe euenientibus. Proinde cum supra vires fuerit, homo prorsus morietur.* Sed clarissime, & ad nostrum propositum id docuit *lib. synopsis pulsuum, c.2.* dicendo: *Citra omne enim periculum tutissimèque se habent ipsi laborantes, vbi hæc ambo adsint; perniciosissimè, vbi neutrum, in medio quando alterutrum; dum autem hæc magis, vel minus inter se coniunguntur, spem quoque salutis, vel expectationem mortis, & augent, & minuunt.* Loquebatur enim de coctione ad crisim requisita, & de virium robore, & docet quod quando robur, & coctio simul inueniuntur, æger in tuto est: si neutrum adsit, perniciosè laborat; si verò virium deficiat, vt robur non sit quando coctio adest, aut è contra, & mors succedere, & vt salus potest; quam doctrinam etiam tradit Vallesius 2. *prognosticorum, ad finem cap.16.* super illa verba Hippocratis; *Suppurati ex morbis peripneumonicis, seniores magis moriuntur, ex aliis autem suppurationibus iuniores moriuntur magis*: vbi clarè Hippocrates iuuenes periclitari posse dicit in suppurationibus aliis extra thoracem. Rationem Vallesius reddidit, quoniam ob calorem temperamenti, & sanguinis copiam, magnitudine morbi, & symptomatum intercipi solent iuuenes, antequam perfecta fiat suppuratio; & Galenus *in fine expositionis eiusdem loci*, scripsit: *Itaque, & per alias suppurationes sub ipsum suppurationis tempus iuniores ex magnitudine febrium ac doloris morte præoccupantur.*

Vnde non placet noster Vega 2. *de differentiis febrium cap. 17. Vnum notum est, in summo morbi vigore, & signis integris coctionis apparentibus, non posse esse morbum valde malignum, nec periculosum.* Nam hic author vigorem cum declinatione confundit; vigor enim quando fit pus constituitur, declinatio quando iam factum est, & quando fit, dolores & febres summè augentur, & iuniores occidunt, vt ipse Vega in expositione prognostici clarè fatetur statim in principio expositionis.

Ex hac suppositione notabitis, quod summus vigor vniuersalis, & salubris, non potest constitui & per coctionem iam factam omninò, nam sic non statum, sed declinationem constituit; in quo differt ab augmento vniuersali, hoc enim per coctionem iam factam rectè constitui potest, quia cum coctio summa non sit, sed manifesta, rectè potest stare cum spe coctionis maioris, quæ vigorem constituet; & summa coctio prout in morbo si expectetur quod sit facta, non erit summum in accessionibus, nec in aliis accidentibus summam intensionem sequuturis, sed potius remissa erunt magnopere, & declinatio constituetur; ob quod mihi placuit nunquam opinio, aut doctrina dicentium, quod in vigore summo datur perfectissima coctio in sedimento, aut vrina, ita vt signa coctionis perfectæ omnino in illis appareant. Ratio est iam

A insinuata, quia post coctionem omnino factam (voco autem talem quæ sedimentum album leue, & æquale ostendit) omnia accidentia & morbus cum illis remissa magnopere sunt, & manifesta declinatio; & hoc necessariò tenere obligantur putantes, quod coctio & putredo non sint summæ in vigore salubri, sed quod coctio semper destruit putredinem, ita vt summa coctio si sit facta in tota materia, non solum non constituat declinationem, sed & totum morbum finire possit, vt euidenter ex Hippocratis mente inferius ostendam. Ergo authores dicentes (vt Vallesius noster) quod in vigore salubri dantur signa coctionis perfectissimæ in facto, id asserunt; & meritò, quia censent in vigore esse materiam summe putridam cum summa coctione, licet hæc sit maior putredine. In
B hac enim opinione (quam falsissimam censeo) illud rectè dicitur: in mea verò, qui censeo coctionem absolutam & summam, nullum vestigium seu gradum putredinis derelinquere, & quod vehementiores accessiones vi coctionis in summo vigore eueniunt, non potest sustineri, quod in ipso vigore dentur in tota materia signa coctionis perfectæ, ita vt album, leue & æquale omnino sedimentum appareat; quia tunc aut est declinatio vniuersalis, aut omnino morbus finitus: & per consequens vigor constituendus in vigore est, per actionem illam supputantem materiam totam, aut insignem eius partem, ita vt intensio illa quæ à manifesta coctione vsque ad summam restat, antequam formam sedimenti, vel puris introducat, sit quæ
C vigorem constituit; nam tunc excitatur in ea materia summus feruor, & vehementes accessiones, & grauiora symptomata eueniunt. Et hoc Galenus accuratè respiciens 1. *aphorismorum commento* 8. dixit, esse intelligendum aphorismum in morbis, in quibus post vigorem sequitur declinatio, nam quorum summum vigorem (inquit) excepit mors, in ea parte artis vtimur sola, quæ prognostica nominatur. Vide quam clarè mortem in vigore admittit, & in vigore coctionis, cùm dicat ob id esse vtendum victu tenuissimo in vigore propter morbi coctionem: quod clarius dixit *aphorismo 29 lib.2.* iis verbis: *Vt enim in libris de crisibus manifestauimus, coctiones morborum tunc maximè fiunt.*

Hæc assertio constat ex ipso Hippocrate *aphorismo-*
D *rum text.47.* dicente: *Dum pus fit, dolores accidunt magis quàm iam confecto*: vbi clarè docet & distinguit fieri puris à facto esse, vt in fieri solo febres, & dolores maiores admittit, quam maioritatem, aut vehementiam a facto esse puris excludit. Implicat ergo iuxta mentem summi Dictatoris, quod vigor constituatur per factum sedimentum, ac per consequens in vigore signa coctionis perfectæ apparere repugnat. Quem locum disertissimè Galenus exponens *lib. de totius morbi temporibus, cap.3.* exarauit: *Porrò cum in pus iam vertitur, maximi videlicet dolores tunc partem apprehendunt, nam in puris generatione dolores, febrisque magis quam iam facto infestant; vocatur autem huiusmodi tempus vigor affectionis.* Et inferius notat, quod in febre
E quæ ex inflammatione prouenit, eodem modo distinguenda sunt tempora: ergo vigor febris in fieri sedimenti, aut puris consistit, non quando factum est. Et clarissimè etiam in illius aphorismi expositione tradidit: *Hæc ambo (dolores scilicet, & febres maiores,)* inquit, *contingunt, ex quadam veluti ebullitione, atque exustione sanguinis, qui vbi ex toto exustus fuerit, residuum eius fit pus; quemadmodum ex lignorum exustione fit cinis, atque ideo tempore illo dolores sedantur, ac febres.* Et 2. *aphorismorum, text.29.* scripsit idem perspicuè. Verba sunt: *Quorum neutrum oportet adhibere morbo iam consistente; vt enim in libris de crisibus manifestauimus, coctiones morborum tunc maximè fiunt.* Et inferius; *morbo autem consistente cum iam natura concoquit,*

super

superuacuum est vacuare. Et *lib. de totius morbi tempor. cap.* 3. scripsit: *At cum ipsa concoctio maximè conficitur, vigor.* Quibus locis fieri coctionis vigorem constituere planè docet, eò quòd tunc ebullitio, & exustio maxima sit, qua finita, pus, aut sedimentum apparet album, leue & æquale, cum febrium magna declinatione.

Obiter tamen notabitis quod Brassauolus super aphorismos, aphorismi 29. locum vt à nobis scriptus est, male transtulit dicendo: *morbo autem consistente cum iam natura concoxit, &c.* Quæ traductio absurda est, quia iam omnino materia correcta est, & emendata putredo, & omnia symptomata cum morbo moderata, vt *in aphorism.* 47. *lib.* 2. Hippocrates tradidit; & constat planè error traductionis ex practica præceptione Galeni super *aphorismum* 29. *eiusdem lib.* 2. quæ habet: *Morbo autem consistente cum iam natura concoquit superfluum est euacuare, tum propter alia, tum quia vis animalis maxima ex parte eo tempore est fatigata:* esset verò hæc præceptio absurdissima, quia nihil communius & conformius doctrinæ Hippocratis, & Galeni, quàm post concoctionem esse expurgandum. Tum etiam quia vis animalis non potest esse nimis fatigata nisi ob summum incendium summi vigoris, quod esse repugnat, si iam natura concoxit; est ergo legendum (concoquit,) & sic Leonicenus traducens, notauit in margine, in quibusdam codicibus scriptum esse *concoxit*, & verba antea scripta planè docent, quæ sunt; *morbo autem consistente cum iam natura concoquit, superfluum est euacuare, &c.*

Sed dices; frustra à nobis loquuti si in vigore aliquis interfici possit, cùm necessarium videatur non posse in alio tempore periclitari, quando nulla maior vehementia æstimanda veniat, quàm quæ ægrum è vita discedere fecit. Respondetur quod si tempora definienda sunt signis coctionis, & cruditatis, vt Galenus expresè docet *libro citato, cap.* 3. ille in vniuersali principio periisse dicetur, qui sub signis cruditatis succubuit, & sic in aliis duobus temporibus: nam etsi morbus in principio habuit maiores vires quàm natura, non tamen habuit tam grandes vt haberet in aliis duobus temporibus, si ea nactus fuisset; quod doctissimè Galenus *libro cit. cap.* 6. notauit dicendo: *Verum intellectu id quod maximum est, capere oportet, ad quod aliàs morbus peruenit, alias praeueniens occidit, in inflammatione quæ soluitur, puris generatio vigoris terminus est; in ea verò quæ non debet solui, fieri quidem potest, vt in eius ascensu homo moriatur.* Vbi notabitis verba illa (puris generatio, vigoris terminus est) vt planè constet, vigorem in fieri, seu in dispositione antecedente veram puris generationem, postquam signa coctionis manifestæ apparuere, constituendum esse, & quando forma puris introducta iam est, declinatio vera incipit. Estque summus vigor finitus, & per consequens nunquam signa perfectæ coctionis nisi in declinatione apparent, & ob id cum illis nullus perire potest: quod tenaciter memoriæ mandabitis, vt omnia difficilia in principio adducta contra nostram resolutionem vel vno verbo eneruare possitis.

Ad primum ergo dicendum, quod quando natura concoquit, dantur magnæ accessiones, & maiora accidentia, & sic periclitari poterit æger. Hippocrates verò loquitur de coctionibus iam finitis, quæ formam puris, aut sedimenti introduxerunt, & constituunt declinationem, non vigorem, vt *cap.* 6. nuper *citato* Galenus docuit dicendo, quod puris generatio vigoris terminus, & finis est. Ad confirmationem ex Galeno adductam respondetur, quod si facultas animalis magna ex parte fatigata est in vigore, poterit æger ob eum laborem perire, trahendo cor in consensum ob aliquid superueniens; & cùm dentur tunc magnæ accessiones, poterunt fortitudinem vitalem superare, quia poterunt esse maiores quàm cor ferre, sustinereque possit, etsi ro-

A bustum supponatur: salubritas verò secura nunquam à nobis in coctionibus admittetur, nisi in factis omnino, & absoluta iam efferuescentia; tunc enim verè declinat, & non antea.

Et ita dicendum est, ex signis coctionis sanitatem polliceri, non quia æger absolutè securus sit, sed quia significant iam deuinci morbum a natura, & suo tempore deuincet omnino, aut paulò post, & futuram sanitatem, non præsentem ostendunt, quia signa victoriæ (coctionis scilicet) iam apparent.

Sed vrget, quod Galenus coctiones antecedentes requirat, vt crises salubres fiant, & simul doceat, quod in vigore celebrari debeant. Vnde infertur, quod si coctio perfecta supponitur, iam declinauit morbus, &

B in declinationibus crises celebrandæ erunt, si verò coctio perfecta non supponatur, non erunt crises salubres. Et viget magis, quod si nondum coctio finita omnino sit, retineatur adhuc materia, vt coctio quæ deficit, introducatur; si verò retineatur, implicat quod expellatur, cum sint oppositæ actiones, & inde nunquam crises natura commodè tentabit, nisi finita coctione, quo concesso, in declinatione celebrandæ erunt, non in vigore. Pulchrum quidem dubium, & nouum, soluitur verò facile ex dictis; nam si natura crises effectura est, duo requirit vt salubres eas efficiat: Primum coctionem præire; secundum, quod à morbi vehementia irritetur, alioqui non tentabit causæ expulsionem; ob id enim Galenus docuit, quod in vniuersali declinatione nullus morbus crisi finitur,

C sed paulatim à coctione, & resolutione iudicatur, aut soluitur; quia si molestiam vehementiorum accessionum, & grauiorum symptomatum ferre circa expulsionem potuit, multò minus expellet quando inclinato morbo molestius irritatur: implicat ergo (si Galeno credendum est) quod iudicia morborum fiant finito omnino feruore, sed in ipso vigore celebrari debent: supponuntur verò signa coctionis manifestæ, & adsunt signa perfectæ modo possibili ad crises requisito; & hoc est quod Galenus ad crises salubres requirit, nam nullam maiorem coctionem præbere potest quàm antecedentem manifestam, & accessiones ostendentes, quod coctio maxima à natura celebretur, etsi omnino finita non sit, quando si finita fuisset, non in vigore, sed inclinatus iam morbus esset. Id expresè Gale-

D nus docet 3. *de cris. cap.* 5. dicendo: *Nec enim vel animo concipi potest, quod post morbi exquisitam coctionem crisis non bona sequatur, exquisita verò coctio fit tempore status.* Expendo verba vltima, quod exquisita coctio fit tempore status; non ergo finita omnino est, neque omnino facta: ergo si crisis in statu fieri debet, signa quod coctio maxima fiat, aderunt, non tamen quod facta omnino sit: nec hoc tollit quod in aliqua parte sedimenti coctio perfectissima appareat, supersit verò magna portio quæ coquatur perfectissimè, & vehementes accessiones occasione illius excitentur, vt illa portio quæ absolutè coctionem ostenderat, significet clarè quod natura quæ superest exquisitè iam domat; & sic crisis si eueniat, optima erit, illa

E verò portio, quæ optima apparuit, partem declinationis constituit. Verùm quia multùm materiæ adhuc perfectè coquitur; vigor absolutè appellatur, & hæc est tota mens Auicennæ *in presenti cap.* dicendo: *Et status est hora, in qua vehemens fiat pugna inter naturam, & materiam*: ergo pugna actualis statum constituit, non datur verò pugna aliqua respectu materiæ, quæ formam puris, aut sedimenti iam obtinet, sed respectu illius quæ ad illam formam post manifestam coctionem disponitur; & id totum Galenus clarissimè docuit 1. *aphorismorum, commento* 8. tradendo rationem cur in vigore tenuissimo cibo vtendum sit. Verba sunt: *Neque enim distrahere oportet naturam ad alteram nouam coctionem, cum eo tempore vni humorum noxiorum*

coctioni

coctioni fortiter vacet, & non ita multo post ipsos sit euictura. Nil clarius dici potuit: & Horatius Augenius *libro 2. de febribus, cap 12. fol. 87.* idem clarissimis verbis tradidit dicendo: *Et hic etiam aliud aduerte, quod vigente morbo, non sit humor concoctus, sed eo tempore maximè concoquitur: coctus est in declinatione vniuersali, &c.* Et Cardanus *2. aphor. text. 30.* scripsit: *Hoc est quod Galenus non animaduertit, quod in vigore materia perfectè concoquitur, non autem est perfectè concocta, hoc enim pertinet ad declinationem*: quod etiam Argenterius tenet *2. aphor. tex. 18.* Sed Cardanus apertè fallitur, & maledicus Galenum calumniat, vt ex locis à me adductis constat. Fit ergo quod in omnibus crisibus in vigore celebrandis aliqua portio humorum cocta perfectè sit, quia implicat quod omnes humores, aut partes eorum æqualiter agenti coquenti sint applicatæ, & sint eiusdem dispositionis passiuæ: restat verò plurima copia coquenda perfectè, quam dum natura superare omnino contendit, vehementiores accessiones concitat, & molestius naturam premit, quam molestiam non ferens ad materiæ expulsionem se accingit, & expultrix ante absolutissimam coctionem operatur, & crisim mouet; quia vbi validè stimulatur natura, non retinet quod vellicat, sed illud expellit: quia verò multum materiæ coctum perfectè est, & quod coquitur tunc à perfecta coctione quamminimum distat, salubres crises fiunt, quia ex parte materiæ si crisis expellenda est, non est possibilis maior dispositio, quàm ex parte coctam perfectè esse, partim verò absolutissimam coctionem in fieri ornare iam totam materiam, etsi vltimos gradus nondum receperit: cum hoc tamen stat, quod in ipsa crisi perire possit æger, etsi coctio modo iam dicto supponatur, nisi virtus constet satis ad ferendam molestiam accessionis vehementis, & accidentium, quæ in ipsa motione grauiter molestare solent, vt expressè Galenus docuit *lib. synopseos pulsuum, cap. 20. citato.* Est verò periculum plus timendum in ipsa commotione excrementorum, incepta verò iam euacuatione quiescere solent, & natura humores noxios euacuans fortior, potentiorque redditur, vt tutum sit periclitari. Vnde quod Galenus dixit *3. de crisibus, cap. 3.* neminem intereuntem vidisse in crisibus celebratis materia iam cocta, intelligendus est de euacuata materia pro maiori parte; nam in primo crisium insultu, quando agitatur materia, & commouetur, tetè potest natura succumbere ob symptomatum molestiam: in quo conflictu recrudescit materia & deprauatur, vt maioribus febribus tunc euenientibus potest, & sic in crisi perire antequam morbos declinet, & sic securior solutio est per coctionem absolutam & resolutionem materiæ, quàm subita crisi, licet hæc sit tœdiuæ minus exposita. Audi Galenum *lib. 3. de crisibus, in fine cap. 6.* quæ dicta sunt clarè docentem. *Crisis enim* (inquit) *vel in statu, vel parum ante ipsum fit, mors autem in tribus temporibus, principio, augmento & statu.*

QVÆSTIO VII.

De iis quæ in vigore notanda sunt.

IN vigore salubri cibus tenuissimus competit, vt *1. aphorismorum tex. 8.* Hippocrates docuit dicendo. *Quando morbus in suo vigore constiterit, tunc victu tenuissimo vtendum est.* Rationes adduxit Galenus duas, & propter magnitudinem symptomatum, & quia tunc natura coctioni excrementorum fortiter vacat: ne ergo ab ea distrahatur, alimentum detrahendum est, nam etsi cibo iam confecto fortior virtus detur, in

A ipsa tamen concoctione natura repatitur, & etiam humor de nouo genitus inter humorem putridum coquendum, & naturam coquentem interpositus, coctionem necessariò remoratur, quia paulum ab agente plus distat, & inde alteratur remissius: fortitudo etiam symptomatum cibum tenuem desiderat, quia cum in vigore materia ferueat, & totum fuliginibus repleatur, apertissimum, patulúmve esse debet, vt tanta fuliginum copia liberè transpiret: quam libertatem alimentum quatenus replet, tollit; sub fortitudine & & vigore symptomatum virtus remanens ex tenè cadit, coquens non satis constat, ob spirituum defectum, & intemperiem maiorem; periculum ergo aut corruptionis alimenti, aut infelicis commutationis, & inde augmenti excrementorum, quæ morbum fouere pos-
B sint: nam quicquid non coquitur, aggregatur statim materiæ morbi, aut corruptum noui morbi est anthor. Alia ratio in aphorismi expositione includitur non leuis momenti, nimirum quod natura paulo post morbum euictura est, & per consequens paucissimo cibo eget, quia breui morbus cessabit, nec cadit sub dubio, quod alimentum assumptum si tenue nimis non sit, crisim, & iudicium impedire, aut retardare possit, aut quod minus commodè fiat, ob iam adductas rationes replendi corpus, repassionis naturæ, & quia coctioni materiæ interpositus humor obstat, & materiam morbo necessariò præstat, ob quæ non solum tenuissimus victus desiderant per vigores febrium, sed etiam quod sit spirituosissimus, & attemperans; nam in conflictu vigoris, & ardor fatigat,
C & spirituum resolutio, quorum magna copia grande remedium est ad coctionem finiendam, & suscitandam crisim, nihilque in cibo insalubrius quam in vigore non præberi omnino defæcatum, vt cum instauratione virtutis, immunis excrementorum sit; illa enim corpus replent & obstruunt, & sanguis quò crassior, idem incommodum affert.

Vult etiam Galenus *aphorismum 29. lib. 1.* exponendo, qood in morbi vigore vniuersali, à sanguinis missione, & expurgatione cessemus; putat enim suam explicationem Hippocratis sententiæ consonam esse: dicit enim; *Incipientibus morbis, si quid tibi videtur mouendum moue, cum vero consistunt, ac vigent, melius est quietem habere.* Quiescendum (inquit Galenus) est à missione sanguinis, & expurgatione, nam mor-
D bo consistente superfluum est euacuare; tum propter alta, tum quia vis animalis magna ex parte eo tempore est fatigata, licet aliæ duæ, vitalis scilicet ac naturalis maximè fortes persistant. Est verò summa infelicitas quod taceat Galenus, ob quæ sanguinis missio, & expurgatio non sint imperandæ, tradat verò quæ auxilia magna partim requirant, partim permittant; nam magna animalis virtutis defatigatio ab oppressione & incendio, accessionum etiam magnitudo, & magna morbi vehementia cum symptomatum maioritate sanguinis missionem hortari extra dubium est, cùm morbus sit magnus; morbo verò tali existente, si virtus vitalis, & naturalis maximè fortes persistunt, non est à
E quo impediri tantum auxilium possit. Quod verò eo tempore coctiones maximè fiant, sanguinis missioni obstare non potest, nam in eius aphorismi expositione tale auxilium Galenus commendat, vt citius coctiones eueniant, quas si in principio sectio venæ non remoratur, sed accelerat, idem in vigore præstabit. Vrget etiam Galenum, quod si in vigore potest æger perire, & morbus in propria essentia est maximus, ob cuius magnitudinem periclitari æger potest, non est cur à tanto auxilio retrocedere debeamus, quando contra febres ardentes nullum inuentum maius quàm ad deliquium sanguinem mittere: ardet verò quæuis febris acuta in summo vigore: quod verò dicit Galenus in expositione *aphorismi 7. lib. 1.* quod paulò post

à vigore morbum natura superatura est, incertum est, si in vigore periclitari potest, præsertim cùm vigor in omnibus febribus æqualis durationis non sit, & in quibus extenditur, ampliatur etiam periculum; in quibus verò non, acutissimæ sunt, & molestissimæ accessiones: dicente Hippocrate *aphorismo 7. lib.* 1. vbi morbus peracutus est, statim habet extremos labores, statim verò Galenus interpretatur circa primos quatuor dies; esset verò medici temeritatj in peracutis cessare à missione sanguinis illis primis diebus, quia in ipsos incidat vigor, cum vel vnica accessione vehementissima soleat ægrorum rapere, vt quotidie experimur. Vrget Galeni expositionem, quod per verbum mouere, intelligat venam secare, est enim loquutio improprissima, & in nullo alio loco quem legerim in ea significatione ab Hippocrate traditur; verum quod in vigoribus morborum vitalis facultas maximè fortis persistat, nescio ex quo principio deduci debeat, si tunc maiori intemperie cor, & totum affligitur. Idem de naturali non sine ratione dubitatur, nam quod eo tempore coctiones maximè vigeant, sufficiens argumentum non est, cùm experimentum doceat, non solùm in morborum declinationibus, verùm & in conualescentiis extremè debiles ægros permanere, & ob infelicem coctionem aut recidiuare, aut tardissimè refici, & pristinam bonitatem recuperare, nam si suppuratio illa à solo calore naturali celebraretur, ex ipsa idoneè colligeretur robur coctricis. Verùm cum in Galeni opinione ab vtroque calore, naturali nimirum, & præternaturali creetur, est ad solum naturalem calorem argumentum inualidum; fortis ergo dici potest, quatenus fortior morbo in vigore salubri agnoscitur, non absolutè, cùm post morbum tam debilis remanere soleat.

Verùm quia aphorismum adductum tam variè authores interpretantur, vt quid tenendum sit, difficile sit inuenire, paucis mentem nostram propono: quod de acutis illis præcipuè tradatur, mihi certum videtur, in eorum verò vigore nihil perniciosius quàm expurgare, tum ob viscerum, & totius incendium, ob quod quicquid à medicamento commouetur, ab eis attrahitur, & carnes in se absorbent; tum etiam, quia si eo tempore coctiones maximè fiunt, nullum incommodum maius quàm contra retinentem facultatem pugnare; tum quia quæ retinet, non permittit à medicamento trahi, & sic quæ non oportet, educemur; tum quia commotio ipsa retentionem diminuit, & inde coctionem. Est etiam grande periculum, ne agitata excrementa in partem internam & principem impetum capiant, quia cùm natura medicamento non cedat quando tam cupidè retinet, irritatio, & pugna non leuis suscitatur: natura verò à materia agitata vellicata de nouo, & magis quàm antea, decubitum periculosum tentare in partem internam facillimum erit: quod si adhuc per ventrem infernum humor extrahatur, similia incommoda quæ in crisi symptomatica eueniunt, quia nondum materia concocta est, ob quæ nullus sanæ mentis in vigore febrium acutarum expurgare consuluit. Sanguinem verò mittere, & vtilissimum esse potest, & perniciosum; vtile, quando magna pugna ex parte alterationis inter naturam, & morbum agnoscitur, cum signa manifestæ coctionis apparuerint prius, euenerint postea accessiones grauiores, quæ nec coctiones perfectiores ostendant, nec crises celebrentur, sed magna resistentia ad gradus perfectæ coctionis appareat, rubeat vrina, sitis fatiget, & alia accidentia superueniant, aut præexistentia augeantur; tunc enim magno commodo vena secabitur, quia anceps est naturæ victoria, & fortasse ipsa accessionum maior intensio ex efferuescentia coctionis emanans, improportionatum naturalem calorem ad coquendum relinquit, vt metus sit, quod non solùm coctio quæ incepta erat, non perficiatur, verùm quod materia recrudescat de nouo.

Contemplor semper infelicitatem nostram, quod periculum febrium acutarum effugere non possimus absque materiæ coctione, & in ipsa nouum succrescat periculum ob accessionum exacerbationem, & interdum quando victoria sperabatur media coctione, noua in excrementis loco coctionis corruptela appareat: quod præsertim eueniet vbi vires satis non constant, aut est materia morbi inæqualis, vt tota coctionem manifestam non receperit, quæ probabilissimum est, vt à maiori illo calore non coquatur, sed potius corrumpatur amplius, aut de nouo putrescat; contingit etiam vt in locis à quibus vrina decidit, coquatur perfectè materia, non tamen in locis distantibus: quo casu etsi lotium signa coctionis perfectæ ostendat, febris tamen non cessat, nec sensibiliter declinat; tunc enim etsi respectu illius portionis coctæ summus vigor iam sit, & fortè præteritus, rectè vena secatur, si vires constent. In vigore itaque, & morbus magnus est, & vires constant, & inde in illo sanguis mittendus est si expediat, expediet verò in casibus traditis. Sic Galenus 9. *method. cap.* 5. sectionem venæ nullo non tempore conuenire docuit, modò vires sustineant, quia in quouis tempore ante declinationem potest non esse satis ablata plenitudo, & vires opprimi possunt multitudine, incendio, doloribus, peruigilio, & implacabili siti, & vt antea docui, maior illa accessionum intensio, quam in vigoribus experimur, aut mortis occasio, aut nouæ corruptionis author esse potest. Quin potius censeo, quod si ea quæ per vigores in morbis acutis eueniunt, ad amussim contemplemur, rarissimum sit, quod in eis sectio venæ non sit necessariissima, præsertim tempore nostro, in quo ægrotantes, etsi morbo acuto premantur, tam plenè cibantur, velut si longo morbo affligerentur, & vt natura (consistente iam morbo) sanguinis fluxum per nares, hæmorrhoides, aut vterum vniuersaliter sæpe mouet, sic medicus eundem fluxum secta vena cum magno commodo excitare poterit, præsertim quando nullam euacuationem natura suscitauit.

Ex dictis crassus error Fernelij & perniciosa praxis detegitur, qui Oratoria more & elegantia, falsa tamen ratione, sectionem venæ in vigore dehortatur. Sic enim *lib.* 2. *methodi cap.* 13. post medium scripsit: *Cum igitur concoctionis manifesta signa comparebunt, non amplius venæ sectione, sed aut purgatione, aut aliis deriuantibus præsidiis reliqua curatio transigenda, nisi quod interdum fit, cruditatis signa de nouo se prodant.* Verborum enim elegantia & concinnitate distractus, tempora confundit, & non vt Medicus, sed vt Orator putat se scribere; nam quod cum signis coctionis manifestæ sanguinem fundere non liceat, tam perniciosè præcipitur, vt nullum absurdius præceptum posset proferre. Et quidem incepta naturæ victoria, dubius tamen portua salutis, cum nondum perfecta coctio apparuerit, & morbi tempus crudelius instet iam, in quo (præsertim in eius initio) vehementia accessionum & accidentium ægros è medio tollere consueuit; & immediatè post adductam sententiam scribit: *In febribus vacuata multitudine, vbi quæ potuerunt, concocta sunt, per aluum, & vrinas, & sudores euacuare tentandum.* Et antea scripsit: *Ita in febribus quarum materia in venis coercetur, concoctus ac iam secretus humor medicamento deriuandus, deturbandúsque est, & si quis hoc tempore venam ausit incidere, non eos solum, sed pariter vtiles eliciet, quodque grauius est, eos qui vi naturæ secreti fuerant, puro sanguini permiscebit, hunc inquinabit, omnia confundet, naturæque molitionem optimam interpellabit.* Quibus verbis declinationem planè depingit, nam separatio post coctionem perfectam euenit, si fateamur quod coctio bonos à malis succis disiungit; verùm si

humor

humor iam concoctus & secretus est, morbus inclinat, non viget. Vnde perniciosè, & incautè scripsit, aut intulit; *quod si signa coctionis manifesta compareant, non amplius vena sectione, sed aliis auxiliis absoluenda curatio.* Nec video quod humor si intra vasa conclusus putrescit, & post à natura coquentu emendatur, quomodo separetur ab aliis quos inculpatos iudicat; coctio enim alteratio est, non motio localis: & si Fernelius (vt nos) vigorem distingueret, & feruorem & vstionem illam constituentem, & à Galeno 2. *aphor.* 47. traditam accuratè fuisset speculatus, videret perspicuè, quod in vigore summo omnia vi feruoris, & æstuationis agitata miscentur, confunduntur, & inquinantur, vt ipsa efferuescentia, & permistio venam pertundere exposcat, quod nulla excretio sit facta, & accessionum aliorúmque accidentium intensio multò magis quàm antea virtutem premat, & cor totumque corpus fatigat, remediaque exposcit maiora.

Sententiam nostram amplectitur Magister meus, *lib. de febribus*, *folio* 742. & tenet Massarias *lib.* 5. *de febribus, cap.* 13. quod præceptum practicum velut si oraculum esset, sequentibus verbis extollit, & commendat. *Quod sanè decretum* (inquit) *cupio vos alta mente reponere, & tenere, qui vobis pollicear ex hac medendi ratione vestros ægrotos maximam vtilitatem, vos autem magnam gloriam, & vtilitatem esse percepturos*; & idem tenet Vallesius 4 *methodi capite* 2. *folio* 329.

Sed obiicit; in vigore summo natura aut morbum superauit, apparétque perfecta actio, aut superata est, apparéntque signa contraria concoctionis: ergo si natura superauit, planè est supervacaneum venam secare; si verò superata est, minus multò conuenit, ne remedium infametur, vt Galenus monet *lib.* 11. *meth. cap.* 9. Respondet quod in statu morbi salutaris apparentibus signis perfectæ coctionis iam deficit vnus princeps scopus, morbi scilicet magnitudo, & fatuum foret venam secare. Solutio quidem absurda, cum nunquam morbus maior quàm in vigore agnoscatur, ob quod Hippocrates *aphorismo* 29. in principiis esse mouendum consulit, & rationem reddens *aphorismo sequenti*, dicit; *In principio autem, & fine, omnia imbecilliora, in statu verò fortiora.* In cuius loci expositione Galenus docet, quod & accessiones in vigore sunt fortiores: ergo morbi magnitudo nunquam magis quàm in vigore micat.

Obiicit rursus Magister meus *loco citato*: materia perfectè cocta petit ex se expurgationem, vt constat præcepto Hippocratis 1. *aphorismorum* 22. *cocta medicari oportet.* Sed in morbi statu cocta perfectè est, ergo non secare venam, sed medicari conueniet; si verò aliqua portio materiæ incoctilis maneat, cacochymiam constituit, cui expurgatio etiam debetur, non sectio venæ. Respondet iis verbis, verum esse materiæ morbi perfectè coctæ conuenire expurgationem sæpe, Galenus enim de vtroque auxilio agit, & ego non asserui semper conuenire missionem sanguinis, sed aliquando aliam euacuationem; itaque cum coctione perfecta materiæ non solùm dum fit, sed cum est facta, est occasio mittendi sanguinem, quam dixi: Quæ solutio in eo peccat, quod admittat vigorem manere cum summa coctione iam facta, hoc enim iuxta mentem Hippocratis & Galeni teneri non potest, vt constat ex *aphor.* 47. dum pus conficitur.

Quod verò Hippocrates *aphor.* 23. *lib.* 1. in vigore quiescere consulit, si de expurgatione sola intelligendus est, nihil contra sectionem venæ consulitur, multa verò sunt de expurgatione sola sermonem instituere suadentia, tum vt dixi, quia verbum mouere id propriè significat; tum quia sanguinem mittendum esse in principio febrium acutarum extra controuersiam fuit semper, & inde præcepto non erat opus, *si quid mouendum videtur moue*: quia necesse est, vt per missio-

A nem sanguinis in principio moueamus, & hoc videtur semper; tum etiam quia consilium illud stabiliuit Hippocrates sequenti aphorismo, dicendo: *Circa initia, & fines omnia imbecilliora, in statu verò fortiora*: id quod ad missionem sanguinis impropriè refertur, quia febris quò grauior, & maior, aut fortior, sectionem venæ non dubiè vrgentius indicat, vt in ardentissimis constat, & in continentibus semper vigentibus, aut eundem vigorem seruantibus. Tum etiam, quia nullum tempus magis quàm declinatio vniuersalis sectionem venæ recusat, cùm in illa expurgatio imperetur per *aphorismum* 22. *lib.* 1. *Concocta medicari oportet, &c.* ergo Hippocrates si mouere in vigore dehortatur, hortatur verò in principio, & in fine, quia B in iis omnia sunt imbecilliora, de auxiliis vtrique tempori communibus & maximè celebrandis intelligendus est, in declinationibus verò secare venam rarissimum est ratione morbi declinati, sed expurgatio conuenit: non ergo de missione sanguinis præceptum videtur traditum sed de expurgatione, quæ in vigore acutarum febrium rarò est idonea, vt docuimus: & propterea si quid mouendum videtur, in principiis, aut in declinatione mouendum est, non verò in vigore.

Diximus etiam quod interdum in vigore est perniciosa sectio venæ, quia si vires non satis constent, & ex alia parte crisis sit indicata, & coctio in dies melius procedat, non licet naturam turbare, sed vt operetur permittere, quia & debilitata fortassis non concoquet, C aut non discernet, nec reiiciet, & absque dubio sectione venæ motui, & regioni per quam reiiciendus est humor, aduersa esse poterit, maximéque timebitur, si in die critica celebrari imperetur, quia in illa ob determinatum aspectum cogitur natura contra morbum pœnam tentare, & per consequens nec mouenda, nec irritanda est, sed sinenda; & est expressum præceptum Hippocratis.

In vigore mortali, si vires constent (quod rarissimum est) quodcumque auxilium tentari, quod indicatum sit, poterit; quia cum morbus tam repugnans coctioni, & aduersus naturæ conspiciatur, nequit natura nisi magnis auxiliis iuuari; leuia enim tanto morbo improportionata omnino sunt, semper tamen præ- D nunciato prius periculo imperabuntur, ne auxiliis quod morbi prauitati debetur, vulgus imputet.

Deberis tamen accuratè notare, num impotentia coquendi in vigore, à causæ resistentia, an à debili facultate oriatur, an vtrumque in causa sit? Nam si sola causæ resistentia sit, aut ob copiam, aut prauam aliam conditionem, & virtus constet, secanda vena est, vt diximus; si verò virtus sit dubia, ad hyrudines recurrendum est, vt ad probatissimum auxilium mariscis affixas; mirum (inquit) est Argenterius, quantum prosit tunc huiusmodi euacuatio, ex qua videmus omnia symptomata mitigari, coctionem dominari, & salutem sæpe ab aliis medicis desperatam comparari; si verò materiæ resistentia virium debilitati adiungatur, desperatus est casus, nullámque sustinet eua- E cuationem nisi per hyrudines, aut clysteres, aut cucurbitas scarificatas: sint verò clysteres humoris determinati & peccantis eductorij, vt à visceribus reuellant, & ad intestina prauos humores inclinent; vbi verò debilitas insignis est, nulla euacuatio imperabitur, etiamsi materia coctioni non omnino inepta iudicetur, sed omni ingenio virtus instauranda, & si robur nouum acquirat, statim auxilium aliquod ex dictis imperandum, in quo casu assidua ægrotorum visitatio requiritur; sæpe enim in acutis auxiliorum occasio breui se offert, & simili celeritate euanescit, quod accessiones frequentissimæ sint, & parum vbi iam tanta debilitas contracta est, remittere solent, qua diligentia nonnullos desperatos liberari vidimus. In quo ancipiti euentu soleo ego alimentum in pauca quantitate,

multum tamen nutriens præbere, mox somnum idoneo auxilio conciliet, sic enim roborati mediocriter expergefiunt, & aliquod auxilium sustinent, a quo non leuem opem sentiens natura, si materia omnino praua non sit, superare eam incipit, quod præcipuè sperabitur quando antea corpus inanitum sit satis, & nondum in respiratione insignis læsio appareat: hic si cordialibus auxiliis fidum præbeas, locum proprium habent intus & extus, plus tamen vino generoso, & odoro, alimento spirituoso, & optimis odoribus adhibitis, & somni vt dixi conciliationi, si virtutem eius instaurare procuras: accuratè tamen effeminationis virtutis immediatiorem causam inquires; nam si humorum insignis corruptela, & exteosa putredo sit, audacius cibabis, si verò intemperies insignis, largioribus potionibus, & acidis attemperatio, & putredinis inhibitio celebrabitur; est enim vigor summus in quo attemperatio magnum locum habet, si in eo vehementiores accessiones fatigant: ab ea enim roboratur validè natura, & si crisim effectura est, solet ab eo attemperamento roborata illam statim inchoare. Sic ardor nimius visceris alicuius si adsit (vt ferè semper contingit) frigidis epithematis temperandus, ne coctionis loco colliquatio eueniat, & si crisis indicata fuerit, coctionésque in melius semper abeant, eam sperabis in die iudicatorio, nisi in eo accessio non concurrat vt solet, crisis enim in die accessionis ventura est, non in die quietis, aut remissionis, etiamsi dies ille ex radice superna decretorius existat. Nam teste Hippocrate (qui horum dictum magnus author, & obseruatissimus fuit) si febres mouentur paribus diebus, in eis iudicari debent, si imparibus similiter, sempérque memoriæ vt præsentia propones terribilia accidentia, quæ eum iam instar crisis superuenire, & non sine vulgi terrore solent. Et longè satis, & doctè ibi Galenus *lib. 3. de crisibus, cap. 2.* depinxit, ne vt vulgus, te etiam deterreant, quin potius vt artis Hippocraticæ dignus, illa contemnens, & nihil in illa mouens, securam salutem quando vulgus mortem sperabat pollicitus, vulgo etiam admirabilis fias.

Est tamen notanda praxis Argenterij *2. aphorismorum, text.* 30. in quo exponendo auxilia quæ in vigore febrium acutissimarum, quando coctio tardatur, celebranda sunt, postquam docuit conuenire interdum venam secare, & applicare hyrudines, & hoc auxilium tanti fecit, sic scripsit: *Quod si ignea ex feruentissima bile appareant vrina cum obscuris (vt diximus) contentis, nunquam oberit casia vncis, vel manna cum insculo exhibita, hæc enim non turbant concoctionem, sed turbatam releuant, diminutis causis quæ illam tardabant, & impotentem reddebant.* Quæ praxis mihi non probatur, nam feruentissima bilis intra vasa ardentem nimis febrem creare debet, præsertim in vigore summo, in quo euentu, aut sanguinis missio ad deliquium, aut potus aquæ gelidæ indicatur, vt Galenus expressè docet 9. *method. cap. 5.* & 1. *aphor. text.* 23. & in casu Argenterij copiosus gelidæ potus fortiùs indicatur, quia supponit esse coctionem in vigore, quam cum nimio incendio solum Galenus requirit loco prius citato ad dandam abundè gelidam; nam etsi de continentibus agat, non indicantur illa duo remedia vt à continentibus, sed quatenus tales ardentes sunt, præsertim quod alui motio non minus sequi solet à potu gelidæ, aut sectione venæ copiosa, quàm à medicamentis lenientibus, quorum operatio sub tanto incendio, nec certa, nec secura esse potest ob allatas à nobis rationes. Omitto Massariæ metum conuersionis mannæ in bilem præternaturalem quando bilis æstuat; melius verò doceret, si largiores potiones & frigidas satis in dicto casu commendaret, præcipuè si in eis recens tamarindorum pulpa dissolueretur, hæc enim, & putredinem, & sitim moderatur, bilem coërcet, & si natura inclinata sit, aut non resistens vt per aluum moueat, inclinatio illius prædicto auxilio securè solicitabitur.

Est verò docti Medici, naturæ inclinationem per morbos acutos accuratè in augmento vniuersali inuestigare, si nimirum per aluum aut sudorem, aut per aliam conuenientem regionem, vt per vrinam vel sanguinis fluxum ex naribus, aut mariscis morbum iudicare tentet; sua enim propensione cognita, turbanda ab ea non est, sed inclinanda semper idoneis auxiliis; sic enim certior & felicior crisis eueniet in vigoribus: loquor de vigore salubri, nam exitiosa crisis si quia indicata iam est timeatur, non iuuari, sed lentè impediri debet, considerata occasione ob quam symptomaticam crisim natura machinari incipiat.

Ne tamen obliuioni tradatis quod diximus, nimirum quod quando Hippocrates præcepit in vigore esse quiescendum à medicamento expurgante, sit intelligendum in acutis febribus, nam in longis & à crassis succis dependentibus, nihil perniciosius imperare posset, quàm in principiis medicamento expurgante monere, cum succi crassi, & obstructiones magis stabiles tale auxilium fortissimè dehortentur: in iis ergo febribus nullum tempus expurgationi incommodius principio esse potest, & in vigore expurgare liceat, quoniam humor nunquam simul domatur ob inæqualem sui conditionem. Vnde si totius materiæ coctionem ad expurgandum expectemus, quæ iam superata est recrudescet, & nouam occasionem febrium incremento offeret, nunquámque, aut tardissimè tota materia si non expurgetur per partes, concoquetur, ob nouam cruditatem ex materia non enacuata; nam vt optimè Argenterius, si quæ in morbis relinquuntur, recidiuare faciunt, facilius multò id eueniet, si quæ cocta primò sunt, statim non educantur, cum duret morbus, & vires magis collapsæ sint, & radix putrescentiæ sit maior quàm post morbi ablationem, cuius reliquiæ recidiuare faciunt; vnde in augmento expurgare licet, & in vigore magis, & magis in declinatione, in morbis longis ex inæquali materia creatis, vt doctè Argenterius notauit. Et mihi sæpe obseruatum felicissimè fuisse testari possum, quando sanguis missus iam sufficienter est, succi satis attenuati, & hypochondria emollita & deobstructa, sitis tamen non fatigat, nec lingua aspera, & dura percipitur: hæc enim duo accidentia ad expurgandum mihi semper magnum obstaculum sunt, vt naturæ expurgationi inepta, eáque exhorresco, quæ si deficiant, & alia quæ dixi præsto sint, coctio verò perfecta cunctatur nimis, magnam opem ab expurgatione crassorum ægri sentient. Sæpe enim excrementa obstruentia tam tenacis sunt conditionis ob lentorem, crassitiem, & multò magis ob terream exustionem, quia omni humiditate priuata incoctilia sunt velut tophi, vt nisi vi medicamenti extrahi possint, quia nec concoqui, nec resolui possunt.

QVÆSTIO VIII.

De natura declinationis vniuersalis.

VLtimum tempus, & quia in illo iam in tuto sunt ægri, felicissimum, exponendum proponitur, cuius naturam tam obscuris, impropriisque verbis Princeps delineauit, quod in sola eius explicatione infelicissimus fuerit. Barbara verba, aut impropriissimè versa, & translata sunt hæc: *Et declinatio est hora, in qua calor innatus iam dominatur materiæ, & vincit eam, & existit in separatione congregationis eius, scilicet rei post rem,*

rem, & tunc alleuiatur caliditas occultè, & expellitur ad extremitates, donec resoluitur, & multoties ingrossatur. Quibus verbis declinatio vniuersalis morbi salubris depingitur, nam lethalis morbus nunquam declinationem attingit, & inde meritò dicit, quod est tempus in quo calor naturalis iam habet dominium supra materiam morbi, & eam vincit separando illam ab aliis humoribus, quibus erat coniuncta, aut aggregata; ex qua separatione sequitur quod caliditas occulta, interna, morbosa, minor aut remissior fiat, & naturalis alleuietur, eo quòd causa mali ad extremitates & corporis ambitum pellitur, & in hoc opere durat donec resoluatur tota, & tandem morbus extirpetur: notat tamen, quod multoties ingrossatur, hoc est crassior fit morbi materia in declinatione.

Vt plenè hæc explicatio intelligatur, notabitur doctrina Galeni iam ex *lib. 3. de crisibus* tradita, docentis: *Quod si morbus in vigore non iudicatur per crisim, non potest eam habere in declinatione, sed absque vlla subita mutatione; paulatim concoctione, & resolutione finitur.* Quam doctrinam Princeps hîc æmulatus dicit, quod in declinatione calor naturalis vincit omnino materiam, separando partem eius post partem, hoc est paulatim, & per partes eam separando & expellendo; hoc enim significant verba illa ineptissima: *Et existit in separatione congregationis eius, scilicet rei post rem.* Ex qua separatione paulatim emanat, quod calor aut caliditas præternaturalis occultè ac paulatim alleuietur, quia causa eius ad extremitates, & extra corpus reiicitur, donec tota resoluatur. Verùm quia non semper in declinatione materia resolui potest, nec extra corpus mittitur, solet decumbere in partem aliquam extremam, & abscessum, tumorémve causat: & quia pars tumida vrgentior apparet, ideo dicitur quod multoties ingrossatur, & pars de nouo affecta corpulentior, & tumida apparet. Sic hanc vltimam sententiam Gentilis exponit: quæ mihi non probatur, quia Author noster loquitur de crassitie ipsius materiæ morbi, non de crassitie quam pars tumida ob distensionem ostendit, & acquirit; & esset improprissima locutio, tumorem de nouo creatum explicare per crassitiem materiæ, præterquam quod si morbus prior in abscessum terminator, iam terminatur crisi, quod in declinatione vt Galenus *loco* nuper *citato* docuit, euenire non potest. Simile peccatum Herculanus committit. Iacobus dicit, quod multoties ingrossatur, quia ob summam tenuitatem aliquando morbi materia in poros partium intimè impingitur, & vt commodè pelli possit, incrassatur. Sinistra quidem expositio, quia si materia in vigore summè coquitur, & coctio absque crassitie celebrari nequit, implicat quod in declinatione crassitie noua indigeat, vt possit expelli. Auicenna verò loquitur de operationibus, quas natura circa morbi materiam in declinatione celebrat. Sensus ergo est, quod materia in declinatione multoties incrassatur, quia tota resolui non potest; crassum verò quod remanet, diutius detinetur, & sic calore humiditatem depopulante crassiorem reddit humorem, quod sæpe si lotium in declinationibus conspiciatis, videbitur: multæ enim portiones, crassæ & terreæ, in matulæ fundum descendunt, velut tophaceæ, & lapidosæ, neque subleuantur vt verum sedimentum, sed fundo matulæ adhærent ob exustionem omni flatu, & humore consumpto, & grauitate ponderosa totum vrinæ liquorem penetrant, nec albicant ob eandem rationem, vt loco, & colore à vero sedimento discrepent; hoc enim album, leue, & æquale est, nec matulæ fundo hæret, sed ab eo subleuatur tantisper.

Galenus *lib. de totius morbi temporibus cap. 3.* sic loquitur: *Inde rursus declinatio, in qua quidem, & symptomatum magnitudo, & humorum copia cessauit, restat verò modicum in ea humorum adhuc, qui concoctionem requirant.*

A Sed dubium est per quod declinatio constituitur? Vallesius *lib. 10. contron. cap. 6.* putat, quod in declinatione vniuersali detur signum peculiare coctionis; est autem color vrinæ naturalis, quem in vigore esse non posse censet. Impossibilitatem non probat ratione, sed exemplo. Si sit (inquit) vrina flaua, & multo contento albo, leui & æquali plena, statum significat; hæc verò in statu naturali dari non potest, quia nec tantam sedimenti copiam, nec tam intensum colorem ostentat, ac per consequens, in declinatione tota vsque ad perfectam sanitatem contenti copia minuitur, & color etiam tam intensus remittetur, & erit vt subflauus; dabitur ergo signum coctionis perfectioris in declinatione, quia nisi per illam color ille intensus remittetur. Et hoc in littera videtur Princeps insinuare

B dicendo; quod *declinatio est hora, in qua calor innatus iam dominatur materia, & vincit eam, & existit in separatione eius, &c.* Illud autem dominium non potest esse, nisi concoctio, qua finita separat materiam suppuratam à reliquis humoribus, & extra corpus illam reiicit, sicque morbum finit. Et constat ex ordine locutionis, quia prius dominium enumerat, & victoriam, post verò expulsionem ad extra: quam opinionem doctrina Galeni tuetur, cum pateat in declinatione restare humorum corruptelam coctione indigentem: ergo si augmentum à vigore secernitur, quia in illo coctio nondum perfecta est, & hoc ex alio principio non pendet, nisi ex eo quod deficiat aliquid coquendum in statu, cum sit euidens etiam in declinatione coquendum aliquid superesse, vt Ga-

C lenus docuit, & quamuis non doceret, constat planè ex ipsis accessionibus, quæ absque humoris putredine suscitari nequeunt; dicendum necessariò est, quod in declinatione dentur signa coctionis perfectioris, quàm in statu, vt dantur in statu respectu augmenti, in hoc respectu principij. Nam in principio dantur obscura, in augmento manifesta, in vigore perfecta quantum ad sedimentum, non tamen quantum ad calorem; in declinatione verò, quantum ad vtrumque, quia color, & sedimentum naturalissima sunt: & quod color naturalis in vigore esse nequeat, constat, quia maiori incendio interno per febres acutas quàm per exercitium æger opprimitur: sed in exercitatis colorem lotij naturalem intendit calor & mutat: ergo

D efficacius eam permutationem calor ardentis febris in vigore efficiet, quia intensior est, & plus durat.

Secundò, hactenus dicta de coctione manifesta in augmento, de perfecta in vigore, videntur chimærica. Probatur, quia in principio coctio non datur, quia datur humor putridus accessionum Author; sed in vigore & augmento datur humorum putridorum copia maior: ergo lotium vitiatum magis quàm per vniuersale principium apparebit. Patet, nam ideo in vniuersali principio lotium vitiatum, & crudum apparet, quia putredo coctioni præexistenti in humore opponitur, eámque destruit: sed in vigore & augmento est putredo, & maior, quia accessiones sunt

E maiores multò: ergo vrina præternaturalior, & plus vitiata apparebit. Implicat ergo quod coctiones appareant. Quod argumentum leue non est contra opinantes, quod materia morbi vsque ad vigorem coquatur, & putrefiat magis, vt postea videbimus: Si ergo in dictis temporibus coctio adesse non potest, & est reuera in declinatione vniuersali, vt omnes fatentur, dabitur signum declinationem ostendens.

Tertiò, si in declinatione non darentur signa coctionis perfectioris, sequeretur quod deficerent signa ostendentia opus naturæ perfectius, & sensibile nimis: hoc non potest afferi: ergo nec primum. Constat, quia in declinatione vniuersali datur materia putridá accessionum causa: ergo datur vt dicebat Galenus, quod

coquendum superest. At si non datur signum in declinatione à vigore diuersum, non poterit medicus dicere quod coquat iam natura quod restat; ergo signa deficient opus illud naturæ ostendentia. Galenus 1. *de crisibus cap. vltimo*, id docet dicendo: *Sæpe vero neque vlla fit crisis post vigoris tempus, sed paulatim morbus soluitur longo tempore coctionem recipiens.* Datur ergo coctio in declinatione, & inde perfectior quàm in vigore, quia materia declinationis minus vitiata est quàm in vigore, & facultas coquens non potest non esse robustior, quia minus à morbo reparitur: dabitur ergo coctio maior.

Tandem, quia viso lotio crudo, aut obscurè cocto, Medicus agnoscit quod febris sit in principio, & si coctionis manifestæ sint signa, dicitur esse in augmento: si perfecta, in vigore: quomodo ergo dicit esse in declinatione, si in hoc tempore signum illam ostendens non datur? Est ergo concedendum signum per quod Medicus etiamsi ægrum non videat, dummodo etiam lotium contempletur, inuestiget & certè assequatur, quod febris illius iam inclinata vniuersaliter sit.

Oppositam sententiam Magister meus tuetur *lib. de febribus, fol.* 186. putat enim quod humor iam coctus in vigore summo, nequeat in declinatione coqui perfectius. Et primò probat, quia Galenus nunquam tale signum addidit. Argumentum quidem inane, cui respondet Vallesius *loco cit. to.* Si mihi vitio das, quod rem à Galeno nullibi dictam modò afferam, vitio iam Galeno dabis, quod multa ab Hippocrate non tradita notauerit, & addiderit. Confirmat Magister ex verbis Galeni declinationem exponentibus; dixit enim quod in ea magnitudo symptomatum cessauit, & humorum copia, vbi nullius coctionis recordatur. Sed tacuit Magister verba ex quibus contrarium potest deduci: nam si restat modicum quod indigeat coctione in humoribus, potius deducendum erat, quod signa coctionis perfectioris in declinatione expectanda erant, vt in argumento antea allato ostendebatur. Minus probat suum intentum aliud testimonium ex *lib de totius morbi temporibus*, dicebat enim: *Si autem fluor qui suppuratur vel digeritur, minorem tumorem aut tensionem reddat, huiusmodi est declinationis principium.* Hic enim non loquitur Galenus de declinatione morbi in temperamento, sed in aucta quantitate, quæ non ex alteratione materiæ, sed ex quantitate minori nascitur, & sic ineptè ad declinationem morbi intemperiei traditur à Magistro. Aliud testimonium fortius insinuat ex *primo de crisibus, cap.* 18. non longè à principio. Verba sunt: *Cum verò exquisitè cocta fuerint, & multa, & sine difficultate educta, tunc status est tempus; quando verò similiter quidem exquisitè cocta, & sine molestia educta, atque eorum multitudo minuta fuerit, dolorque non amplius affuerit, tunc cessare statum putandum; subsequitur enim declinatio.* Vbi in vtroque tempore exquisitè cocta admittit. Sed nec hic locus est ad rem de qua agimus, est enim ibi sermo de morbo in aucta magnitudine, qui nisi causa eius euacuetur, declinare non potest, & parum interest quod materia cocta sit exquisitè, aut non, vt declinet, dummodo euacuetur. Dices id ita esse, verùm si in declinatione coctio esset perfectior, non exponeret simili verbo *exquisitè* vtrumque tempus: hoc videtur probabilius, verùm quia in quolibet tempore datur sua exquisita ratio, & terminatio, ideo dicitur esse in quolibet exquisita coctio, quia cuilibet sua exquisita conuenit; est enim exquisita prout ad vigoris constitutionem requiritur, & exquisita etiam prout ad declinationem, nam & ad principium exquisitè occulta requiritur, & ad augmentum exquisitè manifesta; quo etiam modo locus ex 5. *de crisibus, cap.* 7. potest explicari dum dixit, quod exquisita coctio sit tempore status, hoc est non exquisita absolutè, sed quæ talis exquisitè est, vt tempus exposcit. Rationem efficacem ad dictam conclu-

A sionem stabiliendam Magister tradit, quia in statu coquitur perfectissimè saltem in vltima parte illius: ergo nequit in declinatione coqui perfectiùs. Antecedens ex communi consensu supponit vt certum, & confirmat ex eo, quod crises perfectæ, & optimæ in vigoribus celebrantur, tales verò esse non possent si materia non esset exquisitè & perfectissimè cocta, quia si cruda esset aliqua ex parte, non essent crises salubres, aut securæ: quo etiam fundamento fuit vsus Vega *libello de vrinis, cap.* 4.

In hac difficultate quæ grauissima semper mihi visa fuit, probabilius iudico, quod in declinatione detur coctio aliqua ex parte perfectior, quàm in vigore, ita quod sedimentum, & lenius, seu leuius & albidius, crassiusque reddatur. De extensiua perfectione dubium B esse non potest, cum dentur humores corrigendi; de intensiua verò expressè Galenus docet *lib. de totius morbi temporibus, c.* 3. exemplo vlceris, & lippitudinis. Verba sunt: *Vlcerum quoque eadem sunt tempora primum enim sanies aquosa incocta, & tenues ex iis defluunt, inde pauciores & crassiores. postea iam pus tenue, postremo minus quidem copia, sed crassius, & albidum magis redditur.* Nihil clarius potuit dici, & postquam lippitudinis tempora exposuit, dixit: *Is humor & ipse primum tenuis & copiosus, temporis autem spatio paucior & crassior euadens, morbi concoctionem, eiusque declinationem ostendit*: vbi paruitatem cum maiori crassitie adiungit, & concoctionem in declinationémque ostendere dicit. *Et in fine cap.* C sic loquitur: *Quod si mucus & blena (vt dicunt) simul egrediantur, certius iam hoc est concoctionis indicium, quemadmodum si crassiora, pauciora que reddantur, multò magis concoctionem innuunt.* Vbi non semel, sed ter, vt constat, crassiora, & minora excrementa in declinationibus esse repetit. Et cum planè dicat, quod illæ qualitates coctionem ostendunt in declinatione, effugium potius quam vera expositio est, quod Vega & Magister meus dixerunt, nimirum quod crassities illa non concoctione, sed alteratione à calore humidum resoluente inducatur; hanc enim expositionem locus de vulneribus non admittit, cum simul dicat, in declinatione pus esse in minori copia, sed crassius, & magis albidum; & in secundo loco de lippitudine dicat, quod humor paucior & crassior euadens morbi concoctio- D nem, eiusque declinationem ostendit: Contra quos opinor esse omnia alia Galeni testimonia per doctrinam *cap.* 3. castiganda, aut exponenda, quoniam si eiusdem authoris opposita testimonia inueniuntur, plus fidei tribuendum est doctrinæ quæ ex instituto de illo argumento traditur: tractat verò ex professo Galenus *lib. illo de totius morbi temporibus*, cuius doctrina maioris fidei quàm aliorum librorum esse debet.

Ratio à priori huius est, quia implicare videtur quod humor putrescat de nouo in locis, à quibus vitium decidit, & aliquod vitium vrina non contrahat; nam vt in principio vniuersali vitiatur ob eam rationem, sic in declinatione, etsi multò minus, in hoc verò leue vitium per totam declinationem corrigitur paulatim, do- E nec ex toto absoluitur, vt absoluta coctio, & ad vnguem exquisita in sola declinatione celebretur, qua finita morbus eradicatur: & si diligens obseruatio in declinationibus vniuersalibus & excrementis adhibeatur, quod dicimus, verissimum esse inuenietis, testarique possum quod in febribus putridis, quando vrina in principio vitiata apparuit, nunquam perfectam omnibus numeris vidi, donec febris ex toto euanuerit, nam per totam declinationem, aut sedimentum, tam leue, & æquale non est, nec tam album sicut post febrem, nec lotium ipsum tam perfectum colorem & splendentem, nec tam perfectum modum substantiæ ostendit; & quod frequentissimum videbitis erit, quod in colore, in conditionibus sedimenti boni, & in modo substantiæ, nunquam seruatur æqualitas,

æqualitas, sed quotidie aliqua mutatio in aliquo dictorum apparebit, præsertim si accessiones cum horroribus, aut rigoribus incipiant. Quæ diligens obseruatio vt sententiam mutemus nos cogit, quæ cùm sit tam perspicuis Galeni testimoniis stabilita, & habeat tam probabilem rationem sequendam, magis placuit, quàm alia; merito ergo dixit Galenus *cap.* 3. sæpius *citato*, quod in declinatione vniuersali aliquid humorum coquendum superest, quia adhuc durat cum morbo earum putredo, & corruptio, cum quibus tam perfecta coctio vt in sanis dari non potest, & sic in quolibet morbi tempore vitium aliquod in excrementis conspicietur, si cum proprietatibus naturalibus excrementorum conferantur.

Fundamentum verò Magistri, & aliorum ex dictis solutum manet: nam coctio vigoris appellatur exquisita, aut perfecta, prout in illo tempore possibilis est; non est verò possibilis tam perfecta vt per bonam valetudinem, nec per declinationes; nam si in vigore tam graues, & intensæ accessiones dantur, implicat tanta perfectio in coctrice, & materia ipsa est etiam magis repugnans quàm in declinatione, ob copiam maiorem, ob maius incendium, & quia plus efferuescit, & minus per consequens detinetur quàm iam consumpto feruore: in declinationibus verò humores etiam putrescunt, quorum substantia, aut modus necessariò destruitur, & inde implicat quod aliquod vitium in vrina ex dictis non detur, & quod de crisis bonitate Magister adduxit, ex dictis in quæstione de summo vigore solutum manet, exquisitam enim coctionem vt sit bona desiderat. Est autem intelligendus Galenus prout in morbo, & in tali tempore, non tamen absolutè, nam perfectior est in declinatione, & melior adhuc per salutem. Nec obstat (vt antea insinuaui) quod si materia in declinatione amplius coqui potest, non expelletur in vigoribus, quia vt amplius coquatur detinebitur; nam mihi quod de retentione dicitur, & tam commune in omnium ore est, plurimam facit dubitationem; quando Galenus in vulnerum principio vniuersali, in ophthalmiis incipientibus, & catarrhis, magnum prouentum excrementorum emanantium admittit, quæ crudissima sunt, & non retinentur: in febribus periodicis nil aliud inuenies, quàm assiduum motum humoris à parte mittente in putredinis focum, & magnum etiam per ipsas accessiones, & in vrinis vniuersalis principij, sedimenta vitiata perpetuò apparentia non detineri materiam vt coquatur, planè ostendunt. Neque video, cur venenosa, & corrupta, putridáve materia detineri debet; nam si vt coquatur dicas, inquiram statim ad quid coquitur, si ex illa nutriri repugnat, cur illam statim non reiicit; sic enim natura morbum mortalem sagacior præcaueret, vt facit statim in variolis, & morbillis, & scabiosis affectionibus. Non ergo retinet quia retinet, sed quia impotens est ad pellendum, aut non semper idoneè irritatur vt pellat, & sic in vigore crises tentat, quia tunc accessiones fiunt maiores, & ob exustionem acrior fuligo eleuatur, ipsáque materia expellenda ob eandem causam plus irritat: fiunt verò salubres iudicationes, etsi nondum omnino coctio absoluta sit, quia magna pars causæ cocta est eo modo quo potest per morbos, & alia emendata etiam est, etsi non omnino, vt modicum quod in declinationibus corrigendum restat, planè indicat.

Ex dictis constat, quod declinatio vniuersalis constituenda sit per materiam quæ adhuc coctione indigeat; nam si omnis putredo coctione corrigitur, & in declinatione verè humores putrescunt, coctione emendandi sunt, & ad portionem correctionis, seu coctionis paulatim morbus finitur, quia non superest quod nouam putredinem inducere possit. Præsupponit verò hæc moderata putredo emendationem in vigore

A factam, cum resolutione magnæ partis causæ, ratione cuius vigor cessauit, declinatio verò à modica humorum copia egentium emendatione fouetur, à quibus accessiones (aut febris si accessionibus careat) creantur in declinationibus.

Sed hic insurgit dubium, si febris putrida incidere possit cum signis coctionis in declinatione vniuersali inuentis. Videtur enim pars affirmatiua sequenda; quia non implicat quod in initio febris detur in eius causa putredo eiusdem intensionis, cum ea quæ in declinatione inuenitur; ergo vt hæc non tollit quod coctionis signa in declinatione appareant ob remissam putredinem, nec impediet quod in initio inueniantur. Et vrgetur hoc, quia in primo insultu febris est virtus robustior quàm in declinatione, & materia mi- B nus maligna, quia tantam putredinem, vt quæ post vigorem remanet, experta non fuit: minus ergo coctioni resistet: sed huius dubij solutio quæ facilis non est, *cap. de signis febrium putridarum*, discutietur. Lege Magistrum *fol.* 186.

QVÆSTIO IX.

Vtrum in declinatione vniuersali detur vitæ periculum?

C ETsi Auicenna vt certum in hoc *capite* tradat, quod in declinatione æger non moritur ex ipsa febre, dicendo: *& timor est a principio vsque ad statum*, non est tamen tam certum vt ipse putat; nam Iacobus in huius sententiæ expositione in omnibus temporibus periculum admittit. Fundamentum est, quod natura & morbus sunt velut duo collatores, quorum quilibet potest alium in eodem tempore vincere, & se mutuo occidere, & vt homo in feram insiliens, potest eam interficere, & fera poterit veneno in hominem eiaculato eodem tempore de medio tollere.

Secundò ad hominem arguit; fatetur enim Auicenna, & est concors omnium opinio, quod in declinatione particulari æger perire potest: ergo multò melius in vniuersali. Patet, quia vniuersalis declinatio particularem includit, & simul etiam reliqua tempora; D ergo melius non dubiè in vniuersali periclitabitur.

Tertiò, quia in vigore vniuersali maximè natura repatitur, cum in illo vehementissimæ accessiones fiant, augeantur dolores, vt Hippocrates docuit, dicendo: *Circa initia, & fines omnia sunt imbecilliora: in statu verò fortiora.* Tam debilis ergo virtus manere potest, quod etiamsi morbus in declinatione sit minor quàm in vigore, poterit nihilominus esse maior quàm natura, & inde periclitabitur æger. Quo fundamento totam mentem Galeni & Auicennæ obtenebrare contendit; nam si in declinatione tam robustus æger vt erat in vigore maneret, rectè authores relati docuerunt, securam esse declinationem: at ita non est, sed vt insinuauimus, languor nimius virtutis in laboribus vigoris contrahi E potuit; & constare clarè non potest, quod natura fortior quàm morbus manebit: ergo periculum in ipsa declinatione vniuersali includi poterit, si debilior quàm morbus, natura reddatur. Quartò, quia qualitas à tota substantia in opinione multorum coctione non emendatur, quia nulla ex primis, nec secundis qualitati occultæ opponitur, & inde etiamsi materia morbi coquatur, vt verè declinet, poterit maligna qualitas ægrum occidere. Nec obstat, si dicas, quod si venenosa qualitas erat connaturalis formæ humoris putridi, non poterit non deficere ad corruptionem sui subiecti, & formæ à qua ortum traxit; & si vt putant Medici, noua forma sedimenti introducitur in cocta materia, & hæc forma non potest esse origo talis

malignæ qualitatis, quia alioqui per coctionem nullus saluaretur, repugnat quod venefica illa qualitas concocto & destructo humore maligno cum forma sedimenti permaneat. Non itaque obstat, quia potest esse illa qualitas commune accidens, & non pendere in conseruari à forma producente illam; & cùm in corpore contrarium non habeat, durare cum materia optimè poterit, etiamsi noua forma sedimenti introducatur, quod clarè confirmat Hippocratis doctrina experimento firmata, *lib. 6. epidem. sect. 5. text.* 33. dicentis: *Mulier, aut capra cucumerem syluaticum comedens, pueris purgatio.* Quo præcepto constat qualitatem occultam purgatiuam elaterij in chilo, in sanguine, & in lacte manere, quando puer lactatus verè expurgatur: permansit ergo occulta qualitas cucumeris agrestis corrupti cum forma chili, & corrupto chilo cum forma sanguinis, & hoc destructo cum forma lactis: nec dubito quod si capreolus eo lacte nutriretur, caro eius euaderet solutiua.

Quintò in nostra opinione manet difficultas, quia in declinatione assumimus materiam adhuc indigere coctione quadam, quia adhuc humorum putredo durat: non constat verò, quod virtus in declinatione talem correctionem efficiet: ergo perire poterit, præsertim si putredo sit contagiosa, quia reliqui succi infectionem putridorum experiri poterunt: & reddenda ratio est, cur in declinatione contagium communicari non possit.

Sed duabus assertionibus huic quæstioni respondeo. Sit prima, quod in declinatione particulari æger perire possit. Est expressa Galeni doctrina 3. *de crisibus, cap.* 9. dicentis: *Hoc siquidem plusquam quicquam aliud pro verissimo haberi oportet, quod in declinationibus accessionum particularium plurimi pereunt: rationem Galenus tradens dicit, in declinatione verò propter virium imbecillitatem moriuntur.* Est verò intelligendus de particulari declinatione, nam de vniuersali eodem capite antea dixerat; *moriturus autem ad declinationis tempus pertingere minimè potest.* Quomodo verò hæc debilitas in declinatione causetur, cum sit tempus præ cæteris leuius, & securius, postea trademus.

Secunda conclusio sit: In declinatione vniuersali timor mortis, aut periculum dari non potest. Ita Princeps in littera capitis dicendo: *Apud declinationem verò non moritur æger ex ipsa febre, nisi per id quod dicemus de causa communiter.* Loquitur iuxta mentem Galeni 3. *de crisibus, cap.* 9. dicentis: *Vbi enim morbi status præterierit, natura quidem iam superior euasit, neque enim aliter morbus declinasset, nullus autem modus mortis tunc aduenientis excogitari potest, præterquam ex errore, sed de hoc nequaquam nunc considerare proposuimus, sed an morbi ratione mori contingat; nec igitur hoc vidi vnquam fieri, nec id inuenit ratio, sed particularibus accessionibus declinantibus, multos sæpissime interire vidi.* Et *cap.* 5. *eiusdem libri* scripsit. *Et nullum est mortis periculum tempore status elapso.* Et *in fine cap.* 6. dixit: *Crisis enim vel in statu, vel parum ante ipsum fit, mors autem in tribus primis temporibus, principio, augmento, & statu.* Fundamentum Galeni est, quod vbi status præcessit, iam euasit natura superior, quia materiam concoxit ferè perfectissimè; & si grauitatem accessionum, & symptomatum potuit tolerare, & iam magnitudo cessauit, & copia humorum fuit diminuta, & multò melior causæ conditio ob tantam coctionem, & correctionem euasit, non potest dubium aliquod de naturæ victoria relinqui, cùm virtus sit maior, & morbus minor multò, & causa eius benignissima, & remississima: est enim rationi consonum, vt ad pensum quo morbus minuitur, & moderatur putredo succorum, instauretur vigor naturæ, quia à contrario minus repatitur: nam ad proportio-

A nem qua agens contrarium remittitur, comparandam esse statim antiquam temperiem, omnibus agentibus naturalibus commune est, & inde si vim morbi maiorem natura sustinuit, & illam superauit, fuitque per consequens morbus insigniter diminutus, & naturæ temperies reddita perfectior, & inde validior à morbo declinante iam, superari non poterit, & sic nec mori, si idonea adhibeatur curatio, & error non committatur; nam qui pereunt in declinatione, alia ratione quàm morbi intereunt; omnes siquidem (inquit Galenus) *cap 9. lib. 3. de crisib.* erroribus interiere, præcipuè quidem sui ipsorum, sed & aliquando medicorum. Siquidem expressè testatur, neminem vnquam vi morbi in declinationibus periisse: Sed adhuc vrget magis ratio, nec enim possibile est, vt postquam causæ mor-
B bosæ coctæ iam sunt, ac iam natura superauit, æger moriatur, modò recta curatio à medicis adhibeatur: vbi enim natura superior euasit, & debellauit, & restitit vehementiori morbi conatui, & quæ infestabant, oppressit (hoc enim est ipsa coctio) fieri non potest vt deinceps succumbat. Sed dices; Galeni doctrinam etiam esse veram in aliis tribus temporibus, & per consequens nihil peculiare declinationi attribui. Constat, quia si in aliis tribus temporibus, febri salubris idonea medela adhibeatur, & nullus error committatur, nullum erit mortis periculum; non ex parte morbi, quia est ex sua natura salubris; nec ex parte medici, quia supponimus rectè curationem institui: ergo tam securus erit æger in tribus primis temporibus,
C vt est in declinatione. Sed hoc argumentum iam est à nobis solutum; probauimus enim nullam febrem putridam esse securam, si cum viribus omnium ægrotantium conferatur, donec declinet; nullus enim Medicus exquisitè assequi poterit, si incrementum & vigor cuiusque febris putridæ, virtutem cuiusque ægroti vincet, vel non.

Nec obiectiones Iacobi alicuius sunt roboris; nam operatio vnius colluctatoris non opponitur operi, aut modo interficiendi alterius; natura verò maximè obstat morborum operationibus, eò quod materiam eorum coctione corrigens, principium operandi morborum destruit, quia facit cessare putredinem, media qua febres interficiunt.

Ad secundum, quod quando Galenus docet in de-
D clinatione particulari ægros periclitari posse, loquitur de declinatione trium priorum temporum, quorum malitiam & grauitatem si potuit natura sine periculo sustinere, non est rationi consonum, quod in declinatione vniuersali detur aliquis modus mortis, nec repassio in vigore summu potest naturam debilem reddere, vt in declinatione periclitetur, quia vt morbus minuitur, crescit naturæ robur, & sic in declinatione semper natura euadet superior: quo tertium argumentum manet solutum.

Ad quartum decimus, quod per coctionem destruitur venenosa qualitas, quia destruitur forma cuius est proprium accidens, vt de febre maligna contra Mercatum scripsimus; estque rationi consentaneum, quod occultæ
E qualitates pendeant in conseruari à forma cuius sunt potentiæ, quia non pendent ex primis, vt constat, eò quòd sunt altioris naturæ, quod planè indicat qualitas medicamentorum expurgantium; corrumpitur enim si talia cariem suscipiant, & nullo modo expurgant. Remora viua nauigium remoratur, mortua minimè. Torpedo per piscatoris tridentem manus piscatoris stupefacit, mortua verò cibus securus est; lac verò purgans euadit, non quia facultas purgatiua cucumeris agrestis diuersa illa subiecta informet & ab vno transeat ad aliud; sed quia corpuscula, quæ atomi propriè dicuntur, cum eisdem substantiis inuoluta, & permixta, per totum disseminantur. Verùm si admittamus quod qualitas maligna non emendetur coctione, & ratione illius æger pereat,

constat

constat quod in declinatione morbi à tota substantia non perit, sed in vigore, quia illa nunquam remisit.

Ad quintum respondetur, quod cum in declinatione tam superata iam sit putredo, & in parua quantitate succi remaneant, vt Galenus dicebat, sitque facultas robustior, vincet non dubiè quod superest, si terribiliora accidentia, efficaciorem & magis extensam putredinem debellare, & infringere potuit. Nec valet, quod in accessionibus vigoris potuit natura debilitari, nam si hoc contingit, ita vt in declinatione esset perielitatura, non concoxit materiam, sed victa fuit, & superata; & per consequens implicat quod morbus declinet, vt sunt reuera implicantia, quod natura in vigore perfectè concoxit, & quod in declinatione maneat tam debilis, vt pereat in illa, & quod si tam debilis manet vt pereat, materiam in vigore perfectè non coxerit.

QVÆSTIO X.

De his quæ in declinatione conueniunt.

AVxilium magis proprium declinationis est expurgatio, nam si cocta medicari oportet, & nulla maior coctio, quàm in declinatione inuenitur, in illa propriè expurgandum est: & cùm ad expurgationem corpora fluida sint facienda, eorum præparatio in hoc tempore per deobstruentia, & incisoria auxilia celebranda est, præcipuéque deobstruendum viscus illud, quod in C regione naturali tumidum, durum, aut tensum inueniatur, non solùm idoneis serapiis partem obstructam, & humorem respicientibus, sed fotibus, & vnguentis easdem indicationes implentibus, venter inferior si expurgandum sit corpus, emolliendus, & idoneis clysteribus sollicitabitur; illud præ oculis, vt magnum præceptum obseruandum, quod si aliqua pars regionis naturalis obstructa, aut tensa percipiatur, præter exquisitam præparationem serapiis, fotibus, & vnguentis appropriatam efficiendam, indicat etiam quod medicamentum expurgans ex lenioribus sit; vt prius expurgetur solùm quod viscus obstruit, & tendit; deinde si opus fuerit, totum corpus: est enim periculosum ex toto trahere, quando in naturali regione aliqua obstructa percipitur; solet enim quod ex toto trahitur in partem obstructam impingi, & maiori excitata obstructione, morbus recrudescit, & denuo affligere incipit, meritóque Medicus culpatur ignorantiæ tam celebris præcepti.

Sunt verò huiusmodi auxilium suadentia, si exquisita euacuatio per venam sectam non præcessit, si cacochymia fuit magna, si obstructiones à terreis, aut lentis humoribus stabiles percipiantur; illæ enim nisi medicamento commoueantur, & causa extrahatur, scirrhosam duritiem diuturnitate acquirentes, immedicabiles, & tabem inducentes redduntur, vt *tractatu de hectica* docui; exquisita tamen præparatio requiritur vt felix succedat expurgatio, debet verò fieri emollientibus, concoctoriis, detergentibus, & incisoriis, iis enim obstructiones tenaces egent, vt si oxymeli simplici syrupus adianti, & quinque radicum sine aceto admisceas, cum decocto radicum apij, graminis, eringij, adianti viridis, liquiritiæ recentis, lupulorum, & cinnamomi, quod clarificatum optimum est, & vbi terrei humoris, & sicci suspicio est, miscere soleo prædictis syrupis oleum amygdalorum dulcium recentissimum. Vrgentior indicatio ad expurgandum est, si signa recidiuæ appareant, & leuis febricula detur; nam vt *in aphorismo* dixit Hippocrates: *Quæ relinquuntur in morbis post iudicationes, recidiuas facere consueuerunt.* Quæ relinquuntur verò sunt, quæ ipse 4. *epid. text.* 77. retulit dicendo: *Quæ relinquuntur post iudicationem, recidiuas fa-* A *ciunt, & quæ in ipsis morbis excernuntur, sputum præmaturum, venter, intemperies, & huiusmodi.* Et *lib.* 2. *epid. sect.* 3. *text.* 14. scripsit: *Quæ relinquuntur in morbis post iudicationem, recidiuas facere nota sunt. Primum igitur lienum eleuationes, nisi in articulos finiantur, aut sanguis fluat, hypocondrij dextri intensio, nisi profluant vrinæ, hæc enim vtrorumque interceptio & recidiua bonum merito.* Et 2. *epid. sect.* 2. *text.* 14. scripsit: *Sitis intus relicta, & siccitas oris, & inappetentia hoc modo, febres autem non acutæ huiusmodi, sed reuersiuæ. Quæ relinquuntur post iudicationes, reuersiua sunt.*

Itaque morbi bene iudicati, & quorum recidiua non expectatur, nullum signum derelinquunt ex quo recidiua timeatur, quia cum causa ex toto eradicata sit, nec manet intemperies, aut morbus; & per consequens B nec symptoma, nisi fortè gracilitas corporis, & imbecillitas ex prægresso morbo contractæ, quibus victu idoneo, & solo occurrendum est. Vnde sitis intus relicta, & siccitas oris, & insuauitas, & inappetentia, recidiuæ metum meritò incutiunt, quia intus relinqui aliquid præternaturale ostendunt; & inde non esse corpus exquisitè mundum & purgatum. Debent autem durare ea symptomata, & idoneis auxiliis non mitescere, vt recidiua timeatur. Est verò inappetentia maximum recidiuæ signum, quod ventriculum pati significet; dum verò ille patitur, coctio alimenti improspera fit, quæ ingens est recidiuæ occasio, quia nec virtus instauratur vt decet, & maior excrementorum prouentus creatur, imo timendum est ne totus cibus excrementosus fiat, C virtus verò debilior excrementa à morbo relicta, & fastidium causantia, si de nouo genitis superadduntur, moderari non poterit, nec corrigere, neque absumere, & sic recidiuat febris, præsertim si ex acutis non sit; nam quo diuturnior est febris, recidiuæ periculo plus exponitur ob multa, crassitiem nempe materiæ, obstructiones firmiores, virtutem fatigatam longitudine, & ineptitudine materiæ ad resolutionem, & improsperam coctionem, & quia viscerum distemperies diuturnitate plus impressa timenda.

Dubium tamen est, quomodo ex rebus contrariis eandem recidiuam præsagiat; nam primo loco dicitur, quod quæ in ipsis morbis excernuntur, recidiuam significare solent, & eo loco, & *aphorismo* 12 *lib.* 2. docet, D quod quæ relinquuntur in morbis post iudicationem, recidiuas facere consueuerunt. Sunt verò contraria excerni, & retineri per morbos; sed certà non sunt, nam si quæ excernuntur non exeant in sufficienti copia, eo ipso intus manet quod recidiuam faciet; sic exponit Vallesius. Ego verò in alium sensum feror; nimirum ex exeuntibus recidiuam prædici posse, aut magna ratione timeri, vt si exeant cruda & incocta; ea his enim Hippocrates recidiuam, & eorumdem malorum reditum pertimescit. Sed dubium magis videtur ex præmaturo sputu recidiuam timere, si coctio (vt ipse docuit Hippocrates) iudicij celeritatem, & salutem securam significat. Verùm præmaturum non significat propriè coctum, sed quod siccatum à calore crassius redditur, sicque intemperiem viscerum, vt sitis intus relicta E significat. Sputum itaque præcoctum, seu saliua exsiccata distemperiei calidæ viscerum signum est, ipsa verò intemperies causa est, vt sputum præmaturum appareat: sic venter tumens, aut obstructus, & dolens, recidiuata facit, quia semper significat quod intus relinquatur aliquid, à quo recidiuam timeamus. Quibus aliud quodcumque signum salutis non perfectæ comprehenditur: ob quod *in fine* dixit, *& huiusmodi.* Ne tamen teneearis quod, semper quod recidiua timetur, sit expurgandum, nam sæpè distemperies calida viscerum, iecoris præcipuè, ex saluatella dextra sanguinem detrahere hortatur, aut ex sinistra lien: deinde si opus sit, expurgandum; ventriculus verò dolens, & obstructus, & præcipuè si pars superior laboret, venæ sectionem

nem recusat, expurgationem verò leuem, & reiteratam post fotus, & longam præparationem, & extenuationem succorum desiderat; aut per clysteres expurgantes, aut vomitum, & interdum fortioribus vomitoriis excitatum, quia solis illis tenax excrementorum adhæsus aut imbibitio dimoueri, eradicarique solet. Ob quod 2. *epidem. sect. 3. text. 15.* lienis eleuationes, & hypochondrij dextri intensionem, inter occasiones recidiuæ enumerat, nisi spontaneæ euacuationes superueniant; inappetentia verò quando ventriculus vitiosis humoribus plenus extiterit, affligere solet; vt Galenus 2. *aphorismorum, text.* 10. docuit. Quæ omnia vitia rarò totaliter morbos iudicari, aut solui permittunt, sed in dies potius protrahuntur, donec passiones illæ auferantur, quas accuratè explorare medicus debet, quando aut diuturnior quàm par erat, morbus efficitur, aut recidiuat: macilenti nihilominus, & debiles ægri manent; quia vt dicitur *aphorismo 7. lib. 2.* si à morbo cibum assumens quis non corroboratur, pluri alimento corpus vti significatur: quod si non assumenti cibum hoc accidat, scire oportet quod indiget euacuatione. Hæ itaque sunt considerationes, quæ in declinatione vniuersali locum habeant, in qua diuretica etiam indicantur ad conterendas crassiorum, & tenacium reliquiis, sicut ad attemperandum viscus quod læsum percipiatur, aut si tenaci obstructione, aut reliquiis contumacibus, quæ ex inflammationibus remanere solent, durum satis sit, ita vt fomentis, vnctionibus, & diureticis durities resistat, cucurbita supra illud scarificabitur & altioribus plagis; nam tanta vi attrahente multoties est opus, vt impacta excrementa extrahantur, quod munus cucurbits scarificata strenuè complet, & efficacius adhuc, si eodem die absque noua scarificatione supra vlcuscula rursus affigatur.

Sed est notanda censura Cardani *libello de medicorum erroribus*; putat enim absurdum, & irrationabile, omnes in declinationibus morborum expurgare, & merito id censet, quando natura optimè potest totam morbi materiam absumere; & cùm in declinatione refectione potius sit opus, & attemperare, non decet absque certa necessitate expurgare, quia expurgatio corpora siccat, & viscera accendit, estque auxilium incertissimum: quod verò omnino morbi materia resoluta sit, constabit planè ex defectu signorum recidiuam significantium, & quod absque expurgatione finiendus sit ex coctionis perfectione optimo somno, cibi appetentia, sitis defectu, & quod quotidie febris tepescat, sitque remissior, sintque actiones partium principalium robustæ; hæc enim si adsint, totum negotium naturæ committendum est. Nec obstat, quod Princeps *folio 1. lib. 2. cap. 7.* doceat; *quod si natura non moueat, moue tu hora motus eius*; nam natura non semper febres per diarrheas absoluit, sed aliis modis, & præcipuè per resolutionem; & quia præceptum illud periculosum est, in noua translatione sic scriptum inuenitur. *Si natura non mouet, moue tu mora conueniente motui eius*; & cum sæpe insensibiliter moueat, & absque aliqua motione sensibili febres eradicet, non debet esse perpetuum in declinationibus omnium febrium expurgare: hic enim doctrina Hippocratis 1. *aphorism.* 20. locum habet; nam quando morbus declinat, iudicatur non dubiè coctione & resolutione: quæ verò iudicantur, & iudicata sunt integrè, nec mouere, nec nouare aliquid siue medicamentis siue aliter irritando, sed sinere oportet. Illud verò ægris consulendum tenaciter est, ne cibis se repleant, vt vulgus suadet, cum nulla recidiuæ & interdum mortis certior occasio, quàm spe subitæ instaurationis, plus cibi sumere, vt ob id Galenus & Auicenna docuerint, in declinatione periclitari ægros non posse, nisi ob errores; cuius habes exemplum in pleuretico in declinatione iam constituto, qui ob cœnam lautiorem lentium cum aceto defunctus fuit 1. *acutor. text.* 27.

QVÆSTIO XI.

Vtrum causa febris simul putrefiat, & coquatur vsque ad statum?

Quæstio proposita malè torsit authores omnes, & torquet modò; est enim magnum dubium à qua causa dependeat intensio illa febris in statu salubri, nam cùm in illo materia summè coquatur, & emendetur, & coctio sit putredini contraria, aut eius correctiua, videtur implicare quod accessiones sint vehementiores in statu salubri, quando illum summa coctio constituit, & per consequens putredo causæ emendationem maiorem habet.

Hoc argumento Magister meus conuictus, *lib. de febribus, fol.* 224. docet, quod materia febris putridæ coquitur simul, & putrefit vsque ad vigorem summum: & quia putredo vsque ad illum augetur, ideo vsque ad perfectam coctionem febres etiam augentur; itaque in febre salubri à principio vsque ad vigorem, coctio & putredo semper augentur, verùm coctio augetur magis, & sic quia duplici mutatione materia putrida alteratur, non est mirum quod etsi coctio in vigore sit summa, dentur simul vehementiores febres, quia etiam putredo summa est, prout in morbo salubri, eodemque modo circa puris generationem, & sedimenti philosophatur, nimirum quod coctione, & putredine simultaneis generentur. Probat primò authoritate Galeni 2. *aphor. text.* 47. dicentis: *Pus ex sanguine ortum habet, qui seminalem habet transmutationem, nam mala simpliciter, pura putrefactione fit olida, sicuti qua simpliciter bona, est ipsa nutritio partium animalis; at qua pus generat, medium locum inter has obtinet, neque à solo calore præter naturam, neque à solo secundum naturam procedens, mixtus enim quodammodo ex vtrisque est calor inflammationis.* Et clarissimè idem docuit *lib. 5. simplicium, cap. 6.* vbi tres antea allatas mutationes recensendo, nutritionem scilicet, putredinem solam, & suppurationem, primam à solo naturali calore celebrati docet, secundam à solo calore præternaturali. Tertia verò (inquit) ex vtraque mixta & media, partim quidpiam obtinens primæ, ac secundum naturam, partim huius contrariæ, quæ est præter naturam. Vbi clarè docet coctione & putredine pus generari, & idem tradidit 1. *prognosticorum, text. vltimo*, dicendo: *Si igitur natiuus calor de propria temperie plurimum exorbitat, vt in corpore inanimi, putrescit sanguis; si verò vim quandam seruat, permista quædam commutatio de causa per naturam, & item præter naturam efficitur, siquidem causa naturalis concoquit, præter naturam putrefacit, &c.* Et propterea eo loco docet, pus tam album vt semen esse non posse, quia semini nihil inest præternaturale, puri verò maximè. Ex quo etiam procedit, quod interdum Galenus suppurationem appellet coctionem, interdum verò putredinem, quia vtraque mutatio opifex puris est; quod etiam ex graueolentia deducitur, nullum enim pus absque fœtore aliquo datur, nam exquisitè optimum, quamminimè fœtidum Hippocrates 1. *prognosticorum text. vltimo* desiderat; est autem fœtor signum putredinis: ergo ex signis, & causa constat coctionem, & putredinem esse authores puris. Coctionem ostendunt albedo, leuitas, & cosgmentario, crassitiésve: putredinem fœtor maior aut minor, & febris si detur; causa verò mixta planè est ex calore naturali, & præter naturam, vt Galenus 2. *aphorismorum, text.* 47. planè docuit: naturalis concoquit, præter naturam verò putrefacit,

facit, vt *vltimo textu ex 2. libro prognosticorum* notauit.

Idem de sedimenti generatione in febribus putridis Magister censet *folio 231. pagina 1. Coctio* (inquit) *& putredo in eadem materia simul intenduntur, & per vtramque actionem generari verum contentum in vrina, quia neque ex parte agentium, nec terminorum datur repugnantia.* Ex quibus patet, quod secundum mentem Magistri non fit generatio puris, ita vt materia prius putrescat, postea verò coquatur, sicque sedimentum, aut pus generetur. Sed putat potius, quod simul calor naturalis, & contra naturam in eandem materiam operentur, & resultet dispositio media per participationem coctionis & putredinis ad formam puris, aut sedimenti disponens.

Hæc doctrina nunquam mihi placuit; sed existimo probabilius, quod pus generetur duplici illa actione, non quidem simul eodem tempore concurrente, vt Magister putat, sed diuersò, ita vt putredo antecedat, & postea coctio superueniat, quæ ob materiæ ineptitudinem ex præsupposita, & antecedente putredine in membris per coctionem assimilari omnino non potuit, fuit tamen secundum accidentia aliqua assimilata. Fundamentum nostræ assertionis est, quod in eadem parte dari non possint calor naturalis, & contra naturam, ita terminatiuè permixti, vt vnus concoquat, alter putrefaciat; constat planè quia ex calore naturali, & addito præter naturam insurgit vnicus calor totalis in parte. Tunc inquiro, aut intensio addita reddit naturalem calorem improportionatum ad coquendum, aut non: si reddit, non concoquit, sed putrefacit, aut putridum non corrigit; si non reddit, concoquit, & nullo modo putrefaciet. Probatur, quia calor putrefaciens, & concoquens eandem materiam, non potest esse idem numero; est autem idem numero qui in parte inflammata ex naturali, & addito emanat; notanter dixi, quod calor naturalis & putrefactiuus esse non possunt in eadem parte terminatiuè, hoc est, implicat quod idem necessariò calor in ordine ad idem passum, habeat terminum certum sub quo concoquat, & alium determinatum sub quo putrefaciat; quia si ob additum calorem præternaturalem redditur totus putrefaciens, concoquere non poterit; si non redditur, nunquam putrefaciet, sed concoquet. Secundò vrget doctrinam Magistri mei, quia sequeretur quod nunquam febricitans febre putrida & magna, posset aliquod alimentum conuertere, & ex illo verè nutriri; quia semper habet mixtum illum calorem ex naturali & febrili, & per consequens in qualibet parte alimenti ad nutriendum applicati, produceretur duplex affectus: vnus à calore naturali, alius à violento, & inde in pus permutabitur, aut in sedimentum, & nunquam in partem viuentem, quia huic putredo omnino repugnat; ergo si nutritur febricitans, ex eo est, quia alimentum applicatum nullo modo putredinem concepit, & sic in partem conuertitur: at idem calor medio quo nutritur viuens, humorem putridum commutare tentat, verùm quia putredo præcedit commutationi totali obstans, assimilatur qualitatibus aliquibus, & sedimentum aut pus generatur, non pars.

Dices; hoc argumentum nullius momenti esse, quia non semper per caloris excessum tam præternaturalis redditur calor natiuus, vt putrefacere debeat, & sic concoquat; si verò nimis calor præter naturam crescat, inducetur putredo ab ea maiori intensione, & à minori coquetur materia: Sed hoc meum figmentum est, quia sequeretur quod coctio non emendaret putredinem, sed è contra putredo coctionem destrueret. Probatur, quia si calor remissior concoquit, præsupponitur iam coctio putredini, quia hæc ab intensiori fieri debet, & destruet necessariò perfectionem per coctionem prius acquisitam; & vrgeo magis, quia

A si calor naturalis concoquit sub ea remissione, ergo necessariò assimilabitur omnino alimentum, antequam putredo superueniat, & fiet pars. Constat, quia manet calor naturalis ad coquendum aptior, & cum eadem intentione viuenti debita: ergo coquet non minus quàm per naturam, & inde alimentum applicatum in se conuertet, & fiet pars, quæ postea à calore intensiori per putredinem corrumpetur, & sic resultabit hectica febris: quæ omnia mera figmenta sunt.

Tertiò, quia putredo sola aliquando introducitur, vt Galenus *in expositione aphorismi 47. lib. 2.* docet, & experimento constat, quando materia non solùm non cocta, sed cum signis coctioni repugnantibus est: ergo calor naturalis tam deprauatè à præternaturali dispo-
B nitur, vt non solùm non concoquat, sed potius corrumpat, & pessimè. Quomodo ergo tunc coctio non datur? quia calor naturalis, seu gradus qui erant viuenti naturales, manent non dubiè vniti præternaturalibus, & est calor partium mixtus ex vtroque: ergo erit mixtus effectus ex coctione, & putredine, & per consequens sedimentum, aut pus. Et confirmatur, quia sequeretur quod materia quæ signa coctioni repugnantia ostendit, non posset coqui à natura: Patet, quia summè putrida est; si verò potest emendari & fieri sedimentum, aut pus, non resultabit quia putrefiat & coquatur simul, sed quia coquatur solùm post summam illam putredinem; nam putredo maior dari non potest in materia, quàm quæ coctioni repugnan-
C tiam ostendit; ergo si illa materia coquatur, vt verè potest, fiet sedimentum aut pus, coctione sola putredini summæ succedente.

Quartò vrget non leuiter Magistri doctrinam, quod nunquam daretur copia puris sine febre notabili, quod est contra doctrinam Hippocratis, & experimentum. Constat, quia in vigore summo datur cum summa coctione summa putredo, ob quam putat Magister, & illius opinionis sequaces, quod in vigore detur summa febris prout in morbo: hoc autem esse contra Hippocratem, constat ex doctrina ab eo allata 2. *prognosticorum, text. 63.* vbi inter signa salutaria suppuratorum tradit, quod in eodem die ruptionis vomicæ febris desinat. Verba sunt: *Hi verò potissimum superstites, quos febris eodem dimiserit die post eruptionem, &c.* Quam
D doctrinam tanquam perspicuam admittens Galenus absque expositione reliquit; & Vega esse magnum salutis signum dicit, quod æger febre careat sequenti die post ruptionem: & Vallesius etiam dixit; *Optima verò signa hic sunt, febrem dimittere hominem statim à ruptura.* Et idem docet Musa *in expositione aphorismi 47. lib. 2.* quod mirandum satis est, cum tanta copia puris supra cor, aut cordi tam proxima stabuletur; esset verò impossibilis desitio totalis febris, si pus à summa putredine, prout in morbo, & à summa coctione crearetur. Ex qua doctrina constat, quod pus coctione corrigente putredinem antecedentem generatur, imò quod tam perfecta coctio sit aliquando vt totam putredinem destruat, cùm in tanta copia & cor-
E di tam proxima nulla febris appareat. Quod argumentum mihi magnum est, non solùm ad ostendendum quod pus coctione, & putredine simul non fiat; sed etiam ad probandum, quod febris cessare omnino, nedum declinare possit, etiamsi materiæ illius nulla euacuatio detur: & miror quod Vallesius nullam febrem cum tanto pure, & cordi tam proximo admittat, cum tam directè suæ actioni mediæ coctionis & putredinis participi opponatur.

Quintò idem confirmat localis mutatio rei putrescentis, & coctæ: omne enim quod putrescit, ostenditur, quia putredo semper modum coctionis & coagmentationem coctione acquisitam destruit, quod est euidens in humore putrescente, totus enim dissoluitur in vapores,

pores, & fuligines, & in carne exterius putrescente manifestatur etiam: ob quam mutationem, inflammationis augmentum Galenus dixit esse, quando humor putrescit, quia à putredine humor funditur & liquatur, & sic tumor augetur; coctio verò si incrassat, vt Galenus & omnes fatentor, partes rei coctæ coagmentat & vnit dissoluto humore, seu humiditate absumpta; & cum ad vnionem maiorem partium, siue ad perfectiorem terminetur, implicat quod eadem materia eodem tempore coquatur, & putrefiat, quia implicat simul vniri, aut permisceri plus partes, & distendi, distrahi ac diffundi, quia localis diuersitas simultanea est omnino impossibilis adhuc de potentia absoluta. Quod argumentum vim suam ostendat, siue partium diuersitas, admittatur, siue non quia experimentum docet, quod omne quod coquitur, crassius & perfectioris molis reddatur; quod verò putrescit, liquetur, dissoluatur, ac distrahatur: quæ mutationes respectu eiusdem rei impossibiles omnino sunt, vt rarefieri simul & densari, quod etiam est verum, etsi coctio, & putredo ad secundas qualitates terminentur, quia illæ non sunt possibiles absque mutatione locali rei coctæ, aut putridæ, modo iam dicto, vt nec raritas, nec densitas, quamvis secundæ qualitates sint absque mutatione locali, & opposita esse possunt, & inde simul rarefieri, & densari idem corpus repugnat. Quod animaduertens Galenus 5. *simplicium, cap.*6. coctionem, & putredinem contrarias esse docet quodammodo, non tamen omnino, quia vterque effectus à calore procedit, & sic ex parte agentium contrariæ non sunt, bene tamen ex parte positionis localis, vt docui, vt ratum & densum.

Sextò idem suadet, quod coctio qua sedimentum fit aut pus, non fit intra vasa, sed intra poros partium, in quibus alimentum partibus assimilatur: putredo verò intra vasa fit, & per consequens implicat vt eodem tempore coquatur, & putrefiat. Quod verò supputatio inter vasa fieri repugnet, certissimum est, quia nunquam est visum quod febres continentes, aut continuæ, quarum causa intra vasa continetur, terminentur per suppurationem, vt terminantur sæpe tumores præter naturam. Et ego libentissimè interrogarem sentientes contrarium, & meam doctrinam non capientes, vnde proueniat, quod materia putrida intra vasa existens, nunquam in pus permutetur, si coctio materiæ putridæ intra vasa fieri potest, & ab ea coctione pus interdum, & sæpe sedimentum creatur? cur rursus quando natura iudicat per secessum coctam materiam febrium putridarum, non apparet tota alba, & fiunt omnes deiectiones talis coloris, quia si tota materia putrida intra vasa coquitur, mutatur necessariò in sedimentum, aut pus: & cùm natura euacuet quod concoxit, concoxit autem putridam materiam, necesse erat quod deiectiones omnes, aut purulentæ, aut albicantes deberent apparere, quod est contra experimentum. Nec obstat quod talis calor obscuretur ab aliis excrementis simul cum cocta materia reiectis, nam etsi aliqua permixtio admittatur, quam gratia disputationis concedimus (absque necessitate tamen, quia nulla ratio illam suadet) constat esse saltem necessariò concedendam permixtionem purulentam, aut sedimenti cum illis suppositis excrementis, quod etiam est falsissimum, & contra experimentum: non ergo intra vasa eorum excrementorum creatio celebratur; sed intra poros partium contendentium assimilationem, & nutritionem.

Septimò ex doctrina Magistri sequeretur, quod crises essent magis perniciosæ in vigore quàm in principio vniuersali. Probatur, quia ideo in principio perniciosæ sunt vt causa, quia materia putrida, & non emendata mouetur & expellitur: sed in vigore est putredo intensior multò: ergo cum maiori periculo ten-

A tabitur motio illius, & expulsio. Neque obstat si dicas quod in vigore cocta est, & non in principio. Sed contra est, quia in opinione Magistri coctio vigoris non emendat putredinem quia eam remittat, quia docet quod à principio vsque ad vigorem crescit intensiuè: ergo solum facit coctio in eius doctrina quod putredo non crescat, ita vt mortalis fiat, ac per consequens si in vigore maior est quàm in vniuersali principio, erit in vigore perniciosior commotio illius, & nihil in symptomatica crisi inueniet hæc opinio, quo quando cocta materia est, non detur malignius; quia putredo à qua omnia labes, & malignitas pendet, maior est in vigore salubri, quàm in principio & augmento.

Ad argumenta in contrarium respondetur, quod
B Galenus optimè dixit, quod pus generatur à calore medio, quia pars inflammata vtrumque calorem participat, naturalem nimirum & contra naturam, & vtroque operatur; non quidem duplici actione, vt Magister putauit, sed vnica concoquente materiam putridam, quia vt probauimus, ex vtroque calore, vnicum agens totale resultat, & supposito quod materia putrida debeat esse calidior viuente antecedenter, & à viuente concoqui debeat & medio calore, necesse erat vt calor coquens materiam putridam esset mixtus ex naturali, & violento, quia solus naturalis esset remissior, & materiam putridam coquere non posset; quomodo verò id eueniat, determinata quæstione, disputabitur. Quod verò generatio puris, putredinis, & coctionis sit parti-
C ceps, vt loco ex 3. *simplicium* Galenus docuit, verum est; sed putredo præsupponitur, postea verò fit coctio suppurans: & hac ratione intelligenda sunt omnia testimonia Galeni, & ob id supputationem, modò coctionem, modò putredinem appellat. Vnde mirum non est, quod aliquem fœtorem pus semper exspiret, quia putredine necessariò præsupposita generatur; quæ si bene capiatis, omnes difficultates vel facilè diluetis, quæ ab authoribus traduntur, quæ verò difficilia ex nostro modo philosophandi suscitantur, propria quæstione absoluentur.

Ex dictis duo deducetis; primum, quod si humor putridus parti sanæ perfectissime applicaretur, ita vt ab ea calefieri, & concoqui posset, mutaretur semper in pus, quia putredo obstat semper conuersioni per-
D fectæ in membra, & sic secundum quasdam qualitates assimilatur, non tamen secundum omnes.

Secundum est, quod si alimentum optimum applicaretur parti habenti calorem mixtum suppuratorium materiæ putridæ, coqueretur, & assimilaretur omnino. Ratio est, quia calor cum quo suppurat, non tollit virtutem coctricem, id est calor excedens ob febrem, continetur intra latitudinem sanitatis facultatis coctricis, febricitantes enim nutriuntur reuera; quo constat à calore febrili non semper coctricem destrui. In nullo tamen plus mihi Magister displicet, quàm quod putet alimentum intra poros vasorum putrefieri simul, & coqui, sicque sedimentum, aut pus generari; censeo enim quod intra poros nunquam materia
E putrefieri, & coqui simul possit, vt probauimus, & in continuis febribus intra vasorum capacitatem humores putrefiunt, vt docent omnes, à quo loco putridi humores in poros distributi & attracti coquuntur, & emendatur putredo, quia humores accessionem facientes, in foco solo putredinis corrumpuntur, & postea distribuuntur, aut resoluuntur.

Tota nostra doctrina deducitur planè ex allata à Galeno *lib.* 5. *simplicium, cap.*6. in quo ex professo de suppuratione agit. Verba sunt: *At media earum, quæ scilicet suppurationes comitatur, ab ingenito quidem fit calore, sed non planè vincente; nec enim ex materia peragitur quæ prorsus benigna sit, nec tamen ex omnino aliena.* En quam clarè, & dilucidè docet, quod

soppura

supputatio fit ab ingenito & naturali calore, & ab eo quo concoctio naturalis alimenti celebratur; verùm quia operatur circa materiam non omnino benignam, non potest planè pars ex toto eam assimilare, & vincere: verùm quia omnino aliena non est, eam vt potest assimilat, & concoquit, sicque pus pus optimum generatur, & cessat putredo. Nec obstat si dicas, quod calor non potest esse ingenitus, & naturalis, cum ipse Galenus exponendo *aphorismum 47. lib. 2.* docuerit, calorem suppurantem esse mixtum ex naturali, & præternaturali. Respondeo vt iam insinuaui, quod etsi hoc ita sit, verùm quia ob calorem præternaturalem adiunctum, non ita vitiatur calor naturalis vt concoquere non possit, ideo ingeniti vis seruatur in ordine ad coctionem, vt cum illo & præternaturali admixto, si alimentum optimum parti applicaretur, commutaretur bene, & nullo modo in pus verteretur; quod euidenter constat in omnibus febribus diariis, in quibus calor viuentis plus quàm in putridis solet intendi, & nihilominus alimentum nec corrumpitur, neque suppuratur, quoniam antecedente putredine infectum non præsupponitur. Et hoc Galenus insinuauit 5. *simplicium, cap. 6.* reddendo rationem ob quam calor ingenitus suppuret, & omnino materiam non assimilet. Verba sunt: *Ab ingenito quidem fit calore, sed non planè vincente; non enim ex materia peragitur qua prorsus benigna sit.*

Et nostra doctrina est ex Galeno desumpta, multis in locis docente, quod putredo humoris præcedat, post verò suppuratio fiat. Ita *lib. de totius morbi temporibus, cap. 3.* inflammationis tempora seorsim explicando, quam doctrinam repetit 1. *de humoribus, text. 3.* vbi dicit: *Cum verò influxus cessauerit, idque quod in particula inflammata inest, putrefieri inceperit, hoc secundum tempus est, & inflammationis incrementum; cum verò pus conficitur, & dolores maximi hominem corripiunt, id morbi tempus appellatur status.* En quam clarè tempus putredinis à tempore suppurationis distinguit: & modus loquendi omnium clarè quod docemus supponit; omnes enim dicunt materiam putridam concoqui, & emendari coctione, quod esset impossibile, si non præsupponeretur putredo.

QVÆSTIO XII.

An quando materia putrida coquitur, vi coctionis possit crescere febris?

EX dictis in præcedenti quæstione duplex dubium insurgit. Primum quod videtur coctione febrem augeri, nam si puris generatio est in mea opinione coctio vera, & quando pus generatur, febres, & dolores augentur, vt *aphorismo 47. lib. 2.* Hippocrates, & Galenus docuerunt; videtur planum, quod coctione febres augeantur. Et cùm Galenus vbique, & præsertim 1. *de differentiis febrium, cap. 6.* doceat, eadem actione materiam putridam in febribus coqui, quà materia inflammationis suppuratur, vt in suppuratione febris augetur; sic quando putrida materia coquitur. Secundum dubium est, quomodo id sit possibile, supposito quod coctione putredo emendatur; nam si putredo est occasio ob quam calor contra naturam, & febrilis producitur, si putredo coctione corrigitur, minor necessariò febris reddetur; quod clarè Galenus *lib. artis medicinalis* docuit dicendo, quod *coctio est actio faciens cessare putredinem manente substantia.*

Sit ergo conclusio nostra, quod per coctionem in materia putrida febris augetur, sicut quando pus generatur. De puris generatione dubitare non liceat, quia

A id experimento euidenter constat, & aphorismo nuper citatu Hippocrates tradidit dicendo: *Dum pus conficitur, dolores, & febres accidunt magis, quam iam confecto.* Quod Galenus in aphorismi expositione vt indubitatum admittit, & dicit, quod febres & dolores augentur ex quadam veluti ebullitione, atque exustione sanguinis, qui vbi ex toto exustus fuerit, residuum eius fit pus: ex quo planè deducitur, eodem modo febres per coctionem augeri debere, quia coquitur similis materia putrida, & ab eodem agente, quod passim Galenus repetit, & ex professo docuit *cap. 6. lib. 1. de differentiis febrium*: ergo idem effectus debet resultare, nempe maior caloris intensio. Quod verò sit simile agens, constat; quia si calori naturali suppuratio tribuitur, etiam eidem coctio materiæ B in febribus putridis dicatur ab omnibus: & si putet aliquis, quod à calore mixto ex naturali & febrili, suppuratio celebretur, etiam ab eisdem coctio materiæ putridæ emanat; & hoc ita clarè demonstrant accidentia puris optimi, & optimi sedimenti. Ergo vt in putis generatione iam perspicuè febres augentur; sic in coctione materiæ putridæ; accidentium verò similitudo in sedimento, & optimo pure indubitata est, cùm quodlibet sit album, leue, & æquale, & quamminimè fœtidum: fiunt ergo à simili agente, & ex eadem putrida materia, & inde coctio vtriusque quando fit, maiores febres creabit; quod argumentum ab experimento, & paritate desumptum, est mihi demonstratio.

Secundum testimonium desumitur ex Hippocrate C 2. *aphorismorum, aphorismo 29. & 37.* dicente: *Inchoantibus morbis, si quid tibi videtur mouendum moue, cum verò consistunt, ac vigent, melius est quietem habere.* Cuius præcepti reddens rationem *in aphorismo 30.* dixit: *Circa initia, & fines omnia imbecilliora, circa statum verò fortiora*: ergo in vigore morbi, & statu omnia sunt fortiora: & per omnia, Galenus intelligit symptomata omnia, dicendo: *Symptomata omnia circa principia & fines esse imbecilliora, accessiones videlicet febrium, & vigilias, & dolores, &. fastidium cibi, & sitim*; ergo si accessiones sunt maiores in statu, & statum coctiones constituunt, erunt necessariò febres quando materia coquitur, maiores. Sed respondent quidam, totum esse verum, sed non esse intelligendum Hippocratem de statu coctionis, sed de vigore, D & statu putredinis, in quo accessiones, & reliqua symptomata sunt vehementiora. Quæ expositio clarè Galeno & Hippocrati contrariatur. Galenus enim *in expositione aphorismi 29.* de statu coctionis absque dubio loquitur; nam dando causam ob quam in vigore sit quiescendum ab auxiliis maioribus, videlicet à missione sanguinis & expurgatione, sic scriptum reliquit. *Quorum neutrum oportet adhibere morbo iam consistente; vt enim in libris de crisibus manifestauimus, coctiones morborum tunc maximè fiunt, &c.* Et inferius dixit: *Morbo autem consistente, cum iam natura concoquit, superfluum est euacuare.* Clariùs dici non potuit: Quod vrgentissimè confirmatur, nam Galenus *lib. de totius morbi temporibus, cap. 2.* docet, quod E principium significat tempus quod ad ferenda præsidia mirum in modum conducit: quod respiciens Hippocrates dixit: *Incipientibus morbis, si quid videtur mouendum moue, consistentibus verò præstat conquiescere.* Similiter & illud dixit: *Circa principia & fines omnia sunt imbecilliora.* Hæc Galenus, ex quibus euidenter deducitur, quod quando dixit Hippocrates, in statu esse quiescendum, locutus fuerit de vigore coctionis, quia si de vigore ex summa putredine loqueretur, absurdè præciperet, esse tum quiescendum ab auxiliis maioribus, cùm nunquam maior eorum necessitas excogitari possit, quàm in summo vigore putredinis, cùm natura planè sit victa, & summa detur putredo, & nihil detur quietem à maioribus auxiliis

suadens, imo omnia in principio indicantia necessitatem magnorum, vrgent magis in vigore putredinis. Constat, quia & minorare materiam vt concoqui possit, reuellere à foco, ventilationem inducere, attemperare, & si quæ sunt alia commoda, indicantur magis quando non concoquit natura, & summa datur putredo; quia victoria morbi, & naturæ impotentia, auxilia medica fortissimè expetunt; non ergo in vigore putredinis conquiescere oportet, quia succumbet omnino natura, nisi auxilietur Medicus. Ergo si quiescere Hippocrates præcepit in statu morborum, ideo est, quia iam natura concoquit summè, & paulo post victrix euadet, & inde opus auxiliorum non est; tum etiam quia quando coctiones magis celebrantur, omnia symptomata sunt maiora, in principio verò, & fine omnis imbecilliora; non decet verò quando natura summè concoquit, & summè patitur, magna remedia imperare, quia coctio summa victoriam naturæ ostendit, à qua distrahenda per auxilia non est, nec magis debilitanda quando summè patitur. Et vtrumque Galenus respiciens *in fine expositionis aphorismi 29. citati* dixit: *Morbo autem consistente cum iam natura concoquit, superuacuum est euacuare, tum propter alia, tum quia vis animalis magna ex parte eo tempore est defatigata, licet duæ aliæ, vitalis scilicet, ac naturalis, maximè fortes persistant.* Vbi ob defatigationem animalis virtutis conquiescere iubet, etiamsi vitalis facultas, & naturalis maximè constent. Vnde cum constantia naturalis virtutis ex coctione materiæ ostendatur, constat planè, quod quando summè concoquit, fiunt accessiones maiores: quæ omnia tam euidentia sunt iuxta mentem authorum ex eorum lectione, vt ex sensu contrario planè deducatur, aut quod lecti non fuerint, aut oscitanter.

Sed dices, contrarium planè colligi ex ipso Galeno; nam *in expositione aphorismi 29.* scripsit ita: *Dispositio siquidem ex qua casus (seu symptomata) generantur, quam & morbum nominamus, non omnino in vigoribus est fortior*: ergo si febres in vigoribus in mea opinione sunt intensiores, erit non dubiè fortior dispositio morbosa. Et clarius idem docuit aphorismo immediato dicendo: *Sicuti ipsas dispositiones, in quibus hæc fiunt, vbi morbi consistunt, necesse est esse meliores in iis, qui debent sanitati restitui.* Sed hæc non obstant, quorum explicationem particulari quæstione trademus, ex qua potius constabit nostræ opinioni fauere.

Tertium testimonium ex Galeno desumitur 3. *de cris.* 4. Verba sunt: *Nam si hæc tria in eodem die coniuncta fuerint, & motus velocitas, quæ sufficiens sumpserit incrementum, & febris magnitudo, ac præterea manifestum coctionis indicium, fiet crisis in die decima quarta.* Vbi simul adiungit planè magnitudinem febris, & motus velocitatem signis manifestis coctionis; si verò coctio febrem remitteret, malè cum ea febris magnitudinem requireret & admitteret. Quam doctrinam sequutus *lib. 9. methodi, cap. 5.* ad concedendum potum aquæ frigidæ duas conditiones requirit, & quando euidentes cernantur in pulsu, & vrina coctionis notæ, & quando febris sit maxima; admittit ergo maximam febrem cum signis coctionis, quod implicaret si vt monachus Trusianus putauit, quando coctio fit, remitterentur febres.

Sit quartum testimonium ex *cap. 3. lib. de totius morbi temporibus*, vbi tradendo inflammationis tempora dixit: *Porro cum in pus iam vertitur, maximi dolores tunc partem apprehendunt; nam in puris generatione, dolores febris, qui magis quàm iam facto insistant, &c.* Et inferius docet, quod in febre orta ex inflammatione eadem tempora consistunt, id est in vigore, quando in eo inflammatio etiam existit; est autem inflam-

A matio in vigore, quando materia coquitur, & suppuratur: ergo vigor febris cum vigore coctionis augetur. Et clarius inferius id tradidit exponendo tempora febris à succorum putredine sine inflammatione; principium enim vniuersale dicit esse tempus totum cruditatis, quod finitur vbi humores concoqui cœperint, & augmentum accedere. At cum ipsa coctio maximè conficitur vigor, inde rursus declinatio, qua quidem & symptomatum magnitudo & humorum copia cessauit: restat verò modicum in ea humorum adhuc, qui concoctionem requirant. Vbi clarè febris vigorem dicit esse, quando coctio humorum maximè conficitur, est ergo summa febris & in statu, quando coctio humorum maximè celebratur, seu conficitur: ob quod in

B sola declinatione moderationem symptomatum esse dicit, & minorem materiam.

Sit quintum testimonium *ex aphorismo 8. lib. 1.* cuius sunt hæc verba: *Quando morbus in suo vigore constiterit, tenuissimo victu vtendum est.* Quam explicando Galenus scripsit ita: *Vbi morbus in suo vigore consistit, victu tenuissimo vtendum est, tum propter symptomatum magnitudinem, tum propter morbi coctionem; nec enim distrahere oportet naturam ad alteram nouam coctionem, cum eo tempore vni coctioni humorum morbum facientium fortiter vacet, & non multo post sit euictura.* En quam clarè magnitudinem symptomatum cum summo vigore coctionis complicari docet, & simul esse fatetur; non potest verò dari magnitudo symptomatum sine magnitudine morbi à quo pendent; est

C ergo febris in vigore, quando coctio etiam.

Sit sextum testimonium ex duobus velut primis principiis in doctrina Galeni, qui crisim bonam solum admittit cocta materia, vt locis infinitis repetit, & docuit Hippocrates 1. *epidem. sectione 2.* & rursus Galenus docet, quod morbus, qui in vigore non indicatur, non terminatur per crisim, sed paolatim soluitur. Verba sunt 3. *de crisibus, cap. 6.* *Crisis enim vel in statu, vel parum ante illum fit, mors autem in omnibus tribus temporibus.* Et *cap. 5.* sic loquitur: *Adeo magnam vim habent coctiones, ac propterea etiam morbi status, & quidem si morbi in hoc tempore crisim non habuerunt, fieri non potest vt in declinatione habeant, &c.* Ex quibus planè constat, quod iudicia mor-

D borum, seu crises debent fieri in vigore morbi quoad entitatem, & quando cocta materia est; ergo vi coctionis fiunt accessiones maiores. Probatur, quia in declinatione vniuersali non admittit Galenus crises; ergo fiunt in vigore, aut parum ante illum, vt dicebat *cap. 6. cit.* & nequeunt salubres esse crises nisi coquatur materia; ergo coincidit vigor febris cum coctione summa vigorem constituente. Expende verba illa *cap. 5.* *Adeo magnam vim habent coctiones, ac propterea etiam morbi status.* Quibus clarè coctiones cum morbi statu identificat, vt idem esse videatur coqui materiam summè, & summè febrem affligere. Quam doctrinam confirmans 4. *aphorismorum, com. 36.* scripsit ita: *Didicimus autem, quod in vehementibus accessionibus iudicia fiunt.* Ergo si fieri debent cocta materia, constat quod acces-

E siones vehementes tunc eueniant; & *aphorism. 7. eiusdem libri* sic loquitur: *Vigilant enim magna ex parte, & grauiter se habent, & febricitant vehementius ægri, quantò magis indicatio appropinquat*; sed appropinquat, quando materia coquitur summè, ergo tunc ægri vehementius febricitant. Quod desumpsit ex Hippocrate 1. *epid. sect. 2.* dicente: *Coctiones indicij celeritatem & securam salutem significant, &c.* ergo si iudicium, aut crisis in vehementibus accessionibus fieri debet, vt Galenus dicebat, & hæc significant celeriter venturas coctiones, necesse est quod in illis accessiones vehementiores fiant, & sic coincidere.

Sit septimum testimonium ex *6. cap. libri de totius morbi temporibus*, in quo discrimen constituens inter

morbos

morbos lethales, & salubres, sic loquitur. *Vnde in huiusmodi morbis, vigorem similiter cum eo qui salubrium est, determinare non licet; nam illic maxima accessiones statum definiunt, hic autem maxima accessiones non eque possunt determinari, quippe cum morbus omnino non concoquatur*: Qui locus, & non facilis, apertè docet, quod in lethalibus febribus non possunt maximæ accessiones statum determinare, quia materia non coquitur, quoniam si coqueretur, essent maximæ, & summum attingerent. Sentit ergo clarè, quod si materia mortalium febrium coqueretur, excitarentur maximæ accessiones, summam intensionem prout in morbo habentes: crescit ergo febris, & accessiones vehementiores fiunt, quando materia coquitur, & quia morbi salubris causa omnino concoquitur: ideo in eo maximæ accessiones statum definiunt, quia maiores esse non possunt quàm quando materia summè coquitur: & quamuis per morbos lethales in summo vigore accessionum æger perire possit, essent tamen maiores, si materia mortalium coqueretur. Est locus difficilis, & maximè notandus pro stabilienda nostra doctrina, in quo notabitis, quod aduerbium *illic*, non refert morbos lethales, sed salubres, etiamsi lethales fuerint prius positi, & posterius salubres; & aduerbium *hic* lethales refert, etiamsi prius quam salubres positi fuerint. Et constat planè, quia rationem reddit, cur maximæ accessiones nequeant determinari, nempe quia morbus omnino non coquitur. Et clarius in translatione Lacunæ scriptum est, dicendo: *Cum morbus quidem a principio incoctus persistat*. Loquitur ergo de lethalibus, quia isti non coquuntur, salubres verò maximè; nec potui absque magno labore, & inuestigatione positionis erroneæ illorum aduerbiorum rationem inuenire: est autem hæc, quod quia in eo capite ex professo agebat de indiciis, & temporibus morborum lethalium, & non de salubribus, aduerbium *hic* caput refert; *illic*, quod obiter dixit de morbis salubribus, quorum tractatio iam multò ante præcesserat, & inde longius stabat, & ideo dixit *illic*.

Hæc sunt testimonia ostendentia, quòd quando materia coquitur in morbo salubri à materia putrida orto, augeantur accessiones & febres. Et ratio à priori est, quia coctio materiæ putridæ non minus fit à calore quàm si alimentum coqueretur. Vnde necesse est, quod si materia putrida à calore alteratur quando coquitur, debebat calor eius intendi, & per consequens plus quàm antea viuens calefacere, quod quomodo eueniat, postea docebimus. Est ergo certum in Galeni doctrina, quod in vigore coctionis est etiam vigor febris, & in augmento augetur. Neque obstat quòd 3. *de victu acutorum, comm. vltimo*, dicat: *Potum solum his exhibet Hippocrates, quos acuti morbi infestant, vbi vires vsque ad morbi vigorem, qui interdum cum ipsa coctione existit, veluti in morbis thoracis, pulmonisque, suffecturas sperauerit*. Si ergo interdum vigor morbi cum ipsa coctione existit, non existit semper. Respondeo cum Vallesio, quòd cùm sint multi morbi pendentes ex materia non coctili, vt lapis renalis, dolor à flatu, aut materia non putrida, obstructio, & alij innumeri, non potest in istis coincidere vigor eorum cum coctione, quia incoctilis est causa; at verò si coquatur, coincidet non dubiè vigor febris cum materiæ coctione, vt ex relatis antea testimoniis constat: & hoc testimonium quod contra nos adducitur, falsam esse opinionem dicentium, quod nunquam cum summa coctione detur vigor febris, planè ostendit, dicente Galeno, vigorem morbi interdum cum ipsa coctione existere.

QVÆSTIO XIII.

Quando per coctionem febris intendatur?

ARcanum est, si quid sit aliud quod modò discutiendum proponitur: & ratio dubitandi est, quia coctio iuxta Galeni, & omnium medicorum ferè decreta à calore fieri debet; sed viuens nequit materiam putridam calefacere: ergo implicat quod ratione coctionis febres intendantur. Constat totum clarissimè, quia materia putrida febrem in viuente producit: ergo est illo calidior: ergo ab eo rursus calefieri non potest, & per consequens nec concoqui. Quod argumentum inuincibile, & velut demonstratio quibusdam apparens, in eam opinionem ire coëgit, vt publicè docerent, materiam putridam à frigore concoqui, & rursus, quod tempora coctionis cum temporibus entitatis morbi nullatenus coincidere possint; imo contrarium euenire, nimirum quod remittatur febris quando coctio celebratur.

Sed Galeni sententia est, quod per coctionem materiæ putridæ febres intendantur, eodem modo quo dum pus conficitur, maiores fiunt: & ad huius veritatis probationem vtitur Galenus *aphor. 47. lib. 2.* dicente; *Dum pus conficitur, dolores, & febres fiunt maiores, quam iam confecto*. Et indè sicut febres fiunt maiores dum pus conficitur; ita quando materia putrida coquitur, quia vt in præcedenti quæstione docui, idem est agens, & idem passum in vtraque actione, & per consequens vt febres crescunt dum pus conficitur, sic dum materia putrida coquitur: hoc placitum stabilitum satis, roboratúmque est testimoniis in præcedente quæstione propositis: Quibus alia euidentissima adiungere licet, vt planè errorem suum opinantes contrarium nisi cæcutiant, deponant, & resipiscere incipiant.

Sit primum ex 3. *lib. de cris. cap. 17.* sic se habens: *Quomodo igitur in primo die febris in statu consistere cognoscetur? & respondet, quomodo aliter quàm si statim habueris signa coctionis: tale enim quiddam accidit circa humorum crudorum coctionem, quale etiam in inflammatis partibus aduenit, ita autem & de his inquit Hippocrates, circa puris generationem, dolores ac febres contingunt*. En quàm clarè docet febrem esse in vigore quando habet signa coctionis.

Sit secundum testimonium, & celebre, *cap. 18. eiusdem libri*. Verba sunt: *Hoc ergo est quod prius dicebatur, quod scilicet in morbis febrilibus tale quid accidit, quale in iis quæ suppurantur inflammationibus: sicut enim ibi cum generatur pus, & dolores, & febres præcipuè contingunt, ita & hic dum coquuntur humores, qui febrem inducunt. Sic igitur in Anaxione, quantum ex prima illa crisi defecta relictum erat, hoc rursus efferuescens tempore coctionis; illam febrem generauit quæ crisim antecessit*. Quid clarius dici potuit?

Sed tertium testimonium celeberrimum, insignéque est *lib. 3. epid. sect. 1.* in historia Hermocratis *comm. 8.* Adducens enim causam ob quam die decimaquarta febricitaret, & nihilominus in exitio esset, sic loquitur. *Quos quidem affectus ignorat vulgus medicorum, & gaudet si qua videatur alleuatio, etiamsi hæc ex signis prioribus proficiscatur, & symptomatibus exitiosis: nesciunt cum natura enecatur, & extinguitur insitus calor, tales solere status incidere, non secus ac partes quæ mala defluxione in tumorem assurgunt, vbi natura præ infirmitate nequaquam attingit humoris concoctionem, qui excitauit tumorem; nam cum generatur* (inquit) *pus, dolores fiunt, & febres, quod natiuus calor humores tumoris auctores immutet; quare quando hic omnino à concoquendo abstinet per imbecillitatem, nec laborant,*

nec febricitant nisi perparum. Et inferius text. 111. exponendo diem vigesimum, in quo iudicatus est, & à febre liberatus, sic Galenus scripsit: *Quo die accedere febris debebat, si natura omnino aggressa humoris concoctionem esset.* Sunt ergo euidentissima, & multa Galeni testimonia nos docentia, quod coctio materiæ putridæ incremento febrium viam præbeat, vt sit duplex caussa febris; vna putredo, secunda concoctio materiæ putridæ, vt Galenus *loco* nuper *citato* diei vigesimi, his verbis docuit. *Neque enim septimodecimo accessit febris natiui caloris ratione, sed sola putredinis, succensis febriliter humoribus.*

Ad argumentum quod insuperabile putabatur: Respondetur, quod humor putridus quando febrem creat, in duas partes diuiditur, in fuligines nempe, & partem crassiorem, quæ stabilis remanet, quia in eas mutari non potuit; sunt verò fuligines crassiori parte multò calidiores, & ab ea separatæ distribuuntur per totum, & febrem generant. Calor ergo partium viuentis intensior est, quàm ille qui in parte crassiore, ac per consequens partes possunt illam concoquere, & calefacere; nam fuligines coctiles non sunt, sed per poros, & spirationem expelluntur omnes; quod coquitur est crassum remanens in parte inflammata, aut in foco putredinis, aut alibi.

Sed dices; si humoris crassa pars calefit à viuente, non poterit viuens ab ea calefieri, & sic simile inconueniens redit, nempe quod febris intendi non possit; neque enim hîc habet locum quod nuper dicebamus de parte crassiori, quæ à fuliginum calore in viuente producto coqui potest; nam si viuens calefactum à fuliginibus concoquit partem crassiorem, non videtur qua ratione possit viuens de nouo alterari à calore per coctionem partis crassioris resultante. Respondetur id facillimè intelligi, si maior copia agentis intensiorem effectum producit; datur verò copia maior ex alteratione, & concoctione partis crassioris. Nam Galenus apertè docet locis iam adductis, quod humores putridi quando coquuntur, feruent; feruor verò ob calorem nascitur. Et *aphor.* 47. *libro secundo* scripsit, quod dolores, & febres maiores fiunt quando conficitur pus ob quandam ebullitionem, & exustionem sanguinis. Est alia causa intensioris caloris in dicto casu, quod fuligines eleuatæ ob efferuescentiam humoris qui coquitur, applicantur partibus viuentis, quibus priores fuligines applicatæ non erant; nam cùm sint corpora, non possunt eidem parti immediatè applicari, & per consequens in illa parte crescit febris, etiamsi fuligines de nouo applicatæ non sint calidiores prioribus; cùm certum sit in Philosophia, ob maiorem applicationem agentis, resultare intensiorem effectum. Nec obstat si acutè replices, quod non sequetur ex dicta occasione intensior febris in vniuerso corpore, sed solùm in partibus, quibus de nouo per coctionem applicantur fuligines, hoc autem est contra experimentum, quia & pulsus & respiratio insignem mutationem suscipiunt, & ipse æger in omnibus partibus calidiorem se percipit. Respondetur teneta febrem in toto esse maiorem, quia pars illa cui de nouo & magis applicantur fuligines, vt plus calefit, sic minus immediatam sibi partem refrigerat, & inde necesse est quod in partibus omnibus febris intendatur, quia pars illa immediata, quæ minus infrigatur à sibi proxima, calefit ab agente calefaciente illam magis quàm antea, quia & pars, & agens calefaciens minus à frigore iam repatiuntur, & vt repatiuntur minus, calefiunt plus, quod in Philosophia est euidens.

Sed vrgebis; humor putridus, qui coquitur, si coquitur à calore, non sequitur coctio, sed putredo, aut

A vstio. Constat, quia humor ille antequam coqueretur, erat putredine infectus, quia à calore violento alterabatur. Sed modò supponimus, quod à calore maiori concoquitur; ergo non sequetur coctio, sed putredo, aut vstio, quia si à remissiori calor ob eius præternaturalitem corrumpebatur putredine, corrumpetur efficacius ab intensiori calore. Respondetur quod coctio humoris non celebratur in portione faciente actualem accessionem, sed in remanente, & foco accumulata; aut manet eodem modo in loco inflammato quando fit pus; in ea verò portione dispositio aliqua de nouo admittenda est, ratione cuius à maiori calore coquatur, & nullo modo putrescat: in putridis erit humiditas minor, in vstis siccitas remissior; nam calor B qui cum excessu humiditatis putrefaciebat, & siccitatis vrebat, concoquet si putrida siccentur & humectentur vsta, sicut idem calor qui humorem ob excessum humiditatis putrefacit, concoquit alimentum, & illud non corrumpit putredine, quia humiditate superflua non scatet; idem dico de vstione ob siccitatis excessum.

Dico secundò, quod respectu eiusdem humoris facientis accessionem, idem contingere potest, quia quod in vapores vertitur humidius esse potest; humidiora enim semper euaporant plus si calefiant: quod verò siccius est, non putrefiet, sed concoquetur ab eo maiori calore. Sed dices, illud crassius quod concoquitur, aut erat putridum, aut non: si erat, ergo iam C habebat humiditatem sufficientem ad putredinem, & si minori calore putrescebat qui erat extraneus, putrescet melius ab intensiori, quia magis extraneus, & sic non coquitur, nec suppurabitur, sed putrescet.

Si verò dicas non esse putridam eam partem crassiorem, non excitabitur febris maior ratione coctionis, quia febris semper à portione putrida humoris excitatur, vt est euidens; semper ergo manat in sua vi difficultas de modo, quo putridum à maiori calore coquitur, & non putrefit: estque hoc dubium pulcherrimum; cui primò responderi potest, quod iuxta Galeni doctrinam, *secundo aphor.* 47. ab eo maiori calore partium exuritur humor putridus, & velut incineratur, ita vt non maneat nisi terreum D vstum velut carbones, & inde frigidius mixtum resultat incapax putredinis in corpore, & etiam ineptum vt putrefaciat humores: itaque quod humidum, & putridum est, in fuligines vertitur, & occultè resoluitur, reliquum verò crassius incineratur eo modo quo nuper dixi. Verba Galeni sunt in expositione aphorismi citati; *Et hæc ambo contingunt ex quadam veluti ebullitione atque exustione sanguinis, qui vbi ex toto exustus fuerit, residuum eius fit pus, quemadmodum ex lignorum exustione cinis; atque ideo tempore illo dolores sedantur, & febres.* Nihil clarius dici potuit: & cum Galenus passim doceat, eodem modo concoqui humores in putridis febribus, quo suppurantur, idem effectus resultabit, quia & crescent febres ab eo ferE uore, & exustione: & quod resolui ob crassitiem non potuit, incineratur, vt verè dicere possit, per exustionem resolutum fuisse quod putridum erat, maneret verò quod crassum erat exsiccatum, non quidem vt cinis, sed ad similitudinem, vt in humoribus contingere potest. Sic enim dixit Aristoteles 4. *meteor. capite primo, ad finem*, quod quæ putrescunt, tandem fiunt terra & cinis: neque inde infertas, quod semper deberet fieri pus adhuc in febribus putridis quando coquitur materia, cùm detur humor putridus, & calor mixtus ex naturali, & contra naturam, vt in inflammationibus. Est enim ratio diuersa, quia in inflammationibus seruatur tota ferè materia, & in angusto loco clausa incarcerata, & sic irresolubilis est, & diu durans exuritur magis,

&

& crassior redditur, formámque puris acquirit; at humor intra vasa ventilatur magis, resoluitur plus, minus exuritur, & per consequens verum pus non efficitur, sed emendatur quod est intra vasa, & quod ad poros distribuitur mutatur in sedimentum, quod via ad pus est, non tamen pus, quia ob minorem quantitatem humoris plus emendatur, & minorem quàm pus præternaturalitatem habet, minusque fœtet, nec erodit vt pus ob maiorem ventilationem. Sed verius, & acutius respondetur, quod humor in inflammationibus est intra poros partis inflammatæ, vbi semper natura nutritionum procurat, & in rorem mutat prius humorem contentum, & sic loco roris fit pus ob ineptitudinem materiæ, quia verò intra vasa nutritio celebrari repugnat, repugnat etiam quod pus verum fiat, sed aut sedimentum, aut incineratur succi.

Sed explicandum superest, vnde proueniat quod quando fit pus, aut celebrantur coctiones in febribus putridis, dolores, & febres augentur; hoc enim nullus hactenus explicauit. Quod vt intelligatur, notabitur aphorismus 89. sectionis 5. in quo dixit Hippocrates: *Quicumque morbo laterali laborantes, in quatuordecim diebus non repurgantur, ij ad suppurationem vertuntur.* Notabitur præterea, quod Hippocrates inter signa incipientis suppurationis, posuit nouum incrementum febrium, vt constat ex trito toties *aphor. 47. lib. 2. Dum pus fit, &c.* & 2. *prognost. text.* 58. principium suppurationis dicit fore, colligentes à prima die, quâ homo febricitauit, & rigor ipsum apprehenderit. Et Galenus 4. *de causis pulsuum* dixit: *Suppuratorum verò pulsus initio statim pulsum refert vigescentis inflammationis.* Quo supposito dubium meum est, vnde proueniat quod in suppurationis initio detur occasio nouo & inordinato febris incremento, quod antea non erat per totum tempus pleuritidis, aut in principio vniuersali febrium. Videtur enim quod si febris augetur ob calorem partium coquentem, quod non augeatur eò quòd concoquatur materia, sed eò quòd calefiat: calefactio verò perinde fit in vniuersali principio, vt in aliis temporibus; imo maior esse potest, cùm in vniuersali principio putredo vigeat magis quàm reliquis temporibus: & Galenus, omnesque cum eo docent, esse in vniuersali principio contractionem maiorem pulsus, eò quòd excrementa fuliginosa plus abundant: quomodo ergo tunc materia non efferuescit? Sed solùm accidit quando fit pus, aut materia concoquitur. Et vrgeo magis, quia si morbi causa esset incoctilis, vt in exitiali febre, & vsque ad vigorem lethalem putredo cum febre augeretur, non daretur necessariò nouum incrementum inordinatum cum rigore, vt in puris generatione contingit, etiamsi in febre lethali excrementum fuliginosum abundet magis quàm in salubri, quando materia concoquitur, aut inflammatio supporatur. Et idem inquiro, quando inflammatio vehementia putredinis non coquitur, sed potius partem putrefaciens sphacelatur, cur quidem non detur rigor, & nouum, maiúsque, & inordinatum febris incrementum, cùm in dicto casu fuligines magis abundent, quàm quando in inflammatione salubri suppuratur, cùm sit certum quod febris non crescit, quia materia concoquitur, sed quia calore concoqui nequit: calor verò maior, & maior copiâ fuliginum dari non dubiè potest aucta putredine.

Est communis solutio, quod quando natura coctionem tentat, mittit calidum influens ad focum putredinis; & sic per illam maiorem copiam, & vnionem agentis calidi contra materiam putridam, resultat efferuescentia, & exustio à Galeno concessa, quando pus generatur. Nec obstat si dicas, quod in quouis tempore est finis ob quem natura ad focum mittere

A debeat: ergo in quolibet talis efferuescentia, & vstio dabitur, & non in augmento, & vigore. Respondeo dupliciter: Primò, quod etsi hoc concedatur, non sequitur feruor, quia ad hunc, & vt notabilem febrem, & maiorem quàm antea creet, certa quantitas humoris, aut excrementorum in foco requiritur; & quia in principio non datur, non inducitur feruor maiorem febrem causans, etiamsi calidum influens à natura mittatur. Secundò dici potest, quod quia in vniuersali principio corpus magis obstructum est, & morbus, seu putredo vrgit naturam (quod indicat coctionis priuatio) abundat minus calidum influens, & corpus minus liberum est, vt per illud calor influens diuagari possit, ob quod in tanta copia

B non mittitur, vt feruorem & exustionem causet; post verò plenitudine deposita, & corpore magis deobstructo, & permio, calidum in copia maiori transmittitur, & dictam exustionem & feruorem causat in foco, maioremque febrem. Dices calidum influens est remissius humore putrido, quia minus calidum: ergo etiamsi in magna copia mittatur, non excitabitur feruor. Respondetur id esse verum, quando calidum influens est in corpore non febriante; at in febriente intensius quàm par sit crassos humores incalescit, vt partes etiam viuentes; nec est putandum quod sine fuliginibus mittatur, quæ etsi ad coctionem non faciant, conducunt tamen non leuiter ad putridorum resolutionem, & incinerationem. Dices chimæricam esse huiuscemodi transmissionem in

C partes inflammatas, quia si distenditur, & tumida fit, quia pori illius, & venæ proximæ parti oppletæ omnino sunt, non erit locus in quo calidum influens transmissum recipi possit. Respondetur in loco inflammato ad materiæ resolutionem, quæ in flatus, & fuligines potest mutari, non esse necessariam nouam transmissionem, sed ipsa fuliginum collectio sufficit, vt tandem exustionem & feruorem causet cum calore influente, in parte contento, à quo concoquetur crassum quod remanet: præterquam quod nunquam tam oppleta pars inflammata existit, vt calorem vitalem recipere nequeat; quod si eueniat, mortificabitur pars, & non concoquetur humor.

Ex dictis constat, quod quilibet humor putridus quando coquitur, maiorem febrem excitat, quàm antequam coqueretur. Vnde Galenus 3. *de cris. cap.* 4.

D ex anticipatione, longitudine, & vehementia maioribus accessionum in morbis salubribus, crisim esse propinquam docet; nam quia coctio ad crisim salubrem requiritur, & coctio maiorem feruorem concitat, inde accessiones anticipant, sunt longiores, & vehementiores. Sæpe verò notauimus, quod adducta doctrina sit intelligenda de alteratione requisita ad coctionem, quæ quia per calorem fieri debet, feruorem dictum concitat; nam quando coctionis terminus inductus iam est, quia feruor cessauit, febres etiam moderantur, vt de pure iam facto Hippocrates & Galenus docuerunt.

Superest explicare loca Galeni difficilia, quæ vo-

E bis antea promiseram. Primus habetur *aphorismo* 29. *lib.* 1. vbi scripsit: *Dispositio siquidem, quam & morbum nominamus, non omnino dum morbus consistit est fortior. Verùm in iis qui saluari debent, melior multò quam in morbi principio.* Dicitur itaque non omnino fortior, quia etsi quantum ad entitatem fortior sit, non tamen in ordine ad vires quando salubris est; coquitur enim summè tunc, & inde inferior quàm natura videtur; & ita est melior, id est, securior quàm in principio, quia in hoc coctrix à morbo superabitur.

Alius locus est *aphorismo* 30 sequenti. Verba sunt: *Sicuti ipsæ dispositiones, in quibus hæ fiunt, vbi morbi consistunt, necesse est esse meliores, in iis qui debent sanitati restitui.* Sunt itaque meliores, etsi maiores sint morbi,

quia coctio summa, & victoria naturæ iam ostenditur, & habet similem explicationem cum priori testimonio. Aliud testimonium habetur 3. *de victu acutorum*, *commento vltimo*. Verba sunt longè à principio. *Non sæpius affectio ipsa, qua laborant, mitior quidem existit, sed symptomata augentur*: est quidem mitior, id est benignior, quamvis sit intensior, quia maioritas illa symptomatum ex coctione, & suppuratione materiæ prouenit; coctio verò semper est mitis, & benigna.

---

* *Supra Cap. IV. Auicennæ non scripsit Author.*

CAPVT V.

Sermo vniuersalis de Febribus Ephemeris.

Vt Auicenna in præcedenti febrium diuisione docuit esse quoddam genus diariæ febres includens, in quas facilius homines incidere solent, præsertim quando à causis manifestis febricitant; ideo hoc primum genus in præsenti capite exponere intendit.* Et est prima propositio, quod causæ omnium specierum diariæ febris, sunt causæ primitiuæ calefacientes essentialiter, aut per accidens: dicitur essentialiter, non quia essentia rei calidæ sit calefacere, vt constat; sed appellat causas essentialiter calefacientes, quæ internum calorem habent, ratione cuius extrinseca corpora sibi applicata debitè alterare, & calefacere possunt. Quod genus causæ Philosophi appellant operatiuum per se. Per accidens verò calefacere dicitur, quod ex se calefacere nequit; occasio tamen est, vt aliquid calefiat, vt constipatio cutis à frigore, aut alia vi astringente impediente corporis ventilationem, cutis poros occludendo, excrementa calida inescerata detinet, & febris excitatur; idem facit obstructio in cute, aut in visceribus; hæ verò causæ, siue per se, siue ex accidenti calefaciant, quia extrinsecæ sunt, febrem diariam non creant, si calorem in facto in substantia spirituosa non producant, aut excrementum calidum fuliginosum intus detineant, nec ad aliam substantiam humoralem, aut solidam calor in facto pertransire debet, si sola diaria excitatur; quando si illud eueniat, non diaria, sed putrida, aut hectica insurgent, aut seorsim, aut diariis permistæ.

Subdit, quod diariæ febres statim plurimum in die vno recedunt, & raro diem tertium pertranseunt, quem si pertranseant, suspicio iam est quod esse ephemeræ, seu diariæ permutatur in aliud esse, vt putridæ, aut hecticæ febris. Notat etiam, quod diaria est curationis facilis, licet sit cognitionis difficilis, & idem in hecticæ principio inuenici. Tandem naturas ad febres magis paratas exponit repetendo, quæ *capite* 2. docuerat, & iam explicatum à nobis est; & aduertit, quod si natura calida, & sicca inediam, vigilias, labores animi, aut corporis patiatur, cito febre diaria prehenditur, cum quadam horripilatione, cui si cibis non succurramus, statim breui corripitur febre putredinis. Hæc continet littera à nobis inferiùs exponenda.

Circa literam capitis.

Diaria febris dicitur, quia vnico die solui est apta, vt Galenus docet *lib.* 10. *method. cap.* 2. verùm quia

A plures diariæ dantur maioris durationis, & plures quàm vnicum diem occupantes, tale nomen non est de natura, & essentia huius febris, vt 9. *method. cap.* 1. Galenus notauit: destitutæ tamen conueniente nomine, ob clariorem & breuiorem doctrinam ab eo quod sæpius accidit, nomen diariarum susceperunt omnes. Constat verò quod tale nomen ob aliquam rationem communem fuit impositum omnibus diariis; est verò quod omnes diariæ, quantum est ex se, excludunt signa febris putridæ & hecticæ, vnde cum per illa ostendatur, quod nec putrida, nec hectica sit talis febris, & non sit nisi triplex genus febrium, concluditur quod debeat esse diaria; quomodo verò talia signa excluduntur, *cap. sequenti* dicemus: Inde meritò diaria in diarias vnius diei, & plurium diuideitur: deinde in exquisitam, &

B spuriam seu notham. Exquisita dicitur illa, quæ præter succensos, spiritus, aut vapores, non habet interius aliam causam fouentem spirituum calorem, ob quod nisi spatio vnius diei molestare potest. Spuria verò dicitur, cuius origo manet interius, distinctàque est omninò à spiritu accenso, & quia radix, seu origo eius non est tam resolubilis vt sunt spiritus, inde raro intra diem eradicatur, sed alium diem, aut alios occupat, aut ex propria conditione intra diem absolui non petit, licet non repugnet; ac per consequens etiam illegitima diaria intra diem finiri potest, vt cutis constipatio potest intra diem deficere; licet sit frequentius amplius molestare; idem bubo, aut obstructio habent, ob id diaria exquisita, & legitima appellatur ephemera, quod

C animal quoddam ephemeron dictum intra diem sui ortus animam agit, vt Philosophus tradit 5. *de historia animalium, cap.* 19. ob id exquisita diaria dicitur talis natura, & constitutione, quoniam calor factus est in spiritibus, & non potest vltra diem durare; quæ verò diariæ causam fouentem habent, dicuntur tales natura, non verò constitutione, quia causa fouens intra diem vnum finiri non petit, vt petunt spiritus. Rursus diaria spuria bifariam contingit, nam aut habet (vt nuper dixi) causam fouentem intus, aut calor in facto non est in spiritu, sed in humore, vt in bubone, aut in alio crasso excremento diariæ signa præbente, vt in alimento nidore corrupto, etiamsi minus propriè illegitima diaria dicatur, quæ à causa fouente calorem spiritus

D pendet; nam ex parte causæ immediatæ legitima est, & proinde naturâ; at ex parte durationis illegitima est, ob quod natura talis, & non constitutione dicitur.

Videtur autem difficile, cur diaria legitima vltra diem durare non possit? Ratio dubitandi est, quia calor spirituum semper habet idoneam materiam, in quam impressionem caloris efficere potest, nunquam enim deficiunt spiritus de nouo geniti: poterit ergo vltra diem durare, imo & per plures afficere, quia potest dari continuata caloris impressio in iis qui successiuè & perenniter producuntur, nec potest reddi ratio probabilis, ob quam spiritus primò accensi vltra diem durare nequeant. Secundò videtur difficile, quomodo diaria febris quatuor tempora habeat post causæ procatarticæ ablationem: incipit quidem febris, augetur,

E vigorem habet, summam intensionem attingens, & tandem declinat; videtur autem quod statim ac deficit causa procatartica, nequeat febris augeri, imò mox incipiat remitti, quia nulla res ab alio præternaturaliter alterata, potest calorem violentum intendere post separationem agentis inferentis violentiam: non ergo causa spirituosa calorem intendet, & summum attinget post iræ aut motus cessationem.

Ad primum respondetur, quod spiritus accensi tam resolubiles sunt ex propria natura, & multò magis ob calorem febrilem, vt intra diem dissipentur, & resoluantur. Et hoc experimento constat, quia nulla diaria exquisita visa est amplius durans; minus verò durare potest, quia breuior potest esse resolutio ob minorem

copiam

copiam spirituum accensorum, & maiorem corporis perspirabilitatem & expultricem fortiorem, iuxta quam doctrinam, si cutis constipata sit, aut obstructa, poterit calor febrilis vltra diem durare, etiamsi non accendantur de nouo spiritus alij, quia vltra diem detineri intro poterunt. Magister meus *lib. de febribus fol.* 175. aliam rationem adducit, nimirum quod spiritus ipsi à proprio calore attenuari deficiant, & quia illa attenuatio tempus certum vt fiat requirit, durat febris toto illo, postquam causa externa defecit: & inde redditur ratio durationis certæ, & non maioris certæ, quia introductio raritatis & tenuitatis fit à calore proprio spirituum successione diuersa, & quia productio raritatis & tenuitatis fit successiuè post productionem caloris, & sic durat calor toto tempore ad illam raritatem introtroducendam requisito: & quia hæc intra diem producitur, ideo intra illud spatium febris absoluitur. Quæ solutio non soluit dubium, quia etsi demus quod à calore spiritus extenuetur, dicam ego, quod potest mutari in substantiam calidiorem spiritu, & sic etsi spiritus corrumpantur, manebit nihilominus febris, si non confugiamus ad resolutionem causæ, & expulsionem eius extra corpus, quoniam vt humores per putredinem in fuligines tam calidas mutantur, sic spiritus poterunt in aliam substantiam calidiorem mutari: & in mea opinione, quam verissimam esse censeo; quod per putredinem necessariò formam mouet, quod est causa febris, non potest sustineri opinio Magistri, quia calor ille est naturalis substantiæ per putredinem genitæ, & ab eo nunquam corrumpetur, & per consequens stabilitur doctrina illius in opinione minus probabili, ne dicam absurda.

Difficilius est explicare, cur in spiritibus de nouo genitis, calor introduci successiuè non possit, ita vt diaria plures dies occupet: nam vt in continentibus febribus putredo per humores sibi continuos serpit, quia illos ad putredinem dispositos inuenit, sic substantia spirituosa putrida poterit in spiritus sibi immediatos calorem factum producere ob aptitudinem passi, quod videntur admittere Medici omnes cum Galeno, cum planè continentem diariam admittant; & vrget etiam, quod calor diariæ in vigore est intensior quàm productus à causa externa: Vnde si ille potuit spiritus calefacere in facto, poterit melius idem calor vigoris præstare. Respondeo quod quando corpus vitium aliud non habet, nisi solam accensionem spiritus, resoluitur citius, quod ex spiritibus computruit, quàm in reliquis introducatur putredo, ita vt amplius quàm diem durare non possit; hoc pendet ex mobilitate spirituum, quæ commotio inter agens & passum vehementer actionem intensam fieri impedit, requiritur D verò intensa satis ad putredinem introductionum in subiecto non quieto, sed agitato perpetuò. Vnde Medici omnes, & Princeps in *hoc capite* permutationem diariæ in putridam, aut hecticam admittunt, non tamen permutationem, seu continuationem diariæ in diariam, intra vnicum diem factam, si prima febris exquisita omnino fuit. Est etiam Philosophia consonum, quod cùm agens non possit tantum calorem quantum habet ex se producere, & spiritus primò accensi tam promptè resoluantur, diminuitur actio ob duo; & quia agens citò minuitur, & in passum non potest quantum in se habet producere, & inde paulatim calor remittitur, & vltra diem durare repugnat.

E Ad vltimum respondetur, quod post ablationem causæ, quæ induxit diariam, necessariò sequetur nouum augmentum caloris, & status, seu vigor, quia non potest impediri caloris communicatio alicui portioni spirituum, qui assiduè creantur de nouo, & quod mihi videtur probabilius, crescit calor diariæ ablata extrinseca causa, ob eleuationem vaporum ex parte

A sanguinis subtiliori, qui in mea opinione specie à sanguine differunt, duratque talis eleuatio sensibiliter, donec sensibilis portio spirituum primò accensorum euanescat. Neque quod nuper dixi, de briuiori resolutione spirituum primò accensorum respectu putredinis, ita intelligendum est, quod negem quamcumque productionem putredinosam, sed quod sit minor multò quàm resolutio spirituum primò accensorum. Inde constat ratio, cur diaria in putridam frequentius permutetur quàm è contra; nam cùm spiritus sint tam resolubiles, non solùm primò accensi deficiunt, vel diminuuntur breuissimè, sed etiam qui incipiunt ab eis alterari, aut putrescunt, aut vruntur, & sic non continuatur putredo in spiritibus, benè tamen in humori- B bus, quia semper agenti corrumpenti præsentes sunt, & magis quieti; spiritus verò euolant, & sic non congeritur tanta quantitas, vt ad febris continuitatem, & per plures dies durationem requiritur. Neque inde inferas, quod à causa externa semper putrida, aut hectica prius quàm diaria produceretur, quia illa mobilitas in spiritibus nunquam deficit; nam etsi ex hac parte videatur ita fore, non tamen si passiua dispositio, aut aptitudo ad concipiendum calorem in facto attendatur, sine qua nulla febris constitui potest: hæc autem potest esse maior in spiritu: reliqua in littera comprehensa facillima sunt, & in quæstione sequenti locum habent.

CAPVT VI.

C
De signis propriis ephemerarum distinguentibus eas ab aliis omnibus.

NTENDIT Princeps naturam, & signa diarias febres significantia, & ab aliis febribus distinguentia exponere. Dicit primò, de proprietatibus earum esse, quod à causis antecedentibus non fiant, idest, à causis, seu abditis, quin potius à causis manifestis creantur; est sermo de febre diaria exquisita, quæ à nulla causa nisi à manifesta externa, aut procatartica fieri potest: quod Galenus 1. *de differentiis febrium, capite* 3. docuerat dicendo: *Vnum verò hoc est præcipuum febrium ephemerarum indicium, ab aliqua incipere causa recenti, at manifesta, quæ ante præcesserit, quam omnes medici iuniores vsitato vocabulo procatarticam, seu præincipientem appellant.* D Sed etsi hoc inseparabile sit talium febrium indicium, tamen earum proprium non est, nam & aliarum quædam ex causa manifesta fiunt, quæ antè præcessit. Ratio est, quia supposito quod diaria exquisita vltra diem durare non potest, tenetur necessariò à causa manifesta creari, & extrinseca; nam causa intrinseca non petit intra diem finiri, & sic neque febris; & quia putrida, & hectica à causis extrinsecis possunt etiam incipere, ideo talis inceptio propria diariæ requisitæ non est, est tamen inseparabilis omninò.

Vbi notabitis, quod signa quædam dicuntur inseparabilia, quædam propria: signum ergo inseparabile non E proprium, est quod conuenit omni, non tamen soli, vt incipere à causa externa est inseparabile diariis exquisitis, quia omnibus conuenit, non verò est proprium, quia illis solis non competit: signum proprium sed non inseparabile est, quod conuenit soli, non tamen omni, vt vrina cruda in principio febrium, proprium est febrium ex humorum putredine, non tamen inseparabile, quia multæ febres putredinis humorum dantur

absque vrina cruda, vt in malignis quotidie experimur, & rigor perfectus in febribus putridis; nam illis solis conuenit, non tamen omnibus, vt Galenus docet 1. *de differ. febrium, cap.7.* signum inseparabile, & proprium est, quod omni & soli conuenit, & correspondet quarto modo proprij, vt est risibile in homine, & in diariis exquisitis suauitas caloris, quia omnibus & solis competit non habere calorem mordacem.

Secundum signum est, quod non incipiat diaria cum coarctatione: ratio est, quia spiritus accensi redduntur potius tenuiores, & per consequens arterias non onerant, nec grauant, & sic non coarctatur, nec opprimitur pulsus. Etiam potest intelligi quod non fit coarctatio caloris vt intra reuocetur, aut detineatur, quia in exquisitis diariis non est occasio talis oppressionis, quia vt ipse Author docet, non incipiunt cum rigore, horrore, aut frigore extremorum, quia spiritus accensi nunquam redduntur mordaces taliter, quod sensibilem molestiam, & necessitatem ad membrorum concussionem inducant: quod est verum in diaria exquisita à spiritu inflammato; nam si pendeat ab alia causa, horrorem inducere poterit, quod in fine capitis antecedentis dixit in iis verbis: *Et cum illi qui habet complexionem calidam, & siccam, accidit fames, & adueniunt cum ea vigiliæ & labor naturalis, & corporeus, festinat ad ipsum febris ephemera cum horripilatione quadam.* Ratio est, quia talis temperies relatis occasionibus febricitans, mordentes habitus, & fuligines creat; & per partes sentientes delati, rigorem leuem, seu horripilationem causant. Et est doctrina Galeni, *lib.10. method. cap 4* Idem contingere potest, vbi alimentum acre, & prauæ naturæ corrumpitur, vt in littera docet Princeps: *Imò fortasse accidit in principio earum similitudo frigoris, aut horripilationis, & punctio, cuius causa est vapor mali chymi, & remouetur velociter, & accidit, sed rarò rigor, propter multitudinem vaporum lædentium lacertos per punctionem suam superflua multitudine.*

Addit Auicenna; *Est eius inflammatio non mordicatiua aspera, imo bona, vt caliditas laborantis, & ebrij;* quod Galenus *cap.7. citato* docuerat dicendo; *Sed & caliditatis suauitas proprium atque inseparabile est huiuscemodi febrium indicium.* Quod signum etiam limitatione indiget; debet enim intelligi quando soli spiritus accensi sunt causa; nam diaria in corpore bilioso ob famem, vigiliam, aut laborem excitata, sine sensibili mordacitate non est, quando ipsa natura non febricitans sensum molestum tactui infert. Idem in diaria ex bilioso alimento, & nidorosè corrupto euenire potetit; spiritus verò quia humidi, mordacitatis experies sunt, etsi putrescant, aut vrantur; nunquam enim cum humiditate mordax calor sentitur, vt patet in pueris. Est etiam intelligendum signum comparatum ad alias febres, nulla enim, etsi exquisitè diaria, absque omni molestia est, vnde & quotidiana exquisita, licet à materia humida antecedenter pendeat, quia verò per putredinem in fuligines vertitur, & sunt spiritibus corpulentiores, tactuique magis adhærent, maiorem quàm diaria molestiam infert. Non enim cum Magistro conuenio, *fol.284.* in hoc, quod spiritus in fuligines mutari non possint. Itaque mordacitatis defectus ex siccitate deficiente prouenit, qua priuantur spiritus ex se, vnde in diaria ex tristitia acritudo aliqua manifestius percipitur, quia tristitia siccat; vnde Galenus 2. *de crisibus, cap. vltimo* scripsit: *Adest autem iis quidem qui ob tristitiam febricitant, acritudo potius, quàm multitudo caloris, sicuti iis qui ob iram contrario modo.*

Subdit Auicenna; *Et cum est vrina in primo die digesta, & pulsus bonus, tunc indica quod est febris ephemera, & illud ideo, quoniam vrina non alteratur in ea in quantum est ephemera.* Ratio est clara, quia diaria exquisita nullam labem humoribus infert, est verò vrina substantia mixta ex humore, & sanguinis sero, vnde lotium nullo modo vitiatur; quod verò de pulsus bonitate docet, non apparet tam certum, cùm vitium spirituum vitalium leue non sit, putrescunt enim, & in mea opinione corrumpuntur, quia contrahentes calorem in facto formam priorem deperdunt, quod argumentum si putrescerent omnes efficax esset; verùm quia ita non est, & semper generantur de nouo, nec in diariis exquisitis non malignis datur aliquod graue accidens vires effeminans, robur facultatum constat, pulsus est bonus, quia fortis, non oppressus, æqualis, Galenus 1. *de crisibus, cap. vltimo* dixit: *Communiter quidem omnium pulsus ad celeritatem, & frequentiam promouetur, & sæpe numero ad magnitudinem, exquisitè autem seruat eam, quæ secundum naturam, & æqualitatem, atque mollitiem, & ordinem.* Et 1. *de differentiis febrium cap.7.* scripsit: *At præterea pulsus ad magnitudinem ac celeritatem essatu dignam accedentes, ita vt frequentia à proportione deficiat secundum exteriorem quietem.* Et de vrina eodem modo vt Auicenna loquitur *eodem capite* dicendo: *Inseparabile verò ac proprium est, coctio in vrina statim die prima*: quod etiam docuit 2. *de crisibus, cap. vltimo,* & 1. *ad Glauconem, cap 2.* Constat verò, quod vrinæ naturalitas non potest esse signum morbosum, & sic nec febris diariæ: sed traditur vt indicium quod alia signa febrem indicantia sint signa diariæ; traditur verò vt signum inseparabile, & proprium diariarum, si cum putridis solùm conferatur; nam hectica incipiens vrinam non mutat in Galeni opinione: sic enim 1. *de differentiis febrium, cap. 9.* loquitur: *Appareantque in ipsa prima die, omnis generis febrium ephemerarum indicia*: nullum ergo signum excludit; & quod hectica pestilens cum optima vrina dari possit, expresè docet 3. *de præsag. ex puls. cap. 3.* & experimento confirmauit.

Sed quod nos in principio quæstionis insinuauimus, difficile est, nimirum quod dentur malignæ, & pestilentes ex humorum putredine, in quibus inculpata omninò, & naturalissima vrina apparet, & nos passim experimur ita esse: vnde censeo doctrinam horum authorum esse improbabilem absolutè loquendo. Valet itaque consequentia; est diaria exquisita, ergo vrina naturalis; non tamen ècontra; est naturalis vrina, ergo diaria, non solùm ob dicta, sed & propter hecticam febrem: quomodo verò in putridis malignis lotium sæpe naturale appareat, *tractatu de febre maligna* latè exposui; non enim ex quovis loco vrina decidit, & inde neque putredo succorum in quolibet lotium mutat, & vt vigor facultatum, & pulsus in diaria exquisita non deficit, ita nec vigor coctricis iecoris, & venarum.

Hoc signum bonitatis vrinæ in febribus putridis constat ex Hippocratis doctrina 1. *prognosticorum, text.16.* dicit enim; *Vrina optima est si sedimentum candidum fuerit, leuéque & æquale omne tempus, donec morbus indicatus fuerit; securitatem enim, ac morbum fore breuem significat, &c.* Vbi duo significantur iis quæ diximus opposita, nempe quod dentur malignæ, & mortiferæ febres cum signis optimæ coctionis, cùm expresè dicat Hippocrates, quod significant securitatem. Aliud est contra Galenum tradentem vt signum inseparabile, & proprium febrium putridarum, vrinæ cruditatem, 1. *de differentiis febrium, cap. 9.* quod dubium *cap. de signis febrium putridarum* dissoluerat. Interim tamen notabitis; quod bonitas vrinæ absoluta, & perfecta, attendenda est in contentis, & in modo substantiæ vrinæ, non verò in colore; calor enim diariæ contentra, & modum substantiæ mutare non potest, quia in humoribus nulla mutatio, aut in modo substantiæ datur; quia verò calor absumit semper serum humorum, necesse est, quod si vrina sit ante febrem naturalis omninò,

omninò, reddatur per febrem coloratior, non quidem statim, sed postea: ob quod Galenus 1. *ad Glauconem, cap.* 1. dixit: Vrinæ autem aut prorsus similes iis quæ secundum naturam se habent, aut non multum à naturali statu recesserunt; quod si labor magnus præcesserit, etiam ab initio color intensior apparere potest, sed crudior, & remissior, si à satietate, aut obstructione ortum traxerit.

Subdit Auicenna; *Et pulsus est declinis ad spissitudinem, & fortitudinem, & magnitudinem, nisi in ea, quæ est à passionibus debilitantibus, & vbi fuerit humor mordicatiuus, aut frigidus, aut alia causa de illis, quæ minorant pulsum præter febrem in stomacho.* Multa de pulsu tradit author, quæ in littera satis perspicua sunt, nec egent expositione; nulla enim inæqualitas in diaria exquisita admittitur, præter illam quæ in vnica dilatatione suæ compressioni immediatæ comparata inuenitur; nam aliæ inæqualitates ob aliud principium adiunctum eueniunt, vt si detur obstructio, satietas, cutis constipatio, aut aliqua animi passio, aut dolor, præcipuè in ore ventriculi, ob cuius passionem, & debilis, ac inæqualis satis redditur pulsus. Est ergo pulsus diariæ maior, crebrior, & fortior necessariò, quatenus diaria vt talis calorem solum intendit, & facultatem non debilitat, nec vitiat instrumentum. Tacuit Auicenna celeritatem, quia clarum erat, cum magnitudinem, & crebritatem posuerit: non enim pulsus maior, & crebrior erit, quin celerior prius fiat. Vnde constat, quod necessariò erit fortior, quia celerior, & maior fieri repugnat absque noua fortitudinis additione; celerior enim fieri nequit sine nouo conatu priori superaddito; respondet verò nouo conatui noua vehementia, & maior priore: quod cum sit euidens, error Gentilis in huius loci expositione planè detegitur: putat enim quod vehementia sit apparens, non vera, quia celeritas & magnitudo speciem fortitudinis fingunt. Sed errat planè, quia non habet minorem repugnantiam quod fiat maior & celerior, quàm fortior, & repugnat celeritas maior sine maiori vehementia, quia maior conatus necessariò ponitur vt fiat celerior, sicque in diariis continentibus ad deliquium vena secatur, quia robustissima datur facultas.

Addit; *Et quandoque festinat in ea dilatatio, & tardatur constrictio.* Quæ verba sic intelligo, nempe quod in diaria exquisita detur crebritas in quiete interna, & in externa raritas, quia cùm vigeat incendium, & inde attrahendi aërem necessitas, detinetur minus in quiete interna, & sic dilatatio festinat; verùm quia vsus compressionis non mutatur, detinetur plus in externa quiete, vt fruatur magis aëre attracto, & inde constrictio tardatur. Et quantum ad hanc vltimam partem est doctrina Galeni 1. *de differentiis febrium, cap.* 1. dicentis: *Ac præterea pulsus ad magnitudinem, ac celeritatem effatu dignam accedentes, ita vt frequentia à proportione deficiat, secundum exteriorem quietem.* Est autem, & magis inseparabile, ac proprium, quod nullo modo ad celeritatem systoles tendit, & si aliquando contingat hoc, minimum, ac vix perceptibile existit: ex quibus duo deducitis contra ea quæ Neothericus scripsit. Primum sit, quod si in quiete externa detinetur arteria plus quàm per salutem, non potest esse maior illa detentio, nisi ob aëris attracti fruitionem, & est per consequens intenta per se à natura, & ob eundem finem, ob quem fuit celebrata dilatatio, quia finis constrictionis non potest minus vrgere per diarias febres, quàm per salutem, & inde secundum exteriorem quietem non deficeret à proportione frequentia naturalis: deficit verò iuxta mentem Galeni. Sic exponit hunc locum obscurum Vallesius dicendo, quod vt intelligatur, scire oportet, quietes pulsus non fieri, vt quidam putant per accidens causa motuum contrariorum, sed per se, & à facultate, ac propter eosdem vsus propter quos

A motus ipsi: ergo cum crescit vsus dilatationis, crescit etiam externa quies multum, nisi simul crescat vsus constrictionis. Et infert, proinde ergo per diarias febres crescit quamplurimum externa quies, quia trahendi aërem est magna necessitas, expurgandi fuligines minima. Et ratio à priori est, quia motus dilatationis potest esse tam celer, & tam breuiori tempore fieri, vt intra illud spatium refrigeratio idonea fieri nequeat, & per consequens detinebitur magis, vt aër tractus refrigerare possit. Nec obstat si dicas, quod si maiori refrigerio est opus, non detinebitur arteria, sed per maius spatium mouebitur, nam sic aër attractus vsque ad illud spatium detinebitur, & quod halitur de nouo, refrigerabit etiam. Sed contra est, quia potest non constare facultas ad maiorem dilatationem, aut esse in-
B strumentum inobediens, aut vtrumque esse simul, quod est euidens, tuncque quiescet necessariò pro refrigerio maiori.

Secundum, quod malè sustinent est, quod in exquisita diaria detur inæqualitas febrilis ob instrumenti vitium, eo quod copia fuliginum à calore febrili eleuetur, quod apertè Galeno contradicit *cap.* 7. *citato*, dicenti, quod pulsus contractio nullo modo celerior fiat, & si aliquando contingat, erit minimum, ac vix perceptibile: hoc autem fieri non potest cum tanta fuliginum copia instrumentata ita remorante, vt pulsus inæquales elicere cogat; & esset pulsus in externa quiete crebrior, quod Galenus, & Auicenna negant, & contrariam doctrinam adducunt.

C Addit author: Et pulsus redit quidem post eradicationem eius ad naturalem consuetudinem in illo corpore, & hoc est signum bonum: idest post eradicationem febris diariæ redditur pulsus naturalissimus, ita vt nullum vestigium repentinæ febris, aut reditutæ remaneat: quod signum celebre est ad agnoscendum, quod febris præterita fuerit exquisitè diaria, ac per consequens quod amplius non redeat; dependet hoc ex eo, quod nullus remanet focus in quo sensim humores putrescant, & accumulentur pro noua suscitandi accessione: quæ exquisita naturalitas in putridis repetitoris nunquam datur, etiamsi febris prima omnino cessauerit, quia vt postea docebo, semper in foco, aut parte transmittente febricitat æger partialiter: desumpsit Author ex Galeno 1. *ad Glauconem cap.* 2. di-
D cente: *Cum in nulla alia febre ad naturalem habitum reuertantur, neque si multum temporis inter primæ accessionis finem, & secundæ principium intercidat, quemadmodum in tertianis, atque quartanis; in illis enim febris remanet signum; in ephemeris autem in totum abolentur accessione cessante.*

Dicit rursus, quod quando pulsus, & vrina sunt bona, significant febrem ephemeram; bonum pulsum appellat habentem differentias solùm familiares vitui aucto, absque debilitate, aut inæqualitate, quia significat non esse aliud præter naturam, nisi calorem absque inflammatione aliqua, & virtutis languore; tamen si nec vrina sit bona, nec pulsus, non licet ob id putare quod non possit esse diaria: multoties (inquit) est
E in ea febre vrina incensa, & pulsus debilis, inæqualis, & paruus. Ratio est, quia aliquæ causæ procatarticæ interdum sunt tam vehementes, quod pulsum mutent ad inæqualitatem, & vrinam culpatam reddant; vt satietas nimia pulsus inæquales, & lotium crudum reddit: sic immoderatus labor cum inedia lotium vehementer incendit, diaria ex syncope cum pulsu forti esse non potest, nec ex immoderata euacuatione, aut tristitia. Non placet Iacobus in huius loci expositione; putat enim quod ipse calor diariæ potest vrinam omninò inflammare, vt insignis mutatio adducta à Principe in littera fiat, hoc enim impossibile est; alioqui non esset signum diariæ bonitas vrinæ, quando exquisita diaria est, quam etiam cognoscere docet

authos

author per defectum symptomatum molestiam insignem Inferentium; quia nec rigor, nec horror, neque vomitus humoris in initio dantor, calor suauis est, & sitis non molestat, nec anxietas affligit, & si aliquod leue symptoma detor, cessat cum ipsa febre: hæc omnia inquit Author ephemeram esse significant.

Ex desitionis modo eandem diariæ naturam Auicenna venatur dicendo: *Plurimum eradicationis eius fit per sudorem, & humorositatem similem sudori naturali humoroso, & non fit vehemens superfluitas in quantitate sua, imo approximatur sudori naturali in quantitate sua, sicut est proximus ei in quantitate sua: si autem videris sudorem plurimum, tunc febris non erit ephemera.* Hoc signum Galenus tradidit 1. *ad Glauconem, cap.* 2. & 1. *de differentiis febrium, cap.* 2. estque signum fallacissimum vt quotidie experimur, si attendatur solùm sudoris quantitas: nam & magnus esse solet in diariis, præsertim ex plethora incipientibus, aut ob cutis constipationem, & paruus sæpè datur in putridis, suauitas tamen, & tolerantia sudoris aliis signis diariæ adiunctæ, magni momenti sunt ad agnoscendum quod illa febris fuerit diaria: vapor enim aut fuligo putridi humoris molestat non dubiè multò plus, quàm vapor diariæ, & sic sudor ex spirituosa, & vaporosa substantia creatus, molestat minus, ita vt sudorem naturalem ab exercitio, aut alia causa suscitatum, in modo suaui & quiete æmuletur: & si diariam exquisitam finiat, non erit exsuperans, sed moderatus, quia causa illius febris in ipsa accessione nimiè resoluitur, estque tenuissima, ob quæ abundans sudor esse non potest, & inde si superfluat, putridæ febris non leue indicium est. Et hoc experimento quotidie probatur contra ac vulgus, & Medici triuiales censent; perfectam enim solutionem, & nullo modo redituram febrem præsagire solent, quod putent copioso illo sudore totam materiam resolui, eúmque religiosè custodiunt, cum contrarium euenire sit magis certum, vt hic notat Princeps, quod signum certius putabitur, si in ipsa accessione alia dentur febrem putredinis significantia, quod vulgus iam toties deceptum agnouit, & ex sudore copioso repetitionem præsagit; significat enim multitudinem causæ. Vnde censeo quod sudor ille non excitatur solùm ex materia accessionis sudore finitæ, sed ex aliis humiditatibus superfluis, quas simul cum materia accessionis declinantis iam expellit natura: & sic experimur quod quando febris cessatura omninò est, vltimæ accessiones absque sudore aliquo finiuntur, quia iam sunt consumptæ humiditates superfluæ, & sola accessio ad promouendum sudorem non sufficit. Aut dicendum est, quod quando accessiones sudore finiuntur, constant multa materia, & inde aliam venturam polliceri; si verò sudor deficiat, moderata iam, & pauca materia significatur, & quod morbus breui finietur: ergo sudoris materia in diariis, aut est spiritus putridus, aut vapor humiditatum à calore suscitatus, aut fuligo humida, si datur, sicca enim nunquam in aquam mutatur. Est enim falsum quod Stephanus Atheniensis putat, nempe quod spiritus nequeat esse idonea sudoris materia, sed solus vapor humoris: illud enim non probat, & ratio ab eo adducta inanis omnino est; nam si admittit capacem esse cutem, vt per illam vapores humorum in forma sudoris exeant, cur spiritus, cum sit materia tenuior, ad cutem expulsus, & in aquam ibi mutatus, exire extra non poterit.

Non tamen semper fit sudor quando diaria finitur, imò absque vlla humiditate sensibili terminantur sæpe, quod pendet ex nimia raritate cutis, & expulsione valida, ob quas expulsa materia circa cutem tempore idoneo, vt in aquam vertatur, non manet, aut iam extenuata est, quod concretionem pro sudore idoneam nequeat admittere; aut tam sicca, & exusta, quod humectari pro aqua, aut rore non possit. Sæpè verò non sudor, sed mador, aut vapor diariam finit, aut quia pauca est materia, aut nimis tenuis, aut minus circa cutem manet: ex iis enim sudor, aut vapor, aut ros circa cutem creantur, nam multa materia si sit apta vt concrescat sudorem, moderata rorem, moderatior vaporem creat; sic quæ minus circa cutem moratur, vaporem, quæ magis madorem, quæ plus adhuc sudorem generat: morari verò minus aut magis, ex crassitie, lentore, densitate cutis, & effeminata virtute, aut ex oppositis pendet.

Concludit Auicenna dicendo, quod febris erit diaria si æger balneetur, & non sentiat horripilationem, nam si illam sentiat, erit febris putredinis, nam in diariis non alteratur æger à sua dispositione, Id est non mutatur in peiorem, sed per balneum reddit in melius, quia vstum resoluitur, & totum attemperatur. Est hoc præceptum partim temerarium, partim incertum: temerarium, quia sub dubio perniciosum remedium tentatur, nam si sit putrida febris, tale erit incertum, quia non est necessarium quod laborans febre putrida statim horreat, & sic manere in balneo poterit cum summo incommodo. Ratio est euidens, quia non semper materia putrida mordax est, vt pituitosa, quinimo balneum ipsum strenuum remedium esse solet contra humores mordaces: nec est necessarium, quod à balneo moueantur vapores motu requisito ad horrorem, vt in lassitudine vlcerosa constat; nec iam in vsu est huiusce modi auxilium, & propterea omitto multa à Gentile, Iacobo, & Magistro meo pro huius textus explicatione adducta.

CAPVT VII.

De permutatione febris ephemeræ in febres alias.

DICIT primò Author; *Cum expedit vt patiens ephemeram cibetur, & medicus illum non cibat, permutatur febris in corporibus cholericis ad hecticam incendentem, & in corporibus carnosis ad synocham, quæ est absque putredine, & fortasse ad illam, quæ est cum putredine:* desumpsit ex Galeno *lib.* 5. *method. capite* 5. vbi contra diatritarios experimentis arguens, eos conuincere intendit, quod inedia sola sit occasio sufficiens, vt corpora calida; & sicca febricitent. In capitis initio sic loquitur: *Calidis, ac siccis naturis aduersissima res inedia est, ac febrium paratissima causa.* Et inferius: *Igitur inedia siccis, calidisque corporibus, valentibus quidem noxia est, iis verò qui in calida siccaque æstate febre laborant, quæ si ex vstione, aut labore immodico, aut vigiliis, aut comprehensis iam animi motibus sit contracta, non tantum noxia est, sed si quicquam aliud planè perniciosa; quippe vel in febres ardentes ex ea incidunt, à quibus nisi prius mors occupet in hecticas migrant, atque ab iis in marasmum, vel protinus ab initio ardentibus præteritis in hecticas.* Hæc Galenus.

Cur verò inedia tam perniciosa sit biliosis naturis, non est facilis solutionis, cùm solùm dicat priuationem alimenti; quid inquam faciat alimenti priuatio, vt corpus biliosum ab interno principio inflammetur, & febre corripiatur: ego verò quid sentiam paucis exponam. Est in primis certum, quod vapor, aut fuligo, aut exhalatio calidior, mordacior, & siccior est, vt talis fuerit materia, eleuatur, nihil enim genitum conditiones materiæ ex qua generatur omnino recusare potest, similisque variatio ob agentis variationem contingit:

ergo

ergo cum Galenus supponat biliosas naturas esse debere, quæ fame febricitant, necesse est excrementa fuliginosa, & ex parte materiæ, & ex parte agentis calidiora, sicciora, mordacioráque in talibus naturis dari, vt per se constat. Rursus est certum inedia siccari corpora, & quod exsiccata densentur; siccantur quia resoluitur humidum, & magis sanguineum per inediam, quatenus ob alimenti priuationem substantia resoluta non instauratur, resolutio verò fit à causis externis & internis præcipuè: internæ verò causæ actiuiores non dubiè sunt ob inediam, quia alimentum naturale cùm debeat esse remissioris caloris, remittit semper calorem viuentis; arescet ergo calor in inedia totum illud, quod ab alimentis repati tenebatur: inde fit quod excrementa fuliginosa, & quæcumque alia per inediam in corpore bilioso, sint tum calidiora, sicciora, mordaciora, quàm si alimentum sumeretur; tum etiam plura, & tandem quod intra corpus detineantur magis: sunt plura, quia calor maior, & intensior per inediam est, materia enim nunquam homini viuo deficit, à maiori verò calore quantitas maior excrementorum eleuatur. Vnde Galenus 10. *method. cap.* 4 scripsit, quod halitus aut succos augere sufficit ei abstinentia; quem locum Magister noster sinistrè exposuit, de mordacitate augmentum intelligens, cum clarè Galenus de copia loquatur. Fit igitur quod siccitas ex inedia proueniens corpora densei, sicque minus transpirent, & causetur febris, eò quòd maior copia excrementorum per inediam creatur, & intra detineantur ob densitatem: nec in hac febre excrementum fuliginosum putrescit, quia non est à quo calefieri possit, vt constat, nec spiritus corrumpi, aut putredinem concipere opus est, sed solus calor naturalis fuliginum ex materia calida, & ab agente calidiori productarum sufficit ad febris generationem. Sunt verò calidiores multò quàm sit materia ex qua generantur; in hoc enim omnes conuenire video; & inde, etsi bilis abundans febrem non generet, generatur, à fuliginibus ex materia biliosa excitatis, nam & quæ temperatissimo sanguine fiunt, corde calidiores ab omnibus censentur. Hæc probabilissima sunt, & minoribus, paucioribúsque difficultatibus quàm quæ alij dixerunt, inuoluta.

Ex dictis constat ratio, cur tam grauiter lædantur biliosi ab inedia, & cur tam facilè diaria in vstiuam, aut hecticam permutetur, nisi in cibo & potu talem permutationem præcaueamus: materia enim, ex qua eleuatur fuligo, attemperatur, & agens similiter, & cibus, & potus inter sanguinem biliosum interpositi obstant maximè intensæ productioni caloris in biliosa materia: densitas etiam impeditur à cibi & potus humectatione; & quia mordacitas hebetatur etiam, non horrent ægri, & sic etiam densitas ab horrore excitanda impeditur. Sunt itaque illustria commoda cibationis in biliosa natura, vt insigne periculum ex præceptione diatritaria, quod Galenus præcauens in ipsa accessione, & cibat, & frigidam dedit, 1. *method. cap.* 5. Verba sunt: *Quippe ager is exemplo omnibus est, quibus propter siccitatem à principio statim dari cibus debet, etiamsi febricitare iam incipiant*: quod sæpe *eodem cap.* repetit, & longissimè etiam *cap.* 2. *eiusdem libri* tradidit, & Hippocratis authoritate stabiliuit, & concludit *eo cap.* dicendo: *Si calor squallens, acérque est, cibi mitiorem, minúsque mordentem reddunt*: eodémque modo in febre ob immoderatam sitim excitata philosophandum est.

Addit Auicenna, quod *inedia in carnosis permutat diariam febrem ad synocham sine putredine, & fortasse permutatur ad illam, quæ est cum putredine.* Textus quidem difficilis, quia homines carnosi sunt sanguinei, & humidi; tales verò inediam tolerare possunt absque incommodo aliquo toto tempore durationis dia-

A tiæ exquisitæ, quia & robusti sunt, & sanguinei; tales verò longam inediam sustinent. Rursus in febres continentes cadunt solùm illi qui plethora opprimuntur, præcipuè incontinentes sine putredine: seruet enim sanguis, eò quòd plethoricè dispositio transpirationem remoratur, & impedit; quis verò dicat plethoricos diaria oppressos posse per inediam vnius diei incidere in febres continentes: quinimò satius esset, & rationabilius, euacuationem imperare, ne diaria liberam transpirationem non inueniens, sanguinem corrumpat, & feruore exagitet; fiatque continens sine, aut cum putredine; quam euacuationem, & periculum ob eius defectum supplet, & præcauet inedia, cùm sit vtilis & vniuersalis euacuatio. Sic Galenus 1. *aphor.*

B *comm.* 17. scripsit: *At si vires validæ fuerint cum plethorica dispositione, rarò, & pauca offeremus, nam etsi quod cibum debet concoquere robustum habeamus, quia tamen dispositio multis non indiget, rationabile est, vt rarò, & pauca offeramus.* Carnosum verò corpus plethoricum est, & robustum, si in continentes febres incidere potest; multam ergo inediam absque noxa tolerabit, imo nullum efficacius auxilium, vt obstemus, ne diaria in alias permutetur. Vrget hanc partem magis adhuc Galeni doctrina 1. *aphor. comm.* 7. Verba sunt: *In quibus verò morbi vigor statim futurus est, hoc est in primis quatuor diebus, in iis possumus victu vti extremè tenuissimo, cum vires tolerent, vel inediam meram, vel solius melicrati exhibitionem, vel paucum omnino ptisanæ.* Igitur si vires robustæ possunt per morbos peracutos, in

C quibus vires extremè dissoluuntur, ferre inediam quatuor dierum, poterunt securius vnius diei inediam sustinere, vbi morbus tam leuis est, vt est diaria exquisita, corpus carnosum, sanguineum, atque plethoricum afficiens. Notandum obiter, quod in quibusdam Leoniceni translationibus error manifestus inuenitur in expositione aphorismi 13. citati: scribitur enim: *At si vires validæ fuerint cum plethorica dispositione, rarò & multa offeremus*: est enim legendum *rarò, & pauca*, quod miror Musam non adnotasse.

Sed etsi hæc vera videantur, non obstant contra Auicennæ doctrinam; non enim absolutè loquitur, sed sub hypothesi, vt constat ex ipsa littera capitis, nam inquit, *cum expedit vt patiens ephemeram cibetur, &c.* Supposito verò quod expediat, supponitur iam

D corpus suo modo insanitum, & cum ratione caloris diatiæ incipiat exsiccari, poterit inflammari si non cibetur, nam corpus calidum ex se, & calori suo calor diariæ additus, non potest non pati exsiccationem, & angustiam, etiam ex famis sensu molesto, sicque inflammari de nouo. Iacobus dicit esse intelligendum Auicennam de fame immoderata, & longa inedia, quæ mihi non placent, quia tota difficultas est, quod videatur intra diem solutam debere esse iam febrem, & corpus plethoricum & humidum intra illud spatium non potest ob inediam pati permutationem illam, & indè non est cur inedia vltra diem imperari debeat; estque difficilius, quomodo debeat diaria incontinentem ex putredine sanguinis permutari ratione inediæ, cum semper inedia siccet, & sic qualitatem ad putredinem con-

E ducentem emendet, videturque refragari aphoristicæ sententiæ 59. *lib* 1. dicenti: *Corporibus carnes habentibus humidas famem adhibere conuenit; fames enim corpora siccat.*

Subdit Auicenna: *Et similiter quando necessarium est adiutorium in aperiendo poros, & rarefaciendo corpus, & non fit, inflammatur in humoribus retentis in corpore inflammatione eius quod calefacit cum fortitudine, & eius quod putrefit; diaria febris excitatur frequentissimè ob cutis constipationem, aut obstructionem pororum, & venarum, cuius ablationis sollicitus maximè medicus esse debet, cum implicet febris eradicatio manente transpiratione prohibita; si verò non eradicetur, periculum magnum est, ne*

humores

humores putrefiant, & in putridam diaria permutetur, aut in hecticam, aut calor vitalis suffocetur ob nimiam copiam excrementorum intus manentium. Quæ doctrina clarissima est, & ab omnibus concessa, dum teneatis quod Galenus notauit 1. *de differentiis febrium,* nempe quod ventilationis defectus febrem creat, quando corpus vitiosum est, aut biliosum; si verò temperatum sit, non febrem, sed plenitudinem causat cutis constipatio: quod testimonium difficillimum est, & qualiter sit intelligendum, *capite de febre continente* à nobis discutietur.

Ne tamen putetis omnes causas, aut occasiones, ob quas diaria in alias febres permutatur, traditas à Principe in littera esse, diminutè certè eas exposuit; nam vt cibi defectus in biliosis vituperatur, debebat etiam cibatio intempestiua in aliis naturis culpari: sic deobstruentia ante euacuationem totius imperata, obstructiones geminant, & in priores magis impingunt, vt 8. *method. cap.* 1. Galenus notauit. Eadem ratione si corpus plenum, cute tamen adstrictum laxare procures ante vniuersalem euacuationem, permutationis diariæ in alias febres potest esse origo, quod etsi necessarium non sit, est tamen possibile. Sic somnus in augmento, & vigore diariæ culpandus est, præsertim in corpore pleno, aut cacochymo; eodem modo diaria ex cibi cruditate in alias permutabitur, si vt vulgus medicorum facit, debilitatis prætextu astringatur statim ventriculus, aut æger cibetur, aut statim alimentum corruptum non euacuetur per vomitum, aut secessum: distributum enim ad vasa, quia incoctile est, obstruit, & putredinem causat. Si tamen antiqua sit cruditas, caue ne statim expurges, vt est in communi vsu; est enim succus adhærens, nec facilè editur, & quia trahitur ab aliis partibus, quod facilius est, impingitur in partes obstructas, & malum duplicatur: opus ergo est exquisita præparatione, serapiis incisoriis, detergentibusque, & vsu assiduo clysterum, & vnctione partim laxante, partim roborante pro ventriculo, pro reliquis verò partibus ab vmbilico inferius laxantia solùm imperabuntur. Quo facto dabitur medicamentum quod solam primam regionem euacuet, & ex toto non trahat; eidem periculo exponuntur, qui sitis leuioris molestiam non tolerant, & multum, & frigidum, atque intempestiuè bibunt, quo corpus densatur, & minus perspirabile redditur, sicque excrementa conclusa succos corrumpunt: idem animi passiones efficient, & aliæ innumeræ sunt occasiones, ob quas exquisita diaria febres aliorum generum sibi associare consueuit.

CAPVT VIII.

De signis permutationis ephemeræ ad alias febres.

PRIMVM signum permutationis, inquit Auicenna est, quod declinet absque sudore, aut humorositate, aut cum sudore absque mundificatione per sudorem, & est declinatio longa, difficilis, & absque mundificatione pulsus, imo remanet dolor capitis si fuerit, & hoc totum significat permutationem ad febrem putrefactionis humoris, aut hecticam.

Hæc doctrina est mirabilis, quia mirabilem medicum apud vulgus facit: est enim magni nominis, si diariæ solius signa, quando febris incipit, dentur, & quando alij medici, & vulgus solutionem perfectam intra diem sperant, & aliam febrem non esse venturam pollicentur, agnoscere tunc quod talis diaria in aliud genus febrium permutetur, aut sit permutata. Est ergo primum indicium permutationis, quod declinet absque sudore, aut madore, aut aliquo modo humectationis: hoc signum per se solum insufficiens est, si verè diximus in præcedente quæstione, quod sint multæ causæ ob quas diaria sine sudore, aut madore finiri omnino possit; ob quod Gentilis putat, quod signum non debet seorsim considerari, sed aliis adiungi, vt aliquod momentum habeat: sicut è contra, etiamsi sudore remittat, potest in alias febres mutari, si non omninò febris deficiat, aut sit declinatio longissima, aut dentur alia signa reliquis febribus debita, de quibus inferius Author agit. Ergo quia sudoris carentia significare potest, quod spiritus incensi non mittuntur ad cutem, in qua sudor generatur, & ex defectu transmissionis ad extra, quod maneant interius apertè colligitur, (quod indicabit febris perseuerantia, etiamsi remissa sit) & ex permanentia interius timendum meritò est, ne calor in aliis substantiis firmetur, inde suspectum est absque humiditate sensibili diariam declinare.

Sed dices; nihil videtur conformius doctrinæ Galeni, quàm quod diaria sudore terminari non debeat. Constat ex doctrina illius 2. *de caus. symptom. cap.* 5. dicentis, quod quando rigor à causa flatuosa excitatur, siue calida, siue frigida, nihil sensibile, vel vomitu, vel sudore, vel infra deiicitur. Et rationem reddens dicit, quia aërea sunt talia excrementa; constat verò quòd spiritus sint magis aërei, quia magis tenues & humidi; vnde si ob nimiam tenuitatem nequit flatuosa substantia in aquam concrescere, poterit minus spirituosa. Respondetur quod Galenus loquitur de vaporibus non putridis, nam putredo ad rigorem non requiritur. Vt verò febris adsit, debent spiritus putrefieri, & præter naturam humectari; accedit quod putredo humidas partes à mixto dissoluit, sicque magna ad sudorem insurgit occasio, & calor febrilis à sanguine etiam magnam copiam vaporum humidorum eleuat, qui sunt sudori idonea materia.

Hic applicandæ veniunt omnes aliæ causæ, contrariæ tamen omnino, quibus diaria sine sudore terminari posse dicebamus, nam debilis virtus non expellens vapores accensos ad extra, occasio permutationis, & non leuis esse potest: sic cutis densata, & excrementa transpiranda non admittens, sudorem impediet, & permutationem iuuabit; metuenda etiam permutatio in cacochymia, in plethoricis; hi enim pessimè ventilantur, illi verò facillimè corruptionem succorum admittunt: sic etiam dispositi ad hecticam, etsi vt decet cibentur, sub eodem periculo sunt, eodémque modo corpora densa ex propria natura periclitari possunt, quia malè transpirant, vt humida nimis, quia etsi transpirent, putrescunt tamen facillimè. Hæc omnia, & si quæ sunt alia, contemplari debent, vt si tempus diariæ intra quod eradicari solet, iam transierit, duret tamen febris, etsi sit inclinata, vt in littera author doctè notauit; quod præcipuè verum est, si diaria præcedens sit talis naturâ & constitutione, in qua declinatio longa, & difficilis, suspectissima est; si verò ephemera exquisita non sit, mirum non est si vltra diem duret. Sic accidentia remanentia post febrem, repentinæ timorem incutiunt, vt exemplo doloris capitis author notauit; significat enim causam interius latentem, quæ etsi ad febrem satis non sit, est tamen pro dolore sufficiens effumatio. Idem sitis ostendit, inappetentia, vigilia præter naturam, & inquietudo, & certius si non sit mundificatio pulsus, vt loquitur author, id est si cessante diaria inæqualitas pulsus adhuc duret, quæ sine causa interna putredinem iam machinante dari non potest, ea nempe quæ inter vnam & aliam accessionem, quando febris intermittit, inseparabilis est, ob calorem, & effumationem in fœco existentia tempore

tempore intermissionis, quæ omnia *cap. de signis febrium putridarum* discutienda sunt.

Tradit deinde author signa demonstrantia naturam cuiuscumque febris in communi, in quam diaria permutata est, quæ nimirum hecticam, aut putridam, aut continentem sine putredine ostendunt, quæ clarissima sunt, & propriis capitibus explicanda. Addit tamen vnum *in fine cap.* notandum, dicendo; *In vrina autem fortasse remanet digestio ex substantia, & in pluribus non apparet in ea digestio.* Quæ verba de vrina febris putridæ, in quam diaria fuit permutata, intelligenda sunt; & Iacobus dicit, quod vrina est talis quantum ad modum substantiæ, quia potest non esse peruersus, eo quòd non datur obstructio impediens descensum feri, & humoris biliosi, à quorum permistione mediocris modus substantiæ, & naturalissimus in vrina acquiritur. Quæ explicatio admittenda non est, cùm sit omninò absurdum, quod vrinæ tenuitas in putridis febribus pendeat ex obstructione viatum, per quas vrina deriuatur; id enim insomnium est, neque Galenus talem causam adduxit, quin potius putredo ipsa perfectionem, & ceastatem coctione adeptam destruit, mistionémque dissoluit, & sic vrina vitiatur, crudáque, & tenuis apparet per principia febrium putridarum. Gentilis varias expositiones adduxit parui etiam momenti. Hugo affirmat esse possibile quando incipit diaria in putridam permutari, & exigua putredo introducitur in humores, quæ ob remissionem vrinam non peruertit; & poterat confirmare ex vrinis declinationum vniuersalium; apparent enim optimæ, quia putredo remissa est, & vrinam non peruertit, nec mutat sensibiliter; idémque Herculanus insinuat, quod mihi videtur probabile. Potest etiam intelligi Author noster de eo quod contingit in febribus putridis, in quibus experimur vrinas perfectè coctas per omnia tempora earum, etsi rarò hoc eueniat, quod signa putridarum explicando diluetur.

CAPVT IX.

De curatione febris ephemeræ secundum modum vniuersalem.

PRIMA propositio est, in omnibus speciebus ephemeræ conueniunt alimenta boni nutrimenti, & quæ velociter commutentur. Rationem reddit, quoniam febriens æger est, & æger est læsus, idest æger est debilis, & cùm coctrix facultas non constet vt per bonam valetudinem, indicatur alimentum facilis commutationis. Quod præceptum assertionem nostram de læsione coctricis per febres confirmat, præsertim cum in nulla febre minus quam in diariis exquisitis patiatur natura, in quibus Auicenna alimentum facilis commutationis commendat. Hæc doctrina intelligenda est, supposita alimenti necessitate vt antea docuimus; nam si exquisita sit diaria, & virtus constet, non erit semper necessarium cibare ægrum in febre, sed sæpè omnimodam inediam imperare licebit, quia constante virtute nullum commodum ex cibatione lucrabimur, cùm sit certum, quod corpus cibatum reddatur minus perspirabile, & per consequens periculum sit permutationis in putridam febrem, quam semper machinari certissimum est. Ob quod Gentilis expositio mihi non probatur; dicit enim quod morbi breues cum accidentium difficultate, seu grauitate, in quibus ad causam attendimus, cibationem prohibent; sed si morbus sit breuis, & facilis, quia in eo non intendimus ad materiam, non prohibet cibum, sed non in quocumque tempore, sed in declinatione, nisi nimis duraret, aut

A propter alias causas: sed reuera quandiu æger febricitat, si virtus constet, cibandus non est ob dictum periculum; quod non videns Magister meus *lib. de febribus, fol. 325.* sententiam Gentilis sequitur *in solutione ad primum argumentum*; & postquam febris euanuit consilium Auicennæ sequendum est, nimirum quod alimentum sit optimi succi ne corrumpatur, & rursus facilis commutationis, quia non potest non remanere æger aliquantò debilis, & sic alimenta cocti omnis difficilis commutare bene non poterit: quo præcepto imperatur etiam, ne detur alimentum nisi moderatissimum, quia multum etiamsi sit coctionis facilis ex se, erit difficilis ob copiam: de quo argumento latissimè, & doctè Galenus 8. *method. cap. 3.* egit, ex **B** quo adductam doctrinam Princeps noster transtulit. Verba Galeni sunt: *Omnium igitur communis victus species est, quæ & boni sit succi, & concoctu facilis, & quæ nusquam exiguis cutis meatibus inhæreat.* Nec obstat quod Galenus 10. *method. capite 3.* alicam cui grana mali punici iniecta erant, ægro cui medebatur præbuit; quod alimentum coctionis difficilis est, & ex parte alicæ, & ex parte granorum, si integra deuoranda erant. Magister Capibaccum reprehendens, quia putauit febrem opprimentem illum ægrotum diariam fuisse, cum reuera esset putrida, insolutam difficultatem reliquit, cùm habeat in putridis vim maiorem argumentum propositum, cùm debilior non dubiè facultas reddatur in putridis, præsertim in casu à Galeno adducto; erat enim iuuenis biliosus, & præter **C** modum siccus, paratissimúsque proinde vt hectica, aut marasmo corriperetur, & nihilominus alimentum dictum Galenus imperauit; & meritò, quoniam biliosus erat, & siccus, calórque per consequens mordacissimus, & satiractiuus, quia ocyssimè corpus colliquans marcorem citò introducturus erat, & inde alimentum corruptioni resistens, & quod interpositum inter acrem fuliginosum calorem, & carnes, obstaret marcori, aut hecticæ introducendæ: æstuabat etiam ventriculus, & erodebatur ab excrementis retorridis, ob quod emplastico simul, & astringente alimento erat opus, vt acrimonia demulceretur, & contactus excrementorum mordacium impediretur. Galenus enim *eo cap.* rationem talis alimenti reddens scripsit: Est namque is optimus cibus bilioso stoma- **D** cho; nam & roborat hunc malum punicum, & alica, cum diutissimè in ventriculo citra corruptionem maneat, sensim concoquitur, nec acescens, nec innatans; quæ vitia sorbitionibus aliquando accidere solent. Ob quod Auicenna in *hoc cap.* in cibi maiori copia deliciari permittit, si ob laborem, angustiam, aut famem febris successit; tum etiam in corporibus plurimam choleram habentibus, quæ si quando febrire incipiunt, horripilent, etiam in principio accessionis cibandi sunt: è contra verò, inquit author, si ob cutis soliditatem, aut oppilationem, aut apostema febricitent; non est permittenda in cibis delicia, quia talia corpora non resoluuntur nisi parum, & apostemate oppressus, si cibetur, suffocatur, aut redditur in- **E** flammatio incurabilis, quia nimis augetur, & si non detur vrgentia ob quam cibatio excusari non possit in primis temporibus, melius (inquit) est, vt vsque ad declinationem cibatio postponatur; ego verò dico vsque ad absolutionē perfectam, si virtus cōstet, vt nuper probaui.

De potu loquens hæc scribit: *Et aqua quidem frigida oportet, vt non prohibeatur in principio rei, quoniam virtus est fortis, & non timetur debilitas eius, & est melior cura infrigidando; verùm si fuerit illic debilitas in visceribus, & febris iam extenditur, aut fuerit vehemens, tunc melius est, vt de ea non multum sumatur.*

Si de omnibus ephemeris hic textus intelligeretur, perniciosus potius, quàm verus potandus est, cùm nihil perniciosius in diariis ex obstructione, cutis

densitate, satietate, plenitudine, & aliis multis causis quàm frigidæ largas potus. Verùm si de exquisitis solùm intelligatur, dubium est si statim in febris initio frigida dari debeat, vt author docet. Iacobus enim sic putat; Gentilis occasionem tacuit, Massarias totum textum silentio inuoluit vt noster Magister & Costeus; Herculanus sine distinctione Principem exponens æquali pernicie, & periculo vt Princeps scripsit, nullum enim verbum mutauit. Videtur autem esse rationi consonum, vt in exquisitis diariis statim ab initio potio frigida detur, nam si in putridis cocta iam causa similis potio conceditur ad extinguendum calorem, potiori iure in diariis imperanda est, quando in his nulla indicatio à causa desumitur, sed eisdem remediis, & causæ, & morbo occurrimus. Et cùm morbus sit simplex distemperies calida, & hæc in quolibet tempore possit auferri, in quolibet potio frigida imperari potest, quia indicata est à morbo febrili. Et confirmatur, quia si à calore diariæ permutatio in putridam aut hecticam timetur, nulla maior præcautio, quàm breuis corruptio illius caloris, à quo talis permutatio intenditur, & per consequens statim frigida potio dabitur: & constat, quia in diariis exquisitis nullum incommodum, quod in putridis timetur, inueniri, aut superuenire potest, quia nec datur obstructio, quæ incrudari possit, nec prohibita ventilatio impedienda, aut augenda, nec cruditas in causa, quæ augeri per frigidam possit; licebit igitur statim febrem extinguere, cum debeat Medicus citò, tutò, & iucundè mederi; & hæc tria frigido potu lucremur.

Verùm hæc praxis periculosa nobis videtur, tot quidem conditiones securitas eius requirit, vt videatur rationabilius ab ea potione statim supersedere, etsi negari non possit, quod interdum statim exhibita magnam præstet opem, vt in squallida natura ob immoderatum laborem febre diaria oppressa, aut quando ob assumptum erodens venenum, aut aliud medicamentum calidum, diaria insurgit, aut natura ægri hecticæ paratissima est. Censeo itaque, quod vt securè imperari possit, debeat esse exquisita cognitio, quod & febris sit diaria sola absque vlla obstructione, aut plenitudine, & casibus à me nuper propositis, & quod corpus humidum nimis non sit, præcesseritque causa calefaciens, & siccans, nec sit viscus aliquod cui potio illa noxia esse possit: certum enim est, quod frigidæ potio ventilationem & transpirationem remoratur & impedit, quo nihil perniciosius in febribus omnibus; semel enim prohibita transpiratione, quævis permutatio febris præsentis in alias meritò timebitur, & sperabitur, præsertim si non ex solis spiritibus putridis, aut vstis, sed ex vaporibus, & fuliginibus succensis diaria febris fuerit excitata. Si enim calor prædictarum causarum à frigidæ potione non extinguatur, reaccenditur rursus velut in lignis viridibus, & diutius fatigat; corpora enim illa frigore aquæ densata, & humectata etiam, vt lignum viride reaccenduntur, ob quod censeo securius esse à tali potu abstinere, nisi corpus siccum, & squallidum sit, aut ad hecticam paratissimum. Et videtur etiam suaderi posse placitum nostrum Galeni authoritate ex 18. *method. lib. 3. de cris.* vbi docuit, in principio, & augmento febrium esse corpus densatum ex propria natura temporum, in declinatione verò laxari vt finiatur accessio: quod indicat etiam in diaria per sudorem, aut madorem terminatio tam frequens. Constat verò quod si hoc in diariis potest esse verum, non poterit esse securus frigidus potus, quia densitatem auget, & redderetur corpus minus transpirabile, & inde vt febris in alias permutetur paratissimum: ergo in solis diariis ab vstione caloris corpora squallida reddente, aut si ex distemperie antea existente, talia sint reddita, potio frigida danda est, vt hecticæ, aut causoni obstemus; in aliis verò securius censeo vsque ad declinationem potum recusare, in illa enim corpus laxatur, & ad madorem, aut sudorem disponitur, & per consequens ad terminationem diariis debitam præparatur.

Est tamen difficilis limitatio Auicennæ dicentis; *Verùm si fuerit debilitas in visceribus, & febris iam extenditur, aut fuerit vehemens, tunc melius est, vt de ea non multum sumatur.* De virtute debili ratio patet: alia duo videntur difficilia, præsertim vltimum; nam intensio diariæ, seu vehementia, vigentius talem potionem indicat, & quia incendium est maius, & quia permutatio in alias febres, & virtutis destructio timetur plus. Respondet Iacobus, quod quando diaria extenditur, idest vltra diem durat, timeri debet permutatio in putridam, cui potio frigida corpus densando vt nuper docui, auxiliatur: quæ explicatio adæquata non est, nam si in hecticam permutetur, extendetur etiam, in quo euentu potio frigida necessarissima est, nam in hecticæ initio illam Galenus propinat *lib. de marcore*: distinctione ergo est opus; si verò febris fuerit vehemens, signum (inquit Iacobus) est, quod datur obstructio, transpirationem & resolutionem impediens, ob quod febris intenditur, & illa dispositio aquæ potu augetur, nec minus immoderata intensio permutationem in putridam innuit, & sic non licet frigidam propinare: quæ verissima sunt, & tradidit etiam Herculanus. Et quamuis Auicenna non omninò potum in dictis casibus prohibeat, cùm dicat quod non multum sumatur, securius est à potu abstinere, donec cibandi occasio accedat; cum cibo enim securior est potio, quia minus viscera infrigidat, & minus corpus densat, aut obstruit, quia in alimentis imbibitur, & hæc immediatum contactum visceris impediunt. De balneo multa docet, doctè satis, & à Gentile optimè exposita, & quia vsus eius temporibus nostris prætermissus est, authores ipsi consulantur.

Tandem dicit, quod in omni ephemera ex opilatione intrinseca, aut extrinseca, fricatio corporis aperit poros, & si fricationi occurrat humiditas multa, eam resoluit; si verò sit pauca, humiditas etiam siccat, & quod coaction non indiget aliquis eorum, nisi habens opilationem repletionalem, & habens nauseatiuam satietatem, & qui habet febrem ephemeram ex cuius soliditate, corpus eius est repletum.

Quod fricatio poros recludat non eget Magistro, calefacit enim, & si cum oleo laxante celebretur, certiorem præbet effectum; verùm ex dictis non leue dubium insurgit, nam quæ calore rarefiunt, & humore laxantur, maiorem quàm antea locum occupant, vt minorem densata; si verò maior locus occupatur ab eodem corpore, replet quod antea erat vacuum, aut impellit corpora intra poros contenta, & pori minores necessariò redduntur. Quis enim dicet quod aqua dum feruet, & ob raritatem extra vas effunditur, poros nouos acquirat, aut præexistentes, si illos habebat, reddat maiores? cùm potius vna pars aquæ per raritatem ad aliam partem accedens, eam impellat, & locum mutare cogat: non ergo rarefactio poros creat de nouo, aut creatos reddit maiores, quomodo ergo fricatio, & laxatio cum oleis, si cutem rarefaciunt, ventilationi maiori possunt conferre, cum pori potius occludantur? Quod exemplo externo suadetur, cribrum enim si madefacias, quia laxatur, & rarefit, foramina eius aut obcæcantur, aut redduntur minora, idem ergo eueniet in nobis: Respondetur, quod quando pori formati non sunt, ita vt consistentiam determinatam partes constituentes poros obtineant, sed partes ponei-sunt naturaliter; tunc laxatio, & rarefactio, seu emollitio corporis confert maximè vt expellantur excrementa, quia ipsa impulsa partes separant facillimè, & sic extra mittuntur: ita verò in corpore accidit, sicque impelluntur facilè corpora obstruentia, aut interius detenta, quia partes laxatæ, vt dixi, facilè

A facilè corporum impulsui cedunt. Ex qua doctrina soritur dubium non leue, nempe quod quando cutis infrigidatur, aut astringitur, non occluduntur pori, sed potius maiores fiant. Patet, quia si sunt foramina aperta, & consistentia, vt sunt cribrorum foramina, frigus aut qualitas astringens debet recipi in partibus cutis poros constituentibus; ergo tales partes vniuntur magis localiter, quia densantur; sed si vniuntur magis in se, non potest non fieri quod distent magis quàm antea ab ipsa inanitate pororum, ergo hi redduntur maiores: quod in ipso cribro explicatur facilè, nam si eorū partes constituentes latera foraminum magis in se coëant, foramina non dubiè maiora redduntur: idem ergo continget in corpore. Respondeo primò, quod si in omnibus partibus æqualiter frigus produceretur, & foramina sint firma, B & stabilia, non est dubium quod pori redderentur maiores, aut maiora foramina: verùm quando frigiditas æqualis non est, partes densatæ trahunt alias, & sic positio pro formatione pororum requisita destruitur, & occluditur corpus, & hoc contingit in nobis, si pori formati, & consistentes sint: at quia putamus corpus nostrum non sic se habere, sed minutissimas, & insensibiles esse porositates, quando densatur cutis, occluditur, quia ob nimiam propinquitatem partium lateralium, peruertitur situs idoneus pro pororum formatione. Et si sustineatur, quod ob partium mollitiem pori aperti non sint, etsi dentur reuera, constat clarè qua ratione infrigidatæ partes densentur, & transpirationem impediant; redduntur enim firmiores, & minus impulsui cedentes ob densitatem, & C concretionem, & per consequens emollitæ per olea, & rarefactæ, liquatæque etiam à calore frictionis, impellentibus corporibus cedunt, & sic corpus transpirat.

Dicebat tandem Author, quod laborantes diaria, non egent euacuatione, nisi habens oppilationem repletionalem, & habens nauseatiuam satietatem, & qui habet febrem ex soliditate cuius corpus est repletum. Primus casus perspicuus est, cùm tanta supponatur plenitudo, vt corpus totum obstruatur, in quo casu continens diaria excitari solet; ob copiam enim excrementorum calidorum sanguis feruet, quia cùm tanta sit copia fuliginum, & ob plenitudinem aër non attrahatur, feruet sanguis, & continens diaria excitatur in putridam facillimè D mutanda, nisi sectione venæ statim plethora tollatur. Cùm enim hæc à calore superueniente rarefiat, intolerabilem, & extremè periculosam plenitudinem causat, à qua aut inopinata mors ob suffocationem, aut alicuius magni vasis dilaceratio ob nimiam distensionem eueniet; estque magni Medici prædictam dispositionem statim agnoscere, & sanguine plurimo effuso, prædicta mala, aut periculosum decubitum in partem principem præcauere. Secundus euacuatione indigens ponitur febricitans ob satietatem nauseatiuam; est verò expurgatione leniente, aut vomitu copioso celebranda euacuatio; nam sectio venæ pernities foret: deinde clysteribus, & detergentibus incisiuis, ac concoquentibus intus assumptis, & E roborato ventriculo absoluetur medela. Duorum enim solicitus debet esse Medicus; & quod alimentum corruptum, & effumans reiiciatur vel sinè sursum, aut deorsum; & quod ad vasa nihil eius, si fieri possit distribuatur. Si vero aliquis ob corporis sui soliditatem febricitet, ideo laborat, quia repletur, non enim corpora solida inaniuntur, nec nisi leniter transpirant, sicque & sanguine facilè replentur, & febricitant eodem modo quo plethorici, de quibus nuper egimus: ij verò sectione venæ euacuari statim debent ob eadem inconuenientia in primis adducta, & hi periculosius non dubiè febricitant, quia oppleti vt primi sunt, & ex alia parte minus transpirant: dispositio quidem periculosissima, vt constat, quia extremè replentur, &

A minus difflantur, ob quam causam difficillimè etiam conualescunt si putrida febre opprimantur, vt *lib. de alimento* Hippocrates docuit; sic enim *comm. 1. sext. 3.* scripsit: *Qui probè perspirant, imbecilliores, & saniores, & facilè conualescunt, qui malè perspirant, prius quam ægrotent robustiores sunt, cum verò in morbum inciderunt, difficilius sanescunt, hæc autem & toti, & parti.* In qua doctrina accuratè notabitis, quod corporis libera transpiratio plus valeat ad absoluendos morbos cum debili virtute, quàm virtus firma cum corporis densitate, eò quod hæc omnium excrementorum, sed præsertim eorum, quæ per occultam transpirationem reddenda sunt, expulsionem remoretur: plus verò euacuantur à corpore benè perspirabili cum virtute debili, quam à denso cum virtute valida, si Hippo- B crati credendum est, & Galeno ipsum exponenti.

In reliquis capitibus singulas diarias, causas, & medelam Princeps scripsit, quarum tractatio prolixa nimis, & tædiosa foret; traduntur verò ab eodem Authore, & eius expositoribus doctissimè; ob quod decreui ad febres grauiores, magisque frequentes sermonem nostrum conuertere.

FEN. I. LIB. IV. TRACT. II.

CAPVT I.

C

Sermo vniuersalis de febribus putridis, & de causis earum.

IN capite 1. innumera inculcat Princeps, quæ si ad amussim forent explicanda, integer annus non sufficeret: tradit enim innumeras occasiones putredinis intra corpus, & extra, & qua ratione ex prohibita ventilatione putredo subsequatur: & docet quod interdum putredo est communis vniuerso corpori, interdum vnicæ solum particulæ, ob debilitatem suam, aut propter vehementiam suæ calliditatis extraneæ, aut acuitatis, D aut doloris. Per acuitatem caloris prout differt à nimis intenso, intelligit Gentilis calorem acutum, non tamen explicuit quid sit. Herculanus dixit, quod calor acutus est, qui siccitati adiungitur, nam vt calor intensus trahit, sic remissus siccitati copulatur; siccum enim trahit ad se validissimè seorsim consistens, nedum quando calore iuuatur, sicque attrahendo membrum acuto calore humiditates corporis implentur, & ibi non ventilatæ putrefiunt, seu vruntur; quod verissimum censeo. Dicit etiam ille author, quod verbis Auicennæ intelligere possumus non calorem acutum, vt Gentilis putauit, sed acuitatem sensus in parte; nam hæc facit, si nimia est, quod à quavis causa patiatur facilè. Quæ doctrina bifariam intelligi potest: Primò E quod sensus acuties sit signum temperei aptæ ad recipiendum, aut patiendum. Secundò quod sensus acutus sit occasio vt pars impleatur facillimè, & patiatur, quia à causa leuissima dolet, & molestatur, & cùm dolor sit author fluxionum, est etiam sensus acutus earum validissima occasio, & iis duobus modis satis commodè exponitur; nam sensus tactus acuties calorem, siccitatem, & partium tenuem compagem arguit, ob quæ spiritu, & calore vitali impletur tota, manetque pars ipsa purissima, & defæcata: quæ enim ad sentiendum acutè conducant, & ex alia parte pars defæcata ob id tangibilis, ingressioni, & eius immediatum contactum perfectissimè admittat, constat planè quod per sensum acutum duplex occasio dolendi facilè arguatur; &

temperies idonea ad recipiendum, & dolor intensior à leuissimis causis, quia & ex parte sensus, & exquisitæ applicationis obiecti molestantis, acutissimè sentit.

Nec inde inferas, quod si calidum, & humidum temperamentum sit ad recipiendum commodius, erit calidum & siccum minus paratum, nam etsi illud tibi debemus, deficient reliquæ conditiones ad sentiendum perfectius, nec siccitas pro perfectiori sensu requisita est, quæ potest densare, quin potius partem transpirabilem satis reddit, quia extenuat adiuncta calori, & nullum excrementum ibi morari permittit, humida verò pars excrementis semper impletur, ex ipsius nutritione oriundis, & quatenus impleta est, ad recipiendum aliunde incapax redditur: quæ verò vacua est ob inanitatem facile quicquam admittit. Est verò intelligenda præsens doctrina de tenuitate ipsius substantiæ per nutritionem acquisitæ, quæ elementis tenuibus correspondeat, non verò de tenuitate quæ calore, & humiditate agitur; & indè intelligetis qua ratione cerebri tenuitas optimum pariat ingenium, vt Galenus *in arte medicinali, capite duodecimo* tradit, non quidem quia tenuitas ad actiones concurrat, vt multi falsò putant, sed quia nascitur ex partibus igneis, & aëreis, quæ defæcatissimæ & purissimæ sunt, & influxus spirituum, & lucis capacissimæ, quia magis diaphanæ, ipsóque spiritu copiosu cerebrum imbuunt, sicque perfectissimè circa quæque discurrit. Quod verò dicit Auicenna de loco putredinis, nimirum quod interdum sit communis corpori & aliquando sit in membro particulari, intelligendum est ita, quod si sit communis, distribuatur per totum corpus humor accessionis, vt in accessionibus febrium contingit; at in loco particulari esse dicitur, quando pars inflammata, aut cauitas venæ determinatæ humorem putridum imbibit, & ibi inculcatus putrescit, nec per totum distribuitur, sed continui alteratione febrem producit: nam si fuligo ex loco inflammato, aut vena particulari per totum distribuatur, iam erit putredo comunis, notátque discrimen inter fuligines à quolibet humore putrescente eleuatas; nam si sit biliosus, eleuatur vapor fumosus, subtilis valde, aut si sit sanguis, eleuatur vapor subtilis, adde humidus, & aëreus: si sit pituita, eleuatur vapor ipsius, adde & lentus: si sit melancholia, eleuatur vapor fumosus pulueruIentus, ob terream eius naturam, quam vt atramentum accendi Galenus docet.

Deinde dicit, quod putredo choleræ facit tertianam, & sanguinis facit continuam, & melancholiæ facit quartanam, & quæ currunt cursu eius: & putredo plegmatis facit quotidianam, & quæ currunt cursu eius, de quo singularis, & ardua quæstio suo loco tradetur.

Explicat deinde locorum diuersitatem, in quibus humores febrium authores putrefieri solent. Sanguis (inquit) intra venas putrescit, alij tres humores quandoque extra, quandoque intra; & quando extra putrescunt, efficiunt periodos iam relatas, & eradicantur febres, id est intermittunt, quamvis in quotidiana non sit perfectissima eradicatio, seu intermissio, quia semper in eius intermissione adsunt occultæ reliquiæ, hoc est, intermissio non est tam pura vt in reliquis, sed celeritas, crebritas, & inæqualitas pulsus magis quàm in reliquis percipiuntur, quia humor pituitosus ob crassitiem, & lentorem minùs exhalat, & corporatura cor, & arterias opprimit, inde fuligo quæ ex foco assiduè suscitatur, etiam intermissionis tempore, plus quàm reliquarum febrium fuligines instromenta vitiat, & hæc maior læsio videtur occolta reliquia febris: vt interdum medici hæsitent, si febris verè, vel non intermiserit.

Addit vnum ex parte loci notandum dicendo; *Et quando putredo est intrinseca, dominans super venas omnes, aut super plurimum eius quod sequitur cor ex eis, non sunt forsitan additiones, & diminutiones apparentes. At in locis oppositis, si putrescant humores, alterationes manifestæ apparent.* Quasi diceret, si humores putredinem concipiunt in omnibus venis corporis, aut in loco cordi tam proximo, vt ex eo fiat assidua, & continens vaporum, & fuliginum ad cor transmissio, resultant febres, in quibus fortasse non dantur diminutiones, aut additiones sensibiles, id est fiunt febres continentes accessionibus, & periodicatione carentibus, quia in vnica tantum accessione constituto tota febris absoluitur. Quod vt intelligatis, annotate, quod bifariam contingit humores iuxta cor putrefieri; vno modo quia aliunde in ipsum mittantur, & hac ratione febres perniciosæ, & periculosissimæ emanant, & tales suas habent additiones, & diminutiones distinctissimas, vt habent illas reliquæ febres repetentes: qua ratione experimur dari non rarò tertianas, & quotidianas exitium sudoribus syncopalibus machinantes, & iam semel vidi quartanam eo modo perniciosissimam, cuius medela Magistro meo Petro Garsia erat commissa, quæ assiduè affligebat, & iam debilis in diebus duobus remissionis æger relinquebatur à malignitate accessionis ob principatum partis affectæ, quod nullo magno auxilio locum concedens exitium attulit.

Alio modo humores intra cor, aut intra vasa cordi propinqua putrescunt, non quidem aliunde transmissi, sed in dictis locis vitium concipientes, taliter quod putredo vnius portionis serpat in alias per continui alterationem, & assiduam communicationem contagij; & hoc modo febres absque periodis suscitantur, quæ continentes dicuntur, & de hac sorte putredinis loquitur Author noster. Si verò concipias possibile, quod totum, aut pars aliqua possit in cor, aut iuxta illud excrementa continuè, & æqualiter transmittere, ita vt statim in corde, aut loco ei proximo humor expulsus putredinem concipiat, excitabitur non dubiè similis febrium continentium sors, quam chimæricam potius quàm probabilem iudico, cùm iam promptæ corruptionis in humore causam non inueniam probabilem, de quo latius febrium continentium naturam exponendo dicemus. Eodémque modo si humores intra vasa maiora putrescant, febris continens excitatur; nam vasa, focus aliarum esse non possunt, & inde si intra illa putredo concipiatur, febris continens fit sine exacerbationibus, aut periodis distinctis, serpente (vt dixi) putredine per continui alterationem: quia verò vt continens febris dicatur, non sufficit quod accessionibus careat, sed requiritur etiam, quod sit magna, & grauis, ideo requiritur quod aut intra cor, aut iuxta illud, aut intra vasa maiora totius humores putrescant; distantia enim passi quantitatem maiorem agentis, vt grandis effectus resultet, requirit: est autem cor in febribus locus affectus, quapropter vt continuata sint, aut cor pati debet, aut pars cordi propinqua; aut si distet, multa, & eximiæ magnitudinis vasa debet habere, vt de vtero Galenus notauit 6. *epid. sectione prima*, cuius inflammatio continentes febres creare docuit, quod testimonium difficile, proprio textu à nobis exponetur.

Deinde tradit author causas repetentiæ in febribus, & cur quædam intermittant, aliæ verò continuè molestent; addit tamen vnum notandum dicendo: *Et ista quidem febres, quibus sunt proximi eradicationis, & temporis, quandoque dimittunt ordinem suum propter diuersitatem materiarum in multitudine, & paucitate, & grossitudine, & tenuitate, & propter diuersitatem in genere in eis, ita vt permutentur materiæ, & fiant de genere alterius materiæ, quæ diuersificatur eis in specie, non in multitudine, & paucitate, & tenuitate, & crassitie, & quandoque fit ex malitia regiminis ægri, aut propter debilitatem eius, aut propter multitudinem sensus eius.*

Est celebris hic textus ob multa. Sit primum, quod circuitus diuersus potest fieri ab eodem humore ob variationem in multitudine eius, aut in paucitate, aut propter crassitiem nimiam, aut immoderatam tenuitatem, vt si humor biliosus in tanta quantitate facit tertianam simplicem per tertios solùm repetens, in duplo maior collectus repetet quotidie: similiter in minori quantitate, quàm pro tertiana requiritur, collecta tamen intra diem tertium, non faciet tertianam; & si in quarto die accumuletur quantitas illa, quæ ad tertianæ repetentiam requirebatur, repetet bilis per quartos dies, sic humor minùs crassus tardabit periodum sibi debitam, & tardius repetet; tum quia difficilius ad focum mouetur ob crassitiem, tum quia agenti putrefacturo resistit plus ob crassitiem, cui causæ etiam lentor nimius addendus est, ob quem tardissimè etiam moueri solet, & magnam vim expellentem ad focum requirit. E contra verò, si præter modum sit tenuis, euenit, acceleratur enim periodus, quia ob tenuitatem putrefactioni resistit minus, & in focum velut præcipitatur, siue expulsus, siue attractus; qua ratione quotidie experimur ab eadem causa non semel, sed bis, & ter eadem die plures accessiones fieri, in quibus distincta tempora particularia obseruamus; & causis accelerationis periodi addenda est alia à nostro Principe obliuioni tradita, vis nimirum magna in agente ad putrefaciendum, & passiua dispositio in humore, vt contagium illi communicetur; vis magna dependet à calore actiuissimo, à copia, & densitate agentis, promptitudo verò vt facillimè in humore impressio putredinis fiat, est tenuitas, laxitas, paucitas caloris natiui cum humore nimio, & magna agentis corruptori applicatio.

Alia causa mutationis periodi traditur à Principe, quia materia, quæ prius certum circuitum creabat, permutetur in aliud humoris genus, & inde ordo circuitus mutetur, & si modò copia sanguinis febrem continentem creabat, & ob putredinem nimiam pars tenuis fuit facta bilis, crassa verò melancholia, & putredinem conciplant, permutabitur continens in tertianam, aut quartanam, aut in duplicem hanc febrem simul astl gentem: sic bilis ob vstionem reddita crassior, & frigidior, in termino vstionis, in naturam melancholiæ præternaturalis mutatur, & per quartos repetet, nec minus pituita exsiccata præter naturam quartanam faciet: & vt notaret author quod huiusmodi circuituum mutatio solam mutationis speciem comitatur, dicit, quod non fit ob multitudinem, paucitatem, crassitiem, aut tenuitatem, vt in priori permutatione contingebat, sed ob solam diuersam naturam specificam. De qua permutatione sanguinis in alios humores celebrem textum inuenies *sexto epidem. sect. 3. text. 42.* & in translatione Vallesij 38. Sic habet: *Propter conuersionem non amplius sanguis venit, sed secundum humoris cognationem huiusmodi spuunt.* Cornarius sic traustulit: *Propter inclinationem non amplius sanguis prodit, sed iuxta humoris cognationem talia spuunt.*

Alia causa est ægroti debilitas, aut victus prauitas, hæc enim multiformia excrementa accumulat, vt est diuersa ciborum prauorum conditio: vnde si tertianarius sinapim, nasturtium, cepas, aut mel, aut vinum ingereret, tanta posset copia bilis molestare, vt quotidie repeteret, & non per solos tertios; nec solùm hoc modo, sed si victus ratio astringens sit, auget non dubiè obstructiones, & transpirationem impediens crescet agens putrefaciens, & mutabitur typus. Sic debilitas expultricis periodum mutat, quia languidè mouet ad focum, & quod quotidie repetebat, mutatur in tertios: idem eueniet ob trahentis languorem, si tractione humor ad focum moueatur. Addit etiam quod ob multitudinem sensus idem contingit, quæ causa non rectè à quibusdam exponitur, nam cum sensus sit idem à morbi principio, non potest intelligi mutatio

A respectu prioris typi, ita vt tertiana inceperit, post verò quotidiana sequatur. Est ergo intelligendus author de variatione periodi, determinatæ naturæ humoris debitæ, vt si bilis ex se per tertios repetere soleat, non implicabit ob sensus acutiem quotidie repetere, quia à minori causa molestatur vehementer, & sic multò ante quàm humor ea se molestaret hominem temperatum, alium sensus exquisitioris hominem fatigat, & sic mouetur celeriùs ad focum, detinetur nimis si sensus sit hebetis, quia sensus torpor, aut hebetudo & multitudo obiecti impedit, ne aliquid sentiat molestè, tanta verò copia longius tempus vt accumuletur exposcit, & sic bilis per quatuor repetere poterit, certum tamen erit, quod vt sensus acuties est occasio vt citius paro-

B xysmus adueniat, erit etiam vt sit breuior multò, quia minor quantitas, & molestia magna accessiones breuiant; illa quia vincitur, & resoluitur citius: molestia verò, quia expultricem frequentius solicitat, vt breuius expellat.

Ex adducta doctrina, & tam probabili meritò improbatur opinio dicentium (inter quos fuit Gentilis) quod determinata repetitio per dies certos proueniat à proprietate specifica humorum, quoniam quod est à proprietate specifica (inquit Iacobus) omni, & soli, & semper inest. Docent verò dari quotidie tertianam notham, quotidianam, & quartanam, in quibus duo humores, & aliquando omnes tres ad eandem accessionem fabricandam concurrunt, vt *capite proprio* latiùs explicabitur: esset verò talis conspiratio impossibilis,

C si specifica proprietas determinati circuitus author esset futura. Quæ doctrina est etiam expressa Galeni 2. *de differentiis febrium, capite vltimo*, vt postea constabit.

Tradit deinde causas frigoris inuenti in febribus, dicendo, quod vbi datur febrium intermissio, incipiunt febres illæ statim plurimum cum horripilatione, aut frigore, aut rigore, & resoluuntur per sudorem, & non incipiunt (inquit) cum horripilatione, aut frigore statim plurimum, nisi propter frigus humoris, aut quia humor mordicat lacertos, aut propter profundationem caliditatis ad interiora tendentis ad partem materiæ, aut propter debilitatem virtutis, aut aëris frigus. In febribus intermittentibus incipere accessiones cum rigore, horrore, aut refrigeratione, publicum

D est, & Galenus docet vbique, putauit enim in intermittentibus moueri semper humores per partes sentientes, & extra vasa reiici, ex qua transmissione duo proueniunt; & quod sequatur rigor, aut horror, aut refrigeratio in accessionum initiis; & quod febres ad sensibilem infebricitationem perueniant, quod causa maior intermittendi sit humorum extra vasa reiectio. Quam doctrinam in præsenti capite non semel author noster amplectitur: notat tamen, quod primum non sit perpetuum, quia in vltimis accessionibus febrium intermittentium contingere solet, vt accessiones à nullo ex dictis tribus accidentibus incipiant, quia materia pauca iam est, & correcta à natura; & sic quamuis expellatur extra vasa, non causat rigorem, aut horrorem, quia mordacitate, & frigore caret, & sic so-

E lùm de caliditate simplici febricitans conqueritur. Sic Iacobus exponit, quod verum est, & experimento constat, estque optimum signum in intermittentibus, quod rigores, aut horrores minuantur ob dicta: est etiam alius sensus verissimus, nimirum quod non sit perpetuum, accessiones febrium intermittentium ab aliquo ex dictis accidentibus incipere, quia non semper materia earum per partes sentientes expellitur, quod etiam experientia euidenter demonstrat, de quo *proprio cap.* agemus, verùm hoc docuit Auicenna textu adducto.

Causa verò frigoris inuenti in accessionum initio assignatur prima humoris expulsi frigiditas, vt quando

pituita ad partes sentientes expellitur in quotidianis febribus, præsertim si acida fuerit, & multò magis si vitrea; illud verò præcipuè contingit, quando para mittens sola copia molestatur, & nondum in illa putredinem cœpit sentire; potest etiam contingere quando partim pituita imputris, partim putrida expellitur, vincit tamen non putrida: Sentitur verò tunc frigiditas, quæ antea non percipiebatur, quia in loco minus sensili continebatur, & ibi plus calefiebat, vasa enim sensilia minus quàm caro, & partes neruosæ sunt, & calidiora non dubiè, non ea se, sed ob inclusum spiritum, & fuligines, permistióque frigidi humoris cum sanguine frigus eius remittit, & sic minus sentitur quàm extra sincerus expulsus.

B Alia causa ab authore traditur humoris mordacitas musculos vellicans, & irritans, non quidem per se, vt patet, cùm mordax succus frigidus esse non possit, sed ex accidenti, quia inducendo tristitiam ob molestam sensationem, calor influens intro retrahitur, & sic corporis ambitus infrigidatur ab interno principio: nec obstat, quod si humor expulsus est calidus, impediet frigoris emanationem, nam cùm nunquam quiescat, non calefacit satis. Dices, nec ob eandem rationem mordax sentiri deberet, nam quies maior vt mordacitas sentiatur requiritur; rectè dicis, sed non est sola illa causa adæquata, quia in rigoribus innumeræ partes infrigidantur, per quas humor nullo modo mouetur; illæ verò reliquas etiam infrigidant, non tamen mordacitatis sensum impedire possunt, quia à calore

C non pendet, & sic frigus sentitur, etiamsi humor frigidus non sit, de quo latius *textu de rigore*.

Triplex alia causa adducitur iis verbis: *Aut propter profundationem caliditatis ad interiora tendentis ad partem materiæ, aut propter debilitatem virtutis, aut aeris frigus.* Tres causæ dictæ (vt exponunt authores) sunt communes intermittentibus, & continuis, nam duæ priores antea adductæ intermittentibus sunt propriores. Prima verò ex his tribus vltimis magnam difficultatem patitur, insinuant enim expositores, quod natura moueat interius vitale calidum, vt humor moderetur, & emendetur, siue existat in loco inflammato verè, siue in parte, in qua focus putredinis stabulatur, aut ob aliud insigne vitium humoris. Iacobus sic loquitur:

D *Aut refugiendum ad suum fontem, vt ibi confortetur, & postea vigorosior redeat ad propulsationem frigoris, & materiæ nocentis, vel tendendo ad partem materiæ, seu ad mineram febris, vt succurrat particulæ oppressæ multitudine, aut acuitate humoris peccantis.* Sed calor, inquit, mouetur ad membra contusa, & dolentia, quam vltimam causam Galenus tradidit 5. *aphor. comm.* 53. nam quod ibi de dolore admittit, nempe quod vt ei natura succurrat, sanguinem, & spiritum in partem dolentem mittat, de omni alia occasione subaudiendum censeo, quia contra omnes eodem modo pugnare debet. Quam controuersiam Magister meus in parte naturali exagitauit, & Galenum sugillans, improbabiliorem modum philosophandi eligit: nobis verò Galeni opinio proba-

E bilior apparet, cuius sunt hæc verba: *Hæc enim est quadam ratio communis in his, quæ natura aliquid violenter excernit, vt sanguinis, & spiritus impetus eò feratur, quibus duobus veluti instrumentis natura vtens, ea quæ infestant, per vim expellit.* Quæ si vera sont, contingere etiam interdum poterit, vt accessionum initio tentans natura expulsionem fortiorem, mittat sanguinem, & spiritum ad locum, à quo expulsio efficienda est, & sic externa infrigidari; nec enim putandum est, id semsemper euenturum, sed solùm quando (vt Galenus notat) violentam, seu magnam expulsionem natura procurat. Quod verò Iacobus dixit de vigore acquirendo per retrocessum caloris ad suum fontem, vt postea rediens pugnet egregius contra morbi causam, admittendum non est, quia non est modus probabilis, quo

A calor vitalis vigorari possit præsertim per febres, in quibus cor & interiora viscera sunt non dubiè magis quàm corporis ambitus affecta.

Alia causa, & quarta in ordine est virtutis debilitas: intelligit Iacobus quod sit facultatis vitalis, cuius reparationi natura succurrens, mittit ad intra vitalem calorem externum. Herculanus intelligit, quod virtus sit debilis ob nimiam spirituum resolutionem, & sic interius detinet quod caloris superest, ne deficiat vita. Gentilis debilitatem per ætatem contractam etiam intelligit; ego verò addo internam oppressionem, quando in accessionum initiis ob copiam, & crassitiem, cruditatémque nimiam humoris, cor & arteriæ grauantur, & moueri nisi languidissimè non possunt; tunc enim, & ob

B languidum motum, & quia viæ distributionis caliginosis fuliginibus, & excrementis obcæcantur, nequit vitale calidum ad extra distribui, & sic externa repescunt, aut algida sunt. Et quamvis per internum incendium soleat calor intro reuocari, vt in lypiriciis, nam pertinet ad hunc locum huiusmodi occasio, quia loquitur Author de frigore in accessionum initio, in lypiriciis verò à principio febris rarò adest, & postquam inuasit, nunquam cessat: Dices, si de frigore in accessionum initiis est sermo, vt tacuit frigus lypiriæ, potuit etiam frigus ambientis tacere, cùm tale non solùm per initia, sed per totam accessionem alteret. Verùm est dispar ratio, quia aëris frigus potest per initia infrigidare extrema, & non per alia tempora, est enim acces-

C sionis principium ex propria idea suffocatiuum vitalis caloris, ipsúmque intus detinet, & humor febrilis nondum inflammatus est, vt rarissimum sit in quovis accessionum principio, etiam continuarum febrium non tepescere extrema. Vnde fit, quod aër ambiens possit in principio infrigidare corporis ambitum, & non in reliquis temporibus accessionum; est enim in eis calor intensior, & distributio per totum impedita minus, & inde habitus calefiet, & non in principiis, quoniam in istis minorem resistentiam inuenit aëris frigus.

Contrarias conditiones in continuis notat Author dicendo: *Paroxysmi autem minuuntur, & non eradicantur per sudorem, nec incipiunt cum frigore nisi ob virtutis debilitatem, aut propter profunditatem caloris innati; tunc enim infrigidantur extremitates, & illud est signum malum.*

D Certum est, quod si sit continua febris, non potest eradicari, neque hoc dicit Author, sed quod in continuis accessionibus paroxysmus minuitur, quia verè declinat; & quamvis declinet per sudorem, non omnino eradicatur febris, vt in intermittentibus, sed semper molestat, quia materia multa est, & conclusa, & portio noua putrescit antequam prima omninò resoluatur. Est etiam intelligendum, quod in continuis declinatio dari soleat sine sudore, & hoc est frequentissimum, quia eo ipso quod febris est continua, & conclusa, exsiccatur plus, & humiditates ad corporis ambitum minus expelluntur, quæ duo sudoribus obstant; est enim causa febrium continuarum intra vasa conclusa, intermittentium verò extra illa; vnde facillima est resolutio hu-

E moris in intermittentibus, & facilis etiam humiditatum per poros transmissio, vt sudor emanet. In continuis verò ob vasorum densitatem difficillimè humor resoluitur, & in forma sudoris, aut seu ob eandem causam nequit ad ambitum pelli, & inde minus, aut infrequenter accessiones sudore terminantur. Cur verò sudore accessio finiatur explicat dicendo: *Verùm resolutio materiæ cum sudore est, quoniam caliditas putrefaciens resoluit humiditatem, & remanet cinereitas.* Cùm ergo sit illa humiditas non obsessa in venis, fit facilis expulsio eius per sudorem in poris.

Experimento constat omnia putrescentia exterius humectari, & vt notat Herculanus, cadauera omnia quando putrent, humiditatem quandam stillant, quod & Aristoteles docuit 4. *meteor.* dicendo: *Quare*

qua

qua putrescunt primo humidiora, deinde sicciora, & tandem terra & cinis fiunt: iuxta cuius placitum partes humidæ media putredine à siccis separantur & euolant. Vnde quando humiditas multa fuerit, vt in forma vaporis nequeat emitti, extenuata tantum à calore per poros reiicitur in forma sudoris, non enim semper sudor creatur, quia vapores in cute concrescant, sed sæpè humiditas ipsa sine vlla in vapores mutatione à natura per cutem reiicitur, & sudor apparet: ergo quando calor febrilis, aut natiuus, humiditates tam valenter extenuare non possunt, vt in vapores tenues mutentur, eas tamen eliquant, & à partibus siccis separant, si ad cutem mittantur, sudor apparebit; & quia omnes accessiones expulsis ad cutem excrementis, & laxato corporis ambitu absoluit natura, quando excrementa illa serosa fuerint, sudor creatur, & eradicatur accessio. Et inde intelligetis cur sudor talis alterius accessionis nonnitus puteat; arguit enim multam esse humiditatem, quia in vapores subtiles conuerti non potuit, aut ob debilem calorem idem contigisse: & quia in intermittentibus putat Author extra vasa humores putrescere, ideo dicit; *Cùm ergo sit illa humiditas non obsessa in venis, fit facilis expulsio eius per sudorem*, quia extra vasa ad cutem est facillima expulsio ob maiorem propinquitatem, & quia via liberior multò est.

Verùm quæ diximus, non tollunt, quod sæpè sudor ex humoribus intra vasa contentis excitetur; frequenter enim videmus quod continuæ febres præsertim sanguineæ, & biliosæ sudoribus terminentur, melancholicæ etiam eodem modo terminari solent: & dum hæc scribo, virgo Deo dicata triplici quartana laborat, subintrante tamen, & quotidie finita refrigeratione, copioso, & vehementi sudore inundatur, quo finito statim morbo comitiali corripitur bis, & ter in eadem accessione cum summa molestia, & afflictione repetente, vt contrarium in d[illegible]ægrotante experiamur præsagio adducto ab Hippocrate: docuit enim quod quartana liberat à magno morbo, in hac verò quartana magnum morbum attulit. Sed mirandum magis, quod prius simplici quartana opprimebatur, deinde duplici, tandem triplici, & à primo morbi insultu toto tempore accessionum assiduo ptialismo, & mirando fatigatur, qui cùm iam per sex menses afflixerit, simili molestia, & continuitate duret modò. Est verò mirabile, quod cùm humor melancholicus statuatur à prædominio siccus, tam pertinacis ptialismi, & sudorum tam abundantium author esse possit. Verùm Hippocrates solutionem tradit docendo, quod sanguis melancholicus ichorosus est, & multo sero abundans, in cuius copiam potius quàm intemperiem melancholiæ, timor melancholicorum fortassis reduceretur. Verba Hippocratis sunt 6. *epid. sect.* 1. *textu* 38. in translatione Vallesij 32. *De sanguine ichoroide, quod in pauidis talis, aut in vigilantibus, & siue malus, siue bonus.* Vallesius in expositione dicit; *Sanguis melancholicorum serosus est, & similis vitioso lacti, quod in caseum, & serum, ferè totum resoluitur, nihil habens boni, & vtilis lactis:* hinc fit vt melancholici sint saliuosi, & plurimum sudent, quia scilicet habent sanguinem serosum. Galenus verò in eiusdem expositione, testem adhibendo Platonem docuit, quod serum melancholiæ prauitatem quandam semper indicat: ergo in dicta ægrotante prauitas seri, & venenata conditio ad continuum ptialismum naturam inuitat, & cogit, cuius prauitas & pertinacia, calore accessionum aucta, & per assiduum ptialismum debilitato cerebro, morbum comitialem excitauit: falluntur enim putantes causam epilepsiæ frequentiorem crudam pituitam, aut succos crudos esse, inter quos fuit Galenus, cum nihil minus ad violentas, & tam vehementes accessiones, quàm humores crudi, aut pituitosi conducere possint, si (vt Galenus,

A & cum eo tota Medicorum schola putauit) requiritur violenta, & molesta sensatio vt cerebrum conuellatur: ignorant enim humores pituitosi dolorem, aut molestiam inducere, cùm adhuc quando partem vehementer tumefaciunt, indolentes omnino tumores causent, vt ob id rectè Orheus notauerit, epilepsias à calidis, & acribus succis frequentius oriri: melancholici verò vel facilè redduntur epileptici, vt Hippocrates docuit, & è contra, quia serum eorum prauam naturam contrahit, & sic aut mentem turbat, & deprauat, aut epilepsia fatigat. Differentiam tradit Hippocrates 6. *epidem. sect.* 8 *text.* 54. Verba sunt: *Melancholici plerumque consueuerunt fieri epileptici, & epileptici melancholici, horum autem quiduis præcipuè fit in alterutrum, prout infirmitas inclinauerit, siquidem in corpus epileptici,*
B *sunt autem in mentem melancholici.* Ire in corpus exposuit Galenus obstruere cerebrum, ire in mentem, seu in animam, dixit esse distemperare illud; quomodo igitur laborantes quartana à magno morbo liberantur: & hinc post tot quartanas, & tam copiosos sudores comitialis morbus afflixit, dicente Hippocrate 6. *epid. sect.* 6. *tex.* 7. *Quartana laborantes magno morbo non capiuntur, si prius autem capiantur, & quartana superueniat, liberantur.* Galenus quidem comitialem à pituita creatum per quartanam euanescere exponit, quia calor febrilis crudos succos resoluit, & corpus siccatur, alioqui sententia vera esse non potest; nam quartana ex succo melancholico non liberat comitiali melancholico: nam vt sæpe in alios morbos migrare solet, sic
C & comitialem potest afferre, nam præter dictam infirmam vidi aliam sex tantum annorum, quæ duplici quartana opprimebatur, & in vna solùm epilepsia corripiebatur infallibili ordine, in alia verò accessione minimè. Verùm adhuc in iis potest quartana esse occasio, vt morbus comitialis alioqui ob copiam melancholiæ venturus impediatur, quia in ipsis accessionibus portio melancholiæ semper absumitur, & tandem finitur.

Sed cur humor pituitosus cum sit tam humidus, conducit minus ad sudorem ciendum, contrarium enim videbatur venturum: at Galenus 2. *de febribus cap.* 4 inter signa quotidianæ exquisitæ posuit, quod in ea paruæ fiant euacuationes. Respondet Herculanus, etsi dubium non attulerit, quod pituita ob lentorem
D imbibit in se serosam partem, & eam intus detinet, vt ob eandem causam magnas, & multas bullas ex aëre incluso intra materiam lentam experimur eleuari, quia vapor à feruore suscitatus ob lentorem partium eas non discontinuat, sed tantùm distendit, & manet inclusus. Cum quo stat, quod si calor vehemens fuerit, soleat magnus & abundans sudor eieri, aut si ingens sit putrefactio, certum tamen est quod pituitosa corpora nunquam tantum calorem participent, vt abundantes sudores promouere possint, vt tria sint ad non sudandum conducentia: Primum lentor materiæ, secundum caloris remissio, tertium obstructio meatuum, quam Galenus *capite* 1. *citato* notauit dicendo; quod humor pituitosus, quia lentus est,
E ac tenax, mouetur tardè, sæpiúsque in foraminibus retinetur.

Subdit Author, quod accessiones continuæ minuuntur, non tamen eradicantur per sudorem, nec incipiunt cum frigore, nisi propter debilitatem, aut profunditatem caloris innati; tunc enim infrigidantur extremitates, & est signum malum, quod continuæ febres non eradicantur per sudorem. Constat ex dictis, quia humiditas intra vasa coercetur fere semper, ex quo pendet etiam quod accessiones earum non incipiant cum frigore, horrore, aut horripilatione, quia huiusmodi duo vltima symptomata non excitantur, nisi quando causa accessionis extra vasa mouetur: in continuis verò intra coërcetur, vt diximus: sed quod à

frigore non incipiant, pendet ex eodem principio, etiamsi sit frigida materia, quæ ad accessiones moueatur; sunt enim vasa loca calidiora, multóque spiritu imbuta, & cùm intra illa moueatur materia, nunquam infrigidatur, ita vt sensibile frigus in externis se ostendat; at quando extra vasa reiicitur, infrigidantur partes, quia reducitur frigidus humor à loco tam calido separatus, & appropinquat etiam partibus infrigidatis, & si continuæ sunt febres, necesse est vt sit caloris alteratio continua, quod in intermittentibus non inuenitur.

At ratio ob quam cum frigore possint incipere accessiones continuæ, duplex ab Authore assignatur. Prima caloris debilitas, seu paucitas, ob quas totum calefieri non potest, semper enim si potest natura, calidum vitale, si paucum, & remissum est, interius detinet vt vita seruetur, & quando remissum est, & paucum, nequit totum calefacere, sicque externa frigida sunt. Secunda causa est profundatio caloris natiui, hoc est detentio vehemens in partibus internis; contingit verò, aut propter incendium internum, sanguinem & spiritum intrò reuocans, vt contingit per causonem malignum; aut viscerum inflammatorium affectum, erysipelaceum præcipuè; aut quia ob copiam obstructionum internarum, & excrementorum crassitudinem extra pelli non potest, & iam suffocari inceptus simul extinguitur, qui casus non solum mali, sed perniciosi sunt, & desperati. Galenus 7. *aphorism. com.* 1. exponendo hanc sententiam Hippocratis; *In morbis acutis frigus partium extremarum malum*, sic scripsit: *In morbis diuturnis, qui præsertim sunt sine febre, & hyeme, & ætate senili, partes extremas corporis, veluti aures, nares, pedes, & manus extremas frigidas fieri, nihil mali; in acutis tamen non est mediocre malum, sed symptoma valde perniciosum: quod magnis accidit viscerum inflammationibus, &c.*

Deinde Author æmulationem quandam continuitatis per febres intermittentes exponit; *Et quandoque* (inquit) *componuntur quædam febres tali compositione, vt appareant continuæ, & illud est quando incipit humor putrefieri in loco, & cum superuenit ei putredo, consumitur ab ea, deinde incipit humor de genere eius, aut non de genere eius putrefieri, & tunc obuiat secundus tempori eradicationis paroxysmi, deinde ita res continuatur.* Meritò dicit quod appareant continuæ, quia reuera non sunt, sed intermittentes, quomodo verò id eueniat, clarum est in littera: & nos exponemus inferius.

Reliqua in littera sunt intelligentiæ facillimæ, & propriis quæstionibus latiùs exponentur.

QVÆSTIO I.

In quo differat febris intermittens à continua?

NOn procedit quæstio de loco in quo continuæ, aut intermittens excitantur, sed de formalitate earum, in quo nimirum febrium continuitas, aut intermissio consistat. Et principaliter quæstio agitatur ob febres incipientes cum rigore, aut horrore, aut manifesta refrigeratione dictas subintrantes, in quibus experimur, quod quando sensibiliter homo febricitat, aduenit statim nouus horror, aut rigor: in quo casu certum est, quod etsi in partibus externis, quæ manifestè refrigerantur, febris intermittat, non tamen id in internis contingit, imo vruntur magis, aut calefiunt, quia ob frigus externum ventilantur minus, & ob retrocessum caloris ad intra calefiunt magis. Et ita esse Galenus docet *lib. de inæquali intemperie, cap.* 8. *In ipsa* (inquit) *accessionis inuasione aliqui febricitan-*

A *tium, tum rigent, tum verò febricitant, tum ambo sentiunt, frigus immodicum, & calorem simul.* Nec quæstio aliter locum habere potest, quando si in interna calor febrilis deficeret, vt in externis, esset quæstio de subiecto non supponente; vnde difficultas solùm est, si dictæ febres subintrantes sint nuncupandæ intermittentes, eo ipso quòd a rigore, horrore, aut manifesta refrigeratione accessiones ordinatè repetant. Notanter dixi, *ordinatè*, quia inordinati rigores, aut horrores sæpè in continuis inueniuntur, & non sine pernicie ægrotantium; malignitas enim apertè significatur, vt *in prorrheticis, & coacis prænotionibus* pluries notauit Hippocrates, etsi certum sit, quod tales incerti rigores certum tempus non habeant; nam in quolibet accessionum tempore apparere possunt, in febribus verò repe-
B tentibus in accessionum tantùm initiis.

Sententia nostra est, quod ratio intermittentis febris consistit solum in hoc quod detur aliquod tempus, in quo verè dicamus hunc ægrum non habere febrem, sicut continuitas consistit solùm in hoc, quod homo nunquam à febre sit liber: est autem hoc intelligendum respectu eiusdem foci, & eiusdem partis mittentis, nam si (vt in littera Author notauit) duæ intermittentes componantur, vt in declinatione vnius noua alia incipiat accessio, non dicetur talis febris in vigore continua, etiamsi æger semper febricitet, quia non continuatur ab eadem parte mittente, nec ab eodem foco; sed quia alia accessio noua ob alterius partis affectum, primæ, quæ reuera cessaret, copulatur: Ita-
C que ob plures intermittentes successiuè copulatas continuò ægrum febrire, etsi sit febricitare continuè, non tamen ob vnam continuam febrem, sed ob plures intermittentes ex se, per accidens tamen copulatas. Vnde quæstio est, si vna pars sola mittens in focum determinatum partem humoris, quæ non resoluatur, antequam alia pars humoris pro alia accessione creanda mittatur, & nouus rigor caussetur [illegible] dicenda continua, aut intermittens: & dico quod talis [illegible] appellanda continua, etiamsi cum rigore, aut horrore accessiones molestent. Id in primis patet ex ipsa nominis etymologia, intermitto enim est, ad tempus omitto; febris verò subintrans nec cessat ad tempus, nec aliquando desinit esse, sed assiduè affligit: sic pulsus intermittens
D est, qui cessat à motu quando moueri debebat, & amplius quàm per naturam quiescit; & quò plus quiescit, plus intermittit. Quæ significatio tam propria in Cicerone passim inuenitur, vt sine magna impropietate aliud significatum habere non possit, ob quod nunquam in Galeno inueni, nisi quod intermittere, sit dari aliquod tempus sine febre. Constat ex *aphor.* 43. *lib.* 4. Verba sunt. *Quod Hippocrates per verbum intermittere, accessiones intelligat, quæ in quietem febre vacantem desinunt, manifestum facit, &c.* & 1. *de cris. cap.* 3. scripsit: *Voco autem intermissionem, quando febris in quietem desierit, declinationem omnem eius partem quæ vigorem ipsum subsequitur vsque ad secundæ accessionis principium.* Quid clarius dici potuit? Et 2. *de cris. cap.* 6. dicit; *Con-*
E *tinuam quidem nomino febrem, quæ ad quietem antequam ex toto soluatur, non desinit, etsi declinatio aliqua sensibilis appareat*: & 2. *de febribus, cap.* 1. *circa finem*, sic loquitur de intermittente: ita enim appello quæcumque ad sensibilem infebricitationem perueniunt. Sed subintrans nunquam cessat, ergo non intermittit, & per consequens dicendum est, quod in febribus intermittentibus, æger semper ad veram infebricitationem peruenit, & quando ad eam non peruenit, laborat continua febre, siue cum rigore, siue sine illo accessiones incipiant. Et ratio à priori est, quia continua sunt, teste Aristotele 4. & 6. *phys.* & 15. *metaph. cap.* 12. quorum vltima sunt vnum: Sed calor accessionis prioris, & calor de nouo adueniens, habent vltima vnum, ergo continuabitur; ergo febris illa in calore solo consistit,

sistit, vna est, & continua, quando calor adueniens antequam prior cesset, illum intendit, vt est euidens in subintrantibus, quæ ob id tales dicuntur, quia antequam prior cesset, aduenit alia accessio de nouo, & priori continuatur.

Debetis tamen notare, quod Galenus docet 1. *de vulgar. morbis, sect.* 3. *text.* 2. nempe quod antiqui medici bifariam vtebantur nomine continui, & intermittentis, nam quandoque vocabant continuas febres omnes quæ ad integritatem non deueniunt, quandoque non omnes, sed illas solùm continuas vocabant, quæ omni mutatione vsque ad iudicium carebant: sic intermittentes vno modo dicebant illas solas, quæ ad integritatem finiunt, alio modo eas etiam quæ in integritatem non desinunt intermittentes vocabant, dummodo insignes mutationes in accessionibus paterentur, quatenus quælibet accessio in principium, augmentum, vigorem & manifestam declinationem diuiditur. At iuniores Medici (inquit) febres quæ nullam magnam mutationem habent, non continuas, id est synochas, sed synochos, id est continentes appellant: vnde si sequamur antiquum modum loquendi, subintrantes omnes sunt non dubiè intermittentes, quia insignes mutationes accessiones earum in quatuor tempora dicta patiuntur. In qua significatione omnes etiam accessionales febres continuò affligentes erunt appellandæ intermittentes, quoniam easdem insignes mutationes accipiunt, etiamsi a rigore, aut horrore, aut refrigeratione non incipiant. Itaque hæ continuæ accessionales, inquit Galenus, meritò dicuntur modò continuæ, modò intermittentes, quoniam sunt mediæ per participationem quorundam accidentium: nam cum semper affligant, meritò dicuntur continuæ, si cum eis quæ non semper molestant conferantur: si verò cum continentibus comparentur, possunt appellari intermittentes, quatenus non vnica accessione constant, sed pluribus, in quibus distinctio illa manifesta quatuor temporum datur in qualibet accessione, in quo cum intermittentibus manifestè conueniunt. Hoc supposito, assertio nostra est, quod subintrantes si conferantur cum illis quæ verè intermittunt, & in integritatem desinunt, sint verè continuæ appellandæ, vt dicuntur tales communiter, quæ continuò affligunt, etiamsi rigore, aut horrore careant earum accessiones. Ratio adducta iam est, & rursus probo efficaciter; nam febres accessionales continuæ, dicuntur tales, quia semper affligunt, & hoc contingit, quia antequam portio prioris accessionis absumatur omnino, mittitur alia ad focum nouam accessionem creans: Sed hoc idem contingit in subintrantibus; ergo erunt ob eandem rationem continuæ.

Hoc argumentum vidit Magister meus *fol.* 55. & respondet, quod subintrantes sunt verè intermittentes, eo quòd à rigore incipiant, quæ solutio inanis est: nam si ratio esset valida, incipit à rigore: ergo non est continua, sed intermittens: contradictoria esset vera; non incipit à rigore; ergo est continua, quod est falsissimum, vt quotidiana experientia constat. Cùm ergo à rigore, aut sine illo incipere sit indifferens, & accidentarium pro intermittentibus, non potest esse ratio constitutiua intermittentis à rigore incipere, & per consequens nec continuam excludit, quod accessiones ab illo incipiant, & si ratio constitutiua intermittentis est à rigore incipere, nulla esset intermittens sine illo, vt diximus, quod est absurdum. Mouet verò Magistrum vt alios plures ad sic sentiendum *aphor.* 64. *lib.* 4. in quo sic scripsit summus Dictator: *Quibus in febribus quotidie rigores fiunt, quotidie febres soluuntur.* Galenus in expositione dicit, quod solui est intermittere, & esse quotidie sine febre, idemque esse censendum, si tertio, aut quarto die rigores eueniant, vt in tertianis, & quartanis experimur; quem aphorismum tam rigorosè concipiunt, vt eo ipso quod febris accessiones cum rigore incipiant, eam intermittentem appellent, velut si aphoristicæ sententiæ perpetuam veritatem includere debeant: ergo quod dicit Hippocrates, est frequentissimum, non tamen perpetuum; & cùm hoc expositores viderint in subintrantibus febribus, non leuiter se excruciant in aphorismi expositione, quomodo nimirum subintrantes intermittentes esse possint, si nunquam deficit febris.

Vallesius sic loquitur: *Quibus fiunt rigores ordinati, intermittentes sunt, intermittuntque toties, quoties rigores fiunt.* Et inferius adducto dubio de subintrantibus, dicit; quod in iis etsi homo nunquam sit sine febre, soluetur nihilominus quoties rigor fiat, & febris, quæ cum rigore prehendit, etsi maneat alia cum qua erat complicata, aut quæ anticipauit apprehendere. Quibus insinuat, ideo esse intermittentes subintrantes cum rigore molestantes, quia portio illa rigorem prius, & & postea febrem creans, resoluetur omninò, etiamsi accessio alia succedat, antequam prior sit omnino resoluta. Quæ doctrina dubium non soluit, nam continuæ accessionales non ob aliud continuæ sunt, nisi quia humoris portio noua ad focum mouetur, antequam prior accessio sit omnino finita: Sed hoc idem in subintrantibus inuenitur: ergo erunt continuæ. Aut dicendum est, quod febris continuitas non consistit in eo quod homo nunquam sit sine febre, sed in eo quod detur certa portio à principio morbi vsque ad finem febrem inducens, distincta omninò ab ea quæ accessiones creat, quod est chimæricum; nam inde sequeretur nullam dari continuam febrem accessionalem sine complicatione febrium, quia præter febrem ortam ab accessiualibus partibus materiæ, datur alia pars quæ febrem continuam causat. Est ergo impertinens omnino noua materia accessionum, vt febris continua dicatur, & quod sola continuatio accessionum non sit satis ad continuam febrem, & gratis omninò & sine fundamento dicitur, quando nulla febris putrida continua datur, in qua eadem causa inuariata maneat, nec sit excogitabilis, cùm omnis putrida causa resoluatur continuò, & si non accederet noua portio causæ putridæ, cessaret statim, aut breui tempore quælibet portio febris: & in continentibus ipsis perspicuum satis est, in quibus Galenus docuit, ob id in vnico tenore seruari, quia tantum resoluitur, quantum putrescit, & semper increscere, quia plus quàm resoluitur putrescit, & decrescere semper, quia plus quàm putrefiat, resoluatur, & per consequens in continuis non est excogitabilis alius modus, nisi per continuam successionem causæ, quæ nunquam permittit hominem sine febre sensibili aliquo tempore dari, dummodo ab eadem parte, & foco continuitas dependeat, nec sit diuersa febrium intermittentium planè complicatio.

Dicere verò (vt Magister, & Vallesius asseuerant) quod eo ipso quod febrium accessiones incipiant à rigore, aut horrore, aut refrigeratione, sint intermittentes dicendæ, ridiculum est, si inceptio illa non est causa necessaria, vt prior portio putrida, antequam alia de nouo adueniat, resoluatur: quod verò non sit, constat planè in ipsis subintrantibus, & Galenus docuit clarè 2. *de differentiis febrium c.* 8. vbi simplicem refrigerationem continuæ pituitosæ conuenire docet: cum enim (inquit) æquales magnitudine fuerint, intermittens biliosa, & pituitosa continua, inuasio accessionis cum horrore fit, medium enim id rigoris, & refrigerationis existit, ex quibus alterum tertianæ, alterum verò pituitosæ continuæ inest. Quid clarius? quam simplicem refrigerationem tanquam signum etiam quotidianæ intermittentis, 2. *de crisib. cap.* 5. retulit. Vnde censeo, quod si subintrantes non sunt dicendæ continuæ, quod nec tales erunt dicendæ continuæ accessionales, quia eodem modo omnes illæ causantur, accedit enim noua portio antequam prior resoluatur.

Nec oppositum ex aphorismo licet colligere, nam Galeni

Galeni interpretatio, quod per soluere sit intelligendum verè intermittere, vt in plurimum accipienda est, non tamen vt perpetuum, cùm contrarium experimento constet: quam expositionem Vgo Senensis tradidit, & est probabilior omnibus. Vega exponit quod Hippocrates non dixit ægrum sine febre manere, sed quod febris soluatur, quoniam est necessarium vt soluatur prior accessio, si altera cum rigore debet incipere. Idem Vallesius, & illi suam expositionem ex Cardano acceperunt, qui Galenum non intellexisse aphorismum censet, dicit ergo Cardanus; *Quibus febricitantibus quotidie rigores fiunt, iis quotidie materia extra venas detruditur.* Sed materia detrusa extra venas, cum non habeat cum qua iuncta sit, necessariò absumitur, eaque assumpta finitur illa febris, quia accidens non potest esse sine suo subiecto: igitur vbi rigor fiat quotidie, quotidie soluitur illa febris, non tamen omnis febris, nam in hemitriteo remanebit sua continua, in duplici tertiana manebit etiam, quæ tempus præoccupauit. Sed si textus intelligatur de rigore propriissimo, eo nimirum qui est motus validus, non fit nisi ex materia tenui, biliosa nempe; huius verò accessio vltra duodecim horas non extenditur, & per consequens necesse est, quod si quotidie rigores fiant, quotidie febres soluantur, & verè intermittant. Vnde concludit Cardanus, quod Hippocrates non dixit absolutè quod æger maneat sine febre, sed quod illa febris, quæ cum rigore incepit, soluitur necessariò, id est finitur, quia portio causæ illius necessariò resoluitur, & per consequens etiam deficiet portio illa febris ab humore faciente rigorem procedens.

Angenius *lib.*4. *de febribus in fine cap.*10. dicit, has febres esse per se intermittentes, per accidens verò continuas, & rigorem aduenire quatenus intermittentes, non verò vt continuæ: quæ doctrina chimærica est, quia cuicumque febri accidit esse continuam, aut intermittentem, & dicam ego subintrantes omnes continuæ sunt, sed per accidens eis rigorem contingere, sicque sentio dubium esse, quod febri accessionali in communi accidit esse, aut continuam, aut intermittentem, & continuæ, aut intermittenti esse per accidens, quod cum rigore, horrore, aut refrigeratione accessiones incipiant: nam vt intermittere non pendet ex eo quod cum dictis accidentibus incipiant, vt est euidens; sic quod dicantur, aut sint continuæ, non pendet ex eorundem symptomatum præsentia, sed ex eo quod ab eadem materia, & parte, à qua cœperunt affligere, nunquam affligere cessent. Quod verò nunquam cessent, pendet ex eo quod noua portio humoris antequam prior resoluatur putrescat, & ad focum mittatur, siue detur rigor, siue non detur, quia vt sine illo intermittit, sic cum illo poterit continuari.

Ex dictis notabitis, quod in febribus accessionalibus quælibet accessio absolutè est continua, quia continuò portio illius accessionis donec resoluatur, affligit, vt omnis diaria appellatur continua: vnde quod febres repetentes dicantur continuæ, aut intermittentes, non pendet ex alio, quàm ex relatione, & ordine ad alias accessiones venturas, & indè intermittens erit illa febris constituta ex pluribus accessionibus, si detur tempus in quo homo inter ipsas accessiones planè non febricitet, & hoc sensibiliter in ordine ad medicum: continua verò erit, si nunquam tale tempus inueniatur, quomodolibet in vtroque genere accessiones incipiant. Quod mihi tam certum videtur, quod putem non esse aliam formalem rationem constitutionis intermittentium, & continuarum, estque opinio nostra securior, quod nullum argumentum contra se validum possit adduci, contraria verò inextricabilis sit: Et tenetur asserere, quod nulla accessionalis febris possit esse continua, si aliam rationem continuitatis & intermittentis stabilire intendit, & inde in mea opinione, si portio magna bilis putresceret, & rigor magnus induceretur, tota verò in ea accessione absumeretur, sine noua repetentia foret appellanda continua, quia continuò afflixit, & non habuit in ordine ad quid intermittens dici deberet. Nec Vallesij doctrina ex *cap.* 10. *lib.*2. *de differentiis febrium*, aliquid valet. Verba sunt: *Interim tamen fieri potest, vt homo nulla hora non febricitet, scilicet si febris sequens praeuenit antequam prior cesset: nihilominus tunc febres ipsæ intermittentes sunt, quæuis enim illarum per se incipit, & per se soluitur.* Non quidem valet, quia id in contingeret in qualibet portione determinatam accessionem in continuis causante, nisi alia noua portio antequam prior absumeretur, accederet, & inde aut omnes accessionales sunt dicendæ intermittentes, aut subintrantes dicendæ sunt continuæ. Ludouicus Mercadò *consultatione* 21. *fol.* 195. §. *in hac febrium natura*, continuas planè admittit, etiamsi a leui frigore, aut horrore, aut simplici refrigeratione accessiones incipiant. Idem expressè docet Simon Simonius, quem citat Sennertus *lib.* 2. *de febribus, cap.* 11. & experimentis conuictus meam sententiam sequitur cum Simonio.

QVÆSTIO II.

An calidæ substantiæ corporis sine putredine aut vstione febrem possint producere?

DE calidis substantiis merito solum inquiritur; nam frigidas ex se febrem posse producere constat apertè repugnare, cùm potius contrariam omninò distemperiem producant, ac per consequens indigent præter naturam mutari, vt febrium authores esse possint.

Sit prima conclusio: calor spirituum vitalium nunquam febrem creare potest, etiamsi spirituum ingens copia detur: loquor in opinione affirmantium, quod sint corde calidiores, nam in alia opinione extra dubium est, cum omnis causa febris cor incendere debeat. Conclusio communi consensu Medicorum suadetur: & qui contrarium defenderet, tanquam singularis opinionis sugillandus, reprehendendúsque est; quia calor spirituum vitalium tam necessarius est, vt sine illo nesciat viuens aliquid benè operari, quinimò si calor spirituum remittatur, languent statim facultates omnes, & in deliquium, aut syncopen incidunt ægri, & quò abundantior spiritus, aut calor eorum datur, tantò robustius viuens percipitur, vt tempore hyemis constat, & oppositum tempore æstatis, esséque extra omnem fidem naturalem, quod substantia sine qua vita consistere nequit, tam calida ex propria natura admittatur, vt viuens in vitæ discrimen perducere posset, & cùm sint substantiæ per totum diuagantes, neque indigeant permixtione aliarum, vt rectè contemperentur, esset omninò nociuum quod haberent tantum calorem, aut febrem causarent.

Secunda conclusio. Sanguis tam naturali calore semper ornatur, vt febrium author esse non possit. Constat, quia est minùs calidus, quàm spiritus; tum etiam quia in plethoricis augetur sæpe tam magnè, quod vasa disrumpat, & tamen sine febre talis passio datur: ergo non habet calorem pro febre capacem, cùm nulla maior actiuitas, quàm in eo statu excogitari possit.

De humore bilioso maior quæstio est, de quo Galenus 1. *de diariis febribus cap.* 1. statuit, quod nullatenus febrem producere queat, etiamsi nimis excedat. Probat efficaciter, quia in morbo regio omnes laborarent maximis, & vehementissimis febribus; in eis enim huiusmodi humoris in toto corpore magna copia redundat,

dundat, & tamen nullo modo febricitant, nisi alia accedat causa: ergo bilis ex se non est tanti caloris particeps, vt febrem causare valeat, & per consequens iuxta mentem Galeni, quilibet humor præternaturali mutatione eget, vt febris author esse possit; & ratio est, quia in opinione Galeni est bilis minus calida quàm spiritus vitalis: & si calor huius febrem producere nequit, nequibit non dubiè calor humoris biliosi.

Dices, hoc esse verum si bilis consideretur cum aliis humoribus mista, si verò secreta sit, posse facere febrem, quia tam calida est bilis, sicut pituita frigida, hæc verò si ab aliis succis separetur, partem distemperat morbosè, ergo & bilis. Constat quia tumor ædematosus duplici morbo partem lædit, & in magnitudine aucta, & in distemperie, ergo & bilis quando secreta est, & tumorem erysipalaceum creat, similibus morbis partem afficiet, magnitudine nempe, & distemperie calida, & per consequens sola separata febrem suscitabit. Respondetur, quòd nullus humor partem morbosè distemperat, etiamsi secretus sit, quandiu est sub naturali temperie. Verum itaque est, quod distemperetur aliquo modo, non tamen morbosè, sed neutra dispositione, qualis in omni caecochymia reperitur, quæ neutra est: non morbosa; alioqui malè diceret Galenus loco citato, quod ictenci non febricitant, etsi per vniuersum corpus magna copia bilis distributa sit, cum febris nihil aliud est quam calor lædens operationes sensibiliter: iuxta quam doctrinam non est dicendum, quod in omni tumore præter naturam detur necessariò duplex morbus, vnus in aucta magnitudine, alius in distemperie, vt sentit communis schola chirurgicorum. Nam si humor naturalis tumorem creans non alteratur præter naturam, lædet solùm quatenus compositionem debitam tollit, non verò vt distemperat, quia reuera in sua naturalitate manendo intemperiem morbosam non causat, etsi Galenus tumorem præter naturam exponendo, & morbos in ipso necessariò inuentos, *lib. de differentiis morb. cap.* 12. duos esse referat. *Omnes*, inquit, *huiusmodi ægritudines etiamsi vlcera vacent, composita sunt: vna quidem ratione, quoniam omnes à superfluo humore, seu calido, seu frigido procreantur; à flaua quidem bile erysipelas, ab atra verò cancer, à sanguine autem inflammatio, a pituita tumor quidam laxus, ædema græcè dictus. Alia verò, quoniam huiuscemodi humores sunt dicti, etsi formam vel humescentis præ se ferant, vim tamen habent, atra quidem bilis frigidam & siccam, flaua verò calidam, & siccam, pituita, frigidam & humidam: calidus autem, & humidus est sanguis.* Quibus planè docet, humores naturales seorsim, & separatos influentes in partem quampiam, eam morbosè distemperare, quod de sanguine tam falsum censeo, vt nihil absurdius à Galeno dici posset: est enim calor illius moderatus, & tam naturalis nobis, vt nihil naturalius esse possit, quod indicant Athletæ, & plenitudine affecti, in quibus nulla distemperies agnoscitur, sed vitium in sola copia est corpus obstruente, & grauante, & tales robustissimi sunt quandiu sanguis incorruptus seruatur, ob quod summè bonum talem habitum 1. *aphorism. textu* 3. Hippocrates appellauit, alioqui omnis plenitudo cacochymiam induceret, quod nullus dixit.

Ergo si teneas, quod bilis influxa sola in partem potest eam morbosè calefacere, vt in erysipelate Galenus, & Chirurgici docent, illam distemperiem febrem partialem tamen appellabis, quia sola pars tumida distemperata manet, non reliquæ. Galenus verò in ictero de hac loquutus non fuit, sed de totali febre, cor, & omnes partes afficiente; hanc quidem copia bilis naturalis non causat, nec potest, quia sine conuersione in fuligines talis non causatur, in eas verò absque putredine, aut vstione conuerti bilem repugnat, nunquam enim viuo animali tanta copia bilis admittenda est, vt partibus omnibus applicari possit syncera, vt per se constat; quod & de omni alio humore verum esse censeo, si nunquam sine aliis viuens constare potest, in quovis concipiatur statu. Putat verò Galenus *comm.* 1. *de natura humana, textu* 21. quod quando humor aliquis ab aliis secernitur, si sit ex iis, qui vires validas habent, afficiat locum morbosè; rationem reddit, quia calefacit, aut refrigerat partem insigniter, & idem Hippocrates in textu docuit, 1. *de humoribus naturalibus*

De fuliginibus dubitabit nemo, quod febrem producere possint in sua naturalitate existentibus: & tam certum mihi apparet, vt nullus dubitandi locus relinquatur. Et hoc necessariò tenentur affirmare sustinentes quod per putredinem non mutatur forma, nam si bilis putrida formam non mutat, non erit calidior quàm fuligines à quibus putredinem contraxit, cum totus ille calor violentus sibi sit, & à propria forma produci repugnet. Et hoc etiam suadetur, quia Galenus semper censuit, quod pulsus, & respiratio conducant ad attemperationem caloris violenti producti in corde à fuliginibus naturalibus, quod cùm tam certum statuatur ab eo, non potest negari, quod sint calidiores corde, & per consequens in magna copia detentæ calore suo naturali febrem producant; quod etiam confert, quia nullum aliud principium putredinis in corpore humano inuenerunt Medici, nisi fuligines cohibitas ob plenitudinem, obstructionem, aut cutis densitatem, quo fit, vt illæ sint calidissimæ, quomodo & spiritus, & cor, & biliosum humorem putrefacere possunt: nam quidquid aliud putrefacit, est non dubiè multò calidius, quia putredo nisi ab excedenti magnopere calore non prouenit, cùm misti dissolutionem semper machinetur, & faciat; inde censeo quod ob detentas fuligines causetur febris diaria sine eo quod ab aliquo agente alterentur; nam illis intra corpus nihil datur calidius, imò nec tam calidum.

Notabitis tamen, quod si affirmaueritis posse bilem efficere febrem partialem, non dicetis idem de spiritibus, etsi sint bile calidiores, quia ob tenuitatem, & quia nunquam idoneo tempore applicati manent, nequeunt tam intensum calorem vt ad febrem requiritur, producere, & si quod de idonea applicatione dicitur, minus probabile sit, aliud verò probabilissimum est: cum quo stat vt possint calefacere omnia, sed non tam intensè vt febricitet, præterquam quod non constat si spiritus sit calidior bile sincera; & oppositum potest rectè sustineri, & debet: nam si spiritus bilem calefacerent separatam, constat planè, quod vt bilis febrem creat, sic & melius possint spiritus, nam si tenuitas non obstat, vt bilem calefaciat, ita nec quod corpus. Tandem dici potest, quod bilis dum facit erysipelas, distemperet partem morbosè, non tamen in morbo regio, quia bilis si intra vasa continetur, aliorum succorum permistione attemperatur, quæ verò ad cutem reiecta est, aeris occursu infrigidatur etiam: quæ rationes in erysipelate non inueniuntur, etiamsi sit in exterois, quia cùm partem distendat, non ventilatur, vt quando per cutem disseminata est, semperque in vasis capillaribus manet inclusa; & alicui sanguini admista, quod in erysipelate non contingit.

QVÆ

QVÆSTIO III.

Qua mutatione humores, & spiritus alterentur, vt febrem producant?

EST in primis reiicienda opinio Fernelij, & Ambrosij Nuñez, & Vallesij nostri, putantium quòd per solum feruorem humorum (biliosi præsertim, & sanguinis) absque putredine, aut vstione, quæ sunt substantiales mutationes, seu admodum substantiæ pertinentes, possit febris causari; peruertit enim hæc opinio definitionem Auicennæ ab omnibus receptam, qua à ratione febris calorem iræ, aut laboris eliminauit, si calor non vltimetur. Omnes verò per vltimari intelligunt, quod calor iræ, aut laboris, independens sit factus in aliqua substantia: si verò incendium iræ, aut laboris ob solum feruorem posset esse febris, nullus iræ calor excludendus à ratione febris foret, cùm omnis ira feruorem in sanguine concitet. Et ratio est euidens, quia non omnis feruor calorem habitualem, seu inseparabilem in re efferuescente producit, & sic nec febris causa esse potest: constat planè in aqua feruescente, in metallis, & aliis innumeris liquoribus, qui post ingentem feruorem si separetur ignis, aut agens à quo calefacta efferuescebant, statim & calor, etsi intensissimus, & feruor remittuntur, & tandem omninò cessant, & per consequens necesse est, quod per iram, aut laborem, aut aliam causam sanguinem, & spiritus calefacientem, tam grandis impressio caloris in relatis substantiis fiat, vt ab eo calore nequeant se reducere, vt febrem causare possint, & hoc velut primum principium in arte medica suscipiendum est, iuxta mentem Auicennæ, & Galeni, qui ob id distinxit incalescere, ab incaluisse, & incaluisse ad febris productionem Galenus expresse requirit, vt propria quæstione disputauimus: & opinio adducta non potest distinguere distemperiem calidam à febre, quod est contra communem authorum doctrinam; nemo enim dubitauit quod in ira, & vehementi exercitio reddantur pulsus, & respiratio magis præternaturales, quàm in febre diaria; & nullus docuit quod talis calor sit dicendus febris, sed solùm distemperies calida, quia caloris impressio tam firma non fuit, vt ab eo non se liberarent prædictæ substantiæ, sedata passione, aut labore.

Nec obstat si dicas, omnes extra controuersiam febrem ex sanguine efferuescente sine putredine admittere, quam synochum sine putredine vocitant, & Vallesius vt primum principium accipit *5. controuers. cap.19. in initio*: cum verò (inquit) quatuor sint humores, solus sanguis (concedentibus id medicis omnibus citra controuersiam) potest incalescere alteratione simplici, vsque ad febris generationem, idque habet cùm copia redundat, nam alij si tantùm incalescant, anticipant vstionem, aut putredinem. Quæ doctrina apertè est falsa, quia si reliqui humores quando ita incalescunt, vt sanguis in synocho non putri, anticipant putrefieri, aut vri; ergo nunquam dabitur synochus sine putredine solus. Patet clarè, quia à causa à qua sanguis tam validè simpliciter alteratur, alterantur etiam alij humores, cum sint omnes permixti; ergo nunquam synochus dabitur sine aliorum succorum vstione, aut putredine. Imò repugnat quod bilis non calefiat magis ab eadem causa quàm sanguis, & quia calidior est, & quia tenuior, ergo aut putrefit, vel vritur, aut non. Si primum dicas habeo intentum; si secundum, ergo iam non solus sanguis, sed bilis etiam febrem per simplicem alterationem producet. Deinde, non probat Vallesius, nec alius quisquam, quod sanguis in synocho imputri sit author illius febris; patet euidenter, sanguis non incalescit ab interno principio, vt est euidens, ergo ab alio agente: sed tale est necessariò calidius sanguine: ergo illud potius quàm sanguis author febris censebitur. Quis enim negabit quod agens in succis, aut sanguine feruorem causans, non sit calidius rebus feruentibus? cur ergo sanguini calor febrilis tribuitur, & non causæ feruere sanguinem cogenti; & cur si tota massa sanguinaria efferuescit, sanguini quarto humori tantummodo tribuitur febris? Paradoxum igitur est placitum illud, & absque physico fundamento probatum, vt certum tradens quod tam dubium est, ne dicam falsissimum; ergo si sanguis feruet, ideo est quod ob plenitudinem, transpirationem tollit, fuligines verò intus cohibitæ sanguinem calefaciunt, & feruere cogunt, suntque causæ illius diariæ febris; sanguis verò nullo modo, nisi vt occasio debitam transpirationem tollens: nec minus dubius mihi est sanguinis feruor iam communiter receptus in synocho, ex quo enim signo euidenti deducitur? ego quidem nullum inuenio.

Nec obstat si dicas, quod feruere non implicabit, & ex feruore magna fuliginum copia suscitabitur, à quibus febris creatur, & inde ex solo sanguinis feruore febres insurgent. Sed respondeo facile, quod si fuligines non differunt specie à sanguine, non causabunt febrem, quia calor in eis factus non est, sed semper dependet in conseruari à causa feruorem concitante; si verò specie differunt, quod mihi verissimum apparet, creantur vstione; non enim legimus apud Galenum, quod fuligo aliter quàm per vstionem materiæ excitetur, & fiat, & sic iam pars sanguinis in fuligines versa, mutationem substantialem suscepit, vstaque fuit, vt febrem creare possit.

Dubium ergo est iuxta communem Galeni doctrinam, quod nullus humor febrem efficere possit absque mutatione substantiali per vstionem aut putredinem, quod constat ex locis infinitis, nec in illo legimus vbi oppositum doceat, sed perpetuo succorum putredinem, aut vstionem humorum tanquam febrium authores accusat.

Sed dices; viuens per calorem corrumpitur quin putrefiat, alioqui semper hectica febre interimeretur, quod est absurdum: ergo non implicabit quod humores à causa calida corrumpantur, & mutentur ad formam calidiorem, sicque febrem absque vstione, aut putredine concitabunt. Pulchrum quidem dubium, verùm est quod respondeas, quod ad causandam febrem, non est satis quomodocumque in calidiorem formam mutari, sed talis debet esse mutatio, vt humor ferè totus in fuligines abeat, & dissipetur, quod nisi putredine aut vstione fieri non potest; sic enim in externis rebus putrescentibus experimur, quod ita humidum sicco separetur, vt tota ferè res computrescens per minima dissoluatur, & desinat esse: simplex itaque alteratio calida nouam formam inducens absque mutatione in modo substantiæ, merito cuius in fuligines non vertatur, febrem non causat totalem, quia humor solus non potest nisi partem cui applicatur calefacere, non verò corpus totum; est itaque necessariò vehemens mutatio, vt in fuligines, aut vapores totum mixtum dissoluatur, quod non qualibet alteratione, sed vehementi fit, hæc verò sine vstione, aut putredine non contingit.

Sed quod humores intra vasa nequeant putrescere, ex mente aliorum Trallianus tradit *lib. 12. cap. 1. fol. 699.* & suadetur, quia cum in externis, aut in prima regione, & aliis quamplurimis partibus corporis, ex humorum putrescentia lumbrici generentur, idem intra venas euenire deberet: at hoc nunquam visum est, ergo nec humorum putredo admitti debet. Secundò, quia

quia sanguis & reliqui humores quandiu intra vasa manent, in luco satis capaci vt ventilentur babitant: ergo intra illa non putrescent. Et confirmatur, quia extra vasa quando tumores faciunt, ventilantur pessimè, & tamen pituita ædema creans febrem nunquam creat, quia nullo modo putrescit, nec melancholia quando scirrhum inducit; minus ergo multò intra vasa putrescent, cum ventilentur magis, & sit in vasis virtus humorum conseruatrix: alio ergo modo mutationis febres causantur, & non per putredinem: sic etiam quotidie experimur erysipelas à bile causari absque putredine aliqua, alioqui non esset malum, quod erysipelati putredo superuenitet, vt malum esse docuit Hippocrates 7. *aphorism.* 2. dicendo; *ab erysipelate putredo, aut suppuratio malum.* Tandem quia in febribus salubribus nunquam visum est, quod sanguis extractus fœtorem exspiret; at si putridus esset, necessariò graueoleret, cum omnia putrescentia tetrum odorem emittant: & experimento constat, quod sanguis extra corpus emissus, si putrefiat malignum odorem exspiret; nunqoam enim, nisi in pestilentibus, in quibus in sanguine teter odor concipitur, succi putrescunt. Vltimò, quia omnes febres si à putredine crearentur, essent contagiosæ, quod est falsum. Consequentia patet, quia quæuis putredo, aut res putrida partem humoris eiusdem naturæ pertingens, simili putredine corrumpit, & inficit: quod euidenter constat in omnibus fructibus, & seminibus externis, in quibus si vna particula, etsi paruissima, putredinem concipiat, & statim non abiiciatur, totum pomum paulatim serpendo contaminat, & putrefacit: nullus verò hactenus dixit omnes febres esse contagiosas, tales verò necessariò forent, si humores ad earum creationem putridi essent.

Sed extra dubium est, omnes humores intra vasa & in quouis loco putredinem posse concipere, quod tam certum est in antiquorum & Galeni doctrina, vt sine nota assertio contraria probabilis iudicanda sit. Constat ex Philosopho 4. *method.* dicente, omnia præter ignem posse putrefieri: quod verò in quolibet loco, euidenter deducitur, quia sanguis extractus putridus conspicitur in febribus continentibus, & continuis, in quibus intra vasa causa continetur; in omnibus etiam inflammationibus, tam internis, quàm externis humores putrescunt, & indicant febres symptomaticæ earum; sunt verò humores inflammationes creantes extra vasa, quod etiam ostendunt affectiones cutaneæ, & scabies, quarum causa putrescit, & suppuratur, & tamen extra vasa habitat: & ratio est euidens, quia calor externus, aut putrefaciens, vbicumque esse potest. Vnde enim implicat? nullusque datur locus in corpore humano, in quo agens putrefaciens aggregari non possit, vt nulla sit ratio, nedum apparens, contrarium suadens.

Argumentum ex lumbricis desumptum infinitas haber instantias: imprimis in mea opinione tantum abest quod putredo conducat ad viuentium ortum spontaneum, quod nihil putem cum Aristotele eorum creationi magis aduersum. Sic loquitur 4. *meteor. cap.* 1. *Simplici ortui commune contrarium maximè est putredo*; vt potius deducendum videretur, intra vasa putrefiunt humores, ergo intra illa non creantur lumbrici, quia viuentium ortui nihil magis aduersum quàm putredo. Cùm ergo cocta materia pro viuentium generatione disponatur, & lumbrici determinatam coctionem requirant, non continetur illa in virtute vasorum, & inde intra illa non creantur; sic responder Magister meus *fol.* 576. Ego verò censeo, quod intra vasa nulla concoctio naturalis agitur, quia sanguis semper in eis tanquam in loco à quo naturaliter sub propria forma seruatur, continetur. Itaque quandiu intra vasa manet, nequit virtute naturali

A vasorum ad aliam formam transmutari, sed semper sub forma sanguinis manet, adeò quòd putem probabilissimum, nec intra vasa suppurari posse, etiamsi intra illa putrescat: & argumentum hoc validissima non dubiè esset, ad ostendendum quod intra vasa sanguis non putrescat, quia quando coquitur à calore febrili & naturali, mutatur in pus: at nunquam visum est, quod causa febrium putridarum, etsi à natura vincatur, mutatur in pus, quia nunquam febres putridæ reiecto vero pure iudicantur, ergo nunquam intra vasa putredinem concipiunt. Cui respondeo modo iam insinuato, nimirum quod vasa nihil intra magnam cauitatem contentum possunt concoquere, ita vt nouam formam concipiant, sed solum sanguinem in statu naturali conseruant, ob
B quod nullum viuens coctione vasorum generari potest, & inde *tractatu de coctione* probabile censui, quod nec sedimentum febrium putridarum intra capacitatem magnam vasorum generetur, sed in partibus in quibus proprium alimentum ad sui nutritionem conuertunt, & assimilant; in illis verò nunquam pus generatur, quia cùm diuidatur humor per minima, & ad nutritionem trahatur, nunquam tanta putredine inficitur vt in pus verti possit, sed certius est putridum humorem nunquam trahi à partibus vt nutriantur ex illo, ob dissimilitudinem ex putredine ortam.

Sed dices, si lumbrici intra vasa nequeunt creari, non poterunt esse signum bonæ indicationis in febribus acutis, quarum causa intra vasa semper ferè continetur, nam si non sunt ex humore putrido ge-
C niti, coctionem illius significare nequibunt. Hippocrates 2. *prognost. text.* 18. dixit: *Expedit etiam lumbricos rotundos descendere cum excretione, morbo eunte in indicationem.* Respondeo, quod generatio lumbricorum laudatur, quatenus coctionem significat, coctione enim generantur ex putri materia, & sic semper sunt bonum signum si excernantur cum deiectione morbo eunte in indicationem, quia in indicationem ire sine coctione repugnat; non itaque sunt bonum signum, quia intra vasa generentur, sed quia naturam putridam materiam superare innuunt. Sed obiicies, experimento constare, animalia diuersa cum sanguine simul secta vena per brachia educi, & nos etiam vidimus; ergo materia putrida intra vasa coquitur, si reuera ex materia putrida, vt docent om-
D nes, animalcula illa generantur. Sed in mea doctrina omnia animalia ex putrida materia orta generantur non ex nobis, sed ex semine proprio vt creentur extra corpus; à semine enim formari necesse est quodlibet viuens, quia illud solum habet virtutem formatiuam & vim organixandi: & fuit doctrina Aristotelis 4. *meteororum*, & latissimè & doctè scripsit nouiter Sennertus *tractatu de spontaneo ortu viuentium.*

Aliæ dubitationes facillimè diluuntur; vasa enim sæpe replentur, aut obstruuntur, & sic sanguis non ventilatur, sed putrescit, & melius multò extra vasa quando tumores faciunt, etsi tardius multò frigidi humores: sic melancholia vstione leuiori cancrum simplicem, cum maiori & prauiore exulceratum suscitat: ædema etiam multoties potrefit, &
E suppuratur, vt Hippocrates 1. *prognost. text.* 34. docuit, dicendo; *quæ verò mollia sunt ædemata, & indolentia, & pressa digitis cedunt, diuturniorem efficiunt indicationem, ac minus illis sunt grauia.* Galenus *in com. Et quia omnia talia pituitosa sunt, idcirco diutius immorantur, &c.* Io *aphor.* 20. putredinem in erysipelate meritò vituperat, quia id bonum esse non potest, estque non dubiè putredo accidens superueniens. Sed cur suppuratio damnatur, si suppuratio victoria est, & naturæ opus? Galenus dubitationem tacuit, solum enim dicit, esse clarum, quod malignis erysipelatibus solùm putredo, aut suppuratio superueniant, cur verò

malignuio sit, supputaci non docuit. Vega suppurationem carnis prius putrefactæ intelligir, sed malè, quia caru putrefacta si supputetur, non potest esse malum si bona sit supputatio, etsi putredo carnis sit mala. Vallesius putar, quod erysipelas supputari bene nunquam potest, & ibi supputatio idem quod corruptio significar, seu putredo, vt non dicantur duo putredo aut suppuratio, sed vnum & idem sint, quamuis puttedo significationem maioris mali dicat; sed non debebar tacere, cur erysipelas supputari benè non potest. Sed placet minus quod putet idem intelligendum esse per putredinem & suppurationem, cùm tam diuersæ mutationes sint, & loquatur Hippocrates dictiuè, estque alienissimum à grauitate Hippocratica verba reperere: sed Galenus insinuat quod nos expiicare debemus; *est erysipelas affectio cutanea à tenuiori succo dependens.* Vnde eius terminatio proprissima resolutio est, & inde si resolui non potuit, prauitatem causæ subiectam carnem depascentis significat, aut copiam resolutioni obstantem. Primum est pessimum, quia membrum exeditur, & sphacelari incipit: Secundum facit quod suppuratio bona esse non possit, quia supputatio cùm sit coctio quædam, moderatum calorem, & humiditatem requirit, calor bilis sinceræ calorem partis excedit, & ipsam si multa est, validè distemperat: est etiam humor siccissimus, & proinde ineptissimus vt benè supputari possit, & sic etsi supputetur, exedens semper, & malignum fit pus, quod inde deduces, quoniam sanguis, etsi optimè suppuretur, semper corrodit: quid ergo à bile suppurata sperandum, nisi pus virulentum, & corrosiuum, ad cuius erosionem compescendam, & prauos ichores absumendos, igne sæpè indigemus, vt Celsus *lib.* 5. *cap.* 26. admonuit. Quod putrida omnia graueolent, falsissimum est, imò omnia putrescentia optimum odorem solent emittere, vt in malis medicis, & citriis, limonibúsque experimur: & si vinum per putredinem in acetum mutatur, vt Galenus putat, nunquam visus est in dicta mutatione odor fœtidus, imò acetum odore solari soler, & vires fulcire; verùm quod sanguis in putridis salubribus febribus nunquam fœteat, non admittunt Medici, cum Galenus doceat ex Hippocrate, quod sedimentum debeat esse quam minimè fœtidum; & 2. *aphor.* 47. dixit, quod mala permutatio sanguinis, pura putrefactione fit olida, nec contrarium probatur.

Quod vltimò adducebatur, si omnis febris putrida debeat esse contagiosa, huius loci non est, & *capite de maligna febre* illud discutiemus: notabitis tamen quosdam putasse, quod vstio sola febres producit, præsertim quando spiritus sunt causa diariæ, vt Pereda, cuius rationes friuolæ sunt, neque indigent solutione; certum enim est, quod si possunt alterari humiditate, possunt putrefieri; illud verò negare absurdum est, & contra omnem veram Philosophiam. Est etiam certum quod omnis putredo tandem subiectum incinerat, & velut assat, vt Galenus *de differentiis febr. cap.* 16. notauit; semel enim per primam putredinem humiditate consumpta, quod terreum superest, vritur necessariò, & in cineres vertitur, quod non contingeret, si totus humor esset homogeneus, qua ratione aqua tota in vapores resoluitur; quia terrei est expers: sic longæ febres, etsi à putredine incipiant, tabidæ tandem fiunt depopulata humiditate, & incinerato corpore, ob quam causam erraticæ febres fieri solent, & tandem in quartanam mutantur ob terreum vstum naturam melancholiæ æmulatum. Et si quicquid ex putridis, aut vstis humoribus eleuetur, fuliginosum dicatur, quando minus propriè loquimur, rigorosè tamen fuligo dicetur quod vstio suscitat, vapor quod putredo, quia

A illud siccum, vapor verò humidus est, sicque experimur sanguineas, & pituitosas febres soporem, aut cataphoram frequentissimè inducere, quia quod ex ipsis putrescentibus eleuatur, humidum est: est verò facillimum distinguere vstionem à putredine, tum ex fœtore, si adest; vsta enim nidorem, putrida verò fœtorem exspirant; sed ignis incendium cum splendore, aut secus, alias etiam mutationes discriminar, vsta splendent, perspicuáque sunt, putrida verò minimè, sed turbulenta ob humida excrementa se ostendunt, sitis in vstis fatigat magis, & nunquam pulsus tam inæqualis, & oppressus, vt in putridis percipitur; quia subtilius, minúsque hærens est; quod vstum eleuat: sic inuenietis sæpissimè linguam siccissimam, duram, & asperam cum moderato calore febrili,
B & triuiales Medici magnum incendium accusant, cùm vstio in materia exsiccei, & crassa, siccaque nimis, non tamen nimis incensa talis dispositionis, & implacabilis sitis author planè sit: infrigidant sic affectos immodicè siccitate linguæ decepti, cum medela in humiditate maiori, & moderato frigore consistat.

QVÆSTIO IV.

Cur febres repetant?

C INter febres quædam repetunt, quædam non; est autem repetentia reditus nouus eiusdem febris, quia redit, repetit: & quia non potest eadem numero febris redire, necesse est, quod noua sit febris: dicitur verò cum sit nouus reditus, quod sit eiusdem febris, non quidem numero, sed eiusdem naturæ, quasi diceres, repetentia est nouus reditus febris eiusdem naturæ cum antecedente; nam si prima accessio fuisset tertianæ, secunda quartanæ, non diceretur reditus, sed febris diuersæ noua inuasio: idem significat repetentia, quod circuitus, seu periodus, seu typus, quasi dicas, est ordo earundem intensionum, & remissionum, vt *lib. de Typis, cap.* 1. Galenus docet, & 1. *aphor. text.* 22. scripsit; *Quod autem circuitum vocet similem ad idem reditum, neminem puto dubitare.*

Cur verò febris eiusdem naturæ reiteratio, seu re-
D petitio detur, paucis author in littera docuit, dicendo; *Et quando non remanet in humore adusto per putredinem caliditas, destruitur febris, vsque quo aggregetur vice alia ad locum putredinis, & iam remanserunt in eo reliquiæ caliditatis ex prima putredine, quamuis non remaneat materia, aut propter inuentionem causæ primæ putredinis in materia prima inflammatur in materia secunda secundum semitam putrefactionis, &c.* Quasi diceret, febris, seu accessio deficit, quia in humore adusto non remanet caliditas, quæ febrem faciat, sed vstus per putredinem est, & iam cinis factus, non potest euaporare, quia non inflammatur, eo quòd terreum sui solum remanet, vt post lignorum vstionem superest cinis, quia flammam concipere non potest, etsi validissimo
E igni applicetur: sic prima accessio finitur, secunda verò succedit, quia ex prima, etsi non remansit aliquid febris ob dictam incinerationem, remanent verò reliquiæ caliditatis, ex quibus noua materia accenditur, sicque redeunt accessiones, quia reliquiæ illæ humorem inflammant. Nec obstat si dicas, quod si reliquiæ illæ non faciunt febrem, nec facient quod redeat; nam etsi primum sit verum, non rectè infertur secundum, quia si calor communicatur multæ materiæ, suscitabitur febris, quæ ob paucitatem causæ non dabatur in reliquiis; itaque calor reliquiarum intensus satis est: sed quia in tam pauca materia totum non calefacit, donec nouam materiam inficiens, potest ob copiam totum calefacere: præter hoc calor

reliquiarum potest esse occasio reditus febris, quia materiam prauè disponit, & partes quas irritat expellunt eam ad focum in quo accumulata non ventilatur, & tota putrescit. Hic modus à primo differt, quia in illo in reliquiis caloris admittebatur sufficiens intensio ad inductionem febris; non erat verò, quia ob copiæ, & materiæ defectum non poterat calor totum alterare; in secundo verò modo, non est necesse vt calor reliquiarum tam intensus sit; potest tamen humores tam præternaturales reddere, vt expultrix contra illos insurgens ad focum reiiciat, in quo accumulati obstructione satis, & non ventilati putredinem concipiunt, quæ duæ causæ probabilissimæ sunt ad nouæ febris reditum.

Quod vt capiatis, notanda est Galeni doctrina 2. *de differentiis febrium, cap.* 11. in quo prolixè satis fluxionum, & rheumaticorum affectuum causas referens, easdem putat esse reditus febrium, fluxionum verò duas tradit absque partium imbecillitate, vnam verò cum illa, & cum partium mittentium robore. Partes trahunt, seu commouent fluxiones ad se, ob calorem naturali maiorem, aut ob dolorem: quod experimentis comprobat, nam si partem ad ignem calefeceris satis, statim concipitur turgens, & sanguine plena; sic neruus, aut caro acu compuncta, leuiter dolere incipit, mox dolor intenditur, & tam validè ob dolorem repletur, quod sæpè inflammatio ob magnitudinem regi à natura non possit, & pars inflammata sphaceletur; si verò ob relatas causas fluxio non concitetur, solùm superest alia, nimirum partis mittentis vigor, & recipientis languor: pars mittit, quia à copia, aut praua qualitate humorum molestatur, & si omnes partes robustæ fuerint, & viæ per quas quod molestat reiicere consueuere, liberæ sint, extra corpus peccantia excrementa truduntur. Si verò pars aliqua debilis sit, & quæ ad illam pellunt excrementa, nequeat ob languorem in aliam transmittere, ibi firmantur, & manent, donec resoluantur, aut arte finiantur, maius aut minus detrimentum perpessa, aut prauius, aut benignius, multum aut paucum excrementum fuerit; viuens verò non solum ob hæc, sed ob exquisitum sensum, aut principatum partis, aut contraria periclitatur, aut non. Quam doctrinam repetitione expulsionis excrementorum alui, menstruæ purgationis, & fluxionis ad oculos confirmat.

Putandum ergo est, quod reditus febrium pendet ex eo, quod post primam accessionem remaneat simile principium pro noua febre eiusdem naturæ: illud verò, aut erit incendium in foco putredinis, aut dolor in parte habente rationem foci, aut vtrumque, vt contingit in locis inflammatis sensum exquisitum habentibus, quando ob ictum, aut casum, aut caustici appositionem incenduntur. In primo casu dolor trahit, attractam partem distendit, & nouum dolorem creat, & præexistentem auget, ibique inculcatum putrescit, vt iam duabus rationibus fluxionem promoueat, & dolens, & calida. Est verò frequentius febrium accessiones excitari ob partem irritatam copia, aut prauitate excrementorum, quæ impotens ad excernendum extra corpus, in partem debilem trudit, & ibi putrescentia excrementa febrem excitant: mittendi verò occasio est, aut copia vt dixi, aut praua qualitas, quæ si ante primam accessionem in multa materia dentur, acutæ accessiones excitantur, & longissimæ, si materia sit calida; nam cùm supponantur excrementa multa, aut vitium per multam materiam extensum, continuò expultrix molestatur, & assiduè pellit ad locum putredinis; vnde & continua fit febris, & grauis, & longissimæ accessiones, vt ob copiam ad focum expulsam per pares dies febris moueatur, eo quòd summus vigor cuiusque accessionis secundum diem at-

A tingit; tam longa enim quælibet accessio est, vt integrum diem in principio, in æqualitate, & augmento possideat, & occupet; in secunda verò die vigor molestet, inde experimur febres post hydropes, passiones ictericas, aut si sanguis totus subitò corrumpatur vt solet, grauissimas, aut desperatas esse, quia (vt notaui) grandis copia causæ antecedentis ante primam accessionem creata supponitur, quæ semper irritat expultricem, & continuè pellit; vidi semel iuuenem in prima accessione ex sanguinis corruptione factum ictericum, quem non sine magno labore, & præter spem sociorum liberaui.

Si verò tota materia accessionum creata ante morbi initium non supponatur, dabitur pars malè affecta, paulatim morbi materiam generans, quæ vt
B accumulatur, sic irritat, & accessiones mouet; qui modus diuturnas, ac pertinaces febres suscitat, quia non est facile partem excrementa creantem certò inuenire, aut si inueniatur, intemperiem eius, aut aliud vitium auferre, quæ febres medicos triuiales passim illudunt, quòd partem excrementa creantem ignorent; aliud enim nesciunt præter sanguinem mittere, & expurgare, cùm sit impossibilis eradicatio febris, antequam vitium illius partis emendetur, etsi millies expurges, aut venam aperias. An verò per solam congestionem accessiones fieri possint sine motu humoris à parte in partem, inferius discutiemus.

Illud verò accuratè notabitis, quod expultrix bifariam irritatur; vno modo ob copiam, aut vitium ex-
C crementorum, quin in facultate retinente debilitas agnoscatur: alio modo quia excrementa, nullo modo vitiata agnoscuntur; fluunt tamen, quia retentrix effeminata debitam quantitatem immotum non retinet, & quia non detinentur, expultricem irritant, sicque fluxiones, & febres periculosissimæ emanant, cùm communia remedia aliis febribus auxiliantia in dicta occasione sint certa pernicies, quod ad præsagium & medelam idoneam summè notandum est: in hac forte febrium inueniri solent insignes febrium remissiones, vt videantur ægri ferè non febrire, & post longissimam remissionem rursus accessiones molestant, nunquam tamen etsi nimis & longè remittant, pulsus constat fatis, imò nec vlla facultas, quia retentricis languor si
D vniuersalis est, insignem, aut nimis extensam distemperiem significat, & in eius actu iam emoritur viuens, solétque talis occasio præter febres lentas, alui etiam fluxum comitem habere; si verò vnius partis, aut visceris languor in retinente agnoscatur, minus periculosa passio censebitur. Galenus 2. *de differentiis febr. cap. vltimo*, sic scripsit: *Eodem modo si ex aliqua quauis causa membri vis adeò debilitetur, vt is qui adiacet sanguis, illi potius onus sit quàm alimentum, illud eueniet vt corrumpatur, aut si calidior sit, facile putrefiat.*

Ex dictis constat cur febres repetant, nam si pars aliqua excrementa generet, quando tota quantitas accumulatur expultricem irritans, pellitur ad focum, & accessionem facit; quia verò intemperies, aut vitium,
E ob quod tale excrementum creatur, nullo modo tollitur, generatur rursus noua portio, de nouoque irritat, & vt prior ad focum reiicitur, sicque reiteratur, donec vitium auferatur: si verò obstructa sit pars, alimentúmque ad illam mittitur, aut trahitur, non imbibitur; vt per salutem intra partem consueuerat, nec intimè adhæret, vt in partis nutrimentum sumatur, ibi detinetur, & pars repleta, & onerata illud reiicit; & si propter defectum ventilationis præternaturale reddatur, duplex obiectum expultricem lacessens inuenitur, quantitas & qualitas. Si verò totum excrementum supponatur generatum, non mittitur totum quod redundat ad focum; nam sic solam vnicam accessionem efficeret; sed putandum est quod robustum satis sit corpus, nec à qualibet portione irritatur, sed multa eget copia, vt into-

lerabile sit quod pellendum erat : & quia hæc copia magna per portionem primò expulsam minuitur, cessat ab ea subita expulsione, quousque noua portio ex alimento creetur, quæ aliis adiuncta irritet de nouo, & noua accessio insurgat. Si verò ob copiam incipiat putrefieri, eodem modo philosophandum est, nempe quod speretur certa corruptio, vt partes expellant simul cum copia, & sic, etsi non sumatur alimentum, repetet febris, quia manet dispositio putrefaciens humorem antecedentem, & sic crescente alteratione, irritatur pars mittens, quamuis copia noua ex alimento non accedat: sed alteratio serpens per nouam partem humoris iam geniti, nouam quantitatem irritantem suscitat, ita vt si nullum alimentum sumeretur per multos dies, dummodo viuens ob inediam non deficeret, repeteret nihilominus febris, quia dispositio sanguinem vitians durat, & semper nouam partem inficit, quia nunquam viuens sine sanguine consistere potest.

Quomodo verò si pars fluxiones ob calorem, aut dolorem suscitet, accessiones determinatas faciat, difficilius apparet: videtur enim quòd cùm perpetua sit tractio, (quia dolor, aut incendium nunquam cessat) non debeat dari tempus in quo febres declinent, aut intermittant, & rursus quod redeat tempus in quo ad focum fluat de nouo, vt nouum accessionis principium succedat. Vnde enim si pars semper dolet, aut incensa est, declinationes. aut intermissiones euenient, vt rursus repetat noua fluxio ? quod autem ob hanc causam accessiones repetant, Galenus docet ad *finem lib. de differentiis febrium* dicendo: *Quæcunque per circuitus aliquos ægritudinum accessiones fiunt, ex membrorum dispositionibus ortum habent, quia scilicet membra vel mittunt, vel suscipiunt, vel generant, vel attrahunt superfluitates, eo quo nuper diximus modo:* & superius dixerat iis verbis, *Earum igitur febrium, quæ per circuitum aliquem accessiones faciunt, nescio si qua est nobis causa pretermissa.*

Dices id esse facillimum inuentu, nam si semel supponatur incendium, aut dolor trahens, & pars oppleatur, grauabitur necessariò, & mittet ad aliam. Sed hoc videtur esse contra Galenum, qui focum putredinis esse dicit partem illam ob incendium, aut dolorem excrementa trahens; in hoc verò modo dicendi esset admittendus alius focus, in quo expulsa excrementa putredinem concipiant, nullúsque hactenus dixit, quod locus inflammatus mittat ad alium humores ob incendium, aut dolorem allectoa, cùm implicet quod trahitur expleri rursus. Respondeo facilè, quod si humor attractus accessionem facere non potest, nisi putredinem prius concipiat, & hanc non nisi certo tempore concipit, repetet tunc, quando iam idoneam putredinem in requisita pro noua accessione creanda nactus est, & ea portio in fuligines, & vapores versa, per totum disseminata febrem causat, qua resoluta, & ex loco inflammato deficiente, alia de nouo ex proximis partibus succedit loco illius, & concepta putredina, rursus febris succedit, & hoc durat, quandiu in parte illa dolor, aut incendium perseuerat.

Hactenus rectè dictum, explicatúmque est, quod repetitio accessionum pendet ex eo, quod causa prioris accessionis permanet; quod succinctè, & per capita Galenus exponens *cap. vltimo* sæpè citato non longè à fine scripsit: *Sed neque capita earum rerum quæ huic loco conducunt, sunt prætereunda, sunt autem hæc cognitu vtilia, quod nonnullæ quidem partes ad alias fluxiones transmittunt, quemadmodum caput ad oculos; nonnullæ autem ab eisdem in seipsis genitis superfluitatibus, principium febricitandi trahunt, quodque iis omnibus superfluitatum putredo communis existit: singulis autem proprium inest, huic quidem obstructio, aut compactio vasorum ob humores viscidos, vel crassos, vel multos; alij verò meatuum constrictio, sensibilium scilicet vel insensibilium, alij*

A *autem omnia in toto ipsius corpore loca inania, & oppleta, ac præterea eam adesse plenitudinem quæ ad potentiam dicitur, vt in lib. de multitudine ostendimus: earum igitur febrium, quæ per circuitum accessiones faciunt, nescio si qua est à nobis causa prætermissa.*

Verùm videtur causa prætermissa quam expositores Auicennæ referunt, dispositio nempe derelicta ex præcedente accessione in excrementis, aut humoribus; dicunt enim quod quando prior accessio erat in vigore, cœpit male disponere ad putredinem excrementum aptum putrefieri; quæ dispositio velut occultè serpit in nouam materiam, & intenditur etiam donec vitiatur sufficiens quantitas ad nouam accessionem: & hoc contingere debere in humore, aut excrementis habentibus eandem proportionem ad putredinem, quam B portio prioris accessionis obtinuit. Est enim necessariò admittendum, quod in tertiana exquisita, sola bilis corrumpitur, & putrefit: est ergo necessarium, quod in illa detur particularis dispositio ob quam illa sola putrescat, non verò reliqui humores; ob hanc ergo dispositionem vitiatur pars biliosa à calore primæ accessionis, non ita vt febrem faciat tunc, alioqui non intermitteret, sed cœpit admittere leuem impressionem caliditatis extraneæ, quæ tempore intermissionis intenditur paulatim, taliter quod ad tertium diem iam intensione, & extensione putredinis, aliam partem humoris pro noua accessione idoneam infecerit, sicque ad focum mittitur, & illam facit. Sed meo iudicio hæc causa necessaria non est, nisi in febribus C à causa externa incipientibus: constat, quia si prima accessio absque causa procatartica incepit, si dispositio illa prior duret, succedet non dubiè nouus paroxysmus, etiamsi calor primæ accessionis nullam maiorem impressionem in antecedente materia posuerit; hoc enim est euidens: quod rectè intelligens Herculanus in expositione huius capitis Vgonem laudat, & alios prioris expositionis sugillat. Putandum ergo est, quod semper in materia antecedenti datur agens quod tempore prioris accessionis, & intermissionis eius, nouam portionem disponit pro secunda accessione, & quod sit impertinens calor primæ accessionis, vt secunda aduentat, licet negari non possit, quod suo modo conducat, & sic Galenus quem Hugo sequitur, nullam causam circuitus omisit.

D

QVÆSTIO V.

Vtrum accessiones fieri possint sine motu humoris à parte in partem?

NOn est quæstio præsens tam inutilis vt quidam censent, nam si probabile visum fuerit, quod per solam congestionem accessiones possint fieri, frustra copiosa sanguinis missione, & sæpius reiterata, & crebris expurgationibus æger cruciatur, cùm in restauratione roboris particulæ affectæ medela tota consistat. Est autem intelligenda quæstio de motu humoris à parte in partem subito facto, quando incipit E accessio, aut saltem quod excedat motum naturalem, quo medio trahitur alimentum pro partium nutritione; nam huiusmodi motio inexcusabilis est, ac per consequens cardo totius controuersiæ in eo deuoluitur, num motio sola, media qua trahitur alimentum pro nutritione partium, sit satis vt accessiones repetere possint, an verò motio maior sit necessaria?

Galenus 2. *lib. de differentiis febr. cap. vltimo citato,* insinuare videtur, quod motio aliqua maior non sit necessaria; similes enim causas periodorum, ac tumorum præter naturam longa oratione, & multis exemplis tradit; vnde si tumor congestione sola sine nouo affluxu excitatur, vt est publicum, eadem congestione circuitio

accessio

accessionum fieri poterit. Verba sunt: *Et quidem cum eas, quæ in ipsa genita fuerint, superfluitates coquere nequierit quæcunque particula, aut ad aliam à se ipsa detrudere, tale sibi ipsi febricitandi principium constituet, quale ea quæ transmittit, alteri affert, &c.* Et ratione efficaci suadetur à simili; ideo expulsio humoris à parte in partem accessiones creat, quia humor pellitur, & mouetur ad focum putredinis; sed eodem modo mouetur ad focum quando pars debilis in se excrementa putrida continet, ergo eodem modo accessiones aduenient. Constat, quia humor expulsus ideo accessiones facit, quia materia mouetur ad focum; sed tractione sanguinis ad propriam nutritionem mouetur, & applicatur foco, ergo putrefiet, vt ille, qui mittitur: & cùm ratione putredinis resoluatur, & remaneat in foco semper quod sanguis adueniens putrefacere possit, sequetur per congestionem noua occasio accessionis, & repetet quandiu vitium durauerit; quod exemplis aliorum morborum, *lib. de caus. morb. cap. 6.* Argenterius suadet; nam dolor colicus absque vlla fluxione repetit genitis flatibus intra colum ex alimento. Similiter epilepsia per propriam passionem circuitus habet, & intra locum affectum causa repetitionis creatur, alioqui omnis epilepsia repetens foret morbus per consensum, quod est contra medicorum consensum. Idem confirmant circuitus febrium in inflammationibus, nam quandiu durat pleuritis adsunt accessiones, est enim febris essentiale signum; at in vigore, augmento, & declinatione tumoris, humor non fluit, sed ex materia congesta in vniuersali principio repetunt accessiones in aliis temporibus. Nec obstat si dicas, quod in febribus symptomaticis inflammationum non dantur circuitus, nam præterquam quod hoc est contra experimentum, est etiam contra Galenum, qui 1. *aphor. com.* 12. scripsit: *Et morbo quidem laterali, & phrenitidi magna ex parte per tertium diem accessiones fiunt*: repetunt ergo ex Galeni mente accessiones in pleuritide, & cùm non moueantur humores nisi in principio vniuersali, constat absque motu aliono accessiones fieri. Quam doctrinam & opinionem noster Vega tradit, eámque non semel, sed sæpe repetit in expositione *vltimi cap. lib. 2. de differentiis febr.* etsi nullam rationem adducat; quem sequitur Veiga *in expositione eiusdem cap. fol.* 191. in secunda propositione: notat enim quod ex humore intra partem congesto plures accessiones possunt excitari eo solum quod natura aggrediatur per certa interualla humorem iam contentum in foco, & coquatur quod in illo est semimalum, aut expellat illum integrè; nam coctio, & expulsio (inquit) morbum inducunt citra augmentum, aut defectum materiæ.

Contrariam sententiam tenet Vallesius 2. *de differentiis febrium, in expositione vltimi cap.* quem sequitur Magister meus *lib. de febr. fol.* 64 r. & nullam rationem nisi a Vallesio traditam adducit. Vallesius verò sic loquitur: *Animaduertendum verò hic est, quod ab eo dicitur posse fieri febrem cum periodis, particula aliqua congerente excrementa, etiamsi ea in aliam partem non remittat, vt si in viscere aliquo excrementa quæ ex hodierno alimento collecta sunt, incipiant putrescere, incipiet calor putredinalis in illo fieri, &c.* Et inferiùs hanc Galeni doctrinam impugnat dicendo: *Sed illud à me in præsentia dubium erit, in febribus iis accessiones habentibus semper esse motionem humoris de parte in partem; nam cum omnino quieti putrescunt humores, continentes febres fiunt. Itaque semper est pars ex qua humores veniunt, & pars in quam veniunt, quamquam (vt modò diximus) fieri potest, vt in parte ex qua humores veniunt, nullum sit vitium, sed pars colligens excrementa, & non remittens in aliam, ipsa sibi principium præstet alliciendæ ad se fluxionis.*

Sit prima conclusio: morbi plurimi possunt repetere per solam congestionem. Constat planè in dolore coli- **A** co, qui per propriam passionem repetit non dubiè, eò quòd ex alimento prauè disposito, & mordaci reddito, aut in flatus ob frigidam dispositionem mutato, erodit aut distendit intestina. Idem in dolore ventriculi in vomitu quotidie experimur; repetunt enim ob solam eius debilitatem congestis excrementis, & in epilepsia per propriam passionem, nec video quod dubium contra hanc assertionem possit adduci, & hoc tantò certius, quantò pars malè affecta grandior sit; nam cùm multum sit quod ad eius alitionem trahi debet, si totum quod trahitur, deprauetur, excitabit non dubiè dolorem, aut conuulsionem, aut alias passiones: sic omnes fatentur histericas passiones repetere per propriam vteri passionem, imò rarissimum est, quod nisi **B** non per propriam, & primariam passionem talis affectio excitetur, non loquor de accidentibus ex cordis, ventriculi, aut cerebri consensu euenientibus, sed de ipso morbo vteri.

Dico secundò, febres repetentes ordine certo quotidie, per tertios, aut quartos dies, probabilius est per solam congestionem fieri non posse, sed requiritur maior tractio, aut expulsio, quàm pro naturali partium nutritione. Ratio est efficax, quia partium nutritio, vt est concors omnium opinio, in poris cuiusvis partis solùm celebratur, in quibus humores putrescere, quando in copia naturali mouentur nemo hactenus docuit: & quamuis putredo admittatur, non fit in humore coniuncto, sed diuiso per poros, & in minimas partes, vt constat, ac per consequens implicat ac- **C** cessiones sensibiles facere, quoniam accessio in quatuor partes diuidi debet; principium verò semper suffocationem habet adiunctam, aut ex illa nascitur, & hoc ex subitanea humoris motione ad focum, postea verò quod in principio suffocabat inflammatur sensibiliter, & augmentum constituit; deinde summam inflammationem & extenuationem comparans, vigor resultat: resoluto verò quod per vigorem incensum extenuatúmque erat, declinatio succedit, quæ mutationes & totum corpus afficientes, & per tot horas ex alimento per poros seminato fieri non posse, nemo non videbit. Nam cùm humor per poros sit distributus, & omnino diuisus, nequit totus ardere & confertim, vt in accessionibus putridis experimur; necesse ergo est, quod in multò maiori copia humores ad focum confluant, **D** siue expulsi, siue attracti, vt accessiones tales eueniant, & hoc Galenus docuit loco pro contraria sententia citato. Verba sunt: *Quæcumque enim naturales meatus obstruxerint, hæc per tempus necessarium est putrefieri, ac superfluitatum multitudinem aceruandi causam ei parti afferre, quam euacuari pro consuetudine difflari vetuerint: vnà igitur cum illis putrescunt, & alia quæ postremo colliguntur, statimque simul omnia in membro febrilem caliditatem accendunt: sed & retro ostendimus, vbicumque accenditur, atque augetur caliditas, istuc ab aliis partibus sanguinem solere confluere.* Hæc Galenus. Quibus planè docet, excrementa per congestionem putrescentia, membrum in quo putrescunt accendere, & inde ob calorem sanguinem confluere, sicque accessiones fieri: antea enim dixerat, **E** caliditas natura apta est fluxiones attrahere, aut easdem recipere: & paulò post dicit; illud enim compertum habetur, quod semper in corporibus plenis, aut in quibus inutilis materia redũdat, magna portio ad eas defluit partes quæ vehementius incaluerint: in iis autem quæ superfluitatibus vacant, admodum pauca; vt iam maneat solutum testimonium, ita vt non solùm suæ opinioni non faueat, sed refragetur potius. Ex quo etiam deduci potest, qualiter à Galeno Febris partialis admittatur; dicit enim quod in membro caliditatem febrilem accendunt, & paulò supra clariùs insinuauit dicendo, tale sibi ipsi febricitandi principium constituet, quale ea quæ transmittit, alteri affert, & in casu adducto de tractione sanguinis habet locum, quod id quod influit ex aliis

partibus sit omninò inculpatum. Est verò mihi improbabile, quod Vallesius docet, nimirum quod si in parte excrementa quieta putrescant, non erunt accessiones, sed febris erit continens, hoc enim vltimum non admitto; quia vt planè ex Galeni doctrina apparebit, in continentibus non potest dari locus determinatè affectus, nec est possibile vt ex eo quod ad nutriendum accedit, tantus calor quantus pro continentibus requiritur, accendatur; sunt enim omnes continentes intensissimæ, & de genere vrentium totum corpus, & sic in vasis insignibus sine loco determinato sanguis putrescit si continentes creat.

Primum argumentum solutum manet ex dictis, nec in tractione naturali tanta copia trahitur, vt febris totalis, cuius accessiones in quatuor tempora diuidantur, excitetur, nec oppositum probatur; requiritur ergo tractio maior & ferè subita, vt principium, & alia tempora continuata eueniant, vt in probatione conclusionis ostendi. Quod de colico dolore dicitur, impertinenter traditur, quia flatus in magna copia possunt excitari ex excrementis congestis, ita vt pars doleat, accessiones verò totum corpus afficere debent, & in quatuor tempora diuidi, ad quæ non sufficit, quod pro naturali nutritione attrahitur: in epilepsis verò probabilius est, quod detur motio à parte in partem, nec ob id est necessariò per consensum pati, quando pars mittens, & recipiens intra cerebrum, aut caput continentur: quod esse possibile negabit nullus, in inflammationibus verò fluxionem dari certum est, & sic argumentum non est ad rem.

Sed vrgebis, quando pars aliqua mittit in aliam, accessiones fiunt ex sola materia transmissa, ergo si illamet quantitas in parte mittente putresceret, fierent accessiones, vt fiunt in parte recipiente; ergo ex eo quod pars per certa interualla congerit, sufficiens copia datur vt accessiones excitentur, & ordine certo repetant. Patet, quoniam si in parte, in quam pelluntur excrementa, accessiones fiunt, fient non dubiè in parte mittente, si ob debilitatem in aliam partem trudere non potuisset, & in ea putrescerent. Pulchrum quidem dubium a nemine sequentium hanc opinionem adductum, & respondeo quod illud quod mittitur, non est quod pro partis nutritione tantùm erat attractum; illud enim intra poros continetur, & non pellitur ad aliam partem, sed ibi inculcatum corrumpitur, si non commutatur, & resoluitur, aut ibi congestum obstruit, aut tumores creat, dummodo accedat intra poros noua portio paulatim attracta: ergo quod mittitur est quod intra vasa partium mittentium, & malè affectatum continebatur, & ab eis prauè disponitur. Idem dico si ob copiam mittatur, non enim intra poros continebatur, sed intra vasa; hoc autem in partem debilem rejectum, si accessiones efficere debet, in locum minorem expellendum est, vt ibi obstruens initium putredinis præstet; nam si hoc non faciat, non subsequetur febris, vt in parte mittente febris non erat; itaque illa quantitas, quæ in parte debili febrem creat, non efficeret illam in parte mittente, quia in ea erat magis dispersa, & quieta: quando verò mittitur in ipso motu accenditur, & magis multò in loco minori coarctata, ibi enim obstruens non ventilatur, & sic putrescens accenditur. Accedit etiam, quod implicat non corrumpi sanguinem partis habentis rationem foci, ita vt ex eo quod mittitur, & ex illo quod erat in parte, maior copia causæ resultet, & si quod mittitur ad febrem non erat sufficiens, sufficiens fit cum illo quod simul in parte corrumpitur.

Similitudo adducta à Galeno non debet tenere in omnibus: verum itaque est, quod sicut occasio tumorum præter naturam est fluxio, aut congestio excrementorum, sic etiam accessionum febrilium: non tamen est satis, quod congerantur excrementa, vt accessiones dentur, sed simul requiritur tractio ratione caloris ex putredine excrementorum: quod constat planè ex methodo resolutoria adducta à Galen. *lib.* 11. *methodi cap*10. vbi methodum vtilem concludit docendo, quod ad præcautionem obstructionis futuræ oportet fluxum compescere humorum, ne fluant ad focum, sicque febres cessare: quod non parum confirmat hecticarum febrium essentia & curatio, in qua quia nihil confluit, nihil reuellitur, & nulla hectica accessiones facit, etiamsi in solidis magna putredo detur, quia res putrida, aut parata putrescere, nullo modo fluere potest à parte in partem; in hecticis verò non est dubium quod putridum resoluatur, & aliud in eadem parte per congestionem accedens putrescat; & nihilominus circuitus non dantur, etiamsi tanto tempore durent hecticæ febres.

QVÆSTIO VI.

De foco putredinis.

DE foco primum discutiendum venit quid sit, secundum si in omnibus febribus sit admittendus, tertium si in omnibus repetentibus duplex, vel vnicus solùm sit focus. Primum breuiter absoluit Galen. *lib.* 11. *method. cap.* 11. dicendo: *Quippe particula quam obstructio, aut putredo, aut phlegmone obsedit, veluti focus ipsius febris est.* Et *cap.* 4. *eiusdem lib.* 4. non longè à principio scripsit: *Quoniam putredo vel æqualiter in omnibus subsistit vasis, maximè principalibus, vel vna quapiam particula, quæ vel phlegmonem in se habet, vel etiam citra phlegmonem veluti in foco quodam, principium febris in se continet.* Ex quibus deducitur, quod sicut in externis appellatur focus ignis locus determinatus, in quo ignis accenditur, aut seruatur ignis ad nouam reaccensionem; sic in corpore febrientis focus febris dicitur pars in qua primò calor febrilis accenditur, eo quòd in se principium febricitandi contineat. Hoc autem principium, vel est obstructio ventilationem impediens, & sic putredini, aut incendio occasionem præbet, vel est inflammatio, vt in pleuritide, aut pulmonia, aut incendium aliud sine tumore, aut particularis putredo in parte quæ humores, aut aliud inficiens febri occasionem præstet: in summa, focus est pars corporis determinata, in qua vitium firmum, & stabile datur, ratione cuius calor per totum disseminatur. Vt enim cor naturalis caloris focus meritò dicitur, quia in illo caloris vitalis prima, & perennis generatio celebratur, & ab eo calor in alias partes demandatur; sic caloris febris focus dicitur locus ille, in quo prima radix febricitandi inuenitur, quia nimirum in illo calor febris prius accendatur, & postea ab eo in totum distribuatur. Galenus 2. *de differentiis febr. cap. vltimo*, tempora particularis accessionum exponens, ascensum sic explicat. *Cùm verò iam caliditas materiam conuicerit, tunc huiusmodi tempus augmentum, & ascensus vocatur: in hoc verò vsque adeò calor augetur, vt non modò locum exurat, qui est quodammodo putredinis focus, sed etiam continuatim per totum corpus dispergatur.*

Ex quibus deducetis, quod focus propriè est pars illa, in qua primò calor febrilis accenditur, & toto tempore accessionis materia exuritur, ac per consequens pars mittens à ratione foci excluditur, quia in ea non manet humor, sed potius pellitur ad focum: nam quando ob solam multitudinem pellit, constat initium primum febris in ea esse non posse, nec quando ob vitium; nam si ita vitiatus esset humor, vt febrem efficere posset, præiret semper rigorem febris sensibilis, quod non fit, & inde pars mittens vitium ad febricitandum nunquam in se admittit, sed prius illud per excrementa

reiicit

reiicit in partem debilem, & focum, in quo accumulatus, & obstruens, putrescénsque, accessiones, & diuersa tempora eius constituit, vt antea docui; ob quod Galenus partem inflammatam focum febris appellat, etiamsi à parte mittente primum principium febricitandi detur, sed non prima portio febris, hæc enim non solùm in foco datur. Quod si mente concipias in parte mittente dari posse aliquam portionem, quæ non expulsa febrem aliam suscitat, erit tunc febrium diuersarum complicatio, & magna confusio, eritque continua, & lenta febris à portione non expulsa procedens, sicque sæpe experimur in tertianis nothis, quas vulgus maioris famæ appellat, dari continuam, & lentam febrem, quæ ex succis in foco lentè putrescentibus excitatur, & etiam ex magna, seu extensa obstructione, quod inde deducitur: nam accessio per tertios repetens intra horas octo, aut decem solet finiri, ita vt breuissimo tempore videatur æger à febre liber, præsertim si cum sudore accessio terminetur, & mox incipit lenta febricula durans in eodem tenore vsque ad aliam accessionem: illud enim quod non expellitur, aut propter extensam obstructionem in foco non ventilatur, accessiones non facit, quia non mouetur, sed febris fere vniformis, & remissa molestat. Idem etiam inuenies sæpe in tertianis nothis cum rigore incipientibus, dari scilicet febriculam sensibilem satis, antequam rigor incipiat, & fallitur Medicus putans iam morbum esse finitum, & post superuenit rigor, & accessio consueta, incipitque febricula illa sine annotatione aliqua, aut pulsus contractione, & sine molestia; causatur verò, aut ab obstructione partis mittentis detinente fuligines sufficientes ad illam febrem, aut à parte subtiliori succorum, quæ in loco obstructo putrescit, priusquam competens quantitas accumuletur ad causandum rigorem, & accessionem idealem febris: nec illa febricula certo ordine repetit, sed casualiter excitatur, quia à causa fixa non pendet.

Deduceris secundò, quod quando febres sunt exquisitæ naturæ, nequeunt excitari ob solam tractionem caloris à foco; nam calor vehemens, aut præter naturam trahens non trahit determinatum humorem, sed totam massam sanguinariam indifferenter, vt est euidens; reperit verò magis iuxta ideam peccantia humoris in sanguine, & sic millies videbitis in continuis repetentibus, non dari signa humoris alicuius prædominantis, quia nullus insigniter peccat, & totus sanguis vt est intra vasa trahitur: ergo sinceræ febres, & exquisitæ, à parte, aut natura sanguinem perpurgante, ab aliquo humore, quantitate, aut qualitate peccante suscitantur, aut quia datur pars determinata tale excrementum sincerum creans, quod in certa quantitate collectum, aut certo modo vitiatum expellit, & ad focum transmittit. Et hoc est frequentius, si vera est Galeni doctrina 1. *ad Glauconem, cap. 3.* quod rarò datur tertiana sine læsione iecoris, nec quotidiana sine vitio ventriculi, nec quartana absque lienis detrimento; quia nimirum viscera dicta bilem, pituitam, aut melancholiam seorsim creare solent, à quibus exquisitæ febres originantur, etsi verius sit, quod lien non tam atram bilem creat, quàm ob eius læsionem melancholia à sanguine non expurgetur, & sic redundans, quartanæ est author, & prima occasio redundantiæ lienis vitium. Mirum quidem est, quanto mœrore Gentilis, & Herculanus afflicti sunt, nequeuntes inuenire quomodo determinati circuitus, & sinceræ febres ob partium tractionem dari possint: rem enim impossibilem, & falsam supponunt, nempe quod ob partis tractionem determinatus & sincerus humor trahatur, cùm necessariè trahantur omnes, vt est euidens, nisi fortè id contingere possit in quibusdam visceribus, & partibus determinatis, vt si vesica

A fellea magis quàm per naturam traheret, aut lien, aut renes; in iis enim partibus ob maiorem tractionem febres sinceræ possent admitti, non tamen in aliis partibus. Cineritium itaque bilis, aut calorem in foco à bile productum, sigillationem quandam habere dicunt authores citati, vt non alium humorem, nisi biliosum trahere possint; insomnium potius, quàm vera philosophia: calor enim ob agentium discrimen proprietatem non mutat, sed eadem semper præstat, calefacere, extenuare, leuem rem reddere, reliqua verò per accidens facit.

Ex dictis dubium vltimum facilè soluitur, nam in vnica simplici febre vnicus tantùm focus propriè dictus admittendus est; impropriius tamen duplex potest admitti, si partem creantem excrementa, & ad focum illa reiicientem, foci etiam rationem habere posse B putes, est tamen impropriissima loquutio: pars verò mittens vna, & duplex esse potest; nam in tertiana notha, & iecur, & ventriculus, & lien affecta esse possunt, non quidem quia putem tres illas partes conspirare, vt vnà propria excrementa eodem tempore in focum ad creandam accessionem reiiciant; est enim casus metaphysicus potius quam medicus: sed quia quodlibet viscus diuersum excrementum creans in venas reiiciat, & hæ grauatæ in focum se exonerant eodem tempore, quia in eis semper talia excrementa redundent: est etiam possibile, quod absque vlla insigni læsione viscerum dictorum, aut corporis, spuriæ febres creentur, quando nimirum victus prauitas generationi C diuersorum excrementorum materiam præbuit, & quando hoc contingit, citius ad mortem, aut salutem morbi iudicantur, quia cum non detur viscus malè dispositum, per euacuationes medicas, & opus naturæ saburra excrementorum breui absumitur, si salubris febris resultet. Neque repugnat, quod idem focus diuersis febribus inseruiat, nam ventriculus, & lien, aut iecur excrementa propria, diuersis tamen temporibus in eandem partem reiicere queunt, vt possunt etiam in diuersas; & sic experimur in duabus tertianis vnam esse grauissimam, quia in partem nobiliorem pars mittens excrementa deponit, alia verò pars in aliam ignobilem, vt quando hæc scribo in quodam Iesuita vidimus: nam per dies tertios grauissima cardialgia opprimebatur, in intermediis verò tertiana leuiori absque aliquo acci- D denti terribili.

An verò in foco putredinis semper remaneat aliquid pro futura accessione conducente, dubitauit nullus: & respondeo, quod si accessiones contingant eo quòd excrementa trahantur, manebit semper in foco occasio tractionis, hoc enim negari non potest: quando verò accessiones eueniunt humoribus in focum expulsis, dubium maius est. Et dico primò, quod ad repetitionem est omninò impertinens, quod aliquid remaneat: constat clarè, quia si prima humoris transmissio accessionem primam creauit sine aliquo vitio putrefaciente in foco præsupposito, sed humor expulsus obstruens locum illum sibi parauit putredinem; sic secunda accessio contingere poterit, etiamsi ex anteacta nihil in foco E remaneret: non enim natura in partem debilem mittit, quia in ea antecedat, aut præsupponatur vitium putrefaciens humorem expulsum, imò omnino potest esse oppositum, vt si frigiditate aut siccitate debilis pars sic affecta. Verùm etsi hoc ita sit, negari non potest iuxta mentem Galeni, quod in foco vi accessionis primæ aliquid fixum remaneat ad futuram accessionem conducens. Sic 2. *lib. de differentiis febrium*, scripsit: *Neque enim existimes in exterioribus istis vasis, in quibus elixatum obsonium nidorosum factum est, quandam relinqui dispositionem, nullam autem in partibus in quibus humores putruerunt, adhuc verò magis eam dispositionem impossibile est solui, quando vniuersum corpus multis, vel vitiatis humoribus fuerit oppletum, ac multò etiam*

amplius, si iis adiungatur omnium, per quos membri superfluitates excernuntur, meatuum adstrictio. Putandum verò est, quod ea dispositio nihil sit, quàm cineritium vstum ex succis putrescentibus remanens, quod ob crassitiem in auram, & vaporem permutari non potuit, quia non fuit inflammabile, aut euaporabile. Est enim elegans sententia Galeni *cap. citato*, à similitudine lignorum ad ignem, cum excrementis putrescentibus. Verba sunt: *Ex ipsis enim lignis dum alterantur, generatur ignis, non tamen in infinitum vsque tempus hac ad alterationem sufficiunt, sed est quidam transmutationis terminus, cum eo vsque possint exuri, donec aliquid natiui liquoris habuerint, qui vbi ex toto consumptus fuerit, tunc ardere iam desinunt, ac quæ reliquiæ supersunt, cineres appellantur: & quidem eodem modo putrescentium humorum caliditas permanet, donec omninò fuerint assati: parum autem reliquiarum terrestrium restare ex humoribus est verisimile, non quemadmodum ex lignis plurimum, quoniam in eorum substantia humidum, & non siccum præualet elementum, ita vt si aliquem ex exterioribus elixare volueris, vt oleum, vel vinum, minimum quid terrestre relinques, reliquum verò omne extenuatum in aërem, ac vaporem resoluetur, & quidem feruentibus ex putredine humoribus à caliditate extenuatis; eorundem substantia cum febres consistunt atque declinant, in ambientem aërem dissipatur; superfluitas autem vel exigua admodum remanet, vel nulla, in crassioribus quidem humoribus pauca, in serosioribus autem nulla; quod si nullam imbecillitatem pars inflammata contraxerit, neque iterum superfluitati immittantur, ægritudo finitur, nec deinceps homo sequenti, aut tertia, aut quarta die febricitabit.* Hæc Galenus, cuius verba libenter transtulit, quod multa, & vtilia doceant, & tam perspicuè, quod expositione non egeant.

Secundum quod quæstio inquirebat, maiori examine indiget: inquiritur enim si in omnibus febribus sit admittendus focus; Intelligendum verò est si in omnibus generibus, diariis nempe, putridis, & hecticis, & rursus intra quodlibet genus omnes necessariò focum exposcant. Et dico primò, diarias febres focum habere posse: constat ex aphoristica sententia *lib.* 41. in qua dixit Hippocrates, *ex adenum tumoribus febres omnes malæ præter diarias*, vbi tumor inflammationem significat, alioqui febris non superueniret. Est autem locus inflammatus focus putredinis. Et idem dubium est de omni alia inflammatione diariam excitante: sic omnes diariæ ex obstructione putridi humoris enatæ, focum participant, locum scilicet obstructum: exquisitæ verò diariæ, quæ tales natura, & constitutione dicuntur, focum omninò excludunt, alioqui constitutione tales non fuissent, sed vltra diem possent extendi; continentes verò quæ propriè tales sunt, & putridæ, foco priuari possunt, & possunt illum habere, quod proprio loco explicabimus; si verò continentes sine putredine sint, sine foco erunt, quod eodem loco explicabitur; in nulla enim continente datur fluxio necessaria vt creetur, siue putrida sit, siue diaria, nam eo ipso quod accessionibus carent, nullam fluxionem admittunt in partem aliquam; licet occasiones dentur, & morbi, à quibus originari possint, vt *proprio tractatu* leges.

De hecticis magna discordia est inter nos, & Galenum: ille enim hecticarum nullam inuenit causam à qua curatiua indicatio sumatur; nos autem cum nullam hecticam absque causa admittamus, focum etiam in eis concedimus, vt longè, & efficaciter *proprio tractatu de hectica*, ni fallor suasi, in cuius naturæ explicatione, tam tepidè, & variè fuit loquutus Galenus, vt ex eius doctrina quid hectica sit deducere planè non possimus: *lib.* verò *de marcore*, *cap.* 7. focum in hecticia admittit. Verba sunt; *Sed & quo tempore prima hecticarum febrium indicia manifesta fuerint, eodem etiam vtiliter foris adhibentur refrigerantia medicamenta, si imponantur super ipsum (vt quispiam dicat) febris focum, de quo paulo mox accuratè definiam*: inferius verò sic scripsit loquendo de balneo. *Quandoque verò vtilius etiam est quàm sint refrigerantia medicamenta, cum squalor, vel in toto corpore exuperarit, vel in foco: focum febris dico eam animalis particulam, quæ prima suis ipsius solidis partibus immodicè fuerit calefacta. Primum ergo est cor, quod calidius debito redditum, hecticam infert febrem, deinceps verò iecur, non per seipsum quidem, quemadmodum cor, sed quia secum in consensum illud trahat, quando non ipse cordis affectus rationem causæ obtinebit, sed quia sunt corporum cordi vicinorum. Post hæc est venter, ab hoc quæcumque possunt secum cor concalefacere.* Hæc Galenus: En quam clarè partes aliquas enumerat, in quibus focus hecticæ admittitur: & inferius affirmat, quod hecticæ febres plerumque oriuntur, quando in visceribus biliosus succus imbibitus est, & Philippum damnat, quòd à solo ventriculo, aut iecore erysipelatosam affectionem patientibus, hecticam fieri posse crediderit, concluditque Galenus, quod ab omni parte, quæ cor in consensum trahere possit, hectica generabitur; omnes verò illæ determinatam passionem habent, à qua diu durante cor compatiens hecticus æger fit: est verò pars illa (quæcumque sit) hecticæ focus, quando nisi eius passio auferatur, hectica irremediabiliter affliget, & si prima radix auferatur, hecticus calor statim delitescit. Exemplum in phthisicis *tractatu nostro* posuimus, quibus si vlcus pulmonis sanes, hectica non molestat amplius, si verò sanetur nunquam, tabidus æger perit; imò si vlcus non omninò sanetur, sed sicca crusta obducatur, ita vt pus nullum præbeat, febris omninò cessat, donec crusta cadente noua fiat puris generatio, à quo febris denuo suscitetur. Exemplum euidens, quod hecticæ focum habeant, & quod semper à causa dependeant, vt dependent in phthisicis; sed quia occulta frequentissimè est, eámque Galenus ignorauit, generalem doctrinam, absurdam tamen tradit, quod nimirum hectica à causa non pendeat, quando si eam vt in phthisicis inueniret, vt vlceri pulmonum, sic omni causæ mederetur; & quia ita esse putauit, etiam in hectica phthisicorum causam negit, contra euidentem rationem, & experimentum, cum reuera febris illa à pure, & putrida pulmonis substantia claram originem trahat: quia (vt dixi) si exsiccatis validè pulmonum vlceribus, & crusta creata, impeditur humorum affluxus, & putredo depascens, simúlque puris creatio, calor hecticus statim deficit: si verò crusta ob nouam fluxionem, aut cariem pulmonis rursus decidat, febris redit rursus, quia noua suppuratio, aut excrementorum, aut noua putredo carnis pulmonum suscitatur, à quibus febris etiam. Vnde meritò Cardanus *lib. de erroribus medicorum, errore* 65. dolet, quòd medici veram phthisis medelam perdiderunt, quia propter thoracis constrictionem, & hecticam febrem, & eius accidentia humidis vtuntur, cùm vera cura sit vlceris exsiccatio; inde dum humidis augent causam principalem, & curant ramos, curam palliatam faciunt perducendo ægros ad mortem miserabiliter, & decipiendo, & male faciendo: diceret melius, causa hecticæ in phthisicis est pulmonia, & excrementorum putredo, purísque generatio, hæc ab vlcere emanant, vlcus à salsa aut acri fluxione, nisi ex ruptura vlcus euenerit; erit ergo vera medela fluxionis auersio, vlceris exsiccatio post mundificationem, vt noua caro creetur: quibus factis omnia cessant, etiam febris; at metu hecticæ, & siccitatis humectare corpus, reddit vlcus malignius, & sordidius, & indè omnium accidentium, & febris radix augetur, sicque in medela planè mentiuntur. Ergo vt in phthisicis hectici caloris planè focus agnoscitur, vlcus nempe pulmonis, cum putridis excrementis, & pure, sic in alia quavis hectica suus partialis, & proprius focus, aut causa admittenda sunt, sine

quo

quorum cognitione hecticæ cura frustra tentatur: dixi consulto. *fol.* 19. aut causa; quia, etsi omnis hectica sine causa non sit, non tamen omnis causa habet rationem foci, quia vt *proprio tractatu* docui, ex viscerum densitate, aut pororum firma occlusione hectica datur, in quibus non erit proprius focus putredinis, quia ibi nihil putret, cùm sola fuligo cohibita febris sit author; si verò eam partem focum appellare velis, quia in ea semper seruatur calor, vt cor, & reliquæ partes incalescant, non reclamabo, dummodo febris, non putredinis focum appelles. Magister meus *lib. de febr fol.* 610. de foco hecticarum tam confusè, vt solet loquitur, quod non sit facilè mentem eius tenere.

QVÆSTIO VII.

De cineritio post putredinem derelicto.

DE cineritio disentiendum est quid sit, & si potest rursus putredinem concipere, & rursus si ex materia omnium febrium sit concedendum. De primo concors est omnium opinio, quod cineritium sit illud, quod post humorum, aut alterius rei putredinem remansit sub forma terrea, & crassa, quia in vapores, aut fuligines tenues non potuit à causa putredinem inducente mutari: & desumitur similitudo à lignorum vstione, illa enim secundum partes inflammabiles ignem, & fumum concipiunt, secundum alias verò minimè, sed in cineres mutantur, quia postea, etsi igni vehementi exponantur, nec igniuntur, nec flammam concipiunt, sed calorem solum contra naturam, à quo si ignis separetur, statim se liberant, & frigidi percipiuntur. Sic Galenus 2. *de diariis febr. cap. vltimo* scripsit; *Et quidem eodem modo putrescentium humorum caliditas permanet, donec omnino fuerint assati. Paucum autem reliquiarum terrestrium restare ex humoribus est verisimile, non sicut ex lignis plurimum, quoniam in eorum substantia, humidum, & non siccum praualet elementum, ita vt si aliquam ex exterioribus humoribus elixare volueris, velut oleum, vel vinum, minimum quid terrestre relinques, &c.* Ergo pars terrea est, quæ dum humores putrescunt, assatur simul, & quia in fumum, aut vaporem conuerti non potest, incineratur omni ferè humiditate euaporata, & hoc est cineritium ex putredine ortum: quod expertus Philosophus 1. *metheor. capit.* 10. dixit, omnia quæ putrescunt, primò humidiora, deindè secciora, & tandem terram, & cinerem fieri: *Quæ putrescunt* (inquit) *primum humescunt, demum siccitatem contrahunt*: & inferius scripsit; *Ob eam enim rationem putrida omnia ficciora fiunt, & tandem terra, & cinis.* Ex quibus liquet, in omnibus rebus putrescentibus dari partem terream, quæ à calore assata in cinerem aut formam terream mutetur; nam humido euaporato, siccum, & exsucce manet, quod à calore non dubiè assatur. Quæ doctrina de mixtis propriis intelligenda est, & nullum Philosophus excepit. Galenus verò *loco citato* ex 2. *de differentiis febrium* oppositum docuit iis verbis: *Et quidem feruentibus a caliditate extenuatis, eorundem substantia cum febres consistunt, atque declinant, in ambientem aerem dissipatur, superfluitas autem vel exigua admodum remanet, vel nulla, in crassioribus quidem humoribus pauca, in serosioribus autem nulla.* Est verò conciliada hæc diuersitas, quod Aristoteles loquitur de putredine vltimata mixtorum, hoc est de illa, per quam tota mixtorum humiditas consumpta à calore putredinali fuit; in ea enim semper quod terreum est, assationem patitur. Galenus verò loquitur non de hac, sed de illa, quæ in serosis mixtis contingit, in quibus calor putredinalis antequam totam eorum humiditatem depopuletur, euolat terreum cum ipsa euaporatione, & sic antequam ex toto humor

A absumatur, pellitur extra corpus, quod in cineritium permutandum erat, & inde iuxta Galeni placitum, ex humoribus serosis nullum remanet cineritium ad creationem nouæ accessionis conducens, quod satis difficile apparet: & videtur mihi satis probabile, quod putredo in serosis humoribus nunquam illos ad cineritium perfectum trahat, quia quod remanet (si remanet aliquid) non exsiccatur tam intensè, vt sub forma cineris, aut terræ remaneat, sed liquidius, aut humidius multò quàm cinis, aut terra sit; est enim in talibus aquæ copia multa, minimum verò, aut paucissimum illius quod inflammabile est, & ita prius hoc resoluitur B quàm humiditas tanta absumatur, sicque accessiones cessant priusquam totus humor consumptus, resolutúsve sit, & ita quod remanet, cinis nondum factum est, sed mixtum quoddam corpulentius, aqueum tamen, aut nondum tam exsiccatum, quod cinis, aut cineritium appellari possit, sed melancholicus potius, ob quod & quotidiana, & tertiana in quartanam permutari solent si diuturniores fiant; multum enim crassum, & terreum derelinquere solent melancholiæ naturam æmulatum, quod quartanæ materia solet esse, sic enim febres erraticæ quartanam præsagiunt, quia cineritia inæqualia significantur, à quibus erraticæ febres creantur, de quo *cap. de quartana* incidet sermo.

Ex dictis soluitur secundum dubium, nam quod ex accessionibus prægressis remanet, potest non dubiè rursus putrefieri, & interdum non potest: potest quidem, si C quod remanet, exsiccatum omninò non sit, in quem sensum dixit Hippocrates 2. *aphor.* 12. *Quæ relinquuntur in morbis post iudicationes, recidiuas facere consueuerunt*; & Galenus in expositione per ea quæ relinquuntur in morbis malorum humorum reliquias intelligit, quas necessarium est tempore putrescentes febres accendere, quo nomine vsus etiam Galenus fuit 2. *de differentiis febr. cap. vltimo* dicendo: *Parum autem reliquiarum terrestrium restare ex humoribus verisimile est*: eas verò terrestres appellat, non quia tam exsuccæ vt terra sint, sed comparatione ad partes humidas, & inflammabiles, quæ accessiones causarunt. Neque obstat si obiicias, quod si tales reliquiæ putredinem concipere possent, eam in ipsis accessionibus contraherent necesD satiò, quia in eis calor intensior quàm transacto iam morbo inuenitur, & per consequens si ab illo corruptæ, aut putrefactæ non fuerint, implicabit tempore quietis putredinem concipere. Respondetur, quod similis causa humores naturales putrefaciens, vt accessio fiat, potest cineritium putrefacere: est enim ad id patiendum paratum, vt constat; non potuit verò calor accessionis illud corrumpere, quia tempore idoneo detentum non fuit; requiritur enim certum tempus vt in illo putredo inducatur: hoc secundum causa accessionis non habuit, & sic ab alia corrumpitur; est verò eiusdem naturæ cum illa quæ primam accessionem suscitauit, putandúmque est, quod cineritium illud mouetur ad alium focum, si accessiones facturum est, in quo ventilationem impediens, quia obstruit, suscitatur causa putrefaciens illud, vt in prima accessione; neque E totum cineritium in foco accessionis creatur, sed per totum intra vasa manet, quia per totum humor accessionis distribuitur, & hoc est quod rursus ad focum determinatum pelli potest, vt accessiones faciat, siue focus sit idem, non tamen recidiua cum illo qui præfuit, siue alius de nouo, quia in diuersam partem pulsum fuit cineritium, vt patet.

Si verò humiditas omninò absumpta sit, non poterit cineritium quod superest, ex prægressis accessionibus intra corpus rursus putrefieri, ita vt nouam febrem, aut recidiuam faciat, quia illud non est inflammabile, nec in vstilagines, aut vapores à nostro, aut fuliginum calore permutari potest; non excitatur verò febris, nisi illa corpora mutentur. Nec obstat si dicas, quod si corpus

pus illud est mixtum, poterit rursus putrefieri, quia nullum mixtum inuentum est, quod eam passionem effugere possit, asserente Aristotele *loco method. citato*, omnia, excepto igne, putredini esse obnoxia. Respondeo propterea à nobis dictum fuisse, non posse rursus putrefieri, ita vt in corpore nouas accessiones creet, quia etsi putredinem possit experiri, non tamen intra corpus nostrum, quia à calore febrili (qui maior omnibus est) in cineritium fuit conuersum, & sic prout est in corpore, est putredinis incapax, licet exteriùs possit putrescere, vt nunquam lapis renum, aut vesicæ intra corpus putredinem concipit, quin potius in dies induratur magis; si verò humor per putredinem in elementa dissoluatur, & terra sit quod remanet, constat non posse putrefieri, quia propriè mixtum non est, est enim putredo passio mixtorum.

Hoc cineritium ex succorum putredine remanens, quod in inflammationibus mutatur in pus, & in febribus putridis, si intra vasa remaneat, in sedimentum vertitur, vt docet Galenus 3. *de præsagatione ex pulsibus, cap. 7.* iis verbis: *Atque hic est vigor accessionum vbi fuliginosum excrementum exspiratione, & contractione arteriarum natura expellit: Quod verò est veluti cineritium, non perindè (quia crassum est) potest excernere, sed per insignes quosdam meatus educit, hoc in partibus inflammatis pus est, in ipsis vasis sedimentum vrina.* Est verò intelligenda doctrina sedimenti, quod fiat in loco eodem in quo pus generatur: & vt pus non generatur nisi intra poros particulæ inflammatæ, sic sedimentum est excrementum vasorum creatum in poris eorum, vt docui *tractatu de coctione & putredine*, quia & pus, & sedimentum sunt excrementa nutritiuæ, & coctricis facultatis, intendentium conuertere in propriam substantiam partium quod alterant, nunquam verò assimilare possunt, nisi quod intra poros attractum est, vt nutriantur ex ipso; nam extra poros nihil vasa corrumpere alteratione assimilatiua possunt.

QVÆSTIO VIII.

Cur febres per determinata tempora repetant?

CVr febres repetant ex mente Galeni antea exposuimus, cur verò per determinata tempora, ita vt cuilibet humori sua debeatur determinata periodus, etsi difficile problema Galeno fuerit visum, indiscussum tamen reliquit; nullam fortè rationem, in qua ingenium pacatum quiesceret, inueniens; dixit enim 3. *de diebus decretoriis, cap. 8. Qua igitur causa sit ob quam in acutis morbis tertio quoque die plurimum accessiones fiant, in longis autem quotidie, vel quarto quoque die, non promptum est inuenire, nec in præsentia disquirere necessarium*; erat locus proprius *cap. vltim. libro 1. de differentiis febr.* vbi docere tentauit cur febres repetant, & cur circuitibus careant. Hæc duo explicuit, sed cur bilis per tertios, per quartos melancholia, quotidie pituita, tacuit, certè nescio si difficultati succumbens; & quia viaticum ferè nullum tantus author obtulit, variè authores senserunt de causa determinatæ periodi, quorum placita si vt iacent, referenda explicandáque forent, longissima, & fastidiosa satis tractatio nostra euaderet, de qua latissimè Magister noster *libro de febrib. à folio 612.* sermonem instituit, iam mendosè tamen, & vt solet obscurè, quod sine magno labore ad bonam, idoneámque methodum illum reducere sit impossibile. Ergo vt clarior resolutio nostra appareat, duplex determinatio in repetitionibus notanda venit: prima in die, secunda in hora eiusdem diei, quando in quotidianis, tertianis, & quartanis, non solùm determinatis diebus, sed hora inuariata etiam accessiones redeant; &

A cùm sit facillima solutio, cur eadem hora, ardua nimis, intricatáque, cur pituita quotidie, bilis per tertios, melancholia per quartos nouis accessionibus molestent, vt in littera capitis Auicenna docet, & est omnium concors opinio, ab experimento planè desumpta: Hippocrates *in initio lib. de morbo sacro* dixit, quod epilepsia non videtur magis sacra, quàm circuitus quotidiani, tertiani, aut quartani, nec minus isti quàm illa à Deo fieri, etiamsi tales circuitus nihil admirabile habeant. Sed certè, & sacer morbus, & determinatæ periodi mirabiles satis sunt, & non leuiter causæ epilepsiæ, modúsque afflictionis, vt & repetentiæ febrium certis diebus ingenium solicitant; miror tamen asseuerare aliquos quod Galenus causam certam determinati

B circuitus reddiderit, cum nullibi scripta inueniatur. An verò ex eius præceptis possit inferri, inferius videbitur.

Pipiunt multi, & dum paradoxa docere putant, veritatem celantes obscura simul, & improbabilia proferunt. Reiiciendi igitur recurrentes ad astra, vt multi Astrologi cum Conciliatore: culpandi etiam occultam proprietatem colentes, quam vt Deam ad soluenda difficiliora, & abstrusa adorant; sic enim nihil foret difficile, & ad occultum principium recurrentes, occultam magis, & obscuram doctrinam proponunt, in quorum numero vt primus author Gentilis traditur, ignoro si bene socius noster *lib. 1. de febrib. disput. 8. fol. 485. numero 15. vsque ad 19.* communiorem, magisque plausibilem opinionem scripsit, ad quam sua-

C dendam supponit, quod in humoribus sola putredo est, quæ naturam solicitat & cogit, vt eos ad focum reiiciat, in quo Mercatum æmulatur, & alios. Vnde *numero 17.* infert, quod quilibet humor certo, & determinato tempore qualitatem putredinalem comparat, qua certo, & stato tempore naturam vellicat & irritat, & inde inconcussæ, & infallibiles accessiones emergunt. Ratio autem (inquit) quare humores diuersо tempore putrescant, petenda est ex cuiusque humoris natura, nomine cuius intelligimus facilitatem, aut difficultatem ad suscipiendam putredinem. Quare pituita, quæ frigida, & humida est, ex peculiari temperamento habet, vt quotidie putrescat, nam etsi frigiditate resistat putredini, humiditate tamen maximè auxiliatur, & fortè aliis qualitatibus secundis, & inde quotidie

D accenditur: similiter licet bilis ob siccitatem resistat putredini, verùm ob tenuitatem, calorem intensum, & alias qualitates citius putrescit, quàm melancholia, & sic temperamentum habet vt per tertios repetat, melancholia verò siccitate, & frigore plus resistit putredini, & sic tardius, per quartos nimirum, repetit. Idem iudicium in epilepsia, suspirio, vel asthmate, cephalea, morbo gallico, & articulari sequitur, in quibus causa necessariò putrescit, si circuitus determinatos mouere velint, licèt putredo ad excitandam febrem sufficiens non sit.

Aliud principium determinati circuitus adducit, cineritium nempe ex anteacta accessione in foco putredinis derelictum; nam illa causa in accessionibus plus

E cineritij, aut fomitis derelinquens, citius accessiones reiterat, & quia pituita est aquea, frigida, crassa, & viscida, plurimum cineritij relinquit, & sic quotidie repetit; bilis verò quia tenuior, relinquit minus, & ita tardius accenditur, & mouetur per tertios: verùm melancholia, etsi frigida sit, & crassa, quia verò terreæ est naturæ, & vstioni parata, relinquit minus in foco, & inde tardius accenditur, & solùm quarto quoque die molestat. Alias tres causas, quarum fuit author Haliabbas 8. *theorica* tacuit, Platonem sugillans, quòd motui elementorum causam circuitionis dicauerit: bis Doctor Matamoros suæ mentis paradigma exposuit.

Adducta opinio, quæ ex parte verior mihi videtur: accurato examine & solicito scrutinio indiget, multa

quippa

quippe difficillima includit. Sit primum id quod vltimo dixit de cineritio; nam in serosis humoribus nullum admittit Galenus, & tamen in illis sua etiam datur periodus. Verba adduximus antea *ex vltimo cap. lib. 2. de differ. febr.* Secundò quia si cineritium ex partibus terreis creatur, nullus humor magis quàm melancholicus plus cineritij relinquit, ad quod cum terrea natura non parum conducit crassities, quod & indicat terra si cum alijs elementis conferatur. Tertiò, quia non explicat si cineritium se habeat vt materia, vel vt agens pro noua accessione; quidquid dicatur, videtur difficile, nam respectu secundæ accessionis non potest esse tanta varietas in cineritio, vt ad tantam differentiam, vt in circuitibus experimur, conducere possit: nec hic author distinguit quantitatem cineritij ab actiuitate; nam etsi bilis minus quàm phlegma cineritij relinquat, potest tamen esse actiuius multò, vt est sine dubio: conducet ergo ad celeriorem repetitionem. Sed peccat grauius, quia totam suam doctrinam de sola putredine tradidit, cùm sit communis opinio, quod per vstionem etiam febres creantur, ad quam non potest esse similis in humoribus propensio illi quam ad putredinem habent, vt inferius videbimus.

Est ergo conclusio nostra; quilibet humor potest quotidie, per tertios, & quartos repetere, etiamsi frequentius sit pituitam quotidie, bilem per tertios, & melancholiam per quartos repetere. Primum probatur ex tertiana notha maioris famæ appellata, in qua conueniunt omnes, pituitam simul cum bile accessionem efficere: idem in quartana notha experimur, in qua pituita cum melancholia accessionem creat; sic in tertianis spurijs similiter melancholia sæpe miscetur, & bilis in quartana, & in quotidiana spurijs similiter alij permiscentur humores; ergo in eodem tempore omnes humores concipiunt putredinem, ergo seorsim concipient. Patet, quia agens putrefaciens non inducit citius in bile putredinem, quam pituitæ misceatur, quia sequeretur quod pituita retardaretur, cum sint agentia ex diametro, & dissymbolicè opposita, quod est planè absurdum. Nec obstat, quod Gentilis insinuat, nimirum quod pituita, vt cum bile tertianam creet, reducitur prius ad naturam biliosam, & melancholia similiter, sic in quotidiana spuria reducuntur prius alij humores ad naturam pituitosam; quam doctrinam Magister meus etiam sequitur. Sed contra est euidens ratio; nam in tertiana notha inueniuntur planè accidentia debita humori pituitoso, quatenus talis est, quando quotidianam generat, somnus nimirum profundus, qui humori bilioso tam alienus est, & omninò contrarius: accessiones minus siti fatigant, longissimæ sunt, rigor minor multò, sed longior, vrina minus incensa, morbi constitutio longior multò, vomitus si dantur, pituitam non permutatam planè ostentant: crassissima enim, & viscida, albaque euomitur, & auxilia permixta ex pipere & ptisana à Galeno in curatione imperata, absurdam esse Gentilis doctrinam confirmant. Nec Galenus eam præternaturalem mutationem in pituita notauit, quando tertianam causat; peccaret enim turpissimè, si eam in curatione non animaduerteret: ex quibus constat insignis variatio in humorum corruptione, quando accessiones creant, & totam rationem repetitionum pendere ex proportione agentis ad passum, quam Doctor citatus obliuioni tradidit; cùm omnia variatio ab ea dependeat, & sit euidens in Philosophia, quod si hoc agens in tanto tempore hoc passum putrefecit, si agens duplo efficacius applicetur, corrumpet passum in tempore dimidio, præsertim si in passo detur maior dispositio vt potest dari.

Et confirmatur efficaciter in febre continente, in qua continuè, seu continenter humores omnes pu-A trescunt, & vnicam accessionem, eámque vniformem causant, quod esset impossibile, si bilis per tertios, melancholia per quartos, & pituita quotidie infallibiliter putrescerent. Patet claré, nam in primo die febris continentis omnes humores cum sanguine putrescerent, in die secunda daretur nouum incrementum ob pituitæ putredinem, quia bilis vsque ad tertium corruptionem non patitur, vnde in eo die nouum febris continentis incrementum daretur ob bilis nouam reaccensionem, & in quarto similiter, sed longius, quia melancholia vsque ad quartum non repetit in hac opinione, quia vsque ad illum putredinem non concipit, & sic omnis continens putrida, aliud non esset quàm febrium diuersarum complicatio, & diuersorum incrementorum confusio, & permistio, quod est B contra Galenum, & commune medicorum placitum, & experimentum. Ergo in continentibus datur agens tam validum, quod omnes humores æquabiliter alteret, & sic non cessat putredo, sed continenter omnes humores occupat, & non solùm quolibet die, sed qualibet duratione, noua excitatur corruptio, vt idea continentis emergat; ergo vt agens tam validum continenter humores omnes corrumpit, poterit dari aliud quod quotidie bilem, aut melancholiam putrefaciat: nam si qualitates, & modus substantiæ naturales nequeunt nisi in tempore determinato putredinem concipere, implicabit omnino, quod continuè putrescant, ac per consequens cùm in continentibus oppositum eueniat, vincitur illa resistentia ab agentis efficacia: ergo eiusdem actiuitas minus quàm in continentibus C poterit quotidie bilem corrumpere, & minor multò non poterit pituitam vsque ad tertium, aut quartum, & sic per tertios, aut quartos repetet.

Idem argumentum ab experimento confici potest; experimur enim frequentissimè dari accessiones quotidie repetentes ex bile, & pituita, & cum bilis excessu maior, in quibus nec in hora repetitionis, nec in modo affligendi aliquod discrimen datur, vt constet planè ex vniformitate accidentium quod eadem sit pars mittens, & idem etiam focus, ac per consequens quod ab eadem parte, aut agente, pituita & bilis quotidie putrescant. Et viget hanc partem opinio dicentium (iuxta mentem, vt putant Galeni) quod continens febris ex sola bile fieri possit, in qua non per tertios, sed continenter bilis putrescit, quod respiciens Galenus 2. *de* D *crisi. capite tertio*, dixit: *Et nos hucusque quidem biliosam febrem ratione concepimus, nondum autem tertianam.* Rationem reddit; quia, & continuæ, & ardentes, quas causonas Græci vocant, ab eodem humore fiunt, & ab eisdem causis proueniunt. Sed vrgenter probatur nostra conclusio ex temperie bilis ad concipiendam vstionem, nullus enim humor vstioni magis idoneus agnoscitur, quia calidus, & siccus à prædominio est: & contraria ratione, nullus magis quàm pituitosus, vstioni repugnat; implicat ergo quod a causa æ latente tam facile pituita sicut bilis vratur: ergo per breuiora interualla repetet bilis, & per longiora pituita, si febris per vstionem creetur. Et confirmatur ex commodissima Galeni, & Medicorum doctrina 8. *method. ca-* E *pite octauo*, vbi naturam calidam, & siccam promptius quam alias febricitare docent; ergo bilis agenti inducenti putredinem applicata, citius quàm pituita eam mutationem concipiet, euidens enim videtur quod modò proponitur: vnde Galenus *citato cap.* naturam frigidam, & humidam ab inedia non inflammari nisi tardissime, & post alias naturas docuit, cùm tamen inter causas inducentes febrem inedia primator. Et noster Princeps *cap. 3. de corporibus ad febrem preparatis*, scripsit; *Et corpora frigida & humida, & frigida & sicca sunt longinquiora a febribus, & proprie ab ephemera*; ergo si humida, & frigida temperies est longinqua à febribus, & post alias quatuor naturas

collo

collocant, ridicula assertio est, quod pituita ex se quotidie suscipiat putredinem, quia frigida & humida, quando talis temperies à febre longissima est; quod euidens experimentum ita esse suadet; nam si homo pituitosus soli ardenti exponatur, aut non inflammatur, aut tardissimè, biliosus verò breuissimè. Ergo euidenter constat, quod si temperiem naturalem attendamus, resistat plus putredini, aut vstioni pituitosus humor, quàm biliosus; aliunde ergo breuior repetitio quàm ex naturali temperie expiscanda est, nam ex ea nullus humor citius quam bilis vstionem, & nullus citius, quàm sanguis putredinem patietur, & sic ex sanguine quotidianæ deberent creari, quia & in naturali temperie ad putredinem maximè accedit, quia humidus & calidus, & nullus in copia maiori inuenitur. Nec est alicuius momenti solutio Mercati *libro tertio, de caus. febr. ad finem:* dicit enim quod etsi ob calorem, & humiditatem sit sanguis putredini aptior, verùm ob familiaritatem maiorem non pellitur à natura, nisi post formæ amissionem: tunc verò iam in bilem, & melancholiam migrauit, & inde sub sanguinis forma nullam repetentiam induit. Sed contra est, quia sanguis quantitate irritat, vt extra controuersiam omnes concedunt, & constat in inflammationibus promptissimis: ergo melius pellitur, si quantitati immodicæ noua occasio irritandi, putredo nempe adiungatur.

Deinde ex dolore pleuritico argumentum non leue conficitur, in eo enim non prius dolent, quàm febricitent; ergo statim ac pellitur ad locum inflammatum humor biliosus, concipit putredinem in loco inflammationis, & non sperat diem tertium, alioqui doleret prius, quod est falsum. Si verò respondeas putridum reiici; contra est, quia antecederet semper febris morbus febrem illam, quam symptomaticam Medici appellant, & per consequens in omni inflammatione daretur duplex febris, quod nullus dixit: si verò dicas quod putredo antecedens non fuit sufficiens pro febris excitatione, fuit tamen pro irritatione, vt ad locum inflammatum truderetur, vt communiter dicitur in febribus extra inflammationem, contra est, quia supponit hæc opinio, quod bilis pelli non possit ob solam copiam, & mordacitatem sibi naturalem, quod est falsissimum, & in ipsis inuasionibus accessionum planè experimur, quod multa copia bilis, & aliorum humorum absque aliqua putredine reiiciatur per vomitum, aut secessum: & ego inquiro, vnde implicat, quod iecur maiorem copiam bilis creans, non possit per certa interualla illam reiicere, quin prius in ipso putrescat; & vt *tractatu de rigore* videbimus, causam omninò frigidam, & frigore irritatam expelli Auicennas tradit, & in *hoc capite* docet. Et hoc argumentum vrget satis Magistrum meum opinantem etiam, quod determinati circuitus in quouis morbo pendent semper ex putredine causæ expulsæ: quod esse falsum menstrua purgatio docet, & aliæ innumeræ fluxiones, & epilepticæ accessiones, certis temporibus euenientes. Et ratio à priori est efficax, quia distemperies excrementa creans potest esse inuariabilis; ergo eodem tempore excrementa expellenda ad focum accumulabit: ergo & pellet determinatis periodis absque vlla putredine: aut negandum est, quod per solam copiam expulsio excrementorum fieri possit, quod est contra communem medicorum consensum. Sed vrgeo magis, quia quod paulatim vitiosum accumulatur in parte mittente, non creatur ab illa optimum, & post corrumpitur, sed vt generatur à parte, generatur vitiosum, quia pars illa prauo temperamento quicquid alterat disponit, & sic in eodem tempore congerit quantitatem, & qualitatem vitiatam, seu præternaturalem: & cùm hoc sit euidens, est etiam quod non sperat biliosum

A excrementum diem tertium in parte mittente, vt post eius generationem putrescat, sed eadem mutatione prauum accumulatur: & cùm hæc praua dispositio cum quantitate variationem magnam suscipiat, sic & accessiones à quolibet humore variari possunt ob tardam, aut celerem generationem excrementorum, aut humorum accumulationem. Sic expressè Auicenna circuitus tertianos, & quartanos interdum pituitæ vitreæ tribuit: verba sunt *capite de febre epiala. Verùm propter grossitudinem materiæ suæ conuertitur quandoque in tertianam, & quartanam, quoniam huiusmodi materia in corpore est pauca, & pauca putrefactiones* B *accidunt raro, & paucitas eius est ex causis elongationis periodi, & hoc non extrahit ab ea quod sit phlegmatica, propterea quod putredo eius est putredo phlegmatis, & non propterea quod putredo phlegmatis redeat omni die.* Simili fundamento quintanam, & septimanam ex humore melancholico admittit; quæ testimonia quia negare Magister non potuit, veritatem, & nostram sententiam admittit dicendo, quod ob paucitatem materiæ, & resistentiam ad concipiendam putredinem potest pituita vitrea tertianos, & quartanos circuitus celebrare.

Ex quo deduco, idem contingere posse in aliis humoribus, quia paulatim possunt congeri ob debilem attractricem, & sic tractio remissa correspondet paucitati materiæ, & quia agens putrefaciens potest esse remissum, remorabitur circuitus, quia actio C remissa eundem effectum causat, quam resistentia materiæ; vtrumque enim effectum remoratur, vt constat: & è contra sicut paucitas materiæ, & resistentia ad putredinem tam insignem differentiam in repetitionibus causat, vt humor qui singulis diebus repetiturus erat, repetat per tertios, quartos, quintos, & sextos, ita agentis putrefacientis robur, & promptitudo materiæ ad concipiendam putredinem cum multitudine, facient non dubiè quod humor qui quarto accessiones efficere tenebatur, repetat quotidiè, & per tertios; nec hoc potuit Magister soluere, sed ad libitum negat dicendo, quod in aliis speciebus humoris tanta differentia vt inter species pituitæ non datur, in quo planè peccat, nam bilis vitellina, & D porracea, si accidentia earum contemplemur, non minus à naturali distant, quàm vitrea pituita à naturali melancholia, quàm illi humores pituitosi inter se: nam melancholia naturalis securissimas febres excitat, desperatas verò & irremediabiles atrabilis: hæc terram fermentat, nigredinem splendentem vt gagates ostentat, muscas abigit, acidissimáque est, & simul corrosiua & exedens, quam prauitatem in tantis accidentibus melancholia naturalis recusat. Idem discrimen inter bilem vitellinam, porraceam, & æruginosam, si cum pallida bile naturali conferantur, inuenies; vnde Hippocrates *de veteri medicina* dicebat: *Iidem, in quibus acuti, & acres, & æruginosi humores mouentur, quasi mox rabie, & morsu viscerum, & desperatione corripiuntur.* Et inde 4. *aphorism.* 24. dixit Hippocrates: *Difficultas intestinorum si ab atrabile inceperit, lethalis est;* E & Galenus omninò insanabilem prædicat in expositione, cùm tamen si à bile naturali dependeat, sanetur omnino, & nescio si à naturali debeat admitti, cùm sit tam naturalis eius per intestina deriuatio, & cùm in stercoribus, & vrina perennis transmissio, & nunquam has vias exulceret.

Nostram sententiam Hippocrates tradidit 2. *de natura humana, text.* 27. vbi dixit, quotidianam, tertianam, & quartanam ab eodem humore fieri. Verba sunt: *Febres plurimæ à bile fiunt, species sunt quatuor, præter eas quæ ab occultis doloribus generantur: nomina ipsarum sunt continens, quotidiana, tertiana, quartana, &c.* Non me latet citatum librum spurium à Galeno censeri, sed quid inde si vera dicit, aut possibilia. Hanc sententiam

clarè

elatè docuit Auicenna *cap. de quartana, sextana, nonana*, iis verbis: *Nam melancholia generat quartanam, non propter hoc ipsum quod ipsa est melancholia, imò propterea quod ipsa est pauca, grossa, &c.* Et eandem veritatem confirmans in pituita etiam alios paroxysmos à quotidiano ingenuè admittit; cuius doctrinam tam claram videndo Gentilis, & suum philosophandi modum euertens radicitus, non potuit idoneè exponere, sed in ipsa expositione si attentè legatur in nostram sententiam incautè incidit. Iacobus verò super eundem locum nostram doctrinam cum suo Patrono recipit. Celsus *lib. 3. in fine, c. 14.* scriptum reliquit: *Nam quartana neminem iugulat, sed si ex ea facta quotidiana est, in malis ager est, vbi perniciem pollicetur, si quartana in quotidianam mutetur*: quod verum non esset nisi ab eodem humore quartanam causante quotidiana crearetur, alioqui securior esset permutatio. Nec obstat, quod paulò antea dixerat; *dandáque opera est ne qua cruditas in quotidianam id malum vertat*: nam illa cruditas non significat materiam quotidianæ, sed nouam occasionem efficacioris agentis putrefacientis humorem melancholicum, aut causam obstructionis maioris, & duritiei lienis, ob quas occasiones quotidie fiant incrementa melancholica: quæ permutatio, dum hæc scribo in duabus monialibus ex simplici quartana successit, & vna intra septem dies animam egit, alia verò quotidie accessiones patitur vniformes omninò in hora, & in modo afflictionis cum perpetuo ptialismo, vt verè dicas quotidianam ex melancholia verè pati, quia nulla, nec minima differentia per quartos dies in accessionibus inuenitur. Itaque cruditas esse potest occasio vt ex humore melancholico quartanam prius faciente, quotidiana ex eodem humore excitetur, quia obstructiones augentur, calor natiuus extinguitur, lien tophaceus redditur, sicque minus melancholiam expurgat, coctiones frustrantur, ob quæ, vt in quotidianam, sic in continuam quartanam, & non sine periculo degenerat, vt quotidie experimur, & Galenus docuit, vt *proprio cap.* leges: ex modo verò expositionis Cornelij Celsi vel facilè inuenies, quàm oscitanter ipsum Magister legit, tanti authoris celebre præceptum parnipendendo.

Hæc sunt suadentia nos, quod non sit perpetuum bilem per tertios, melancholiam per quartos, pituitam verò quotidie repetere, quod & quintani, sextani, & nonani circuitus planè comprobant, quos à pituita, aut melancholia suscitari publicum est, & propriis capitibus videbimus, quod Galenus respiciens 2. *de differentiis febr. cap. 4.* ita loquitur: *Quotidiana singulis diebus accenditur, quamvis minus calida sit quàm tertiana, quæ biliosa est.* Expendo verba vltima, *quàm tertiana, quæ biliosa*; ergo dari potest tertiana iuxta Galeni mentem, quæ biliosa non sit, alioqui esset nugatio si tertiana est necessariò biliosa; & quod quotidiana à sanguine ob multitudinem, & facilem putrescentiam creari possit, ex Galeno deduces 1. *ad Glauconem, cap. 7.* vbi in quotidiana vrinam rubram tanquam signum illius in principio adducit, quod signum irrationabile videtur si à pituita necessariò oritur, & in magnas angustias incides, vt explices cur in pituitæ copia lotium rubrum vt signum possit tradi, quod testimonium Arabia non capiens, prauam expositionem commentus est; Argenterius verò difficultati succumbens testimonium illud exponere timuit, illudque subticuit.

Sed laboriosum est explicare, cur dicti humores frequentius relatos circuitus moueant? ego quidem oppositum censeo si experimentis stemus, cùm tam rarum sit legitimas, & exquisitas febres inuenire; verùm quia communissima opinio est, quod bilis per tertios, melancholica per quartos, & pituita quotidie accessiones moueant, & id esse frequentissimum; ratio maioris frequentiæ petitur, quam probabilissimè authores referunt ad frequentiorem concursum causarum alterantium conditionem ad putredinem, & resistentiæ ad illam, &

A meo iudicio ad maiorem dispositionem ex parte materiæ, vt in fuligines, aut vapores calidos permutentur humores; nam sine hac permutatione febres putridæ nunquam creantur. Pro quo notabitis, quod radix tota circuituum determinatorum ad dispositionem in parte mittente acquisitam referenda est: constat, quia diuersitas temporis in foco ad inducendam febrem, postquam humor ad illum expulsus est, tam parua est, vt nequeat repetitio ad illam reduci; nam à refrigeratione quotidianæ ad febris accensionem, & à rigore tertianæ, & ab horrore quartanæ, paruum intercit tempus, vt constat, paruúmque discrimen inter ipsas febres datur: ergo in parte mittente discrimen repetitionis per tertios, aut quartos, aut quotidie inueniendum est.

B Secundò notabitis doctrinam Galeni 1. *ad Glauconem, cap. 5.* vbi docuit, raiò dari quotidianam absque ventriculi læsione, nec tertianam sine iecoris detrimento, nec quartanam sine vitio lienis; vitium huius est non expurgare melancholiam vt decet, sicque redundat, vt sit occasio quartanæ: detrimentum iecoris est quod accendatur, & plus bilis generet, ventriculi verò læsio est, quod plus crudorum succorum, & pituitæ etiam generet. Ex iis principiis frequentior, aut tardior repetitio expiscanda est, ventriculus enim maius viscus est, & cum tota alimenti quantitate pugnat, vnde grandem copiam succi pituitosi tempore breuiori accumulat, aut in se, aut ad vasa distribuit. Rursus huius humoris naturaliter maior copia datur, & huic maiori copiæ additur etiam copia noua ob ventriculi vitium, quo fit,
C vt in parte mittente occasio expulsionis ad focum breuius excitetur, quia copia est maior, & humoris crassissimi, vnde citius oneratur, & ventilatio impeditur, vt putredinis principia citius concipiat, fuliginem nempe multam, & crassam, quæ difficulter expellitur, aut resoluitur; sicque pars mittens ocyus vitiatur, vt citius pellat; estque promptissimus succus pituitosus, vt magna copia vaporum crassorum ex ipso eleuetur: iecur verò viscus moderatius est, & alimentum à sordibus tam crassis, & multis defæcatum purúmque suscipit, sicque humorem biliosum plus generans non repetit, nisi per tertios, quia huius humoris minus, quàm pituitæ datur, minus etiam multò obstruit, minus euaporat, & effumat, sicque in parte illum colligente tardius disponitur præter naturam vt pellatur: lien
D melancholiam non generat, sed eam in quartana vt debet non expurgat, vnde necesse est, quod tardius repetat, quia copia pro accessionibus requisita tardius colligitur; tum quia huius humoris minor copia quàm reliquorum datur, tum quia non generantur à liene, vt dixi, reliqui humores, maximè vt maior copia genita præter naturam addatur maiori naturali; est etiam humor minus euaporans, quia vt dicit Galenus, accenditur ob siccitatem, & ob terream naturā quasi testa putredini ex diametro opponitur: sola crassities est quæ ad obstruendum conducere potest, verùm hæc à reliquis vincitur, vt tardius repetat. Hæc attendenda sunt ex parte humorum, & multò magis quàm temperies primarum qualitatum, hæc enim ad vstionem reddit bilem reliquis
E capaciorem, nec ad putredinem habet pituita maiorem promptitudinem quàm bilis, quia est frigidissima omnium quæ sunt in corpore: bilis verò calidissima est, nec est tam sicca vt frigida pituita, docente Galeno in omnibus humoribus esse humidum elementum prædominans, & mihi (vt notaui) euidens apparet, quod bilis si agenti putrefacienti applicaretur, putredinem citius quàm pituita conciperet, aut inflammaretur, aut est absurda Galeni doctrina, quod calida, & sicca natura sit ad febres paratior, cum nulla absque putredine, aut vstione suscitetur: quod dubium nemo quem legerit olfecit, cùm tam perspicuè breuiori putredini phlegmatis opponatur: quod non ignorans Galen. 2. *de differentiis febrium, cap. 1.* inter signa quotidianæ

exquisitæ tradit, quod cum difficultate calor accendatur: & 2. de crif. c. 10. de accessione tertianæ dixit, quod accensio in augmento, & vigore celeriter fit, & æqualem, & liberam habet celeritatem. Est autem euidens, quod si in foco liberius, & æquabilius, celeriúsque bilis accenditur, quod semper ab æquali agente idem patietur, ac per consequens vt pituita citius putrescat, & cum tanto discrimine vt in quotidiana respectu tertianæ experimur, efficacius agens putrefaciens supponendum est in parte mittente, alioqui tardius repetet quàm bilis.

Cinerltium derelictum ex prima accessione ad breuiorem, aut tardiorem repetitionem conducere, authores cum Galeno tradunt: dixit enim 1. *de differentiis febrium, cap. 4. ad finem. Quæ autem ex pituita febris accenditur in accessionum declinationibus integrè non expurgatur, nec parum relinquit eius quod veluti succendi videtur; hinc ergo eius intermissio longè deterior, ac secunda accessionis festinantior est inuasio.* Et sequenti cap. *de quartana* sic scripsit. *Atque intermissio exquisitè pura videtur, quoniam & hic quicquid atræ bilis fuerit accensum, exhauritur, atque dispergitur.* Et paulò supra: *Vbi verò ex eo aliquo flamma fuerit accensa, nihil fumidum, aut semicombustum in accessione relinquit, atque idcirco in hoc humore copiosiores sunt euacuationes, quàm in pituita*; deberet etiam Galenus inferre: & secundæ accessionis tardior inuasio, si ob impuritatem intermissionis quotidianæ secunda accessio festinat. Sed mihi videtur quod etsi nullum cineritium remaneret, fierent circuitus eisdem diebus, quia repetitio determinata non pendet ex illo, sed ex dispositione partium mittentium in ordine humorem determinatum modo iam explicato, qui cum tanta varietatem ex parte quantitatis, & agentis putrefacientis admittat, ex parte sensus partis, & qualitatis irritantis, & roboris, aut debilitatis virtutis expultricis, non implicat quemlibet circuitum à quolibet homore fieri, & continenter (vt in synochis fit) putrefieri, & probatum e fficaciter est, alioqui esset indubitabile; hæc febris per tertios repetit: ergo est biliosa: nec esset necessarium aliud attendere ad causæ cognitionem, quàm modum repetitionis, quod quàm alienum sit à ratione, & experimentis, vnusquisque repetire vel facilè poterit. Galenus 2. *de crif. cap. 2.* ad cognitionem exquisitam cuiusque febris multorum contemplationem commendat, sed principalissimè eorum quæ ad propriam substantiam pertinent; deinde iam ex iis quæ sæpius accidunt, veluti in ea febre quæ tertiana nominatur, non hoc tantùm aduertas, si tertio quoque die fiant accessiones, quæ in quietem & remissionem sine febre desinant; nam si duæ tertianæ fierent, aut duæ quintanæ, duæ quidem tertianæ quolibet die, per tertium autem duæ quintanæ accenduntur; quare vel duas tertianas, vnam quotidianam putabis, vel duas qoiutanas vnam tertianam. Sed formam ipsam febrium te inspicere iubeo, nec enim insultibus accessionum similes sunt, nec statibus, nec remissionibus, nec in caloris qualitate, nec in motu arteriarum, nec in iis quæ superueniunt accidentibus. Hæc aurea doctrina ad cognitionem exquisitam febrium maximè conducens, vt à Galeno traditur, ne Medicus à circuitibus fallatur, exprimitur à me vt nostræ opinioni auxiliatura; nam si quolibet die febris ex bile vniformiter repetit, vnde constat, quod sint diuersæ partes mittentes? ex nullo certè capite; nam è contra dicam ego in quotidiana, quod fit nimirum duplex pars mittens, & quod non est quotidiana, sed duplex tertiana. Ratio est clara, quia ex eo Galenus colligit, quod pituita quotidie repetat, quia quotidie noua accessio ex ipsa omninò vniformis redit, sed in tertiana duplici contingit quolibet die similis omnino repetitio: ergo est quotidiana ex bile, quia non curatur distinctin in parte mittente, sed vna & eadem est, quia accessiones sunt omnino similes; quotidie igitur pars illa idoneam copiam bilis accumulat, & disponit vt noua accessio: fiat est ergo quotidiana biliosa.

Dices casum esse impossibilem, quia si bilis quotidie repetit, non erit tamen sine aliquo discrimine notabili per tertios dies, ant in modo inuasionis, aut in accidentibus, ant accessionum longitudine: ex quo discrimine constabit, quod sit duplex tertiana, & duplex pars mittens, & non quotidiana. Sed contra est, quia Galenus ipse casum planè admittit 2. *de crif. cap. 9.* dicendo: *Tales quidem mistiones non est vniuscuiusque dignoscere, si qua vero febris in primo die exquisitè tertiana deprehensa, deinde die sequenti similem priori omninò fecerit accessionem, hac longè tolerabilior est, duplex existens tertiana.* Vides quod accessiones omninò similes quolibet die admittit: ergo malè duplex tertiana appellatur, sed quotidiana biliosa si omninò vniformis est, appellari debet, quia quotidie, eodémque modo repetit: ergo aut tertiana dicetur præcisè, quia à bile creatur, & quotidiana, quia à pituita, & sic quæstio cessat; aut si à die repetitionis denominatur talis febris quotidie repetens, & vniformiter à quouis humore pendeat, quotidiana vocabitur. Notabilis tamen quòd in quibusdam codicibus manifestus error inuenitur; nam loco quintanarum quartani circuitus ponuntur: implicat verò quòd duæ quartanæ vnam tertianam forment, benè tamen quintanæ duæ, vt supponunt manifestè constabit.

Cur verò non solum eodem die, sed eadem hora repetant, pendet ex inuariatis omninò accessionum causis, ob quod longam ægritudinem significare Hippocrates docuit 4. *aphor. 30.* iis verbis: *Quibuscumque accessiones fiunt, quacumque hora febris dimiserit, si eadem cras occupauerit, iudicium habent diffi.ile.* Galenus in expositione per iudicium difficile intelligit quod febris difficulter soluatur: ratione dicit esse, quia quando causa accessionum non fuerit fixa, & stabilita, non seruat circuitus eundem terminum; vbi verò firmata fuerit, servat, atque adeò difficulter solubile quod fixum & stabilitum, facile verò quicquid tale non est; firmata enim magnam vim demolientem exposcunt, quæ longo tempore, & per fortiora, ac plura auxilia fit; quod etiam Vallesius tradidit 2. *de differentiis febr. cap. vltimo*; sed melius multò Cardanus aphotismum exposuit, putátque pessimam Galeni interpretationem per iudicium difficile morbi longitudinem intelligentis.

Hactenus dicta non solùm intelligenda sunt de tribus humotibus, sed etiam de sanguine quarto humore, de quo Magister meus *folio 981.* doctissimè asseruit posse febrem intermittentem facere, & esse de natura tertianæ. Primum probat efficaciter, quia non implicat sanguinem putrefieri, & mitti extra vasa, vt quilibet humor, & quod rursus portio expulsa resoluatur, antequam alia in parte mittente congesta, dispositaque sit, vt noua accessio causetur; metitóque Vallesium irridet, quia propter familiaritatem putanit id repugnare; nam quod sanguis sit corruptibilis, & sic in inflammationibus contingere extra dubium sit, quod verò à natura molestara pellatur, etiam inflammatio ostendit. Et cùm publicum sit, à quantitate, & qualitate natutam stimulari vt pellat, & vtrumque in sanguine præter naturam esse possit, sic etiam omnis expulsionis occasio in sanguine datur: imdeo etiam quod quia familiaris putetur incorruptibilis, cum ex familiaritate maior solùm vtilitas inferatur, si sanguis præter naturam effunditur, necesse est suppurari, dixit Hippocrates: effunditur verò quando extra vasa reiicitur, sicque in inflammationibus contingit; suppurari verò significat corrumpi, vt Galenus exposuit.

Sed notabitis quod id quod de sanguine quarto humore docuit Magister, ego etiam intelligo de tota massa sanguinea; nam vt in continentibus omnes humores vna,

vns, & continentes putrescunt, sic possunt omnes simul per certas portiones corrumpi, vt intermittentes, & continentes febres periodicas suscitent, quod ego non semel, sed pluries in continuis præsertim obseruaui; quotidie enim accessiones molestabant, & discipulis ostendebam non inueniri in talibus accessionibus signum aliquod determinatum humorē ostendens, etiamsi accuratissimè symptomata, & excreta omnia contemplarentur, & sic docebam illos tales accessiones ex portione omnium humorum ad focum confluentium creari, meritòque Galenum docuisse, quod sit in prima contemplanda febris substantia, non attendendus repetitionis ordo, si leonem ex vnguibus venari cupimus: est enim fallacissimus cognitionis modus si repetitio attendatur, tanquam signum certum, vt exquisita causæ cognitio lucretur. Exemplum sit in biliosa febre, in qua si rigor adueniat, erit molestissimus cum vlcerosa lassitudine, vomitibus, & deiectionibus biliosis, febris intensissima per vigores, & augmenta cum d frequentis respirationis, & pulsus magno incendio debilis, sitis inexplebilis per totam accessionem fatigans, lingua sicca, aspera, pallida, & interdum nigricans, peruigilium, & delirium, præsertim per vigores; summa inquietudo ob incendium, & acrem conditionem bilis, ascensus caloris æqualis, & celer, lotium incensum nimia, & aliquando color totius mutatur: hæc si adsint, biliosam febrem euidenter significant, siue per tertios, siue per quartos, aut quotidie nouis accessionibus affligat. Idem in aliis humoribus iuxta propriam ideam speculabitor, vt docuit Galenus 1. *de crisib.* simplices febres, & exquisitas exponens, modos repetitionis contemnens: Quidam medici Principem quendam quartanis accessionibus oppressum, solam circuitionem æstimabant, & iuxta Galeni methodum *cap. de quartana* medebantur: pendebat verò quartana ex bile vsta, & inde calidis, & siccis tendebat in peius: alius in consultationem vocatus, symptomata omnia accuratè inuestigans, humidis, & frigidis, aquæ potu, & sanguine misso, breui & contra spem reliquorum quartanam eradicauit.

Quod verò sanguis tertianos circuitus præcipuè ostenter, Galenus docuit 2. *de differentiis febrium, cap. 9.* & ita experimento constare dicit in pleuritide sanguinea, intermittentem verò febrem ex sanguine adduxit nunquam, quod verò nos docuimus, nullus ante nos notauit, dari nimirum interdum quasdam febres continuas, in qoibus nullus humor per signa aliqua excedens agnoscitur: hæ verò ex tota sanguinis massa pendent non dubiè, & inde sola accidentia calori contra naturam, & multitudini causæ respondent, non bili, melancholiæ, aut pituitæ, vt quando seorsim putrescunt, tunc enim tam perspicua sunt signa suum humorem ostendentia, vt nullus nisi stolidus anceps de humoris natura esse possit: inde constat noua expositio, & pulcherrima doctrinæ Galeni loco nuper citato, dicebat enim ex sanguine putrescente simpliciores quàm ex aliis humoribus febres fieri: accessionum verò proportionem in tertiano præcipuè circuitu assumere. Rationem primi reddunt authores, quia sanguis est nostræ naturæ familiarior; nos verò dicimus non ex eo, sed quia nullam excedentem qualitatem sortitur, qua nos ex propria natura lædat, quæ in aliis humoribus seorsim putrescentibus necessariò inuenitur; nam bilia vtraque acrimonia, & siccitate nimia sunt molestissimæ; sed bilis præcipuè, & maximè si vstione febris creetur, melancholia verò crassitie, astrictione, acore, tristibus imaginibus & morbi diuturnitate, & peruigilio fatigat, pituita, crassitie, pertinacia, somnolentia, omnimoque viscerum debilitate insigni, & inappetentia nos destruit; pendent omnia ex madore, & laxitate, & lentore, & humiditatis excessu; sanguis verò habet solum noxium quod per putredinem acquirit, & copiam, reliqui verò

A succi quando secreti sunt ex propria conditione sortiuntur multa, quibus nos lædunt, & vt sanguis quartus humor, si seorsim putrescit, febres præ cæteris simpliciissimas creat, sic tota massa, quia hæc non minus quàm illæ sit in debita proportione humores consistunt, temperatissima est: quod constat, quia aut solius sanguinis, aut totius massæ abundantia eundem affectum creat, plenitudinem nempe: quod si in rota massa aliquis humor excedat, & putrescat tota, se plus ostendent accidentia tali humori familiaria, sed minus multò, quàm si solus ille, & secretus ab aliis febrem causaret.

Tandem exponenda veniunt Galeni verba nuper citata: *Accessionum verò proportionem in tertiano circuitu præcipuè assumere*; non quidem dixit absolutè, sed

B præcipuè, vt intelligas alios etiam circuitus non excludere, sed tertianos plus familiares esse, vt est etiam magis sanguini proprium continuas accessiones inducere, & propter copiam, & quia eius putredo est ipsis vasis minus molesta, reliqui verò succi è extra plus intermittentes quàm continuas causant ob rationes oppositas.

Non tamen ob id putandum est, non posse sanguinem ersi tatò, intermittentem febrem causare, & colligi ex Galeni doctrina potest, quando vrinam rubram inter signa quotidianæ posuit, quæ quotidiana periodus ex sanguine pituitoso creari potuit. Et idem tenebis respectu cuiusque alterius circuitus, si sanguis biliosus, aut melancholicus fuerit: & loquor de sanguine quarto humore, qui & pituitosus esse potest, & melancholicus, & biliosus; nam Galenus sanguinem genitum ex lactucis

C frigidum esse docet, & sub propria forma, non quia plus pituitæ solum detur, sicut docuit 3. *de caus. sympt. cap. 2.* quod caro genita ex sanguine pituitoso, caro est, sed caro laxa, mollis, albicans, & pituitosa; sic sanguis quartus humor ex pipere genitus, biliosus est ex se, sine consortio alio biliosi humoris.

QVÆSTIO IX.

De parte in qua humores putrescunt in continuis, & intermittentibus febribus?

D SI mihi liceret propriam opinionem absque disputatione proponere, securior, & minus fastidiosa euaderet quæstio; est enim mirabile, quantam litem, & intricatam labyrinthum placita authorum diuersa in huius rei explicatione attulerint, ob quod necesse est quamlibet opinionem seorsim exponere, & quid veri, quid falsi contineat, explanare.

Iobertus *paradox. 4. decadis 1.* nullum discrimen inter continuas, & intermittentes admittit, sed eandem numero partem vtriusque febris focum constituit, eámque esse cor; humorem itaque, & quamuis aliam eausam febris intra cordis ventriculos concipere putredinem putat, & inde per totum corpus calorem distribui, & per consequens si sit diaria cordis spiritus putrescunt;

E si putrida, humores; si verò intermittentem, & continuam efficiunt, pro maiori aut minori succorum putrescentium copia, maiori, aut minori crassitie, lentore, aut obstructione. Eius placitum authoritate Galeni primò suadet; nam 1. *de differentiis febr. cap. 1.* scripsit: *Cogita aquam calidam lebeti frigido iniectam, deinde ex eius vicinia lebetis corpus calefieri quidem, nondum autem esse exquisitè calefactum. Excogita iterum, in calidum atque igneum lebetē aquam frigidā infusam, deinde ab eodem lebete adhuc quidem calefieri, nondum autem esse calefactam. Horum quidem exemplorum secundū primam febrium differentiam ostendit, quas diximus ipsum cordis corpus occupasse. Primū verò eas quæ in ipsius cōsistunt humoribus, &c.* Antea verò dixerat, quod differentiæ febrium, quæ à

materia sumuntur, maximè propriæ sunt, siue quod ideni calor ipsum cordis corpus occupauerit, siue qood eos qui in eius ventriculis continentur humores. Ex quibus constat, quod si ad rationem febris hecticæ, aut humoralis in communi necesse fuit cordis corpus, aut eius humores vt causam recensere, quod in illo substantia quæuis puttida contineri, stabularique debeat, vt febris author, & causa esse possit. Secundò probat ex communi medicorum consensu dicentium, quod calor febris rationem excludit quãdiu in corde non sit, ob quod in definitione dicitur, quod febris sit calor accensus in corde, & quod omnes partes vt febrire dicantur, calorē à corde mendicare debeant; at implicaret quòd omnes à corde calorem febrilem conciperent, nisi illud esset prima pars accensa, & focus putredinis, ergo semper est talis: constat, quia pars alia si primò calefieret, & ab illa cor, iam cor per illam febriret, non illa per cor.

Tertiò suam opinionem stabilit, quia si humores in intermittentibus febribus in ambitu corporis putrescerent, vt putat Galenus, non incenderent cor, quia extra corpus per cutem quicquid accenditur truderetur: est enim facillimus transitus ob proximitatem, & quia venæ, & arteriæ ora propria in cute finiuntur, per quæ ingens vstilaginum expulsio fieri potest, & debet, multa alia tradit, quæ non ita ad partem determinatè affectam pertinent, vt ad Galeni impugnationem, potantis quod in ambitu corporis in intermittentibus sit semper putredinis focus, & inde huius loci non sunt.

Hæc opinio improbabilis omninò mihi videtur, quia non est aliqua probabilis ratio eam suadens; in primis omnis puttida febris esset perniciosa, aut omninò mortalis, magnúsque morbus. Constat planè ex partis principatu, in quo omnis acuties, periculum, & morbi magnitudo includitur: & si in omni hectica, corpus cordis putresceret, foret omnis hectica pestilens, & desperata; nam teste Galeno 3. *de præsag. ex puls. cap.* 3. nullum est excogitabile remedium contra cordis putredinem. Quod argumentum non minus contra ipsum Galenum adducitur, si in hectica corpus cordis vt partem affectam ex eius putredine tradit, vt *tractatu de hectica* docui. Secundò, si intra cor humores in omni potrida febre putrescerent, indicibilis inæqualitas pulsum afficeret per omnia tempora accessionum; nam si cor ob flatum inclusum palpitat, & tam violenter mouetur, quid sperandum foret, vbi succi putrescentes feruerent; esset enim omnis febris puttida cum indicibili pulsus inæqualitate, anxietate, suspiriis ex cordis oppressione, essétque omnis febris putrida, syncopalis etiam propter oppressionem, incendium, & effumationem excrementorum accensorum. Tertiò, quia iuxta hoc placitum inquirendum est, si febris erit quando humores extra cor putredinem concipiunt, & totum ardet per consensum: quod æger non febricitet nullus sanæ mentis sustinebit, dicente Hippocrate 1. *aphor. text.* 55. *Ex adenum tumoribus febres omnes malæ præter diarias*: quod & Galenus, omnésque fatentur, Si verò febris ex tali causa datur, quomodo sustinebitur, quod cor in omni febre sit focus putredinis. Chimærica igitur est opinio Ioberti, nec paradoxi nomen meretur placitum illud, quia etsi nouum, acutie tamen & varietate caret, nullúsque pleuriticus verè febricitaret, quia focus in pleura non in corde est, & idem in omni interna inflammatione dicendum esset. Tandem quia accessiones fiunt transmissis humoribus à parte in partem, qood in opinione Ioberti repugnat.

Et eius fundamenta inania omninò sunt: ad primum quod Galenus vt exemplum tradit, quod est possibile, non tamen illud vt perpetuum censet, & inde ex omni loco cor in consensum trahente, orietur propriissima febris; nec Galenus docuit, quod calor febrilis à corde in totum corpus dimanare debeat, sed quod calor non meretur nomen febris quousque cor calefaciat, de quo propria quæstione latissimè egimus: quod verò etsi in corporis ambitu humores putrescant, possint motu arteriarum ad cor, & totum distribui, aër externus internè attractus planè demonstrat.

SECTIO I.

Opinio Fernelij de foco putredinis.

Fernelius *lib.* 4. *de febribus*, *capitib.* 9. & 10. opinionem communem de foco putredinis censet, & suam velut certissimam stabilit in febribus intermittentibus: quæ contra communem sententiam affert, suo loco trademus, modò verò suam exponimus. Putat igitur febrium intermittentium focum in prima regione semper residere. Vocat primam regionem iecoris cauam, lienem, ventriculum, omentum, intestina, mesenterium, pancreas, in quibus locis putat febrium intermittentium causam semper stabulari: itaque nunquam intermittentium humor iuxta mentem Fernelij cum sanguine intra vasa permistus erat, sed semper secretus à sanguine, & in locis relatis habitans putredinem concipit, & horrorem, rigorem, aut refrigerationem causat, quia membranas viscera obtegentes, aut partes sentientes vellicat, & lancinat; non enim censet necessariam esse motionem puttidi humoris per sentientis partes, vt rigor, aut horror suscitetur, vt Galenus, & omnes ferè docent. Vnde infert, quod materia febris intermittentis bifariam à materia continuæ discrepat, & natura, & situ; natura quidem, quia continuæ materia cum sanguine per totum corpus distribuitur, estque humor alendo corpori idoneus: at intermittentium causa, excrementi potius quàm alimenti rationem sortitur, & inde antequam iecur transcendat è iecoris sanguine reiicitur, & secernitur, & in sibi propria conceptacula conditur; & inde constat, qood locus intermittentium, & continuatum diuersissimus sit; illarum enim prima regio est, istarum verò regio secunda, in qua tota massa sanguinaria vt corpori alendo inseruiat, seruatur.

Suadet primò, quod putet bilem citrinam, prasinam, & ceruleam, quæ tam syncera per intermittentes reiicitur, & euomitur, nunquam tam synceram è venis sine certo exitio reiici posse, cuius periculi nullam rationem attulit: verùm quia constat, quod si in magna copia euomantur, febres eradicantur, intulit inde quod in prima regione continebantur, & non in secunda.

Secundò id suadet, quoniam si accessionis initio humidi fotus calentes præcordiis imponantur, maximè verò lieni in quartana, iecori in tertiana, aut alij cuicumque sedi fomes inesse deprehenderetur, horrorem, rigorémve leniant, quia nimirum ipsum mali fontem demulceant: ergo in illis partibus focus continebatur. Et quia experimento constat accessiones febrium intermittentium sæpe sudoribus finiri, exemplis & experimentis suadet, quod initium sudoris à prima regione esse possit, & in sui tutelam ingenui adolescentis historiam narrat.

Leuia satis, inaniáque sunt fundamenta Fernelij, vt propter illa suæ opinioni hærere cogamur, & tanquam ineuitabilem focum intermittentium primam regionem fateri. Et quia eum vt simia fuit æmolatus Eustachius, eisdem rationibus vtique sugillabitur. Sit prima, quod impossibilitas existendi focum in aliis partibus à prima regione in febre intermittente, nullo modo probatur, nedum apparente ratione; nam dicere quod nequeat natura vitiosum humorem à massa sanguinaria tam citò, vt in initiis accessionum videmus, separare, & propulsare per corporis ambitum, redarguitur clarè à rigoribus febres ardentes iudicantibus, dixit enim Hippocrates 1. *aphor. text.* 58. à febre ardente habito, rigore

super

superueniente solutio fit; & id quotidie experimur; rectè ergo in accessionum initiis poterit expelli portio humoris accessionem facturi, & rigorem moturi. Secundo, quia si in prima regione intermittentium focus semper habitaret, darentur signa illud planè ostendentia, quod est planè falsum, cùm sæpè sine vomitu, nausea, aut deiectione, aut alio dolore in prima regione febrium intermittentium accessiones infestent: esse verò in secunda locum vitiatum clarè suadeat, hoc verò vitari non posset, si in prima regione materia tota febrium intermittentium contineretur, imò experimento constat, nimis exercitatos, & parum, religioséque comedentes, in tertianam intermittentem cum lutio nimis incenso incidere, in quibus tantum abest, quod prima regio excrementis abundet, quod sit potius exsuccis, & omni humore fere depopulata, quod clarè indicat sanguis extractus, biliosus enim totus, & flauus conspicitur, & præ adustione nigricans sæpe, atque crassus.

Tertiò relatam opinionem falsitatis conuincit febrium intermittentium medela: docent quippe Galenus 10. *meth.* in omni putrida febre venam secandam esse; foret verò perniciosum auxilium si in prima regione omnium intermittentium causa habitaret. Cùm igitur experimento constet, nunquam ferè sine tali remedio febres eradicari, & feliciſſimè imperari, euidenter constat intra vasa secundæ regionis intermittentium materiam esse: vnde turpiſſimè Eustachius, & amethodè in talium febrium medela, leniens medicamentum prius, deinde sectionem venæ consulit, cùm secta vena certum periculum sit trahendi excrementa primæ regionis ad vasa secundæ, & nullum auxilium à missione sanguinis sperare liceat, cum materiam non minuat, & eam intro trahat, virésque eneruet. Cum ergo econtra rarò expurgemus, nesciamus verò sine missione sanguinis sæpius reiterata febribus putridis mederi, vel ipso experimento error horum authorum detegitur, nec minus conuincitur vrinatum cruditate, & prauitate diutius per febres intermittentes perseuerantibus, quæ omninò naturaliſſimæ deberent esse, si nullum vitium in humoribus secundæ regionis admittitur, quod etiam ostendit insignis massæ sanguinariæ corruptio, quando vena secatur, & dolor dorsi, & totius laſſitudo à plenitudine venæ cauæ febrium inuasionem præcedit, iuxta præceptum Hippocratis; *laſſitudines spontaneæ morbos prænuntiant.*

Fundamenta Fernelij dissoluuntur facillimè, concedimúsque quod si febris intermittens pendeat ab humorum insigni prauitate, sit perniciosa, nunquamque secura, quod verò cesset si in magna copia euomantur, non arguit in prima regione contineri, sed quod euacuetur tota materia antecedens, vbicunque extiterit; moderari verò rigorem fotibus calidis supra viscera applicitis, rectè contingere potest, etiamsi per partes sentientes, & corporis ambitum deferantur humores, nam & acrimonia moderari potest in antecedente materia, quæ à visceribus ad partes sentientes propulsanda erat, reuocántque non leuem portionem ad extra calor & humiditas fomenti, vt minus ad partes sentientes pellatur; & cùm negari non possit quod in rigoribus magnis, quibus prædictis fotibus succurrimus, sit permistus aliquis tremor, ob insignem partium externarum algorem, hic moderatur calore fomenti, sicque minui putatur.

QVÆSTIO II.

Opinio Ludouici Mercati de foco putredinis.

Hic author, etsi probabilem iudicet Galeni, & antiquorum opinionem, quod nimirum in intermittentibus febribus in corporis ambitu humores putrescant, conuictus tamen suis rationibus, quibus contra Galenum egregiè pugnasse gloriatur, proprium placitum *lib.6. de febribus, à folio* 134. sic declarat. Humor (inquit) accessiones intermittentes facturus, in tres partes à natura communiter diuidi solet, maiorem verò, & crassiorem per vomitum & secessum detrudere procurat, quando si per ambitum corporis ad cutem eius expulsio tentaretur, insignes, & rebelles obstructiones crearet in viis angustis impactus. Aliam portionem mittit ad extremitates vasorum versus corporis ambitum, in quibus inculcatus humor putrescit, & febrem creat, donec resoluatur. Tertiam verò portionem, tenuiorem, agiliorem, & pauciorem censet, quæ extra vasa à natura per corporis ambitum impellitur, & est author rigoris, horroris, aut refrigerationis, vt fuerit humoris B expulsi diuersa natura: hæc autem portio febrem nunquam creat, sed tota statim resoluitur, vt rigor, aut horror finitur. Quod verò quæ per secessum aut vomitum traditur, febris author, & causa esse non possit, manifestum est, cum extra corpus pellatur: superest ergo, vt illa sola in extremitatibus vasorum impacta, author sit febris, neque est dubitandum, quod si portio ad primam regionem expulsa ibi detineretur, crearet etiam febrem simul cum alia in extremitatibus vasorum imbibita, & inclusa: & quando detinetur, molestiſſimè naturam lancinat doloribus ventris, aut iecoris, aut ventriculi, morsu, & nausea cum anxietate indicibili, oris prauo sapore, siti, & inappetentia: non fieri verò totam accessionem ab huiusmodi portione, C inde deducitur, quod accessio scilicet duret plus temporis, quàm symptomata, ostendentia (vt à nobis nuper relata) humorem in prima regione contineri; est enim frequentiſſimum, & ferè perpetuum dictis accidentibus in principiis solum, & parte augmenti naturam molestari, mox augetur febris, & tandem intermittit, solétque natura in declinatione accessionis materiam per secessum, aut vomitum reiicere, quas expulsiones in principiis accessionum natura celebrat, quando per communia vasa ad ventriculi, & intestinorum capacitatem humorem expellit; quando verò per vasa alimenti, aut minora inculcari solet, & cohibita materia putrescit, eo áque ferè resoluta primis tribus temporibus, quod superest crassius, minúsque inflammabile, per vomitum, vel aluum reiicitur, quia via D patentior, & minus grauata quàm initio accessionum natura est, & tota ad finiendam accessionem laxatur, cùm in initiis astricta, coarctatáque sit. His tanti authoris opinio continetur, multáque, & non leuia fundamenta in Galenum adducit, ad ostendendum sui placiti de foco putredinis extra vasa improbabilitatem, ob id à nobis prætermissa modò, quia locum habent, vbi Galeni opinionem posuerimus.

Sed opinio Mercati à Magistro meo improbatur ob duo, *fol.*601. Sit primum, quod putet Mercatus esse impossibile ab eodem humore numero rigorem, & febrem illum comitantem fieri, quãdo nulla repugnantia videtur esse, nec à Mercato adducitur, vt ex solutionibus argumẽtorum constabit: non enim implicat, quod eadem humoris pars, quæ per sentientia membra mouetur, & rigorem E suscitat, fimetur post rigorẽ in aliqua parte debili, à qua expelli non possit, & ibi putrescens febrem producat, aut suo modo causet; vt enim ex bubone febris causatur, etiamsi humor author bubonis extra vasa stabuletur, sic extra vasa manendo, etsi bubonem non suscitet, febrem inducet. Secundum est, quod à Mercato nec probatur, nec probari potest, necessitas suæ doctrinæ, quod nimirũ in intermittentibus omnibus debeat humor ad extremitates vasorum, & ad primam regionem expelli, quia nulla causa necessaria, ob quam in relatas partes pelli debeat, assignatur, cum sint aliæ plures in quas decubitum humorum tentare possit natura, nec sit obstaculum aliquod eam expulsionem, & receptionem impediens.

Sed vnum argumentum ad stabiliendam opinionem Mercati posset confici, vt constet, aut suadeatur, quod ab eodem rigor, & febris post illum accensa fieri non possint; nam non alia de causa rigor superueniens ardenti febri eam eradicat, nisi quia materia à vasis per ambitum corporis pellitur: sed idem contingit in omni accessione intermittentium, ergo semper quod rigor excitatur, iudicabitur febris intermittens, & nullo modo redibit. Secundò quia quando ardens medio rigore iudicatur, non succedit febris ardens post rigorem, aut febris aliqua necessariò, sed vt viget æger soluitur, & liberatur à febre: ergo materia rigoris non potest esse author febris pòst aduenientis, sed diuersissima est, alioqui in ardente post rigorem febris necessariò succederet. Et cum constet causum eradicari, constat etiam quod ab humoribus extra vasa reiectis, non relinquitur cineritium pro nouo reditu febris, & inde nec in intermittentibus extra vasa admittendum cineritium erit, vt meritò illius accessiones renouentur: & dignum inquisitione est, cum constet experimento, quod post rigorem indicatorium causonis sequatur ferè semper sudor, vt docet historia Cleanactidis 1. *epid.* & Nicodemi in Abderis 3. *epid.* & Virginis in Larissa, quæ id habuit in rum, vt in die sexta rigeret & sudaret, & liberaretur perfectè, contra *aphor.* 29 *libri* 4. dicentem: *Quibus febricitantibus sexta die rigores fiunt, difficile habent iudicium*: & Galenus id docet 1. *de caus. sympt.* 15. iis verbis: *Nam huiusmodi rigore affecti postea sudant*: agebat de rigore febris ardentis, cur in rigoribus febrium intermittentium nunquam ferè (etsi similes repetant) sudor excitatur; est enim pulcherrimum dubium, à nemine quem legerim tactum, cuius solutio *tractatu de rigore* adducetur: lege Cardanum 4. *aphorism. comment.* 58.

QVÆSTIO III.

Opinio nostra de foco putredinis in intermittentibus, & continuis.

IN tanta opinionum varietate, quæ non dubiè ea incertitudine, & rei ambiguitate, ac difficultate procedit, propriam mentem velut probabiliorem proponere, temeritatis potius, quàm prudentiæ putabitur. Sic censeo, verùm culpandus magis quàm alij non ero, si vt alij industriæ fructus perdiderim. Est ergo prima conclusio, continuæ & intermittentes febres possunt eundem focum habere. Ratio mihi videtur efficax, quia continuitas, aut intermissio non ita pendent ex foco, sicut ex parte mittente, imo vt censeo verius, nullatenus pendent ex foco, sed ea parte mittente, & quantitate, & qualitate humoris expulsi. Constat, quia quod recipit, vt recipit focus, aliud excrementum non habet, nisi quod à mittentibus pellitur, & quod resoluatur prima portio, antequam alia mittatur, intermittentem febrem creat: si verò non resoluitur, continuam; ergo in quacumque parte ex qua excrementa transmissa febrem causare possint, poterunt continuam, aut intermittentem producere: constat euidenter, quia si expellatur humor continuè, aut priusquam prima portio sit resoluta, continuò febricitabit: si è contra, intermittet; quod si humor tenax sit, aut crassus, aut multus, & pars frigidior, & effeminatior, ad continuitatem conducent nimis, contrariæ verò conditiones ad intermittentiam. Verùm quia pars mittens potest esse robustissima, & multa etiam materia expellenda, impertinens omnino est ad continuitatem, aut intermissionem, quod humor sit tenax, aut crassus, & pars recipiens calida, aut frigida, aut magis, vel minus debilis, quia quomodolibet pars recipiens se habeat, si continua fiat transmissio, erit continua febris, si non intermittat, aut si congerat

A pars mittens citius excrementa pellenda, quàm resoluantur prius transmissa. Inde deducitur, quod etiamsi viscus aliquod sit putredinis focus, poterit esse febris intermittens, & in partibus extimis poterit esse continua. Quinimò speciem tertianæ perniciosæ intermittentis cum Mercato tradunt authores; in qua cor est focus putredinis, & id ita esse quotidie experimur: sic in omnibus inflammationibus humor extra vasa putrescit, & nihilominus continuas, lethalésque febres creant; sic supputati, & phthisici continuè, & perniciosè febricitant, etsi causa extra vasa omnino habitet; in illis enim thoracis cauitas magna locus affectus est, in phthisicis verò vlcus pulmonis pus continens, à quo continua febris insurgit, & hecticam putauit esse Galenus causam eius ignorans. Si in hecticis causam non
B admittit, hæc assertio validissima ratione vt censeo firmata, omnes opiniones determinatam partem tanquam focum necessarium intermittentium constituentes conuincit, quando quælibet pars intermittentis, & continuæ potest esse focus, cum quibus Galenus etiam conuincitur, si semper extra vasa focum intermittentium determinat, qui vt rectè Mercatus, tam variè, confuséque loquitur, nullam rationem suæ doctrinæ afferens, vt liceat cuilibet probabiliter opinari à Galeno discedendo; nostram verò opinionem insinuat 2. *de differentiis febr. cap* 1. *ad finem*, dicendo, *quod ex ipsis quæ quidem sunt intermittentes* (ita enim appello quæcumque ad sensibilem infebricitationem perueniunt) *ortum habent ab humore febrem generante, quia per omnes corporis*
C *partes suo modo defertur*. En qualiter nullam partem excipit in qua intermittens esse non possit, omnes enim posuit; si verò per omnes intelligat solùm, quæ sunt extra vasa, non potest doctrina admitti, tanquam perpetua, cùm passim innumeræ intermittentes dentur, in quibus nullum signum medici inueniunt, quod humor extra vasa contineatur, vt rectè Magister meus *fol.* 60 t. vbi tenet, quod intra vasa possit esse intermittentium focus, Mercatum sequutus, & à Galeno discedens; eodémque modo Galenus sequendus non est, si in continuis putat perpetuum, quod intra vasa sit focus, vt vltimis verbis primi capitis ex 2. *de differentiis febr.* insinuat dicendo: *In continuis autem humor in venis continetur inclusus.*

Dico secundò, probabilior mihi apparet opinio Mer-
D cati dicentis, quod portio quæ rigorem facit, non est causa febris, sed illa quæ in vasorum extremitatibus manet inclusa. Loquor de febre post rigorem manente, nam humor faciens rigorem, non implicat febrem aliquando eo tempore efficere, si putridus satis sit quando reiicitur, & hoc multò certius esse in horroribus, & magis adhuc in refrigerationibus. Ratio est, quia cum natura medio rigore expulsionem peccantis humoris procuret, & totus corporis ambitus concutiatur, non videtur rationabile, quod talis humor non discutiatur omninò, aut reponatur in cute; nam si omnes partes externæ concutiuntur, nulla agnoscitur debilis, in qua humor manere debeat: quod verò in cute non reponatur, est euidens, nulla enim efflorescentia, aut mutatio
E in cute percipitur, ergo totus humor resoluitur, & ideò cessat rigor. Quod verò extra vasa in aliqua parte debili firmari non possit, eodem fundamento suadetur; omnis enim humor à vasis expulsus in partem determinatam debilem, si in ea accumulatur, ingentes dolores mouet, & tumorem creat præter naturam, est enim magna copia humoris moti ad accessionem faciendam, quod indicat planè copia magna, quæ per vomitum, aut aluum in initio accessionum eiicitur: quæ si in parte determinata colligeretur, & ea febrem induceret simul cum alia, quæ febrem facit, non posset non lædi extremè doloribus, tensione, incendio, & inæqualitate, & pulsus durus manifestè perciperetur toto accessionis tempore, quia implicat non pati distensionem magnam,

si

si tanta copia vt ad accessiones requiritur, ibi coaceruetur: quod euidentius ostenditur, supposito quod tota materia accessionis, postquam collecta iam est, tantum incendium acquirit in parte illa: quod enim tormentum non machinaretur, si bilis naturalis extra vasa expulsa erysipelata causat cum tanta partis affectæ mutatione, & afflictione, quam in malitia non parum excedit bilis tertianam creans, cum putrida, aut vita supponatur necessariò, & partes interiores obsideat ad cutem collatas, est *pie* ab authoribus sententiæ oppositæ dicendum, cur materia rigoris vsque ad cutem non pellitur, & per eam resoluitur, cùm intentum naturæ aliud non sit. Tradenda ergo ratio est talis impedimenti, & illud haberet non dubiè propriam indicationem, quam hactenus nec Galenus, nec alij tradiderunt: resoluitur igitur tota materia rigoris cum cessat, & manet intra vasa, quæ febrem facit.

Secundò arguit Mercatus efficaciter, quod si humor rigoris causat etiam febrem, nunquam rigor cessaret, quia transacto rigore maiorem acrimoniam acquirit, cum magis, & intensius putrescat, ac per consequens in augmento, & vigore futurus esset rigor vehementior; esi enim materia mordacior, calidior, & tenuior, quàm in principijs. Respondet Magister *fol. 603. in solutione ad 5.* quod licèt humor in augmento & vigore, conditiones ad maiorem rigorem possideat, nullum tamen causat, quia quiescit; est verò necessarium, vt rigeat æger, quod humor moueatur. Friuola quidem solutio, nam si humor in principio naturam irritat, & eius prauitatem partes ferre non possunt, expultrixque aut musculorum, aut naturalis impetuosa vi humorem reijcit, maiori impetu non dubiè expelleretur, si prauior in augmento, & vigore est: Socius noster Doctor Matamoros respondet, quod post tantam membrorum concussionem pellitur humor ad focum, qui fortè continetur in parte debili, & hebetis sensus, ob quod ad partes sentientes humor pelli non potest. Accedit etiam (inquit) quod colligatur humor in parte quæ concuti, aut vibrari non possit, quod ad rigendum requiritur: Quod mihi non satisfacit, statim enim se offert replica pulchra, cur post tam longum tempus humor ad partem certam expellitur, & non statim ac incipit rigor, imò pugna illa tam longa, quæ per duas, & tres horas, & interdum octo (vt ego in quartana sæpius vidi) durare solet, apertè docet per concussionem partium, & motionem assiduam humoris illam dissipari, resolui, ac expelli, & sic quidam longissimi, alij breuissimi sunt. Rursus experimento constat post longissimos, & molestos rigores, febrem breuissimam succedere, & econtra post lentos rigores, & parum durantes, acutam, longámque accessionem superuenire, imò vulgus experimentis doctum, si vehementiorem, longúmque rigorem videt, breuem futuram accessionem præsagit: at si eadem materia rigoris, & febris esset, vt longior, vehementiorque rigor molestaret, longior etiam accessio succederet; ergo quia per extensos rigores, & magnos, magna copia humoris expurgatur, contrahitur accessio, & econtra, quia per breues paucissima extra corpus materia reijcitur, superest intra vasa quantitas maior pro futura, aut successura accessione, & inde in continuis quia nihil extra corpus pellitur, accessiones indesinenter, perenniterque molestant, vt mihi ratio ob quam rigores semper ferè intermittentium febrium sint signum, non sit communiter tradita, quia nimirum humor accessionum iuxta cutem colligitur, sed quia per rigores magna copia humoris resoluitur, ita vt sicut causum iudicat, sic in intermittentibus rigor sit crisis partialis, sed non perfecta materiæ accessionum, taliter, quod si tota materia extra vasa pelleretur, finito rigore non succederet febris, aut leuissima, vt contingit in causo: est ergo rigor signum, & causa intermissionis ob dicta, & crisis partialis materiæ accessio-

A num, sed imperfecta, quia etsi euacuet per illum natura totum quod extra vasa reijcitur, non tamen tollit quin succedat febris, quia ad ambitum tota accessionis materia expulsa non fuit.

Tertiò ridiculum mihi videtur, quod omnes partes, quæ per rigores concutiuntur, debeant in vnam determinatam omnes portiones humorum expellere, quæ sola focus putredinis sit; à quo enim principio determinantur, vt ad expellendum in vnicam tantum, & eodem tempore omnes conspirent? extra vasa enim tantum abest, quod inueniatur via communis omnibus, vt in vnicam pellant, quod potius omnes sint sui iuris, & nulla cum alia communicet, sed quælibet per propria foramina, & poros, quæ continuant per cutem expellat, aut in illa reponat, quando præ crassitie
B excrementorum expulsio extra corpus impeditur: quod verò totus corporis ambitus in vnicam partem deonetetur, & ibi excrementa deponat, incredibile est, nam extra vasa est humor per minima diuisus, quia per partes similares distribuitur, & disseminatur, & inde implicat in vnam totas illas portiones deriuari ob defectum viarum, & rectitudinis, quod Galenus vel inuitus planè fatetur 2. *de crisib. cap. 3.* Verba sunt: *In illis verò cùm vehementer moueatur, per singulas corporis partes disseminatur, quo fit, vt delationis impetu ipsa (bilis scilicet) per seipsam expurgetur*: Vides quàm clarè impetu delationis, non quia putredine resoluatur, expurgari docet, censeóque ipso partium attritu humorem facientem rigorem comminui, calefieri, & resolui, &
C per cutem occultè expelli, neque authores contrarij idoneam rationem, in qua mens quiescat adducere possunt, cur nimirum si tantus humor, & tam prauus in vnica parte colligitur, & tam longo tempore patitur, vt in quartanis experimur, non dentur in eo grauia accidentia, præsertim statim à rigore, quando impetu tam valido, vt per rigores experimur, tanta copia ad illam transmittitur, & tota accumulatur, & postea putrescit; mihique videtur inanis solutio nostri socij *fol. 466. num. 30.* ob id non sentiri aliquod damnum in parte carnosa, ad quam humor expulsus fuit, quia non est immobilis humor, sed mobilis, & ita defectu moræ damna à Mercato relata non causat, quia vt Galenus docet 11. *method. cap 4.* in loco, & minera putredinis non continetur humor
D vt in parte inflammata. Quæ solutio malè concedit humorem in foco moueri, cum implicaret non sentiri motum humoris tam copiosi, quando vel leuissima motio flatus solius in palpitatione tam clarè percipitur. Præterea, quia eo quòd impingitur humor, & vehementer obstruit focum putredinis, ventilationémque tollit, putrefit ibi, & in fuligines versus resoluitur, tantum abest quod ibi moueatur; nam si moueratur, & non pelleretur à foco, esset perennis palpitatio, aut partialia turgentia; quod tamen nullus somniauit, nec docuit, nec Galenus loco ab eo citato verbum aliquod tradidit, vt legenti principium capitis manifestum erit. Verba sunt: *Quoniam putredo vel æqualiter in omnibus subsistit vasis, vel in maximis, maximéque*
E *principalibus, vel in vnaquapiam particula, quæ vel phlegmonem in se habet, vel etiam citra phlegmonem, veluti in foco quodam, principium febris in se continet, &c.* Ergo si continet, non pellit, nec mouet humorem: & inquiro rursus, quomodo tumor præter naturam non excitatur, si extra vasa totus accessionis humor in vnica parte colligitur; nam ratio ob quam tumor creatur, alia non est, nisi quia extrauasatur humor in copia maiori quàm pro partis nutritione requiratur, ob id enim distensa, turgida fit, & tumida; sed in fine rigoris totus humor extra vasa in vna parte accumulatur: ergo illam distendit: non ergo focus extra vasa sine tumore esse potest.

Quartò nostra opinio suadetur efficacissimè, quia

motus concussiuus habitus corporis, ordinatus est à natura ad pellendum extra corpus, vt vomitus, alui fluxio, sudor, vrina, & sanguinis fluxus: ergo pellet, si non detur aliquod inconueniens: nullum verò potest adduci, non quidem roboris defectus, cùm tam validè videamus corpus concuti, & vibrari: nec impedimentum viarum in corporis ambitu, quia illud non adduxit Galenus, nec aliqua indicatio in curatione intermittentium à tali obstaculo sumitur, nec sumpsit hactenus aliquis; nec humoris crassities, vt constat, quia si vehementer impellitur in ipso rigore per partes sentientes, vt ostenditur ex rigoris vehementia, etiam vsque ad cutem pelletur, & si per poros vasorum fuit extra illa reiectus, cum sint tam densiora ad cutem, & carnes collata, ex nullo capite videtur impediri posse expulsio humoris ad cutem aut extra corpus: robustior enim homo est, qui hodie in tertianam intermittentem eccidit, quam qui in febre ardente per rigorem illam eradicat; ergo vt hic febrem soluit, quia per rigorem euacuat causæ materiam, sic qui in prima tertianæ accessione riget, euacuare debet totam materiam rigoris, quia motus ille euacuationi talis humoris à natura fuit destinatus, ergo reuera eam portionem euacuat.

Nec obstat si dicas, ex eo constare euacuatum humorem non fuisse, quia febris succedit: sed in mea opinione dicam, quod febris à rigore succedit, quia extra vasa totus humor expulsus non fuit, quando si pelleretur totus, resolueretur etiam media concussione, & non superueniret febris, vt contingit in rigore causonis, qui ex toto soluitur, quia extra vasa fuit tota causonis materia expulsa, ex quo euentu miraculum potius videtur, quod in tot rigoribus vt per intermittentes experimur, in quibus ægri robustiores multò, quàm in malignis causis sunt, & à minori materia creantur, non expellatur tota materia rigoris, & febris non succedat ab illo, habétque contra se opinio contraria tot difficultates, quot à Medicis traduntur de impossibilitate motionis humorum per partes sentientes in rigoribus, de quibus *proprio tractatu* agemus.

Dubium incidens, an in intermissione febris detur salus perfecta? Inquirunt tandem authores si in intermissione febris reducatur æger ad salutem omninò, estque sermo de vera intermissione omninò carente febre, & per consequens subintrantes excipies, in quibus nunquam sine febre æger reperitur, & multò magis quia in nostra opinione sunt verè continuæ. Est communis opinio quod æger ad integram sanitatem non reducatur, estque expressa Galeni assertio 1. *ad Glauconem*, *cap.* 2. Verba sunt: Nam arteriarum motus in hoc totum assimilatur ei qui in sanis deprehenditur, cum in nulla alia febre ad naturalem habitum reuertatur, nec si multum temporis inter finem primæ accessionis, & secundæ principium intercidat, quemadmodum in tertianis, atque quartanis; in illis enim febris remanet signum, in ephemeris autem in totum aboletur accessione cessante. Quod etiam noster Princeps docuit *fen.* 1. *libro* 4. *textu* 1. *cap.* 6. Ratio à priori est efficacissima, supposito quod febris sit reditura, quoniam si febris reditura est, vestigium febris venturæ, seu initium in corpore manere debet, siue illud vitium in parte mittente, siue in trahente detur, alioqui febris non reuerteretur primo paroxysmo finito: verùm cum homo dicatur non sanus ob neutram dispositionem, aut morbum, nemo explicuit, si verè laboret morbo tempore intermissionis, aut neutra dispositione. Et mihi videtur quod etsi sit frequentissimum esse verum morbum in parte mittente, aut trahente, non tamen id esse necessarium simpliciter, si aliquis defendat (vt potest pro-

A babilissimè) quod ob solam copiam succi peccantis possunt accessiones repetere; nullus enim dixit, quod omnis cacochymia morbum necessariò creet, sed sæpè neoter est æger, potest verò expelli vna portio ad focum hodie, & alio die alia, absque alio vitio præter alicuius humoris copiam: dixit Hippocrates 2. *aphor. textu* 5. *Spontaneæ lassitudines morbos pranunciant*; non ergo sunt morbi, sed neutræ dispositiones morbos machinantes, trésque species Galenus in aphorismi expositione recenset, & vnam (vlcerosam videlicet) à vitiosis humoribus originari. Si ergo vitium illud per partes pellatur, vt potest, accessiones plures succedere poterunt, qualiter verò id contingere debeat, *tractatu de febrium repetentia* docuimus. Itaque, & morbo, seu febre partiali, aut

B obstructione laborat æger tempore intermissionis; interdum verò sola dispositione neutra, quando nimirum ob solam copiam, aut vitium neutrum, seu intemperiem, expellitur humor ad partem debilem, in qua obstruens initium putredinis affert; si verò distemperies sit in parte mittente, ratione cuius humor putrefiat, & postea pellatur, probabilius mihi videtur, quod pars illa morbo afficiatur, quia cum in humore tantam intensionem quantam in se habet, producere implicet, & in humore ad minus neutra indispositio debeat esse, erit in parte morbosa, quia intensior. Ex quibus constat, quod in rigore non omnes febres repetentes tenentur esse symptomaticæ, si verum est quod non semper morbus

C præcedit in parte mittente, verùm quæ recipit accessionis materiam, repugnat quod morbo non laboret prius, quia obstructio insignis in ea parte antequam humor putredinem concipiat, esse debet, respectu cuius symptomaticæ dicentur.

Cardanus 4. *aphor. com.* 59. docet, quod omnis intermittens quæ repetit, est verè continua. Verba sunt; *Dico ergo quod materia tota cuiusuis morbi qui sanari possit, & rectè curetur in omnibus, est tota præparata ab initio.* Et in hoc aberrat Galenus 2. *de differentiis febr. capit. vltimo*, qui scribit, singulis diebus vniuscuiusque febris materiam generari exemplo abscessuum. Sed non est locus hic demonstrandi tantam absurditatem, cùm præter cætera si quis non comederet, necesse esset omnes febres statim finiri;

D cum ergo bilis sic præparata sit, non potest propter continuitatem putredinis quæ fit, & tenuitatem substantiæ differri succensio plusquam per dies illos, aliter oporteret eam esse crassam; nam vnius accessionis materia ab alia præcedentis accenditur: quare necesse est, vt vel transmutetur, vel expellatur, vel succendatur in eo tempore, cum actio naturalis caloris nunquam cesset, & ideo omnes intermittentes verè sunt continuæ, calor enim semper putridus, aut factus est, aut succenditur; ideò hoc benè dixit Galenus, in omnibus iis quamdam sorditiem relinqui in pulsibus tempore interualli, quæ doctrina notanda est; nec intelligit author, quod intermittentes sint continuæ quantum ad sensum medici, aut ægri, hoc enim delirium esset,

E sed intelligendus est de calore in foco, aut in putrefaciente materiam pro alia accessione, quam distemperiem nos febrem partialem vocamus.

Ex dictis quæ verissima sunt, constat, non posse absolutè defendi, vt tenet socius noster *libro* 1. *fol.* 480. *n.* 8. quod tempore intermissionis nunquam morbo partiali, sed neutra tantum dispositione æger afficiatur, præsertim in eius opinione asserente, quod humor accessionem facturus, quando à vasis pellitur, iam concepit putredinem: nam meo iudicio omnis distemperies excrementa putrefaciens, erit morbosa necessariò, si putredo est totius substantiæ corruptio; intensa itaque nimis est intemperies in parte quæ alimentum corrumpit, & magis si putredine, quod mihi euidens videtur, quia alimenti,

alimenti, aut humorum naturalium corruptio non potest non esse symptoma ex parte actionis, & termini; vnde cum hæc intemperies toto tempore morbi, seu constitutione duret, nunquam à febre totali, aut partiali æger denudatur, vt ex Cardano retulimus, & docuit etiam Vallesius noster 2. *de differentiis febr. cap.* 3. iis verbis: *Vnde satis liquet, reuera nunquam solui febrem aliquam, quantumuis intermittens sit, vsquedum cessat totus morbus: quare constat etiam aliquid in venis ægrotantium computrescere semper, etsi paroxysmi à bile effusa extra vasa fiant.* Vrget etiam iam tantum esse quod reperiantur febres fiant sine obstructionibus, vt non sit dubium, quod omnes ferè febrientes, morbos conformationis, tanquam antecedentes participent, ac per consequens siue distemperies excrementa, aut succos corrumpens consideretur, siue obstructio, putrefactionis eorum occasio, nunquam morbus partialis aberit, respectu cuius partis, aut obstructæ, aut simul distemperatæ omnes accessiones, etsi intermittant, vnus solùm morbus dicentur, quia focus, aut alia pars vitiata, semper morbosè distemperatur, aut obstruitur. At respectu totius corporis non possunt omnes accessiones intermittentium eundem numero morbum constituere, quia in toto ratio formalis febris, siue morbi calidi, verè deperditur tempore intermissionis, sic cessat morbus prior, redit verò alius numero differens, in secunda accessione, & in reliquis: continoitas verò læsionis, & morbi in foco, adhuc tempore intermissionis deducitur clarè ex inæqualitate febrili eo tempore durante, etsi minus perspicua sit in tempore immediato fini accessionis, magis verò post in intermedio, & clarior adhuc in tempore futuræ accessioni iam proximo, quia nunquam corpus defæcatum plus quàm in tempore immediatè finem accessionis sequente, nec plus onustum fumis à foco eleuatis, quàm quando iam instat accessio & proxima est, at tempore medio modo se habet.

Nec obstat quod Gentilis obiicit ex 2. *de temperamentis, cap.* 6. vbi Galenus historiam illius iuuenis per interualla bilem euomentis tradit, & docet quod tempore intermedio omninò sanus erat: sed locus non est ad rem, pendebat enim vomitus bilis ex superaddito vase ex iecore in ventriculum, per quod bilis portio mittebatur, & vomitum conciliabat; & si vas illud morbum in numero aucto constituit, constat hominem illum sanum non esse, lædebatur enim sensibiliter distributio bilis ad vesicam felleam, reliquæ verò actiones, vt per bonam valetudinem celebrabantur, est verò illa distributio actio deprauata, quia erronea, mittitur enim humor ad partem ad quam non debebat.

CAPVT II.

Sermo vniuersalis de signis febrium putredinis.

FEBRES putridæ dupliciter significantur, & vt sunt putridæ in communi, & vt sunt talis determinatæ naturæ, tertiana nimirum, quotidiana, aut quartana. Primam significationem in præsenti capite author noster tradit, secundam in singulis capitibus, eo quòd putredo signa distinctissima ostendat præter communia, prout bilem, pituitam, melancholiam, aut sanguinem infecit.

Dicit primò, significant febres putredinis aduentus causarum eas præcedentium, & propriè quando non est eis causa primitiua, causa antecedens, seu præcedens dicitur in rigore, quæ in corpore est; præcedit tamen alium affectum, quascunque enim in ipso animali, vel dispositiones, vel motus præter naturam, causas præcedentes ægritudinem nominant: quæ verò extrinsecus adueniunt, & alterant corpus, atque transmutant naturam, vehementes præincipientes appellant, dicit Galenus *lib. de caus. morb. cap.* 2. Dicit ergo & Auicenna: *Si non præcessit causa extrinseca, vt insolatio, motus vehemens, cibi prauitas, aut copia, in summa, nulla extrinseca causa, præcessit tamen vitium internum, vt plenitudo, cacochymia, humorum crassities, &c. timendum est quod febris incipiens sit putrida.* Est Galeni doctrina 1. *de differentiis febr. cap.* 7. dicentis; Indicia verò febrium, quæ ex humorum putredine accenduntur, hæc sunt, primum quidem non inseparabile, sed proprium, quod nulla earum, quæ præincipientes causæ dicuntur, eas antecedit, neutri enim aliorum generum hoc inest, quoniam ephemeræ omnes à præincipientibus causis originem habent; hecticæ autem quando sine his generantur, nunquam ab initio inuadere consueuerunt, adeò quòd vbi quis sine præincipiente causa cœpit febricitare, scire oportet passionis causam in humoribus esse.

Iam exposui quod signum inseparabile dicitur illud quod conuenit omni, proprium quod competit soli, inseparabile, & proprium quod conuenit omni, & soli; melius verò intelligitur quod signum inseparabile non proprium est, quod conuenit omni, sed non soli. Proprium non inseparabile, quod conuenit soli, non tamen omni. Proprium, & inseparabile, quod conuenit omni, & soli. Dicit ergo Galenus quod non incipere à causa procatartica, non est inseparabile febribus putridis, quia possunt ab ea incipere, est enim signum proprium, quia illi soli conuenit à causis internis primo incipere, vt valeat sequela; hæc febris primò incepit sine causa extrinseca: ergo est putrida, quia omnes diariæ incipiunt necessariò à causa extrinseca, non ab interna; hecticæ verò, etsi possint sine causa extrinseca incipere, non tamen primo insultu, sed præcedente alia febre, quia hecticæ nunquam ab initio inuadere consueuerunt. Quæ doctrina intelligenda est comparatione facta ad diarias exquisitas constitutione, & natura tales; hæ enim nunquam sine occasione extrinseca inuadunt, quia eo ipso quod petunt ex propria natura intra diem absolui, petunt per consequens absque interna occasione creari; alioqui non necessariò intra diem finiuntur: nec valet consequentia quod si febris diaria à causa extrinseca dependet, erit talis natura, & constitutione; nam densitas cutis à frigore, aut astringente balneo, aut calore densante simul, diariam creare possunt, non tamen necessariò natura, & constitutione talem, quia plusquam diem vnum durare poterit; sic diaria ex obstructione sine causa procatartica sæpe generatur, non tamen est talis constitutione, sed natura solùm.

Est tamen difficillimum explicare, si hectica potest à causa procatartica primò incipere, cur non potest ab interna sine eo quod prius producatur alius morbus, aut febris? nam sicut externa causa hecticam prius induxit, quia solidas partes magis dispositas quam spiritus, aut humores inuenit; pari ratione causa interna maiorem aptitudinem in solidis inueniens, hecticam prius suscitabit: quam rationem tanti facit Doctor Matamoros *fol.* 315. *num.* 11. quod propter euidentiam illius Galenum, & omnes medicos deserit.

Sed vt *tractatu de hectica* docui, doctrina Galeni videtur verissima, ac per consequens à causa interna nequit hectica primò fieri; loquor de substantiis febrem inducere potentibus, & habentibus calorem in facto. Ratio est euidens, vt euidentiæ prædicti Doctoris alia opponatur: vt hectica fiat, debet esse calor in facto in partibus solidis, sed antequam calor in facto sit, debet

esse

eſſe in fieri in eiſdem partibus : ergo conſtituit aliud genus ab hectica. Conſtat totum, quia in mea opinione, vt calor in facto ſit forma prior corrumpitur, ergo antequam tota intenſio requiſita ad corruptionem producatur, erit aliud genus febris : conſtat euidenter, quia erit calor in fieri in partibus viuentibus, & in facto in cauſa interna partes viuentes alterante. In opinione verò dicentium, quod non eſt neceſſaria mutatio formæ præexiſtentis, habet ſimilem vim argumentorum, quia ſaltem requiritur mutatio totius ſubſtantiæ, vt dicebat Galenus : ante verò quàm modus ſubſtantiæ peruertatur, requiritur inſignis alteratio in primis qualitatibus, quia debent modos ſubſtantiæ mutare, ac per conſequens antequam hectica inducatur, introducerent alia toto tempore requiſito ad corruptionem modi ſubſtantiæ, & vt philoſophicè loquamur, experimenta obſeruantes à quibus omnia vera philoſophia dimanat, toto tempore alia prior febris hecticam præcedet, quarum experimur durare alterationem extrinſecam, vt hectica inducatur ; nam qui exercitatus immodicè hecticam contraxit, non à quanta duratione exercitij hecticus factus fuit, ſed ab immoderato, & longiori tempore : nec qui ob inſolationem febrem contraxit, ſtatim febricitauit, ſed ob magnam moram in ſole ; vnde ſicut implicat, quod ob cauſam externam non laboret prius homo diſtemperie calida morboſa, quàm febre, ſic implicat quod à cauſa interna non febricitet prius diaria, aut putrida, quàm hectica, quia diſtemperies calida in fieri in partibus ſolidis, debet neceſſariò præcedere factum calorem illatum, vt diſtemperies morboſa in fieri præcedere debet quamcumque factam. Quod ſi dicas id negari non poſſe, verùm tempus illud ob breuitatem non cadit ſub obiecto medico, id negabo ; quia omnes externæ occaſiones ob quas homines febricitant, præcedunt ipſam febrem ſatis ſenſibiliter, & corpus vehementer prius alterant, & eodem modo in internis philoſophandum eſt. Præterquam quod medica ſpeculatio, & veritatis accurata inquiſitio, tempus non reſpicit, ſed ſolùm quod rerum naturæ requirunt, indagat, & quomodo fiant : ſed ſtemus exemplo à prædicto authore relato. Ex Galeno (inquit) 8. *method. cap.* 1. conſtat, leuem obſtructionem detentis fuliginibus diariam prius ſuccendere ob ſpirituum aptitudinem, ergo propter dictam membrorum diſpoſitionem maiorem ab eadem cauſa emanabit prius hectica. Eſt quidem inane, & iam ſolutum hoc fundamentum, quia fuligines detentæ antequam modum ſubſtantiæ ſolidorum vt ad hecticam requiritur, mutent, diariam febrem efficient, quia calor eſt in illis in facto, & ſi ſufficienter pro hectica alterant, multò magis pro diaria, & multò prius vt à nobis probatum eſt.

Secundum ſignum tradit author dicendo : *Et pulſus, & anhelitus, cuius conſtrictio eſt velox, quoniam neceſſitas ad mundificandum eſt vehemens valdè.* Deſumpſit ex Galeno *capit.* 7. nuper *citato* dicente ; *Proprium verò atque inſeparabile eſt febrium, quæ in humoribus accenduntur, ſubmiſſionis pulſuum* (Græci ſyſtolem appellant) *velocitas, quæ manifeſtius quidem increſcentibus febribus, non obſcurè autem incipientibus, ac conſiſtentibus fit.* Rationem reddit dicendo, quoniam neceſſitas ad mundificandum, & expellendum fuligines eſt vehemens valdè, eſt enim conſtrictio pulſus, & reſpirationis, excernendis fuliginoſis excrementis dicata, & quia humores putreſcentes toti ferè in fuligines abeunt, vrget nimia finis conſtrictionis, & ſic & maior, & velociſſima fit. Hoc ſignum Galenus inſeparabile, & proprium nuncupat, quia & omni putridæ, & ſoli competit ; eſt verò intelligendum ſi conſtet virtus, velocitas enim certum robur vitale requirit, ſine quo tardus potius fit pulſus, etſi æger ſuffocetur, vt pulſus formicans docet, qui ob languorem vita-

A lem creberrimus cum tarditate à Galeno putatur.

Nec obſtat ſi dicas, quod ſi diariæ, & hecticæ à putredine ſpirituum, & ſolidarum partium creantur, etiam in iis erit conſtrictionis velocitas, quia quicquid putreſcit, in fuligines vertitur, cum à calore extraneo, & humiditate mixtio diſſoluatur. Reſpondet Valleſius in huius loci expoſitione, quod in diariis & hecticis putrefactio non datur, & ſic nec fuligo : quod admittendum non eſt cum poſſint ſpiritus, & ſolida non putrefieri, imò in omnium opinione ex ſola putreſcentia, aut vſtione omnes febres creari debent. Reſpondet Magiſter, quod ſpirituum, aut ſolidorum putredo non excitat impuritatem fuliginum, quia materia capax non eſt, ſed non reddit incapacitatis rationem ; nos B dicimus, quod etſi ſpiritus fuligines fierent, non mutarent velocitatem contractionis, quia non ſuffocant, nam vt ſpiritus, etſi nimis abundent ob tenuitatem, & mobilitatem, non ſuffocant, nec fuligines ex eorum putredine ortæ ſuffocare queunt, cum extenuari magis pro tali conuerſione debeant. Quod ſi de ſolidis in hecticis inſtes, quarum materia, aut cauſa craſſiſſima eſt ; Reſpondeo primò, quod fuligo velocitatem pulſuum inſigniter mutans, debet eſſe multa, & intra arteriarum cauitatem contineri : in hecticis verò extra ſemper eſt, neque per motum arteriarum intro reuocari per poros poſſunt ob corpulentiam earum ; ex qua etiam prouenit, quod partibus viuentis magis adhæreant, quia non eleuantur ob earum craſſitiem, ſicque difficilior hecticorum medela eſt, & C perpetuò tabeſcunt : cenſeo enim quod diſpoſitio hecticarum quando ex ſolidorum putreſcentia oritur, ſit ſimilis lignorum cariei, aut parti putridæ pomi, quæ niſi vi extrahi, aut à ſana parte ſeparari poteſt, niſi (quod verius puto) ſit calcinatio quædam, vt doctiſſimus Zuingerus cenſuit, etiamſi ex partibus humidis (vt carnibus, rore, & pinguedine) aliquod fuliginoſum, & tenue eleuari, quando putreſcunt, aut vruntur, negari non poſſit, vt Galenus docuit 10. *method. cap. vltimo*, vbi maraſmum inter febres colliquantes repoſuit, & docet quod colliquatio per inſenſilem tranſpirationem euolat. Verba ſunt ; *Sed in eo differunt quod portio carnis, quæ in iis colliquatur, ea ſemper vaporis vice digeritur* ; eſt tamen non dubiè pauciſſimum, & vt dixi extra vaſa excitatur, ſicque contractio non D niſi pauciſſimè læditur. Sic enim Galenus naturales ferè pulſus in cordis putredine admittit, 3. *de præſag. ex pulſibus*, quem locum vt cenſeo, nullus quem legerim commodè ante nos explicuit.

Notat Galenus, quod celeritas contractionis manifeſtius quidem increſcentibus febribus, non obſcurè autem incipientibus, ac conſiſtentibus fit. Quæ doctrina cautè intelligenda eſt, nam cùm ſit conſtans principium, quod in principio particulari acceſſionum detur fuliginum copia maior quàm in aliis temporibus, vt 2. *de præſag. ex pulſ. cap.* 2. tradidit, extra dubium eſt, quod contractio, & maior, & celerior quàm in reliquis temporibus debeat eſſe in principio ; verùm etſi ſit maior, non tamen manifeſtius E percipitur ob eximiam pulſus paruitatem ; at in augmento licet fuligo tanta non premat, premit tamen ſatis validè, & quia tunc pulſus maior eſt, cognoſcitur per tactum manifeſtius, quia vt Galenus docuit 1. *de dignoſcendis pulſ. cap.* 5. difficilè contractio in paruis pulſibus agnoſcitur. Vnde mihi non placet Muſæ tranſlatio huius loci, poſuit enim quod fiat contractio manifeſtius in augmento, quàm in principio, & vigoribus ; nam reuera non fit, ſed percipitur : tranſtulit melius Valleſius dicendo, euidentius quidem in incrementis, non obſcurè autem in inuaſionibus, & vigoribus apparens.

Dices ; hoc ſignum proprium eſſe non poſſe putridis febribus, nam diariæ ex cutis occluſione neceſſariò

debet

debet competere, cum excitetur, quia fuligo non expurgatur, & inde necesse est, quod constrictionis vsus sit auctus, ac per consequens constrictio velocior. Respondet Magister id esse verum, sed in *hoc cap.* loquitur Galenus de notatu digna, & manifesta celeritate contractionis, qualis in diariis non datur: manifestam potuit tacere, cùm in cutis densitate manifestè satis percipiatur, potéstque esse notatu digna; quia si magna sit constipatio, & in corpore pleno, aut cacochymo, insignis erit non dubie, cum interdum suffocentur homines, & vitale calidum ob copiam excrementorum detentorum; ergo aut Galenus loquebatur de putridis ad diarias exquisitas collatis, aut intelligenda tota sententia vt sonat, nimirum quod in putridis manifestior sit in augmento, quàm in principio, aut vigore accessionum: quod discrimen in diariis non est, quia constrictio etiam in principio exquisitissimè agnoscitur, & melius fortasse quàm in augmento, quia in hoc plus grauantur arteriæ, & minor fit dilatatio, nam vt crescit fuligo, crescit etiam febris; & vt crescit illa, instrumentum grauatur, & opprimitur plus, sicque in vigoribus minus clare celeritas contractionis quàm in principiis percipitur: est enim ratio opposita in diariis ex cutis densitate, & in putridis, vt constat planè, si causa febris in diariis est detenta fuligo, in putridis verò non quia detinetur, sed quia à flamma materiam succendente eleuatur, & vt plus inceditur grauat minus, quia plus quod incenditur, extenuatur, & liberius transpirat, sicque arteriæ liberiùs etiam dilatantur, & constrictionis celeritas commodiùs, & melius percipitur.

Subdit Auicenna: *Et est caliditas mordicatiua non suauis, sicut est caliditas febris ephemeræ*: hoc signum explicatum iam est, neque dicitur suauis calor diariæ quia talis tenera sit, sed quia est minus mordax, quam putridæ calor, estque doctrina Galeni *cap. 7. citato*, dicentis: *Maximum autem est earum quæ ex putredine fiunt febrium indicium, qualitas caliditatis; nihil enim est in ea suaue, neque moderatum, nec vllo pacto similis est ei quæ in ephemeris sentitur, sed mordax tactui, molestaque est; ac quemadmodum fumus oculos, ac nares; sic ipsa tactum videtur erodere, &c.* appellatúrque hoc signum maximum, quia inseparabile, & proprissimum: est verò tale, quia in putridis copiosa fuligo extra defertur, & tactui impetuosè occurrit; vnde non solum mordax sentitur, sed velut erodens, vt fumus oculos exedit, quod in nulla alia febre inuenitur, etsi in omni detur aliqua mordacitas, & molestia in calore; nam in diariis mordacitas est minima, & in materia tenuissima, & sic tepidè alterat, in hecticis nunquam tantus calor imprimitur, quia partes solidæ non inflammantur vt humores, nec possunt: & quamuis aliquid extra mittatur, paucissimum est, quia solida tam euaporabilia vt succi non sunt, & sic erodere instar rei acerrimæ, & vt fumus oculos, in solis putridis comperitur: estque ob id maximum signum, & proprium: éstque intelligendus Galenus in tota accessione, nam vt ipse notat, in eius principio in quo calor adhuc suffocatur, & excrementa intus succenduntur, non statim admota calitas in manu discernitur, at per moram prædicta caliditatis species ex penitioribus partibus offertur.

Dicit rursus, quod *febres putredinis, seu putridas solet præcedere almelileu, est verò almelileu dispositio cui admiscetur caliditas quæ non est febris.* Quæ verba meo iudicio non exponuntur ab authoribus quos legi in rigore literæ: dicunt enim quod almelilètu est mala complexio, cui permiscetur extraneus calor, qui tam Intensus non est, vt sit febris, sed dispositio neutra: sic exponit Iacubus, sed pessimè, quia calor extraneus mala complexio est, vt constat, & sic malæ complexioni non permiscetur, quia quod

A alteri miscetur, debet esse diuersum, non idem: Gentilis cum prius propriùs loqueretur, eundem lapsum admisit Rasim explicando; ergo Rasis (inquit) intelligit per almelileu quendam malum calorem, qui potest vocari parua febris, & potest dici quod non est propriè febris, quia post febrem potest remanere: deinde si per almelileu intelligendus foret calor præternaturalis febre remissior, non diceret quod vt plurimum præcederet febres putredinis, cùm sit necessarium, quod antecedit semper vt remissius, necessariò præcedere intensionem. Ergo cùm dicat Princeps, quod almelileu est dispositio cui admiscetur caliditas non perueniens ad hoc quod sit febris, aliquid à calore diuersissimum est, alioqui quomodo caliditas illi permiscetur? nec in huius capitis expositione, nec in explicatione nominum Arabicorum, quid propriè almelileu significet, tradidit Musa. Putandum ergo est, quod

B significet symptomata omnia, seu neutra accidentia febrem putridam antecedentia, quæ postea tradit, vt lassitudo, pigritia, palpitatio, seu saltus, pulsatio, commotio somni, vigiliæ, & anhelitus constrictio, tensio venarum, & hypocondriorum, dolor capitis, & pulsatio etiam, & propriùs contractio musculorum, quæ frequentissima est, & vehemens ad expellendas crassas fuligines, quæ iam eleuari incipiunt. Ratio est, quia cum iam instat inuasio putridæ febris, incipiunt humores succensi effumare, & totum corpus vaporibus impletur, calórque natiuus suffocari incipit: vndè relata accidentia suscitantur, & tam diuersa ob diuersitatem partium oppressarum, & diuersum modum immutandi partes affectas. Vnde quando Auicenna dicit;

C *& associantur ei lassitudo, pigritia, saltus, &c.* aut significatur, quod illi calori neutro copulentur dicta accidentia almelileu constituentia, aut associari significat idem quod constituere, vt sit sensus, almelileu constituunt lassitudo, pigritia, saltus, &c. cui caliditas extranea admiscetur, quæ nondum est febris.

Quod si sub almelileu hunc remissum calorem comprehendere velis, non reclamabo, vt componatur ex illo & aliis accidentibus dictis: hæc verò dispositio solet interdum tardius, interdum non longè à febris prima inuasione apparere: tardius quidem quando causa putrefaciens operatur segniter, aut si sit validior, magnam in corpore & succis ad requisitam putredinem inuenit resistentiam. In quem sensum dixit Hippocra-

D tes 2. *aphor. lassitudines spontaneæ morbos prænunciant*, ob contrarias causas, velut inopinatè solent febres inuadere, vt almelileu *à paroxysmo primo* paucissimum distet, quando nimirum impetuosè natura ad focum excrementa deriuat, & impellit, quo tempore per omnes regiones indifferenter materiam irritantem trudere solet, ob quod dicit Princeps; *Et quandoque associantur almelileu antecedenti febres, multitudo superfluitatis, & vomitus, & nausea, & vrina plurima, & egestio plurima putrida, quod in intermittentibus præsertim biliosis, & pituitosis simul quotidie obseruatur.* Vidi mulierem maligna tertiana oppressam, in qua tam grande præcipitium natura ad iudicandam febrem tentauit, vt simul per menstrua, vomitum, secessum, & sudorem ingen-

E tem causam reiecit, sed non sine magno periculo crisim perfecit, ob insignem languorem ex tot accumulatis euacuationibus contractum: quod & Galenus 3. *de cris. cap.* 2. notauit, videtúrque mihi expositio Magistri inanis omninò: dicit enim, quod vrina multa potest procedere ex nimia tenuium calefactione; nam si calor febrem antecedens copiam tantam lotij causaret, quid per vigores, & augmenta sperandum foret? ingens certè vrinæ profluuium per totam accessionem molestaret, quod nunquam est visum: ergo vrina multa ante febris inuasionem ex liquatis iam crudis, excrementis, & natura per illam viam deriuante serum prouenit, ad quod non parum facit retractio succorum

ad

ad intra, & viscera onusta per omnem regionem expellunt; in debilibus verò non rarò contingit retinentem ex tali retrocessu grauari, & expultrix insurgit ad deiiciendum per diuersas regiones: debilitatur etiam retentrix, quia iam calor vitalis suffocari incipit, nec liberè distribuitur; & sic retentix labascit, & aliquæ euacuationes apparent intempestiuæ, & maiores, quàm per naturalem statum. Quod si Herculanus intelligeret, digestiuam hepatis (loquor vt ipse) non accusaret vt causam multitudinis vrinæ: causa quidem ridicula pro multitudine vrinæ cum almelileru eueniente, quando talis debilitas per totam morbi constitutionem diuturna necessariò erat, & sic non solùm quando almelileru erat, sed semper vrina cresceret; est ergo tradenda causa multi lotij, quæ almelileru copuletur, non verò aliis temporibus.

SECTIO I.

De signis ex pulsu.

MVlta tradit Princeps ad pulsum pertinentia quæ sunt scitu dignissima, ob quod seorsim de illis agere institui. Dicit primò; *Et accidit frequentia in pulsu, non à causa extrinseca, sicut ex labore, aut ira, aut aliis.* Quæ sententia non potest intelligi, nisi de crebritate almelileru copulata, nam si de febre intelligeretur, esset sententia ridicula, cum animaduersio crebritatis solius impropriissima fuisset. Sed quomodo crebritas significat inuasionem putridæ febris? est intelligenda doctrina de crebritate in quiete externa, contingit enim sæpe quando instat accessio, pulsum opprimi à copia crassorum vaporum corporatura potius quàm calore opprimentium: vnde fit pulsus paruus, & in externa quiete creber, oppressio enim etiam contractionem remoratur, crebritas verò manifestissima fit, quod planè obseruabis, si curiosè quando iam instat accessio, pulsum contemplatus fueris: multoties enim velut recurrit non omninò finita dilatatione. Quem textum, nec Magister, nec Iacobus idoneè exposuerunt, nostram verò doctrinam Herculanus olfecit, obscuris enim verbis illam insinuat, non ita ex mente propria sicut ex aliorum placito. Vnde Galenus 3. *de præsag. ex puls. cap.* 7. scripsit: *In solis verò inuasionibus febrilibus vt distensio interim tardior fiat priore, certè contractio celeritatem nanciscitur*: ex quibus constat quod in initiis potius vsus dilatationis remittitur, augetur verò contractionis.

Subdit Auicenna: *Cum ergo accidit coarctatio in pulsu, iam peruenit paroxysmus, & coarctatio quidem est submersio pulsus, & paruitas diuersi, in quo accidunt pulsationes magnæ, fortes, & non est velocitas eius fortis.* De coarctatione & inæqualitate pulsus perseuerantibus, intelligendus venit author; nam in vna, vel altera pulsatione, quando proxima est accessio, paruus cum crebritate, & inæqualitate passim inuenitur, proximam accessionem annuncians. Si verò coarctatio immutata duret, præterquam in aliquibus pulsationibus, iam paroxysmus molestat, quo tempore non potest non esse inæqualis, ob insigne instrumenti vitium: quia verò ob aggrauationem coarctatur, & debilis simul redditur, non est tam inconcussa, immutabilisque paruitas, vt interdum aliquæ magnæ, & fortes pulsationes non appareant, quia non semper vitium instrumenti æqualitatem seruat. Est enim celebratissima doctrina Galeni, quod debilitas essentialis paruos semper & debiles, æqualésque pulsus creat; quæ verò ab aggrauatione procedit, inæquales omninò in magnitudine, & paruitate, in debilitate, & robore suscitat. Sic 2. *lib. de præsag. ex puls. cap.* 1. *Cùm debilitata* (inquit) *facultas cordis est, non deprauatur tamen ab humoribus, omninò pulsus parui fiunt, & languidi ex facultatis imbecillitate, nulla verò illis adest inæqualitas.* Est verò duplex occasio pulsum coarctans, & effumatio crassissima eo tempore incipiens, vt contingit lignis viridibus dum primò igni applicantur: est etiam retrocessus sanguinis, & caloris influentis ad intra, præsertim quando rigor, horror, aut frigus accessiones antecedunt; sub iis enim accidentibus homo tristatur, & natura molestiam refugiens, calorem, & sanguinem intro reuocat, vt in omni alia molestia Galenus 3. *de præsagatione ex puls. cap.* 7. scripsit: *Clarissimè enim recedit in plerisque initiis de tota superficie externa sanguis, confluitque in viscera, vnde impressiones, & obstructiones fiunt, distensionesque arteriarum præcipuarum, propter quas in initiis talium accessionum coniuncti sunt pulsus inæquales.*

Addit author: *Et diuersitas in principio, & in augmento est ex proprietatibus significantibus putredinem, quãuis non appareat in tertiana apparitione plurima, propter lenitatem materiei.* Est doctrina Galeni *cap.* 9. citato dicentis: *Inæqualitas verò pulsuum, atque caloris, siue in principiis, siue in augmento contingit, est huiuscemodi febrium generis proprium indicium, non tamen & ipsum inseparabile, multæ enim, & sine sensibili inæqualitate incipiunt, atque ad consistentiam accedunt.* Indicium proprium dicitur hic, quod conuenit soli, non tamen omni, vnde inæqualitas pulsuum in augmento, & principiis solis putridis conuenit, quia vitia instrumenti, nec in diariis, nec in hecticis iuxta mentem Galeni inueniuntur, nam nec humoris multitudo, nec obstructiones, nec compressiones cordis, & arteriarum, neque inæqualis intemperies in hecticis, aut diariis exquisitis dantur ex propria conditione: at in putridis, aut adsunt omnia, aut aliqua ad inæqualitatem conducentia, præsertim quando cum rigore, horrore, aut refrigerio accessiones incipiunt, vt *loco* nuper *citato* ex 3. *de præsagatione ex puls.* Galenus docuit. Si verò accessionales sunt febres putridæ, cum detur motus ad focum, & effumatio incipiat crassissima, nondum tamen accensa, arteriæ, & cor necessariò grauantur, & opprimuntur; calor vitalis partim suffocatur, partim distributio illius ad externa impeditur, vt rarissimum sit ob dicta, in omni accessionis initio extrinseca non tepescere, etiamsi continuæ sint febres; motus etiam humoris ad focum æqualis esse non potest, nec confertim, & simultanea omnium partium excrementorum expulsio fit, sicque mirè inæquales pulsus effici solent, & etiam extremè conducit inæqualis accensio, & inflammatio, quia nec omnia quæ confluunt ad focum, æqualitatem passiuam, aut resistentem nanciscuntur, nec agens putrefaciens æquale est, nec æqualiter omnibus excrementis transmissis applicatur: & in vsu vtroque mira inuenitur varietas, vt ob eam inæqualitas etiam insignis in principiis, & augmentis appareat; inæqualitas verò in magnitudine, celeritate, & crebritate præcipuè animaduertitur, in fortitudine etiam, & imbecillitate, vt *in textu* notauit Auicenna, qui tertianam non excludit, sed dicit, quod inæqualitas non est tam magna propter tenuitatem, & leuitatem materiæ, & quia vniformius quàm reliqui humores, & citius inflammatur, seu succenditur.

Est tamen difficile quod Galenus huiusmodi signum esse proprium, non tamen inseparabile doceat, ac per consequens sunt admittendæ putridæ febres absque aliqua inæqualitate sensibili; & mihi videtur, quod doctrina sit falsa in omnibus febribus accessionalibus, nam in omnibus currit ratio eadem, vt est euidens, plus, aut minus, iuxta humoris heterogeneitatem, aut contrarium, aut secundum modum vniformem, aut inæqualem transmissionis humorum ad focum, & applicationem diuersam agentis putrefacientis. Nec admittenda est Galeni doctrina 1. *de crisi. cap.* 3. dicentis,

quod

quod in tertiana nulla inæqualitas inuenistur. Verba sunt: *Neque enim in iis aliqua in vno motu adest inæqualitas, nec etiam in collectione, quamuis hoc rarum sit, & quod paucis accessionum solet accidere:* rectius Princeps noster dixit, quamuis non appareat in tertiana apparitione plurima, propter leuitatem materiæ; & ratio est euidens, quia in nulla febre datur maior rigor, ac per consequens maior caloris reuocatio aderit, & inde maius instrumenti vitium; hoc enim non pendet solum ex humore febrem creante, sed etiam ex sanguinis confluxu ad interna, qui insignis erit non dubiè vbi rigor tam vehemens molestat, vt clarè Galenus docuit 3. *de præsagatione ex puls.* clarissimè enim (inquit) recedit in plerisque initiis de tota superficie externa sanguis, confluitque in viscera, vnde compressiones, & obstructiones fiunt, distensionésque arteriarum præcipuarum, propter quas in initiis talium accessionum coniuncti sunt pulsus inæquales; constat autem quod in nulla febre recedit magis sanguis, quàm in ea quæ rigorem vehementiorem concitat, nulla verò ex naturalibus humoribus excitata in rigoris vehementia cum tertiana potest comparari, quia nulla calidiorem, mordaciorem, & agiliorem causam nanciscitur; & quod Galenus apertè fallatur, constat, quia in inuasione tertianæ dicit esse pulsus paruos, debiles, raros, & tardos *loco citato*; hæ verò differentiæ in biliosa febre ex oppressione suffocante, & debilitate per aggrauationem oriuntur, in qua repugnat non esse manifestissimè inæquales pulsus, vt in littera Auicenna notauit. Nec constans Galenus videtur, quando 1. *ad Glauconem, cap.* 2. in ipsa intermissione tertianæ inæqualitatem febrilem sensibilem admittit. Quomodo igitur insignis in principio, & augmento non erit? & vrget adhuc, quod in diariis non omnino inæqualitatem in vnâ pulsatione excludit: repugnabit ergo quod deficiat à putridis, & ratio est euidens, quia si in intermissionibus adhuc æger sub statu non sano manet, ad minus erit neutralitas, & per consequens signis eum statum ostendentia, in pulso præsertim, cuius speculatio in febribus primas tenet: & ita meritò Galenus *loco* nuper *citato* scripsit, cum in nulla alia febre (exceptis diariis) pulsus ad naturalem habitum reuertatur, neque si multum temporis inter finem primæ accessionis, & principium secundæ intercidat, vt in tertianis, & quartanis. Nec mihi probatur solutio dicentium, quod loquatur Galenus de inæqualitate inconspicua, non verò de manifesta, cum Medicus de sensibilibus agat, non de inconspicuis; hæc enim sub Medici sensu, aut disputatione non cadunt, præsertim tractando ad praxim attinentia; ridicula quidem esset doctrina, si Galenus diceret, inæqualitas inconspicua, & insensibilis, est signum febris reuersuræ: vt talis etiam meritò putaretur, si quando dixit 2. *de cris. cap.* 3. quod in tertianis exquisitis nulla datur inæqualitas, sit intelligendus de sensibili, quasi diceret, signum tertianæ est, quod nulla detur sensibilis inæqualitas, datur tamen insensibilis, meritò quidem irrideretur, & esset statim inquirendus, vnde constabat quod inæqualitas insensibilis debeat esse: & quæcomque responsio manifestam replicam habet, quando quod insensile signum præbet, est etiam vt causa insensibilis, vt rursus redarguitur, vnde constet quod detur causa illa imperceptibilis, &c.

Sit ergo certum, quod in nulla febre accessionali sit admittendus pulsus æqualis, præsertim in principiis, & ascensibus, vt Auicenna in *præsenti cap.* docet, & rursus reperit dicendo cum maiori exaggeratione: *Diuersitas autem in principio, & augmento est ex proprietatibus febris putridæ, & est de significationibus eius fortibus, quamuis non appareat in tertiana plurimum propter leuitatem materiæ.* Propterea putant multi, quod quando Galenus dixit, Inæqualitatem pulsus non esse signum inse-

A parabile putridarum, quia sunt multæ quæ sine sensibili inæqualitate incipiunt, & ad consistentiam accedunt, sit intelligendus de continentibus putridis, quod expressè videtur docuisse 9. *method. cap.* 3. his verbis: *Proinde fit, vt qui ita febricitant, iis & pulsus maximus sit, & æqualis, & vehemens, quibus etiam arteria latius, nec durior quam pro natura est, nec mollior, celeritatis tamen frequentia, quæ eo peruenit, quo febris ipsa magnitudine: Atque hæc quidem ambarum sunt communia.* Quibus plane docet æqualem pulsum continenti putridæ, & sine putredine communem esse. Respondet Magister meus *folio* 636. negari non posse quod in continentibus detur inæqualitas vtroque modo collectiuè, & in vnica pulsatione: sed Galenus in præsenti signo loquitur de principio, & augmento, in quibus manifestè
B sentitur inæqualitas, minimè verò in continentibus, sed est momentanea; citò enim transit inuasio, & similiter augmentum. Hæc Magister. Quæ Galenum prauè interpretantur, cùm tam clarè dicat, in ambabus febribus esse pulsus maximos, æquales, & vehementes: & prauior etiam intellectu est, quod putet Magister in vltimis verbis inclusisse Galenum inæqualitatem quando dixit: *Alteri vero primum putredinis insunt notæ, idque tum in lotio, tum pulsu, tum caloris ingrata qualitate*; nam in pulsu non demonstratur putredo ob solam inæqualitatem, sed quia celerior fit contractio, & maior, quam per naturam cum manifesta crebritate in quiete cæteria: & Galenus 3. *de præsagatione ex puls. cap.* 7. sic loquitur: *Sed hoc perpetuum est, &*
C *præ cæteris proprium inuasioni febris ortæ, & putredini humorum, vt arteriæ contractio efficiatur celerior.* Et inferius inquit: Certissimum est hoc signum, illique maximè est fidendum; nam hoc vno signo fretus nunquam sum lapsus; & inde non infertur necessariò, putredo per pulsum demonstratur: ergo est inæqualis. Sed crassius peccat Magister dicendo, quod in continentibus principium, & augmentum sunt momentanea, & inde inæqualitas etiam erit imperceptibilis, aut momentanea: Sed contrà est, quia vna species continentis est, quæ semper augetur, ac per consequens euidenter constat, quod augmentum erit longissimum, & tam longum si cum tribus aliis temporibus simul sumptis conferatur, quod solum augmentum debeat durare plus, quàm tria illa tempora simul; quia vt clarè monstrabo *pro-*
D *prio tractatu*, à longissima, & maiori duratione, quàm in aliis temporibus, dicitur continens perpetuò crescens, aut in eodem tenore perseuerans, aut decrescens perpetuò; nam si vigor esset æqualis, cum augmento, aut declinatione, non esset ratio cur magis perpetuò vigens, quàm declinans, aut crescens diceretur, vt est euidens: ergo si crescens perpetuo dicitur, ideo est, quia in augmento detinetur longissimè, in aliis verò tribus temporibus multò minus, ob quod augmentum tantùm febrem denominat, reliqua tempora minimè.

Est ergo sententia nostra, quod nulla putrida febris dari potest, in qua non detur necessariò pulsus inæqualis, & in vna pulsatione, & collectiuè, quia implicat arterias, & cor non grauari, & vario modo affici à corporatura, & calore fuliginum; hæ enim quando eleuari in-
E cipiunt ex succis recens putrescentibus, sunt crassissimæ, peccántque corporatura, & non calore, post verò vt succi succenduntur, extenuatur fuligo, & minus opprimit, & grauat per corporaturam, sed vrget magis incendio, vt latè Galenus *lib.* 3. *de præsag. ex puls. cap.* 7. Quomodo ergo pulsus inæqualitatem dicit esse signum non inseparabile à putridis? Respondet 9. *method. in scholio, cap.* 31. quod quia inæqualitas continentis putridæ tam exigua est, quod & æqualis, & inæqualis dici potest; nam vbi varietas modica est, vtrumque contrarium potest efferri; ergo absolutè si cum naturali pulsu confertur, erit inæqualis perpetuò pulsus febrium continentium putridarum; si verò cum inæqualitate in intermit-

tentibus inuenta, quando cum rigore, horrore, aut frigore incipiunt, conferatur, poterit æqualis nuncupari. Ergo quia Galenus putat quod continentes non habent motum ad focum, aut partem determinatam, ideo minorem multò inæqualitatem in pulsu, vt minorem inæqualem distemperiem participant, sicque æquales pulsus ad intermittentes, & accessionales collatæ habere dici possunt; nec bene Lemosius censet, quod inæqualitas continentis ob paruitatem æqualitas dici possit; nam si continens crescit perpetuò, quia plus putridorum vaporum eleuatur continuò quam resoluatur, non potest non esse satis notabilis inæqualitas, præsertim si verum est, quod Galenus docet, nimirum quod continentes in plethoricis frequenter excitantur, propter totius obstructiones: plethora verò, & obstructiones inæqualitatem efficaciter causant, quia instrumentum validè vitiant.

SECTIO II.

Signum ex sudore, & pulsibus.

EX modo definitionis accessionum sumitur etiam signum ad cognoscendum in prima accessione si sit febris putrida. Verba Principis sunt: *Et de signis quod febris sit putrida est euacuatio periodi primi sudoris, & humectationis; ephemera enim est è contrario illius, licet in initio sit in tertiana propter lenitatem prædictam, cum ephemera non permutatur ad putredinem.*

Hic textus difficilis variè ab authoribus exponitur, vt Gentilis notat. Dinus enim & Mundinus dicunt, quod si accessio finiatur absque sudore, aut madore, sit signum putridæ febris; nam materia vt sudor ex illa fiat, inepta omninò est ob cruditatem: quid verò per cruditatem intelligendum sit, non docuit Gentilis. Fortassis intelligit crassitiem humorum, aut corpulentiam, ob quam inepti sunt, vt in substantiam tam tenuem qualis ad sudandum requiritur, permutetur: at materia ephemeræ, quia spirituosa, & tenuis, aptissima est vt in sudorem vertatur, verùm quia tertiana exquisita à tenui materia creatur, non implicat quod sudore prima finiatur accessio, verùm cum humor per coctionem incrassetur, & cocta materia per sudorem terminari soleat, non videtur obstare crassities vt prima accessio sudore finiatur. Rursus, si humor putridus in vapores vertitur, & extenuatur, ita vt per insensibilem transpirationem digeratur, & euolet, satis attenuatus existit, vt in forma sudoris pellatur, cum sit aqua crassior non dubiè vapore, aut fuligine: nec obstat quod natura materiam crudam retineat, vt coquatur; nam materia accessionis particularis absurdum est quod coquatur, cùm cesset omninò accessio, & per resolutionem (vt docent omnes) finiatur quando nullum signum coctionis, sed mera cruditas inuenitur; ideo censeo rationem Mundini inanem esse. Iacobus sine expositione reliquit, cur putridæ accessio non finiatur sudore. Similis oscitantia & omissio Herculanum, & Magistrum meum accusant; & vt Auicenna tertianam ob leuitatem materiæ excepit, potuit & debuit etiam excipere febres à serosis succis pendentes; sunt enim tales vt in sudorem mutentur aptissimè. Hippocrates 4. *aphor. text.* 42. febres perpetuò sudatorias à frigidis succis admittit, dicendo: *Sudor multus, calidus, vel frigidus, semper fluens, frigidus magis, calidus minus significat morbum*: Galenus in expositione scribit: *Indicant quidem vtrique multitudinem adesse, sed alteri frigidam qui peiores sunt, alteri verò calidam, qui minus sunt exitiales.* Constat ergo ex dictis, quod cruditas, & crassities materiæ non obstant, vt sudor semper fluens in febribus detur, quia nulla materia crudior, &

A crassior quàm frigida datur: ergo si Principis nostri mens fuit, quod desitio accessionis absque sudore, aut madore sit signum putridæ febris, tanquam signum separabile, & minimè proprium admittendum est, velut si diceret, si accessio absque sudore, aut madore finiatur, suspicio putridæ est, quia ephemera madore, & sudore finiri semper ferè solet. Verùm etsi sudor adsit, non ob id non erit putrida; nam in tertianis id experimur, neque aliis absolutè repugnat, etsi Galenus 2. *de cris. capite quinto* dicat, quod laborantes quotidiana in primis diebus minimè sudant; & 5. *de differentiis febr. cap.* 4. dixit, quod paruæ fiunt in quotidiana euacuationes; & 1. *ad Glauconem, cap.* 7. sic scripsit: *Non tamen harum febrium declinationes quemadmodum tertianarum, & quartanarum, sudoribus terminantur*; quod testimonium quartanas non excludit à terminatione sudoris, quinimo inter signa quartanæ Galenus tradit, *cap.* 6. *eiusdem libri*, quod cum sudore febres desinant; & fortassè magis proprium est quartanarum quàm tertianæ, quia sanguis melancholicus, scherosus nimis est, & multo sero abundans, si Hippocrati credendum est. Videtur ergo incertissimum huiusmodi signum, si Princeps vt relati authores putant, intelligatur.

Ob id Gentilis, etsi eos non increpet, in alium sensum fertur, & omninò oppositum, nimirum quod signum putridæ sit, si accessio cum sudore, & humectatione finiatur, ita vt sit sudor satis perspicuus, & notus, quia ephemera cum sudore rorido, vt in sanis euenire solet; quia verò in tertiana leuior sudor est, C diariæ assimilatur magis, & inde si prima accessio nimio sudore terminetur, magnum indicium putridæ, reuersuræque putabitur, & fortassis non breuis constitutionis, si sudor abundans fuerit, quia multitudinem arguit.

Verùm quia solet diaria in putridam permutari, euenire potest, quod prima accessio, aut non finiatur sudore iuxta sensum Mundini, aut quod sit cum sudore copioso, vt Gentilis exponit, quia permutatio diariæ in putridam, in augmento & vigore fieri rationabiliter debet, attendendum est, si mutatio aliqua insignis in iis temporibus de nouo succedat diariæ non debita, horror, refrigeratio, rigor, pulsuum noua compressio, inæqualitas pulsus, sitis, linguæ siccitas, inquietudo, non ob delicatam naturam, sed ab acrimonia D caloris, & si quæ sunt alia symptomata extra conditionem diariæ, in lotio, vomitu, aut deiectionibus, ex quibus permutatio rationabiliter timeatur. Quæ si euenerit, iam accessio incipientis diariæ finietur vt putrida, aut cum insigni sudore, aut sine aliquo omnino; nam hæc duo accessio diariæ exquisitæ excludit; dixi exquisitæ, quoniam si ex cutis constipatione fuerit orta in corpore sanguineo, aut cacochymo, non erit mirum, si oleo laxante, vt fieri solet, in fine accessionis reserata cute, copiosus sudor emanet, vt quotidie experimur; & si diaria permutanda est, nunquam magis quam in corpore vitiosis excrementis saturato timebitur, aut certior erit, nec leue periculum includet plethoricum.

E Ex dictis in febribus distiguendi veniunt sudores, quia ob propriam earum conditionem emanant, aut modo critico, aut symptomatico; nam si ob proprium modum, seu proprietatem emanent, nihil malignum significant, sed solam excrementorum abundantiam, ob quod vulgus si accessio febris intermittentis sudore finiatur, aliam certò venturam præsagat, & ita esse experimento constat, similiter quod quando iam febris absolutio instat, accessiones absque sudore finiantur.

Si verò sudores non sequantur morbi ideam, & in principio appareant, praui putandi sunt, quia intempestiui, nullius commodi, Imò mali, vt causa, & vt

signum;

signum: Vt causa quia vires effeminant, vt omnis alia intempestiua euacuatio, & inutiles sunt; vt signum, quia aut impotentiam naturæ, aut insigne irritamentum significant, quo ante coctionem crisim tentare cogitur. In intermittentibus igitur febribus nullam prauitatem sudores post accessiones induunt; in continuis verò semper sunt timendi, præcipuè si alia signa prauum morem febris ostendant, & indè quò acutior, & periculosior febris appareat, tantò erit sudor prauior vt causa, & vt signum. Legatur Hippocrates 2. *epidem. sectione prima, in principio, & sect.* 3. non longè ab illo; ex cuius doctrina deducea, iudicationibus intempestiuis plus prauitati, quam morbis tribuendum non esse, & in prauis morbis sudores leuiores animi deliquia comitari, & esse signum deterius, quàm si copiosi sint: nam vt in diariis madore veluti naturali accessiones finiuntur, quia à materia spirituosa oriuntur, sic exigui sudores deliquia, & virtutis collapsum significant, quia spirituum dissipatione creantur, & vt notauimus, quod sudores ideam morbi sequentes, nihil prauum significant, etsi in morbi principio excitentur, eadem ratione rigores metiendi sunt, & ponderandi. Quidam enim morbi ideam sequuntur, & nihil mali significant; quidam sunt iudicatorij, hi verò praui semper sunt in acutis febribus, quando in principio apparent; optimi verò si post coctionem materiæ. Est etiam natura hominis consideranda; nam qui cute densiori & sicca sunt, difficillimè sudant, iuxta sententiam Hippocratis *6. epid. sect. 6. text.* 14. dicentis: *Quibus cutes intentæ, aridæ, & duræ, sine sudore; quibus verò laxæ, cum sudore moriuntur*, quod etiam tradidit *5. aphor. text.* 77.

Colligit rursus Auicenna, quod sit febris putrida ea prolixitate augmenti, quia significat materiam non facilè inflammabilem, & inde non potest esse spirituosa, sed poterat melius idem ex prolixitate principij deducere, quia in illo difficilius inflammatur; illud verò tacuit, quia ex aliis principij signis, promptiùs, & citius significabatur putredo: tradit multa signa putredinem humorum significantia, quia extra naturam substantiæ spirituosæ videntur esse. Talia sunt sitis, nigredo linguæ, dolor capitis, & propriè (inquit) si apud statum appareant, non quia in principio accessionis certiorem significationem non habeant, & magis terreant; sed quia vt plurimum in statu apparere solent, estque velut pleonasmus: sic inquietudo, & angustia idem significant, est enim putrida fuligo mordacior, & corpulentior, quàm spiritus, vnde tactum lancinat, & vellicat, & corpulentia velut suffocat, quæ in diariis non dantur; sic inquit pulsus quandoque tendit ad magnitudinem, & fortitudinem, quandoque tendit ad paruitatem & debilitatem, & coarctationem; ex oppressione naturæ dependent hæc vltima, partim à corporatura humorum naturam opprimentium, & suffocantium, quam dum vincit ex parte natura, maiores & fortiores pulsus suscitat, inæquales tamen quia instrumentum vitiatum est.

Addit, quod in febribus putridis datur quandoque durus pulsus, non ob naturam febris, sed quia aliud vitium adiungitur febri: vitia sunt hæc, apostema durum in quocumque membro, aut apostema in membro duro, quamvis apostema durum non sit, aut potus aquæ frigidæ, aut aliquid aliud de illis quæ pulsum induant, & traduntur in libro pulsuum, desumptaque est adducta sententia ex Galeno *cap. 7. citato* dicente: *Nunc quantum præsenti operi expedit, dicemus, quod pulsus durus non est alicuius generis febrium, nec igitur ephemerarum, nec earum quæ in humoribus accenduntur, nec hecticarum proprius, atque inseparabilis, comitatur verò magna ex parte hecticas febres, nonnunquam verò genera alia casu aliquo interuenientibus, ephemeras quidem si ex algore nimio contigerunt, si qua neruosa tensio*

A *simul affuerit; contingit etiam aliquando ob nimium solis feruorem, aut lassitudinem simul, aut esuritionem, aut immodicas vigilias, aut exinanitionem: iis autem quæ ex humorum putredine fiunt febres pulsus durus adest, quando aliquid viscerum, vel inflammationibus, vel durum tumorem patiatur, & si casus aliis affuerit, veluti tensio neruorum, aut siccitas, sicut in iis qui non in tempore frigidam bibunt aquam, aut frigida se lauant, atque aliquibus arborum fructibus immodicè vescuntur, &c.* Ergo pulsus durus, nec est signum proprium, nec inseparabile alicuius generis febrium, quia durities, aut a siccitate, aut tensione, aut concretione creatur, nil verò B istorum diariis putridis, aut hectica requirit; & quamvis probabilissimum sit, & nos *proprio tractatu* documus, hecticam propriè dictam sine siccitate morbosa constitui nun posse, non ob id durum pulsum, vt signum inseparabile petit, quia ad duritiem intensior multò siccitas, quàm ad alia symptomata requiritur, ob quod Galenus *in fine cap. 7. ex 1. de differentiis febr.* scripsit: *Atque in vniuersum dicatur, quæcumque ipsas animalis solidas partes vehementer exsiccant, sicuti & hecticæ febres.* Ecce quod vehementem exsiccationem expościt Galenus ad pulsus duritiem.

Duo tamen difficilia ex adducta doctrina suscitantur. Primum contra Auicennam; nempe quod molle apostema in membro duro, durum pulsum non generet. Ratio est efficax, quia membrum durum ex propria temperie in corpore temperato pulsum durum C non facit: ergo minus multò talem creabit, si apostemate molli obsideatur. Constat planè, quia molle apostema ob id dicitur tale, quia partem affectam mortificat, nam si eam ob tensionem induraret, esset molle, sed durum: quomodo ergo pulsum medium, & naturalem indurare, aut tendere poterit? & lege contrariorum conuincitur; nam quod ea se facit durum apostema, si in membro molli illud creet, reddit pulsum durum: ergo quod facit apostema molle, etiamsi membrum durum afficiat, non poterit indurari para magis quàm erat, quia ex propria materia causa mollis tumoris siccitatem membri remittere debet: ergo molliet pulsus, non durus reddetur, & ego ita censeo si causa apostematis ex se mollificare debet, vnde D ædema in nullo membro duritiem pulsus, sed mollitudinem facit.

Aliud difficile contra Galenum est, nimirum quod concretionē à frigore extrinseco, aut potu aquæ algidæ durare implicet, si homo febricitat; nam si arteriæ, & cor calefiunt præter naturam, frigus arteriam concrescens corrumpitur necessariò, & inde concretio deficiet, & pulsus durus non erit. Nec minus difficile videtur, quòd frigus externum si diariam febrem induxit, tam intensum in corde & arteriis esse possit, vt concretionem efficiat; nam frigus concrescens intensissimum esse debet, vt constat planè in externis, quæ etsi frigida sint, tamen vt concrescant frigore aëris, frigidissimus prius percipitur, & hic effectus in membris, quæ ea propria natura assiduè mouentur, vt sunt arteriæ & cor, maiorem, seu intensiorem multò frigiditatem re- E quirit, quoniam ipsa motio, qua indefectibiliter dilatantur, & comprimuntur, resistit validè concretioni, vt est euidens. Et quod de potu aquæ gelidæ docet, improbabilius apparet, cùm aqua in corpore statim calefiat, præsertim si iam febricitat, vt supponitur; nihil tamen magis concretioni, quàm aqua calida obstat, quoniam calore, & humiditate vehementer concretioni resistit, humiditate præsertim, ob quam etsi aqua sit summè frigida, concrescit nunquam, sed fluida est, vt nunquam cum humore, etsi sit frigidissimos aër, externa concrescant. Vrget etiam facilitas nimia, qua aqua in vapores calidos vertitur, ex qua deducitur planè, quod à corpore febriente, in vapores statim versa, illud humectet, & liquet potius. Idem de

calore merito dubitatur, nunquam enim pulsum indurat, quin prius intensam siccitatem introducat, aut ex accidenti causet: prius verò diariam efficiet, si eam facturus est, & si tantam siccitatem in solida introduxit, cum febre hectica potius, quàm diaria insurget, vt *tractatu de hectica* docui, vbi probaui ex densitate cordis, & viscerum, certam speciem hecticæ dari.

Solùm responderi potest, quod secundæ qualitates non statim vt primæ earum authores defecerint, deficiant etiam, vt constat quando manus à frigore extrinseco immobiles fiunt, & densantur concretæ; nam etsi intensè calefiant, non tamen statim concretionem amittunt, quia secunda qualitas suo contrario repugnat tempore certo, in quo etsi cor ardeat præter naturam, non tamen laxatur tam breuiter, & inde pulsus durus esse poterit simul cum febre; & si hoc tibi non placeat, affirmare debes, quod detur febris cum frigido corde, & arteriis, quandiu pulsus durus cum febre manet, quia manet frigus concrescens: hoc verò minus probabiliter dicitur iuxta mentem Galeni, qui in innumeris locis negat sine cordis incendio febrem reperiri, etiamsi in propria quæstione oppositum ex eius mente sustinuerimus; mirandum tamen est, quod omnes Expositores Galeni & Auicennæ, adductas dubitationes sicco pede transierint, illud verò mirabile magis, quod diximus, nempe quod manus gelatæ, & præ nimio frigore emortuæ, si igni, aut agenti calido applicantur, dolore immani crucientur, & interdum omninò emoriantur, quod non contingit, si niue fricentur, aut aquæ gelidæ immergantur, quod experimentum cum aliis à Sennerto adducitur, vt atomos probet, & simplices, seu nudas alterationes reprobet. Legatur *Hypomnemate 3. c.1.* sunt certè exempla admiranda verbis sequentibus tradita: *Si quis (inquit) oua, vel poma congelata aquæ calidæ imponat, vel aëri calido admoueat, (quod fieri deberet si esset nuda alteratio) corrumpuntur, si verò aquæ gelidissimæ immergat, gelu extrahitur, & instar glaciei extra adhæret, ipsa vero integra seruantur; ita qui tempore hyberno iter faciunt, quod Noruegiæ, & aliis Septemptrionalibus notissimum (neque nostris hominibus planè ignotum) & membra quasi congelata habent, si ad ignem, & locum calidum statim accedunt, maximoperè læduntur, & summum dolorem percipiunt, ac sæpè accidit, vt pars gangrena corripiatur, frigido (frigido dico, non frigiditate) ad interiora penetrante & calorem insitum extinguente: si verò membra niue prius fricentur, vel aquæ gelidæ immergantur, aqua, vel nix atomos illas, & minima corpuscula frigida, quæ parti sese insinuarunt, ad se ob similitudinem attrahunt; contrà cum membrum aliquod quocumque modo combustum est, si aquæ frigidæ (quod alterationis lex requirit) immergatur, certissimè periclitatur; contrà sanabitur, si non aquæ frigidæ, sed calidæ, quæ calida illa corpuscula ob similitudinem ad se trahat, admoueatur, membrúmque si combustio non sit magna, igni admoueatur, aut cineres calidi ei applicentur*; ob quod Fernelius *7. method. cap.1.* dixit, quod ignis si ipsi proximè pars vsta admoueatur, propter insiti mali sit alexiterium, eámque reuocato empyreumate, dolore leuat: sic nonnulla impressum partibus ardorem foris calore prolectant, atque ita sedata inflammatione ambustis medentur: quod respiciens Philosophus *sect.24. problem. quæst.13.* docet, calida magis in sole quàm in vmbra refrigerari, quia radij solares atomos igneas extrahunt. In quem sensum Galenus *1. de elementis, cap. 6.* scripsit: *Ego illum, qui in gelu calefit ab igne, dico ignem in corpus assumere*; quam veritatem sequutus Sennertus *2. de febribus, c.16.* guttam roseam calidis, & non frigidis curat, & morbum articularem, quem à salsugine, & sulphure humorum pendere putat, salibus, & sulphure tollit, nostra medicamenta irridens. Hæc adduxi non vt doctrinam, & opinionem Sennerti admittam vt veram, simplices alterationes, & nudas tollentis, quam Democriti fuisse certum est, sed vt vobis proponam aliqua problemata per otium cum amicis discutienda: Philosophorum enim, vt frequens, ita & grata difficilium inquisitio esse debet.

SECTIO III.

De signo ex vrina.

POstquam Princeps repetiit rursus quod inæqualitas in pulsu, & in modo inuasionis, & caloris in principio, & augmento accessionis est ex proprietatibus febris putridæ, & de significationibus fortibus eius, tradit signum ex vrina, vt humorum putredo innotescat dicendo; *Et est vrina in principio non digesta, aut parum digesta, & fortasse est acuta.* Præter vltimam particulam de acutie desumpsit ex Galeno *cap.7. citato*, dicente: *Proprium vero maximè harum febrium etiam existit cruditas vrinæ, debilis etiam earum concoctio proprium est indicium febrium, quæ humorum sequuntur putredinem, nec enim cruda, nec cocta debiliter in ephemeris apparet: At earum quidem alterutra seorsim est proprium febrium, quæ in humoribus accenduntur indicium: simul autem vtraque dicta secundum distinctionis proloquium, omnino inseparabilis existit; huic enim febrium generi vrinæ primæ, vel omnino crudæ, vel debiliter coctæ omnino associantur, nec vnquam magnum, aut affatim dignum concoctionis indicium in huiusmodi febribus in primis vrinis apparet, si excipiamus eam quæ fit ex ephemeris febribus per mutationem, de qua à nobis antea dictum est.* Debetis autem intelligere per vrinæ cruditatem, quemcumque defectum, aut in modo substantiæ, aut in bonis conditionibus sedimenti, velut si diceres, signum inseparabile, & proprium febrium putridarum est, quod vrina aliquod vitium habeat coctionem perfectam destruens; illud autem vitium non potest esse determinatum, quamvis in rigore (vt ego sentio) semper in modo substantiæ debet esse vrina tenuior: nam & quæ crassa, & perturbata dicitur, licet corpulentior appareat, est nihilominus reuera tenuior, quia nec putredo, nec vstio modum verum, & naturalem substantiæ augere, aut intendere possunt; & inde quæcumque mutatio, admodum tenuiorem lotium permutat: quod euidenter cernitur in vrinis crassissimis, & perturbatis, si postea clarescant, & excrementa crassa subsidant; tenuissimus quidem liquor apparet, & est, putredo enim, & vstio mistionem directè dissoluunt, seu modum substantiæ per coctionem adeptum; hæc enim omnia permiscet, vnit, & coagmentat: putredo verò, & vstio dissoluunt.

Excipit Gentilis primò febres putridas, quando earum causa non est in locis venarum; tunc enim quamvis sit in principio, potest apparere coctio in vrina; quam exceptionem Magister meus impugnat, & falsam censet, quia ex doctrina Gentilis sequeretur, quod in febribus intermittentibus non significarentur tempora vniuersalia signis cruditatis, & coctionis. Quæ impugnatio inanis est, & illam ingenuè Gentilis concederet ex parte signorum ad vrinam pertinentium, non tamen pertinentium ad pulsum, si iuxta Galeni doctrinam per pulsum possunt cognosci.

Difficilius est, si quod Gentilis supponit, debeat admitti, dari nimirum in principio febrium putridarum lotium omninò inculpatum, ita quod neque in modo substantiæ, nec in conditionibus optimi sedimenti aliquid præternaturale inueniatur, vt docent omnes: & Galenus *loco* nuper *citato* putat, quod vrinæ cruditas, aut obscura coctio sint signum proprium, & inseparabile in primis vrinis, si duo illa vitia seorsum sumantur, ita vt sine vno, aut alio putrida febris in principio non

non detot. Et mihi videtur probabilissimum, quod rectè contingere possit putrida febris cum signis coctionis, & absque vllo sensibili vitio: hoc tanquam experimento confirmatum, & inconcussum in febribus malignis omnes admittunt, vt in omnium scriptis inuenitur, & tenet etiam Magister meus *lib. de febribus, folio* 153. tradendo enim optimas conditiones, vt coctio materiæ morbificæ securitatem significet, ita loquitur: *In primis talis coctio debet esse materia peccantis, & facientis morbum; nam sæpe contingit in morbis malignis, aut pestilentibus, statim signa coctionis apparere, & tamen ægrum in maximo periculo esse constitutum, imò interire.* Et inferius scripsit: *Sed adhuc in febribus malignis pendentibus ab humore, solet tale signum coctionis apparere statim à principio, túncque merito Medici indicant, non esse partem materiæ facientis morbum, estque pessimum signum.*

Et videtur hæc pars suaderi Hippocratis doctrina 2. *prognost. text.* 26. dicentis: *Vrina autem optima est, si sedimentum candidum fuerit, leueque, & æquale per omne tempus, donec morbus iudicatus fuerit, &c.* ergo si per totum tempus morbi debet apparere, incipere poterit cum optimo sedimento, cum quo implicat non esse perfectissimè coctam, vt in expositione Galenus docuit, dicendo; *necessariò verò colore erit modicè pallida, seu crocea, & conditione media, inter tenuem, & aquosam, ac corpulentam, qualis iumentorum habetur;* & in fine sic scripsit: *Et item celerem fore solutionem, ita vt si prima die aut proxima nocte apparens, perseueret simile, die secunda, aut nocte prima circuitionis decretoriorum dierum, non vltra procedat ægrotatio.* Porro hæc dixit de morbis febriculosis, &c. Et ratio potest esse, quia vitium vrinæ, aut cruditas nascitur ob causæ putredinem, sed hæc est maior in augmento, & vigore, vt docent omnes: ergo in illis dabitur non solùm cruditas vt in principio, sed maior multò: at in iis temporibus coctionem manifestam, & perfectam authores admittunt cum maiori putredine quàm in principio, ergo in hoc etiam similes gradus coctionis debent, aut possunt inueniri, imò & perfectiores, si minor datur putredo, vt datur reuera, & ex maioribus febribus constat. Et confirmatur, quia in primo morbi insultu, non potest non esse remissior putredo, in quo necessariò virtus constat magis quàm in aliis temporibus, quia minus repassa est à morbo incipiente, quàm ab eo amplius durante, vt est euidens: ergo si in aliis temporibus, cum maiori putredine, & minori virtute dantur coctionis signa, iure potiori in principio debent admitti, aut vrinæ cruditas ex alio principio, quàm ex materia putrida pendet. Quo argumento solutionem à Magistro adductam *libr. de febrib. fol.* 285. non leuiter vrgeo; nam cùm esset argumentum, quod soli diariæ non conuenit habere vrinam in primo die coctam, quia si verum est quod Galenus admittit, posse nimirum aliquod tempus morbi insensibiliter pertransire, si supponatur quod principium vniuersale, & augmentum insensibiliter transeant, incipiet febris putrida cum signis coctionis in ordine ad medicum, quia incipiet sensibiliter cum summo vigore. Respondet negando quod infertur, etsi antecedens sit verum; nam quando dicitur quod vrina cocta in diariis in primo die apparet, non intelligitur per primum diem duratio tota diei; sic etiam in putridis potest esse coctio perfecta, quia in primo die possunt principium, & augmentum suam durationem absoluere, ob summam morbi acutiem: ergo quod dicitur in diariis est, quòd primæ vrinæ debent esse coctæ, aut cum primum diaria apprehendit, quod in putridis esse non potest, quia in primo insultu necessariò vitiant vrinam, etiamsi intra diem possint emendari, aut iuxta Galeni mentem, in eadem accessione; sic enim docet expressè 1. *de cris. cap.* 3. *circa finem*; admittit enim tempora ali- A qua insensibiliter pertransire posse. Verba sunt: *Nam interdum prior accessio principium simul habuit, & ascensum & statum*, in prima videlicet sui parte principium, deinde ascensum, postremo verò statum, deinde secunda accessio manifestè visa est declinare: in qua doctrina si admirenda est, in principio accessionis erat vrina cruda, in augmento accessionis cocta manifestè, in vigore, & declinatione cocta perfectè esse debebat: quod habet difficultatem iam à me tactam, quomodo in primo insultu vrina cruda debebat esse, si minor erat putredo, & natura repatiebatur etiam minus à morbo; postea verò cum maiori morbo, & ma- B iori putredine coctio celebrabatur, si magis natura patitur quàm in primo insultu?

Idem probatur quando materia morbi in prima regione, aut in tertia continetur, aut in loco ea quo vrina non deriuatur ob nimiam distantiam, non enim renes ex quauis parte serum alliciunt, sed ea proximioribus, & maioribus, & iecori proximis; in iis enim maior copia semper abundat, vt in communi barathro, ex quo totum trahit serosam substantiam cum alimento, vt hoc possit omnes partes facilè penetrare, & penetrare poros: in quam causam reducunt authores melius sentientes bonitatem, & naturalitatem vrinæ in febribus putridis malignis, vt *proprio tractatu* retulimus. Fortassis nulla alia malignitas datur, nisi quod putredinis focus in venulis cordi proximis habitet; nam vt Galenus nullam aliam C hecticam pestilentem nos docuit, nisi quia putredo cordis occupet, sic pestilens, & maligna humoralis esse poterit, si focus putredinis iuxta cor, aut in ipso stabuletur, ob quod vt signum magnum vrina bona ab authoribus traditur, quatenus ea illa deducimus, quod materia morbi interiores partes obsideat, & in corde esse possit; pars verò affecta, non ex vrina bona, sed ex aliis signis capiscanda est, vt contra Mercatum ibi docui. Quando hæc scribo Complutensis Gubernator quotidiana notha, & subintrante laborat, & ab ea non leuiter oppressus, nunquam vrina vitiata sensibiliter apparuit, & multò minus in morbi principio, erat enim naturalissima, & talis hodie permanet, vt permanet etiam febris cum simili ferè molestia, D & grauitate: est verò nocturna, quam 1. *epid. sect.* 3. *text.* 6. non admodum lethalem, verùm longam appellauit Hippocrates, & inter pituitosas Auicenna reposuit. Vnde infertur, quod vrinæ vitium adductum à Galeno non sit perpetuum in putridarum principio, seu in primis vrinis: nec video qualiter possit Galenus defendi, si experimentis est adhibenda fides, contra quæ nulla ratio valida esse potest, multò minus authoritas.

Nec mihi probatur expositio Vegæ *in prognostico de vrinis*: dicit quidem quod verba Hippocratis laudantis per totum tempus sedimentum optimum, idem significant, quod particula æquale; nam præterquam quod experimentis ab omnibus authoribus adductis opponitur, vrinam coctam in malignis febribus per totum morbum admittentibus, repetionem inanem in Hippo- E crata admittis, qui tam breuiloquus semper agnoscitur, vt quæ ex dictis possunt inferri silentio inuoluat, & vnica dictione, si potest, multa semper comprehendat; & Galenus in eiusdem prognostici expositione, in prima die perfectam coctionem admittit, nihil dici excludens, aut notans, quod primæ vrinæ in illa die incoctæ debebant esse. De his febribus quæ cum signis coctionis incipiunt, & per totum tempus durant, intellige sententiam Hippocratis *tert. prognost. text.* 2. dicentis: Simplicissimæ enim febres, ac signis firmatæ securissimis, quarto die, aut citius desinunt, quod præsagium per totum morbum secura signa exposcens, non potest admittere vrinam crudam, & putredine vitiatam; nam si hæc adsunt, non potest esse

febris securissimis signis firmata, quia quandiu cruditas vincente putredine naturam affligit, nulla securitas esse potest, præsertim in morbis tam acutis, quorum crisis ante quartum salubris esse debet; sic de coctione dixit Hippocrates 1. *epid. sect.* 1. quod iudicij celeritatem, & securitatem significat, cruda verò & incocta, aut mortem, aut recidiuam. Et lege contrariorum constat, quod si coctio securitatem significat, cruditas eam destruens secura esse non possit, quia quod securitate priuat, non potest non esse periculosum suo modo, ob quod nullius salutem pollicetur, si cruda vrina sit, & morbus non declinauerit, vt *tractatu de temporibus febrium* docui: ergo, febres simplicissimæ, & signis firmatæ securissimis, vrinam crudam excludunt; nam securissimum signum nullum est in rigore, nisi coctio, & victoria naturæ.

Et si pulchrè inquiratis, vnde proueniat, quod putredo humorum interdum vrinam deprauet, nonnunquam verò inculpatam relinquat? Respondeo partim iam esse dictum, quando nimirum in tertia regione, aut prima, aut in locis ex quibus vrina non decidit, ob nimiam distantiam consistit putredo. Dices hoc satis non esse, vt secura illa vrina putetur, quia non pendet ex naturæ victoria, vt patet, quia causa morbi potest esse maligna in dictis locis, & nullo modo victa: ergo vt secura coctio esse debeat, vt signum debet esse post materiæ cruditatem, & in ipsa materia cruda, vt coctio, quæ vigorem constituit iuxta mentem omnium, in materia febrem efficiente celebratur, & ideo eiusdem febris vigorem, & tempus determinatum constituit. Pulchra quidem instantia, sed facilè infringitur eodem exemplo, vt inde constet posse febrem putridam cum signis coctionis statim incipere, & esse optimum signum: inquiro enim cur coctio in vigore salubris putatur, & putredo etsi maior in illo, coctionem non tollit: quicquid respondeas, idem in nostro modo opinandi pro idonea responsione inuenies, & inde sicut in vigore dantur simul putredo & coctio, & putredo & accessiones maiores non obstant, vt natura coctiones celebret in eadem materia, sic neque in principio, quia in illo potest dari putredo eiusdem naturæ, & non implicabit minor cum maiori coctricis robore, & incipiet febris cum eisdem coctionis signis; nam si robur naturæ aut debilitas ex temperie idonea, aut morbosa nascitur, si in primo morbi insultu datur temperies morbosa remissior, & minor, non dubiè intensiuè, & extensiuè putredo & coctio procedere poterit in primo insultu melius quàm in vigoribus; aut est reddenda ratio impossibilitatis. Quam sententiam Vega noster tenuit 1. *de differentiis feb. in scholio, capite* 17. *fol.* 680. putat enim, quod febris putrida à causa cruda, aut cocta mediocriter, aut omninò concocta incipere poterit. Et si dicas ex dicto placito sequi, quod morbus ab augmento, aut vigore incipere possit, quod videtur omninò impossibile: Respondet quod coctionis tempora non sunt vera morbi tempora, sed ea solùm quæ morbi essentiam comitantur, & veram illius magnitudinem efficiunt.

Addit Auicenna, quod vrina putridarum febrium fortasse est acuta, cuius acutiem tripliciter Gentilis exposuit: primò quod possit esse validè tincta, id est coloris intensioris naturali: Secundò, quod sit odoris grauioris, aut ob fœtorem aliquem, aut nidorulentiam. Tertiò, quod celerem significationem præstet in ordine ad salutem, aut mortem. Iacubus exposuit, quod quando mingitur, molestiam inferat, quia mordax; nam quod dicit de acuto sapore, admittendum ob sorditiem non est, est tamen frequentissimum, quòd æger crebrò vrinam emittat, & quia si acrior redditur, ob vstionem, aut putredinem, tactum in minori quantitate stimulat, & quia dissolutis humoribus ob putredinem, aquosa pars secernitur, & magis abundat, & quia succi crudi,

A & pituita liquari solent in prima accessione.

Tandem duo Princeps notat. Primum quod à febribus acutis interficientibus rarò liberantur ægri, nisi cum contractione membri, hoc est sine abscessu aliquo membrum contrahente, & motum impediente. Ratio est, quia vbi desperata febris apparet & velut interficiens, duo habet, & esse acutissimam, & non apparere signa coctionis, cum his enim interficiens non esset, quia acuta naturam extremè irritat, ob accessionum vehementiam, & mordacem humoris proprietatem, ratione cuius ante coctionis signa illum expellere tentat; euacuatio verò per sudorem, aut secessum cum signis desperatis rarò ad salutem iudicat, quia tota periculi causa in symptomaticis euacuationibus in virtutis dispendio consistit, ob prauitatem humoris agitati, & non expulsi, vt decet;
B ipsa enim commotio, & multa, & praua symptomata suscitat, extremè naturam effeminantia, cui iam debili si noua debilitas ab euacuatione superueniat, meritò timemus, nec per sudorem tam commodè crassum euacuatur, vt per abscessus reponitur, alui fluxio lentè euacuat, cum insigni irritatione & casu virtutis, ob nixum, & corporis motionem assiduam; & peruigilium ventriculique consensum, vt securior non dubie sit causæ morbi in membrum ignobile deriuatio, quia totus humor sine euacuatione reponitur, & inde sine noua debilitate, naturam ex morbi pernicie iam extremè languentem debilitat plus. quod in sudoribus, & alui fluxione inuenire non possumus. Ob hoc inconueniens Hippocrates 2. *prognost. text.* 67. in vehementibus, & periculosis pulmoniis, abscessus in cruribus, non sudorem, aut alui
C fluxum, vt tantum periculum ægri effugiant, desiderat, quia per hunc modum terminationis integer humor potest expelli, & debet reponi, si salubriter terminari debet, & sine noua euacuatione vires deficiente, quod per abscessus fit. Hæc videtur genuina expositio huius loci, quæ si bene perpendatur, Mercurialis reprehensione caret, non enim negat Auicenna, quod terminatio per abscessus sit longis morbis familiarior, sed quod si aliquis debet euadere à febribus acutis interficientibus, rarò contingit sine membri contractione, seu abscessu, quia aliæ crises ad mortem potiùs quàm ad bonum fiunt, ob rationem iam traditam; & Hippocr. exemplo pulmoniæ fortis, & periculosæ nos docuit, quem in præsenti textu Auicenna fuit æmulatus.

D Sed putat Magister meus quod exponatur melius adducta sententia, vt sit sensus, quod à febribus acutis rarò fiat euasio cum membri contractione, hoc est cum abscessibus; sed contra rarissimum esse, quod per abscessus terminatio fiat, & frequentissimum per alias terminationes; & quia illa particula (nisi) huic expositioni videtur refragari, dicit cum Mercuriali, quod potiùs sit significatiua sequentium, quàm negatiua. Sed hic modus exponendi admittendus non est, magnam enim vim idoneo sensui verborum imponit, & verborum significationem deprauat, & melius censeret, esse detrahendam illam negationem, vt talis redderetur sententia; & scias quod à febribus acutis interficientibus rarò fit euasio cum membri contractione; verùm nec hoc lici-
E tum est, vbi contraria ratio euidens non datur, & iuxta mentem Iacobi de febribus pestilentibus Auicennam exponentis, illa particula (nisi) rectè posita est; docet enim experimentum ita esse, & nihil communius in pestilente constitutione, quæ annis præteritis Complurium oppressit expertum fuit, quàm mortis molestiam effugisse, quibus magnus abscessus apparuit, periclitaros verò fuisse, si tumor paruus esset, & quò paruior, periculosiùs febricitabant, & certius peribant.

Secundum notat Princeps dicendo: *Et quando alleuiatur febris post quietem apostematis in pleuresi, & similibus, tunc scias quod de materia remansit aliquid, & quod materia iam declinat ad locum vbi apparet dolor*: velut si diceret, si omninò apostema, seu inflammatio

eradi

eradicatur, sic enim intelligo apostema quiescere, quia quies omnimodam cessationem motus includit, & remaneat nihilominus febris, minor tamen quàm antea: Sciendum est quod potest contingere vt aliqua inflammationis causa in aliud membrum derivetur & pellatur, dummodo sit ignobile (alioqui febris non alleviaretur, decubitus verò nouus necessariò in parte ad quam pellitur, dolorem de nouo creat. Vnde infertur, quod materia prioris inflammationis manet in corpore, quia febris durat, & nouum morbum in alia parte suscitat: suscitabitur verò in parte quæ modò dolere incipit, quia vt dicitur 4. *aphor.* 33. si ante morbum aliqua pars doluerit, ibi morbus firmatur; hæc verò permutatio speranda est in inflammationibus sua crisi non terminatis, vt in pleuritide, sine copioso sputo, aut sudore, aut sanguinis fluxu, non iudicata, nec mutata in suppurationem, nec tamen omninò mortali, & propriè in periculosissimis inflammationibus: tales enim necessariò sunt, quibus sua debita terminatio defecit, vt de pulmonia facta Hippocrates docuit, in quo euentu abscessus in parte dolente de nouo Medicus pollicebitur, & attractoriis auxiliis motum naturæ ionabit parti dolenti applicans, si natura pigrè reiiciat: si verò satis valeat expellat, laxantia sufficient.

CAPVT III.

De signis febris continuæ.

Nisi, etsi leue initium reliquit author, & sic quamuis facillimum videatur continuas febres, quas assiduas vocat, ab intermittentibus discernere, voluit sine determinato capite illud docere; dicit ergo quod in continuis inæqualitas pulsus quæ est secundum febrem, apparet valdè, id est maior multò, & magis conspicua, quàm in intermittentibus. Hoc intelligendum est quantum ad inæqualitatem febrilem præcisè, idest considerato solum calore præter naturam & eius causa, sic enim inæqualitas febrilis conspicua magis, & maior in continuis est, quia & causa est maior, & plus cor, & arterias opprimit, non solum quia maior, sed etiam quia in loco cor, & arterias plus opprimente continetur: quod præcipuè fatentur putantes, quod in intermittentibus semper humores extra vasa putrescant, in continuis intro; sic enim & cor afficitur plus, & instrumentorum magis vitiatur, sicque pulsus inæqualior, ex quo pendet quod vtplurimum inæqualitas illa ordine careat, & pondere: ordine quidem, quia causa inæqualitatis in continuis variabilis est ex se, ob mutationem necessariam causæ opprimentis cor, & arterias, & quia intra vasa mutatio contingit, seu variatio, trahuntur statim in consensum cor, & arteriæ, sicque ordo in inæqualitate rarò seruatur, ex qua maiori oppressione nascitur etiam quòd pulsus sit sine pondere, hoc est rythmum corrumpat, & mutet, quod est maius vitium; est enim cordis, & arteriarum distensio ad attractionem aëris, constrictio ad expellendas fuligines, qui motus suam proportionem in qualibet ætate, sexu, & natura naturaliter habent, quam si mutent rythmus deperditur, & causa vehementior arguitur. Sit exemplum in re tam difficili; pueri naturaliter habent contractionem maiorem dilatatione, hæc maioritas certam proportionem, seu excessum in gradibus seruat in corpore temperato: ergo quando per febres in pueris constrictio maior non est, nec celerior dilatatione, rythmus omnino corrumpitur. Similiter si in contractione celeritas præternaturalis, maioribus nu-

A meris excedat celeritatem præternaturalem dilatationis, rythmus corrumpitur, quia vrget magis præternaturalis celeritas constrictionis, quàm præternaturalis celeritas dilatationis, & plus in gradibus præternaturalibus mutatur; eodémque modo corrumpitur rythmus, quando dilatatio est constrictioni æqualis in magnitudine, & celeritate, eodémque modo in sexu, in natura, & tempore philosophandum est; est enim vniuscuiusque dictorum suus debitus rythmus. Omnia transtulit Princeps ex Galeno 1. *ad Glauconem*, *cap.* 8. vt postea tradenius. Addit etiam quod continuitas arguitur si febris transactis viginti & quatuor horis non deficiat, quia nulla intermittens relatum spatium pertransit, nam tertiana intra horas duodecim, quotidia-
B na intra decem & octo, quartana intra diem finitur, si intermittentes, & exquisitæ sint; quia verò nothæ, & illegitimæ febres, vltra diem extendi possunt, addit Author illud præcipuè obseruandum esse, si nimirum deficiant signa, quæ intermittentes febres solent antecedere, vt rigor, horror, aut extremorum refrigeratio, si enim sine aliquo istorum febris incipiat, & accessio intra diem eradicata non sit, suspicio magna continuitas erit.

Vltimò dicit, quod continuitas etiam significatur per durationem pertinacem, & vehementiam inæqualitatis in dispositionibus febris apud augmentum, nam quandoque minuitur, & quandoque redit, & augetur. Ratio est, quia vt nuper dicebamus, causa continuæ febris est maior, & plus naturam, & instrumentum
C pulsus opprimit, & sic inæqualitatis occasio maior est quàm in intermittentibus, & quia in augmento accessionum partim materia succenditur, partim suffocat, quia nondum totaliter inflammata, succensaque est, iam micat flamma, & pulsus liberius dilatatur, maiórque fit; iam verò ex materia nondum accensa fumus crassior eleuatur, replens de nouo, & suffocans flammam paulò ante succensam, & pulsus redditur paruior, & inæqualior: quia verò hæc inæqualitas intermittentibus conuenit, addit Princeps pertinaciam, seu continuitatem inæqualitatis, & vehementiam illius, quibus continua febris ab intermittente discernitur.
D Hactenus dicta ad Medici honorem, & admirationem spectant, vulgo enim mirabilis erit si dictis signis munitus, transacta iam die, non intermissuram febrem præsagiat; quod argumentum sequutus etiam Galenus 1. *ad Glauconem cap.* 8. scripsit: *Febres autem continuas esse cognosces, quod nullum vis adest ex signis quæ in intermittentibus oportere adesse diximus, etsi citra etiam quatuor, & viginti horas non cessauerit febris; si verò inæquale habuerit incrementum, hoc præter alia signa longius etiam tempus ostendit, & quidem si & proprium signum febrium in pulsibus manifestum habuerint; si verò etiam inordinatio quædam, vel inæqualis ipsis, vel inconcinnitas adsit & hoc etiam indicium erit simul magnitudinis, ac continuitatis, &c.* Ex hoc itaque loco præsens caput Auicenna ornauit.
E

CAPVT IV.

De rebus in quibus conueniunt, & differunt febres putridæ in se, & ab aliis.

Mvlta tradit author in propriis capitibus cuiusuis febris reperienda, ob quod ea consultò omittimus, & adducemus solum quæ magnam authoribus difficultatem fecere. Dicit ergo Princeps *ad finem cap.: Et scias quod principium prolongatur in tertia-*

na, & status in conclusa, & declinatio in incentiua, & status, & declinatio in continua, & status, & declinatio in quotidiana, quamuis rarò inueniatur quartana continua, & quotidiana integra eradicationis.

In huius loci expositione aduertit Gentilis relatas comparationes transcripsisse Auicennam ex doctrina Rasis 16. *continentis, cap.* 1. dicentis: *Partes temporum febrium diuersa fiunt, in tertiana prolixum est principium, in synocha status prolixus, in causone declinatio prolixa, & illa tria tempora prolixa erunt in quartana febre.* Ergo quod in tertiana sit prolixum principium, bifariam potest intelligi: primò si cum aliis temporibus conferatur, secundò si cum principio febris continentis, quam conclusam appellat. Primo modo Auicennam exponit Iacobus, & rationem reddit, quia in principio materia est effrenis, & indigesta digestione, quæ est præparatio ad expulsionem, & irritat natura suo acumine, & calorem obtundit innatum, & fit causa retractionis eius ad interiora, & mordicat membra sensibilia, & hæc omnia accidentia principij non possunt velociter, & in breui tempore pacificari; verùm postquam cholera inflammata est, & digesta, resoluitur facilè, & in breui tempore propter sui subtilitatem, & velocitatem motus. Quam doctrinam tam de principio vniuersali, quàm de particulari Iacobus intelligit, cum tamen Magister meus impugnat: primò, quia bilis author tertianæ non indiget longo tempore, vt coquatur, etiamsi qualitates à Iacobo adductas obtineat: docuit enim Galenus, in tertiana dari signa manifestæ coctionis in tertia aut quarta accessione. Secundò, quia alia symptomata adducta à Iacobo, quæ ad principium particulare videntur pertinere, potius ostendunt oppositum, quod Iacobus intendit; nam si motus bilis per partes sentientes est velox, constat quod retractatio caloris, & alia accidentia principij particularis breui tempore finientur.

Sed hæc leuia sunt, nam etiamsi tertiana breui soleat iudicari, vt 1. *de cris. cap.* 3. Galenus tradit, non obstat vt dicamus, principium frequentissimè longius esse, quàm aliud quoduis tempus in tertiana exquisita: & rationes Iacobi id suadent, nam bilis acrimonia, & mobilitas, calórque nimius, velut turgentem ipsam efficiunt, quo fit vt minus commodè retineri possit. Vbi verò retentio vacillat, infirmáque est, coctio necessariò impeditur, aut remoratur, & sic principium vniuersale longius est non dubiè, si cum aliis temporibus seorsim sumptis conferatur. Sic enim Auicenna intelligendus est. Iam verò transacto vniuersali principio, quia acrimonia mitigata iam est, & minus mobilis bilis, quia corpulentior ratione coctionis, breuiorem constitutionem quolibet ex temporibus subsequentibus habet, quia coctio celebratur facilius, quietior enim est bilis, & minus iam coctioni resistit, semel verò cocta tam tenui materia, fit velocissima eius resolutio, aut expulsio; & ex testimonio Galeni à Magistro adducto deducitur opinio Iacobi, quia si tertiana exquisita septem circuitibus terminari debet, vt *in aphor.* 56. *lib.* 4. Hippocrates docuit, & in quarto solent apparere signa manifestæ coctionis: constat in solo principio vniuersali dimidium constitutionis totius morbi consumptum fuisse, & aliam medietatem reliqua tempora occupare: & inde constat, quod nullum tempus tam longum vt principium sit, imo hoc solum tantam durationem, vt alia tria tempora simul habet. Et quod secundo loco Magister obiicit, ex praua Iacobi intelligentia pendet, nunquam enim Iacobus dixit, quod quia motus bilis per membra sentientia erat velox, inde principium particulare erat longum, sed loquitur de motus velocitate per alterationem, & resolutionem, & expulsionem oriunda, sed coctione prius supposita. Verùm etiamsi velox motus per corpora sensibilia admittatur, est probabilissima Iacobi opinio: quia quò velocior est motus, riget plus, & vehementiùs æger, quia plus molestatur, ob nimiam & velocem concussionem. Huic maiori molestiæ succedit necessariò maior retractio caloris, & sanguinis, & entis densatio, ob caloris defectum frigore succedente: hinc magna caloris suffocatio, & tardior per consequens caloris ascensus, & longius principium, & ita esse quotidiana experientia in ipsa tertiana docet.

Aliam expositionem à Gentile traditam, sequuntur Herculanus, & Magister, nempe quod comparatio non fiat cum temporibus tertianæ, sed febris continentis, quæ græcè homotona dicitur, hoc est quæ in eodem tenore semper durat, & tota fere est status, seu vigor, quæ cùm habeat principium insensibile, breuissimum est, in cuius comparatione principium tertianæ longum meritò dicitur; quia relata febris continens, quæ conclusa ab Auicenna appellatur, longum tempus in statu consumit, quia vt dixi, tota ferè est status, ideo in illa longissimus est vigor; & sic solutio argumenti contendentis probare, quod principium tertianæ longum esse non potest, quia est humor subtilis & breuis constitutionis, manifesta est, quia non comparatur principium cum temporibus tertianæ, nec absolutè dicitur longum, sed comparatione ad principium febris continentis homotonæ longum nuncupatur.

Hæc explicatio minus mihi probatur; primò quia magnam vim textui imponit, estque violentissima, nam ex ipso constat, nullam comparationem authorem nostrum fecisse inter febres ibi relatas, imò cum dicta ab eo in aliis tribus comparationibus de eodem morbo, seu febre intelligantur, absque ratione longitudo principij tertianæ, comparatiuè ad principium continentis mensuratur, nec hoc alicuius animaduersionis in arte medica dignum erat, ad quid enim? scire verò, quod in tertiana longius est principium quàm reliqua tempora, vtilissimum est ad præsagium, & victum instituendum. Ergo vt dixit Auicenna, quod status & declinatio prolongantur in continua, & status in conclusa, sine eo quod comparentur cum aliis, sed in se ipsis, sic dixit quod principium est longum in tertiana, si cum aliis suis temporibus conferatur, non cum homotona. Secundò, quod dicit Magister de principio homotonæ, quod scilicet sit insensibile, tam absurdum mihi videtur, vt sustineri non possit, nam intensio tam magna, vt ad vigorem continentis requiritur, repugnat insensibiliter fieri, sicut repugnat quod tanta intensio vigoris insensibiliter cesset, vt propter hoc tota dicatur status, & semper in eodem tenore permanens: contrarium enim euidenter *proprio tractatu* probabo, & ex mente Galeni suadebo: ergo continens in eodem tenore durare dicitur, non quia principio, aut augmento insensibilibus constet, vt nec quia declinet insensibiliter: sed dicitur talis, quia status si cum aliis temporibus conferatur, longissimus est, & ab eo denominationem sumit, ob excellentiam durationis maioris, censeóque per consequens, quod principium particulare accessionis continentis relatæ, sit longius multò quàm principium particulare tertianæ, imò tota accessio tertianæ non extenditur tantum vt solum principium homotonæ; hoc enim non solum horas duodecim, sed multò plures occupare potest intra naturam homotonæ. Quod esse verum ex historia à Galeno 9. *meth. cap.* 4. relata planè disces, vbi continentem decrescentem depinxit, cum habuisset nihilominus vigorem & augmentum satis perspicua, & proinde principium etiam, cum vsque ad diem tertium nihil declinasset, & hoc non obstante continentem decrescentem Galenus appellat, & inde Galenum sequutus, eodem modo in aliis duabus continentium speciebus philosophor.

Dicit deinde Auicenna, quod declinatio prolongatur in febre incentiua. Per incentiuam intelligunt authores causonem, & febrem ardentem, in qua docet decli-

nationem

nationem longiorem solere esse reliquis temporibus: videtur tamen difficile, quia si febris ardentis, & tertianæ intermittentis est eadem causa, non erit ratio cur in hac principium sit longum, declinatio verò breuis, in ardente verò sit longa declinatio. Præterea, quia si causus est acuta affectio, nequit longam declinationem habere, cùm sit celeris motus omnis affectio acuta. Et vrget etiam Galeni doctrina ex 10. *method. cap. vlt.* & *de cris. cap. 9.* vbi docet in declinationibus corpus laxari vi naturæ & proprietatis temporis; in principio verò, & augmento, corpus occlusum esse, vnde ex parte dispositionis corporalis nunquam melior pro breuitate resolutionis dispositio desiderabitur, nec ex parte humoris, quia nunquam magis extenuatus, neque in copia minori, neque facultas robusta magis, quam in declinationibus esse debet, quia nunquam cum minori intemperie: omnia ergo doctrinam nostri authoris suspectam satis reddunt, vt credimus declinationem ardentis longam esse debere.

Pro solutione notabitis, quod ardentium febrium proprior conditio est, vt crisi sub ita iudicentur, quia nulla materia commodior esse potest, ob tenuitatem, & motum celerem, naturæ molestiam, & aptitudine in passiuam humoris, vt facillime impellatur per quamcumque regionem; ob quod Auicenna in *hoc cap.* dicit, quod incentiua per vomitum, deiectionem, vrinam, sudorem, aut sanguinis fluxum ex naribus terminatur; vnde quando crisi non iudicatur, aliquod incommodum, aut obstaculum admittendum est crisim impediens, & illud leue esse non potest, cùm tam debitam proprietatem auferat; quodcumque verò reddet necessariò declinationem longiorem. Iacobus vnum tantùm exposuit, impressionem scilicet caloris in membris à vehementia alterationis ardentis febris; est enim tam vehementer impressiuus, quod tardè extinguatur vestigium eius; imò (inquit) quandoque calor membris impressus habituatur, & hectica fit. Quam solutionem Magister meus impugnat, quia non adducitur ratio probabilis impedimenti, vt si ducatur facilè natura, si sit ablata iam causa productiua caloris; nam quod de hectica impressione dicit Iacobus, impertinens est, cùm loquatur Auicenna de declinatione febris incentiuæ vt humoralis est, & non de permutatione in aliam speciem febris; quod vltimum mihi videtur rectè impugnatum, non tamen primum, quia supponit Magister humorem incentiuæ authorem ablatum omninò esse, quod est omninò falsum, nam declinatio febris cuiusque humoralis humorem habet præsentem, alioqui non esset febris, sed calida distemperies, vt propria quæstione docui: & constat euidenter contra Magistrum, quia in declinatione ardentis febris seruantur etiam circuitus tertiani, vt in aliis temporibus; est enim causus tertiana continua, & si in declinatione eius non darentur similes repetentiæ, non esset declinatio causonis, sed noua febris, quod mihi videtur euidens.

Supposito igitur, quod causa in declinatione manere debet, obstaculum breui resolutioni potest esse corporis densitas ob exsiccationem causonis, illa enim corpus non bene perspirabile reddit, vt *lib. de alimento* Hippocrates tradidit, & in hoc fortis impressio caloris à Iacobo insinuata locum habere potest: Alia causa est humoris adustio crassam materiam derelinquens, quæ atræ bilis naturam iam æmulatur, & minus inflammatur, quàm antea; quo fit, vt humor resoluatur, & coquatur difficile, & si in minori copia sit, ob quam, & quia minus inflammabilis, declinat manifestè vehementia causonis; est tamen contumacis naturæ, quod superest concoquendum & resoluendum. Est alia causa, virtutis collapsio orta in vigore incentiuæ, præcipuè si aliquid colliquantis obtineat, nequit verò virtus iam debilis materiam declinationis breui superare; est verò probabilissimum multa ex dictis inueniri crisim impedientia, aut obstructiones rebelles à materia exusta, & exsiccata pendentes, quæ coctilis non est ob humoris defectum. Hæc quidem consideranda à Medico sunt, vt tam longæ declinationi succurrat, obstétque ne in hecticam permutetur; nam Magistri expositio, neque momenti alicuius, nec vtilitatis est, neque referri meretur: constat verò quod Auicenna tradit id quod contingere solet, perpetuum tamen non est; & illud meritò nutat ne declinationi causonis fidamus, si diuturnior esse inceperit, & diuturnitatis occasionibus obstemus, vt dixi.

Subdit author, quod status, & declinatio prolongantur in continua, & etiam in quotidiana. Prima verba Gentilis, & Herculanus docent in pluribus codicibus scripta inueniri, quod miror Musam non notasse. Probabilis tamen ratio reddi potest, supposito quod crisi non terminentur, vt debet supponi; putrescunt quidem humores in continuis intra vasa, qui locus calidissimus est, & densæ naturæ: inde inflammantur facilè, & multum eorum intus detinetur, quia in corporis profundo, & minus perspirabili stabulantur; sic vigor citò accedere solet, prolixus tamen est cum declinatione, ob multam materiam intus coaceruatam, & caliditatem loci, & tardam resolutionem. Vt enim putredo intra vasa ad continuitatem febris conducit, sic ad acquirendum breui vigorem, & ad resolutionem difficiliorem humoris succensi. Quæ doctrina intelligenda est, facta comparatione cum temporibus aliis eiusdem febris; & vt cuique febrium sorti sua debetur constitutio, status enim, & declinatio ardentis breuius multò quàm status, & declinatio quotidianæ continuæ finientur, & sic de reliquis philosophandum est; in omnibus tamen continuis non iudicatis per crisim, vt plurimum vigor, & declinatio plus quàm alia tempora extensiuè molestant: non enim perpetua est allata comparatio, nam continuæ febres rarò non sunt motus velocis, ob dicta, *quæ verò tales sunt, longum habent statum*, sic docente Galeno 3. *de cris. cap. 4.* dicendo: *Continua vero febri omninò conuenit, vt pars aliqua, aut duæ, vel omnes longa sint: eius quidem quæ propriè synochus nominatur, longus est status, magis autem tota hæc febris status est; eius tamen, quæ non est synochus, non tamen desinit ad infebricitationem, cum statum aliis temporibus longior existit, motus est velox: quod si breuior, tardus est motus.* Quibus verbis nos docet, in continuis, quarum motus est velox, statum longum esse, & cùm sit frequentius continuas febres esse motus velocis, meritò doctrinam Galeni æmulatus Auicenna dixit, in continua statum, & declinationem prolongari, si cum aliis temporibus conferatur; quod de quotidiana dicit, *proprio cap.* exponetur.

Est tamen magna difficultas, quomodo Galenus doceat, quod si febris moueatur velociter, debeat esse status longior aliis temporibus; si verò tardè moueatur, breuior vigor esse teneatur: videtur enim oppositum verum, quia velocis motus morbus omnia tempora breuiat: ergo non potest esse longior status: similiter si febris lentè mouetur, cur status breuis debet esse? Respondet Magister, quod loquitur Galenus iuxta exempla ab eo adducta, & de febribus ibi propositis, quam solutionem fateor ingenuè inintelligibilem mihi esse, cum Galenus de continuis in communi loquatur, vt ex lectione manifestum apparet. Ego in hunc sensum feror, nimirum quod vbi febris mouetur velociter, tota ferè est status, & sic longior erit aliis temporibus, quia nimia aptitudo in humore vt inflammetur, & agens efficax, breuissimè materiam disponunt, vt citò, & acutæ veniant accessiones, & inde magnam intensionem & summam breui morbus acquirit, adhuc cruda existente materia; & quia hæc duo coquitur, vrget

maiori

maiori calore vi ipsius coctionis & suppurationis, vigor prior entitatis seruatur, imò ob coctionem augetur, sicqua magnum incendium plusquàm alia tempora durat: si verò febris leniè moueatur, à crassa materia, & non facilè inflammabili, & agente non valido originem trahit, quæ diuturnitate potius, quàm aucto & valido incendio supra primas accessiones fatigat. Nam etsi coquatur non crescit nimis, quia inflammabile multum non est, & resolutione paulatina, & insensibili, longa tamen per totam suam constitutionem molestat, vniformitérque ferè incipit, & finitur, & indè status, aut nullus, aut breuissimus est, non quia coctio non detur, & satis protracta, sed quia magnus calor, vt in aliis quæ celeriter mouentur, datur nunquam, quia nunquam magna quantitas succi putridi satis, & nimiè succensi, vt in acutis accumulatur, sed per portiones concoquitur & fluit ad focum, sicque sub intensione qua incepit, aut parum distante paulatim finitur, vt dicere possis, totam ferè earum febrium constitutionem in principio, & declinatione comprehendi, esséque hæc tempora longissima, statum verò, aut nullum insignem, aut breuissimum dari.

Sub lit Auicenna: *Et febres quæ non curantur vt oportet, & propriè apostemosa, conuertuntur ad aresfactionem, &c.* Præceptum hoc traderetur melius si author diceret, quod febres quibus non vt decet succurritur, interficiunt, aut conuertuntur ad aresfactionem, & præcipuè si fuerint ex apostemate: nam febres acutæ, & præcipuè quarum origo est interna inflammatio, si malè instituatur, certius est breui interficere, & interdum inopinatè, quia ex erroribus in alias perniciosiores passiones permutari solent, in apoplexiam scilicet, epilepsiam, sudorem syncopalem, aut si hoc non eueniat, redditur ipsa febris exitialior: sic ex maiori alimenti copia, accessiones ferociunt, & si alimentum idoneum non sit, desperatæ redduntur, & si in initio accessionum cibatio illa imperretur, in apoplexiam, vt iam semel vidi, aut in epilepsiam incidunt, cum quibus permutationibus rarò statim non pereunt, aut in sequenti accessione. Idem incommodum, seu perniciem, somnus in initio accessionum sæpe attulit, vt quando hæc scribo cuidam Monacho accidit; ex somno enim in accessionis initio tam desperata apoplexia correptus fuit, vt intra quatuor horas animam egit, incendium enim febris magnam respirationem requirit, quam apoplexia nullo modo permittit, & sic in vigore pereunt. Hanc permutationem & certam perniciem nescio quomodo Galenus tacuit 2. *aphor. com.* 1. in quo incommoda multa ex somno in initio accessionum sequenda retulit: *Si in principiis* (inquit) *dormierint, symptomata illis protrahuntur, vix febres ad consistentiam perueniunt; si qua verò inflammatio sit circa viscera, meritò augetur, & si humores aliqui in ventrem confluant, non aquè, atque in aliis somnis coquuntur, sed multò plures fiunt incocti permanentes.* Hæc Galenus, nos addimus permutationes periculosas in fine commenti traditas fuisse partes ex mente Hippocratis 2. *epid. sectiou.* 3. dicentis: *Inter hos multi erant graui oppressi somno, & delirantes, nonnulli verò ex somno tales fiebant.*

Si verò praua curatio mortem statim non acceleret, permutatione in hecticam tandem occidit, aut difficillimè post multos labores liberantur, nam sinistra medela, si statim non occidit, diuturniorem morbum semper reddit, qui si acutus sit, hecticam conciliat breuissimè, si chronicus tardius; & quia febres ab inflammatione pendentes acutiores semper esse consueuere, citius hecticam, & arefactionem conuocant, vt hîc docet author, & si corporis temperies calida, & sicca fuerit, certior erit periculum, & introductio hecticæ certior. Ob quod Galenus 1. *method.* talem naturam dum fe-

A brire incepit, cibo, & potu attemperantibus à periculo hecticæ, & maiori incipientis afflictione liberat, quæ cibatio si retardaretur, illa incommoda induceret: & hoc est quod notat hic author, dicendo; *Et propriè in febribus acutis, in quibus oportet, vt patiens cibetur, & non cibatur propter intensionem vt perueniat natura super materiam, aut oportet vt detur aqua frigida, & non datur propter intentionem, vt materia non fiat cruda, & non succurritur cum extinctione alia*: quam doctrinam ante Auicennam, tradidit Galenus 10. *method. citato*, & 2. *de differentiis febr. cap...* Ergo in iis contrà indicantibus vrgentius semper exequendum est, non neglecto altero si fieri possit; sin minus negligendum etiam est, ob præceps vitæ periculum; vt incrudare phlegmonem potu gelido, si colliquatio aut mali-
B gna corruptio, aut syncope, aut transitus in hecticam, aut suffocatio inopinata ob insuperabile incendium timeatur: dixi notanter *ob insuperabile incendium*, quia si ob magnitudinem tumoris instaret periculum, nihil perniciosius gelido potu impetrari posset, de quo latè egimus *tractatu nostro de malignis erysipelatibus.* Et hoc consulit noster author *in fine cap.* dicendo. Quod si vrgentior fuerit indicatio cibandi indicatione coquendi materiam morbi, aut dandi potum frigidum, indicatione seu timore incrudandi materiam ob frigus potionis, cibetur æger, & detur potus frigidus, vt instans periculum moderetur, quo facto, noxæ inductæ occurrendum est, ne aliud quod minus indicabat, vrgens magis quàm aliud reddatur: distinguere verò vrgentius à minus vrgente, & vrgentiori absque
C inemendabili noxa succurrere, docti & exercitati medici tantummodo est: verùm modus occurrendi ita vt minus vrgens desperatè non exasperetur, & exercitatum magis, & perspicaciorem requirit.

CAPVT V.

De significationibus accidentium febris putredinis.

D SI præsens caput vt requirit, exponendum foret, prius annus integer, quàm idonea expositio absolueretur, continet enim significationes causarum, & signorum per morbos febriles euenientium, quorum idonea tractatio secundum maiorem partem ad præsagationem, & libellum prognosticon Hippocratis pertinet, in quo tam accuratè, & doctè huius capitis argumentum perfecit, vt solus ille liber admirabilem, & diuinum Hippocratem prædicet, quando tam perfectum certè, & omnibus numeris absolutum opus præsagandi medicis tradidit, vt solus ille, qui vt interiora hominis sunt, tam in statu salubri, quàm morboso, ad amussim, & propriis oculis conciperet, vulgo Zahori, tam feliciter, & tam verè potuisset loqui: quam tractatus perfectionem non ignorans Vallesius noster dixit in eius
E expositione, nihil de nouo tantam medicorum posteritatem arti præsagandi Hippocratis addere potuisse: iniurius ergo summo iure quereretur Hippocrates, si ex alio quæ ipsum tam insignem illustrémque fecere, mutuaremur. Ipsum ergo lustrato, & non oscitanter legito: Hippocrates enim vt tepidè intelligatur, omnem oscitantiam excludit, nedum si fructuosè percipiendus est: erit autem fructus, aut lucrum ex illius tractationis accurata lectione, vt respectu morientium inculpabiles, & apud omnes admirabiles, velut diuini habeamini.

CAPVT VI.

De febrium putridarum rigore, frigore, horripilatione, typo, fractione, & punctione.

OMNIA quæ in littera author enarrat, & docet in huius capitis quæstionibus, quæ celebres sunt, exquisitissimè explicari debent, ob quod ne sæpius repetita tædio sint vobis, ad celebres quæstiones me conuerto.

QVÆSTIO I.

In quo consistat rigoris natura?

TAm variè authores (imò & ipse Galenus) de natura rigoris sensère, quod sine magno labore placita eorum referre repugnet. Galenus ergo *lib. proprio de rigore, & palpitatione, cap. 6.* reprehendit putantes, quod rigor nihil aliud sit, quàm refrigeratio: *Multi* (inquit) *dantur insigniter refrigerati, nullo tamen modo rigentes*; sugillat similiter dicentes, quod rigor sit perfrigeratio cum tremore: putabant enim quod motio illa membrorum in rigentibus inuenta sit verus tremor, cùm potius omninò contrarius sit motus, nam tremere (inquit) nemo potest, nisi prius liberè membrum aliquod mouere decernat: at verò motio membrorum rigentium inuoluntaria est agitatio (inquit Galenus) quæ vehementes rigores comitatur, adeò violenta est, & cum necessitate in corpora irruit, vt fieri non possit, quod aliquis quiescat, etiamsi validè & viriliter renitatur. A tremore autem liberè si velit homo liberatur, quia si prius membrum tremulum liberè non incipiat sursum mouere, non tremet: rursus ea parte affecta argumento desumpto eos conuincit; nam tremor partis vnius tantùm est passio, rigor autem totius corporis; rursus ex formalitate motionum, nam tremor compositus est ex motu sursum, & deorsum; motus sursum est omnino liber, deorsum verò necessarius; hic enim à grauitate facultatem motiuam vincente causatur, ille verò à facultate liberè sursum mouente. At in rigore non est necessariò motus sursum, vel deorsum, sed vibratio, aut concussio, aut contractio inuoluntaria membrorum, aut totius, quibus Platonem increpat, eò quòd rigorem, & tremorem identificauerit. Addit Galenus, quod tremur sine refrigeratione, aut frigore datur; at rigor esse non potest absque patientis, seu rigentis morboso refrigerio.

Sed nec rigor (inquit) esse potest sensatio quælibet frigoris, nam multi frigus percipiunt, & non rigent, & alij sunt qui æstate balneo frigido delectantur, & nihilominùs tangentibus tam frigidi apparent, vt instar glaciei perfrigerati videantur, & nullatenus rigent: distinguit enim Galenus esse frigidum aliquem, & frigus sentire; nam quæ sunt resoluta, torpida, difficili aut nullo prorsus sensu prædita, omnia perfrixerunt: item quod tremorem expertum est, paraplexiam, epilepsiam, similiter & flatus, & aquam intercutem, & inflationes, & ædema totum frigidum est; sed nullum ex iis frigiditatem percipit, vnde nec riget, sin autem sentiat, protinus certè & rigebit; per sentire verò non intelligit quamlibet sensationem frigoris, cùm supponat non esse satis ad rigorem frigiditatem sentire: ergo requirit Galenus, quod sensatio frigoris, vt rigor causetur, sit dolorosa; sic enim statim rigebunt, vt ipse docet.

Dubitat deinde Galenus, si ad rigorem sit satis frigiditatem dolorosè sentire, an verò præter hoc requiratur aliud? Et respondet, quod non sufficiat in ægris vt rigeant, frigus molestè sentire; nam communis loquutio Medicorum est accessionis insultum, huic sanè cum rigore, alteri cum horrore, alij cum frigiditate sola inuoriri, & in omnium medicorum (inquit) commentariis, idem vsus verborum existit: cum quis cum nulla concussione, & agitatione corporis perfrigescit, non riget; verùm si affectus rigor appellari debeat, inæqualem & præter voluntatem motum ei accidere oportet: quod sine hoc accidit, si neque cutem quidem inæqualiter commouet, perfrictionem nominant, sin verò hanc quidem perturbet, quatiatque per quosdam insultus, corpus autem non moueat, horrorem nominant; vt hic solius cutis affectus talis existat, qualis totius corporis rigor. At in sanis alio modo rigere dicimus, nempe in omni dolorifica perfrictione: si autem ratione morbi obueniat rigor, non satis est hoc tantum dixisse, sed totius corporis turbationem apponere conuenit, quod aliqui inducentes, per frictionem cum tremore ipsum appellarunt; manifestò autem non sunt interpretati, quippe tremorem nominare neutiquam oportet, sed agitationem quandam præter voluntatem, aut vibrationem, aut concussionem, aut aliud id genus nomen inuenire; nam tremoris vocabulum de peculiari affectu enunciatur. Hæc Galenus; & paulò inferius, post adducta plurima Hippocratis testimonia, in quibus de rigore morboso loquutus fuit, sic illum Galenus definit; *est perfrictio dolorifica, cum quadam inæquali totius corporis concussione, agitationéque.*

Ea qua definitione ex duobus diuersissimis natura rigoris integrari videtur, & ex molesta sensatione frigoris, & inæquali concussione, agitationéque totius corporis, ita vt deficiente quolibet, rigor propriè dici non possit, vt ex ipsa nominis etymologia patet: nullus enim dicitur rigens quia concutiatur, quinimò concussio ipsa, & inæqualis agitatio, rigori directè opponitur, nam commotio, & violenta vibratio, & inæqualis, rigiditati & concretioni, duritieique impropriæ, ac immobilitati, quas omnes affectiones frigus semper machinatur, directè opponuntur, vt nihil videatur, neque esse possit improprius, quàm rigentem appellare, cui membra huc, & illuc inæqualiter concutiuntur, & mouentur: quinimo cum Gentile censeo, quod rigor dicatur propriùs de perfrigeratione molesta, quàm de concussione inæquali totius, & hanc rigorem dici ob refrigerationem adiunctam, & molestam, quam semper ferè significat. Sic sentit Herculanus in *huius cap. expositione* occultè Auicennam vt diminutum sugillans, quia in rigoris definitione frigus molestum non posuerit: Et vos (inquit) supplete de intentione Galeni sensationem frigoris, & punctionis, quæ debent includi in quidditate frigoris, etiamsi hic author censeat contra Gentilem, quod rigor dicatur proprius de concussione, quàm de frigiditate molesta. Sic sentit Veiga 2. *de different. febr. cap.* 1. & Argenterius *de arte curatiua ad Glauconem, cap.* 5. frigus ipsum partem rigoris statuit, & nuncupat: quam veritatem non solùm adducta iam definitione, sed sæpius *eodem cap. 6. de rigore* Galenus ostendit; sic ante allatam definitionem scribit: *At verò in sanis aliter rigere dicimus, nempè in omni dolorifica perfrictione. si autem ratione morbi obueniat rigor, non satis est hoc tantum dixisse, sed totius corporis turbationem apponere oportet.* Et inferiùs reprehendendo definientes rigorem morbosum, quod sit refrigeratio cum tremore, non sugillat illos quia per refrigerationem definierunt, sed quia per tremorem cum illa; quia verus tremor non datur, sed concussio illa inuoluntaria, &

ita

ira eodem capite antea sic loquitur; non tamen fieri potest, vt quis circa perfrictionis opinionem rigeat, ideirco nec illi qui rigorem perfrictionis sensum esse dictitarunt, procul ab affectus ratione abiisse videntur: Et inferius sic loquitur; *Non solùm igitur subitam, & vehementem frigiditatem esse oportet, vt rigor oboriatur, sed adiicienda huic adhuc est violentia passionis, hoc est statum præter naturam, vt rigor sit subita perfrictio in statum præter naturam perducens*; quod sæpe eodem cap. repetit.

Idem videtur sentire Hippocrates 5. *aphorism. text. 69.* dicendo: *Rigores incipiunt, mulieribus quidem ex lumbis magis, & per dorsum percurrunt ad caput, sed & viris a parte corporis posteriori magis, quam ab anteriore, veluti ex femore, & cubito, sed & cutis rara, indicio autem est pilus.* Galenus in expositione scribit; *Rigores omnes incipiunt quidem cum sensibili frigore, paratiores autem non solùm ad suscipiendam, sed etiam sentiendam frigiditatem sunt dorsi partes, quare non absque ratione hic rigores inchoant, &c.* Quam sententiam tam religiose Vallesius admittit, quod doceat rigorem esse passionem frigidam, quia est fuga calidi innati, & concussionis membrorum omninò fuerit oblitus, veluti ad rigorem minus requisitæ. Et 6. *epid. sect. 3. text. 17.* vbi eandem sententiam Hippocrates exarauit, ad aphorismi expositionem legentes remisit, nihil noui addendo; fuissent verò absurdæ Hippocratis sententiæ si frigoris sensatio molesta rigorem non constitueret, iuxta quam veritatem reprehendit Galenus *lib. 2. de causis symptom. cap. 5. aphor. 58 lib.* 4. nonnet exponentes. Dixit Hippocrates, *febre ardente laboranti, rigore superueniente solutio fit*, vt sit in eorum opinione bonus rigor, non solùm quia bilis per illum expurgatur, sed etiam quia frigidum reddit corporis habitum. Et suaderi potuerunt, quoniam si Galenus sanguinem in accidentibus ad deliquium mittere vtilissimum putat, quia ipsum deliquium corporis habitum refrigidat, cur rigor vtilissimus non erit, si eandem permutationem à calido in frigidum excitat: habetur Galeni doctrina 9. *method. cap.* 1. quem si non oscitanter legeris, deduces vel facile, quod deliquium non solùm desideratur vt signum sanguinis sufficienter extracti pro tunc, sed sed etiam vt celebre remedium febrium continentium, quatenus corporis habitum insigniter infrigidat. Audi exaggerationem Galeni: *Hoc verò nemo inuenire potest, nec quod ipsis agris. nec quod natura, qua animantes gubernat, iucundius, vtiliúsve sit*; sic sentientes Galenus sugillat ob multa quæ ibi docet. Ex quibus constat, quod frigus rigoris naturam intret. Eandem veritatem suadet concussiuus motus in morbis, & febribus malignis, vt in epilepsia in qua contractio musculorum sæpe datur, & nullus talem contractionem appellauit rigorem; nec putetis me loqui de contractione membrorum per consensum cum cerebro, sed de contractione membrorum mediis musculis, quæ sæpe contingit irrigatis musculis; & assertio nostra de necessitate sensationis molestiæ frigoris efficacior apparet in opinione dicentium, quod motus concussiuus rigentium non est voluntarius, sed facultatis naturalis pellentis, in qua doctrina motos conuulsiui febrium malignarum, & multò magis epilepticorum, cùm totum corpus conuellatur, rigor verus putandi essent, quod nullus dixit. Meritò Galenus dixit *cap. 6. citato de rigore*; *Non solùm igitur subitam, & vehementem frigiditatem esse oportet, vt rigor oboriatur, sed adiicienda huic adhuc est violentia passionis, hoc est præter naturam statum, vt rigor sit subita perfrictio in statum præter naturam perducens.* Atque hoc mihi obseruandum in hoc sermone videtur, præsertim si de affectus generatione vera quis pronunciaturus est, vbi dixerit, in rigore subitam, violentámque natiui caloris perfrictionem fieri, sed hæc clariùs in sequenti quæstione apparebit.

A Nec contrarium Auicenna docet in littera dicendo; *Rigor verò est vt non possit continere membra sua ex commotione, & tremore eueniente in eis, & motibus inuoluntariis, & fortasse est frigus forte*; nam non negat frigoris sensationem molestam, sed quod interdum est intensum satis, & molestissimum frigus, vt in quotidianis, & quartanis, aut in rigoribus à vitreo humore creatis; quod experimento constat quotidiano. Gentilis verò putat, quod illa verba, (& fortassè est frigus forte) sint alia definitio rigoris, vt sit frigus magnum à quo concussio membrorum causetur, aut quod concussio sequatur, ita quod rigor principaliùs de forti frigore, quàm de concussione dicatur; nec obstat quod Galenus *cap. 7. de rigore, paulò ante finem*, rigorem sine frigore externo admittat, quia non loquitur de

B externo frigore corporis, sed de frigore extrinseco, quod corpus infrigidans rigorem suscitat; nam sine hoc sæpe dantur rigores à causa interna, post quos nulla febris sequatur, veteribus vt ibi docet innuit.

QVÆSTIO II.

SECTIO I.

De modo quo rigor causatur.

EX dictis in præcedenti quæstione constat, quod rigor sit frigidus affectus, seu sensatio molesta frigoris cum concussione totius corporis; sæpe verò concussionis Galenus obliuiscitur, & solius insignis frigoris recordatur., fortassis quia putauerit principaliorem partem rigoris frigus molestum esse debere. Hinc *cap. 6. citato* postquam dixit, conuulsiones, tetanos, palpitationes, stupores, resolutiones, epilepsias, & paraplexias, frigoris exsuperantis passiones esse, sic loquitur: *Ex huiusmodi vitiis vnum est, & rigor non simpliciter perfrictio existens, sed cum sensu, subita, ac vniuersim facta*: requirit verò quod subita sit, vt sit dolorosa, nam vt ex Platone docet, quod sensim & paulatim fit, insensile est; quod autem sensile, necesse est hoc vehementer moueri, & tremore subito; vbi notanda est Galeni illatio, nempe quod necesse sit, si sit sensibilis refrigeratio, quod vehementer moueatur, & subitò tremat.

Duos modos inuenimus à Galeno adductos, rigorem cum sensu frigoris molesto inducentes. Sit primus adductus *lib. proprio de rigore, cap. 6.* estque iam à nobis insinuatus ex eius doctrina, supponitque Galenus velut communissimum apud omnes, quod rigor natiui caloris sit affectus; natiuum appellat, quia insitum, & internum, nec posteriorem ipsa generatione, sed potius primogenitum, & insitum, quem erroneè satis naturam nostram, & animam appellat, nomine cuius vitalem spiritum non dubiè intelligit; nam postquam naturam, & animam ipsum appellauit, subdit: *Quare si substantiam per se mobilem, & semper mobilem intelligas, non errabis*; inde quia semper mobilis est, dicit quod nec intrò solùm, neque extra fertur, sed alterum motum alter semper excipit, indigétque motu ad intra, & extra, vt seruetur; nam substantiæ perpetuo mobili ex se, quiescere mors est.

Secundò supponit Galenus, quod vt flamma exterior quatuor modis deficit, eodem modo in calore nostro philosophandum est: flamma verò deficit primò ob materiæ ex qua accenditur defectum. Secundò, quia à splendore solis contabescat. Tertiò, quia extinguatur; quartò, quia a copia nimia materiæ ex qua alendus calor erat, suffocetur, si defectus materiæ sit, interit, quia tota substantia flammæ deperditur; si ob splendorem solis, perit attenuata: robur enim illius (inquit Galenus) dissipatur aëris nos ambientis violentia

tia discussum; nam robur radiorum solis fortius est omni igne, ac durabilius. Si verò ob copiam alimenti ignis deficiat, est quia à lignorum multitudine suffocatur, & grauatus respiratione destituitur, sicque strangulatur. De noxa verò quæ ab aqua prouenit, manifestius est, quàm vt verbis indigeat, pugna enim valida flammæ est aduersus omnem, & sinceram, & multam humiditatem, vt si oleum ipsi cumulatum exhibeas, necessum sit strepitum, & concussionem quandam suboriri, igne propemodum voce violentiam fatente. Talem (inquit Galenus) affectum in insita caliditate, rigorem intelligito; nec enim eum materiæ inopia calidum laborans, nec alimentum sentiens contabescit, neque eum à copia ipsius grauatum, nec eum imbecille labascit rigorem fieri deprehendes, sed eum validus existit adeò, vt possit expandi, deinde prohibetur; & propter hoc (inquit Galenus) etiam agitari corpus contingit duplici hoc motu, & composito oborto, vt in tremore, sed diuersa ratione, nam tremor fit, quando facultas motiua membrum subleuabat, & victa à membri grauitate deorsum trahitur, etiamsi facultas semper mouere sursum conetur: rigor verò contingit motu naturalis caloris impedito, cupit enim quia robustus est in omnea corporis partes distribui, & expandi, impeditus autem, & vi in profundum corporis repulsus ad proprium principium refugit; cùm autem ibi nequeat perpetuo manere, quia periret suffocatus, vehementi latione, & impetu vtens, & veluti à carcere exiliens, aliquando insurgit aduersus ea quæ transitum eius occupant, contenditque illa pellere, & vias reddere liberas & puras. Verùm cum in ea ceu obstacula impingit, à sua latione impetuosa cohibetur, & totum corpus cum incidit perturbat; nam præter alia etiam vaporosus nunc redditus dum illiditur in ea quæ obsistunt, intro rursus resilit veluti ictu repercussus, ac iterum ad principium reuertitur; inde rursus erumpens incidit violentius, iterùmque resilit etiam in hoc illapsu, idque frequenter per successionem fit quandiu noxia perseuerant.

Hac itaque ratione affectus dolorificus tanquam corpore ictibus laborante, & motus inæqualiter inuadit, & in vtroque motu animal riget. Et inferius sic loquitur Galenus. Agitari autem dico omnia in corpore, & concuti turbarique, ac omnis in rigore motus inæqualis inordinatus, citra voluntatem eueniens, ob inæqualem, validum, & violentum illapsum, inuasionémque, & repulsum caloris insiti vaporosi redditi perficitur, idcirco corpus post rigores recalescit amplius quàm cùm in naturali statu calidum erat, iam effunduntur etiam sudores; cum enim per multos insultus noxia liberè propulerit, & absolutè respirauerit, tribus de causis corpus recalescit: primum, quod calor frequenter à perspiratu exteriore repressus in alto colligitur; deinde quod nunc totus foras vehementer expansus est; postremò quod caliditas insultu, ictu, violentóque motu accendi soleat, nam currentes, luctantes, confricantésque, ac alio modo se mouentes, incalescunt, quam si quis in sole æstiuo, & apud ignem incaluerit, & ob id (inquit) accidit in huiusmodi reditu ex profundo ad extra calorem, seu feruidum aliquid humorum confertim effundere, quem sanè sudorem appellamus: ob id à rigore non incalescere rursus malum est, quia calor in pugna vincitur, vincitur autem aut robore causæ offendentis, aut quia ipse est imbecillior: causa valida offendens significatur ab Hippocrate 1. *prorrhet. com.* 2 *text.* 57. dicente: *Post oculorum peruersionem in febre laboriosa, rigor superueniens mortem fatetur*: debilitas verò caloris natiui significatur ab eodem authore 4. *aphor.* 46. dicendo. *Si rigor inciderit, febre non intermittente, ægro iam debili, exitialis est.*

Hæc est opinio Galeni, obscura satis, ac difficillima,

A & falsa potius apparens, quia philosophiæ repugnans ob quod vt talis à meo Magistro refellitur *lib. de febribus, à folio* 661. Nec enim adducit illorum motuum idonea principia, cùm sit euidens in philosophia, quod idem corpus naturale nequeat ad diuersa, & opposita loca ab interno principio moueri: nec sufficit quod Galenus insinuat *cap.* 8. *de rigore*, nimirum, quod calidum influens sit calidum, & frigidum simul, & à calore sursum ferri, à frigore verò deorsum, aut si mauis à calore expanditur, & extra mouetur, à frigore intro retrahitur. Sed contra est, quia in omni mixto vnicum tantum principium motiuum à Philosophis admittitur debitum propter elementum in mixto prædominans, ad cuius locum mouetur naturaliter; & sic implicat, quod calor influens duplici illo motu ab B interno principio moueatur ad loca diuersa, præterquam quod motus ad intra non est necessariò sursum, nec extra deorsum, vt est euidens. Galenus verò docet, quod intus, & extra non sursum aut deorsum in rigore moueatur, & viget etiam Galeni placitum, quod vitalis spiritus vita priuetur, & inde vt corpus inanime ad vnicum tantum locum, & vnicam differentiam positionis potest ab interno principio cieri: varius etiam Galenus conspicitur, nam modò ipsi calori, velut ab interno principio moto duplicem illum motum attribuit, modò verò in eodem capite resultum admittit, non verò ab interno principio moueri.

Deinde impedimentum quod Galenus tradit, vt motus spirituum liber vt per naturam non sit, nullo modo à Galeno explicatur, vt constet nobis modus quo C ei occurrendum sit. Rursus si per totum rigorem mutua illa successio, & vicissitudo in motu ad extra, & intro caloris datur, datetur necessariò sin illis permutatio in corpore, ita vt quando in rigore extra mouetur, calefierent subitò partes externæ, & ambitus corporis, interna verò refrigerantur: & similiter quando intro recurrit æstuarent interna, vt algida extrinseca percipiuntur, quod planè est contra experimentum, cùm per totum rigorem externa sint frigida, & quò vehementior, algeant magis. Tandem quia si robur caloris influentis per rigores seruatur, vt Galenus docet; quomodo ex impetuosa illa motione, & tam assidua, intus & extra non inflammatur calidum illud, & febris potius, quàm rigor tam intensus molestat, cùm ipse Galenus experimentis doceat, quod vehemens motio D corpora inflammet, non minus quàm solis, aut ignis actiuitas? & quomodo caloris natiui talia impetuosa motio affectus frigidus esse potest, quando nulla motio infrigidat quod mouet, nisi post ingens incendium substantiam motam extenuans, & resoluens, vt in nobis contingit: prius enim inflammamur, & si motio diutius duret, infrigidamur spiritibus resolutis à nimio calore, & per consequens quando rigor incepit, inceptio etiam nouæ calefactionis, non frigoris esse deberet: contrarium verò contingit, infrigidamur prius, pòst æstuamus. Peccat etiam doctrina Galeni, quia sine vi expellentis, tam impetuosam motionem, & tam impetuosum resultum inter spiritus & partes admittit, quod eo ipso necessariò incendantur; partes enim & spiri- E tus non sunt corpora ad resiliendum tam apta, vt Galenus docet, cùm nullum corpus contra carnes impulsum ab eis impetuosè resiliat: cedunt potius in se se, quia molles, vt experimento facillimè suaderi potest, & tam aduersa veritati huius libri doctrina Mercuriali fuit visa, quod eius censura sequentia sint. *Qualis est* (inquit) *tractatus de rigore, vbi dum nimis anxiè in Erasistratum, Attaleum, Philotimum, Praxagoram, & Asclepiadem inuehitur, quasi oblitus sui propositi, minimè admodum quid sit rigor, & vnde trahat originem, docet.*

SECTIO II.

Alia opinio Galeni de causis rigoris.

Diuerso modo, clariori, & rationi consono magis philosophatur Galenus *lib. 1. de caus. symptom. cap. 5.* in quo sæpè repetit, & appellat hoc symptoma concutientem rigorem, velut si diceret, loqui de frigore cum concussione, quod accidens ex motu concussiuo, & frigore violento compositum, rigor dicitur. Huius igitur causas tradendo, supponit vt certum, quod rigor causatur, quia causa præter naturam per sentientes partes mouetur, eásque molestat, siue frigida, siue calida sit. Id experimento probat, nam si corpus plenum excrementis dimoueas, statim aut horrent, aut rigent, à quo sympomate si quiescant liberantur, quod authoritate Hippocratis stabilit *aphor. 58 lib. 4.* dicentis; *Febre ardente laboranti, rigore superueniente solutio fit:* contingit verò solutio dicit Galenus, quia bilis quæ prius in venis errabat, à natura decretoriè per carnes ad cutem truditur, vnde rigor, & symptoma (inquit) signum est delationis, & motus humoris biliosi, per sensibilia corpora; inde Galenus putauit quod rigor totum corpus concutiens à causis frigidis nunquam creatur: rationem reddit *2. de caus. symptom. cap. 5.* quia succi frigidi præ crassitudine sua concitatu motu non mouentur, & si aliquando attenuantur, rigorem quidem excitant, non tamen vehementem vt bilis, quia nunquam attenuata pituita eandem tenuitatem quam extenuata bilis recipere potest.

Duplex verò motus in tali humore considerandus est. Primus quando expellitur à vasis ad partes sentientes. Secundus quando sentientes partes iam molestatæ ab humore illo, eum à se reiicere tentant, sicque concutiuntur, & totum corpus agitatur. Primus motus rigor non est, quia est insensilis, fit enim sine totius concussione, vt constat planè in morbo regio causum iudicante; in eius enim crisi totus humor biliosus à vasis ad cutem repellitur absque vllo rigore, aut concussione totius, quia per partes carneas non pellitur, sed alia via. Galenus verò sæpissimè repetit, *cap. 5. cit.* quod motio illa, & concussio totius à musculis irritatis fiat, quia per illos causa rigoris disseminatur. Verba sunt: *At cum concussu rigentibus, ceu dudum est dictum, mouetur omnis particula musculo seipsum expurgante, in illorum verò motu totus musculus concussus, vibratúsque articulum in quem inseritur vnà secum vibrat.*

Quia verò Galenus rigorem per refrigerationem dolorificam cum inæquali totius corporis concussu, & agitatione vt vidimus definiuit, causam & occasionem frigiditatis reddens, scribit ideo fieri, quia in rigoribus intro sanguis & spiritus mouentur, sicque externa calore, & spiritu destituta algent satis, & frigida percipiuntur: mouetur verò intro calor influens cum sanguine, quia rigor dolorosa & molestissima passio est, in doloribus verò mouentur dicta corpora versus principium suum, ad cor scilicet, vt in timore. Verba Galeni sunt: *Dolor autem cùm animum intro cogat moueri, similia maximo timori affert symptomata, quippe sub eo & color abit, & perfrigerantur, & rigent, tremúntque, ac pulsu sunt paruo, atque eodem priuantur, demum moriuntur similes iis qui perterrentur; refugit enim in iis quoque ad principium innatus calor, resoluiturque pariter, & extinguitur.* Hæc Galenus, quæ supponens vt expertissima, sic paulò inferius scribit: *Cum concutiens rigor à calidis, & mordentibus succis excitatur, mirum non est si refrigerantur omnes externæ partes, animali virtute vna cum sanguine in profundum commeante, sentiunt enim qui sic rigent, externarum partium frigus, non earum quæ sunt in profundo, quippe cùm sitiant sensibiliter eo tempore*

A *nonnulli, tanquam calore in internis seruato; si enim* (inquit) *in vnaquapiam parte dolor vehemens infixus, tum animi deliquia, tum perfrigerationem infert, mirum non est eum qui in toto sit corpore, etsi non animi deliquia, mortémque, certè perfrigerationem efficere; sunt enim dolores rigentium eiusdem generis cum cæteris omnibus doloribus, deficiunt autem ab iis qui interimunt, magnitudine, & tempore; sunt enim minores multò, & breuioris temporis: coli namque, siue pinguis intestini dolor, sæpe continuis duobus diebus torsit, rigor quantò est vehementior, tanto breuioris est temporis, est enim qui eo laborat metui, non ei qui in timore, sed ei potius qui in verecundia, ac frigida lauatione videtur similis; pugnat enim virtus, ac certat cum iis quæ offendunt quoad excusserit, profligaueritque omnia;* B *ergo tum ex validio eius in ea quæ offendunt impetu, tum quod vbi in profundo corporis est collecta, cum magno calore reuertitur, febrim post rigores accendit, irritatoriam scilicet habens ad magnitudinem eius coadiutricem: si quando autem certans prius fatigatur, quàm quæ infestant profligauerit, (fit enim hoc vel ob virtutis imbecillitatem, vel causæ magnitudinem) necessario mors sequitur seu prius est dictum.* Hactenus Galenus.

Ex cuius doctrina infertur clarior modus rigorem excitans; humor enim ex vasis ad partes sentientes pellitur, hæ irritatæ concutiunt se per musculorum motum, vt à se etiam transmissum excrementum aut humorem vitiosum reiiciant, quæ commotio tamdiu molestat quandiu durat expulsio excrementorum ex aliis partibus, ad sentientes & musculosas; & C quia hæc pugna molestissima est, & dolens tristatur animal, vt in omni alia molestia, & intro sanguinem & spiritum reuocat, inde interna incalescunt, & extrinsecæ partes ob sanguinis, & caloris defectum infrigidantur: magis verò, aut minus, vt maior, vel minor retrocessus fuerit, frigus verò illud in communi opinione producitur ab interno principio, quia defectus solius caloris vt infrigidentur extrinseca, nullo modo sufficit, ob quod partes ipsæ à propria forma se infrigidant; nullum enim mixtum perfectum dari potest, in quo contrariarum qualitatum latitudo impleta non sit, & per consequens tota intensio caloris, quæ per defectum sanguinis & spirituum deficit, frigore succedente implenda est; homo enim vt viuens perfectum D calore ab spiritibus accepto vt rectè operetur, eget, & hic suo modo mixtioni paratum non deberet, vt per consequens quando à spiritu non calefiunt, se infrigidant: erat enim necessarium, quod vi mixtionis non daretur in partibus tanta vis infrigidandi, vt calori spirituum resistere possent, si ab eis vincuntur, & calefiunt: si verò deficiant, aut quia corrumpantur spiritus, aut quia separentur, calorem ab eis acceptum partes corrumpunt, & ab interno principio infrigidantur.

Iam verò diximus ex mente Galeni, quod humor vt sit causa rigoris, debeat per partes sentientes moueri, nam humor quiescens rigoris author esse non potest, quam conditionem pluries Galenus repetit *lib. proprio de rigore, cap. 6. & 2. de eius symptom. cap 5. & 6.* in quo rigoris vehementiam partim ad celerem motum reducit: constat verò esse repugnans philosophiæ, quod E causa mota irritationem maiorem faceret, cùm minor detineatur circa passum; vnde planè deducitur, quod si motio vehemens vehementiorem rigorem causas, conducat motio illa maior ad maiorem, seu vehementiorem rigorem alio modo quàm alterando. Galeni verba *cap. 6. de causis symptom.* sunt: *Omnia eiusmodi symptomata à vitioso succo proueniunt, dissident autem inter se causæ, tum qualitate, magnitudine, itémque quiete, & motu; quippe tenuis, salsus, immotusque succus in iis est qui pruriunt: paucus, tenuis, mordens, & immotus in vlcerosis affectibus: multus, salsus, crassus, & immotus in lepris, & scabie: tenuis, & mordax cum exiguo motu in horroribus: quod si vel vehementius mouetur,*

uetur, vel copiosior, mordaciorque sit, concutientem rigorem infert, non horrorem, maximum quidem qui plurimus est, & mordacissimus, & vehementissime motus; minimum verò, qui propter vnam aliquod horum mediocriter auctum, & horrore in rigorem transire facit. Ex quibus constat motum humoris pro excitandu rigore necessarium simpliciter esse, in qua conditione omnes authores vniformes inuenio.

Non est tamen facile explicare, ob quod motus excrementorum ad excitandum rigorem sequiratur, imò videtur esse omninò impertinens. Constat primò, quia partes concutiuntur, vt excrementum irritans pelalnt. Sed irritatio fit maior quando excrementa circa passum alterandum quiescunt, ergo est omninò impertinens illa motio. Ex quo contra Galenum non leue argumentum conficitur, censet enim quod quò motus causæ irritantis vehementior, & celerior fuerit, tantò rigor erit intensior, & velocior, id enim contra omnem philosophiam esse videtur, si alteratio morbosa in parte sentiente ab ea causa imprimenda est, vt concutiatur; nam nullus negare poterit quod si celerrimo motu causa alterans per passum moueatur, alteretur minus multò, quam si circa illud detineretur: ergo si concussio est irritationis effectus, & irritatio erit leuior, si motus celerrimus sit, erit necessariò concussio minor, si motus causæ sit vehementior, quia breuissimè à passo separabitur: quod confirmatur exemplo manus per flammam celeriter motæ, minus enim vritur, aut calefit, quàm si circa flammam diutius detineatur; soli ardenti etiam si quis exponatur, vritus minus si lentè moueatur, quam si quiescat; motus ergo actionem remoratur, & remittit, non auget. Secundò quia Galenus sibi non constat, nam *cap. 5. cit.* docet, quod si vlceri mordax medicamentum applicetur, primo excitatur horror, deindè rigor, mox nonnulli febricitant. In quo exemplo nulla motio excrementorum per partes sentientes inuenitur, cùm parti extrinsecæ causticum applicetus, & dolor excitatus, ad partem dolentem humores conuocet. Tertiò, quia si moto homore per partes sentientes rigor excitaretur, esset fallacissima Hippocratis doctrina 3 *prognost. text.* 35. vbi vomitum biliosum ex horrore præsagat, & citò venturum: nihil verò commune vt vomitus adueniat, ex horrore deducitur, cùm potius ad coërcendum vomitum nullum auxilium foret efficacius, quàm ad partes sentientes bilem vomitum effecturam inclinare; nec minus vrget, quod idem Hippocrates a *prognost. text.* 58. inter signa incipientis suppurationis in parte inflammata, rigorem collocat, quod esse verum quotidie experimur, nihil verò per partes sentientes necessariò mouetur illas irritans, & mordens vt rigeant, eò quod inflammatio incipiat supputari, cùm sit certum genitum pus intra locum inflammatum incarceratum esse, & nunquam ad partes sentientes effundi.

Quartò, quia cum causa frigoris per omnes musculos possit distribui, contingeret aliquando vt tetanus in rigoribus apprehenderet. Patet, quia contractis musculis omnibus, aut qui in motibus sunt oppositi, necessariò rigidum membrum manebit, quia vndequaque contraheretur, ob contractionem musculorum oppositorum: saltem videtur quod si semel admittatur (vt debet admitti) quod humor possit per omnes, aut pluses musculos disseminari, erit omnino impertinens excrementorum motio, vt totum corpus concutiatur. Constat, quia omnes se contrahent ad expellendum quod illos molestat.

Ad primum respondet Magister *lib. de febribus, fol. 673.* quod motus humoris est ad rigendum necessarius, quia sunt aliqua motum causæ pesentia vt fiant, vt in seminis excretione non sentitur voluptas aliqua, nisi motu quodam, seu titillatione semen effundatur: quod etiam experimur in motu illo hispanè dicto (cosquillas) non enim risus excitatur nisi digiti in ea parte moueantur, & certo modo, leui nimirum, blanda, celerique motiuncula. Sed hoc quod dicit Magister non est soluere difficultatem, sed quod succedit proferre, debebat enim reddere rationem cur rigor sine motione humoris præsupposita fieri nequit: & contra ipsum stat concussio epileptica, in qua nemo dixit, quod causa cerebrum opprimens moueatur, quinimo tenacissimè obstruendo hæret, in Galeni opinione, & excitatur nihilominus tam vehemens concussio, & insigniter maior, quàm in horrore aut rigore inuenitur; non ergo ex parte membrorum requiritur motus in causa vt concussio vehemens fiat, nec in causa absolutè talis motus requiritur, cùm in epilepsia absque motione causæ detur irritatio modo requisito, vt concutiantur membra. Eadem tepiditate absoluit Magister simile dubium in voluptate venerea, *lib. de locis affectis, disp 63. cap. 5. ad finem*, dubitat enim cur sine motu seminis voluptas non detur, & respondet rationem esse, quia species illa tangibilis tali modo producitur dum obiectum per partes illas mouetur; nec enim intelligi potest maior perfectio intensiua speciei, nec quod plures gradus obiecti repræsentet propter solum motum localem obiecti: solùm ergo se habet vt conditio, & meritò (inquit) illud fuit factum à natura, quia cum semen non debeat in illis detineri, sed excerni per motum, tunc maior delectatio sentiretur dum mouetur, estque causa dicta. Peccat quidem in hac solutione simili oscitantia Magister, narrat enim euentum, non tamen tradit rationem illius, cur nimirum nisi motu semen pellatur, cum voluptate sentiri non possit: tacet etiam quid motus præstet vt sine illo species voluptuosa non producatur.

In hac difficultate mihi videtur non esse rationem aliquam philosophicam, ob quam cogamur asserere, quod rigoris causa debeat moueri ad hoc quod sentiatur modo requisito ad rigorem, ita vt si non moueretur, non esset sensatio rigori causando idonea, quod est dicere; causa rigoris non sentitur diuerso modo, quia mouetur ab eo quod immutaret si esset quieta. Ratio est efficax, quia per motum nec mutatur qualitas irritans, nec potest poni conditio aliqua ex parte obiecti vt diuerso modo sentiatur, quàm si quiesceret; imò vt probat ratio dubitandi in rigore philosophico, minus alterantur partes quò velocius per illas causa rigoris mouetur: ex parte verò potentiæ certum est non dari variationem aliquam, cùm organum, & eius temperies per causæ motionem immutata maneant, ac per consequens si adæquata causa motus concussiui ex parte obiecti est molestia partibus illata, impertinens est, quod causa moueatur, quia maiori molestia afficiet, si quieta partibus applicata maneat. Censeo igitur quod rigor causam motam requirit, vt sit concussio totius, & non vt ex motu sequatur peculiaris modus sensationis, vt putauit Magister; in rigore itaque totum corpus agitari docet & concuti, totum verò vehementi vibratione concuti nequit, nisi pluribus partibus, & citò causa molestans communicetur; quam violento motu partes quædam in alias reiiciunt, & hæ in alias assidua inquietudine, & inæquali, vehementique motione repellunt, turgentia quadam, & insigni molestante voluta materia; Inde procedit tam molesta, continua, & inæqualis motio, & tam grandis in corpore turbatio, non quia per motum peculiari modo immutet potentiam, sed quia per illum partibus plurimis celeriter cõmunicatur, iens & rediẽs, celerrima & inopinata motione, duratque hæc pugna, quandiu durat transmissio à vasis, aut aliis partibus per partes sentientes. Et quia partes mittentes ad carnes indifferentes, modóque inæquali excrementa disseminant, inde tam inæqualis cõcussio in rigore inuenitur: nec putes quod omnes motiones in rigore inuentæ, à facultate expellente immediatè procedant, nam cùm humor tam impetuosè pellatur, partes in quas reiicitur

violenter impellit, eas distendens, distorquénsque inæquali, miró que modo, quia inæqualis & perturbata causæ commotio in rigoribus datur: censeo enim vt verissimum, quod in rigoribus datur tam insignis perturbatio in motionibus, quia quando partes quædam se contrahunt vt pellant causam irritantem in alias, aliæ mittunt eo tempore in illas, vt distendantur ab impulsa materia, quando conabantur contrahere se ad expellendum quod in se continebant, aut erat applicatum. Vnde rigorosè loquendo, rigor morbosus non est aliud, quàm vniuersalis palpitatio, & inæqualissima, cum vniuersali etiam partium concussione coniuncta; nam partes distentæ violentes ab impulsa materia, palpitant non dubiè, saltem impropriè, quatenus ab extrinseco principio dilatantur præter naturam, vt in vera palpitatione.

Et si vlteriùs inquiratis, vnde tam inæqualis concussio, discórsque pugna in rigore oriatur; respondeo procedere, quia omnes partes sentientes sunt validi roboris, nulla enim alteri cedere vult, ob quod vna ad aliam impellit, recipit rursus ab illa, indeque procedit quod in hac expulsione post tot rigores nulla læsio in corporis ambitu inueniatur, quia totum quod ad partes carnosas mittitur, tandem mutua illa pugna resoluitur: quia vt nuper notabam, nulla pars inferiorem alia se agnoscit, sicque æqualiter donec totam materiam mutuo resultu resoluant, per mutuas vicissitudines pugnant, duratque bellum (vt dixi) quandiu durat in partes sentientes transmissio; nam si hæc à mittentibus non foueretur, rigor breui cessaret, quia vt dixi partes sentientes robustæ æqualiter sunt, & nulla illius quod ab alia recepit debitor manet, sed breui quicquid extraneum recipiunt, discutiunt, & assiduo attritu resoluunt: indicium est, quod sub tanta motione & resultu partes externæ non calefiunt, dum rigent.

Sed dices hunc modum non esse Galeno consonum, nam ipse docuit, quod quò vehementior, & celerior fuerit motus causæ, efficitur etiam consequenter rigor vehementior: ergo motio celerior est causa maioris rigoris. Respondeo, optimè illud Galenum asseruisse, imò hoc ipsum nostram opinionem suadet, quia celeriori & vehementiori motu fiunt duo. Primum quod causa morbi pluribus partibus breuiter applicatur, sicque plures rigent, & totum corpus concutitur vehementius, & per plures partes. Secundum, quod celerior motus dari non potest sine fortiori impulsu, fortior verò impulsus partes quas impellit, magis & vehementius dilatat, sicque motio earum maior, & vehementior fit. Accedit etiam quod impetus ille maior in causa, illam velut intermittit in partes in quas impellitur, sicque maior, intimiorque fit applicatio obiecti molestantis, & hac ratione potest melius sentiri etsi breuiori tempore: quod si putes probabile (vt ego censeo) ipsum impulsum quando intensus est, rationem causæ molestantis habere posse, constabit clarius, qualiter motus vehementior rigoris vehementioris & molestioris author esse possit.

Ex dictis constat principaliorum argumentorum solutio, explicuimus enim qua ratione motus humoris ad rigoris creationem requiratur, & cur vehementior motus author sit molestioris rigoris: quando verò humor quiescit, etsi dolore excruciet, rigor non fit, quia totum corpus conuelli aut concuti nequit, nisi plurimæ partes contrahantur, vnius enim contractio insensilis est, nisi prægrandis fuerit, vt cerebrum in epilepticis motibus totum corpus secum rapit & conuellit: vt verò totum in consensum trahatur motione & concussione inæquali, vehemens & magna debet esse partium contractio, & inæqualis concussio; hæc verò requirit liberum medium, & quod oppositæ partes cedant, alioqui repugnarent contractioni aliarum. Vnde implicat quod omnes partes, quæ in rigoribus agitantur, impletæ

A sint, nam quæ contrahuntur, libero motu impletas esse repugnat, vt repugnat etiam cedentes esse adimpletas, & inde in rigoribus tetanica contractio repugnat ex propria rigoris natura: partes enim quæ modò contrahuntur, cedunt statim aliarum contractioni, quia causa non manet in aliqua parte stabilita, tetanica verò contractio firmam causam requirit; quæ verò facilè solubilis est, potest non dubiè in rigoribus dari musculis dilatantibus & contrahentibus idem membrum, simul causa rigoris occurrens. Ex quibus vltimi argumenti solutio constat, nam tetanica conuulsio in facto, vt sic dicam, stare cum rigore non potest, quia rigor motum assiduum & variatum semper requirit, tetanus verò factus immobilitatem omnimodam, & rigiditatem; tetanus verò in fieri extra naturam rigoris non

B est, quia motum contractionis solum includit. Sed & illud argumentum vltimum supponit, quod nondum discussimus, dari scilicet in rigore contractionem musculorum, vt datur in conuulsionibus, de quo postea propria quæstione dicemus.

Quod verò de medicamento mordaci vlceri applicato obiiciebatur, soluitur facilè; constat enim experimento non semper rigorem superuenire, etiamsi ingens dolor molestet, ac per consequens, quando à tali causa rigor fit, ideo est, quia aliquid acre à caustico eleuatum, ad partes sentientes distribuitur, & causas rigorem modo iam dicto, eodémque modo soluitur quod de rigore suppurationis incipientis obiiciebatur; non enim semper contingit, alioqui non laterent innumeræ suppurationes, & doctissimis Medicis se abscon-

C derent, cùm tam manifestum symptoma rigor sit, præsertim in inflammationibus rigorem excludentibus, nisi quando suppurantur; tunc enim facile intelligitur, qualiter rigor possit causari, cùm in suppurationibus incipientibus ebullitio, & feruor à Galeno admittantur in suppuranda materia: ob quam ebullitionem, & febres, & dolores eo tempore augentur, & acres vapores per totum distribui possunt, & ad partes sentientes. Verùm quia vidit Hippocrates rigorem non debere esse necessariò suppurationibus alumnum, non tradidit illum in illo aphorismo tanquam signum essentiale, aut necessarium, sed dolores solùm, & febres: quod cùm sit euidenti experimento confirmatum, nescio qua ratione oppositum Galenus docuerit 2. *prognost. text.* 58. *&c.* etiamsi de inflammationibus in partibus solùm

D præcipuis existentibus intelligendus Hippocrates sit, vt Galenus exponit. Videtur etiam sui oblitus Galenus, nam dando rationem ob quam rigor sequatur in suppurationibus, nec motus calidi influentis, nec expulsionis obiecti alicuius ad partes sentientes delati, & illas irritantis recordatur. Verba sunt: *Etenim sermonibus de rigore perpensum iam est, vt puris generati acrimonia mordens, ac derodens adiuncta corpora rigorem committat, perinde quasi medicamenta acriora, quibus adhibitis interdum malignis vlceribus, aut cuidam affectioni putredinosa rigere, & febricitare contingit.* Quibus clarè docet non esse necessarium ad rigorem, quod aliquid per partes sentientes moueatur, sed dolorē ex morsu ab acrimonia puris aut caustici medicamenti excitatū sufficientē esse

E pro rigore inducendo; quam doctrinam Vallesius noster transtulit in eiusdem loci expositione dicendo: *Accidúntque rigores quidam sine causa manifesta, & sine ordine, huius causa est corrosio particularum in inflammato membro*: sed vt dixi, si verus rigor esse debet per corpora sensilia, qui ipsa mordeat, mouendum aliquid est, vt in eiusdem prognostici expositione Vega docuit, dicendo. *Quando ergo pus in inflammationibus incipit generari, ab humore fumi multi acres eleuantur a calore putrescente, qui celeriter per membranas ipsas, & loca sensu predita moti rigorem faciunt.*

Sed hæc explicatio videtur Galeno opposita dicenti tam clarè, quod eueniat rigor, quia acrimonia puris corpora

pora adiuncta erodat ac merdeat, & nullius motionis recordetur. Vrget etiam, quod si ob illam eleuationem vaporum ab humore suppurato, aut qui suppuratur rigor eueniret, contingeret non dubiè talis rigor in omnibus febribus biliosis, aut sanguineis, quando summus vigor incipit. Constat, quia tunc feruor similis datur, & incalescentia vrgens, & copia vaporum est sine dubio maior multò: quomodo igitur in continuis biliosis, & sanguineis rigores non fiunt tanquam signum suppurationis homoris, & coctionis vigorem constituentis, cùm sit eadem actio, & ab eodem agente coctio humoris inflammationem, & febres continuas sine illa causantia. Accedit quod videtur incredibile ex acri medicamento vlceri imposito, tantam copiam vaporum mordacium eleuari, & ad partes sentientes distribui, vt vigor causetur; quod planum videtur si caustici effectum contemplemur; nam quicquid contingit, vstione incrassat, escharámque inducit, & si locus cui applicatur attentè conspiciatur, nullus fumus, aut vapor eleuatus percipietur.

Duo mihi occurrunt pro dubij solutione. Primum quod membrorum tremor oriri potest præcisè ob ingentem retractionem caloris ad interna, vt in vehementi timore experimur totum corpus tremere, & non leniter, & indè qui nimis molestè ferunt dolorem caustici, aut erosionem puris, súntque debilis naturæ, contremiscunt ob ingentem caloris retractionem ortam ex passione vehementi animæ, & ideo non rigere omnes in suppurationibus aut caustici applicatione, quia non omnes vehementer tristantur, aut timent. Dico secundò, quod horrures, aut rigores inuenti in suppurationibus sunt leues, vt experimento constat, quos facilè excitabit leuis euaporatio quando fit pus, aut causticum vlceri applicatur, & per partes sentientes seminantur. Neque est eadem ratio de suppuratione febrium, quoniam materia tam mordax non est vt in inflammationibus quando suppurantur, quod indicat planè erosio carnis à pure genito prouenitens, quam nunquam fecit, nec potuit sedimentum vrinæ in febribus dictis; discrimen nascitur, quia materia inflammationibus cum minus multo ventiletur quàm febrium putridarum, exuritur magis, & malignius putrescit, & sic mutatur in pus, quod nunquam intra vasa generari ex materia putridarum febrium visum est; inde etsi pus perfectissimum sit, molestiorem odorem quàm sedimentum exspirat, multò enim plus fœtet, inde etiam carnes erodit, quod sedimentum nunquam fecit, inde pus in vrina descendit vsque ad fundum matulæ, sedimentum minimè, sed eleuatius percipitur, minimè fundum pertingens, inde pus dissoluitur totum, & vrinæ admiscetur, eámque deprauat si agitetur, alienus omnino effectus à vero sedimento; pendent omnia ex maligniori putredine ob quam sedimentum fieri non potuit, sed pus, etiamsi coqueretur perfectissimè à parte inflammata, impedimentum fuit resistentia, & ineptitudo materiæ ex prauiori putredine. Galenus 2. *aphorism. com.4.* dando rationem ob quam dum pus fit fiant etiam maiores dolores, & febres, sic loquitur: *Et hac ambo contingunt ex quadam veluti ebullitione, atque exustione sanguinis, qui vbi ex toto exustus fuerit, residuum eius fit pus, quemadmodum ex lignorum exustione cinis.*

QVÆSTIO · III.

De causa membra mouente in rigore.

HVmorem moueri in rigore fatentur omnes ferè cum Galeno, sicut & totum corpus concuti, & inæqualiter agitari; quod verò humor pellatur à vasis per partes sentientes absque vllo sensibili motu vasorum à quo per consensum corpus totum moueatur, extra dubium esse debet, quod probaui iam exẽplo causonis A terminati per morbum regium, alui fluxum, aut sudorem, in quibus euacuationibus nulla sensibilis motio intra vasa, nec in toto inuenitur, etiamsi tantam bilis copiam per dictas regiones natura reiiciat, bilis verò illa intra vasa continebatur, dixitque expressè Galenus *lib. de tremore, cap. 2.* ita: *Aliud quoddam tertium genus motus habetur in venis, quod sensibus non percipitur*; iam verò disseminata causa rigoris per partes sentientes, quas extranea qualitate, & dolorosa mulctat, incipit rigor concusso corpore toto ad motum partium sentientium, talem molestiam conantium reiicere, & quia partes illæ contrahuntur in à se, vt à se causam molestam expellant, & talis contractio motio sensibilis est, inde corpus agitatur, & inæqualiter concutitur. Inquirit ergo quæstio, vtrum hæc facultas membra in B rigoribus contrahens, vt causa pellatur, sit motiua musculorum, qua membra liberè quando volumus mouemus: ao verò sit alia diuersa imperio nostro nullatenus subiecta?

Varius satis circa præsentem quæstionem Galenus corripitur, vt mirum non sit, si varia eius lectio in opiniones diuersas authores distraxerit, nam quod fiat concussio illa à musculis quibus mouemur libere, sæpe insinuat: sic tenet 2. *de causis symptom. cap. 1. ad finem.* Verba sunt: *Est igitur ipse quoque mixtus quodammodo ex causa quæ præter naturam sit, & animalis virtute, &c.* In quo tremori dicit esse rigorem similem, constat verò quod tremor pendeat ex motu voluntario seu animali, & ex morbo, aut causa præter naturam: & *lib.* C *proprio de rigore, cap. 2. ad finem* sic loquitur. *Verùm qui musculis, & neruis perficitur, per quem & manus, & crura mouemus in tremoribus, conuulsionibus, rigoribus morbidis, interim & in palpitationibus apparet; omnes enim huiusmodi affectus, vitiati motus sunt instrumentorum eorundem, quibus arbitrarij motus sanorum obeuntur.* Et *lib. 2. de causis symptom. cap. 5.* scripsit: *Quippè necesse est musculis omnibus vibratis, articulos quoque cum iis vna vibrari*: & paulo inferius sic loquitur: *At cum concussis rigentibus, vt dudum est dictum, mouetur omnis particula, musculo seipsum expurgante.* Quibus locis musculos moueri apertè docet, est verò primum principium Galeni, quod musculi sint instrumenta motus voluntarij; vnde rigor talis facultatis est symptoma, liberæ scilicet, nam musculi ab hac sola mouentur.

D Rationes etiam hanc partem suadent: Sit prima quod rigor non fit sine molestia præcedente, ac per consequens est motus cognitionem obiecti molestantis præsupponens, quod pertinet ad vim sensitiuam, & cognoscitiuam, non ad naturalem. Secundò quia expulsio naturalis aut fit sine fibris, aut mediis fibris transuersis; voluntaria verò, aut spontanea fit fibris oblongis, ad quarum contractionem contrahuntur musculi, & ad motum istorum trahuntur articuli, & membra, quod totum in rigoribus inuenitur, totum enim corpus concutitur, vt sæpè Galenus 2. *de caus. symptom. c. 5.* docet; ergo quia mouentur musculi totius, quibus voluntariè mouetur: quod efficaciter confirmatur, quia rigorem si volumus acceleramus, aut reE tardamus vt vnusquisque in se experiri poterit: ergo est in nobis voluntarius; nullo enim alio firmiori argumento libertatem respirationis Galenus nobis persuadet, & probat, nisi quia eam remoramur, aut omninò tollimus, aut acceleramus quando volumus. Tertiò quia actiones diuersarum facultatum semper sunt diuersæ, & nequit vna facultas motionem alterius eodẽ modo efficere; at motus rigentiũ possunt fieri, & reuera si velimus fiunt à nobis eodem modo: ergo similis facultas, quæ sensibiliter per bonam valetudidem liberè membra concutit si homo velit, est quæ rigorem excitat, nam si essent diuersæ, non fierent similes omninò motiones. Et constat, quia palpitatio quæ est inuoluntaria motio, non limitatur à nobis, nec possumus etiamsi velimus mem-

bra palpitanter mouere: ergo quòd à nobis liberè imitatur, liberè etiam fit per morbos. Tandem quia fibræ naturales quæ ſunt inſtrumenta naturalis facultatis, non ſunt ita ſituatæ vt contractis vnis, dilatentur aliæ, quia in eodem inſtrumento ſolùm dantur fibræ tranſverſæ ad expellendum, & nullæ oppoſitæ à quibus ſubito contractis dilatetur inſtrumentum; at in rigoribus membra agitata contrahuntur, & dilatantur, eo modo quo per bonam valetudinem: ergo muſculi ſunt qui in rigoribus membra concutiunt. Et confirmatur, quia fibræ expultrici naturali inſeruientes, ſunt breuiſſimæ longitudinis, ac per conſequens earum contractio nequit tam impetuoſas motiones, & tam ſenſibiles cauſare vt per rigores experimur, nam ſpatium per quod membra trahuntur, nequit eſſe maius, quàm illud per quod contrahuntur fibræ naturales: eſt verò breuiſſimum, vt ex earum diſſectione conſtat: quod Galenus reſpiciens *loco citato* ex *cap. 2. lib. de tremore* docuit, quod motus venarum ſunt inſenſiles, etiamſi in illis fibras tranſverſas admittat: deberent verò rigere, ſi rigor eſſet ſymptoma naturalis expellentis, quod nullus dixit.

Quod verò motio illa inuoluntaria omninò ſit, multis locis tradidit Galenus. Sic 2. *de cauſ. ſympt. cap. 5.* ſcribit. *Quippe neceſſe muſculis omnibus vibratis, articulos quoque cum iis vna vibrari, quibus ſic agitatis, etiam extenſiones quaſdam, inflexioneſque præter voluntatem incidere.* Et *cap. a.* ſic loquitur. *Imo verè ſi fateri verum oportet, motus omnis inſita illius eſt virtutis, quam nos excretricem, & expultricem nominare ſolemus.* Et *cap. 6. in principio* dixit; *Tuſſis quidem, ſternutatio, & ſingultus, & rigores expultricis virtutis validi motus ſunt.* Et *lib. de rigore, cap. 6.* non longe à principio dixit; *Agitatio autem ſeu vibratio, quæ valides rigores comitatur, tam violenta & neceſſariè corporibus incidit, vt conquiſcere non liceat, etiamſi ſtrennè admodum renitaris.* Et paulo inferius ſic loquitur; *Et motus in rigentibus ſanè citra mouendi partes voluntatem omninò inuitus eſt, in trementibus non citra voluntatem.* Et inferius dixit ita; *Cum quis cum nulla concuſſione corporis, & agitatione perfrigeſcit, non hic riget, verùm ſi affectus rigor appellari debeat, inæqualem, & præter voluntatem motum ei accidere oportet.* Et paulo inferius: *Quippe tremorem nuncupare neutiquam oportet, ſed agitationem quandam præter voluntatem, aut vibrationem, aut concuſſionem, aut aliud id genus nomen inuenire.* Et inferius; *Agitari autem dico omnia in corpore, & concuti, turbarique, ac omnis in rigore motus inæqualis, inordinatus, citra voluntatem eueniens, &c.* Quam doctrinam ſectatur noſter Princeps *fol. 1 lib. 1.* dicendo: *Accidentium autem à natura ſine voluntate prouenientium, quidam ſunt quæ excitant ſenſus, ſicut horripilatio.*

Hanc ſententiam ſequuntur Magiſter meus *lib. de febr. fol. 668.* Valleſius *lib. 5. controuerſ. cap. 17.* Ratio à priori eſt, quia nullus poteſt rigorem impedire, etiamſi valido conatu illum cohibere tentet: ſignum ergo eſt, voluntati noſtræ ſubiectum non eſſe. Neque obſtat quod ſi velimus, illum non dubiè moderemur; nam etſi hoc ſit verum aliquando, non tamen perpetuum, contingit verò moderari quando voluntariè ægri concutiuntur, volut excitari à concuſſione violenta, & moleſta, non verò motio illa à rigore expoſtulatur, quia abſque vlla motione voluntaria dantur requiſita ad rigorem, refrigeratio nempè moleſta, cum inæquali totius concuſſione. Per accidens itaque inquit Valleſius *5. controu. cap. 17.* aliquid voluntarij habet aliquando rigor admixtum, quia nimirum liberè concutimus membra muſculorum ope, velut iuuantes expulſionem naturæ, aut conantes expellere, & hoc quod liberè operamur, poſſumus ſimili libertate cohibere, non tamen quod expultrix naturalis agit, vt experimentum docet: & author noſter in definitione rigoris idem inſinuat dicendo: *Rigor verè eſt vt non poſſit continere membra ſua ex commotione, & tremore eueniente in eis, & motibus*

A *inuoluntariis.* Vbi notabitis, quod in tranſlatione Gentilis ſcribitur, & motibus voluntariis: eſt verò legendum inuoluntariis, vt legit tranſlatio Herculani, qui rectè cenſet, quod per tremorem non intellexit Auicenna tremorem proprium, ſed improprium, ille enim compoſitus eſt ex motu libero ſurſum, & deorſum inuoluntario, non eſt autem talis qui rigores ornat, & componit.

Secundò probatur efficaciter hæc pars, ſi accuratè attendamus modum motus muſculorum, eſt in rigoribus inuentum; nam muſculi quatenus ſunt inſtrumenta motus voluntarij, contrahuntur ſolùm, & vnicum motum ſimplicem celebrant contractis muſculis ad caput ſuum: nec contractio hæc ceſſare poteſt in muſculo ſemel contracto, niſi aliter muſculus ſibi oppoſitus contra- B hatur, quia muſculi omnes (exceptis duobus, aut tribus) vnicum tantum motum (contractionem nempe) naturaliter habent: at verò motus, ſeu concuſſio in rigoribus inuentus, ſimplex motus non eſt, nec muſculi contrahuntur ſemper, ſed vt experimento conſtat diſtenduntur potius, velut impulſi ab extrinſeco principio; imò quando æger iam rigens in certo loco & poſitione, brachia, aut alias partes continere voluntariè procurat, contra imperium, & internum voluntatis impetum, ab ea poſitione brachia, aut alia membra ab alio motore rapiuntur, quod tam euidens eſt, vt negari non poſſit; & dixit Galenus *loco antea citato ex cap. 6. lib. de rigore* ſic: *Agitatio autem ſeu vibratio, quæ valides rigores comitatur, tam violenta, & neceſſariò corporibus incidit,* C *vt conquieſcere non liceat, etiamſi ſtrennè admodum renitaris:* quod teſtimonium euidenti experimento innixum, cum aliis multis ab eodem authore *eodem libro* relatis, explicationem nullam admittit, ſed planè docet rigorem contractis muſculis liberè fieri non poſſe.

Eſt ergo placitum noſtrum & concluſio, quod rigoris natura abſque aliqua motione voluntaria conſiſtere poſſit, ac per conſequens motio partium rigentium erit omnino naturalis, & inuoluntaria. Hæc in opinione Magiſtri mei *lib. de febribus, fol. 668.* & deinceps per totam quæſtionem cauſatur à facultate naturali expellente media contractione fibrarum tranſverſarum, ad quarum contractionem inuoluntariam mouentur reliquæ D partes neceſſariò, velut per alligationem, contrahuntur verò vt expellant cauſam rigoris, quia nimis irritat, & partes dictas moleſtat; nec ex eo quod commotio illa, aut contractio fiat præcedente ſenſu moleſtiæ colligitur, quod ſit voluntaria, nam ſingultus, vomitus, & in opinione omnium concuſſio epileptica etiam ſine moleſtia præcedenti fieri nequeunt, & ſunt nihilominus omninò inuoluntarij motus. Idem contingit in motibus conuulſiuis per malignas febres: nec obſtat (inquit) quod expellens naturalis ſenſu non indigeat, vt pellat; nam hoc in omnibus partibus verum non eſt, ſed habet (inquit) heterogeneam naturam, & inde in partibus ſentientibus, & præcipuè habentibus fibras naturales medio ſenſu moleſtiæ expellit, in aliis verò minimè.

E Sunt qui locum Galeni nuper adductum exponant dicendo, quod nos poſſumus, ſi volumus, totum rigorem liberè cohibere: Quæ ſolutio quàm diſſona ſit teſtimonio Galeni verba eius conuincunt. Dicit enim quod membra quieſcere nequeunt etiamſi ſtrenuè admodum renitaris; quid elatius adduci poteſt, & cum maiori verborum exageratione, cùm dicat etiamſi ſtrenuè admodum renitaris? Et ſi verba tam elata ad ſignificandum quod motus rigoris ſit omninò inuoluntarius, explicationem pro contrario ſenſu patiuntur, fruſtra omninò ad confirmandas aſſertiones authorum teſtimonia traduntur. Dicunt ſecundò, quod motus rigentium appellatur à Galeno inuoluntarius, quia non poſſumus citra notabilem noxam illum cohibere, ob quam cauſam dixit

dixit etiam Galenus *lib. 3. de officina medici, com. vltimo §. Motus siquidem*, quod thoracis motus non est in nostra potestate, quia si illum cohiberemus, suffocaremur statim: & hac explicatione omnia alia Galeni testimonia, in quibus rigorem motum inuoluntarium fatetur, dissoluunt. Explicatio quidem extra mentem Galeni constat euidenter, quia si Galenus putasset, quod rigor esset motus liber, suam mentem in aliquo loco planè aperuisset, nullibi verò legimus, quod rigorem liberum in nobis appellauerit, sed oppositum multies tradidit, inuoluntarium illum appellans, nec de noxa rigoris cohibiti per omnia sua opera recordatur: planè ergo authoritatibus eius opponuntur, sic eum interpretantes. Præterea ex doctrina Galeni est aliquando rigor pessimus vt causa: ergo si cohiberetur, esset non dubiè vtilius. Antecedens constat ex expositione *aphorismi 46. lib. 4.* Verba sunt. *Si verò solus accidat rigor nulla euacuatione subsequente, vtroque modo casus caret bonitate, nam tanquam mala causa vires hominis tentat, & malum signum erit illius indicans imbecillitatem, quæ solita erat noxios humores in rigoribus euacuare, non verò hoc non potest efficere*: ergo rigor ille, qui tanquam causa mala vires hominis tentat, quia virtus debilis agitat onem rigoris ferre non potest, sed potius dissoluitur, si cohiberetur, salubrius esset, quàm illum permittere: & constat clarè, quia si rigor est actio expultoria, & interdum iudicatoria, similia incommoda, & detrimenta, quæ reliquæ excretiones, potest corpori afferre, ac per consequens tam symptomaticus, & exitiosus esse poterit, vt omnis alia actio expulsoria: estque perindè vtilissimum illum sæpe impedire, quia si euacuet, virtus debilis cadit, & ratione euacuationis, & concussione violenta, si verò non euacuet, tanquam mala causa vires hominis tentat, quia nihil expellit, & agitatione violenta vires dissoluit, estque simul signum lethale. Et præter testimonia antea in huius rei confirmationem citata, est aliud celebre, & perspicuum *commento 2. in librum de humoribus, text. 32.* quod sic habet: *Illud porro sciendum est, ex iis motionibus, quæ circa voluntatem fiunt in instrumentis voluntariis, quæ sunt ad motum comparata, aliam appellari conuulsionem, aliam palpitationem, aliam denique rigorem, quæ inter se differunt, &c.*

Primum argumentum iam manet solutum, nam motus multi inuoluntarij non fiunt sine sensatione molesta; vt nausea, singultus, vomitus, & concussio epileptica. Ad secundum, quod totum corpus rectè concuti potest contractione fibrarum naturalium quando partes irritantur nimis; nam & in palpitatione, quæ leuior motio est, solet totum corpus commoueri, imò solet esse præsagium mortis inopinatæ, vt constat ex textu celebri Coacarum prænotionum dicente: *Palpitationes toto corpore malæ; nam multi moriuntur*: ad quam vehementem motionem totius, facit multum, quod rigentes solent etiam liberè partes contrahere, & dilatare, vt melius causa morbi pellatur, vt Vallesius notauit; quod ad rigorem est omninò per accidens, quod indicant planè motus conuulsiui febrium malignarum, qui non dubiè inuoluntarij sunt, & sunt satis sensibiles, & si per plures partes extenderentur, totum agitarent, & verè rigeret; illud ergo voluntarium, quod à nobis superadditur, possumus simili libertate cohibere, & vt ego censeo, possumus etiam aliquid naturalis concussionis impedire, quod nullus hactenus docuit; est tamen mihi verissimum, & probatur, quia voluntariè possumus violentia nimia membra distendere ob vehementem contractionem musculorum: hæc autem vehemens, & immoderata tensio tollet non dubiè contractionem naturalem, aut omninò, aut saltem impediet, ne tam magna, & celeris fiat. Patet euidenter, quia quod tensum nimis est, nequit ad oppositam tensionem celeriter, & per magnum spatium moueri; tensio ergo nimia voluntaria in quibusdam partibus ob immoderatam, &

A firmam contractionem oppositarum, impediet manifestè contractionem fibrarum transuersarum, & agitationem, quæ in partibus per colligantiam fibrarum ventura erat, nam musculi vehementer contracti, non poterunt contractione fibrarum amplius contrahi consequutione quadam, neque partes oppositæ, quæ præter modum distentæ voluntariæ sunt, poterunt à fibris consequenter aut contrahi, aut distendi per magnum spatium: & inde constat euidenter, quod in rigoribus si quis viriliter membra contracta contineat, poterit illos magna ex parte moderari, in partibus nempe liberè & nimis contractis, aut distentis, imò & omninò in dictis partibus nõ repugnabit omnimoda rigoris cessatio, quia impetus rigentium partium potest esse leuior quàm positus à virtute liberè contrahente, vt est euidens.

B Ad tertium quod actiones naturales & voluntariæ benè possunt eodem modo motus mouere, vt constat in corde dilatante se, & contrahente necessariò; nec constat quod motus rigentium sit omninò similis motui voluntario in ordine ad terminos, licet omnes media contractione fiant, quod constat clarè, quia membra rigentia trahuntur sæpè ad loca voluntati omninò repugnantia.

Ad vltimum negandum est, quod per tam magnum spatium nequeant membra rigentia moueri, si contractione naturalium fibrarum mouerentur; nam spatium membri attracti non est metiendum cum spatio per quod mouetur mouens, quia hoc potest esse paruissimum & quod trahitur magnum: vt si remora quæ nauim detinet, illam posset mouere se contrahens, magnus C esset excessus spatij nauis ad spatium remoræ, quod etiam in motibus voluntariis est verum; est enim spatium insigniter maius per quod brachium mouetur, quàm spatium per quod musculi se contrahunt, quia trahitur totum brachium ad motionem partis paruissimæ illius. Quod verò venæ non rigeant docent omnes. & Galenus etiam *cap. 2. cit. lib. de rigore* dixit, quod motiones venarum sensibus non percipiuntur. Pendet ratio, quia venæ obtusi sunt sensus; vt verò vehemens fiat contractio, requiritur magna modestia, quã in hebeti sensu dari repugnat. Nec obstat, quod causa vehementissima esse possit, & strenuè irritans, quia si potentia stupida est, nunquam nisi obtusè potest sentire, etiamsi obiectũ vehementissimum applicetur, quod in Philosophia est euiD dens; exemplo sunt apoplectici, stupidi, & in visu clarius declaratur; nam qui iam ferè obcæcantur, obiecta visibilia, etsi efficacissima ferè non vident.

QVÆSTIO II.

De partibus quæ in rigore concutiuntur?

SVpposito quod motio inæqualis in rigoribus sit actio naturalis facultatis, meritò inquiritur in quibus partibus talis motiua facultas resideat: quod dubium sicco pede omnes transierunt, & est meo iudicio difficillimum, præsertim in opinione Magistri mei, qui musE culis quemcumque motum præter voluntarium denegat, quos si semel à motione rigorum excludas, difficile satis inuenies, à quibus partibus tam magni motus, & vehementes fiant. Quam difficultatem Ludouicus Mercado olfaciens, opinatur quod rigor etsi sit inuoluntarius motus, celebretur nihilominus ab eadem facultate, à qua voluntarij motus emanant, ita vt non implicet eandem facultatem liberè, & necessariò mouere; liberè quidem imperio subiecta, quando bene valet, necessario verò & inuoluntariè, quando à morbi, aut causæ violentia & irritamento cogitur reijcere quod irritat? vellicata enim præternaturaliter, etiamsi motioni eius resistere velimus, irrita fiet voluntas, quia pellet non dubiè, contra

nostrum imperiũ;estque circa hoc discordia magna inter hunc authorem,& Magistrum meum.Primum fundamẽtum Mercati est,quod quando facultas quæuis à morbo irritatur,debeat necessariò operari,etiamsi dũ homo benè valet, imperio subiecta sit; quod verò musculi sint morbosè affecti in rigoribus certũ est,& per consequens contra voluntatis impetium elicient motiones,vt à morbo se liberent. Argumentum quidem omnino infirmum, supponit enim quod probare debebat,& in quo est tota controuersia; verùm conatur suadere exemplo delirantium in quibus potentia superior(voluntas nempe) delirium non cohibet,nec imperat,sed cogitur ratione morbi interior potentia delitare semper, & in his constat, quod voluntas non impetet ob delirium, & nihilominus delirantes mouentur simili motu, & mediis musculis,vt per bonam valetudinem; ergo idem continget in rigoribus quando musculi irritati concutiuntur.

Tandem inquit Mercatus, id mirum videri non debere, cùm in epilepsia facultas expellens cerebri membra moueat, & in consensum trahat facultatem motiuam, quam cogit citra voluntatis imperium maiores & vehementiores motus elicere, quàm per bonam valetudinem eliciebat. Sic Aristotelem exponit quando 3. *de anima* docuit, esse principium motiuum imaginationem, & appetitum, quod sit intelligendus per bonam valetudinem, non tamen quando homo ægrotat. Hæc tradit Mercatus *consultatione* 1. *fol*.3.

Magister meus tanquam improbabilem relatam opinionem reiicit, quia improbabile iudicat, quòd facultas ex propria conditione voluntati subiecta,possit citra voluntatis imperium operari, & per consequens facultas musculorum quæ præcedente actu appetitus motum exequitur, nunquam sine cognitione, & appetitu motum aliquem elicere posse,sunt enim formalitates omninò oppositæ,quod idem principium possit liberè,& necessariò operari,& inde eidem principio nequeunt competere: & improbabilitatem huius opinionis Galenus expresse docet exemplo serui Barbari, qui liberè cohibita respiratione seipsum suffocauit,& interfecit, quod esset impossibile,si irritatio morbosa posset esse occasio, vt facultas libera ad motum cogeretur, cùm non sit excogitabilis maior molestia quàm quæ in cohibita respiratione inuenitur,vt quilibet in se experiri liberè poterit,si per aliquod tempus non respiret,& quod molestia illa magnis numeris excedat irritationem in motibus conuulsiuis,& rigoribus inuentam, indubitatum est: ergo si in iis molestia illata sufficit, vt facultas alioqui libera operetur necessariò, & cum tanta violentia, vt in rigoribus,& motibus epilepticis experimur,sufficiet melius, vt cohibita respiratione voluntariè operetur nobis nolentibus,& sic liber nunquam dabitur interitus, quia ante illum datur insignis molestia: sic Scæuola vstionem brachij liberè sustinuit absque fuga aliqua,aut motione, quod esset impossibile,si irritatio,& molestia facultatem imperio subiectam posset cogere ad actum.

Sed & argumentum quod in confirmationem nostræ conclusionis adduximus, habet hic contra Mercatum vim magnam. Idem efficiens nequit mouere ad oppositas differentias, quando ab eisdem principiis determinatur, vt operetur eodem modo. Sed in rigoribus experimur,quod vbi nolumus, etiam in situm contra quem voluntas repugnat membra mouentur,ergo est impossibile quod ab eadem facultate numero huiusmodi motionum contrarietas proueniat. Patet clarè: quia quando actu membrum voluntariè contrahitur versus partem determinatam, succedit motus oppositus,& retardatur voluntarius, aut omninò impeditur,& in locum diuersum trahitur membrum, vt verè sentiatur pugna inter principium mouens liberè, & quod ad oppositum locum membrum inclinat,& sæpè vincit. Sunt ergo euidenter duo mouentia opposita,non ergo quod mouet est eadem numero facultas,quia hæc sibi in eodem tem-

A pore non potest repugnare: at experimentum docet, quod in rigoribus hæc pugna manifesta sentiatur. Sunt igitur diuersa omninò principia, ac per consequens principium, quod irritatum mouet, non est quod mouet liberè,neque quod liberum est cogitur: multa etiam improbabilia in illa consultatione Mercatus suadere conatur longam disputationem requirentia,quæ *tractatum nostro de motibus conuulsiuis* discussimus.

Est etiam accensandus Magister noster, quod oscitanter suam opinionem absoluerit; non enim explicuit, quæ partes naturaliter contractæ tam inæquales, & vehementes motiones in membris rigentibus eliciant. Negat in ea quæstione proteruè, quòd musculus nullam motionem nisi liberam celebrare queat,& inde necessa-
B riò sequitur, quod ad motum naturalem aliarum partium musculi contrahantur: videtur autem difficillimum has partes inuenire; nam in ventriculo, vtero, cerebro, corde, & gula, manifestus & grandes motus inuenimus, quos in neruis, venis, arteriis, ligamentis nullatenus magnos experimur, & Galenus ipse insensiles dixit esse motus venarum: at nullus dixit, quod rigor sit affectus prædictarum partium magnos motus elicientium; cordis nimirum, cerebri, gulæ, ventriculi, aut vteri; reliquæ verò partes motiones tam maximas,vt secum membra totius consentientia concutiant, & tam sensibiliter moueant, nullatenus habent; nam fibræ naturales in partibus, in quibus dantur, tam debiles sunt, & breues, nec habent colligantiam cum articulis, vt tam insignes motus in aliis partibus effi-
C ciant per consensum: quod Mercatus non ignorans, eidem facultati artus liberè mouenti, motus conuulsiuos, & rigores attribuit, non enim inuenit principium aliud motiuum nisi musculos liberè mouens, à quo tam insignes, & inæquales, celeriterque repetiti motus fieri possunt, vt in rigoribus sæpe dantur.

Nos in adducto dubio censemus, quod motiones illæ tam variæ, & inæquales,quas propriè tumultuosas dices, partim fiant à partibus omnibus sentientibus molestatis, se naturaliter contrahentibus ad nociui expulsionem, & fugam simul, partim ab ipso humore, aut corpore alio contrarius naturæ, qui dum valenter impellitur, distendit & mouet partes, quas violentia impulsus pertingit: cum enim extra vias reiectus liberum exitum non habeat, sed variè irritans, variè etiam ab vna par-
D te pellatur ad aliam, necessariò sequitur,quod humor expulsus, partes per quas transit, impellat, distendat, & agitet, & cùm disseminatio illius tam varia sit, & per plures partes tum humoris, tum corporis distributio celebretur, & inordinatissimè,sic varij, inæquales, & violenti motus præter voluntatem ægros molestent, & concutiant, absque vllo ordine; ab iis ergo principiis motionum tam inopinata tempestas rigentes lancinat,& concutit, quas inexcusabiles patitur, quia vt experimento constat, nulla vi possunt impediri. Et hac ratione Galenum intelligo docentem, quod rigor fit maior, si humor velocius per partes feratur, non quidem quia molestior solùm sit quando impetuosius expellitur, sed etiam quia commotio partium ab ipso efficienda maior
E etiam,& velocior est, quod accuratè notabitis ad soluenda dubia in quæstione præcedente allata. Sic etiam sine controuersia intelligitur, quod à fortiori virtute vigor maior excitetur, quia humor vehementius impulsus, velocius etiam, & fortius partes concutit, & distendit: & si aliquis proteruè defenderet, quod motio sola humoris impellentis partes est sufficiens ad causandum rigorem, etiamsi partes ab intrinseco prius non agitarentur, nescio si posset aliqua efficaci ratione conuinci. Partes itaque omnes per quas humor transmittetetur disseminatus, si impetu valido impellant, etiamsi non moueantur, sequetur magna, & inordinata partium agitatio, & concussio ab ipso humore expulso causata, quia exitum liberum non habens, (vt nuper dicebam) violen

& reciproca partium valida expulsione agitatus, partes necessariò inordinatis, & variis motibus dilacerare debet, & in perpetua, inexcusabilique inquietudine tenere, donec dissoluatur; quod certius eueniet, quando iam exiccati incipit ab ipsa agitatione inflammatus, & rarior redditus; tunc enim flatus naturam æmulatus vehementius impellitur: & quia plus rarescit, plus etiam partes distendit, & commouet, & flatus sibi proximos vehementius impellit ad alias partes, per rarefactionem nouum locum occupans: hinc tumultuosæ partium motiones, quas qui riget in diuersis partibus perspicuè satis agnoscit, & molestiam inæqualium motionum non ignorat, percipiens sæpe, quod quando pars aliqua distendi incipit, solet subitò comprimi, quia ex aduerso portio alia accedit impulsa; sic tanta in rigoribus lassitudo, & molestia, vt partes per quas humor disseminatus impellitur, inquietudine, dilaceratione, concussioneque violenta, vt terræ motus violentos à flatibus impellentibus æmulentur, sicque noua opinio, satisque probabilis suscitari potest, præsertim si Hippocratem consulas *libello de flatibus*, in quo rigores, & horrores absque vlla membrorum concussione præcedente à flatibus depingit, & tradit, nec quia liber ille Hippocratis non esse dicitur, & multis quæ Valetiola non intellexit, suadere conatur, cum tenenda est eius doctrina, si vera profert, & multa satis acuta, & Medicis necessaria promulgat: mihi quidem acutior magis, quàm elegans author ille apparet, ingenij perspicaciam agnosco, quia plurimos morbos, velut per accidens genitos, acutè & probabilissimè tradit, quos nisi magni Philosophi assequi possunt; sed de hoc alibi dicemus.

Hanc nouam opinionem concussio ingens membrorum à magno timore succedens suadet, quæ meo iudicio aliter non fit, quàm quia flatus & aër succedunt in locis, à quibus spiritus & sanguis intro recurrentes decesserunt. Flatus igitur succedentes partes infrigidant, & molestant, & quia impetu recurrunt ad replendum locum, partes etiam commouent, & molestatæ causam commouentem repellunt, sicque rigor ille causatur per magnos timores, donec flatus discutitur calefactus à motu. Si verò relatum modum defendere timeas, dices quod rigor partim fit à contractione membrorum, partim ab impulsu humoris expulsi: contractio verò illa in omnibus partibus flexibilibus datur, etiamsi careant fibris, nam vt in cerebro absque fibris datur, sic potest in aliis partibus, verùm hoc non semper quod irritantur contingit, sed quando certo modo irritantur, vt contingit in cerebro quando molestatur, non enim semper quod dolet, aut implacidè sentit, concutitur, vt in epilepsia; sed quando certo modo, qui indicibilis est, vt nec cor palpitat, nec tremit semper quod opprimitur, sed quando modo requisito pro talibus motionibus: sic ventriculus modò nauseat, modò euomit, modò singultit, quia etsi semper quod tales motus elicit irritetur, non tamen eodem modo: sic partes corporis interdum sine concussione obiecta molestantia repellunt, interdum cum illa, & satis sensibili, vt in tremulis motibus inuoluntariis sæpe experimur, & in rigoribus febrium, & inde idem musculus necessariò, & liberè potest moueri, non quidem ab eodem principio, sed diuersissimo: nam & à facultate naturali, & à libera, sed diuerso modo; nam à libera semper contrahitur versus suum principium, a naturali expultrice potest eodem modo, & potest diuerso, quia non determinatur certo instrumento (fibris nempe diuersis) sed tota musculi caro expultrice informatur, & potest latitudinem comprimere, & non longitudinem, aut è contra, quia non habet fibras naturales determinantes expultricem ad motiones certas, & quia per quamcumque partem expulsio fit, sic per quamlibet contractio incipit, quia quælibet contracta expellit à se per expressionem, quod irritat; quod Magister meus assequutus non fuit, docuit tamen doctissimus Andreas Laurentius *lib. 9. suæ anatomiæ, quæst. 14* dicendo: Partes enim omnes vt sunt à natura naturaliter constitutæ, suos quæque habent motus, idest concussiones, quando concutiuntur ad exclusionem rei noxiæ: talis est concussio cerebri in sternutamento, ventriculi in singultu, vesicæ in exclusione calculi, totius habitus, & panniculi neruosi in rigore, thoracis in tussi. Video omnes citra controuersiam tenere, quod nerui quando irritantur, mouentur conuulsione vnde cum musculi tot neruorum fibris ornentur, mirum non erit, quod in rigoribus naturaliter concutiantur, sicque membra exagitent, velut si voluntariè mouerentur. Sic videntur sentire Galenus 4. *aphor. comm.* 16. Verba sunt: *Quæ enim hanc febrem efficiunt causæ in venenoso genere existentes, quando ad neruos transferuntur, primum tremores faciunt, compatiente verò principio, etiam deliria; &c.* Nomine tremoris motum conuulsiuum intelligere omnes docent, & fit euidens ex modo motionum, & statuto naturæ, modus enim non est sursum, & deorsum, vt in vero tremore, sed contractio subita & distensio; est verò statutum, aut proprietas naturæ, iis motionibus, quæ contristant excludere; & sic fieri in tremoribus febrium ardentium, reiicit enim per neruos ad cerebrum earum causam, & inde in delirium terminantur, vt *in aphor.* Galenus præsagit, quem nos *tractatu de ardente febre* latiùs, & accuratè exposuimus.

Argumenta Mercati facillimè diluuntur. Primum supponit probandum, nempe quod facultas imperio subiecta, possit contra voluntatem operari, & sic facilè reiicitur vt inane: Secundum soluitur facilè, quoniam agnoscere obiecta per sensus externos, & operari per species reseruatas sensus internos, non est voluntarium absolutè, sed necessarium, quoniam semel applicato visibili, non potest non videri, nec existente potentia interna informata speciebus, potest non percipere aliquid; sunt enim interni sensus agentia naturalia positis omnibus requisitis; & quia in delirantibus omnia requisita inueniuntur, operantur necessariò, verùm quantum ad applicationem, aut distractionem alicuius obiecti, voluntarium est nobis quando bene valemus, non tamen quando morbis afficimur mentem capientibus, quia ignoramus quid secundum rationem impedire, aut imperare debeamus. Cum quo stat, vt loquela, & motus varij mediis musculis facti sine imperio non fiant, sicut & respiratio; nam delirium non tollit omninò imperium, vt nec cognitionem alicuius conuenientis, aut dissoni, quod prosequi, aut fugere debeant, imo semper qui delirant sunt in assidua contemplatione obiectorum, à quibus appetitus necessariò hoc, aut illo modo mouetur, & mouet: motus verò epilepticorum si fiant ad motum cerebri, naturales omninò sunt, si verò irrigatis musculis, possunt esse imperati, aut non; nam delirantes rectè possunt interdum molestiam sentire, & concutere membra, & ad fugam molestiæ, & molestantis exclusionem; expultrix etiam naturalis ob eandem molestiam suos motus eliciet citra voluntatis imperium.

QVÆSTIO V.

Vtrum rigor maior fiat à facultate debili, quàm à robusta?

CVm diximus rigorem esse motum inuoluntarium, excludenda venit à quæstione proposita facultas motiua libera: hæc enim rigorem non facit, sed expulsiua naturalis, siue pellat contractiuè, siue sine illa.

illa. De hac igitur est conclusio, quod quò fortior fuerit, causetur rigor maior. Constat planè, quia si contractione pellat, non potest non contrahere vehementiùs, quò robustior extiterit, & per consequens maior erit concussio: si verò pellat sine contractione, ita vt concussio, aut impulsio partium ab ipso humore expulso efficienda sit, certum est quod partes quas pertingit, fortius etiam impellat, distendat, & concutiat, quia quod vi maiori impellitur, omne quod in transitu sibi obuiam occurrit, vehementius necessariò impellet, & distendet. Sic Galenus vbique docet, quod quò maior fuerit impulsus, sequetur vehementior rigor, quia causa celerius per partes sentientes fertur; & Auicenna *in littera cap.* id expresse docet, dicendo: *Et de causis vehementia rigoris, est vehementia virtutis expulsiuæ in lacertis.* Quo fundamento Galenus B 10. *method. cap* horrorem à rigore discernens dixit: *Horror fiet, vbi & qualitas eorum, & impetus velocitas est remissa, tum copia minor, ac potissimum cum vires tristanti obsistunt, &c.* Clariùs tradidit 2. *de causis symptom. cap. 6.* dicendo: *Paucus, tenuis, & mordax, cum exiguo motu in horroribus: quod si vel vehementius mouetur, vel copiosior, mordaciórve est, concutientem rigorem infert, non horrorem maximum quidem, qui plurimus est, & mordacissimus, & vehementissime motus.*

Sed inquiritis meritò, si hoc sit intelligendum in omni euentu, ita quod ab eadem causa, quæcumque illa sit, rigor maior à facultate forti semper causetur. Respondeo, quod maior extensiuè non causetur semper à debili, nec intensiuè minor: ratio est, quia conatus expellentis non semper ponitur totus, sed ad C proportionem irritationis: vnde etsi fortis facultas possit apponere impetum vt quatuor, & irritatio requirat solum vt duo, fiet expulsio eadem celeritate, & in eadem duratione, quibus fieret à facultate debiliori, potente tamen impetum vt duo efficere: quod mihi euidens est, & constat clarè, quia homines robustissimi horrent solum, quando debiliores rigent, eò quòd hi irritantur plus, fortes verò debilius, & idem homo, modò riget, & postea horret, ob eandem rationem; nam si totus conatus à quocumque irritante poneretur, nunquam æger validus horreret, quia vim habet vt rigeat; ergo si horret solum, ideo est quod irritatio, & molestia leuis non determinat potentiam, nisi ad leuiores motiunculas.

D Nec obstat si dicas, quod si motio rigoris est actio deprauata, vt Galenus docet, & fatentur omnes, non potest esse talis quia erronea, versatur enim circa obiectum quod tenetur expellere, & illud reuera expellit: ergo erit deprauata, quia aucta; sed hoc augmentum metiendum est cum augmento moderato statui naturali debito: ergo omnis rigor erit motus maior quàm per naturam; sed facultas debilis semper est debilior quàm per naturam: ergo motus tam magnos, vt dantur per salutem, elicere repugnat. Ex quo deducitur, quod facultas debilis, aut non potest rigere, aut quod semper minus quàm fortis rigeat. Respondetur quod motus maioritas non est metienda cum qualibet motione naturali, sed cum ea quæ naturalissima est, & simul ne- E cessaria pro vitæ tutela; vnde contractio partium aut impulsio deseruiens excretioni naturali excrementorum est, quæ vt regula debet constitui in ordine ad quam motio dicatur maior, cùm nunquam corpus concutiatur sensibiliter ad expellenda naturalia excrementa: inde quilibet rigor, imò & horror naturalem modum motionis excedit, & quia maior, & quia celerior motus est. Et etiam modus motionis quatenus concussiuus est deprauatus omninò, quia naturaliter nunquam membra concutiuntur ad expulsionem alimenti, aut excrementorum naturalium: dicit verò Galenus, quod rigor est motus concussiuus, & passim id docet dicendo statim in principio: *Et rigor, qui scilicet totius corpo-* A *ris est concussio, vibratióque*: quomodo verò à simplici contractione vibratio, aut concussio differat, *cap. de singultu* latissimè docui.

Præter maioritatem dictam à forti facultate oriondam in rigoribus, datur occasio etiam ex parte celeritatis motionis humoris, vt rigor sit maior; putat enim Galenus quod quò celerius causa rigoris reiicitur, vehementior rigor exciterur: quam doctrinam Magister meus limitat; nam si tam celeriter humor pellatur, vt tempore idoneo ad irritandum non detineatur, certum est quod non sequetur rigor maior, sed aut exiguus, aut nullus. Vnde quando Galenus rigorem maiorem à facultate validiori admittit, quia mouet celerius, intelligendus est, dummodo celeritas sensationem non tollat, quia obiectum sentiendum applicatum satis non manet; B tacuit verò Magister cur à maiori celeritate sequatur rigor maior, & molestior, quando (vt antea docui) non potest celeritas delationis conferre, vt maior irritatio fiat, cum agens circa passum detineatur minus.

Meo iudicio sunt multa conducentia, vt celerior motus causæ morbificæ per partes medij resistentis delationi causæ, excruciet magis; & in primis non acquiesco doctrinæ Magistri putantis, quod per medium resistens ob defectum rectitudinis viarum possit dari motus tam celer: quod præcipuè verum censeo in rigoribus; mouetur enim humor corpulentus satis; at cum extra vasa motum eliciat, mouetur per carnes, quæ vehementer satis resistunt ruptioni, & delationi rei extraneæ, quia in carnibus non datur via libera, & C continua, per quam delatio humoris celebrari debeat; impellens etiam facultas limitatæ virtutis est, vt inde pensatis omnibus putem, quod vt docuit Galenus, rigor maior fiat, quo causa velocius impellitur. Ratio est, quia vt dolor subitam alterationem requirit, sic quò subita magis est, excruciat plus, quia plus rumpit, & hoc propriè contingit ob plagas ab impulsu inductas causæ inopinatè, & subitò irruentis; has enim plagas, seu carnium dilacerationes, quas calido innato impetuosè agitato Galenus *lib. de rigore* attribuit, accommodo ego maiori probabilitate humori mordaci, aut aliter irritanti, subitò irruenti, & diuellenti carnes, reliquasque particulas per quas violenter, & impetuosè transmittitur.

D Maior difficultas est respectu qualitatis mordacis, aut cuiusque alterius, qua ratione ob motum velociorem subiecti cui inest molestet magis: & respondeo, quod tenuitas per maiorem impulsum in partibus inducta reddit illas aptissimas, vt facillimè alterentur, & ex alia parte per vehementiorem impulsum intromittitur plus in ipsas partes humor expulsus, sicque plus partis ferit, & ipsum obiectum extensione maiori, seu pluribus partibus partem alterat, quia plus intromissum plus etiam extensiuè applicatur, & fortius alterat. Rursus experimentum docet, quod obiectum contundens, aut rompens partes aliquas, non solùm dolorem causet, quando actu contundit, sed etiam post illius separationem: & hoc idem contingit in rigoribus, inde E quando humor velociùs mouetur, plures partes simul dolere facit; nam & eas quas deserit, & eas quibus certissimè applicatur, sicque summè affligit, & tristatur rigens: dixit enim Galenus *lib. de rigore, cap. 6.* quod rigor sit dolorosus affectus corpore ex plagis dolente: si verò concussio partium non fiat à partibus ipsis intrinsecè motis, sed ab ipso humore expulso, vt antea notaui in opinione probabili, clarum satis est, qua ratione per motum velociorem rigor maior causetur.

Dices; causa secundum naturam non potest esse occasio maior symptomatum, quia quod naturale est, semper effectum naturalem producit: at fortitudo facultatis est naturalissima: ergo nequit esse author maioris

sympto

ſymptomatis, ſeu rigoris. Præterea, quando eſt debilis facultas, eſt ratione morbi; ergo quò debilior eſt, erit morbus maior: ſed quò eſt morbus maior, eſt etiam maius ſymptoma: ergo quò eſt debilior facultas, erit maior rigor, ſeu ſymptoma. Reſpondeo, quod ſi verè dantur actiones læſæ, neceſſariò fient à principio naturali, prauè tamen diſpoſito, & per conſequens robur facultatis ſi malè diſponatur, poterit eſſe occaſio maioris rigoris. Sed contra eſt, quia in rigoribus non præſupponitur morboſa prauè diſponens ad robur, hoc cum ea natiua temperie partibus inſit, non ex morboſa. Reſpondetur ita eſſe, verùm quia expultrix ob irritationem determinatur ad opus, quando irritatio eſt morboſa, aut pendet à morbo, eſt occaſio determinans ad actionem contra naturam ratione morbi, ſolutionis ſcilicet continui inferentis dolorem; falſum tamen eſt, quod ſymptomata quæ fiunt à natura, & morbo ſimul, maiora ſint ſemper quod morbus eſt maior, quia morbi augmentum extinguit ſæpe robur facultatum, quo ex noctio omnea operationea languidæ fiunt, aut auferuntur: perſiſtente ergo robore rigor fit maior, quia non ſemper morbus expultricem labefactat, datur tamen conditio in illo præter naturam ad operandum deprauatè, dolor ſcilicet iam dictus.

Dvbivm.

Incidens de facultate ſentiente.

EAdem difficultas occurrit ſi rigor maior fiat à facultate forti ſentiente quàm à debili. Vt verò clarius procedamus diſcutiendum primò eſt, ſi in facultate ſentiente ſit diuerſum quod ſit robuſta, ab eo quod acutè, & promptè ſentiat: & quod diſtinctum omninò ſit, tenet noſter Valleſius; opinatur enim quod ſentiens debilis irritatur plus, & moleſtatur, ſi verò robuſta ſit, omnia obiecta percipit remiſſius, & inde infert, quod rigor minor ſub facultate robuſta, maior verò ſub imbecilli ſentiente moleſtet. Probatur placitum ex doctrina Galeni 1. *method. cap.* 1. dicentis. Iam verò vires vbi valentes ſunt, omnia contemnunt, ac tolerant, vbi infirmæ ſunt redditæ, vel à quouis offenduntur: ergo debilis, & infirma ſentiens, ſi à quovis offenditur, non poteſt non inferri maior moleſtia ab eodem obiecto, ſed quò eſt moleſtia maior, inſurgit vehementius expultrix, quia à moleſtia determinatur ad operandum, & ſic à maiori ad operandum vehementius; fiet igitur rigor maior ſub debiliori facultate ſentiente, & minor ſub robuſta: quod etiam inſinuauit 6. *de locis affect. cap.* 1. dicendo: *Sed ab horum vtrolibet magis imbecilli, quàm robuſti dolere conſueuerunt*: dixerat verò antea immediatè, quod ad vrinæ excretionem excitatur animal, quando vel à multitudine vrinæ veſica grauatur, vel à mordacitate conuellitur: & 2. *de cauſis ſymptom cap.* 5. ſic loquitur: *Nam quod acuti ſenſus eſt, & imbecillum, etiam ex leuiſſima cauſa dolet; contrà, quod valentiſſimum, nec facilis ſenſus eſt, magnam cauſam ad talis ſymptomatis generationem requirit.*

Verùm Valleſius diuerſo modo ſe eaplicat; nam *lib. 5. contron. cap.* 17. docet, quod plus, aut minus irritari non fit ea robore maiori, aut minori, ſed ex acumine ſenſus maiori, aut minori: cenſet itaque quod robur facultatis ſentientis ſit diſtinctum omninò à ſenſus acutie: ſicut & debilitas eſt etiam diſtincta à ſenſus torpore, aut hebetudine, ac per conſequens poteſt eſſe debilis, & eſſe ſenſus acutiſſimi. Alio verò loco 6. nempe *de locis affect. cap.* 1. ſic ſcribit: *Debiles facultate animali dolent magis, non quod magis ſentiant, ſed quod magis lædantur, ac proindè magis eorum ſenſus contriſtetur, non enim dolor ita conſiſtit in ſenſu ſimpliciter, ſed in ſenſu triſtitiæ, &c.* Quam doctrinam ſequutus ſocius noſter Doctor Matamoros *fol.* 475. eámque plus eapli-

A cans dicit; quod robur & acuties in facultate ſentiente ſunt diuerſa; nam robur attenditur penes faciem tolerantiam circa moleſtiam, acuties verò deducitur ex intenſiori actione à qua obiectum ſentitur perfectiùs, & intimè penetratur; ſic diſcrimen conſtituit inter debilitatem, & hebetudinem; nam debilitas vt opponitur roboti, dicit formaliter non tolerari, & moleſtè nimia dolorem perferre: hebetudo verò dicit quod obiectum doloroſum ſentiatur remiſsè, non quidem quia obiectum doloroſum ſatis non ſit, ſed quia potentia ipſa ob hebetudinem, ſeu torporem non ſentit obiectum intensè, etſi ipſum acerrimum, intenſúmque ſatis ſit. Ex quibus deducit, quod maior, aut minor irritatio non prouenit ex robore, aut debilitate potentiæ ſentientis,
B ſed ex acutie, aut hebetudine, & inde à facultate forti cæteris partibus minor fit rigor, quia cum minori moleſtia fertur obiectum: debilis verò facultas cum maiori, à qua maiori moleſtia percepta expultrix validius inſurgit, & vehementior rigor excitatur; ſi verò ſermo ſit de acutie, & hebetudine, & hebetem debilem appelles, acutiem verò fortitudinem, certum eſt quod talis debilitas ad rigorem maiorem non conferat, bene tamen acuties, ſeu fortitudo, quia quò tactus eſt acutior, moleſtatur plus ab obiecto dolorifico, & ſic expellens validiſſimè reiicit.

Hæc opinio Valleſij meritò vt falſa impugnatur, dicendúmque eſt, quod in facultate ſrntiente idem ſit fortitudo, & acuties ſenſus, & idem etiam debilitas, & hebetudo, ac per conſequens conſequenter tenendum
C eſt, quod à fortiori ſentiente rigor maior fiat, remiſſior verò à debili. Et ratio adducta iam eſt, quia nimirum robuſta facultas ſentit perfectiùs, debilis verò ſentit obtusè, vnde ſicut deficiente omninò ſenſu rigor non fit, ſic vt ſenſus minuitur, minuitur etiam & rigor. Et in primis conſtat ſibi Valleſius; nam vbique docet præſertim *ſecundo method. capite quarto*, non longè à principio, quod robur, aut debilitas facultatis animalis ex fortitudine, aut debilitate actionum ſint agnoſcenda, non ex tolerantia, aut eius defectu: eandémque methodum in aliis duabus facultatibus ſeruat, vitalem enim robuſtam, firmámque agnoſcit, ſi pulſus conſtat, fortiſque eſt: languidam verò, & collapſam, ſi paruus, & debilis percipiatur. Et ratio à priori eſt, quia facultas ad operandum ſolùm ordinatur, nec
D aliud munus exercet ſentiens, niſi ſentire, motiua mouere, coctria concoquere, expultrix expellere, & ſic de reliquis. Vnde fit, quod ſi robur facultatibus dicandum, tribuendúmque ſit, aliud eſſe non poſſit, quàm actionis intenſio, vt debilitas aliud eſſe non poteſt, quàm actionum remiſſio, quia in nulla facultate aliud inuenimus quam remiſsè, aut mediocriter, aut intensè operari circa ſuum obiectum; eodémque modo philoſophandum eſt circa temperiem ad opera requiſitam, ſi diſtincta à facultatibus ſit: non enim robuſta temperies ad videndum eſt, niſi quæ ad videndum obiectum exquiſitè, & à longa diſtantia conducit, neque ad concoquendum, niſi ob quam coctio perfectior celebratur à natura; vnde ſentire fortiter, idem eſt quod
E ſentire multum, aut acutè ſentire: ſicut impellere fortiter, nihil aliud eſt, quàm intensè impellere.

Scenndò, quod ſi robur facultatis eſſet quid diſtinctum ab acutie, conſtituenda eſſet in facultate aliqua realitas in ordine ad quam fortis diceretur, & diſtincta omninò à realitate acutiei, aut intenſiuns actionis: nulla verò eſt aſſignabilis: ergo non diſtinguuntur. Dices iam eſſe aſſignatam, quia robuſta dicitur in ordine ad ſenſationem, ita vt quiquid eſt in obiecto perfectiſſimè ſentiat. Sed contra hoc argumentor efficaciter; tunc dicunt Medici omnes tolerare facultates aliquod opus, quando ratione illius non debilitantur, ſed robuſtæ manent; & tunc dicunt non habere tolerantiam operis, quando cadit virtus actiua, & debilitatur, eiicitque

actionea

actiones remissas & debiles: ergo tolerantia est idem quod fortitudo actionis, & non tolerantia idem quod debilitas, seu hebetudo, & inde absurdum est dicere, quod possit esse actio sensus intensa, & debilis simul, vt erit etiam falsum, quod sit facultas fortis, & non sentiat obiectum perfectissimè: sicut in vitali facultate absurdum esset dicere, quod sit robusta, & languidè moueat, aut è contra, aut quod toleret aliquod opus naturæ, & quod sit debilis, aut quod operetur validè, & toleret, & ita omnes Medici, vt perpetuum præceptum, & infallibile tradunt, quod tolerantia datur in vitali facultate, quando robustè operatur, & tunc non tolerat, quando operatur languidè, & quando debilis est omnem euacuationem cohibemus, quia non tolerat illam, & ita si tolerantia esset quid diuersum à perfectione actionis, daretur illa quando actio debilissima esset, quod est planè falsum: & inde tenendum est, quod à robusta sentiente rigor maior quàm à debili excitetur, quia robusta sentiens quamcumque qualitatem sentit perfectissimè, & ita & acrimoniam, aut aliam quamcumque rem molestantem sentiet melius quàm debilis, & expultrix per consequens vehementius obiectum molestans, repellens, & impetuosius concutiet corporis partes.

Quod vt intelligatis notate, quod tolerantia alicuius facultatis pendet ex eo, quod non debilitetur in opere ratione alicuius consequuti, aut ab ipsa actione, aut ab alia à qua debilitari possit: facultas enim si datur ab anima distincta, inuariata semper manet, quia magis, & minus non suscipit; exempli causa, potest aliquis sentire obiectum aliquod molestissimè, & non tristari vehementer, sed viriliter molestum obiectum ferre; hic tardissimè debilitabitur, quia spiritus, & sanguis cetrahuntur minus ad intra, & cor non suffocatur, nec vitales spiritus, quia minus tristatur. Alius verò dolorem viriliter non sustinens, sed de se periculosius ob doloris atrocitatem cogitans, tristabitur vehementer, & breui, & violenta spiritus & sanguinis retractione opprimens, calorem vitalem suffocatione perdet: & omnes facultates in opere cadent. Idem contingit si ob ipsum dolorem immoderatius tristetur, quia animosè molestiam non tolerat. Similis debilitatis occasio datur in euacuationibus; si enim cor sit robustum, & assiduè spiritus generet, manebunt robustæ etiam facultates omnes, & tolerare dicemus illam euacuationem, quia actiones validæ sunt, nullámque remissionem ex tali euacuatione contraxere; si verò cor debile sit, aut euacuatione illa multa spirituum copia perdatur, aut simul euacuetur idonea spirituum materia, non tolerabitur euacuatio, sed collapsæ omnes potentiæ percipientur, & debiles, quia indigent certa quantitate spirituum, vt robur tueantur; non datur verò in multa inanitione eorum; aut si cor alioqui debile sit, aut materia idonea euacuetur, quia cor debile, vel leuissimis euacuationibus effeminatur, præcipuè si materiam spirituum exhauriant. Sic Galenus 12. *method. cap. 5. in principio* scripsit: *Sed cum essentia virium, quibus regitur, tum in spiritu, tum in solidorum corporum temperamento consistat, hac nobis, & vbi integra sunt seruari, & vbi corrupta sunt ad integrum reuocari omnino debent.* Per essentiam verò intelligit robur, & permanentiam actionum, & earum perfectionem: constat verò clarissimè, quod si deficiant spiritus, aut idoneum temperamentum, non solùm non fiant in intensione, & perfectione debita, quod est esse debiles; sed etiam non tolerent, aut dolorum molestiam, aut euacuationem maiorem, sed quolibet aucto sensim deficiant, in quo defectu non est separabile quod non tolerent à debili opere: Similiter quando aliquis post animi deliquium cedit in se, & vires instaurat, non est diuersum fortiores apparere actiones, & tolerare, sed vt fiunt perfectius, sic dispositæ sunt vt euacuationes, aut nouam molestiam tolerare possint; & sicut in

A motu arteriarum, aut locali, aut coctricis actionibus, non distinguimus robur à tolerantia, sic nec in sentiente distinguenda sunt.

Hoc supposito adducta in contrarium facilè diluuntur. Adducta fuere prius tria Galeni testimonia, & quod clarius nostræ opinioni aduersatur est, quod traditur ex 2. *de caus. sympto. cap. 5.* in quo affirmat, quod illud quod est acuti sensus, & imbecillum, etiam ex leuissima causa dolet, quod verò valentissimum, nec facilis sensus est, magnam causam ad talis symptomatis generationem requirit; vbi clarè Galenus acutum sensum cum imbecillitate simul admittit, ac per consequens acuties à robore diuersa omninò est. sic robur B cum sensus hebetudine admittens, distinguit planè vnum ab alto, & potest per consequens esse vis sensitiua robusta simul, & hebes. Respondeo, quod hoc Galeni testimonium, sicut & alia duo priora ad diuersas res sunt referenda; ad organi nempe dispositionem, & ad ipsam vim sensitiuam. Dolor itaque de quo ibi agebat duo requirit, & immutationem realem, & intentionalem, quia ad dolendum talis corruptio naturæ requiritur, & vt sentiatur obiectum doloris intentionalis. Si ergo dispositio realis ad dolendum est corruptio naturæ, constat quod debile organum dolebit vehementius, quia plus corrumpetur ob resistentiam minorem. Si verò vis sentiens attendatur, si fuerit acuta, clarum est quod exquisitius dolorem percipiet, & inde dolebit atrocius, seu magis, ac per consequens C quod est imbecillius, & acuti sensus, à leuiori causa plus dolet, quia organum facilè ob debilitatem corrumpitur; & quod est acuti sensus, quicquid est in obiecto perceptibile intimius concipit, & contraria ratione quod ad dolendum requiritur. Similiter quod est difficilia sensus, intensum & validum obiectum requirit, vt immutari ad dolendum possit, exemplo dormientium stupidè, qui ab internis solùm obiectis expergefieri possunt, quia sola intensa sentiunt, vt magnos fragores, aut voces, aut molestiores concussus.

Vnde doctrina Vallesij ex 6. *de locis affectis, cap.* 4. adducta, improbabilis mihi videtur; dicebat quod debiles facultate animali dolent magis, non quod magis sentiant, sed quia magis læduntur, se proindemagis D eorum sensus contristetur, quoniam dolor ita consistit in sensu simpliciter, sicut in sensu tristitiæ. Rectè quidem putat, quod debiles facultate animali non doleant magis, quia plus sentiant; probauimus enim quod debilis sentiens nequeat obiectum intimè penetrare, & in hoc nobiscum sentit, & simul videtur tenere quod debilitas facultatis, & hebetudo sint idem; quia si debilis non dolet plus quia plus sentiat, constat quod cum debilitate non potest dari acuties, alioqui non implicaret debilem esse, & magis sentire, seu acutè obiecta percipere. Et si debilitatem ab acutie distinguit, non potest debilitas ad potentiam referri, & sic malè dicit, quod debiles non dolent magis quia plus sentiant, si cum debilitate acuties sensus dari potest. Distinguere verò vt Vallesius facit sensationem obiecti molestantis à tristitia sensus, vt dolor non ita consistat in sensu simpliciter, sed in sensus tristitia, confusissima doctrina videtur, & ad respondendum parars. Nam opinantes E quod dolor in sola perceptione obiecti molestantis constat, vt est probabilissimum, falsam censebunt prædictam distinctionem, idem enim erit sentire, & dolere: si verò in fuga appetitus formalitas doloris ponatur, vt voluit Philosophus, & putat Vallesius quod hæc displicentia aut fuga possit esse magna, vbi sensatio molesta leuissima est, magnum sequeretur inconueniens, nempe quod dolor formaliter non proportionetur cum suo fundamento, sensatione scilicet obiecti molesti: sequetur enim quod dolor formaliter sit quid liberum in homine, quia liberum est tristari, aut non, aut multum vel paucum, quomodolibet obiectum sentiatur, quod

vide

videtur omninò irrationabile; si verò tristitia debet esse proportionata sensationi, implicat quod sit maior sensus tristitiæ, quàm sensus molestus obiecti; dicendum ergo est, quod robur sentientis sit idem cum acutie, & debilitas cum hebetudine.

Est tamen non leuis difficultas, cur facultas debilis supposito quod sentit vnum, aut alium gradum obiecti molestantis, non possit omnes percipere, supposito quod omnes potentiam immutant: videtur enim quod non sit maior ratio vt vnus quàm alius sentiatur, cùm omnes speciem impressam sui repræsentatiuam produxerint. Respondeo, quod actio sensitiua suscipit magis, & minus, & quæ debilis est habet solùm virtutem vt duo, qua posita, nequit amplius sentire, sicut calor vt duo si iam totum quod potuit produxit, cessat omninò ab opere, sic sentiens debilis in cognitione primorum graduum quos percipere potest, totum concursum quem habet, applicat, & alios non percipit: constat verò quod semper debet percipere prius remissos, quia vt ordine naturæ sunt priores, sic tales erunt in sui cognitione, & inde nascetur quòd sensus obtusus nunquam nisi remissè cognoscat, quia semper gradus inferiores prius percipere debet, in quorum cognitione totus potentiæ concursus absoluitur.

Sed dices: ergo si solum applicaretur obiectum vt duo, sentiretur tam bene sicut si obiectum vt sex irritaret; hoc verò est contra experimentum; nam potentiæ iam extinctæ nisi intensissimum obiectum applicetur, nihil percipit, est verò impertinens applicatio intensioris, si maior illa intensio nullo modo percipitur. Respondeo, imò esse necessarissimam, quia gradus superiores concurrunt ad productionem inferiorum, quorum concursu perfectior species priorum producitur, potentiam magis ad opus excitans: quod verum est siue gradus sint perfectionis diuersæ, siue æqualis; est iam receptissima philosophia, totam qualitatem actione indiuisa ad productionem cuiuslibet partis concurrere. Accedit quod si agens nequit totum quod in se habet producere, necesse sit ad productionem qualitatis vt duo, intensiores gradus vocare; scrupulus restat, qua nimirum ratione gradus superior speciem repræsentantem gradum inferiorem producere possit, cùm sit agens naturale, & quando operatur intentionaliter, imaginem sui producere debeat, non alienam. Respondeo idem in hoc casu contingere, quod in ipsa productione reali caloris; nam etiamsi gradus superior perfectior inferioribus sit, concurrit nihilominus ad productionem priorum, quia & illos, & suum in virtute continet; eodémque modo de speciei productione philosophandum est in opinione dicentium, quod gradus sint inæquales; in alia verò opinione scrupulus adductus locum non habet, cùm species tota sit eiusdem rationis. Si verò vrgeas quod in opinione dicentium gradus esse inæquales, non datur intensio vera in specie sensibili, quia quælibet pars speciei repræsentat partem diuersam obiecti, & sic in ordine ad repræsentationem non datur intensio, quia hæc circa idem debet versari; respondeo, quod sicut gradus ipsi, etiamsi sint inæquales, intensionem veram constituunt, quando eandem partem subiecti informant; ita species eundem modum intensionis participat, etiamsi diuersos gradus repræsentet; non enim maior distinctio speciei, quàm in gradibus obiecti admittenda est: solùm est hoc discrimen, quod partes speciei non ita subordinantur, vt vna sine alia esse non possit, tam si gradus inferiores, quàm superiores attendamus; potest enim esse gradus superior speciei sine inferiori, quod in gradibus obiecti non admittunt Philosophi. Ratio diuersitatis est, quia si ita non contingeret, redderentur omnes qualitates primæ insensibiles, quod esset maximum inconueniens, & contra experimentum. Patet, quia si tactus nequit sentire nisi excedentes qualitates, istæ solum producent speciem sui in tactu, non verò inferiores gradus; si verò species superiorum requireret vniri cum specie inferiorum, non esset producibilis vt inferiorum non est; at in gradibus qualitatis, licet superior siue inferiori esse non possit, benè è contra, quia inferior à superiori non pendet naturali subordinatione, quia remissum non includit intrinsecè intensum, hoc verò necessariò includit remissum; gradus verò repræsẽtationis vtroque modo separabiles sunt, quia intrinsecam connexionem non habent, ne primæ qualitates imperceptibiles redderentur omninò

QVÆSTIO VI.

Vtrum à causa calida fiat maior rigor quàm à frigida.

DVo vt certa supponenda sunt. Primum quod causa calida, & frigida authores rigoris esse possint, in quo concordes omnes Medicos, & Philosophos video. Secundum est; quod quæstio mouetur supposita æqualitate in omnibus, præterquam in eo in quo fit comparatio: itaque causa calida, & frigida debent esse eiusdem quantitatis, & modi substantiæ, & per idem corpus dimotæ, & si placet debent supponi eiusdem actiuitatis; ita vt si putamus calorem esse actiuiorem, addatur frigidæ causæ copia maior, vt quantitate maiori tam actiua vt calida reddatur. Rursus sermo tantùm est intelligendus facta comparatione cum calore & frigore, ita vt nulla alia causa, aut qualitas à frigore, & calore in humoribus supponatur, quæ ad rigorem concitare possit: nam si vt loquuntur omnes, causa calida præter calorem, habet etiam adiunctam mordacitatem, quam frigida non continet; nihil mirum quòd rigor maior à calida concitetur, vt tota quæstio sic discutienda veniat, aut potius inquirat solùm, num frigus molestius naturæ quàm calor sit, vt inde rigor vehementior fiat à frigore, aut è contra. Ex quibus (quæ si comparatio rigorosè fieri debeat necessariò admittenda sunt) constabit manifestè, nec Magistrum meum, nec alium authorem quæstionem idoneè exagitasse, quia dictam æqualitatem in omnibus non supposuerunt, quæ in omni comparatione prima regula, & primum principium esse debet; qua deficiente in æquiuoco laboratur, vt ante nos fecere omnes.

Et quod causa calida rigoris maioris causa semper sit, omnes ferè admittunt, quod placitum Magister meus sequitur *lib. de febrib. fol.*680. ad cuius confirmationem multa Galeni testimonia tradit, in quibus absque dubio illud fatetur. Sic 2. *de caus. symptom. cap.* 5. scripsit: *Hic rigor à frigidiis succis nunquam creatur, huiusmodi enim succi præ crassitudine sua concitato motu non mouentur; quod si aliquando attenuantur, rigorem quidem excitant, non tamen vehementem, nec enim potest recipere attenuata pituita tantam tenuitatem, quam attenuata recipit flaua bilis.* Et Auicenna *in littera cap.* dicit: *Et non est rigor fortis sicut in febribus plegmaticis, & quartana.* Rationem à priori tradit Magister, quia quò materia magis irritat, & celeriùs mouetur, maior est concussio; sed materia calida habet vtrumque; nam est tenuior, & maiorem habet acrimoniam: ergo intentum; & indè (inquit) sumitur non leue argumentum, quia procedente quartana solet maior rigor fieri, non ob aliam causam, nisi quia magis attenuatur, & mordacior etiam atque calidior fit humor.

Sententia nostra duabus conclusionibus exponitur. Sit prima, si attendamus, quod de facto & communius contingit, rigor maior à causis calidis excitatur. Constat ex doctrina Galeni nuper adducta, & suadetur experimento; nam in accessionibus tertianæ exquisitæ, rigor

molestior, & maior non dubiè est quàm in quotidianis, aut quartanis; sic febris ardens rigoribus iudicatur, vt Hippocrates tradit 4. *aphor.* quod in aliis febribus non contingit. Ratio est, quia vt Galenus dicebat, frigidi humores non ipsum attenuantur vt calidi, aut bilis, & rarum est quod pituitosi, aut crudi humores tam frigidi sint intra corpus, vt est bilis calida; quia cum viuens ita calear internè, moderatur à calore viscerum frigus crudorum, calor verò bilis potius accenditur: acrimonia etiam humoribus calidis proprior, & subtilior est, quam frigidis excludit ob frigus, & magis ob humiditatis excessum. Et in hoc sensu intelligenda sunt omnia Galeni, & aliorum authorum testimonia, & doctrina Magistri; omnes enim quod communius contingit respexere, non loquuntur tamen facta in omnibus æqualitate, vt in quæstione comparatiua debebat admitti. Nam non admissa tali æqualitate in omnibus, euidens mihi videtur quod à causa frigida rigor maior excitari possit, quia non implicat quod substantia aliqua detur frigidior multò, quàm sit alia calida; & rursus quod frigidior sit & etiam tenuior, & in corpore raro, & robusto, acutique sensus, calida verò crassior multò sit, & in corpore denso nimiæ celeritati motus obstante, debili etiam, & sensus obtusioris: in quo euidens est, quod rigor leuior succederet, quàm in alio cum positis conditionibus; est ergo admittenda in humore frigido & calido æqualitas in omnibus, aut quæstio extra omnem methodum, & confusè discutitur, vt hactenus disputata videtur, & Galeni testimonium ex 2. *de cauf. symptom* clarè docet, nunquam enim in frigidis succis tantam tenuitatem vt in calidis admisit.

Secunda conclusio est, supposita in omnibus æqualitate, rigor maior fit è comparatione à causa frigida excitatur, quàm nemo dubius sum satis, an calor solus rigoris author esse possit. Hanc conclusionem tenet Auerroes 3. *collect. cap.* 3. & probat experimento aëris extrinseci, qui si frigidus sit, rigere facit, si calidus minimè. Constat verò quod eodem modo iudicium sit ferendum in intrinsecis substantiis.

Neque obstat quod quidam respondent, esse diuersam rationem, quia causa extrinseca potest esse tenuis, & sic penetrare corpus, non verò causa frigida interna; hæc enim propter crassitiem non ita velociter fertur per maniflta sentientia. Ridicula quidem solutio ob multa. Primò, quia Auerroes ab experimento argumentatur, & argumentum sumit respectu eiusdem corporis, aëris scilicet; qui si sit frigidus rigorem inducit, si calidus minimè; ergo corpus internum æquali tenuitate, aut crassitie, rigorem si sit frigidum inducet, calidum verò minimè, aut minus quàm frigidum. Secundò, quia aër calidus tenuior est frigido: ergo ob hanc conditionem maior rigor à calido aëre excitari deberet, si calor rigoris potest esse causa; contrarium verò experimur.

Minus mihi probatur solutio aliorum dicentium, quod aër nunquam datur tam calidus, sicut est frigidus, quando rigorem causat; nam si tam calidus esset, rigor non dubiè, & maior excitaretur. Sed contra est, quia aër non minus in æstate calet, quàm hyeme infrigidetur, quod indicant multa. Primum quod æstate corpora debilitantur, & lassitudine opprimuntur, & respiratio fit maior multò quàm in hyeme; minor rursus per æstatem non generatur copia bilis, quàm pituitæ per hyemem; imo maior, quia vrina incenditur magis quàm per hyemem remittatur, sitis æstate magis fatigat, quàm hyeme moderetur, imò actiones omnes hyeme perfectissimæ fiunt à nobis; in æstate verò omnes effeminantur, vt constat: minus igitur præternaturaliter corpus alteratur quàm per æstatem, & nihilominus in hac non rigent homines, in hyeme verò maximè. Quod etiam experimenta suadent; nam tempore hyemis adhuc in aëre temperato si corpus denudetur,

A riget statim, in æstate verò etiam si feruentissimo soli corpus nudum exponatur, nec riget, nec horret; est verò aër minus frigidus in casu posito quàm calidus in media æstate. Rursus si actiuior calor est vt omnes docent, deberent homines ab eo rigere magis quàm à frigido, ob actiuitatem maiorem, & quia mobilior: deinde in cubiculo aprico & temperato, si membra denudata, aut totum corpus aëri hyemis exponantur, rigent vehementer, cùm tali symptomate, imo minori multò (vt horrore) æstiuo soli exposita non tententur, est verò grandis excessus caloris in hoc casu ad frigus cubiculi clausi, & temperati. Rursus cum aër sit calidus prope summum, efficacius non dubiè, & intensius à calore alterabitur, quàm à frigore, huic enim resistit calore pro-
B pe summum sibi natiuo, calori verò intensiori non habet per quid resistat, quia calidus tantum est in opinione Aristotelis absque aliqua frigoris permistione, quia aliquin non esset corpus simplex, eò quòd ex contrariis naturis componeretur; est ergo fundamentum Auerrois validissimum, quia experimentu euidenti innititur, & tot à me adductis rationibus.

Item Hippocrates docet, qui incommoda calidi referens 5 *aphor. text.* 16. rigorem non tradit: at *aphor.* 17. dicit: *Frigidum autem conuulsiones, tetanos, liuores, rigores febriles.* Sentit ergo planè quod à calore seorsim rigores fieri nequeant, cum frigori soluto illos attribuat, & Galenus absque lite aliqua aphorismum suscipiat vt verum. Quam doctrinam latius tradidit *lib. de humidorum vsu, text.* 3. *&* 4. quibus commoda, & incommo-
C da calidi & frigidi enarrat, & bis repetit, quod frigidum rigores febriles excitet, calido verò contrarium attribuit. Ratio assertionis nostræ ex eodem Hippocrate deducenda est; corpus enim nostrum calido innatente semper ornatur, ipsóque gaudet, vnde frigus nonnisi molestissimè ferre potest. Verba Hippocratis sunt *text.* 5. *At vlcera gaudent calida ex confesso, quia tegi assueta sunt, meritò itaque ex altera grauantur, meritò igitur & ipsa vena, quia sunt in calido, meritò etiam ipse thorax, & ventriculus ipse à frigida superatus molestè fert, & mortem minatur, quia maximè desuetus est*, &c. velut si in suæ sententiæ confirmationem traderet tacitè *aphorismum* 50. *libro secundo*, dicentem: *Quæ ex longo tempore consueta sunt, etsi deteriora sint, insuetis minus molestare solent*; oportet igitur ad insueta
D transire. Vides quàm apertè constet assueta, etsi sint deteriora, molestare minus: ergo si eueniat quod aliquid sit assuetum, & non deterius, sed optimum, vt esse corpus calido vitali semper vestitum, non poterit non esse molestissimum, quod calor destruatur, & frigus rigorem excitans succedat loco caloris; cogitur ergo asseuerans, quod à frigore rigor maior non fiat sustinere etiam quod insueta molestent minus, contra communissimum, & receptissimum medicorum axioma, & doctrinam ab Hippocrate traditam. Sic infans naturalem vteri incarcerationem, & caliditatem derelinquens, vlulatu intolerabili frigoris externi iniurias, & molestiam publicat, vt Hippocrates docuit; erat enim per nouem menses continuo loco aprico assuetus. Sic
E *eodem libro de vsu humidorum text.* 5. dixit Hippocrates: quod frigidum est vlceribus mordax, quia caro vlcerata corpus erat tegi, ac velati assuetum, & quicquid insuetum est, & longissimè à familiari calore abest, & frigori peregrino propinquissimum, id ipsum auersatur, & propterea sanè calida gaudet, & perferre potest. Idem *aphorism.* 20. *libro quinto*, Hippocrates tradidit dicendo: *Vlceribus frigidum quidem mordax*; quod de calido non dixit, sed oppositum *lib. de humidorum vsu, textu* nuper *adducto*: nec rationibus opus est, quando experimentum assertionem nostram manifestè confirmat. Nemo ab ira riget, etsi in febrem incidat, riget verò à timore, quia frigida passio est, ira verò calida. Sed Galenum audiamus, quem vt patronum sententia

contra

contraria tradit, & nostram perspicuè docet 2. *de differentiis febr. cap. 6.* post medium. Verba sunt: *Sicuti & altera species est salsa aut propter putredinem, aut salsæ serosæ humiditatis mistionem, ex qua si quos febricitare contingit, superueniente accessione non rigent, sed tantummodo horrent. Acida vero ac vitrea si per sentientes corporis partes deferatur, sine febre rigores generat.* Nil clarius dici potuit, neque cum distinctione maiori: constat verò quod pituita salsa, & putrida fit intensioris caloris, quàm acida frigoris, & crassior sit acida, quàm salsa; nam putredo laxat, & emollit, & extenuat materiam quam in fuligines vertit, & serosa, & salsa humiditas naturali pituitæ mixta liquidiorem, & magis fluxilem, tenuémque non dubiè reddit, & nihilominus horrorem solum, acida verò, aut vitrea rigorem mouet; quod verò salsa pituita, & putrida sit calidior, quàm frigidæ aliæ duæ species, extra dubium est, quia salsa, & putrida ardentes febres creant, acida verò aut vitrea remissius multò infrigidant, & multò minus lædunt; nam cum earum existentia vacant homines propriis actionibus, quas insigniter læsas habent, si salsa conepta putredine febrem excitet, imò & salsa absque putredine exulcerans est, & maligna. Rursus *eodem cap.* Galenus sic scripsit: *Dulci verò pituita putrescente, rigor minimè febrem antecedit.* Si inquiras causam, ego aliam non inuenio, nisi quia calor rigorem seorsim non causat, sed semper auxilio alterius indiget, vt acrimonia, aut erodente aliqua proprietate, quam pituita dulcis per putredinem nunquam contrahit; nam si dicas quod propter crassitiem non potest moueri moto ad rigorem requisito, contra est, quia vitrea, & acida sunt crassiores dulci, & tamen si putrescant, rigere faciunt, vt *eodem cap.* clarè Galenus testatur; at verò frigidi humores relati, suo frigore absque adminiculo alterius qualitatis rigere faciunt, quando per partes sentientes mouentur, vt Galenus *eo cap.* sæpè repetit, & per consequens semper quod à calore rigorem maiorem fieri docet, nec de solo calore loquitur, sed quatenus mordacitati ferè semper adiungitur, nec in omnibus æqualitatem seruat, sed vt ferè semper accidit, loquitur: est verò frequentissimum quòd causa calida mordax sit, agilior, tenuior, sicque ad rigorem commodior; frigida verò è contra, minus frigida, crassior, & certa, & indè fit minus frequens, quod rigores vehementes erect; verùm si in omnibus paritatem cum calore seruet, rigores non dubiè maiores promouebit, quod mihi videtur contra communem consensum scribentium efficaciter satis probatum.

QVÆSTIO VII.

De his quæ Argenterius contra Galenum scripsit.

Etsi Argenterius Galeni opinionem de modo quo rigor excitatur, quondam habuerit, palinodiam tamen decantauit *in expositione libri ad Glauconem, cap. 5.* & Galenum multis quidem, & non leuibus difficultatibus vrget, putat enim chimæricam esse illam humoris transmissionem per partes sentientes, vt rigor excitetur. Nec minus varius Galenus percipitur in explicandis causis rigoris. Primum argumentum est, quod in principio vniuersali febrium natura semper retinet, quia quandiu materia cruda est, vt est in omnibus principiis, nullam expulsionem nisi symptomaticam & male iudicantem tentat, & cùm tempora vniuersalia & particularia similia semper sint, vt in principiis vniuersalibus nihil minus quàm expulsionem natura procurat, nisi quando malignè operatur, sic in particularibus principiis eandem inclinationem seruat, quia similia quodammodo sunt in eruditate materiæ; est ergo omninò repugnans communi operandi, & debito modo naturæ, quod

A in accessionum principiis materiam crudam ad partes sentientes reiiciat vt rigor causetur, quia separatio humoris à reliquis nisi coctio præcedat, fieri à natura non potest.

Secundò, quia Galenus (vt vidimus) docet, quod frigus extremorum in rigentibus eueniat, quia natura spiritus & sanguinem intro reuocat ob tristitiam passionis: ergo implicatio manifesta est asserere quod tunc natura pellat humores ad extra, & per corporis ambitum illos disseminet, cùm sint motus omninò oppositi trahere intrò, & reiicere extra. Nec valet si dicas, quod si idem mobile traheretur, & pelleretur, videretur impossibile eodem tempore fieri: at pellitur humor accessionem facturus, trahitur verò sanguis cum spiritu, & hoc nullam implicationem dicit, quia est duplex mouens, & duplex etiam mobile; mouet enim intrò attractrix,

B pellit verò extra expultrix: hæc quidem humorem peccantem, illa verò spiritus, & sanguinem. Sed contra est, quia quando cor animi passione ad trahendum intro determinatur, trahit omnia indifferenter, non enim determinarè sanguinem bonum, & spiritus allicit, sed omnes humores vt sunt intra vasa: ergo trahet etiam humorem ad partes sentientes expellendum, & futurum rigorem. Nec obstat si dicas, quod trahit cor quæ non resistunt, aut non habent motum contrarium, bilis verò rigorem factura pellitur potentius ad extra, & sic trahi non potest. Sed contra est, quia si ex ambitu totius corporis trahitur sanguis cum spiritu, trahetur non dubiè humor per partes sentientes delatus, quia est in motu, & nulla pars illum desiderat, nec retinet, imò à se violenter reiiciunt omnes, humor verò à nulla parte reten-

C tus, & dimotus indifferenter trahetur necessariò ab ea quæ indifferenter omnia trahit, cum trahat hæc, quæ ab aliis partibus desiderantur, & retinentur, sanguinem nempe, & spiritus.

Tertiò, quia vitali calore indigent partes omnes vt operari possint, nedum quando validissimè operantur, in rigoribus verò vehemens fit agitatio, & membrorum concussio; non ergo spiritu, & sanguine destituta sunt, nec frigus ob defectum spirituum in externis partibus nascitur, sed aliud principium habet.

Quartò, grandem habet difficultatem, cur natura humorem facientem rigorem, si illum ad partes carnosas reiicit, non reiiciat extra corpus, aut illum in cute reponat, & pallida reddatur, aut aliis tumoribus iuxta humo-

D rum ideam afficiatur; nam facultas expellens robusta satis est, cùm in eodem tempore, rigorem, vomitum, & aluum sollicitet, vnde ob eius defectum non eueniet quod extra corpus, aut ad cutem humor extrauasatus non pellatur; quod verò in partibus carnosis non detur impedimentum aliquod, vt extra corpus pelli non possit, extra dubium est, nullus enim Medicus hactenus id docuit, nec talem indicationem tradidit; ergo in Galeni doctrina ratio probabilis non est, ob quam per partes sentientes solùm humor moueatur, & non pellatur extra corpus: aut addenda est noua indicatio obstaculi impedientis expulsionem illam.

Quintò, quia vbi bilis calida præter naturam disseminatur, lassitudinem vlcerosam inducit; nam & quando

E naturalis est, & partes sentientes velliicat, idem symptoma causat, vnde omnes laborantes tertiana exquisita, quando rigent vlcerosa lassitudine molestarentur: hoc verò est contra experimentum, imo nullus rigens de sensatione determinata molesta queritur, sed solùm de molestia frigoris, ob quod per ista Galenus definiuit rigorem; si verò hæc datur, non erit alia species doloris perceptibilis in partibus sentientibus iuxta Hippoc. doctrinam 2. *aphor. text. 46.* dicentis: *Duobus doloribus simul, non eundem locum infestantibus, vehementior alterum obscurat*; quod si verum est, in eisdem etiam partibus certius maior obscurabit minorem. Præterquá quod Galenus *in aphor. expositione* nullo modo admittit, quod duo dolores simul eundem locú, aut partem possint afficere,

quia simul sunt in eadem exquisita parte incompossibiles, ac per consequens si partes sentientes dolorosa frigoris sensatione molestantur, vt est euidens, & indicat copia coopertmentorum, ad tanti frigoris remedium applicita, repugnabit quod alium dolorem eo tempore sentiant, & inde falsum erit quod partes sentientes concutiantur, quia à succis expulsis ad illas dolorosè afficiuntur, si tam molestè frigoris sensationem ferunt.

Sextò non videtur sibi constans Galenus: si in tertiana exquisita humor biliosus per ambitum corporis mouetur, non poterit dari frigoris sensatio, quia nec dabitur frigus: quia etsi sanguis, & spiritus intro trahantur, mouetur bilis ad partes à quibus tractio illa fit, & cùm sit putrida, & calidior sanguine, & spiritu, incendet potius regionem externam, & non apparebit frigus.

Septimò, si frigus molestum emanat ob retractionem spirituum & sanguinis, ortam ab illata molestia humorum, deberet prius sentiri molestia & concussio, deinde frigus; & contrarium experimur, prius enim extrema infrigidari incipiunt, & satis sensibiliter, & color deperditur, facieique extenuatur, suntque signa rigoris venturi: non ergo frigoris molesta sensatio à tristitia irritationis dependet, sed è contra concussio, & dolor à molestia frigoris, per quam Galenus rigorem definiuit.

Octauò, quia exemplo Galeni ex 2. *de caus. sympt. cap 5.* constat eius doctrinæ varietas; nam rigorem sine motu humoris per partes sentientes non admittit; & *ibidem* docet, quod si parti exulceratæ causticum medicamentum applicetur, primum horrent, deinde rigent, & mox nonnulli febricitant; ergo si medicamentum quietum rigoris est author, erit etiam humor interius erodens, estque expressa Hippocratis doctrina 3. *progn. text.* 58. vbi rigorem inter signa inflammationis inceptæ supputari enumerat; constat verò quod materia inflammationis supputatæ nullo modo per partes sentientes defertur, cùm intra locum inflammatum coërceatur semper; est ergo motus impertinens. Sic 3. *prognost. text* 3 vomitum hiis citò venturum pollicetur, si rigor, aut horror molestet; esset verò fallacissimum signum, si humore distributo per partes sentientes, horror aut rigor causaretur, cùm motus contrarius omninò sit. Et vrget magis, quod Hippocrates dicit, non solùm vomitum venturum, sed quod citius eueniet, si rigor reliquis signis superueniat. Verba sunt: *Sin rigor quoque prehenderit, & inferiores hypochondrij partes frigidæ fuerint, adhuc citius vomitio aderit.* Et Galenus *in expositione* sic loquitur: *Cùm soleat rigor magna ex parte bilis efficere vomitionem*; hoc verò verum esse non potest, si rigor (vt dicunt) ab humore delato per ambitum corporis originetur, vbi accuratè sunt expendenda verba illa: *cùm soleat rigor magna ex parte bilis efficere vomitionem*: loquitur enim de illo vt causa vomitus, non vt signum.

Nonò, quia calidis medicamentis applicatis dorso & partibus externis, rigor moderatur, & interdum omninò tollitur; hoc verò esset impossibile si humores acres, & calidi rigorem efficerent; quia & acrimonia, & caliditas intenderentur, & per consequens frigus, & concussio ab eadem causa oriuntur, quia eodem auxilio calido tolluntur.

Decimò vrget non leuitèr Galeni opinionem, quod frigus molestum rigoris pendeat (vt ipse putat) à retractione caloris ad intra, ob molestiam & tristitiam. Patet, quia in omni dolore homo tristatur, & non infrigidatur sensibiliter; & cum planè constet dari quotidie dolores incomparabiliter plus affligentes, quàm qui in rigoribus dantur, & nihilominus nulla sensatio frigoris molesta inuehatur, non adducitur à Galeno ratio idonea tam molesti, & intensi frigoris, si solam tristitiam, aut dolorem adducat: nec in hac ratione sibi Galenus constat, quia nihil communius in eius doctrina, quàm quod ad partes dolentes sanguinis, & spirituum affluxus fiat

A in subsidium doloris, vt 5. *aphor. com.* 53. expressè docet, ita verbis: *Hac igitur ratione, & dolentibus partibus inflammationes adueniunt, natura properante excernere, atque expellere causam doloris, vt vero hoc faciat, sanguine, ac spiritu locum implente, &c.* Igitur, si spiritus, & sanguis in loci dolentis subsidium mittuntur, & in Galeni opinione tristatur rigens, ob dolorem, & molestiam partium sentientium, per quas humor mouetur, deberent ad easdē moueri simul sanguis, & spiritus, vt causa doloris superaretur, aut est tradenda diuersitatis ratio, quæ nulla esse videtur, cùm in omni dolore detur necessariò tristitia, & nihilominus in aliis omnibus doloribus locus affectus B sāguine, & spiritu impletur, & non refrigeratur habitus exterior, nec datur molesta sēsatio frigoris, vt in rigentibus.

Tandem Argenterius non capit, quod in ambitu corporis, & partibus per quas humor in rigoribus mouetur, non dentur magna mala, vt vlcera, aut tumores præter naturam, aut insignes distemperies; nam hæc omnia, aut aliquod eorum, non possunt non superuenire post annum, aut duos, quibus aliquis vt fieri solet quartana fuit oppressus, item & in tertiana duplici, in qua quotidie per tres, aut quatuor menses rigor, & satis longus molestat: quomodo enim si humores vitio per eas partes mouentur, & in aliqua earum in Galeni opinione quiescendo finito rigore febrem causant, aliquod incommodum ea dictis partes illæ effugere poterunt, cùm experimento constet, vel minimam cuiusque humoris portionem extra vasa reiectam ad cutem, tumorem, & diu C durantem creare: quomodo igitur copia tanta extra vasa expulsa quando rigor fit, nullam læsionem partibus illis impressit? Non igitur Galeni opinio potest admitti, quatenus docet, quod humores ad ambitum, & partes sentientes reiecti rigorem excitent.

Alia dubia contra causas rigoris, & modum quo excitatur, eo loco Argenterius tradit, quæ si cum adductis iam numerentur, sola copia erit satis vt opinio Galeni redarguatur, videaturque satis suspecta; nunquam enim doctrina vera tam magnum difficultatum cumulum contra se admittit: & quod rigoris natura difficillima Galeno apparuerit, inde planè deducitur, quia diuersissimum opinandi modum *in lib, proprio de rigore* ab eo adducto *in 2. de causis symptom.* tradidit, etiamsi ea proD fesso, & satis diffuse vtrobique suam mētem exposuerit.

QVÆSTIO VIII.

In qua opinio Argenterij traditur.

HIc noster Galeni censor indefessus, chimeram potius quàm doctrinam probabilem iam traditam censens, propriam mentem explicando partim Galenum sequitur, partim verò deserit: sequitur ergo illum quatenus *lib. de rigore* docuit, dari in rigoribus duplicem motum calidi influentis intus & extra; deserit verò in omnibus aliis, quia nec humores ad ambitum aut partes sentientes moueri admittit, neque quod calidum influens E ob dolorem, & tristitiam intro trahatur, ac per consequens quod nec partium concussio ad expulsionem humorum molestantium celebretur, sed omnia hæc diuersas omninò causas ab adductis à Galeno sortiri.

Admittit itaque duplicem motum calidi innati, vt *lib. proprio de rigore* Galenus docuit: nam si intro diutius detineatur, perit suffocatus, quia vt Galenus *eo libro* dicebat: *substantiæ perpetuò mobili quiescere, mors est*: si verò assiduè extra moueatur, resolutione perit; quia & materia idonea, ex qua resarciri possit, destituitur, & extra corpus euolat, sicque interna deserens deficit vita consequenter; refrigerium verò externum ob defectum calidi influentia euenire cū Gal. admittit, deficit verò in externis, quia intro reuocatur, sed causa ob quā reuocetur, diuersissima

addu

adducta à Galeno est, in Argenterij opinione. Galenus enim dolorem, & tristitiam vt occasionem motionis ad intra tradit 2. *de cauſ. ſymptom. cap. 5.* Argenterius verò moueri inquit ad locum, in quo putredinis focus stabulatur, quando nimirum incipiunt in eo humores putreſcere, vt nouam accessionem generent. Finis verò est, vt impediatur putredo, & coquantur excrementa incipientia putreſcere, notátque Argenterius, quod huiuſmodi motio ad focum contingit ſolùm in febribus intermittentibus, quia in eis ſolùm putat dari partem determinatam, in qua humores incipiant putreſieri, vt accessiones repetant, in continuis enim non admittit hic author focum determinatum, ſed in omnibus vaſis inquit, putredo datur, vnde quia non datur pars determinata in qua excrementa putreſiant, non mouetur calidum influens determinatè, ſed per totum corpus dispergatur diſtributum: & ſic in continuis, & earum accessionibus non refrigerantur externa.

Concussionem verò membrorum fieri ſtatuit, partim ex contractione caloris, partim ex expanſione illius; nam ſi intus (inquit) ſemper calor concluderetur, non concuterentur partes externæ, ſed immobiles manerent, vt in syncope: ſi verò libera eſſet motio caloris in partes externas, non vtique fieret motus ille depravatus, in quo cadunt, & eriguntur membra, ſurſumque & deorſum mouentur, vt in ſimplici tremore accidit. Hoc ergo oſtendit calorem per minima interualla, imo eodem temporis momento adeſſe, & abeſſe à partibus externis, quæ concutiuntur, & id fit in putredine humorum, & non in syncope, quia in hac ob magnitudinem affectus, totius caloris contractio, & concussio requiritur, in putredine verò ob leuius malum nequaquam: ergo partes externæ quæ rigent, quoniam aliquid habent caloris influentis, non iacent penitus immobiles; quia verò tantum non habent, quantum requirunt, & ſingulis momentis ille contrahitur ad putredinem, & recurrit, ideo motus efficit tremulos, ſicut ſimplex tremor accidit ſenibus, eò quod non habeant tantum præſentis caloris, & roboris, quantum neceſſarium eſt ad partes regendas. Qui author vt in intermittentibus retractionem caloris admittit, quia materia earum non putreſcit tota ſimul, ſed per partes, & vna poſt aliam, & ad eam putredinem vincendam calor à parte in qua focus determinatus datur, trahitur; ſic (inquit) quando inflammatio ſuppuratur, aut in aliqua interna parte determinata, ſimilis ſuppuratio contingit, datur etiam caloris reuocatio ad intra, & fit rigor, aut quando in ardente febre instante crisi vult natura concoctos iam humores ab aliis ſeparare, & hanc ſeparationem inchoat à partibus internis, & poſtea proſequitur, donec materia per ſudorem ſit diſcuſſa: his ergo principiis placitum Argenterij innititur.

Verùm hæc doctrina falſa penitus putanda eſt. Primò, quia in continuis febribus accessionalibus focum determinatum putredinis non admittit, quo nihil abſurdius ſuſtineri poteſt; implicat enim quod detur noua accessio ſine noua putredine, & motione humoris à parte in partem, vt latè docuimus ex mente Auicennæ. Et ratio eſt euidens contra Argenterium, quia ſi vt ipſe cenſet, materia continuarum putreſcit tota ſimul, non darentur accessiones repetentes per noua tempora, ſed tota materia ſimul putrefacta in vnica accessione conſumeretur; ſicut quia materiæ portio, quæ in intermittentibus ad focum mittitur, putreſcit tota ſimul, non cauſat vnicam accessionem illa portio, & ſi noua putredo in alia parte materiæ non daretur, non ſuperueniret alia ſecunda accessio; ſic eſt euidens, quòd ſi tota materia continuarum putreſcit ſimul, & non pars poſt partem, vt in intermittentibus, eſſet impoſſibilis accessionum repetitio: at quod repetant, eſt euidens; ergo & quod detur determinata pars in qua humores putreſiant. Et quia de nouo pars alia putreſcit, repetitio accessionum fit: nec hic dicendi modus diſtinctionem commodam af-

A ferre poteſt inter modum affectionis cauſantis continentes, & continuas accessionales. Nam cùm continuæ ſint omnes, reddenda eſt ratio cur continentes in vnica accessione totam materiam abſumant, etiamſi ad plures dies extendantur; continuæ verò aliæ accessionibus pluribus moleſtent, & repetant certis circuitibus; talem verò differentiam non poterit Argenterius tradere, ſi locum determinatum in continuis accessionalibus in quo humores putreſcant, non admittat, & illum continentibus ſolùm deneget, vt expreſsè Galenus docet *ad finem lib. 2. de differ. febr.* dicendo: *Quæcunque per circuitus aliquos ægritudinum acceſſiones fiunt, ex membrorum diſpoſitionibus ortum habent, quæ ſcilicet membra vel mittunt, vel ſuſcipiunt, vel generant, vel attrahunt ſuperfluitates, eo quo nuper diximus modo, ſed quæ circuitum non habent, in iis nulla eſt corporis pars, quæ præcipuè*
B *ſit offenſa, &c.* Quem locum non videtur legiſſe Argenterius, ſi in accessionalibus continuis partem determinatam malè affectam neget. Sic Galenus, & Auicenna tertianam continuam à cauſone diſcriminant, quia in hoc determinatæ partes debent affici, vt implacabilis ſitis, & intolerabile incendium ſigna eſſentialia ardentis febris excitentur, vt *proprio cap.* docuimus, & Hippocr. etiam planè tradidit 4. *de victu in acut. text. 2.* & clarius in eius expoſitione Galenus. Verba ſunt: *nempe in vna corporis parte quæuis illa ſit, interdum cauſus gignitur, &c.* Et inferius ſcripſit: *modum alterum dico, cum ex validioribus partibus ad imbecilliorem aliquam mittuntur excrementa, &c.* Nil clarius dici potuit.

C Secundò, ſi in omnibus vaſis humores in continuis febribus putreſcerent, nunquam in continuis daretur in principio optima vrina, cùm repugnet planè vrinæ bonitas, ſi putredo humorem in omnibus vaſis infecit: contrarium verò experimur quotidie in malignis febribus, nec minus, ſed frequentius, quod ſanguis inculpatus omninò extrahatur, etiamſi bis & ter, pluriéſve ſectio venæ reiteretur: quod eſſet impoſſibile, ſi in omnibus continuis vaſa omnia putredinem ſuccorum experta ſint, imò ex dicta bonitate omnes Medici inferunt inſigne periculum, quia ſignificat putredinem in maioribus venis non eſſe, ſed in proximis cordi, & inde præcipitur quod copioſius ſanguis educatur, vt quod tam reconditum eſt & malignum, poſſit extrahi.

D Tertiò, quia dantur plures febres intermittentes rigore, aut horrore, vel ſimplici refrigerio carentes, in quibus non agnoſcitur aliqua debilitas in attrahente, aut expellente virtute, præſertim reſpectu ſpirituum, qui ſunt tractionis tam facilis: non ergo eſt occaſio dictorum ſymptomatum putredo in loco determinato. Et confirmatur, quia in omni inflammatione putreſcit humor in loco determinato, & tamen rigor datur nunquam quando incipit, neque in toto tempore, niſi quando ſuppuratur, & nec hoc eſt perpetuum, vt experimento conſtat. Quomodo ergo rigoris occaſio eſt putredo loci determinati, cum hæc detur in omni inflammatione, & nulla paſſio plus rigorem excludat, quando incipit, & poſtea etiam ſi non ſuppuretur.

E Quartò vrget Argenterium *Aphor. 58. lib. 4.* cuius ſunt hæc verba: *Febre ardente laboranti, rigore ſuperueniente ſolutio fit.* Non videtur verò cur febris ſoluatur adueniente rigore, ſi non fiat rigor expulſo humore à vaſis per ſentientia corpora. Reſpōdet Argenterius *fol. 145.* quod rigor non excitatur quia pellatur humor, ſed quia natura calorem influentem intro reuocat, vt cauſam febris ardentis expellat, ſicque rigorem eſſe ſignum naturæ contendentis materiam medio ſudore, aut vomitu, vel deiectione extrudere. Quam doctrinam longius repetit 4. *aphor. com. 48.* & quibuſdam rationibus ſuadet, quod rigor in cauſone non fiat commota bile per ſentientia corpora: nam ſi ita eueniret, ſemper ſequeretur iudicium, & ſolutio morbi: at ſæpe ægri moriuntur, vt

docuit Hippocrates *eodem lib. aphor. 46.* dicendo : *Si rigor incidat febre non deficiente, ægro iam debili, lethale,* A tum etiam, quia nunquam sine vomitu, deiectione, aut sudore causus soluitur : ergo materia illius non pellitur per sentientia corpora, & ambitum corporis : & experimento (inquit) constat etiam, quod sæpe rigor fiat, & post aliquot dies sudor, aut alia excretio : vnde constat, quod expulsio non fiat ipso rigore, sed postea, putatque quod si causonis materia per ambitum corporis in rigoribus pelleretur, iudicium, seu crisis per sudorem semper fieri deberet, quod est contra experimentum.

Sed hæc omnia absque fundamento dicta videntur, cum probatum sit ex Galeni doctrina, quod in causone detur determinata pars in qua humor mouetur, vt tertianas accessiones faciat, est enim febris ardens tertiana B continua, & inde non solùm rigor quando instat crisis, sed in omni accessione esse deberet. Secundò quia si rigor excitatur quando in parte interna aliqua suppuratio fit, cur non datur sæpe rigor ob coctionem humoris, etiamsi non suppuretur, cum coctione vitiosus humor emendetur. Tertiò, quia si totus calor per corporis ambitum seminatus retrahitur intrò vt causa febris ardentis pelleretur, magnum quidem incendium denuo excitatum viscera fatigaret in ipso rigore. Constat planè, quia si ambitus refrigeratur ob caloris totius retractionem ad intra, necesse est, vt æstuationi viscerum nouum incendium addatur, & nouum suffocationis periculum; hoc verò est contra experimentum. Vlterius, quia sæpe constat, quod solo excitato rigore absque C alia enacuatione ardens febris terminetur, vt non semel tantùm nos vidimus : & doctrina Hippocratis, quam etiam Galenus sequitur, id apertè docet, cum rigorem solum vt iudicatorium tradat, non aliud; *a febre* (inquit) *ardente habito rigore superueniente solutio fit.* Esset verò improprissima locutio, quod superueniente rigore cessatura sit febris ardens, si rigor non excitaretur expulsa materia ad partes sentientes.

Quintò efficaciter ostenditur huius placiti improbabilitas, quia iuxta illud non potest ratio idonea reddi, cur in tertiana vehementissimus rigor fiat, in quartana verò leuior multò, aut horror; in quotidiana verò refrigeratio potius simplex, non rigor, nec horror. Sed causam insinuat prædictus author; dicit enim quod eo in tertiana rigor sit vehemens, quia cùm humor calidissimus putrefiat, vehementior putredo in eo excitatur, D ad quam compescendam ingens caloris retractio fit. Sed contra est, quia si calor influens retrahitur, vt putredo iam facta emendetur, rigor maior in quartana, & quotidiana inueniretur. Patet, quia coquuntur difficiliùs multò melancholia, & pituita quàm bilis, quod indicat earum longitudo respectu tertianæ; si verò calor retrahatur, vt impediatur putredo, ne magna fiat, constat planè quod in quartana, & quotidiana poterit dari rigor maior, quia intensior putredo non tantùm nascitur ex pari dispositione, sed etiam ex efficacia agentis; potest verò esse non dubiè agens efficacius in quartana, aut quotidiana, & ita non potest esse certa regula pro maiori rigore dispositio sola maior passi, vt E Argenterius censet; & constat etiam, quia cùm dispositio ad præternaturalem dispositionem possit esse præternaturalis, non implicat quod intensior esse possit in melancholia quàm in bile. Vnde enim repugnat, quod humidissima melancholia præternaturaliter supponatur agenti putrefacienti, quod etiam suadetur efficaciter, quia si pituita quotidie repetit, citius necessariò putrefit quam bilis. Est ergo paratior ad putredinem concipiendam : ergo indigeit retractione maiori caloris, vt tam celeri putredini obstet, & in quotidiana dabitur rigor maior. Rursus non solùm intensior putredo egebit retractione maiori caloris, sed multò magis putredo malignior : constat verò quod pi-

A tuita, aut melancholia poterunt malignius quàm bilis putrefieri, & sic reuocationem maiorem caloris requirent, & maior excitabitur rigor. Item, nec minus efficax de extensione putredinis dubium suscitatur, quia ad impediendam extensionem putredinis in multa materia, opus est magna caloris reuocatione, vt est euidens : ergo si multa materia in quotidiana, aut quartana putrefiat, rigor ingens excitabitur, leuis verò si paucs bilis (vt solet, aut potest) tertianam moueat.

Sextò, experimenta Galeni adducta *2. de crif. cap. 3.* improbabilem Argenterij doctrinam reddunt; nam qui fuliginosis superfluitatibus pleni sunt, siue balneentur, siue soli exponantur, aut motu alio vehementiori agantur, statim (inquit) horrent, & si diutius in eisdem per-B stiterint, ad rigorem, concussúmque perducuntur, eò quod excrementa quieta relatis occasionibus agitentur, & corpora sentientia stimulant, & pungunt; non ergo ob caloris recessum rigor excitatur, vt Argenterius censet.

QVÆSTIO IX.

In qua traduntur solutiones argumentorum Argenterij.

AD primum respondeo, quod natura in rigoribus ordinatis accessionum, tentat non dubie expul-C sionem materiæ, & quia non potest extra corpus pellere, accumulatur in parte aliqua debili, in qua putrescens accessiones causat; constat verò quod talis materia, quando mouetur, non est putrida necessariò, & sic non pellitur cruda, vt Argenterius putat; constat ex litera huius capitis dicente : *Et rigor, & frigus antecedunt febres*, quoniam humor crudus effunditur ad lacertos in primis, & nocet frigore suo; si verò materia ad ambitum expulsa, viciata supponatur, & putrida, erit expulsio symptomatica, quia immoderatè irritat, & debilis etiam, quia extra corpus reiicere non potuit, sicque non sequitur morbi iudicium, sed oppressio potius naturæ. Si verò iudices probabile quod portio illa rigorem causans non faciat febrem, sed quod omninò resoluatur, vt nos docuimus, alia verò portio sit author D febris, erit expulsio perfecta respectu illius portionis facientis rigorem, & in opinione Galeni non erit symptoma rigorosè, sed accidens morbi.

Ad secundum respondeo, quod natura in tristitia, aut timore trahit spiritus : quod verò sanguinem, aut alios humores simul trahat, probari non potest, & sic non trahet humorem expulsum : si verò putes quod sanguis etiam à corde trahatur, rectè soluta est replica, quia cum humor rigoris pellatur determinatè in partes externas, trahi intro non potest ob impulsum contrarium maiorem quidem virtute trahente.

Ad tertium, quod calor vitalis non est calor elementorum, sed alia qualitas omninò distincta carens E contrario, quam partes externæ, etsi frigidæ, ad proprias motiones sufficienter recipiunt à spiritibus intrò retractis, calorem verò recipere nequeunt ob frigus resistens, & quia nimis distant : constat enim experimento, qualitates carentes contrario magnam sphæram semper habere.

Ad quartum respondeo non habere leuem vim ad probandum, quòd non sit eadem portio humoris, quæ rigorem & febrem facit, in qua opinione argumentum inane est; si verò eandem esse portionem iudices, admittendum est aliquod obstaculum, aut debilitas expellentis accusanda, quæ extra corpus reiicere non potuit, etsi illud tentauerit.

Ad quintum, quod duo calores rectè possunt simul

sentiri

ſentiri, ſi alter eorum vehemens non ſit totum animæ conſenſum ad ſe trahens, in quo caſu Hippocrates non loquitur, ſed in dolore vehementi, vt ex littera conſtat, in rigoribus verò non datur frigoris tam vehemens ſenſatio, quæ ſenſationi alterius qualitatis obſtare poſſit, nec è contra; conſtat verò, quod in rigore ſentiatur frigus in partibus cutaneis moleſtius, in quibus rigor non fit, ſed in interioribus, quæ verè rigent: quod verò dolores diuerſos ſentire ſimul poſſimus, conſtat planè in fameſcentibus, & ſitientibus ſimul.

Ad ſextum ex dictis conſtat ſolutio; frigus enim in partibus cutaneis, & extremis ſentitur, ad quas humor bilioſus non pellitur in rigoribus, ſed ad magis internas, nec iis tamen intimè bilis applicatur vt omnes ægreret, quia non omnibus applicatur: defectus verò caloris ſpirituum omnibus eſt communis, & ſic frigidæ etiam erunt partes internæ, quibus bilis applicata non eſt; conſtat verò quod frigus intenſum partium cutanearum erit grande obſtaculum vt humor ad cutem pelli non poſſit, ob occluſionem pororum à frigore denſante, & quia natura partes omnes altringit, ſeu comprimit, velut fugiendo moleſtiam rigoris, & humoris irritantis, & propria conſtrictione defendit ſe, ne in partibus firmetur, & imbibatur, ſtabuletúrque humor iam noxius.

Septimum argumentum leue non eſt, ad quod reſpondeo, quod quando iam inſtat acceſſio, partes externæ tepeſcunt etiam in continuis febribus, quia iam incipit effumatio craſſa ſuccorum, à qua calor ſuffocatur, & eius diſtributio impeditur, ſignúmque manifeſtum eſt pulſus contractio ſimul cum eo extremarum partium tepore inuenta: poſt verò frigus augetur, quia moleſtia excrementorum rigorem facientium accedit, & natura triſtata reuocat intro calorem, & propriæ conſtrictione & frigore externarum partium impedit diſtributionem caloris vitalis, vt dictum eſt.

Octauum argumentum duobus exemplis ſolutum iam eſt, ſupereſt verò ſoluendum tertium exemplum de rigore vomitum citius pollicente, quod non videtur probabile, ſi cauſetur rigor propter motionem humoris per corporis ambitum. Valleſius in eius prognoſtici expoſitione rigorem fieri putat, quia os ventriculi à bile lancinatur, ex cuius moleſtia velut in timore tremor ſuperuenit, quem nomine rigoris intelligit: tremunt verò partes ob caloris defectum, vt in timore Vega dicit, quod rigor ſignificat bilis motionem, & inde vomitum eius: Galenus verò rigorem, vt cauſam vomitus tradit. Verba ſunt: *Cum ſoleat rigor magna ex parte bilis efficere vomitionem*. Brauo ex ſola irritatione oris ventriculi, quin bilis moueatur per ſenſibilia membra, rigorem fieri cum Fernelio cenſet. Opinio Valleſij mihi probatur, ſi nomine rigoris tremor intelligatur, hic enim datur, quando vellicatio ventriculi inſignis eſt, & inde moleſtia intolerabilis, & magna reuocatio caloris, ſicque vomitum non ſolum breuiorem, ſed maiorem, & certiorem ſignificat.

Ad nonum, quod calidis medicamentis non ſolùm corrumpitur frigus moleſtans, ſed etiam humor per corporis ambitum diſſeminatus reſoluitur, & ſic non manet quod irritet, aut diminuatur.

Ad decimum reſpondetur, quod ſenſatio moleſta rigoris eſt maxima, non intenſiuè, ſed extenſiuè, & inde magnam caloris reuocationem excitat: partes etiam dum ad pellendam cauſam rigoris contrahuntur, vt pellunt humorem, ſic & ſpiritus, & propria contractione obſtant, ne intra illas rurſus commodè recipiatur. Alij verò dolores quia parum extenſi, non inducunt tantam retractionem, niſi ſint vehementiſſimi, aut diutius moleſtent, in quibus etiam partium frigiditas inſignis dari ſolet, quia ſuperfluè reſoluit ſpiritus, vt tota ſchola Medicorum docet, nec ad corporis ambitum (etſi doleat) calor influens impellitur, aut tra- **A** hitur, quia non eget natura eius auxiliis, cùm actu propria partium contractione humorem expellat; in aliis verò doloribus cauſa eorum ſtabilita inconcuſſáque manet, ad cuius coctionem aut victoriam naturæ, ſanguinem, & ſpiritus mittit, vt Galenus docet.

Ad vltimum reſpondetur, quod humor rigoris author ſemper expellitur, aut reſoluitur, & ſic non cauſat incommoda ab Argenterio adducta; potius enim aſſidua partium vibratione ab excrementis purgantur, eſt enim exercitium earum aut labor; ſi verò contingat vt aliquid non expellatur, lædet partem illam non dubiè, nec etiamſi Galeni opinionem ſequamur, mirabile magis videtur quod in parte quæ focus eſt, aliqua læſio non percipiatur, ſi reuera in internis non remanet poſt longas, aut acutas febres: poſſe verò remanere **B** aliquando negari non poteſt, eſtque vitium illud derelictum grauis occaſio recidiuæ, aut tardæ recuperationis integræ ſalutis, & ſæpe tam inconcuſſæ, & ſtabilis, quod longo tormento & febricula firma, maláque nutritione, præſertim ſi partem principem aut illi proximam lædat, ſenſim, aſſiduè tamen, hominem tabe conficiat, de qua diſpoſitione poſt morbos derelicta rectè intelligitur aphoriſmus: Quæ relinquuntur in morbis poſt indicationem recidiuas facere conſueuerunt. Adde tu & morbos diuerſos, tabem & mortem.

Significationes diuerſæ rigoris.

C Rigores quidam decretorij ſunt, in quibus ſimilia ſigna contemplanda vt in omni alia critica euacuatione. Sic Hippocrates 4. *aphor. text.* 55. ſcribit: Febre ardente laboranti, rigore ſuperueniente ſolutio fit, à quo admirabilis vulgo Medicus erit, ſi ſudorem, aut vomitum, aut alui fluxum bilioſum promittat venturos, vt Galenus in aphoriſmi expoſitione docet, iam enim materiam, & cauſam cauſonis extra corpus reiicere natura ſolicitat, quæ cum multa ſit, omnes euacuationes ſi teneret melius iudicat & ſecurius, quia omnes regiones expurgat; ſi verò ſine ſignis coctionis rigorem teneret, timendum eſt, præſertim ſi à principio mali excitetur; malignitatem enim cauſæ, aut eius oppreſſionem ſignificat, vt ſignificat idem quæuis alia **D** euacuatio critica in morborum initiis tentata, iuxta celebrem doctrinam magni Dictatoris 2. *epid. ſect.* 1. *text.* 9. dicentis: *Quæ autem indicant in melius, ne ſtatim appareant, indicatoria, non indicantia, partim lethalia ſunt, partim difficilis indicationis*. Eſt verò frequentiſſimum huiuſcemodi rigores ſymptomaticos leues eſſe, & peſſimam habere ſignificationem ob duo; & quia ſine ſignis coctionis, & quia leues: ſignificant enim tentatam euacuationem, & inceptam ſolùm, vt idem quod ſanguinis ſtillæ ſignificent, quod in leuibus ſudoribus ſæpè etiam notabis, vt non tarò obſeruaui in malignis, & periculoſiſſimis febribus.

Eſt etiam quando rigores internas inflammationes ſuppurari ſignificent, vt 2. *prognoſt. text*... Hippocrates **E** docuit, & Galenus millies: quod ſignum ſolicitè notari deberet quando inflammatio interna fatigat, & cùm ſigna mortalia non ſint, terminum legitimum ſuæ terminationis iam inflammatio pertranſiuit, iuxta ſummi Dictatoris oraculum 5. *aphor. text.* 8. dicentis. *Quicunque morbo lethali laborantes in quatuordecim diebus non repurgantur, ij ad ſuppurationem vertuntur*. Et 1. *prognoſt. text.* 31. dixit: *Quod ſi vigeſimum tranſcendit diem, & febris detinet, & ædema non deſiſtit, in ſuppurationem vertitur*. Loquebatur verò de inflammatione propria hypochondriorum: de ædemate verò proprio dixit inferiùs; ſi verò ſexageſimum diem prætereat, & febris detineat, nec deſiſtat, ædema fore ſuppurationem hoc loco, & reliquo ventre ſignificat. Quia verò terminationes infallibiles nullus morbus habet, quia ex calore

causæ maiori, sicut ex calore partis affectæ diuerso, & quantitate maiori humoris suppuratio acceleratur, & non minus ex tempore, & auxiliorum diuersorum applicatione; inde accuratè signa suppurationis internè contemplanda semper sunt, vt magni nominis Medicus & vulgo mirabilis sit. Signa Hippocrates 2. *prognost. text.* 58. retulit dicendo: *Considerare autem oportet, suppurationis initium fore colligentes à die quo primum homo febricitauit, aut quo rigor ipsum prehendit, &c.* Loquitur verò Hippocrates sic exponente Galeno de febre post rigorem de nouo adueniente, non de febre quæ inflammationis symptoma erat, & signum illius.

CAPVT VII.

De curatione febrium Methodus generalis.

HOc caput, quod præ cæteris vtilissimum est, ad curatiuam partem medicinæ pertinet; intendit enim Auicenna methodum curandi febres putridas in communi adducere, vt inde ad particularem descendat; imò qui ea, quæ in præcedenti capite ab Auicenna traduntur, rectè calluerit, in curatione cuiusvis febris peritus euadet. Caput in quatuor diuidit partes: in prima tradit quædam generalia præcepta obseruanda: in secunda adducit, quæ obseruanda sunt in curatione quorundam accidentium: in tertia tradit quædam præcepta contra missionem sanguinis, & expurgationem. In quarta refert quosdam canones obseruandos.

Dicit primò: *Et scias, quòd intentio in medicando has febres quandoque vertit ad partem febris; quare necessarium est, vt infrigidetur, & humectetur: & quandoque vertit ad partem materiæ, vbi necesse est, vt maturetur, & euacuetur.* Quæ doctrina in communi adducta supponit methodum communem, quam Galen. tradit 7. *Meth. cap.* 12. triplicem enim considerationem aduertit. Prima est, vt Medicus aduertat, an sit aliquid, quod habeat rationem vrgentis? nam ab eo curatio incipienda est: vrget verò illud præ cæteris, à quo periclitatur magis vita. Secundò, considerari debet an sit aliquid, quod habeat rationem causæ, sine qua non potest aliud auferri; nam tunc curatio dirigenda est ad illud quod habet rationem causæ sine qua non. Tandem aduertendum id, quod habet rationem causæ, & id, quod ab ea producitur. Exemplum primi sit, quando quis incidit in syncopem ex humoris affluxu ad ventriculi os; tunc enim primò à syncopali accessione liberandus est æger, quia periculum vitæ est in tanta virium imbecillitate, & ita omni arte vires recreandæ sunt: postea verò reparata virtute ad ablationem causæ venimus, nisi sit aliquid quod habeat rationem conditionis, sina qua non potest auferri causa ipsa; nam tunc illa conditio primò auferenda est, vt si ex illa fluxione tam debilis maneret ventriculus, vt neque missionem sangoinis, nec expurgationem toleraret, priùs erit roborandus, quia in euacuatione aliqua ex dictis dissoluitur, & debilis cùm sit, imbibit in se, & recipit ea, quæ à medicamento trahuntur, aut debilitatus ex missione sanguinis recipit fluxionem faciliùs, & magis: leuato ergo ægroto à syncope, quæ habet vrgentis rationem, & roborato ventriculo, cuius debilitas habet rationem conditionis, sine qua non; accedit euacuatio causæ, & indicationes, quę ab ea sumuntur, complendæ sunt; semper autem obseruandum, vt dum vrgenti occurrimus, aliorum non obliuiscamur, nisi vrgentia sit tanta, quod Medicus cogatur aliorum obliuisci: hoc enim sæpè contingit, vt dum ex causa frigida tam vehemens dolor excitatur, quòd ducat in syncopem, apponimus stupefacientia ad sensum partis auferendum, quæ necessariò morbum frigidum augent, & causam peioris conditionis reddunt, quia illum infrigidant, incrassant, & in lapidosam commutant duritiem. Quam doctrinam late explicuimus explicantes caput adductum, vbi Galen. à calumniis Argenterij liberauimus. Cùm ergo febres putridæ non curentur simplici, & vnica indicatione, cùm dependeant ex peculiari causa, notandum diligenter est, an febris indicet magis quàm causa, aut è contra, hoc est, an remedia febri conuenientia opponantur indicationi, quam causa præscribit, vel consentiant inter se indicationes, & è contra; qam doctrinam adduxit Galenus 10. *Meth. cap.* 1. Quando ergo indicatio febris non opponitur indicationi causæ, vtilissimè exercetur remedium, quia morbus, & causa oppugnantur simul: si verò vnum indicando alteri oppugnet, videndum est, quanta læsio sequatur ex remedio indicato; nam si magna sit, cessandum est ab illo, aut temperandum est; si verò pauca, exercendum: ita Galen. loco citato docet; nam si intolerabilis ægro magnitudo febris sit, permittendum non est, vt per ea, quibus causam adimimus, febrem augeamus, simul enim ac febrem sustulerimus, & hominem; *fieri enim aliquando potest, vt ea sit febris magnitudo, quæ præsentem perniciem, nisi occurratur, afferat, quo casu oportebit, hac prius submota, deinde ad causam summouendam accedere.* Ferè semper tamen, vt inquit Galenus, indicatio causæ maior est, & ideo maximè exequenda. Sed interim extinguendi febrem, quæ per causam acutissima est, ratio est habenda.

Vt autem perfectè assequatur Medicus omnes causas ex quibus putrida febris originatur, ad amussim resolutoriè inquirat ea, quæ adduxit Galenus 11. *Meth. c.* 10. dicens: *Ergo qui febrem curare volet, necesse est, vt putredinem cohibeat; ita duæ indicationes se exhibent, altera à febre, altera à putredine: at à febre rursus duæ sunt, scilicet portio febris, quæ iam accensa est, curetur; quæ verò in generatione est, inhibeatur: aliaque duæ indicationes à putredine exeunt, vt & quæ putredinis iam facta est sanies, & quod in generatione est, sistat. Porrò quod in generatione est, id perspiratio impedita facit, à qua duæ quoque indicationes nascuntur; tum quod retentum est, euacuetur, tum quod retinendum est, prohibeatur, seu prohibebitur his præsidiis, quæ obstructionem medentur, cuius rursus ipsius, quod iam occupauit, sanandum est, quod futurum est propulsandum: ac curabitur quidem quod obstructionis iam factum est, per ea, quæ obstructa liberantur: propulsabitur, quod futurum est, & si effluxum est, obstruentiam humorum compescat: ergo quod vltimum in ipsa resolutoria methodo est inuentum, id primum omnium in curatione est peragendum.*

Ex qua doctrina constat, quomodo frigida, quæ febris vt febris petit, opponantur causis ipsius febris, & quæ causæ exposcunt, vt febri reluctentur; nam frigida corpus densant, vias occludunt, & per consequens impediunt ventilationem. Cùm ergo putredo ex prohibita ventilatione nascatur, omnia, quæ illam augent, febrem intendunt: ergo frigida etsi febrem extinguant, quia tamen corpus condensant, & poros, & humores ipsos incrassant, & vapores deterioris conditionis relinquunt, vt deinceps febris extincta intendatur, & concoctio retardetur; quod præcipuè contingit, quando multæ sunt obstructiones, aut à crassis, & lentis humoribus procedunt, pari ratione, quia quæ deobstruunt, & ab infarctu liberant, calida debent esse cum partium tenuitate, minus conueniunt febri, præterquam quod illam non extinguunt, vt frigida inflammationem febris augent. Tum fit, quod in biliosis febribus ferè semper conueniat indicatio febris, & causæ; nam bilis non tam affligit obstructionibus, quàm incendio, & vaporatione feruida & mordaci, & ita infrigidantia minori metu

dantur

dantur, & cum maiori securitate. Dixi verò, *ferè semper*, quia sæpè contingit, biliosam esse febrem, obstructionem tamen pendere ex crassis humoribus, in quo euentu à frigidis meritò timebitur morbi longitudo, quia obstructiones maiores fiunt, & humores detenti deteriores redditi minus diuidi, & difflari possunt, quod maximè notandum est in tertianis nothis, in quibus ad molestiam bilis & sitis, largiori concesso potu, & frigidis, obstructiones augentur, & diuturniores factæ in malum corporis habitum degenerant. Fit ergo, quod quando febris pendet ex multa bile, tenui, & inflammata, vrgeat magis indicatio febris, obstructionis verò minus: in melancholicis verò, & pituitosis è contra: nam incendium instans minus vrget, quàm indicatio causæ: hæc enim frigida, & crassa cum sit, & non rarò lenta, à frigidis incrassatur ampliùs, & in loca obstructa magis impingitur. Rarò enim non fiunt cum liene, & ventriculo debili, quibus visceribus obest nimis frigiditas: & quia in his febribus longitudine potiùs, quam intensione periclitantur ægroti, ideo ad causam respiciendum magis: in biliosis è contra intensione febris periclitantur magis quàm longitudine, & ideo ad febrem, & attemperationem attendendum magis, nunquam tamen indicationem causæ in his, & in melancholicis, & pituitosis indicationem morbi negligere oportet; sed in biliosis ita infrigidandum, vt obstructiones non augeantur taliter, quòd vrgentes fiant ob negligentiam; nec in melancholicis, & pituitosis ita calefaciendum, quod febris intendatur, ita vt vrgeat magis, quàm causa: partim ergo medela febris ex putredine vertitur ad causam, & partim ad febrem. Causæ indicationes sunt tot, quot ex Galeno adduximus, quæ memoria semper firmandæ sunt, vt benè cedat curatio: febris indicatio semper est vna, infrigidatio scilicet; quia semper in calore contra naturam consistit: quia verò ex accidenti exsiccat resoluendo humidiorem substantiam, & humectare conuenit, vt inquit Auctor: sed hoc perpetuum non est, vt videbimus postea.

Dicit deinde Auctor tradendo indicationes materiæ, *quandoque esse necessarium, vt euacuetur, & quandoque vt fiat maturatio illius.* De euacuatione dicemus inferiùs. De coctione constat, esse tentandam in materia putrida, si verum est quod Galenus docet, esse actionem facientem cessare putredinem; quia verò plurima sunt, quæ impedire possunt materiæ coctionem, illa tenetur aduertere Medicus, vt vnicuique obstaculo suum contrarium commodet. Si verò multitudo fuerit, euacuanda est missione sanguinis; si cacochymia, expurgatione; si crassities, attenuatione; si lentor, inscindentibus: si viscidum, detergentibus, si ob nimium calorem incoctilis fiat; illo enim sæpè corrumpitur partis natura, infrigidanda est materia; si frigiditate resistat, calefacienda; si verò ob virtutis debilitatem potius quàm materiæ conditione coctio, aut maturatio impediatur, cauenda sunt quæ euacuant debilitando sensibiliter; nam perniciosa sunt; sed quiescere oportet ab illis, & natura firmanda omni arte, & roborandum, augendúmque calidum influens, omnia membra principalia firmiora reddendo idoneis medicamentis, cibo, & potu, & aliis rebus non naturalibus. Hæc inconuenientia materiæ, quibus reluctatur coctioni, respiciens Auctor dicit: *Et digestio quidem ingrossatione; æquatio eius cum subtiliatione; & in subtili æquatio eius cum ingrossatione.* Et his exemplis alia vitia in materia extinguenda sunt, & corrigenda suo contrario.

Plurimum Auctores circa intelligentiam vltimæ partis sententiæ Auic. dum dicit, *quod in materia subtili est æquatio eius cum ingrossatione*, laborant: nam hîc loquitur Auctor non de actione naturæ in materia morbi; nam hæc nunquam crassam attenuat, sed semper incrassat; loquitur ergo de præparatione, qua Medi-

A cus in materia morbi, vt coquatur, inducit, & hanc præparationem digestionem appellat impropriè, quia ad coctionem, seu digestionem ordinatur. Dubitant ergo, quomodo liceat materiam tenuem incrassare, si res, quò tenuior est, tantò meliùs superatur à natura, & coquitur: & nihil magis commendatur à Galeno in cura febrium, quàm attenuare, dissecare, & inscindere humores adhuc in acutis, & biliosis febribus, præterquam quod incrassatio subtilium non potest nisi adstringentibus fieri, quæ in febribus putridis vituperanda sunt, scilicet ea, quæ ventilationem impediunt. Constat ex Galeno t. *de vict. acut. com.* 18. exponens enim Hippocrat. laudantem ptisanam inter alia, quia non astringit, dicit ita: *Nemo siquidem adstringentibus vti cibis, nisi propter symptoma, quando animi deliquium inducat, vel*
B *propter immoderatum ventris profluuium cogit, siquidem constringunt corpora, viasque tum distributionis, tum alimenti, tum eius, quæ foras fit, perspirationis cohibere faciunt, quas apertas, reclusasque esse conducit.* Nihil clarius dici potest. Ad quod accedit, & quòd adstringentia non faciunt fluidum corpus, vt constat ex dictis, quod necessarium est ad expurgationem putridi humoris.

Mihi videtur rectè posse intelligi Auicen. ita vt aliquando materiam febris incrassare conueniat, quando nimis tenuis est. Nam cùm in hoc capite adducat omnes indicationes potentiales in febribus putridis, tam tenuis potest esse materia, quòd reluctatur coctioni ob nimiam tenuitatem, non quia agendo contra naturam resistat magis, sed quia ipsa tenuitas impedimento sit coctioni, quia
C cùm natura coquendo semper incrasset, modus substantiæ nimiæ tenuitatis impediet perfectam coctionem: hoc præcipuè contingit, quando febris ex serosis humoribus putridis pendet, aut ex aquoso sanguine, & putrido: in talibus enim coctio impeditur propter modum substantiæ coctioni oppositum. Constat verò incrassationem istorum fieri posse & adstringentibus, & exsiccatione, & calefactione; adstringentia enim conueniunt ob dicta: exsiccantia verò vtilissima, & moderatè calefacientia; nam prima per se exsiccando incrassant, & imbibendo in se humiditatem excrementitiam, à qua dilutus fuit sanguis, aut alij humores: calefacientia per accidens præstant hoc munus, resoluendo eandem excrementitiam humiditatem (moderata tamen debent esse calefacientia, tum propter febrem, tum etiam
D ne colliquatio fiat.) Quòd si putredinis focus in thorace sit, vt sæpè solet, quod & ex tussi adueniente in accessionibus colligunt Medici, incrassare magis oportet; nam etiam viæ sunt capaciores; & sic minus periculum est in incrassatione, & solent per sputum indicari tales febres, quod sine incrassatione non pellitur. Quòd si Medicus percipiat ob nimiam tenuitatem, & serositatem humorum sanguinem fluere copiosè in aliquam partem, aut ad focum, non dubitarem moderatè adstringere cum exsiccatione, & calefactione; nam in serosis humoribus, fluxu, & continuata putredine periclitantur ægroti magis quàm obstructionibus, ad quod non parum facit, quòd humores aquosi, & serosi non benè retinentur à natura, vt coquantur, quia ob flexi-
E bilitatem non adhærent partibus adhærentia naturali, sine qua retentio non fit: quæ retentio non leuiter impeditur humiditate superflua, cùm retentio hæc humiditate nimia non fiat; ob quæ moderatè adstringentia vtilissimè conceduntur in febribus ad incrassandam materiam, vt sic minus fluat, melius coquatur, & virtus retentrix firmetur. Prosunt etiam post corporis purgationem, quæ mouent vrinas, frictiones fortiores mediocribus, sudorem ciere abundantiorem in fine accessionum, aut multò ante victus exsiccans, & paucissimus potus. Quæ sic in communi dicta sunt ad explicationem textus, qui malè torsit multorum ingenia, vt in illius expositione non leuiter hallucinati videantur.

Dicit

Dicit deindè Auicenna: *Et omnes fructus nocent febricitanti cum ebullitione ſua in ſtomacho.* De humidis, & recentibus fructibus, & ſine præparatione ingeſtis loquitur hîc Auicenna; omnes enim habent humiditatem excrementitiam imbibitam, quæ à calore ventriculi, & febris vertitur nimis in flatus, & hoc appellauit ebullitionem Auicenna; quia ebullitio eſt commotio à flatu cauſata, quam calor eleuat: hinc inflatio ventriculi, deprauata retentio alimentorum, & per conſequens mala concoctio, ſed præcipuè ipſorum fructuum, quia corrumpuntur faciliùs ob humiditatem excrementitiam: ſanguis etiam genitus ex ipſis facillimè corrumpitur ob dicta, prætetquam quod habent multum inutile, & pauciſſimum vtile, vt docuit Galen. quæ omnia deteriora ſunt in febricitante, quia calor extraneus eſt, & corrumpens magis, quàm coquens humores. Etiam putridi ex contagio ſuo talia alimenta contaminant ob analogiam putredinis, itaque niſi pauciſſimi concedendi non ſunt, tum in curatione morborum, vbi quodvis erratum non leue videtur, nec paruipendendum: tum etiam ad tuendam valetudinem; perniciosa enim eſt immoderata fructuum ingeſtio, & non rarò accidentia veneno ſimilia inferunt. Legite Galen. *lib. bon. & mal. ſucci, cap. 1. vſque ad 3.* & videbitis, nullum eſſe malum, quod ex deprauatis alimentis, & fructibus expectari non poſſit, & qualiter ipſe in quolibet anno, in quo tempore æſtatis hortarios fructus ſine moderatione ingeſſit, ægrotauit; deindè verò ab eis ſe abſtinens ſanitatem integram longiſſimè obtinuit.

Sed adducta doctrina præcipuè vera eſt de fructibus æſtatis, quos fugaces appellant Medici, quia breui tempore corrumpuntur ob humiditatem immoderatam: nam fructus autumnales, & qui longo tempore repoſiti durant, ſecuriores ſunt, vt pira, poma, ficus, vua paſſa, & alia huius naturæ; tales enim repoſitione, & paulatina maturatione ſuperfluam humiditatem deponunt, & ſic minus putredini obnoxij redduntur, fiuntque vtiliores poſt aſſationem, quia ad hanc præparationem vtiles ſunt: fructus etiam acidi, vt mala medica, limones, mala citrea vtiliſſimè ſumuntur, aut ſuccus eorum loco ſalſamenti, & gratia ſuauioris guſtus, nam mirè ſitim extinguunt, & febrem, & appetentiam excitant, putredinem inhibent, & contra malignas, & peſtilentes febres ſummè commendantur, quia refrigerant cum exſiccatione, & cum partium tenuitate moderatè adſtringunt. Inter ſuccos verò acidos primum locum obtinet ſuccus citri, ſecundum limonis, tertium mali medici, poſteà ſequitur Omphacini, quod quia magis adſtringens, minus ſecurum in febribus, niſi vbi ventriculus laborat fluxione bilioſa; talibus enim extremè auxiliatur intus aſſumptum, & extra admotum. Idem præſtat ſuccus granatorum acidorum, ſed quia nimis flatuoſus, minus commodus eſt; acetum eſt optimum ex vino albo generoſo loco condimenti cum ſacchato, vbi talia deficiunt, vtiliſſimum eſt.

Dicit deindè Auicenna: *& multoties quidem inuenitur res, quæ digerit, & ſubtiliat, & euacuat infrigidans, ſicut ſyrupus acetoſus.* Duplex ſyrupus acetoſus conficitur, vnus cum aqua, ſacchato, & aceto; alius cum aqua, ſacchato, & melle. Primus appellatur abſolutè ſyrupus acetoſus ſimplex; ſecundus oxymel ſimplex; quilibet habet vim inſcindendi, attenuandi, detergendi & infrigidandi in febribus; ſed textus præcipuè intelligitur de ſyrupo acetoſo ſimplici ex ſaccharo; hic enim magis attemperat, & guſtui gratior exiſtit; attemperat ob aquam, & acetum, quæ frigida ſunt à prædominio; inſcindit ob acetum. Conſtat enim partium tenuitate, ob quam terram fermentat, & diſſecat, detergit ob ſaccharum, quod in calore temperatum eſt, & abſterſiuum, ob quod euacuatio quædam fit eorum,

A quæ venis, & oſculis adhærent glutinoſa; eſtque frequentiſſimus vſus huius ſyrupi in febribus omnibus, qui febrem, & cauſam omnem reſpicit, ſed bilioſam magis, quàm pituitoſam. Oxymel ſimplex magis attenuat, quia has qualitates magis participat mel, quàm ſaccharum, ſed minus attemperat; & ita etſi in omni febre conueniat, quia vt dixit Galenus, oxymel non accendit febrem; cum hoc tamen magis accommodatur febribus pituitoſis, quia craſſos, & lentos ſuccos mirè abſtergit, & diſſecat; ſed in vſu horum ſerapiorum ex aceto conſtantium & melle, duplex cautio habenda eſt; prima, quòd fœminis ferè ſemper nocent, quia vterus maximè irritatur ab aceti acrimonia, vt teſtatur Hippocr. *lib. de vict. rat.* Eſt etiam inimicum habentibus neruos debiles, & nimius vſus ventriculo,

B & inteſtinis nocet. Secunda eſt, quòd ſiccis naturis, & melancholicis oxymel eſt perniciosum, quia exſiccat ob mel, & acetum potenter, & ideò extenuatis nocinus eſt, & ita Tralianus *lib. 11. citato, cap. 10.* neque temperaturis, neque humoribus ſiccioribus oxymel conuenire dicit: Et Aëtius corporibus craſſis, & glutinoſis humoribus plenis commodum eſſe docet; carentibus verò excrementis, aut laborantibus tenui, & acri fluxione denegat.

Dicit vlterius Auicenna, *quòd quando febris eſt tantæ vehementiæ, & acuitatis, quod non liceat vti regimine cauſæ, imo indiget infrigidatione vltima, & propriè, cùm non eſt virtus fortis, & tolerans, nam ſi talis ſit, cauſam febris abſcindere oportet, & expellere humorem, & minuere cibum, & non eſt infrigidandum infrigidatione, quæ*

C *reſolui prohibeat; quòd ſi virtus deficiat, reparanda eſt attemperatione, & conueniente cibo, & reparatione facta, redire ad cauſæ indicationem.*

His verbis, quæ clariſſima ſunt, & iam expoſita in principio, quantum ad febris vrgentiam tradit præceptum maximè notandum in praxi, nempe quòd non debet teneri Medicus quolibet ſymptomate, neque qualibet intenſione morbi, ita vt indicationem cauſæ ſtatim prætermittat: hæc indicatio valentiſſima eſt, & non deſinenda niſi ob vrgentiam ſymptomatis, aut morbi, cùm morbum, aut ſymptoma radicitus extirpare ſit difficillimum, vbi remanet morbi cauſa in proprio vigore. Hippocr. certè, & omnes Medici, qui in

D magno pretio fuerunt, indicationem cauſæ ſequi conſueuerunt, multò audaciùs quàm vulgares Medici, qui ſæpè præſentibus ſymptomatibus territi, illiſque occurrentes, morbos pleroſque producunt, & vix niſi leuiſſimos perſanant. Legite Hippocr. *7. epidem. in hiſtoria Oneſianaſtidis*, & Valleſij expoſitionem, cuius eſt adducta doctrina: itaque etſi magna ſit febris, dum virtus conſtat, non infrigides (inquit Auicenna) infrigidatione, quæ reſolutionem cauſæ prohibeat; nam & morbus fiet longior, & fortè ob longitudinem mortalis: ſi verò virtus per intenſionem caloris deficiat, indicatio cauſæ prætermittenda eſt, & attemperare oportet omni ingenio, & cibis firmare virtutem, quo facto ad cauſæ ablationem redire oportet.

E Deinde dicit: *Et cùm tu infrigidas de iſtis febribus, tunc non infrigides cum eo, in quo ſunt ſtipticitas, & exſiccatio, niſi poſt digeſtionem.* Iam retulimus adſtringentium incommoda febrium putridarum, ob quæ modò vituperat illa Auicen. præſertim ſi ſint ſicca; augentur enim obſtructiones, impeditur ventilatio, omnia putrida detinentur intra viſcera, ſitis augetur, & ſiccitate acuitur caloris actiuitas, & diſponitur corpus ad hecticam: ſi igitur conueniunt infrigidantia cum adſtrictione, eſt poſt materiæ coctionem, & euacuationem, nam tunc ſolent eſſe commoda ad attemperationem viſcerum, & firmitudinem comparandam, quam ex relaxatione caloris perdiderunt: ſed neque hoc eſt perpetuò accipiendum; nam ſæpè ex magnis febribus remanent corpora tam exſiccata, & ita conſumpta, quòd aſtringentia

gentia ob exsiccationem meritò suspecta sint, nisi leuissima sit adstrictio; & satis est, quæ in ipsis alimentis naturaliter adest; ventriculum verò exterius roborare securissimè potest, vt alimentum benè commutet.

Dicit deinde Auicenna: *Quod curatio febris putridæ est diuersa à curatione hecticæ; nam hectica contenta est* (inquit) *cum contrarietate ægritudinis; & putrida non, quia requirit non tantum ablationem morbi, sed etiam causæ.* In curatione hecticæ nulla indicatio sumitur à causa, quia in opinione Galeni & Auicennæ, calor hecticæ à causa non pendet, & ita tota medela vertitur in morbos: at verò quia putrida febris à causa pendet humorali, quæ vt vidimus, habet diuersas indicationes à febre ipsa, ideò non fit satis indicationibus morbi, sed causæ summa cura habenda est.

Hæc doctrina habet non leues difficultates; nam in quauis opinione dicendum est calorem febrilem dependere ab aliqua causa, ac per consequens esse sumendam aliquam indicationem ab illa: nam necessariò causa illa est contra naturam. Nec obstat si dicas, quòd in opinione Galeni, & Auicennæ talis causa est propria forma, à qua conseruatur hecticus calor: constat verò formam auferri non posse. Sed contra est, quia forma, si conseruat prædictum calorem, est quia habet violentas dispositiones, & præternaturales, & putredinosas, à quibus cogitur conseruare illum calorem aut producere, & cùm illæ sint diuersæ à calore, necessariò dant peculiarem aliam indicationem distinctam à morbo. Ego certè ita existimo esse, & in nostra opinione multò magis, cùm opinemur esse partes corruptas, quæ habent calorem in facto, & veram rationem causæ, quæ cùm iam sint quid extraneum, & febrem conseruent, aliquid indicant diuersum à morbo; quia verò hoc non fit per sensibilem aliquam euacuationem, quia neque sanguinis missione, neque expurgatione extrahi potest, quod & in opinione Galeni etiam est verum; ideò dicit Auicenna cum Galeno, hecticam curari indicatione sola à morbo, quia quidquid morbo accommodatur, confert etiam ad causæ ablationem, nam frigida etiam attemperant causam, balnea aquæ dulcis resoluunt partes illas, quæ formam mutarunt: idem præstant inunctiones, & frictiones moderatæ, quæ ad renutriendum commendantur. Itaque si balnea, frictiones, & inunctiones laxantes ad renutritionem partium necessaria non forent, deberent nihilominus fieri ad resolutionem particularem, quæ putredine pereunt, quæ quia crassiores, & hærentes partibus seipsis separari non possunt, vt faciunt fuliginea propria leuitate, vt in particula pomi putrefacta constat, quæ à pomo non separatur, nisi vi extrinsecus accedente. Itaque tenuissimum partis, quæ putrefit, in fuligines vertitur, & propria leuitate separantur, & pelluntur per poros, & exspirationem: crassum verò adhærens remanet, & figitur, & sic indiget remediis laxantibus, & resoluentibus, & habet propriam indicationem, quidquid dicat antiquitas. Hinc febrium hecticarum curatio in attemperatione, & renutritione consistit; attemperatio ad compescendum calorem putrefacientem, aut adurentem partes: renutritio, vt resarciantur, & reparentur partes, quas per putredinem viuens deperdit, quia mutarunt formam. Et ego inquirerem libenter à Medicis, vnde cum tam remisso calore, qualis est in hecticis, tanta extenuatio, & consumptio prouenit; nam ad calorem referri non potest, cùm intensior multò sit in febre humorali continua & biliosa, in quibus non fit tanta extenuatio. Ego quidem non inuenio aliam causam, nisi quòd calor hecticus, qui est in facto, & habet rationem causæ, subiectatus in partibus, quæ iam mutarunt formam; ideo viuens illas amittens tam velociter extenuatur, & cum tam remisso calore: quia verò calor febrium humoralium nunquam est in facto in partibus viuentis, ideo formam non mutant, neque in fuligines abeunt, neque sequuntur, sed vnitæ remanent, etsi alteratæ magis à calore. Quod de cibatione docet hic Auctor habet proprium locum in *cap. sequenti*, vbi exponimus doctrina eius.

A Dicit deinde: *Et scias, quòd non est tibi possibile, vt cures febrem, nisi cognoueris eam; quòd si ignoraueris eam, tunc subtilia regimen & prouide, ne occurrat paroxysmo, nisi ventrem habeat vacuum.* Hæc sententia difficillima est, quia variè intelligitur ab Auctoribus. Ego sic interpretor Auicen. Et scias, quòd non est tibi possibile curare febrem perfecta & adæquata curatione, & omni securitate, nisi agnoueris eam; ob quod summè est studendum, vt febris, cuius curatio suscipitur, exquisitè cognoscatur, non quidem quòd sit febris, nam hoc ignorari non potest, sed cuius naturæ sit, & hoc non

B quòd sit tertiana quotidiana, aut quartana periculosa; nam hoc est, quod minus confert ad perfectam, & securam curationem; cùm ex omnibus humoribus circulus quilibet fieri possit, vt anteà docuimus; sed quòd exquisitè cognoscendum est, & cuius naturæ sit febris, quæ curanda suscipitur, an inquam biliosa, an melancholica, an pituitosa, an sanguinea, vel ex serosis humoribus, aut præternaturalibus: nam variatur in re curatio, prout ab hoc aut illo succo pendet tam in ordine ad medicamenta, quàm ad victus institutionem, & in ordine ad miscellam duorum humorum, quando vterque concurrit ad faciendum vnicum paroxysmum, & vnum modum repetitionis, maximè aduertendum est. Itaque quòd Auicenna non tradit præceptum cessate o-

C nia à curatione, vt multi falsò putarunt: sed commendationem cognitionis perfectissimæ naturæ febris, vt sic perfectè curetur, quasi diceret: Si non est tibi possibile benè curare febrem, nisi cognoueris eam, labora in cognitione, vt benè cures: nam quid absurdius, quàm præceptum generale tradere, quod sine vitæ discrimine in communi intelligi nequit. Dantur enim acutissimæ febres, quarum natura exquisitè ignoratur, in quibus si omninò desisteret à curatione Medicus, perirent ægroti. Sæpè etiam in consultationibus doctissimorum virorum discordia de morbi essentia inuenitur, & in eo, quod faciendum est, conueniunt, & morbi auferuntur; quia plura sunt auxilia multis morbis communia, & satis efficacia, sine quibus curatio fieri non posset, & deinde adiuta natura supplet

D illa remedia, in quibus morbi non conueniunt, & liberantur ægroti, qui sine dubio perirent communibus remediis non applicatis. Vndè neque verum existimo, quod Auctor 4. *lib. de vict. rat. text.* 52. consulit; dicit enim ita: *Inconstantes febres sinere oportet, donec consistent, vbi autem consisterint, victu, & curatione conueniente pugnabis secundùm naturam habita consideratione.* Galenus *in comment.* dixit, inconstantes febres esse, in quibus neque constantia periodorum inuenitur, neque in vrinis vna forma seruatur: sed si ter, aut quater in vnica die mingat æger, & dissimiles appareant vrinæ, itaque inconstantes dicuntur, quia vnam formam in dictis non seruant: Reliquit primò Galenus sine expositione, cur in tali-

E bus cessandum sit ab auxiliis, & neque victus ratio instituenda, donec constent, est. Ego verò in acutis febribus omninò cessare ab auxiliis, amethodum, & irrationabile indico, tùm ob dicta superiùs, tùm quia nullum periculum certius, quàm sine remediis acutas passiones relinquere, quæ inconstantes solent esse per totam constitutionem, & illius doctrinæ cognitionem, quæ à iuuantibus, & nocentibus acquiritur, item & curā. aut indicationē per analogismū excludit: temerarij itaque Medici esset acutas febres, quæ inopinatam, & rapidam mutationem habent, in vnam, aut alteram partem, mortem scilicet, aut vitā sine curatione relinquere. Hippocr. quidem *lib. de loc. in homin. text.* 118. ita docet: *Morbum si quis non cognoscat, medicamentum bibendi prabeat non forte:*

Si

Si itaque lenior indè fiat, demonstratiua via est. Galenus etiam 2. *de loc. affect. cap.* 1. ignorata morbi causa,& parte affecta,& affectu,remediis adhibitis sanauit seipsum. Putabat enim se laborare lapide impacto in vreteris & malum erat cholicus dolor ex pituita vitrea, & iniecto oleo rutaceo pituitam excreuit, & liber euasit. Similitudo itaque doloris fefellit Galen. & similia discernere doctissimi adhuc non possunt, & sicut similia sunt, ita remediis conueniunt, ob quod dicebat idem Galen. 6. *de loc. cap.* 2. *Igitur vt ab initio horum affectuum distinctio difficilis est, ita hac specie non ita magnam differentiam præsidiorum ipsi requirunt*: quòd autem ignorata morbi essentia licitum sit curationem moliri, satis doctè adduxit Magister noster *lib. de loc. affect. cap.* 6. *disput.* 62.

Si verò febres sint inconstantes, & ex signis constet non vrgere, & per consequens non esse periculum in mora, benè potest Medicus aliquibus diebus cessare ab auxiliis magnis, & alio modo naturam regere, donec morbus constet; tuncque secundùm speciem, & naturam propria remedia, & conuenientem victus rationem imperare: quia verò aliquando, vt dixi, morbi sunt inconstantes, vsque dum finiuntur, & non cognoscitur propria morbi natura exquisitè, & totam morbi constitutionem transigere sine auxiliis, etiam in longis, temerarium esset, ob permutationem, quæ in alios morbos grauiores meritò timetur, & ob vulgi infamiam, quam fugere Medicus non potest, nihil agendo consideratione dignum, ideò ad auxilia communia confugiendum est, & symptomatibus maioribus occurrendum, & dandæ potiones, quæ ob mediocrem naturam nulli nocere possint, etsi non ita auxilientur, scilicet quæ morbo directè conueniebant, exemp. g. si Medicus dubitet, an febris, cui medetur, sit quotidiana, tertiana, vel quartana, aut quòd dependeat ab hoc, vel illo humore, non dubitabit de missione sanguinis; quod remedium, scilicet celebre, est necessarium & securissimum, quia omni febri putridæ conuenit, & ita est auxilium commune, quod nulli febri putridæ nocere potest, præsentibus necessariis scopis. Rursus concoquentia serapia, attenuantia, & aperientia, cui febrium sorti denegantur, & cui non sunt vtilissima? Ventriculi roboratio, similiter alui excrementa deponere omnibus vtilissimum est, tenuiori vel victu similiter, quia in omnibus febribus semper detrahitur: cuicumque febri cum satietate incipienti conuenit cibi parcitas nimia, & medicamentum leniens, quod cruditates deponat, & obstet, quominus ad vasa distributæ augeant obstructiones, & febres: si ob vapores ascendentes in cerebrum caput insigniter doleat, repellendi sunt, & firmandum caput, ne recipiat apposito oxyrrhodino: & si ob dolorem æger non dormiat, erit sumul somniferum; conueniunt etiam continuæ crurum frictiones, & cucurbitæ ad retractionem vaporum ascendentium ad caput. Si si dolor alius vrgeat, anodinis demulcendus, & si opus fuerit, quia debilitat nimis, addenda stupefacientia ad sensum partis auferendum. Sic sunt alia infinita, quibus occurrere possumus, etiamsi febres non constent.

Sed strenuum est exemplum Galeni, in quo explicuit inconstantes febres; dixit enim esse illas, in quibus neque in periodis, neque in vrinis aliquid firmum, aut constans inuenitur. Periodus constantia duplex est, prima, quia anticipentur nimis sine ordine; secunda, quia postponantur: in postpositione non est cur à remediis cessemus, cùm potiùs dent maiorem locum remediis. Tota difficultas est, quando sine ordine anticipantur, & in quauis diei hora repetere solent: hoc enim tam vehementer timuit Mass. vt propterea putet ab omni remedio, & cibo esse cessandum in inconstanstantibus febribus, quia metus est, ne in tempore incommodo dato pharmaco, aut facta sanguinis missione, aut dato alimento grauis sequatur noxa. Quam doctri-

A nam non probo; nam in tumultuosa accessionum repetentia, & sine ordine non potest non laborare multum natura, & esse acutam passionem: significatque esse multas partes transmittentes ad eundem focum, aut diuersos, & magnam succorum multitudinem, ita vt quando humor ab vna parte transmissus iam absoluitur, & incipit febris remitti, alia pars iam grauetur, & mittat de nouo & incipiat noua accessio: in quo casu non video, cur magis sit cessandum à missione sanguinis quàm in continentibus febribus, quæ semper augentur; nam in his non expectamus tempus magis commodum, in quo auxilia fieri possint, cùm semper totam morbi constitutionem febris intendatur, & nihilominus non cessamus à remediis. Cur ergo in tumultuosa accessionum inuasione, quæ & multitudinem
B significat, & partes plures transmittere, cessandum est à missione sanguinis, & permittendum ægrorum suffocari, & totá massam sanguinariam corrumpi? Si ergo in summo incendio continentium sanguis extrahitur, etiamsi statim febris mitescat necessariò, quia sic perit idea morbi, cur non mittetur in rigore huius accessionis, etiamsi timeatur paulò pòst nouam accessionem venturam, cùm hoc certò non constet, quia febris inconstans est: & si potest repetere noua accessio, potest non repetere ex ipsa inconstantia febris, præterquam quod reuulsio, & depositio multitudinis ex ipso sanguine potest non leuiter retardare, aut impedire ex toto accessionem venturam, & vbi non datur primum auxiliorum tempus, secundū sumendum est, & amandum. Melius itaque esset in in-
C termissione, aut in declinatione sanguinem mittere, & longissimè à ventura accessione; sed quando id fieri nequit ob morbi ideam, sumendum quod possumus, & melior occasio, quæ nobis se offert. Id eleganter docuit Celsus *lib.* 3. *cap.* 17. respondens obiectioni Asclepiadis putantis sanguinem mittere in phreneticis esse perniciosum, quia nunquam febris remittitur. Dicit ita: *Multa in præcipiti periculo rectè fiunt, aliàs omittenda, & continua quoque febris habet tempora, quibus etsi non remittitur, non tamen crescit, estque hoc vt non optimū, sicque non primi remedij tempus.* Gratia itaque vrgentiæ periculi præcipitis agendum aliquid est; nam licèt non sit optimum ita operari, vitari tamen non potest. Hippocr. itaque quod optimum respiciens dixit, nihil esse agendum; nos verò quod necessarium est, aliquando docuimus;
D nam vt diximus, nullum maius periculum, quàm acutam passionem sine auxiliis relinquere. Deinde inconstantiā vrinarum constat ridiculum esse, quòd impediat auxilia, cùm nullum fundamentum adduci possit ad hoc firmandum, etsi non ignoro vrinarum mutationes possibiles esse, quando ex variis excrementis febres oriuntur, vt diariæ etiam contingere solent in morborum initiis cum ægrorum commodo, vt Tralianus docuit: sed hæ vrinæ curationem idoneam non impediunt.

Dicit rursus Author: *Et non moueas in die paroxysmi aliquid quantum possibile est, nec cures febrem.* Hæc verba docent, in die paroxysmi non esse mouendum corpus per medicamentum expurgans, aut missionem sanguinis, quod intelligi potest in morbis habentibus diem inter-
E missionis, vt in quartana simplici, aut in tertiana, quia semper medicamenta, seu auxilia sunt imperanda, quando minor vis infertur naturæ, & melius toleratur: hoc autem est in intermissionis, aut remissionis die: quia verò sæpè contingit quolibet die accessiones molestare, constat necessariò in die paroxysmi esse applicanda remedia; & tunc eligimus horam quietiorem, & in qua minus molestatur natura, & à morbo minus opprimitur.

Dicit vlterius: *Et oportet, vt obserues in omnibus aliis dispositionem virtutis; quod si fuerit fortis, & illud, quod vincit, fuerit sanguis, aut fuerit cum humore, qui vincit sanguis, tunc phlebotomia est magis conueniens res, & propriè, cùm vrina est grossa, non citrinea ignea, ex qua timeatur apud phlebotomiam victoria calore, & acutie eius.* In omni

omnibus febribus putridis sanguinem extrahere oportet iuxta Auicennæ doctrinam, si duæ inueniantur conditiones: prima, quòd sanguis vincat in causa febris, vt quando fiunt continentes. Contra quod etsi demus, quod sanguis non vincat vt causa, sed alius humor sit, non sit talis humor separatus à sanguine, sed sanguis sit permixtus humori vincenti: hoc autem indicatur, vt putat Gentilis, per vrinam rubeam, & grossam, non igneam ob sanguinis permixtionē cum humore suo modo, & similiter suo modo haber crassitiē, prout hic, aut ille humor est causa. Quando sanguis solus peccat, est rubea magis cum mediocri crassitie; est magis remissa rubedo, quando peccat pituita in sanguine, vel melancholia, sed crassior apparet, nisi complicetur aliqua obstructio in vijs vrinę, ob quam percoletur, & tenuis appareat. Est tamen rubedo magis clara, & minus crassa vrina apparet, quando cum sanguine bilis prædominatur, & causat febrem; quando ergo sic apparet, vrina rubea scilicet & crassa suo modo, aut modo humoris peccantis, permixti tamen cum sanguine, tunc phlebotomia est res magis conueniens, quàm quodlibet aliud remedium ob multas vtilitates, quas affert in febribus putridis, ob quas non vnicum, sed multiplex auxilium datur. In primis reuellit à foco putredinis: secundò minuit materiam peccantem, & quæ fluxura est, vt deinceps quod superest, citiùs vincatur à natura: deobstruit etiam, ventilationem auget, & ad purgationem fuliginosorum excrementorum nimis conducit, & sic & euacuando humorem putridum refrigerat, & quia vasa maiorem capiunt quantitatem aëris, dat locum maiorem attemperantibus, & deobstruentibus auxiliis, & fluidum facit corpus inaniendo vasa, estque simul expurgatio quædam, quia est euacuatio humoris qualitate peccantis. Cùm ergo tot præter bona hoc egregium auxilium, meritò multiplex remedium dicitur, & summariè dicit in textu Auicenna, quòd sanguinis missio est magis conueniens res. Hinc Galen. 11. *Meth. cap.* 15. non in continentibus modò, sed in aliis febribus, quas putrescens parit humor, sanguinem mittit, vt alleuiata natura ab ea, quæ velut sarcina premebat, faciliùs, quod reliquum est, vincat, & dum tradit methodum resolutoriam in febribus putridis, quod timeret & obstructiones futuras præcaueret, si compescamus humoris affluxum. Constat verò optimè impediri fluxum humoris ad focum reuellendo missione sanguinis, quia & retrahitur quod fluxit, & euacuatur, quod fluere potest, & si licet in ipsa, aut casu sanguinem extrahi ad impediendum, ne fluant humores ad partem continuam; non est cur in febribus non mittatur, cùm actu moueatur causa ad focum putredinis: quia ergo vergit humor quò non oportet, reuellendus est, vt docuit Hippoc. 6. *Epid. part.* 2, *text.* 29. & Galen. 1. *ad Glauc. cap.* 1. *dimittentium humorum retractio medela est*. Quod vlteriùs docet Auicenna, est maximè necessarium; nam quando vrina est citrina & ignea, vituperat missionem sanguinis, quia tunc sanguine extracto victoriam choleræ, & acrimoniam eius, secus ac vulgares Medici faciunt, qui ad proportionem, qua vrinam incensam, & igneam aspiciunt, copiosiùs sanguinem mittunt, putantes, quòd cùm sit refrigeratorium auxilium, vt diximus, magis indicatur, quò maius incendium internum vrina igne repræsentat. Auctor verò noster èeontra facit.

Hanc doctrinam intelligunt Auctores, quando humor biliosus, qui est causa febris, non est sanguini admixtus: tunc enim si sanguinis missio fiat, fit incommodè, & cum periculo: quia præterquam quod non euacuatur aliquid peccantis humoris, nec fit reuulsio à foco putredinis, euacuatur quod conueniebat intra corpus manere, scilicet sanguis, & reliqui humores, & inanita vasa trahent ad se gratia vacui, sicque intromittetur putrefactio bilis, quæ extra vasa putrescebat, & contagio sanguinem corrumpet, calefaciet, biliosúmque reddet, & acriorem, & omnia mutabuntur in peius & in ipsa motione, quando bilis corrupta attrahitur ad vasa, malignè euaporatur, & syncopen, aut deliquia animi excitat. Summæ ergo aduertentiæ est Auicennæ præceptum. Colligit verò non esse sanguini admixtum biliosum humorem ex vrina ignea cum tenuitate; nam hæc duo à bilioso humore non permixto causantur, vt *in comment.* docet Gentilis.

Sed hæc doctrina sic intellecta indiget limitatione; non enim rectè colligitur, quòd si febris dependeat à bile separata à sanguine, semper sit cessandum à missione sanguinis; nam potest moueri a vasis ad partes aliquas extra vasa, vbi putrescens faciet febrem, quod non tollit, quominus sanguis mittatur, nam iuxta doctrinam communem Galeni, & Medicorum, in omni intermittente febre humores extra vasa putrescunt, & non ob id cessant ab hoc remedio, vt nos latius explicabimus inferius. Itaque quando mouetur bilis ex vasis ad partes extra vasa, etiamsi dum causat febrem, sit impermixta, tamen materia antecedens permixta sanguini existit, & ideò commodè extrahitur; tunc verò non erit iuxta Auicennæ mentem, & expositorum, vrina tenuis, & ignea, sed crassior apparebit, & minus incensa ob correctionem sanguinis. Ad quod accedit, quòd portio illa, quæ in paroxysmo extrauasatur, resoluitur in ipso, & ita non sequuntur inconuenientia ex missione sanguinis, quæ retulimus.

Maior difficultas est, quare vitietur vrina eo modo relato ab Auctoribus, si bilis accessionem faciens extra vasa continetur; nam non significat illa, nisi dispositiones vasorum, vt docet Galenus 4. *de sanit. tuenda*, & non omnium, sed maiorum tantum, vt est communis doctrina Medicorum: ergo non videtur possibile, quòd vrina reddatur tenuis, & ignea ob bilem extra putrescentem. Quòd si dicas ab incendio igneam reddi, quod videtur probabile; non tamen redditur causa, qua fiat subtilis: nam supposito quòd bilis portio, quæ facit febrem, non mittatur à vasis ad extra, vt diximus, quia in hoc casu non est, cur missio sanguinis impediatur, constat tenuem fieri non posse, cum intra vasa remaneat naturalis portio bilis cum sero descendens, à qua serum suam corporaturam, & crassitiem comparat, imò ob dicta crassior deberet apparere, quia incendium bilis extrauasatæ serum absumit: & cùm aliàs non deficiat bilis intra vasa, quia quæ facit accessionem non fuit ab illis transmissa, redditur corpulentior ob seri maiorem consumptionē: nec si aliquid detrahitur ex bile ad vasa, vrinam tenuem reddet, nā illud aliud non est, quàm fuligines ex bile putrescente eleuatæ, quæ vrinam non permutant quantum ad modum substantię licèt colorē intensiorem efficiant.

Propterea mihi videtur aliter dicendum, quòd Auicenna in casu adducto non loquitur de bile putrescente extra vasa, nec id colligi ex vrina ignea, & subtili. Quod ergo dicitur, est quòd quando vrina nimis tenuis, & ignea apparet, tunc non est permixta bilis sanguine commodo, quod requiritur ad secandum venam, & ideò timorosum esse remedium: permixtio enim, quam cum sanguine desiderat Authoc, est illa, quæ fit per minima, id est, per diuisionem in minimas partes, ita vt ex illa apertè constet non excedere sanguinem in magna parte: nam tunc securè mittitur sanguis, quando verò nimis excedit sanguinem biliosus humor, tunc enim permiscetur, quia dantur plures partes bilis ob copiam separatæ à sanguine, quia paucus sanguis non potest per minima misceri cum multa bile, scilicet nec pauca aqua cum multo vino: id verò demonstratur ex vrina tenui, & ignea; ignea quidem ob excessum calidi humoris, tenuis, quia vt docet Galenus 4. *de sanit. tuend. c.* 6. qualiscumque fuerit humor in corpore, tale necesse est appareat eius serum, & cùm bilis sit humor tenuissimus, ita & eius serum est tenuius reliquis: quando ergo abundat nimis, descendet nimia quantitas huius seri biliosi, & tenuioris, & sic vrina tenuior, & biliosior apparebit: quia ergo

cacochymia biliosa demonstratur ex tali vrina, & ex nimio excessu bilis supra sanguinem, timenda est victoria choleræ, & actiuitas eius, & ideo cessandum ab hoc remedio, quod docuit Galen. 8. *de sanit. tuend. cap.* 8. vbi ita reliquit scriptum: *Vbi quidem pauculum vel citra sanguinem restitutum est, vel citra processum est, audacter mittendus sanguis est; vbi autem plus, consideratius agendum; vbi verò plurimum, in his nullo modo mittendus.* Hinc Auicenna tradens curam causonis *fen.* 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 41. dicit: *Et non phlebotometur, fortasse enim inflammabit eos, & fortasse iuuabit eos, si fuerit ibi turbiditas, & rubedo.* Ecce qua ratione in eodem morbo, in quo humor intra vasa putrescit, missionem sanguinis admittit, quando est turbiditas, & rubedo, quod in *nostro cap.* appellauit rubeam, & grossam vrinam; negat verò sectionem venæ quando fuerit ignea, & subtilis, quia tunc potiùs inflammat.

Video tamen circa hoc præceptum omnes ferè Medicos hallucinatos, non capientes qua ratione ex missione sanguinis in adducto casu sequitur victoria bilis, & acuitas eius. Argumentum est hoc. Secta vena extrahitur in proportione, qua est extra vasa, & remanent similiter in eadem proportione humores, sub qua existebant: ergo non est, cur sectam venam sequatur victoria choleræ, & acuatur, nam stante missione sanguinis non erat victoria, ita nec post, cùm eadem sit proportio bilis ad sanguinem remanentem, & reliquos humores. Ad quod respondeo quòd si in omnibus partibus venarum esset æqualis permixtio bilis cum reliquis humoribus, efficax videretur argumentum de proportione adductum; non tamen est ita, quando bilis generat causum, sed in determinatis partibus colligitur, in quibus solis causum facere potest: vnde euacuatis reliquis vasis primò extrahitur sanguis sine æquali portione bilis, & sic remanet illa efficacior ad agendum, quia contrarium eis resistens diminuitur; ipsa verò non. Id constat quia Galen. 1. *Epidem. sect.* 3. *comment.* 9. docuit, bilem non generare febrem ardentem in quibusvis partibus corporis detentam, & putrefactam, sed circa ventriculum, & præsertim circa illius os, aut circa iecoris partes imas. Item & circa pulmones, & cor eandem generat febrem; quod si verum est, constat, quod extrahitur multò magis, & priùs sanguis aliarum partium, quàm bilis ex parte, intra quam fertur, & causum generat: sic enim docent omnes, quòd si humores causantes malignam febrem sint in venis cordi proximis, extrahitur sanguis inculpatus omninò, & optimus cum ægrorum periculo.

Dico secundò, quòd etiam si esset æqualis permixtio in omnibus partibus, & ratione sectæ venæ remanerent humores in eadem proportione, quam habebant antea, & ita attendendo ad solam alterationem videretur æqualis actiuitas, & resistentia, non tamen ita est, si alios affectus attendamus: nam in primis certum est, biliosas naturas, & in quibus moderata copia sanguinis generatur, nunquam abundare multo vitali spiritu, imò extra spirituum diminutionem patiuntur perpetuò. Primò, quia cùm materia spirituum sit sanguinis pars vaporosa, aërea, & humida, & hanc in multa copia nunquam obtineant biliosæ naturæ ob siccitatem, & calorem contra naturam, ideò non abundant multo spiritu ob idoneæ materiæ defectum. Secundò spiritus, quos habent biliosæ naturæ, sunt facilè dissipabiles, quia calidissimi, & tenues; habent etiam acerrimas & nimium extenuantes fuligines, ob quæ nimiè dissipantur; & facilè linquuntur animo: ob quod Galenus 5. *ad Glauc. cap.* 53. docuit, biliosam naturam copiosam euacuationem sustinere non posse. Cùm ergo in causone & bilis abundantia febrem squalidam generante tanta eleuetur per accessiones mordacium fuliginum copia corpus exurens, quid mirum per missionē sanguinis euacuato sanguine, & spiritu ad bilis efferuescentiam peruenire, & ad extremam debilitatem? remanent itaque humores in proportione, qua existebant, & in simili remanent: sed cùm euacuentur simul spiritus, & pars sanguinis spirituosa, quia ad replendum vacuum mouentur faciliùs, & magis quæ tenuiora, ex Galeni doctrina; ideo euacuatur plus de causa resistente, & attemperante bilem, quàm de bile ipsa, & per consequens magis exurit sanguine misso: præterquam quòd per accessiones & toto tempore febris increscit causa calefaciens, & exiccans, quia augetur putredo, vel vstio; non tamen increscit causa resistens: & cùm hæc minoretur per sectionem venæ, fit efferuescentia maior, & sanguis amplius bilescit. Accedit ratio Physica, quia cùm certum sit, omne agens requirere certam quantitatem, vt operari possit, etsi post sectionem venæ remaneant humores in simili proportione; tamen vbi datur sanguinis parua copia, & multa contrarij agentis, bilis scilicet, potest esse defectus maior in sanguine in ordine ad resistentiam, quàm in bile in ordine ad actiuitatem; nam cùm hæc habeat in casu posito insignem excessum, etiamsi diminuatur aliquid eius, non ita minuitur actio, scilicet in sanguine, quia cùm sit in parua quantitate, diminutio illius magnum defectum inducit in ordine ad resistentiam bilis, sed de hoc etiam dicemus in cura causonis. Lege Argent. *fol.* 2246.

Dicit deinde Auicenna, *quòd post sanguinis missionem, si fuerit ventris siccitas, fiat ventris solutio cum aqua hordei, & manna, aut cum eadem aqua, & sirupo acetoso, ita quòd intentio Medici vltima solutio laboriosa, aut fluxus.* His verbis traditur præceptum vtilissimum, & maximi momenti in febribus, scilicet quòd post phlebotomiam fiat ventris lenitio, non quidem ad deponenda excrementa communia; nam hæc ante missionem sanguinis euacuanda sunt per clysterem, si natura sponte illud non faciat, vt est commune præceptum. Indicationes ergo ad leniendum post sectionem venæ sunt: primò quia sanguinis missio solet ventrem exsiccare, nam extrahendo humiditatem, & reuellendo à ventre suo modo illud facit. Præterea quia calor febrilis exsiccat intestina, & excrementa similiter minus lubrica fiunt; lenienda ergo, & humectanda sunt. Item quia cùm ægrotantes quiescant, tardiùs descendunt excrementa, quàm per bonam valetudinem, conferente motu non parum ad hoc, & posito ipso ad proportionem, necessarióque tardo motu mouentur excrementa, exsiccantur magis, & duriora fiunt: lenire ergo oportet. Præterea rarum est, non dari in omnibus excrementa pituitosa in totúmque inhærentia, quæ ineuitabilia cùm sint, à calore febrili alterantur, & putrefieri solent, quæ & malignè euaporant, & appetentiam tollunt, & febrem augent; lenienda ergo, & detergenda sunt. Præterea à calore febrili in mesaraïcis venis alimentum conclusum solet secundum aliquas partes corrumpi, quas distribui per vasa non conuenit, sed inferiùs inclinandæ, vt descendant. Tandem quia missio sanguinis commouere solet non tardò vasorum humores, & in ventrem inferiorem inclinare: ducendi ergo sunt, & euacuandi. Hæc ergo commoda procurat Auic. & complet lenitione post sanguinis missionem: itaque non consulit expurgationem minoratiuam, neque eductionem humoris facientis febrem, sed solùm intendit quæ diximus. Aduertit tamen vtilius esse, quòd hæc lenitio fiat clysteribus, quia minus debilitant, quàm hæc, quæ intus sumuntur; nam hæc ventriculum effæminant, cùm lenientia, & detergentia esse debeant; sumuntur cum ingratitudine & molestia, & cibi fastidio, quo ferè semper molestantur febrientes: augentur, nec per clysteres fit commotio, vt per ea quæ ore sumuntur, nec medicamenti aliquid ad vasa distribuitur, scilicèt quando intus assumitur. Vnde optimum præceptū, quod & Gentilis animaduertit, quòd quamuis æger secundum consuetudinē alui excrementa deponat, non prætermittatur vsus clysterum ob commoda dicta: quod præcipuè obseruabitis in omnibus gulosis, & malè coquentibus, aut excrementa cruda in ventriculo congerentibus, aut alio, qui æger ob

ob vitium, & debilitatem in morbo contractam minus bene concoquat, vt fieri solet.

Dicit deinceps Auicenna: *Deinde fac ipsum sequi ea, quæ vrinam prouocant, scilicet sirupus acetosus decoctus cum radice apy, & similibus.* Euacuato corpore per missionem sanguinis, & facta ventris lenitione, danda sunt in curatione febrium putridarum, quæ materiam febris per vrinam moueant, & pellant, non enim ante euacuationem totius, & ventris lenitionem idonea esse possunt, quoniam si in prima aliquid crudum, aut vitiatum esset, in his moueretur, nec si totum euacuatum esset, carerent periculo, quia commouerentur humores, & ad loca obstructionis fluerent, quod de omni attenuante, & deobstruente docuit Galen. 8. *Meth. cap. 4.*

Vt autem breuiter intelligatis quod ad hanc indicationem pertinet, notate, quòd medicamenta propriè diuretica, & mouentia vrinas sunt calidiora, quàm quæ conducunt ad lactis generationem, & mouendos menses seu menstruam purgationem, & talia raro conueniunt febribus ob immoderatum calorem, & siccitatem, nisi fortassis febris lenta esset, & pendens ex sanguine aquoso, aut nimis crudo: sunt enim diuretica propriè calida in tertio gradu, & sicca ad finem illius, debent enim segregare a sanguine id quod aquosum, & serosum est, vt indè attrahatur à renibus: segregatio verò, & fusio nisi à magno calore non fit. Alia sunt medicamenta vrinas mouentia impropriè eo quòd aut abstergendo, aut attenuando id quod lentum, aut crassum est, disponunt, vt à renibus simul cum seroso excremento attrahatur id, quod in tenues partes diuiditur, & cum partium tenuitate separant serosum excrementum à massa sanguinaria, quod solet esse non leuis occasio putredinis; ea igitur, quæ sic attenuant, & inscindunt, & abstergunt, mirè conferunt ad euacuandam serosam humiditatem per vias vrinæ: solet autem per putredinem humorum huiusmodi serosa humiditas redundare, & separari in ipsa mixti dissolutione per putredinem: ergo euacuare eam eo modo vtilissimum est: præterquam quod adducta medicamenta non parum ad coctionem conferunt, quia & deobstruunt, & attenuant crassos humores: datur autem vtilissimè medicamentum relatum ab Auctore, scilicet sirupus acetosus vnus, qui ex sacchato, aqua, & aceto solùm componitur, quem simplicem appellant omnes ad differentiam alterius, qui plura simplicia continet, vt docet Mesues. Confert in febribus pendentibus à bile, & pituita; nam inscindit, abstergit, aperitque oplationes, quæ sunt in iecore, splene, & renibus. Simplici vtimur in principio post vniuersalem euacuationem in febribus ardentibus; composito verò in febribus à crassa materia pendentibus, & præcipuè quando purgato iam corpore nondum cessat febris repetitio, quia aliquod viscus obstructum est: his enim mirè auxiliatur, atque minus attemperata simplici, sed eius caliditas temperata est; itaque sine incendio, aut calefactione optimè deobstruit, & detergit, & quia vrinas potentiùs mouet quàm simplex, & non ita temperans, ideo & maiorem corporis euacuationem desiderat, & remissiorem febrem, ac per consequens in declinationibus febrium diuturnarum summè commendatur; sed si febris dependeat ex feruentiore bile admixta tamen serosæ humiditati acri, & inflammabili, completur indicatio mouendi vrinas his, quæ refrigerando, & attemperando illud efficiunt, vt emulsio seminum frigidorum minorum & præcipuè maiorum facit, aut decoctum eorum, radices graminis, & hordei, & cichoreæ. Constat ex doctrina Auicennæ in hoc capite, quòd ad danda medicamenta vrinas mouentia mediocriter, non est necessaria materiæ coctio, cùm illa post sanguinis missionem, & lenitatem ventris concedat, quæ verò vehementiùs mouent, vt dixi, post purgationem, & materiæ coctionem dantur commo-

A diùs, & ita noster Vallesius 4. *libro Meth. cap. 2.* vltimam colophonem putridarum febrium curatione optimè imponit vrinæ per motionem, aut euaporationem per balneum.

Dicit deinde Auicenna: *Deinde facillimum sudare, & aperire meatus cum eis, in quibus non est calor fortis, scilicet cum inunctione ex oleo camomillæ, & fricatione cum vino albo, & cum aqua dulci tepida.* Per hoc quod dicit Auicenna: *Deinde facillimum sudare*, non intelligatis sudoris prouocationem magnam; nam hæc non est multi vsus pro febrium curatione in communi. Cùm ergo docet, vt disponatur æger, vt sudet aperiendo meatus rebus temperatis, vt si natura velit iudicium febris per sudorem efficere, sit præparatum corpus & benè dispositum ad illam terminationem: præterquam quod ad reddendum corpus perspirabilius, & euaporanda fuliginosa excrementa, quod docet, est B vtilissimum, & ita in omni febre: cutis enim laxitas, & pororum apertio, vt dilatio occulta meliùs fiat, & corpus magis ventiletur, summè confert. Hoc munus præstat oleum camomillæ nondum satis laudatum; inungitur enim illo moderatè calido totum dorsum, quando febris inclinat in continuis, & sic declinat citiùs, & solet æger madere, & quadam suaui perfusione humectari, & euacuata parte materiæ, quæ accessionem faciebat, & dissolutis citiùs fuliginibus acribus, & interim etiam serosis humoribus excalefactis iuxta cutem existentibus, leuatione eger, & somnum cum delectatione conciliat, cessante in visceribus C exustione, qua molestabatur. Miscetur etiam commodissimè oleo camomillæ, quod ex amygdalis dulcibus extrahitur, quando febris ardentior est, & aqua hordei vtrumque lotum optimè præparatur: detergunt enim magis, & attemperant. Sed notate circa hoc remedium, quod cum vi naturæ conueniat, nullis tamen magis conuenit, quàm agricolis, & his, qui carne duriori constant, & sunt habitu densioria: talea enim ob densitatem minus ventilantur, & sic magis egent hoc remedio celebri. Iam enim vobis adduxi locum Hippoc. *lib. de alimento*, vbi docuit, quòd qui densi sunt corporis, tardiùs conualescunt à morbis, quia ob pororum occlusiones minus resoluuntur. Secundò notate, quòd oleum post inunctionem debet abstergi linteo calido moderata frictione: nam si ibi D remaneret oleum hærens cuti obstrueret, & moderata frictio, & suauis, præterquam quòd oleum detergit, est vtilissima, quia etiam porus recludit, & laxat: dura enim, & aspera frictu siccat, & indurat corpus, ex doctrina Hippocr.

Tertiò notate, quòd solet esse aliquando febrium maligna constitutio sudoribus diapleureticis, seu syncopalibus interficiens, à quo pernitioso symptomate vix aliquis liberatur; in quo casu à prædicta inunctione, & laxantibus merito abstinebitis, scilicet ab eis, quæ interiùs sumpta sudorem prouocant.

A contraria ratione, si constitutio sit talis, quæ optimis sudoribus morbos terminet, & benè finiat, summa vtilitate exequetur. Tandem in temporibus caE lidioribus minus necessaria est, sed in frigidis vtilior, quia calor exteriùs laxat, scilicet inunctio; frigus verò condensat. Idem iudicandum est respectu causæ morbi, nam tenuior minus eget tali remedio, crassior verò magis, in qua aliquid magis extergens, & attenuans solemus oleis miscere, vt fortasse aliquid nitri in tenuissimum puluerem redacti; est verò satis drachma pulueris pro vncia dimidia olei.

Vlterius dicit Auicenna: *Et si febris fuerit acuta, non inuenis excusationem ad inunctionem, & embrocationem.* His verbis iuxta expositionem Gentilis, & Herculani docet Auctor, quòd inunctio adducta cum oleo camomillæ, & reliquis non est applicanda in febre acuta, id est, intensa nimis; nam in his ita affectis

potiùs est opus frigida inunctione, & embrocatione; nam quando timemus transitum febris ardentis in hecticam, potiùs inungimus spinam totam oleo violaceo, & nenupharis. Et si aliqua pars interna æstuet nimis, vt ferè semper contingit in adurentibus febribus, attemperanda est embrocatione, epithemate infrigidante, & mitigante incendium interni visceris, ne in verum erysipelas, aut inflammationem permutetur, & ne in hecticam transeat, aut corpus diaphoreticis caloribus colliquet.

Circa quod præceptum hoc tanquam primum principium, & maximè necessarium debetis obseruare, nunquam dari acutas febres absque læsione alicuius internæ partis, quæ aut distemperata nimis sit, aut obstructa, aut aliquo incendio inflammatorio laboret: quæ ipsa omni solicitudine, & cura exploranda est tam per tactum, quàm per signa alia, quia non omnes internæ partes tactu deprehendi possunt, & iuxta naturam partis, & mali, quo affligitur, indicationes salubres elicere, & idoneis remediis auxilium ferre. Est autem commune præceptum, vt æger supinè decumbat moderatè crura mouendo, versus nares sursum constituens, & vniens vtrumque genu: sic enim hypocondrium per tactū modicè exploratur, & animaduertitur, an ventriculus, lien, iecur, septum, aut alia pars ad intestina & ilia pertinens, dolorosa sit, tensa, nimis æstuans, aut alio modo, quod per tactum Medici assequi possit, corripiatur: nam dum secundùm naturam hæc regio se habet, debet esse sine dolore & mollis, & æqualis dextris, aut sinistris partibus, vt 1. *prognost.* docuit Hippocr. qui autem dum per opus vniuersum *de vulg. morb.* refert affectiones diuersas ægrotantium, semper facit mentionem peculiarem dispositionis, & status hypochondriorum, vt intelligatis quanta cura, & studio perscrutabatur Hippocr passiones internorum viscerum, vt certum habens frustra omnem curationem agi sine eorum consideratione. Idem de renibus, & vtero intelligendum est. Hinc Galen. 1. *de diff. febr. cap.* 1 s. ardentem febrem in hecticam permutari docet, quoties aquam frigidam postularent bibere ægroti, & nihil tale eis fuit concessum, nec aliud remedium refrigerans thoraci, & hypochondriis imposuerunt Medici. Inquirendus igitur diligentissimè internarum partium status, & iuxta naturam partis affectæ, & mali auxilia idonea imperanda: nā quod nimis æstuat, attemperandum est, quod obstructum deobstruendum, quod inflammatum, & erysipelatum, aut alio morbo affectum, curandum est iuxta naturam tumoris præter naturam; laxandum similiter quod satis distenditur; & notandū diligenter, quòd alia sunt medicamenta, quibus iecur æstuans est attemperandum ab his, quæ æstuantem lienem attemperant, & ventriculus similiter, & thorax diuersa exposcunt medicamenta; idemque in quavis alteratione per contraria intelligendum est, quod discere oportet ex natura simplicium, sine quorum cognitione periculo non caret quævis curatio: nam thorax æstuans refrigerantia cum lenitate exposcit, adstringentia tamen, & vehementer frigida renuit, exasperatur enim, & tussi molestatur ab illis. Ventriculus frigida aromata, & adstringentia petit, iecur similiter, sed minus quàm ventriculus; tum quia non ita cum crudo alimento pugnat: tum quia iecur habet talem proprietatem, vt facilius in distemperiem frigidam labatur, quàm ventriculus. Lien minus infrigidantia, & adstringentia exposcit; quia facilè permutatur in schirrhosam dispositionē, & naturali temperie frigidior est, & minus calidus. Adstringentia in renibus rarò conueniunt ob venarum angustiam, per quas vrina, & illius excrementa percolantur. Idem de corde, & cerebro intellige, nisi sudoribus diaphoreticis, aut syncopalibus periclitetur æger; nam tunc epithemata frigida cum adstrictione conueniunt.

Dicit vlterius Auicenna: *Quòd si in venis humor declinet ad stomachum, fac vomere cum eis, in quibus non sit diuersitas consuetudinis, imò cum eis, quæ sunt, scilicet sirupus acetosus cum aqua calida, cùm natura mouet humorem per vomitum, & non distrahat eam. Quod si fuerit illic declinatio ad intestina, & senseris regurgitationem, & descensum facis, tunc adhibe quod ventrem soluat.* In principiis accessionum solet natura irritata per diuersas partes tentare expulsionem humoris nascentis: est autem frequentissimum, in morbis præsertim biliosis ad ventriculum, & intestina humores præcipitari, & aliquando non sine magno periculo ægroti: nam solet in transitu molestas cardialgias, & anxietates causare cum animi exsolutione, & syncope. & interim vtroque ore superno, & inferno viens natura, choleram morbum, acutissimam alioqui passionem, efficere: quod si per vias communes tentet natura expulsionem, tolerabilius esse solet, & minus perniciosum, quia rarò non euacuatur.

Et per tam amplas vias tota materia commota, etsi aliqua hæreat, aut ob debilitatem expellentis detineatur, detergentibus clysteribus aut potionibus, simúlque attemperantibus facilè tollitur: si verò per vias alio modo destinatas per eas, quibus vtitur ventriculus, & venter inferior ad propriam nutritionem, moueat natura biliosam, & corruptam materiam, hoc opus, hic labor est: nam intolerabiles cardialgiæ, & morsus non tam intensione, sed extensione lancinantes oriuntur, indè & deliquia, & dolores syncopales cum partium extremarum algore, & periculo magno excitantur ob continuam anxietatem, & bellitationem, nullū decubitum placidè ferentibus ægrotis, vt ex his symptomatibus compertum vobis sit, per alimenti vias pellere naturam humorem vitiatum in vtroque casu. Si natura segniter vacuet, iuuanda est vomitoriis, vt minus molestetur: id facit optimè in materia calida syrupus acetosus simplex cum aqua tepida: nam quod hæret, inscinditur, & grauatus ventriculus vehementiùs expellit. Quòd si syrupo acetoso addatur aqua hordei tepida, magis extergens, & efficacius vomitoriū erit, quia hordeum detergit, & quia minus gratia illius aqua, quàm communis irritat, magis, aut minus amplectitur. Constat verò hoc remedium debere fieri in quovis tempore, nec petit peculiarem dispositionem corporis, neque euacuationem, sed in prima statim accessione effici potest. Constat verò, quòd etsi dicat Auicenna, quòd quando natura mouet ad ventriculum, est concitandus vomitus, quod solùm id est faciendum, quando non euacuatur natura satis copiosè; nam interdum tam copiosè euacuat, quòd potiùs sit necessarium vomitum, & impetum naturæ sistere. Idem de motu ad intestina intelligendum est: iuuanda enim est natura, si diminutè pellat id, quod mouet per eam regionem.

Sed Auctores exponentes Auicennam dicunt: quod est iuuanda natura aut medicamento leniente per os assumpto, vt casia fistula, vel manna, vel clysteribus lenientibus, vel detergentibus. Videtur verò satis difficile, qua ratione possit esse vtile in principio accessionis dare medicamentum leniens per os; nam præterquam quod non soluit nisi aliquod alimentum postcà sumatur, eo quòd in alimentum conuertitur, laborat maximè natura in principio accessionis, & per totam accessionem laboratura est: ob quod securius mihi videtur clysteribus deponere id, quod natura euacuare non potest: etsi transacta accessione adhuc molestia duret in ventre inferiori, ex qua percipiatur nondum esse satis euacuatam materiam commotam, & ob multitudinem id euenisse, securiùs datur medicamentum leniens: nam etsi tale fit, quando natura est in accessione, non caret periculo maioris tractionis, & commotionis in eam partem, quod in clysteribus non inuenitur. Quòd si verum est, quod dicunt Auctores de cassia fistula, scilicet quod ex proprietate mouet vrinam, minus commoda videtur.

Circa excitationem vomitus id obseruabitis, quòd

si in fœminis menstruantibus eueniat, periculosum est hoc remedium, quia vomitus, & nausea nimis reuellunt euacuationem menstruam: id est intelligendum, si à partu contingat tale symptoma, & cum maiori periculo in puerperis detinetur, & reuellitur, quanto deterior est sanguis, qui euacuatur à partu quàm menstruus. Vnde nisi natura nauseabunda nimis sit, securius est ferre per aliquod tempus molestiam ventriculi, quàm vomitum in ita affectis mouere. Si verò natura spontè nauseam ingentem excitet, & nihil expellat, dari potest, quod vomitum ciat; nam quantò citius id efficiatur, tantò minus reuellitur purgatio vteri. Si verò videatur aliquod leniens medicamentum posse conferre, securius est, quàm vomitum mouere; quia minus opponitur vteri purgationi. Neutrum tamen tentandum, si non fuerit vehemens nausea, aut sine illa anxietas nimia. Quod si ob vrgentiam dictorum aliquod ex dictis auxiliis accommodetur, iuuanda est purgatio menstrua cucurbitulis, ligaturis, frictionibus appositis.

Dicit vlterius Auicenna: *Et prohibe eam a somno in principio febrium, & propriè quando est horripilatio, aut frigus, aut rigor, quia prolongatur super eum frigus, & rigor: apud declinationem vero est iuuatiuus valde, & fortasse non nocet apud statum.*

Tres conclusiones adducuntur ab Auctore verbis adductis. Prima est, in principio accessionis nociuum est somnum, & præcipuè quando incipit cum rigore, aut horrore, vel frigore extremitatum. Rationem reddit in littera dicens: ipsa namque exprimunt materias, si fuerint euntes ad quædam viscera, & prohibent digestionem humorum: hoc est rigor, horror, & frigus efficiunt retrocessum humorum, spirituum, & sanguinis ad intima. Taliter tamen, quòd etsi calor vitalis, & sanguis simul retrocedant cum humoribus, non coquantur, sed potiùs calor vitalis suffocatur, quia priuatur motu ad extra. Cùm ergo somnus eodem modo faciat retrocessum caloris ad intra, & adiuuet motum, quem facit accessionis tempus, principium scilicet, ideo impediendus est somnus eo tempore, & impetranda vigilia, quia cùm per hanc moueantur spiritus, & sanguis ad extra, est tunc tium contra retrocessum suffocantem, quem causat principium. Si ergo tunc dormierint ægroti, læduntur, non quia somnus noceat, sed quia priuantur auxilio, quod vigilia inducit, & sic durat læsio principij magis. Vnde constat, quod vigilia tantò magis necessaria est in principio accessionis, quantò maior fit reuocatio caloris ad intra: & quia hæc maior fit in rigore, & horrore, & frigore, ideo somnus sub dictis symptomatibus impediendus magis.

Debetis tamen aduertere, quòd Auicenna docet, quòd somnus nocet in principio. Galenus verò non dicit, quòd nocet, sed quòd si dormierint ægroti in principio, priuantur commoditate, quam ex vigilia erant accepturi, & ideo extenditur læsio principij ad maius tempus, quàm extenderetur, si non dormirent: & in hoc significato dicit Auicenna, quòd somnus nocet. Verba Galeni 2. *Aphor. comment.* 1. ita se habent, quæ quia aurea, & pulchra sunt, adducere placuit: *In principiis siquidem accessionum, & calor naturalis totus, & humores in profundum corpus versum quemadmodum Hippoc. docuit, & præcipuè in quibus horror quispiam, vel rigor, vel fortis partium exteriorum refrigeratio contingit, & propterea si in principiis dormierint, symptomata illis protrahuntur, & vix febres ad consistentiam perueniunt. Si quæ vero inflammatio fit extra viscera, meritò augetur: et si humores aliqui in ventrem confluant, non æquè atque in aliis somnis concoquuntur, sed multò plures fiunt, incocti permanentes. Ob hanc igitur causam ægrotis vigilias præcipimus tempore illo, eam quæ fit per vigilias spiritus, sanguinisque, atque caloris habitantis in eis ad externa motionem tanquam maximum auxilium opponentes aduersus illam, quæ fit in accessionum principiis, sanguinis, spiritus,*

A *calorisque naturalis ad interna retractionem: quare non sine ratione dixit quispiam, hunc si eo in tali tempore accideret ex natura accessionis, & ex vigilia prohiberi. Cum vero hac priuati fuerint ægrotantes, tum damnum sentiunt manifestum non quia a certa læsione ex somno, sed quia deest illa, quæ ex vigilia habetur vtilitas. Hic igitur sermo ostendit, nullam fieri accessionum in principiis ex somno læsionem, sed tantum esse carentiam vtilitatis.* Hactenus Galenus.

Sed contra Galen. dicit: Principium accessionis ideo lædit, quia facit retrocessum caloris ad intra: sed somnus facit hoc idem: ergo lædet partialiter, & simili modo. Dicitur, quòd Galenus dixit, quòd non lædit, sed solum fit carentia vtilitatis, quam inducit vigilia. Ratio est, quia somnus nunquam facit tantum retrocessum
B sum ad intra sicut rigor, horror, aut frigus, & ideo nunquam iuuat læsionem, quia nec retrocessum; sed cum minorem faciat principium ex se dormiendo: ergo priuantur commoditate, quam vigilia erat allatura, non tamen fit læsio maior. Quòd verò somnus non faciat maiorem retrocessum, constat; quia minus infrigidat externas partes, quam rigor, aut aliquod ex dictis accidentibus: illa enim vsque ad periculum suffocationis faciunt, non verò naturalis somnus: hinc fit, quòd interna inflammatio augeatur, si dormiat æger in principio, quia cum vigilia moueat ad exteriora, & ambitum impedit, ne fiat tantus retrocessus ad intra, vnde in internis inflammationibus quantò sustinent vires, prohibet somnum, quia auget ad intra fluxionē, & per consequens in inflammationibus externis commodissimus
C est longior somnus ob contrariam rationem. Hinc fit quod quamuis somnus semper priuet coctione, id non faciat, quando in principiis continguntur, quia cùm principia suffocent calorem vitalem, deficit principale coctionis instrumentum. Semper enim in principiis accessionum vitiosi humores, & crudi intus detenti, & fuliginum magna copia, & crassior, quæ tunc eleuatur, obstruunt vitalem calorem, & corrumpunt illum. Omni ergo ingenio somnus in principiis prohibendus est.

Secunda conclusio Auicennæ est: *Apud declinationem verò somnus est iuuatiuus valdè*; desumpsit ex Galeno loco citato ita dicente: *Sed manifestissima omnium vtilitas fit in declinationibus.* Vbi notate quòd est intelligenda doctrina loquendo de temporibus quatuor accessionum: nam sine dubio vtilior est somnus tempore
D intermissionis, quia cùm tunc nullus sit calor præternaturalis, nullus retrocessus ad intra fiet simul cum naturali, ideò vtilissimus est somnus. Si verò comparetur ad reliqua tempora, vtilior est in declinatione, quàm in principio, augmento, & vigore. Ratio est, quia tunc est naturalior somnus, quando minus habet admixtum aliquid contra naturam: in nullo verò tempore habet minus quàm in declinatione, quia in illa iam tota ferè causa accessionis est ferè coniuncta, & minus eget corpus ventilatione, quam semper suo modo somnus prohibet; itaque in declinatione sunt pauciores fuligines, & minus accensæ, & tenuiores, & ita etsi detineantur per somnum, & retrocedant, læsio fit minor quàm in
E aliis temporibus. Præterea virtus est debilis præcedentibus temporibus, & nimia spirituum copia ob incendium, & inquietudinem. & ita somnus est vtilissimus, quia magis necessarius, & ex alia parte minus nociuus. Accedit, quòd somnus in declinatione confert ad resolutionem maiorem, quàm etsi habitus constipetur, & intus trahantur fuligines, roboratio tamen est insignis, quòd fiat expulsio, & resolutio maior per occultam transpirationem, quàm si vigilaret æger cum maiori debilitate.

Tertia conclusio Auicennæ est: *& fortasse non nocet apud statum.* Quibus verbis loquendo ambiguè Auic. insinuat, quòd apud statum, & in statu aliquando nocet, & aliquando non. Vnde explicare oportet, quando nocet, & quando conueniat. Debetis tamen ex dictis

notare, quòd sicut declinatio est commodius tempus ad conciliandum somnum, ita est status, quia est proximior declinationi, & commodior quàm augmentum, quia scilicet principium est deterius omnibus temporibus: ita quia augmentum sapit principij conditiones, & ei existit proximius, & secundo loco deterius, & per consequens prima pars vigoris, quia magis propinqua augmento, minus commoda est ad dormiendum, quàm vltima pars, per quam iam acceditur ad declinationem. Est verò principium deterius ad somnum, tum quia in illo fluit vehementer humor ad locum; & cùm semper sit in partibus internis, ad quas somnus similiter mouet, ideo est tempus minus commodum. Secundò, quia in principio eleuatur magna copia fuliginum lædentium magis corporaturá, quàm calore, ac per consequens suffocando, detentis verò intus per somnum viscera grauantur, externè arteriæ comprimuntur, & cor; & quæ fuligines ad ambitum per vigilias debebant distribui, intus conclusæ ad cor, & cerebrum feruntur, & ita mille modis offenduntur ægroti, si dormiant in principio: quod si expergiscantur ægroti delirant, qui antea per morbum nil tale patiebantur. Augmentum verò cùm habeat magis incensas fuligines, quàm principium, & per consequens minus corpulentas, & grauantes, sunt tamen plures, quam in vigore, & crassiores, & per consequens somnus in augmento minus commodus est, quam in vigore, quia crassiora excrementa detinentur magis quam antea: nam quamuis in vigore sint calidiora, & detenta videantur calore magis nociua; tamen quia sunt in minori quantitate, & attenuata magis, quia summe accensa, ideò per somnum minus cohibentur; quia caloris agilitas minus permittit intus detineri: feruore enim & intima leuitate distribuuntur, & pulsus vigor, quia magis dilatatus quàm in principio, & augmento, eandem distributionem commodiùs facit.

His suppositis certum est, quòd in biliosis naturis, in quibus, vt diximus, sunt acerrimæ, & calidiores fuligines, & corporis habitus rarus ob summum incendium, & propter humorum tenuitatem, & spiritus facilè resoluuntur, quod in his commodissimè somnus conciliatur in vigore accessionis, præsertim in vltima parte vigoris. Ratio est, quia eo tempore fit ingens spirituum resolutio, non tamen ob summum incendium, sed quia ab acrimonia, & calore molesto lancinante vehementiùs mouentur, nunquam in lecto quiescentes, & sic resoluuntur, & ita per somnum reparantur quàm optimè, quia nec debilitantur à molestia, & acrimonia, & motu ad illos sequuto, nec impeditur expulsio fuliginum, vt in aliis temporibus, sicut dictum est, quia & corporis habitus laxior est in vigore, & excrementa attenuata magis, & calore summo, & leuitate feruntur vbique, absque eo quòd intus coercitæ, crassæve in corporatura, vt in aliis temporibus suffocent, & intereant interna, & ideò commodissimè, & summa vtilitate somnus conciliatur: ad quem consequendum finem soleo propinare frigidum potum: non enim in tertianis exquisitis, & biliosis ardoribus declinationem expecto ad dandam frigidam aquam, aut alium potum conuenientem, vt multi faciunt refragantes Galeno, & veritati, vt videbimus posteà: itaque in summa illa molestia caloris largiorem frigidum potum concedo, caput oxyrrhodino attempero, & præmunio; quiescere iubeo ægrotantes, & corpore benè cooperto secundùm partes, & moderatis cooperimentis, aliquis ex assistentibus linteo aqua rosacea, aut frigida madido aërem lectuli leuiter commouet, vt pro corde inspiretur frigidior: sic somnum concilio, & sæpè superuenit sudor inter dormiendum, quo refrigerantur ægroti, & summa quiete dormiunt, & febris declinat. Biliosis enim, & siccis naturis aduersissima est vigilia & proindè vtilissimus somnus; & sicut in vigoris fine datur frigida ad

A attemperandum, ita somnus conuenit, quia semper humectat, & siccitatem ex dispositione corrigit.

Eodem tempore dormire permitto eos, qui in perniciosis declinationibus exsoluuntur sudoribus syncopalibus: nam cùm somnus sudorem augeat, & in declinationibus fit corpus laxius, & ita attenuatæ fuligines, vt facillimè in sudorem permutentur, vehementer inundantur sudore, & magis debilitantur, & ita non tantùm in vigore accessionis, sed in extremis partibus augmenti, si possint, dormire permitto; nam cùm in his temporibus corporis habitus fit adstrictus, ex doctrina Galeni, & minus moueat natura ad cutem, etiamsi dormiant, non exsoluuntur sudoribus; præterquam quod ad ferendam debilitatem declinationis venturæ B necesse est, reparandam esse virtutem omni modo, antequam accedat declinatio, in qua somnus perniciosus est, eò quòd augeat sudorem. Si verò febris dependeat ex crassis succis, quorum fuligines lædunt corporatura magis, quàm alteratione, & corpus sub tali dispositione tardè resoluitur; tum quia crassi sunt succi, & illud magis obstructum, & calor non ita intensus, vt vitales spiritus attenuet, & digerat, nocituus erit somnus in vigore magis quam vtilis; & ita in declinatione est solùm permittendus, si febris non intermittatur: nam adhuc in declinatione in humorum crassitie solet declinatio prolongari, si dormiat æger, quia refrigeratus corporis habitus condensat, & non liberè capiunt crassiores fuligines.

Hinc constat, quòd quando in declinatione somnus C conciliatur, & non alleuatur æger, sed debilior expergiscit, febres augentur, aut si aliud symptoma graue superueniat, casus est periculosissimus, vt docuit Hippoc. 2. *Aphor. text.* 1. dicens: *In quo morbo somnus laborem facit, mortale; si verò iuuat, non mortale.* Galen. *in comment.* dicit, quòd si in declinatione, in qua solet esse vtilissimus somnus, non solùm non iuuat, sed nocet potiùs, non sine ratione mortem significat. Debetis autem colligere ex tali læsione, aut esse malignam internam inflammationem, aut perniciosum erysipelas in visceribus: sub his enim morbis solent non iuuari ægrotantes à somno. Idem contingere solet in ve- D nenosa materia, quæ circa viscera detenta per somnum non permittit naturam roborari, sed in parua quantitate validissimè virtutem effæminat. Idem fit quando copia nimia succorum virtutem grauat, & innatum calidum suffocat. Quod autem dixit Auicenna tribus conclusionibus adductis, desumpsit ex Galeno *in comment. Aphor. citat.* qui doctissimus est, & dignus, vt à vobis legatur attentè. In summa principium est deterius omnibus temporibus ad dormiendum; declinatio commodior cæteris, si non sit intermissio, quod est intelligendum ex se. Media tempora se habent medio modo, & prout ad principium magis accedunt, deteriora; vt ad declinationem, minus mala: vnde si vtilissimè conciliatur somnus in declinatione, non est mirum aliquando vtilitatem manifestam afferre in vigore, quia magis accedit ad declinationem, E vt *in comment. Aphor.* docuit Galen. & hinc transtulit Auicenna.

Ex dictis patet, somnum semper esse euitandum in inflammationibus internis, præsertim in erysipelate viscerum, & quando adest copia interior, quæ adhuc inter vigilandum suffocat; redditur enim maior ex somno; in sudoribus syncopticis, & colliquationis perniciosissimus est, quia auget illos; morbi etiam infestantes cum capitis grauitate somnum non amant, quia in illo grauatur caput de nouo. In his ergo passionibus, si esset possibile sine somno transigere, amandum esset: quia verò id fieri nequit, permittendum est dormire ad virtutis reparationem, cuius duratio metiri non potest, cùm magnam varietatem accipiat secundùm indiuiduales conditiones.

Dicit

Dicit deinde Auicenna: *Et non prohibeas ei aquam frigidam, nisi fuerit humor, qui in eo est, crudus, & grossus: tunc enim prohibet digestionem.* Agit nunc de potu aquæ frigidæ, duplexque datur in febribus, præter illum, qui inter comedendum assumitur; vnus leuior, qui præcipuè datur in quauis accessione tertianæ exquisitæ intermittentis, aut continuæ, vel causonis: datur enim frigidus potus ad attemperationem ingentis caloris, & impediendum, ne in vigore summo sub tanto incendio transeat in continuam, aut alios humores corrumpat; continua in ardentem, & hæc in hecticam, aut quamuis aliam. Roboratur etiam natura, & impeditur dissolutio vitalium spirituum: ob quæ commoda dixi, quòd talis potus non est dandus in declinatione, sed in vigore, præsertim ad finem illius. Quæ doctrina adducitur à Galeno 2. *de crif.* vbi tradens signa, quibus summus vigor particularis accessionis cognoscitur, inquit ita: *Et iam bibendi tempus adest ægrotanti.* Ratio est, quia cùm in vigore particulari febrium biliosarum pereant excrementa magis calore, incendio, & acrimonia, quàm corruptura, quod declarat apertè libera, magna, & velox dilatatio pulsuum: tunc enim est præcipua attemperationis indicatio, cùm in declinatione talis esse non possit; imò ipse potus frigidus facit, vt statim declinet febris: nam præterquam quòd summum illud incendium temperat, quòd est declinare, vt inquit Galenus *loc. cit.* statim post potum plurimus calens vapor per cutem exhalat sudores; nam citiùs bilis quandoque superueniunt vomitus, ventremque soluitur, & biliosum mingunt. Quòd si febres ob incendium colliquent, quis negare audebit esse attemperandum calorem in vigore, quando magis colliquat, & substantiam vtilem depopulatur. Imò Argent. *lib. de febrib. ad fin. cap.7.* qui etiam Galeni sententiam defendit, ducat aliquando esse necessariam in augmento potionem frigidam; illud verò esse faciendum in febribus admodum biliosis, quæ paulò post principium vehementem, æstum inferunt. Vnde Didacus Merinus *lib 6. cap.3.* vniformiter omnes Medicos reprehendit, quia videt omnes in sola declinatione tertianæ exquisitæ propinare frigidum potum: certum enim est, de hac potione non loqui Auicennam.

Alia potio frigidæ aquæ datur copiosa, quæ non solùm attemperans, sed veluti eradicatiua est febris, & hæc solùm conceditur in continuis febribus ardentibus, & synochis, quæ data iuxta Galeni, & Auicennæ doctrinam solet omninò febrem finire, quam statim à potu solet sequi aut aluꝰ fluxio copiosa, aut molta bilis vomitio, aut sudor abundans, aut omnia simul, vt Galenus inquit, & summa declinatione æger liberatur, quia auidissimè, & placidè assumitur. De hoc igitur potu, quem vsque ad satietatem vnico haustu concedit Galenus, agit in præsenti Author, & illum concedit, dummodo non dependeat febris ab humore crudo, & crasso: quibus verbis denegat potum talem in febribus dependentibus à pituita, & melancholia; nam incendium harum febrium nunquam est tantum, quòd indicet tam copiosum potum, cùm remedium debeat esse proportionatum, & æquale morbo: præterquam quod in illis febribus semper indicat magis causæ crassities, & lentor, quàm calor; & ita à potu frigidæ potiùs abstinendum, non solùm ab hoc copioso, sed ab attemperante in accessionibus.

De hoc potu copioso frigidæ aquæ, & de omnibus requisitis ad illius exhibitionem agit latissimè exponendo *9. lib. Meth. Galen.* & incidet sermo de illo rursus in cura continentium, & causonis, & ob id breuiter affectam, quæ hîc adducit Auctor, vt per compendium sciatis, quibus sit concedendus, aut denegandus. In primis ad tantum potum debere esse morbum expetentem illum, & per consequens cùm sit grandissima potio, & satis frigida, erit intensissima febris, à qua tantum remedium iudicetur; proindè non nisi ardentibus syno-

A chis, aut biliosis talis potio conuenit, in quibus & indicatiua à summo calore, & maximè desideratur, & expetitur à miseris laborantibus intolerabili siti molestante. Ne tamen putetis esse satis ad dandum hunc potum, quòd molestæ, & clamorosa sit lamentantur ægroti; nam in ardente febre à pituita salsa solent maiori siti excruciari, & perniciosè bibunt copiosè aqua frigida, quia non sequitur expulsio salsæ pituitæ ob immoderatam crassitiem; non enim est humor aptus per subitam expulsionem excerni, sed paulatim coquitur, & resoluitur, & fit etiam ipsius pituitæ maior crassitudo, nec sitis laborantium pituita salsa moderatur frigore, sed humiditate; nam exsiccando illam causat multò magis quàm calefaciendo. Debet esse prætereà æger robusti ventriculi, quia vt inquit Auicenna, stomachus debilis, &

B imbecille iecur copiosum potum frigidæ non sustinent; quia, vt inquit inferiùs, quando aqua frigida obuiat membro debili, corrumpit operationem eius: contrahitur tamen debilitas aut ob raram contexturam corporis, aut ob vitiosam temperiem. Constat, verò, quòd sicut Auicenna posuit ventriculum aut iecur debile, sunt intelligenda omnia alia viscera, & ita inferius plurima refert. Eundem potum denegat, quando est in visceribus apostema, id est inflammatio; quia pars laborans tumore, inquit Gentilis, est debilis non solùm in temperatura calida, quia hæc non prohibet aquæ potum, cùm in ardentibus non prohibeat ob debilitatem à calore inductam; sed præcipuè debilitatur, quia ob distensionem factam à tumore partes sunt distractæ, hoc est, distantes à se, & sic minus benè operantur. Prætereà

C quia ex internis inflammationibus ferè semper refudat aliquid excrementitium, & icorosum per potos, & tunicam partis: quæ refudatio impeditur à frigido condensante, & si non refudat aliquid, saltem negari non potest, quòd pars condensetur, & humor similiter, ac per consequens coctioni & resolutioni magis resistat, & ita fiat morbus diuturnior. Est autem periculosum acutas passiones, vt sunt inflammationes internæ, longiores reddere, quia natura succumbit, & non potest per longum tempus affectionem acutæ passionis sustinere.

Circa quod tria notanda veniunt. Primum est, quòd quando inflammatio interna incendio hominem occidit, aut hecticam inducere potest, non prohibet copiosum potum frigidæ aquæ, vt inferiùs dicit Auctor:

D *Ita & quando aeriam sint quadam prohibentia, deinde timetur malitia caliditatis, & sitis, & æstimas, quòd perueniat per eam ad ariditatem, tunc non prohibeas aquam frigidam; nam additio apostematis, & cruditatis eius melior est quàm extenuatio.* Quod ante illum docuit Galenus; negligitur enim prolongatio morbi ob periculum vitæ ex incendio, aut permutatione in hecticam. Verba Galeni 10. *Meth. cap.* 6. sunt: *Ego enim talium quoque non paucis dedi, totius esse ratus phlegmonem in præsens augere, quàm finere hominem in hecticam labi.*

Secundò notatur, quòd erysipelas exquisitum in visceribus non solùm non impedit copiosum potum aquæ frigidæ, verùm etiam ex hac doctrina Galeni fine illo sanari non potest; ita docet 9 *Meth. cap.7.* dicens: *Por-*

E *rò erysipelas, quod sit verum erysipelas, non aliter sanabis.* Ratio est, quia talis humor magis fatigat, & vrget incendio, quàm tumore, aut distensione, & ita statim indicat summam attemperationem, nec ad exhibendum potum necessarium est coctionis notas expectare, vt *eodem loco* insinuauit Galenus dicens, quòd quando erysipelas cum phlegmona copulatur, est expectanda inflammationis coctio, vt talis concedatur potus. Vnde colligitur, quòd quando solum exquisitum erysipelas affligit sine coctionis notis, danda est frigida potio, quia & humorem exurit, & carnes colliquat, & metus est, ne malignè corrumpantur partes affectæ, quia sub tanto incendio non sunt proportionatæ ad coquendum

 humo

humorem, & ille corrumpitur malignè, & partem contagio afficit: attemperandus ergo statim est, vt proportionatos coctioni reddatur, & ne malignè partem corrumpat.

Tertiò notate, quòd quando inflammatio tanta caliditate affligit, quòd cogat Medicum aquam frigidam propinare, non est danda aqua sola, sed admixta sirupo acetoso. Ita Auicenna in præsentiatum dicens: *Et syrupus quidem acetosus quandoque sedat sitim, & incidit, & soluit, & nocuum illius non est plurimum apostemati, scilicet est nocuum aqua, & non est ei vis aggregandi materiam, & inspissandi eam.* Ego quidem non existimo, quòd tanta copia potus, qualis requiritur in præsenti casu, ex solo sirupo acetoso commodè dari posset, vt malè expositores intelligunt; nam præterquam quòd molestissimè assumeretur ob crassitiem quam habet in forma sirupi, non esset tuta eius exhibitio ob copiam aceti, quod cùm magis exsiccet, quàm infrigidet, non ita attemperabit, nec extinguet sitim, & erit ventricolo, & intestinis molestissimus ob aceti acrimoniam, & ita commodissimè diluitur multa aqua frigida; sic enim magis attemperat, & securius datur, & gratior existit. Vbi autem obstructiones multæ sunt cum incendio magno, vt à largo poto non possimus abstinere propter calorem, vtiliter diluetur sirupus acetosus cum aqua decoctionis radicum graminis, hordei, radicum endiniæ, & borraginis, & adianthi viridis. Sic enim emendatur vitium frigiditatis congregantis. & inspissantis, vt inquit Auicenna; pugnat enim vis aperitiua, & incisiua, & abstergens, & ita attemperatur incendium sine notabili obstructionum noxa.

Impedit etiam potum aquæ (inquit Auicenna) *dolor in visceribus, aut complexio pauci sanguinis, aut debilitas innati caloris.* De dolore intelligendum est, si proueniat à causa flatuosa, aut immoderata obstructione, aut intemperie frigida: nam si à calore, aut mordacibus succis proueniat, vtilissimè bibitur frigida. Qua ratione molestissimas cardialgias ex bile cum frigidissima aqua, & succo acidi limonis summa voluptate ægroti abstulimus, non semel, sed pluries in eadem accessione eundem potum repetendo; sæpè enim iecur squallidum per totam ferè accessionem exustam bilem in os ventriculi mittit, à qua grauissimè molestatur; & nisi attemperentur, facillimè linquuntur animo ita affecti. Similiter homines pauci sanguinis non ferunt tantam copiam frigidi potus, quia non potest esse nisi paucitas influentis, & innati caloris, vbi datur sanguinis paucitas: & per consequens timendum est, ne extinguatur parua caliditas à tanta frigiditate; & hæc ratio etiam incidit cum habentibus debilem innatam caliditatem; nam à tam forti agente vincitur caliditas debilis, quia resistere non poterit.

Dicit Auicenna vlterius: *Aut non sit assuetus potare aquam frigidam, scilicet illi, qui sunt de regione calida: hi enim spasmantur velociter, & associantur ei singultus, & extenuatus est de hac summa.* Multæ sunt regiones, in quibus non datur aqua frigida, nec inuenitur infrigidandi modus, quia neque aquæ spontè nascentes frigidæ emanant, neque adest nix, aut gelu, vel nitrum, quibus aqua per artem infrigidatur, nec venti frigidi efflaor. Incolæ verò talium regionum, si in aliis, in quibus datur aqua frigida, translati corriperentur ardente febri, cùm summo periculo aquam frigidam copiosè assumerent, non solùm quia consueti non sunt tali potioni, & tam magna, & repentina mutatio non potest carere periculo, iuxta doctrinam Hippocr. 2. *Aphorism. sentent.* 51. sed quia habent carnes debiles & laxas, omnésque partes solidæ certam habent debilitatem, quam ex calido contrahunt. Pro quo notanda est doctrina Hippocrat. 5. *Aphor. sentent.* 16. dicentis: *Calidum, vbi quis sæpius eo vtitur, hæc mala affert, carnis*

A *effæminationem, neruorum imbecillitatem, mentis torporem, profluuium sanguinis, animi defectionem, quibus mors succedit.* Quæ sententia etiamsi de vsu balnei calidi interpretetur, etiam habet eandem vim circa vsum aquæ calidæ in potu communi; nullum enim vitium exterius occurrens efficit, quod interne assumpta non causet, cùm alterando, & humiditate opereius, & sic laxando, & resoluendo virtutem effæminat. Habent itaque qui aqua vtuntur calida debilissimas omnes partes corporis, quia raras, porosas, & satis amplas. Vnde assumpta aqua frigida ad satietatem subitò occurrens omnibus partibus, neruosis præsertim, conuulsionem causat, & in ventriculo singultum à frigore nimio vexatum. Ita & extenuati simili periculo bibunt copiosè aquam frigidam: sunt enim carnes sine pinguedine, ac per consequens

B sine munimine aliquo nerui, & ita immediatè alterantur à summa illa frigitate, & conuelluntur, aut in paralysim incidunt densatis neruis.

Dicit deinde: *Quod vbi materia calida, aut crassa iam digesta est, & corpus carnosum, & abundans innato calore, & virtus constans, & viscera sana, & consuetus est æger assumere aquam frigidam, tunc aqua frigida est melior res, nam sæpe adiuuat ad expellendam materiam cum solutione naturæ, aut per vomitum, vel per vrinam, vel per sudorem, aut per omnia illa, & statim sanatur.*

Ad dandum hunc potum requirit Auicenna coctionem in materia. Ratio est, quia cùm post illam potionem sequatur fere semper euacuatio materiæ peccantis per regiones assignatas, sequitur facillima expulsio, si

C materiæ coctio præcedat, quia cruda retinetur à natura, vt coquatur, & sic non pellitur. Quomodo verò à frigida aqua iuuetur natura ad hoc vt pellat tam subitò, & per tot regiones expulsionem procuret, non est facile inuenire: videbatur enim sequendum contrarium, cùm mitigata acrimonia bilis à potu minus naturam irritet. Constat verò id facere, primò quia attemperat; & cum intensa intemperies, vt est in ardentibus febribus, actum pellentis deiiciat, attemperata roboratur, & sic potest, quod antea non poterat. Præterea à calore deprauatur retentio, scilicet attractio, quia attractio terminatur in retentionem: calidæ ergo carnes, & viscera causta attrahunt, & retinent deprauatè, quia intensè; ablato verò incendio retentio diminuitur, & sic expultrix expellere potest, quia iam cedit retentrix.

D Deinde à calore illo laxantur partes omnes, & sic necessariò debilitantur, & intra se vt spongia imbibunt omnia; constrictæ verò à frigore aquæ densitatem, & firmitudinem natiuam recuperant, & sic pellunt quod antea non poterant. Si verò calor ille non laxat; nam sæpè exsiccando condensat, & vias coarctat, redditur corpus minus transpirabile, & fluidum; assumpta verò aqua frigida humectatur, & laxatur; sic fluidum fit. Hæc ergo omnia possunt plus quàm diminutio mordacitatis materiæ: præterquam quod materia causonis intra vasa contenta paucissimam facit in illa irritationem; quia etsi ex se sit satis mordax, vasa aut non sentiunt, aut satis obtusè, vt non tam pellatur per irritationem, quàm per antipathiam, & facultatum subordi-

E nationem. Accedit, quòd copia ipsius aquæ non parum expulsioni auxiliatur grauando ventriculum, & viscera de nouo.

Sed non caret admiratione naturæ præcipitium post potum aquæ frigidæ. Quis enim non mirabitur eodem tempore per sudorem, vomitum, deiectionem alui, & vrinæ regestionem peccantem materiam expelli, aut quis ex vulgaribus tantis, & tam impetuosis euacuationibus non terrebitur. Verisimile itaque mihi videtur, vbi taliter natura se præcipitat, esse in synochis febribus non habentibus certam partem affectam, sed earum materia in vniuerso corpore continetur, & putrescit; & ita quando iuxta iecur existit in secunda regione, per vrinam, & intestina pellitur, quia per has partes habet illud viscus commu

communissimas vias; item & per ventriculum, ad quod facit quamplurimum aquæ grauitas, & pondus irritans eam primam regionem. Quod verò in venis minoribus iuxta cutem continetur, & in vapores ex maioribus vasis aquæ ratione à calore permutatur, pellitur per sudores. Quia verò aqua vt præstans aquositatem multam vrinam suo modo mouet, & secum affert permixtam biliosam materiam, mingitur etiam sua bilis portio.

Sed ex euacuationibus prædictis colligitur, non leue robur requiri ad dandam hanc copiosam potionem; quia nisi magnum, non erit satis ad ferendam tam copiosam euacuationem sine periculo: copiosus ergo potus robustis est robur; debilibus verò caius, & exterminatio virtutis; nam debilitata retentrice per insuperabile frigus vsque ad dissolutionem pelluntur excrementa, nisi interim primo occursu extinctionem caloris natiui patiatur, quid debilis erat; & subitò occidatur.

Sed dubitabitis, si continentes febres sæpè fiunt ex sanguine, & ardentes similiter, & euacuatur peccans materia per talem potum, quomodo sanguis non pellitur, sed bilis? Respondeo, talem euentum non parum fauere nostræ opinioni, in qua docuimus, omnem humorem iam mutasse formam, quando est vera causa continentis putridæ in bilem transisse, vt Galenus docuit, in ardentibus verò ea bile naturali in alias partes bilis præternaturalia fit permutatio. In continentibus verò ex sanguine sine putredine à calore diariæ permutatur pars sanguinis pinguis in bilem, & hæc etiam euacuatur post potum, quia præternaturalis est, licet non putrida.

Notabitis tamen, quòd sicut quando est inflammatio magnæ caliditatis, cogitur Medicus propinare frigidam aquam, ita quamuis Galenus, & Auicenna requirant signa coctionis ad dandum tam grandem potum; aliquando tamen ita vrget febris incendium, vt ante coctionis signa propinandus sit frigidus potus, vt optimè annotauit Auerr.

Dicit vlterius Auctor: *Et quandoque dat Medicus in potu infirmo de aqua frigida quantitatem plurimam adeò, donec color eius fiat viridis, & extenuat, & fortasse conuertitur febris ad phlegmaticam, & fortasse confortatur natura, & expellit materiam cum sudore, & vrina, & fluxu ventris, & fit sanitas.*

Quantitatem remedij tam celebris esse variabilem, certum est: nam neque omnes febres sunt æqualiter ardentes, neque illis laborantes æqualiter robusti, & mille modis variatiu contingere potest. Galenus verò 9. *Meth.* dixit, esse dandum quantum velit ægrotus, tenetúrque Medicus diligenter obseruare omnes conditiones adductas ab Auctoribus, vt iuxta mensuram illarum maiorem, aut minorem potum concedat, aduertendo vt propter paruitatem fine non frustretur æger. Satius enim existimo conuenire in præsenti casu peccare in excessu, quàm in paruitate. Certum ergo debet esse, quòd continentes ardentes magnum potum requirunt, quia cùm in omnibus vasis, aut maioribus putrefiant humores, magno potu est opus. Si verò in ventriculo causa contineatur, minor potus requiritur, quia immediatiùs alteratur à frigida, & iecur medio modo se habet, maiorem enim potum, quàm ventriculus requirit, minorem tamen quam maiora vasa: pulmo, & cor largissimum potum indicant, quia cùm per tot vias alteretur aqua, & remittatur, minus frigida accedit, & quod per continui alterationem producitur, remissius est, quia magis distat.

Dubitationem autem habet quod dicit Auicenna, *quòd per talem potum conuertitur febris ad phlegmaticam.* Quibus verbis constat, aliquando per talem potum consequi expulsionem humoris peccantis, & ab intenso frigore aquæ febrem ardentem in pituitosam permotari. Gentilis enim in commento dicit, ideò fieri talem conuersionem, quia sanguinem valdè infrigi-

A dat, & incrassat, vt non sit possibile virtuti post incrassationem illum expellere, quare remaneos putrefit, & fit febris de sanguine pituitoso. Constat verò huiuscemodi permutationem esse vtilem, quia securius est laborare pituitosa febre, quàm ardente. Mihi videtur satis probabile, per talem potum posse ventriculum, aut cerebrum, aliámve partem internam infrigidari præter naturam, ita vt ex proprio alimento generent cruda excrementa, quæ febrem pituitosæ æmulam producant. Præterea & ipsum humorem biliosum accensum non implicat per alterationem frigidam aquæ in aliud mixtum frigidum permutari, & cùm non expellatur, de nouo putrefieri, & febri remissiori grauare, quam phlegmaticam appellat Author, quia erit lenta, & diù durans, quia materia infrigidata incrassatur, &
B obstructiones fiunt maiores; sic enim carbones accensi, & igniti nimis, si aqua calorem deponant, nunquam magnam flammam concipiunt, nec splendent. Ratio est, quia id, quod igneum est, & aëreum in humoribus, & in reliquis mixtis, quæ inflammari possunt, incenditur, & in fuligines, & flammam conuertitur, separaturque, quia in nouam formam mutatur. Hoc verò est, quod extinguitur aqua frigida copiosè sumpta; crassum verò, quod non expellitur per occultam transpirationem, neque per viam manifestam, remanet frigidum, quia & secundum se est tale, & à frigore aquæ infrigidatur magis, & concrescit, & ita detentum in locis obstructis putrescit, & febrem lentam producit.

C Deinde dicit: *Et cùm non licet vt bibat aquam frigidam, & fit audax super eam, timetur quòd faciat accidere contractionem pororum, quare fit causa febris alterius cum euentu opilationis alterius, & fortasse erit vehementior prima.* Hæc verba videntur opponi doctrinæ ipsius Auicennæ immediatè antea adductæ: nam si frigida potio iam quòd non terminat febrem, & absoluit, conuertit eam in phlegmaticam, & hoc vt lucrum habetur, quomodo dicit, quod febris fortassè erit vehementior prima. Ratio est, quòd per vehementiorem intelligere oportet non intensiorem, sed difficiliorem. Probatur: quia hæc sententia desumpta fuit ex doctrina Galeni 9. *Meth. cap.* 15. dicentis: *Ergo quoties ex his febris accenditur, atque ad eos vacuandos frigida data non conducit, ad præsens quidem non paruum affert leuamen,*
D *propterea quòd iam accensam febrem extinguat: verùm cùm causa eius adhuc perstet, aliam de nouo accendi necesse est, atque ea, quæ præcesserit, nonnunquam difficiliorem.* Est autem intelligendum, quòd sit difficilioris sanationis, quia à crassis pendens, & corpus magis obstruitur per potum aquæ: & ideò Galen. reddens rationem, propterea quòd corpus densatum est ex frigida, cum hoc tamen non implicat febrem aduenientem esse intensiorem aliquando, quia cùm obstructiones augeantur, in quibus non conuenit talis potus, & possit esse in corpore multa bilis, aut alius humor fluens post potum ad focum putredinis, potest esse intensior, quia obstructio est multò maior, & materia non fuit euacuata, & ita erit occasio maioris putredinis. Dicit
E deinde Auicenna: *Et cùm videris calefactionem fortem, & complexionem calidam, & siccam, & euacuaueris tunc, quandoque concedes infusionem fieri in aqua frigida apud declinationem, & apparitionem digestionis, & euacuationem humorum, & non est malum, vt administretur balneum, & potus vini commixti subtilis, & vnctio cum oleis laetificantibus.*

Insitatum remedium ponit Auicenna in præsenti, scilicet quando calor febris est intensissimus, & complexio calida, & sicca, præcesserunt communes euacuationes, & adest coctio materiæ, vel est morbus in vigore, licèt incendio summo cum signis coctionis, id est, quando est ad finem vigoris; nam tunc est declinatio propinqua, & crisis humorum, quia hæc fieri debet

Si itaque lenior indè fiat, demonstratiua via est. Galenus etiam 2. *de loc. affect. cap.* 1. ignorata morbi causa, & parte affecta, & affectu, remediis adhibitis sanauit seipsum. Putabat enim se laborare lapide impacto in vreteris & malum erat cholicus dolor ex pituita vitrea, & iniecto oleo rutaceo pituitam excreuit, & liber euasit. Similitudo itaque doloris fefellit Galen. & similia discernere doctissimi adhuc non possunt, & sicut similia sunt, ita remediis conueniunt, ob quod dicebat idem Galen. 6. *de loc. cap.* 2. *Igitur vt ab initio horum affectuum distinctio difficilis est, ita hac specie non ita magnam differentiam præsidiorum ipsi requirunt*: quòd autem ignorata morbi essentia licitum sit curationem moliri, satis doctè adduxit Magister noster *lib. de loc. affect. cap.* 6. *disput.* 62.

B Si verò febres sint inconstantes, & ex signis constet non vrgere, & per consequens non esse periculum in mora, bene potest Medicus aliquibus diebus cessare ab auxiliis magnis, & alio modo naturam regere, donec morbus constet; tuncque secundùm speciem, & naturam propria remedia, & conuenientem victus rationem imperare: quia verò aliquando, vt dixi, morbi sunt inconstantes, vsque dum finiuntur, & non cognoscitur propria morbi natura exquisitè, & totam morbi constitutionem transigere sine auxiliis, etiam in longis, temerarium esset, ob permutationem, quæ in alios morbos grauiores meritò timetur, & ob vulgi infamiam, quam fugere Medicus non potest, nihil agendo consideratione dignum, ideò ad auxilia communia confugiendum est, & symptomatibus maioribus occurrendum, & C dandæ potiones, quæ ob mediocrem naturam nulli nocere possint, etsi non ita auxilientur, scilicet quæ morbo directè conueniebant, exemp. g. si Medicus dubitet, an febris, cui medetur, sit quotidiana, tertiana, vel quartana, aut quòd dependeat ab hoc, vel illo humore, non dubitabit de missione sanguinis; quod remedium, scilicet celebre, est necessarium & securissimum, quia omni febri putridæ conuenit, & ita est auxilium commune, quod nulli febri putridæ nocere potest, præsentibus necessariis scopis. Rursus concoquentia serapia, attenuantia, & aperientia, cui febrium sorti denegantur, & cui non sunt vtilissima? Ventriculi roboratio, similiter alui excrementa deponere omnibus vtilissimum est, tenuiori vti victu similiter, quia in omnibus febribus semper detrahitur: cuicumque febri cum satietate incipien- D ti conuenit cibi parcitas nimia, & medicamentum leniens, quod cruditates deponat, & obstet, quominus ad vasa distributæ augeant obstructiones, & febres: si ob vapores ascendentes in cerebrum caput insigniter doleat, repellendi sunt, & firmandum caput, ne recipiat apposito oxyrrhodino: & si ob dolorem æger non dormiat, erit simul somniferum; conueniunt etiam continuæ crurum frictiones, & cucurbitæ ad retractionem vaporum ascendentium ad caput. Si si dolor alius vrgeat, anodinis demolcendus, & si opus fuerit, quia debilitat nimis, addenda stupefacientia ad sensum partis auferendum. Sic sunt alia infinita, quibus occurrere possumus, etiamsi febres non constent.

E Sed strenuum est exemplum Galeni, in quo explicuit inconstantes febres; dixit enim esse illas, in quibus neque in periodis, neque in vrinis aliquid firmum, aut constans inuenitur. Periodus constantia duplex est, prima, quia anticipentur nimis sine ordine; secunda, quia postponantur: in postpositione non est cur à remediis cessemus, cùm potiùs dent maiorem locum remediis. Tota difficultas est, quando sine ordine anticipantur, & in quauis diei hora repetere solent: hoc enim tam vehementer timuit Mass. vt propterea putet ab omni remedio, & cibo esse cessandum in inconstanstantibus febribus, quia metus est, ne in tempore incommodo dato pharmaco, aut facta sanguinis missione, aut dato alimento grauis sequatur noxa. Quam doctri-

A nam non probo; nam in tumultuosa accessionum repetentia, & sine ordine non potest non laborare multum natura, & esse acutam passionem: significatque esse multas partes transmittentes ad eundem focum, aut diuersos, & magnam succorum multitudinem, ita vt quando humor ab vna parte transmissus iam absoluitur, & incipit febris remitti, alia pars iam grauetur, & mittat de nouo & incipiat noua accessio: in quo casu non video, cur magis sit cessandum à missione sanguinis quàm in continentibus febribus, quæ semper augentur; nam in his non expectamus tempus magis commodum, in quo auxilia fieri possint, cùm semper totam morbi constitutionem febris intendatur, & nihilominus non cessamus à remediis. Cùr ergo in tumultuosa accessionum inuasione, quæ & multitudinem B significat, & partes plures transmittere, cessandum est à missione sanguinis, & permittendum ægrotum suffocari, & totã massam sanguinariam corrumpi? Si ergo in summo incendio continentium sanguis extrahitur, etiamsi statim febris mitescat necessariò, quia sic perit idea morbi, cur non mittetur in rigore huius accessionis, etiamsi timeatur paulò pòst nouam accessionem venturam, cùm hoc certò non constet, quia febris inconstans est: & si potest repetere noua accessio, potest non repetere ex ipsa inconstantia febris, præterquam quod reuulsio, & depositio multitudinis ex ipso sanguine potest non leuiter retardare, aut impedire ex toto accessionem venturam, & vbi non datur primum auxiliorum tempus, secundũ sumendum est, & amandum. Melius itaque esset in in- C termissione, aut in declinatione sanguinem mittere, & longissimè à ventura accessione; sed quando id fieri nequit ob morbi ideam, sumendum quod possumus, & melior occasio, quæ nobis se offert. Id eleganter docuit Celsus *lib.* 3. *cap.* 17. respondens obiectioni Asclepiadis putantis sanguinem mittere in phreneticis esse perniciosum, quia nunquam febris remittitur. Dicit ita: *Multa in præcipite periculo rectè fiunt, aliàs omittenda, & continua quoque febris habet tempora, quibus etsi non remittitur, non tamen crescit, estque hoc vt non optimũ, sicque non primi remedij tempus.* Gratia itaque vrgentiæ periculi præcipitis agendum aliquid est; nam licèt non sit optimum ita operari, vitari tamen non potest. Hippocr. itaque quod optimum respiciens dixit, nihil esse agendum; nos verò quod necessarium est, aliquando docuimus; D nam vt diximus, nullum maius periculum, quam acutam passionem sine auxiliis relinquere. Deinde inconstantiã vrinarum constat ridiculum esse, quòd impediat auxilia, cùm nullum fundamentum adduci possit ad hoc firmandum, etsi non ignoro vrinarum mutationes possibiles esse, quando ex variis excrementis febres oriuntur, vt diariæ etiam contingere solent in morborum initiis cum ægrorum commodo, vt Tralianus docuit: sed hæ vrinæ curationem idoneam non impediunt.

Dicit rursus Author: *Et non moueas in die paroxysmi aliquid quantum possibile est, nec cures febrem.* Hæc verba docent, in die paroxysmi non esse mouendum corpus per medicamentum expurgans, aut missionem sanguinis, quod intelligi potest in morbis habentibus diem inter- E missionis, vt in quartana simplici, aut in tertiana, quia semper medicamenta, seu auxilia sunt imperanda, quando minor vis infertur naturæ, & melius toleratur: hoc autem est in intermissionis, aut remissionis die: quia verò sæpè contingit quolibet die accessiones molestare, constat necessariò in die paroxysmi esse applicanda remedia; & tunc eligimus horam quietiorem, & in qua minus molestatur natura, & à morbo minus opprimitur.

Dicit vlterius: *Et oportet, vt obserues in omnibus aliis dispositionem virtutis; quod si fuerit fortis, & illud, quod vincit, fuerit sanguis, aut fuerit cum humore, qui vincit sanguis, tunc phlebotomia est magis conueniens res, & propriè, cùm vrina est grossa, non citrinea ignea, ex qua timeatur apud phlebotomiam victoria caloris, & acutie eius.* In

omnibus febribus putridis sanguinem extrahere oportet iuxta Auicennæ doctrinam, si duæ inueniantur conditiones: prima, quòd sanguis vincat in causa febris, vt quando fiunt continentes. Contra quod etsi demus, quod sanguis non vincat vt causa, sed alius humor sit, non sit talis humor separatus à sanguine, sed sanguis sit permixtus humori vincenti: hoc autem indicatur, vt putat Gentilis, per vrinam rubeam, & grossam, non igneam ob sanguinis permixtionē cum humore suo modo, & similiter suo modo habet crassitiē, prout hic, aut ille humor est causa. Quando sanguis solus peccat, est rubea magis cum mediocri crassitie, est magis remissa rubedo, quando peccat pituita in sanguine, vel melancholia, sed crassior apparet, nisi complicetur aliqua obstructio in viis vrinę, ob quam percoletur, & tenuis appareat. Est tamen rubedo magis clara, & minus crassa vrina apparet, quando cum sanguine bilis prædominatur, & causat febrem; quando ergo sic apparet, vrina rubea scilicet & crassa suo modo, aut modo humoris peccantis, permixti tamen cum sanguine, tunc phlebotomia est res magis conueniens, quàm quodlibet aliud remedium ob multas vtilitates, quas affert in febribus putridis, ob quas non vnicum, sed multiplex auxilium datur. In primis reuellit à foco putredinis: secundò minuit materiam peccantem, & quæ fluxura est, vt deinceps quod superest, citiùs vincatur à natura: deobstruit etiam, ventilationem auget, & ad purgationem fuliginosorum excrementorum nimis conducit, & sic & euacuando humorem putridum refrigerat, & quia vasa maiorem capiunt quantitatem aëris, dat locum maiorem attemperantibus, & deobstruentibus auxiliis, & fluidum facit corpus inaniendo vasa, estque simul expurgatio quædam, quia est euacuatio humoris qualitate peccantis. Cùm ergo tot præter bona hoc egregium auxilium, meritò multiplex remedium dicitur, & summariè dicit in textu Auicenna, quòd sanguinis missio est magis conueniens res. Hinc Galen. 15. *Meth. cap.* 15. non in continentibus modò, sed in aliis febribus, quas putrescens parit humor, sanguinem mittit, vt alleuiata natura ab ea, quæ veluti sarcina premebat, faciliùs, quod reliquum est, vincat, & dum tradit methodum resolutoriam in febribus putridis, quod timetur & obstructiones futuras præcauet, si compescamus humoris affluxum. Constat verò optimè impediri fluxum humoris ad focum reuellendo missione sanguinis, quia & retrahitur quod fluit, & euacuatur, quod fluere potest, & si licet in ictu, aut casu sanguinem extrahi ad impediendum, ne fluant humores ad partem contusam; non est cur in febribus non mittatur, cùm actu moueatur causa ad focum putredinis: quia ergo vergit humor quò non oportet, reuellendus est, vt docuit Hippoc. 6. *Epid. part.* 2. *text.* 29. & Galen. 2. *ad Glauc. cap.* 1. dixit, *fluentium humorum retractio medela est.* Quod vlteriùs docet Auicenna, est maximè necessarium; nam quando vrina est citrina & ignea, vituperat missionem sanguinis, quia timet sanguine extracto victoriam choleræ, & acuitatem eius, secus ac vulgares Medici faciunt, qui ad proportionem, qua vrinam incensam, & igneam aspiciunt, copiosiùs sanguinem mittunt, putantes, quòd cùm sit refrigeratorium auxilium, vt diximus, magis indicatur, quò maius incendium internum vrina igne repræsentat. Auctor verò noster è contra facit.

Hanc doctrinam intelligunt Auctores, quando humor biliosus, qui est causa febris, non est sanguini admixtus: tunc enim si sanguinis missio fiat, fit incommodè, & cum periculo: quia præterquam quod non euacuatur aliquid peccantis humoris, nec fit reuulsio à foco putredinis, euacuatur quod conueniebat intra corpus manere, scilicet sanguis, & reliqui humores, & inanita vasa trahent ad se gratia vacui, sicque intromittetur putrefactio bilis, quæ extra vasa putrescebat, & contagio sanguinem corrumpet, calefaciet, biliosúmque reddet, & acriorem, & omnia mutabuntur in peius

A & in ipsa motione, quando bilis corrupta attrahitur ad vasa, malignè euaporatur, & syncopen, aut deliquium animi excitat. Summæ ergo aduertentiæ est Auicennæ præceptum. Colligit verò non esse sanguini admixtum biliosum humorem ex vrina ignea cum tenuitate; nam hæc duo à bilioso humore non permixto causantur, vt *in comment.* docet Gentilis.

Sed hæc doctrina sic intellecta indiget limitatione; non enim rectè colligitur, quòd si febris dependeat à bile separata à sanguine, semper sit cessandum à missione sanguinis; nam potest moueri à vasis ad partes aliquas extra vasa, vbi putrescens faciet febrem, quod non tollit, quominus sanguis mittatur; nam iuxta doctrinam communem Galeni, & Medicorum, in omni B intermittente febre humores extra vasa putrefiunt, & non ob id cessant ab hoc remedio, vt nos latius explicabimus inferius. Itaque quando mouetur bilis ex vasis ad partes extra vasa, etiamsi dum causat febrem, sit impermixta, tamen materia antecedens permixta sanguini existit, & ideò commodè extrahitur; tunc verò non erit iuxta Auicennæ mentem, & expositorum, vrina tenuis, & ignea, sed crassior apparebit, & minus incensa ob correctionem sanguinis. Ad quod accedit, quòd portio illa, quæ in paroxysmo extrauasatur, resoluitur in ipso, & ita non sequuntur inconuenientia ex missione sanguinis, quæ retulimus.

Maior difficultas est, quare videtur vrina eo modo relato ab Auctoribus, si bilis accessionem faciens extra vasa continetur; nam non significat illa, nisi dispositio- C nes vasorum, vt docet Galenus 4. *de sanit. tuenda*, & non omnium, sed maiorum tantum, vt est communis doctrina Medicorum: ergo non videtur possibile, quòd vrina reddatur tenuis, & ignea ob bilem extra putrescentem. Quòd si dicas ab incendio igneam reddi, quod videtur probabile; non tamen redditur causa, qua fiat subtilis: nam supposito quòd bilis portio, quæ facit febrem, non mittatur à vasis ad extra, vt diximus, quia in hoc casu non est, cur missio sanguinis impediatur, constat tenuem fieri non posse, cum intra vasa remaneat naturalis portio bilis cum sero descendens, à qua serum suam corpo- D raturam, & crassitiem comparat, imò ob dicta crassior deberet apparere, quia incendium bilis extrauasatæ serum absumit: & cùm aliàs non deficiat bilis intra vasa, quia quæ facit accessionem non fuit ab illis transmissa, redderetur corpulentior ob seri maiorem consumptionē: nec si aliquid detrahitur ex bile ad vasa, vrinam tenuem reddet, nā illud aliud non est, quàm fuligines ex bile putrescente eleuatæ, quæ vrinam non permutant quantum ad modum substantię licet colorē intensiorem efficiant.

Propterea mihi videtur aliter dicendum, quòd Auicenna in casu adducto non loquitur de bile putrescente extra vasa, nec id colligi ex vrina ignea, & subtili. Quod ergo dicitur, est quòd quando vrina nimis tenuis, & ignea apparet, tunc non est permixta bilis sanguine commodò, quod requiritur ad secandum venam, & ideò timorosum esse remedium: permixtio enim, quam cum sanguine desiderat Author, est illa, quæ fit per minima, id E est, per diuisionem in minimas partes, ita vt ex illa aperte constet non excedere sanguinem in magna parte: nam tunc securè mittitur sanguis, quando verò nimis excedit sanguinem biliosus humor, tunc enim permiscetur, quia dantur plures partes bilis ob copiam separatæ à sanguine, quia paucus sanguis non potest per minima misceri cum multa bile, scilicet nec pauca aqua cum multo vino: id verò demonstratur ex vrina tenui, & ignea; ignea quidem ob excessum calidi humoris, tenuis, quia vt docet Galenus 4. *de sanit. tuend. c.* 6. qualiscumque fuerit humor in corpore, tale necesse est appareat eius serum, & cùm bilis sit humor tenuissimus, ita & eius serum est tenuius reliquis: quando ergo abundat nimis, descendet nimia quantitas huius seri biliosi, & tenuioris, & sic vrina tenuior, & biliosior apparebit: quia ergo

cacochymia biliosa demonstratur ex tali vrina, & ex nimio excessu bilis supra sanguinem, timenda est victoria choleræ, & actiuitas eius, & ideo cessandum ab hoc remedio, quod docuit Galen. 8. *de sanit. tuend cap.* 8. vbi ita reliquit scriptum: *Vbi quidem pauculum vel citra sanguinem restitutum est, vel citra processum est, audacter mittendus sanguis est; vbi autem plus, consideratius agendum; vbi vero plurimum, in his nullo modo mittendus.* Hinc Auicenna tradens curam causonis *fen.* 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 41. dicit: *Et non phlebotometur, fortasse enim inflammabit eos, & fortasse iuuabit eos, si fuerit ibi turbiditas, & rubedo.* Ecce quã ratione in eodem morbo, in quo humor intra vasa putrescit, missionem sanguinis admittit, quando est turbiditas, & rubedo, quod in *nostro cap* appellauit rubeam, & grossam vrinam; negat verò sectionem venæ quando fuerit ignea, & subtilis, quia tunc potiùs inflammat.

Video tamen circa hoc præceptum omnes ferè Medicos hallucinatos, non capientes qua ratione ex missione sanguinis in adducto casu sequitur victoria bilis, & acuitas eius. Argumentum est hoc. Secta vena extrahitur in proportione, qua est extra vasa, & remanent similiter in eadem proportione humores, sub qua existebant: ergo non est, cur secta venam sequatur victoria choleræ & acuitas, nam stante missione sanguinis non erat victoria, ita nec post, cùm eadem sit proportio bilis ad sanguinem remanentem, & reliquos humores. Ad quod respondeo quòd si in omnibus partibus venarum esset æqualis permixtio bilis cum reliquis humoribus, efficax videretur argumentum de proportione adductum; non tamen est ita, quando bilis generat causum, sed in determinatis partibus colligitur, in quibus solis causũ facere potest: vnde euacuatis reliquis vasis primò extrahitur sanguis sine æquali portione bilis, & sic remanet illa efficacior ad agendum, quia contrarium eit resistens diminuitur; ipsa verò non. Id constat quia Galen. 1. *Epidem. sect.* 1. *comment.* 9. docuit, bilem non generare febrem ardentem in quibusvis partibus corporis detentam, & putrefactam, sed circa ventriculum, & præsertim circa illius os, aut circa iecoris partes imas. Item & circa pulmones, & cor eandem generat febrem; quod si verum est, constat quod extrahitur multò magis, & priùs sanguis aliarum partium, quàm bilis ex parte, intra quam fertur, & causum generat: sic enim docent omnes, quòd si humores causantes malignam febrem sint in venis cordi proximis, extrahitur sanguis inculpatus omninò, & optimus cum ægrorum periculo.

Dico secundò, quòd etiam si esset æqualis permixtio in omnibus partibus, & ratione sectæ venæ remanerent humores in eadem proportione, quam habebant antea, & ita attendendo ab solam alterationem videretur æqualis actiuitas, & resistentia, non tamen ita est, si alios affectus attendamus: nam in primis certum est, biliosas naturas, & in quibus moderata copia sanguinis generatur, nunquam abundare multo vitali spiritu, imò extra spirituum diminutionem patiuntur perpetuò. Primò, quia cùm materia spirituum sit sanguinis pars vapotosa, aerea, & humida, & hanc in multa copia nunquam obtineant biliosæ naturæ, ob siccitatem, & calorem contra naturam, ideò non abundant multo spiritu ob idoneæ materiæ defectum. Secundò spiritus, quos habent biliosæ naturæ, sunt facilè dissipabiles, quia calidissimi, & tenues, habent etiam acerrimas & nimium extenuantes fuligines, ob quæ nimiè dissipantur; & facilè linquuntur animo: ob quod Galenus 1. *ad Glauc. cap.* 13. docuit, biliosam naturam copiosam euacuationem sustinere non posse. Cùm ergo in causone & bilis abundantia febrem squalidam generante tanta eleuetur per accessiones mordacium fuliginum copia corpus exurens, quid mirum per missioné sanguinis euacuato sanguine, & spiritu ad bilis efferuescentiam peruenire, & ad extremam debilitatem? inaniuntur itaque humores in proportione,

A qua existebant, & in simili remanent: sed cùm euacuentur simul spiritus, & pars sanguinis spiritosa, quia ad replendum vacuum mouentur faciliùs, & magis quæ tenuiora, ex Galeni doctrina; ideo euacuatur plus de causa resistente, & attemperante bilem, quàm de bile ipsa, & per consequens magis exurit sanguine misso: præterquam quod per accessiones & toto tempore febris increscit causa calefaciens, & exsiccans, quia augetur putredo, vel vstio; non tamen increscit causa resistens: & cùm hæc minoretur per sectionem venæ, fit efferuescentia maior, & sanguis amplius bilescit. Accedit ratio Physica, quia cùm certum sit, omne agens requirere certam quantitatem, vt operari possit, etsi post sectionem venæ remaneant humores in simili proportione; tamen vbi datur sanguinis parua copia, & multa contrarij agentis, bilis scilicet, poterit esse defectus maior
B in sanguine in ordine ad resistentiam, quàm in bile in ordine ad actiuitatem; nam cùm hæc habeat in casu posito insignem excessum, etiamsi diminuatur aliquid eius, non ita minuitur actio, scilicet in sanguine, quia cùm sit in parua quantitate, diminutio illius magnum defectum inducit in ordine ad resistentiam bilis, se de hoc etiam dicemus in cura causonis. Lege Argent. *fol.* 1246.

Dicit deinde Auicenna, *quòd post sanguinis missionem, si fuerit ventris siccitas, fiat ventris solutio cum aqua hordei, & manna, aut cum eadem aqua, & sirupo acetoso, ita quòd intentio Medici vltima solutio laboriosa, aut fluxus.* His verbis traditur præceptum vtilissimum, & maximi momenti in febribus, scilicet quòd post phlebotomiam fiat
C ventris lenitio, non quidem ad deponenda excrementa communia; nam hæc ante missionem sanguinis euacuanda sunt per clysterem, si natura sponte illud non faciat, vt est commune præceptum. Indicationes ergo ad leniendum post sectionem venæ sunt: primò quia sanguinis missio solet ventrem exsiccare, nam extrahendo humiditatem, & reuellendo à ventre suo modo illud facit. Præterea quia calor febrilis exsiccat intestina, & excrementa similiter minus lubrica fiunt; lenienda ergo, & humectanda sunt. Item quia cùm ægrotantes quiescant, tardiùs descendunt excrementa, quàm per bonam valetudinem, conferente motu non parum ad hoc, & posito ipsu ad proportionem, necessariòque tardo motu mouentur excrementa, exsiccantur magis, & duriora fiunt: lenire ergo oportet. Præterea rarum est, non dari in om-
D nibus excrementa pituitosa in totùmque inhærentia, quæ inexistibilia cùm sint, à calore febrili alterantur, & putrefieri solent, quæ & malignè coapotant, & appetentiam tollunt, & febrem augent; lenienda ergo, & detergenda sunt. Præterea à calore febrili in mesaraicis venis alimentum concelusurum solet secundum aliquas partes corrumpi, quas distribui per vasa non conuenit, sed inferiùs inclinandæ, vt descendant. Tandem quia missio sanguinis commouere solet non raro vaforum humores, & in ventrem inferiorem inclinare: ducendi ergo sunt, & euacuandi. Hæc ergo commoda procurat Auic. & complet lenitione post sanguinis missionem: itaque non consulit expurgationem minoratiuam, neque eductio-
E nem humoris facientis febrem, sed solùm intendit quæ diximus. Aduertit tamen vtilius esse, quòd hæc lenitio fiat clysteribus, quia minus debilitant, quàm hæc, quæ intus sumuntur; nam hæc ventriculum effæminant, cùm lenientia, & detergentia esse debeant; sumuntur cum ingratitudine & molestia, & cibi fastidio, quo ferè semper molestantur febrientes: augentur, nec per clysteres fit commotio, vt per ea quæ ore sumuntur, nec medicamenti aliquid ad vasa distribuitur, scilicet quando intus assumitur. Vnde optimum præceptũ, quod & Gentilis animaduertit, quòd quamuis æger secundum consuetudiné alui excrementa deponat, non prætermittatur vsus clysterum ob commoda dicta: quod præcipuè obseruabitis in omnibus gulosis, & malè coquentibus, aut excrementa cruda in ventriculo congerentibus, aut alio, qui æger ob

ob vitium, & debilitatem in morbo contractam minus bene concoquat, vt fieri solet.

Dicit deinceps Auicenna : *Deinde fac ipsum sequi ea, quæ vrinam prouocant, scilicet sirupus acetosus decoctus cum radice apy, & similibus.* Euacuato corpore per missionem sanguinis, & facta ventris lenitione, danda sunt in curatione febrium putridarum, quæ materiam febris per vrinam moueant, & pellant, non enim ante euacuationem totius, & ventris lenitionem idonea esse possunt, quoniam si in prima aliquid crudum, aut vitiatum esset, in his moueretur, nec si totum euacuatum esset, carerent periculo, quia commouerentur humores, & ad loca obstructionis fluerent, quod de omni attenuante, & deobstruente docuit Galen. 8. *Meth. cap.* 4.

Vt autem breuiter intelligatis quod ad hanc indicationem pertinet, notate, quòd medicamenta propriè diuretica, & mouentia vrinas sunt calidiora, quàm quæ conducunt ad lactis generationem, & mouendos menses seu menstruam purgationem, & talia raro conueniunt febribus ob immoderatum calorem, & siccitatem, nisi fortassis febris lenta esset, & pendens ex sanguine aquoso, aut nimis crudo : sunt enim diuretica propriè calida in tertio gradu, & sicca ad finem illius ; debent enim segregare a sanguine id quod aquosum, & serosum est, vt indè attrahatur à renibus : segregatio verò, & fusio nisi à magno calore non fit. Alia sunt medicamenta vrinas mouentia impropriè eo quòd aut abstergendo, aut attenuando id quod lentum, aut crassum est, disponunt, vt à renibus simul cum seroso excremento attrahatur id, quod in tenues partes diuiditur, & cum partium tenuitate separant serosum excrementum à massa sanguinaria, quod solet esse non leuis occasio putredinis ; ea igitur, quæ sic attenuant, & inscindunt, & abstergunt, mirè conferunt ad euacuandam serosam humiditatem per vias vrinæ : solet autem per putredinem humorum huiusmodi serosa humiditas redundare, & separari in ipsa mixti dissolutione per putredinem: ergo euacuare eam eo modo vtilissimum est : præterquam quod adducta medicamenta non parum ad coctionem conferunt, quia & deobstruunt, & attenuant crassos humores: datur autem vtilissimè medicamentum relatum ab Auctore, scilicet sirupus acetosus vnus, qui ex sacchato, aqua, & aceto solùm componitur, quem simplicem appellant omnes ad differentiam alterius, qui plura simplicia continet, vt docet Messues. Confert in febribus pendentibus à bile, & pituita ; nam inscindit, abstergit, aperitque oppilationes, quæ sunt in iecore, splène, & renibus. Simplici vtimur in principio post vniuersalem euacuationem in febribus ardentibus ; composito verò in febribus à crassa materia pendentibus, & præcipuè quando purgato iam corpore nondum cessat febris repetitio, quia aliquod viscus obstructum est : his enim mirè auxiliatur, atque minus attemperans simplici, sed eius caliditas temperata est ; itaque sine incendio, aut calefactione optimè deobstruit, & detergit, & quia vrinas potentiùs mouet quàm simplex, & non ita temperans, ideo & maiorem corporis euacuationem desiderat, & remissiorem febrem, ac per consequens in declinationibus febrium diuturnarum summè commendatur; sed si febris dependeat ex feruentiore bile admixta tamen serosæ humiditati acri, & inflammabili, compleiur indicatio mouendi vrinas his, quæ refrigerando, & attemperando illud efficiunt, vt emulsio seminum frigidorum minorum & præcipuè maiorum facit, aut decoctum eorum, radices graminis, & hordei, & cicoreæ. Constat ex doctrina Auicennæ in hoc capite, quòd ad danda medicamenta vrinas mouentia mediocriter, non est necessaria materiæ coctio, cùm illa post sanguinis missionem, & lenitatem ventris concedat, quæ verò vehementiùs mouent, vt dixi, post purgationem, & materiæ coctionem dantur commo-

A diùs, & ita noster Vallesius 4. *libro Meth. cap.* 2. vltimum colophonem putridarum febrium curatione optimè imponit vrinæ per motionem, aut euaporationem per balneum.

Dicit deinde Auicenna : *Deinde facillimum sudare, & aperire meatus cum eis, in quibus non est calor fortis, scilicet cum inunctione ex oleo camomillæ, & fricatione cum vino albo, & cum aqua dulci tepida.* Per hoc quod dicit Auicenna : *Deinde facillimum sudare*, non intelligatis sudoris prouocationem magnam ; nam hæc non est multi vsus pro febrium curatione in communi. Cùm ergo docet, vt disponatur æger, vt sudet aperiendo meatus rebus temperatis, vt si natura velit iudicium febris per sudorem efficere, sit præparatum corpus & benè dispositum ad illam terminationem : præterquam quod ad reddendum corpus perspirabilius, &
B euaporanda fuliginosa excrementa, quod docet, est vtilissimum, & ita in omni febre : cutis enim laxitas, & pororum apertio, vt dilatio occulta meliùs fiat, & corpus magis ventiletur, summè confert. Hoc munus præstat oleum camomillæ nondum satis laudatum ; inungitur enim illo moderatè calido totum dorsum, quando febris inclinat in continuis, & sic declinat citiùs, & solet æger madere, & quadam suaui perfusione humectari, & euacuata parte materiæ, quæ accessionem faciebat, & dissolutis citiùs fuliginibus acrib us, & interim etiam serosis humoribus excalefactis iuxta cutem existentibus, leuatione eget, & somnum cum delectatione conciliat, cessante in visceribus
C exustione, qua molestabatur. Miscetur etiam commodissimè oleo camomillæ ; quod ex amygdalis dulcibus extrahitur, quando febris ardentior est, & aqua hordei vtrumque lotum optimè præparatur : detergunt enim magis, & attemperant. Sed notate circa hoc remedium, quod cum vi naturæ conueniat, nullis tamen magis conuenit, quàm agricolis, & his, qui carne duriori constant, & sunt halitus densioris : tales enim ob densitatem minus ventilantur, & sic magis egent hoc remedio celebri. Iam enim vobis adduxi locum Hippoc. *lib. de alimento*, vbi docuit, quòd qui densi sunt corporis, tardiùs conualescunt à morbis, quia ob pororum occlusionem minus resoluuntur. Secundò notate, quòd oleum post inunctionem debet abstergi linteo calido moderata frictione : nam si ibi
D remaneret oleum hærens cuti obstrueret, & moderata frictio, & suauis, præterquam quòd oleum detergit, est vtilissima, quia etiam poros recludit, & laxat: dura enim, & aspera frictio siccat, & indurat corpus, ex doctrina Hippocr.

Tertiò notate, quòd solet esse aliquando febrium maligna constitutio sudoribus diapleureticis, seu syncopalibus interficiens, à quo pernitioso symptomate vix aliquis liberatur ; in quo casu à prædicta inunctione, & laxantibus merito abstinebitis, scilicet ab eis, quæ interiùs sumpta sudorem prouocant.

A contraria ratione, si constitutio sit talis, quæ optimis sudoribus morbos terminet, & benè finiat, summa vtilitate exequetur. Tandem in temporibus ca-
E lidioribus minus necessaria est, sed in frigidis vtilior, quia calor exteriùs laxat, scilicet inunctio ; frigus verò condensat. Idem iudicandum est respectu causæ morbi, nam tenuior minus eget tali remedio, crassior verò magis, in qua aliquid magis exicergens, & attenuans solemus oleis miscere, vt fortasse aliquid nitri in tenuissimum puluerem redacti ; est verò satis drachma puluetis pro vncia dimidia olei.

Vlterius dicit Auicenna : *Et si febris fuerit acuta, non inuenis excusationem ad inunctionem, & embrocationem.* His verba iuxta expositionem Gentilis, & Herculani docet Auctor, quòd inunctio adducta cum oleo camomillæ, & reliquis non est applicanda in febre acuta, id est, intensa nimis ; nam in his ita affectis

potiùs est opus frigida inunctione, & embrocatione; nam quando timemus transitum febris ardentis in hecticam, potiùs inungimus spinam totam oleo violaceo, & nenupharis. Et si aliqua pars interna æstuet nimis, vt ferè semper contingit in adurentibus febribus, attemperanda est embrocatione, epithemate infrigidante, & mitigante incendium interni visceris, ne in verum erysipelas, aut inflammationem permutetur, & ne in hecticam transeat, aut corpus diaphoreticis sudoribus colliquet.

Circa quod præceptum hoc tanquam primum principium, & maximè necessarium deberis obseruare, nunquam dari acutas febres absque læsione alicuius internæ partis, quæ aut distemperata nimis sit; aut obstructa, aut aliquo incendio inflammatorio laboret: quæ pars omni solicitudine, & cura exploranda est tam per tactum, quàm per signa alia, quia non omnes internæ partes tactu deprehendi possunt, & iuxta naturam partis, & mali, quo affligitur, indicationes salubres eliccre, & idoneis remediis auxilium ferre. Est autem commune præceptum, vt æger supinè decumbat moderatè crura mouendo, versus nares sursum constituens, & vniens vtrumque genu: sic enim hypocondrium per tactū modicè exploratur, & animaduertitur, an ventriculus, lien, iecur, septum, aut alia pars ad intestina & ilia pertinens, dolorosa sit, tensa, nimis æstuans, aut alio modo, quod per tactum Medici assequi possit, corripiatur: nam dum secundùm naturam hæc regio se habet, debet esse sine dolore & mollis, & æqualis dextris, aut sinistris partibus, vt 1. *prognost.* docuit Hippocr. qui autem dum per opus vniuersum *de vulg. morb.* refert affectiones diuersas ægrotantium, semper facit mentionem peculiarem dispositionis, & status hypochondriorum, vt intelligatis quanta cura, & studio perscrutabatur Hippocr passiones internorum viscerum, vt certum habens frustra omnem curationem agi sine eorum consideratione. Idem de renibus, & vtero intelligendum est. Hinc Galen. 1. *de diff. febr. cap.* 12. ardentem febrem in hecticam permutari docet, quoties aquam frigidam postularent bibere ægroti, & nihil tale eis fuit concessum, nec aliud remedium refrigerans thoraci, & hypochondriis imposuerunt Medici. Inquirendus igitur diligentissimè internarum partium status, & iuxta naturam partis affectæ, & mali auxilia idonea imperanda: nā quod nimis æstuat, attemperandum est, quod obstructum deobstruendum, quod inflammatum, & erysipelatum, aut alio morbo affectum, curandum est iuxta naturam tumoris præter naturam; laxandum similiter quod satis distenditur; & notandū diligenter, quòd alia sunt medicamenta, quibus iecur æstuans est attemperandum ab his, quæ æstuantem lienem attemperant, & ventriculus similiter, & thorax diuersa exposcunt medicamenta; idemque in quavis alterațione per contraria intelligendum est, quod discere oportet ex natura simplicium, sine quorum cognitione periculo non caret quævis curatio: nam thorax æstuans refrigerantia cum lenitate exposcit, adstringentia tamen, & vehementer frigida renuit, exasperatur enim, & tussi molestatur ab illis. Ventriculus frigida aromata, & adstringentia petit, iecur similiter, sed minus quàm ventriculus; tum quia non ita cum crudo alimento pugnat: tum quia iecur habet talem proprietatem, vt facilius in distemperiem frigidam labatur, quàm ventriculus. Lien minus infrigidantia, & adstringentia exposcit; quia facilè permutatur in schirrhosam dispositioné. & naturali temperie frigidior est, & minus calidus. Adstringentia in renibus rarò conueniunt ob venarum angustiam, per quas vrina, & illius excrementa percolantur. Idem de corde, & cerebro intellige, nisi sudoribus diaphoreticis, aut syncopalibus pericliterur æger; nam tunc epithemata frigida cum adstrictione conueniunt.

Dicit vlterius Auicenna: *Quòd si in venis humor declinet ad stomachum, fac vomere cum eis, in quibus non sit diuersitas consuetudinis, imò cum eis, quæ sint, scilicet sirupus acetosus cum aqua calida, cùm natura mouet humorem per vomitum, & non distrubas eam. Quod si fuerit illic declinatio ad intestina, & senseris regurgitationem, & descensum facis, tunc adhibe quod ventrem soluat.* In principiis accessionum solet natura irritata per diuersas partes tentare expulsionem humoris nascentis. est autem frequentissimum, in morbis præsertim biliosis ad ventriculum, & intestina humores præcipitari, & aliquando non sine magno periculo ægroti: nam soles in transitu molestas cardialgias, & anxietates causare cum animi exsolutione, & syncope. & interim vtroque ore superno, & infimo viens natura, choleram morbum, acutissimam alioqui passionem, efficere: quod si per vias communes tentet natura expulsionem, tolerabilius esse solet, & minus perniciosum, quia rarò non euacuatur.

Et per tam amplas vias tota materia commota, etsi aliqua hæreat, aut ob debilitatem expellentis detineatur, detergentibus clysteribus aut potionibus, simulque attemperantibus facilè lnitur: si verò per vias alio modo destinatas per eas, quibus vtitur ventriculus, & venter inferior ad propriam nutritionem, moueat natura biliosam, & corruptam materiam, hoc opus, hic labor est; nam intolerabiles cardialgiæ, & morsus non tam intensione, sed extensione lancinantes oriuntur, indè & deliquia, & dolores syncopales cum partium extremarum algore, & periculo magno excitantur ob continuam anxietatem, & bellicationem, nullū decubitum placidè ferentibus ægrotis, vt ex his symptomatibus compertum vobis sit, per alimenti vias pellere naturam humorem vitiatum in vtroque casu. Si natura segniter vacuet, iuuanda est vomitoriis, vt minus molestetur: id facit optimè in materia calida syrupus acetosus simplex cum aqua tepida: nam quod hæret, inscinditur, & grauatus ventriculus vehementiùs expellit. Quòd si syrupo acetoso addatur aqua hordei tepida, magis extergens, & efficacius vomitoriū erit, quia hordeum detergit, & quia minus grata illius aqua, quàm communis irritat, magis, aut minus amplectitur. Constat verò hoc remedium debere fieri in quouis tempore, nec petit peculiarem dispositionem corporis, neque euacuationem, sed in prima statim accessione effici potest. Constat verò, quòd etsi dicat Auicenna, quòd quando natura mouet ad ventriculum, est concitandus vomitus, quod solùm id est faciendum, quando non euacuatur natura satis copiosè; nam interdum tam copiosè euacuat, quòd potiùs sit necessarium vomitum, & impetum naturæ sistere. Idem de motu ad intestina intelligendum est: iuuanda enim est natura, si diminutè pellat id, quod mouet per eam regionem.

Sed Auctores exponentes Auicennam dicunt: quod est iuuanda natura aut medicamento lenieore per os assumpto, vt cassia fistula, vel manna, vel clysteribus lenientibus, vel detergentibus. Videtur verò satis difficile, qua ratione possit esse vtile in principio accessionis dare medicamentum leniens per os; nam præterquam quod non soluit nisi aliquod alimentum postrà sumatur, eo quòd in alimentum conuertitur, laborat maximè natura in principio accessionis, & per totam accessionem laboratura est: ob quod securius mihi videtur clysteribus deponere id, quod natura euacuare non potest: etsi transacta accessione adhuc molestia duret in ventre inferiori, ex qua percipiatur nondum esse satis euacuatam materiam commotam, & ob multitudinem id euenisse, securiùs datur medicamentum leniens: nam etsi tale sit, quando natura est in accessione, non caret periculo maioris tractionis, & commotionis in eam partem, quod in clysteribus non inuenitur. Quòd si verum est, quod dicunt Auctores de cassia fistula, scilicet quod ex proprietate mouet vrinam, minus commoda videtur.

Circa excitationem vomitus id obseruabitis, quòd

si

si in fœminis menstruantibus eueniat, periculosum est hoc remedium, quia vomitus, & nausea nimis reuellunt euacuationem menstruam: id est intelligendum, si à partu contingat tale symptoma, & cum maiori periculo in puerperis detinetur, & reuellitur, quanto deterior est sanguis, qui euacuatur à partu quàm menstruus. Vnde nisi natura nauseabunda nimis sit, securius est ferre per aliquod tempus molestiam ventriculi, quàm vomitum in ita affectis mouere. Si verò natura spontè nauseam ingentem excitet, & nihil expellat, dari potest, quod vomitum ciat; nam quantò citiùs id efficiatur, tantò minus reuellitur purgatio vteri. Si verò videatur aliquod leniens medicamentum posse conferre, securius est, quàm vomitum mouere; quia minus opponitur vteri purgationi. Neutrum tamen tentandum, si non fuerit vehemens nausea, aut sine illa anxietas nimia. Quod si ob vrgentiam dictorum aliquod ex dictis auxiliis accommodetur, iuuanda est purgatio menstrua cucurbitulis, ligaturis, frictionibus appositis.

Dicit vlteriùs Auicenna: *Et prohibe eam a somno in principio febrium, & propriè quando est horripilatio, aut frigus, aut rigor, quia prolongatur super eum frigus, & rigor: apud declinationum vero est iuuatiuus valde, & fortasse non nocet apud statum.*

Tres conclusiones adducuntur ab Auctore verbis adductis. Prima est, in principio accessionis nociuum est somnum, & præcipuè quando incipit cum rigore, aut horrore, vel frigore extremitatum. Rationem reddit in littera dicens: ipsa namque exprimunt materias, si fuerint euntes ad quædam viscera, & prohibent digestionem humoris, hoc est rigor, horror, & frigus efficiunt retrocessum humorum, spirituum, & sanguinis ad intima. Taliter tamen, quòd etsi calor vitalis, & sanguis simul retrocedant cum humoribus, non coquantur, sed potiùs calor vitalis suffocatur, quia priuatur motu ad extra. Cùm ergo somnus eodem modo faciat retrocessum caloris ad intra, & adiuuet motum, quem facit accessionis tempus, principium scilicet, ideo impediendus est somnus eo tempore, & imperanda vigilia, quia cùm per hanc moueantur spiritus, & sanguis ad extra, est remedium contra retrocessum suffocantem, quem causat principium. Si ergo tunc dormierint ægroti, læduntur, non quia somnus noceat, sed quia priuantur auxilio, quod vigilia inducit; & sic durat læsio principij magis. Vnde constat, quod vigilia tantò magis necessaria est in principio accessionis, quantò maior fit reuocatio caloris ad intra: & quia hæc maior fit in rigore, & horrore, & frigore, ideo somnus sub dictis symptomatibus impediendus magis.

Deberis tamen aduertere, quòd Auicenna docet, quòd somnus nocet in principio. Galenus verò non dicit, quòd nocet, sed quòd si dormierint ægroti in principio, priuantur commoditate, quam ex vigilia erant accepturi, & ideo extenditur læsio principij ad maius tempus, quàm extenderetur, si non dormirent: & in hoc significato dicit Auicenna, quòd somnus nocet. Verba Galeni 2. *Aphor. comment.* 1. ita se habent, quæ quia aurea, & pulchra sunt, adducere placuit: *In principiis siquidem accessionum, & calor naturalis totus, & humores in profundum corpus versum quemadmodum Hippoc. docuit, & præcipuè in quibus horror quispiam, vel rigor, vel fortis partium exteriorum refrigeratio contingit, & propterea si in principiis dormierint, symptomata illis protrahuntur, & vix febres ad consistentiam perueniunt. Si qua vero inflammatio fit extra viscera, meritò augetur: et si humores aliqui in ventrem confluant, non æquè atque in aliis somnis concoquuntur, sed multò plures fiunt, incocti permanentes. Ob hanc igitur causam ægrotis vigilias præcipimus tempore illo, eam quæ fit per vigilias spiritus, sanguinisvè, atque caloris habitantis in eis ad externa motionem tanquam maximum auxilium opponentes aduersus illam, quæ fit in accessionum principiis, sanguinis, spiritus, calorisque naturalis ad interna retractionem: quare non sine ratione dixit quispiam, huiuscemodi læsiones hoc tempore accidere ex natura accessionis, & ex vigilia prohiberi. Cum vero hac priuati fuerint ægrotantes, tum damnum sentiunt manifestum non quia altera læsio accidat ex somno, sed quia deest illa, quæ ex vigilia habetur vtilitas. Hic igitur sermo ostendit, nullam fieri accessionum in principiis ex somno læsionem, sed tantum esse carentiam vtilitatis:* Hactenus Galenus.

Sed contra Galenus dicit: Principium accessionis ideo lædit, quia facit retrocessum caloris ad intra: sed somnus facit hoc idem: ergo lædet partialiter, & simili modo. Dicitur, quod Galenus dixit, quòd non lædit, sed solum fit carentia vtilitatis, quam induceret vigilia. Ratio est, quia somnus nunquam facit tantum retrocessum ad intra sicut rigor, horror, aut frigus, & ideo nunquam iuuat læsionem, quia nec retrocessum; sed cum maiorem faciat principium ex se dormiendo: ergo priuantur commoditate, quam vigilia erat allatura, non tamen fit læsio maior. Quòd verò somnus non faciat maiorem retrocessum, constat; quia minus infrigidat externas partes, quam rigor, aut aliquod ex dictis accidentibus: illa enim vsque ad periculum suffocationis faciunt, non verò naturalis somnus: hinc fit, quòd interna inflammatio augeatur, si dormiat æger in principio, quia cum vigilia moueat ad exteriora, & ambitum impedit, ne fiat tantus retrocessus ad intra, vnde in internis inflammationibus quantò sustinent vires, prohibet somnum, quia auget ad intra fluxionē, & per consequens in inflammationibus externis commodissimus est longior somnus ob contrariam rationem. Hinc fit quod quamuis somnus semper prinet coctione, id non faciat, quando in principiis contingitur, quia cùm principia suffocent calorem vitalem, deficit principale coctionis instrumentum. Semper enim in principiis accessionum vitiosi humores, & crudi intus detenti, & fuliginum magna copia, & crassior, quæ tunc eleuatur, obstruunt vitalem calorem, & corrumpunt illum. Omni ergo ingenio somnus in principiis prohibendus est.

Secunda conclusio Auicennæ est: *Apud declinationem verò somnus est iuuatiuus valdè*; desumpsit ex Galeno loco citato ita dicente: *Sed manifestissima omnium vtilitas fit in declinationibus.* Vbi notate quòd est intelligenda doctrina loquendo de temporibus quatuor accessionum: nam sine dubio vtilior est somnus tempora intermissionis, quia cùm tunc nullus sit calor præternaturalis, nullus retrocessus ad intra fiet simul cum naturali, ideò vtilissimus est somnus. Si verò comparetur ad reliqua tempora, vtilior est in declinatione, quàm in principio, augmento, & vigore. Ratio est, quia tunc est naturalior somnus, quando minus habet admixtum aliquid contra naturam: in nullo verò tempore habet minus quàm in declinatione, quia in illa iam tota ferè causa accessionis est ferè consumpta, & minus eget corpus ventilatione, quam semper suo modo somnus prohibet; itaque in declinatione sunt pauciores fuligines, & minus accensæ, & tenuiores, & ita etsi detineantur per somnum, & retrocedant, læsio fit minor quàm in aliis temporibus. Præterea virtus est debilis præcedentibus temporibus, & nimia spirituum copia ob incendium, & inquietudinem, & ita somnus est vtilissimus, quia magis necessarius, & ex alia parte minus nociuus. Accedit, quòd somnus in declinatione confert ad resolutionem maiorem, quàm etsi habitus constipetur, & intus trahantur fuligines, roboratio tamen est insignis, quòd fiat expulsio, & resolutio maior per occultam transpirationem, quàm si vigilaret æger cum maiori debilitate.

Tertia conclusio Auicennæ est: *& fortasse non nocet apud statum.* Quibus verbis loquendo ambiguè Auic. insinuat, quòd apud statum, & in statu aliquando nocet, & aliquando non. Vnde explicare oportet, quando noceat, & quando conueniat. Debetis tamen ex dictis

notare, quòd sicut declinatio est commodius tempus ad conciliandum somnum, ita est status, quia est proximior declinationi, & commodior quàm augmentum, quia scilicet principium est deterius omnibus temporibus: ita quia augmentum sapit principij conditiones, & ei existit proximum, & secundo loco deterius, & per consequens prima pars vigoris, quia magis propinquat augmento, minus commoda est ad dormiendum, quàm vltima pars, per quam iam accedit ad declinationem. Est verò principium deterius ad somnum, tum quia in illo fluit vehementer humor ad focum; & cùm semper sit in partibus internis, ad quas somnus similiter mouet, ideo est tempus minus commodum. Secundò, quia in principio eleuatur magna copia fuliginum lædentium magis corporatura, quàm calore, ac per consequens suffocando, detentis verò intus per somnum viscera grauantur, caeterùm arteriæ comprimuntur, & cor; & quæ fuligines ad ambitum per vigilias deberent distribui, intus conclusæ ad cor, & cerebrum feruntur, & ita mille modis offenduntur ægroti, si dormiant in principio: quod si expergefiant ægroti delirant, qui anteà per morbum nil tale patiebantur. Augmentum verò etsi habeat magis incensas fuligines, quàm principium, & per consequens minus corpulentas, & grauantes; sunt tamen plures, quàm in vigore, & crassiores, & per consequens somnus in augmento minus commodus est, quam in vigore, quia crassiora excrementa detinentur magis quam anteà: inde quamuis in vigore sint calidiora, & detenta videantur calore magis nociua; tamen quia sunt in minori quantitate, & attenuata magis, quia summe accensa, ideò per somnum minus cohibentur; quia caloris agilitas minus permittit intus detineri: feruore enim & intima leuitate distribuuntur, & pulsus vigor, quia magis dilatatus quàm in principio, & augmento, eandem distributionem commodiùs facit.

His suppositis certum est, quòd in biliosis naturis, in quibus, vt diximus, sunt acerrimæ, & calidiores fuligines, & corporis habitus rarus ob summum incendium, & propter humorum tenuitatem, & spiritus facilè resoluuntur, quod in his commodissimè somnus conciliatur in vigore accessionis, præsertim in vltima parte vigoris. Ratio est, quia eo tempore fit ingens spirituum resolutio, non tamen ob summum incendium, sed quia ab acrimonia, & calore molesto lancinante vehementiùs mouentur, nunquam in lecto quiescentes, & sic resoluuntur, & ita per somnum reparantur quàm optimè, quia nec debilitantur à molestia, & acrimonia, & motu ad illos sequuto, nec impeditur expulsio fuliginum, vt in alijs temporibus, sicut dictum est, quia & corporis halitus laxior est in vigore, & excrementa attenuata magis, & calore summo, & leuitate feruntur vbique, absque eo quòd intus coercitæ, crassæve in corporatura, vt in alijs temporibus suffocent, & intereant interna, & ideò commodissimè, & summa vtilitate somnus conciliatur: ad quem consequendum finem soleo propinare frigidum potum: non enim in tertianis exquisitis, & biliosis ardentibus declinationem expecto ad dandam frigidam aquam, aut alium potum conuenientem, vt multi faciunt refragantes Galeno, & veritati, vt videbimus posteà: itaque in summa illis molestia caloris largiorem frigidum potum concedo, caput nayrrhodino attempero, & præmunio; quiescere iubeo ægrotantes, & corpore benè cooperto secundùm partes, & moderatis cooperimentis, aliquis ex assistentibus linteo aqua rosacea, aut frigida madido aërem lectoli leuiter commouet, vt pro corde inspiretur frigidior: sic somnum concilio, & sæpè superuenit sudor inter dormiendum, quo refrigerantur ægroti, & summa quiete dormiunt, & febris declinat. Biliosis enim, & siccis naturis aduersissima est vigilia & proindè vtilissimus somnus; & sicut in vigoris fine dantur frigida ad

A attemperandum, ita somnus conuenit, quia semper humectat, & siccitatem ex dispositione corrigit.

Eodem tempore dormire permitto eos, qui in perniciosis declinationibus exsoluuntur sudoribus syncopalibus: etiam cùm somnus sudorem augeat, & in declinationibus fit corpus laxius, & ita attenuatæ fuligines, vt facillimè in sudorem permutentur, vehementer inundantur sudore, & magis debilitantur, & ita non tantùm in vigore accessionis, sed in extremis partibus augmenti, si possint, dormire permitto; nam cùm in his temporibus corporis habitus sit astrictus, ex doctrina Galeni, & minus moueat natura ad cutem, etiamsi dormiant, non exsoluuntur sudoribus; præterquam quod ad secundam debilitatem declinationis venturæ
B necesse est, reparandam esse virtutem omni modo, antequam accedat declinatio, in qua somnus perniciosus est, eò quòd augeat sudorem. Si verò febris dependeat ex crassis succis, quorum fuligines lædunt corporatura magis, quam alteratione, & corpus sub tali dispositione rarò resoluitur; tum quia crassi sunt succi, & illud magis obstructum, & calor non ita intensus, vt vitales spiritus attenuet, & digerat, nociuus erit somnus in vigore magis quàm vtilis; & ita in declinatione est solùm permittendus, si febris non intermittant: nam adhuc in declinatione in humorum crassitie solet declinatio prolongari, si dormiat æger, quia refrigeratus corporis habitus condensat, & post non liberè capiunt crassiores fuligines.

Hinc constat, quòd quando in declinatione somnus
C conciliatur, & non alleuiatur æger, sed debilior expergefit, febres augentur, aut si aliud symptoma graue superueniat, casus fit periculosissimus, vt docent Hippoc. 2. *Aphor. text.* 1. dicens: *In quo morbo somnus laborem facit, mortale; si verò iuuat, non mortale.* Galen. *in comment.* dicit, quòd si in declinatione, in qua solet esse vtilissimus somnus, non solùm non iuuat, sed nocet potiùs, non sine ratione mortem significat. Debetis autem colligere ex tali læsione, aut esse malignam internam inflammationem, aut perniciosum erysipelas in visceribus: sub his enim morbis solent non iuuari
D ægrotantes à somno. Idem contingere solet in venenosa materia, quæ circa viscera detenta per somnum non permittit naturam roborari, sed in parua quantitate validissimè virtutem effæminat. Idem fit quando copia nimia succorum virtutem grauat, & innatum calidum suffocat. Quod autem dixit Auicenna tribus conclusionibus adductis, desumpsit ex Galeno *in comment. Aphor. citat.* qui doctissimus est, & dignus, vt à vobis legatur attentè. In summa principium est deterius omnibus temporibus ad dormiendum; in declinatio commodior cæteris, si non sit intermissio, quod est intelligendum ex se. Media tempora se habent medio modo, & prout ad principium magis accedunt, deteriora; vt ad declinationem, minus mala; vnde si vtilissimè conciliatur somnus in declinatione, non est mirum aliquando vtilitatem manifestam afferre in vigore, quia magis accedit ad declinationem,
E vt *in comment. Aphor.* docuit Galen. & hinc transtulit Auicenna.

Ex dictis patet, somnum semper esse euitandum in inflammationibus internis, præsertim in erysipelate viscerum, & quando adest copia interius, quæ adhuc inter vigilandum suffocat; redditur enim maior ex somno; in sudoribus syncopticis, & colliquatione perniciosissimus est, quia auget illos; morbi etiam infestantes cum capitis grauitate somnum non amant, quia in illo grauatur caput de nouo. In his ergo passionibus, si esset possibile sine somno transigere, amandum esset: quia verò id fieri nequit, permittendum est dormire ad virtutis reparationem, cuius duratio metiri non potest, cùm magnam varietatem accipiat secundùm indiuiduales conditiones.

Dicit

Dicit deinde Auicenna: *Et non prohibeas ei aquam frigidam, nisi fuerit humor, qui in eo est, crudus, & grossus: tunc enim prohibet digestionem.* Agit nunc de potu aquæ frigidæ, duplexque datur in febribus, præter illum, qui inter comedendum assumitur; vnus leuior, qui præcipuè datur in quauis accessione tertianæ exquisitæ intermittentis, aut continuæ, vel causonis: datur enim frigidus potus ad attemperationem ingentis caloris, & impediendum, ne in vigore summo sub tanto incendio transeat in continuam, aut alios humores corrumpat, continua in ardentem, & hæc in hecticam, aut quamuis aliam. Roboratur etiam natura, & impeditur dissolutio vitalium spirituum: ob quæ commoda dixi, quòd talis potus non est dandus in declinatione, sed in vigore, præsertim ad finem illius. Quæ doctrina adducitur à Galeno 2. *de crif.* vbi tradens signa, quibus summus vigor particularis accessionis cognoscitur, inquit ita: *Et iam bibendi tempus adest ægrotanti.* Ratio est, quia cùm in vigore particulari febrium biliosarum peccent excrementa magis calore, incendio, & acrimonia, quam corporatura, quod declarat apertè libera, magna, & velox dilatatio pulsuum: tunc enim est præcipua attemperationis indicatio, cùm in declinatione talis esse non possit; imò ipse potus frigidus facit, vt statim declinet febris: nam prætérquam quòd summum illud incendium temperet, quod est declinare, vt inquit Galenus *loc. cit.* statim post potum plurimus calens vapor per cutem exhalat sudores; nam citiùs bilis quandoque superuenit vomitus, venterque soluitur, & biliosum mingunt. Quòd si febres ob incendium colliquent, quis negare audebit esse attemperandum calorem in vigore, quando magis colliquat, & substantiam vtilem depopulatur. Imò Argent. *lib. de febrib. ad fin. cap. 7.* qui etiam Galeni sententiam defendit, docet aliquando esse necessariam in augmento potionem frigidam; illud verò esse faciendum in febribus admodum biliosis, quæ paulò post principium vehementem æstum inferunt. Vnde Didacus Merinos *lib 6. cap. 3.* vniformiter omnes Medicos reprehendit, quia videt omnes in sola declinatione tertianæ exquisitæ propinare frigidum potum: certum enim est, de hac potione non loqui Auicennam.

Alia potio frigidæ aquæ datur copiosa, quæ non solùm attemperans, sed veluti eradicatiua est febris, & hæc solùm conceditur in continuis febribus ardentibus, & synochis, quæ data iuxta Galeni, & Auicennæ doctrinam solet omninò febrem finire, quam statim à potu solet sequi aut alui fluxio copiosa, aut multæ bilis vomitio, aut sudor abundans; aut omnia simul, vt Galenus inquit, & summa declinatione æger liberatur, quia auidissimè, & placidè assumitur. De hoc igitur potu, quem vsque ad satietatem vnico haustu concedit Galenus, agit in præsenti Author, & illum concedit, dummodo non dependeat febris ab humore crudo, & crasso: quibus verbis denegat potum talem in febribus dependentibus à pituita, & melancholia; nam incendium harum febrium nunquam est tantum, quòd indicet tam copiosum potum, cùm remedium debeat esse proportionatum, & æquale morbo: prætérquam quod in illis febribus semper indicat magis causæ crassities, & lentor, quàm calor; & ita à potu frigidæ potiùs abstinendum, non solùm ab hoc copioso, sed ab attemperante in accessionibus.

De hoc potu copioso frigidæ aquæ, & de omnibus requisitis ad illius exhibitionem ego latissimè exponendo 9. *lib. Meth. Galen.* & incidet sermo de illo rursus in cura continentium, & causonis, & ob id breuiter afferam, quæ hic addueit Auctor, vt per compendium sciatis, quibus sit concedendus, aut denegandus. In primis ad tantum potum debere esse morbum expetentem illum, & per consequens cùm sit grandissima potio, & satis frigida, erit intensissima febris, à qua tantum remedium iudicetur; proindè non nisi ardentibus synochis, aut biliosis talis potio conuenit, in quibus & indicatum à summo calore, & maximè desideratur, & experitur à miseris laborantibus intolerabili siti molestante. Ne tamen putetis esse satis ad dandum hunc potum, quòd molesta, & clamorosa sit; lamentantur ægroti; nam in ardente febre à pituita salsa solent maiori siti excruciari, & perniciosè bibunt copiosè aqua frigida, quia non sequitur expulsio salsæ pituitæ ob immoderatam crassitiem; non enim est humor aptus per subitam expulsionem excerni, sed paulatim coquitur, & resoluitur, & sic etiam ipsius pituitæ maior crassitudo, nec sitis laborantium pituita salsa moderatur frigore, sed humiditate; nam exsiccando illam causat multò magis quàm calefaciendo. Debet esse prætereà æger robusti ventriculi, quia vt inquit Auicenna, stomachus debilis, & B imbecille iecur copiosum potum frigidæ non sustinent; quia, vt inquit inferiùs, quando aqua frigida obuiat membro debili, corrumpit operationem eius: contrahitur tamen debilitas aut ob raram contexturam corporis, aut ob vitiosam temperiem. Constat verò, quòd sicut Auicenna posuit ventriculum aut iecur debile, sunt intelligenda omnia alia viscera, & ita inferius plurima refert. Eundem potum denegat, quando est in visceribus apostema, id est inflammatio; quia pars laborans tumore, inquit Gentilis, est debilis non solùm in temperatura calida, quia hæc non prohibet aquæ potum, cùm in ardentibus non prohibeat ob debilitatem à calore inductam; sed præcipuè debilitatur, quia ob distensionem factam à tumore partes sunt distractæ, hoc est, distantes à se, & sic minus benè operantur. Prætereà C quia ex internis inflammationibus ferè semper resudat aliquid excrementitium, & icorosum per poros, & tunicam partis: quæ resudatio impeditur à frigido condensante, & si non resudat aliquid, saltem negari non potest, quòd pars condensetur, & humor similiter, ac per consequens coctioni & resolutioni magis resistat, & ita fiat morbus diuturnior. Est autem periculosum acutas passiones, vt sunt inflammationes internæ, longiores reddere, quia natura succumbit, & non potest per longum tempus affectionem acutæ passionis sustinere.

Circa quod tria notanda veniunt. Primum est, quòd quando inflammatio interna incendiu hominem occidit, aut hecticam inducere potest, non prohibet copiosum potum frigidæ aquæ, vt inferius dicit Auctor: D *Ita & quando iterum sunt quædam prohibentia, deinde timetur malitia caliditatis, & sitis, & æstimas, quòd peruenis per eam ad ariditatem, tunc non prohibeas aquam frigidam; nam additio apostematis, & cruditatis eius melior est quam extenuatio.* Quod ante illum docuit Galenus; negligitur enim prolongatio morbi ob periculum vitæ ex incendio, aut permutatione in hecticam. Verba Galeni 10. *Meth. cap. 6.* sunt: *Ego enim talium quoque non paucis dedi, tutius esse ratus phlegmonem in præsens augere, quam sinere hominem in hecticam labi.*

Secundò notatur, quòd erysipelas exquisitum in visceribus non solùm non impedit copiosum potum aquæ frigidæ, verùm etiam ex hac doctrina Galeni sine illo sanari non potest; ita docet 9 *Meth. cap. 7.* dicens: *Porrò* E *erysipelas, quod sit verum erysipelas, non aliter sanabis.* Ratio est, quia talis humor magis fatigat, & viget incendio, quàm tumore, aut distensione, & ita statim indicat summam attemperationem; nec ad exhibendum potum necessarium est coctionis notas expectare, vt *eodem loco* insinuauit Galenus dicens, quòd quando erysipelas cum phlegmone copulatur, est expectanda inflammationis coctio, vt talis concedatur potus. Vnde colligitur, quòd quando solum exquisitum erysipelas affligit sine coctionis notis, danda est frigida potio, quia & humorem exurit, & carnes colliquat, & metus est, ne malignè corrumpantur partes affectæ, quia sub tanto incendio non sunt proportionatæ ad coquendum

humorem, & ille corrumpitur malignè, & partem contagio afficit: attemperandus ergo statim est, vt proportionatus coctioni reddatur, & ne malignè partem corrumpat.

Tertiò notate, quòd quando inflammatio tanta caliditate affligit, quòd cogat Medicum aquam frigidam propinare, non est danda aqua sola, sed admixta sirupo acetoso. Ita Auicenna in præsentiatum dicens: *Et syrupus quidem acetosus quandoque sedat sitim, & infrigidat, & soluit, & nocumentum illius non est plurimum apostematis, scilicet est nocuum aqua, & non est ei vis aggregandi materiam, & inspissandi eam.* Ego quidem non existimo, quòd tanta copia potus, qualis requiritur in præsenti casu, ex solo sirupo acetoso commodè dari posset, vt malè expositores intelligunt; nam præterquam quòd molestissimè assumeretur ob crassitiem quam habet in forma sirupi, non esset tuta eius exhibitio ob copiam aceti, quod cùm magis exsiccet, quàm infrigidet, non ita attemperabit, nec extinguet sitim, & erit ventriculo, & intestinis molestissimus ob aceti acrimoniam, & ita commodissimè diluitur multa aqua frigida; sic enim magis attemperat, & securius datur, & gratior existit. Vbi autem obstructiones multæ sunt cum incendio magno, vt à largo potu non possimus abstinere propter calorem, vtiliter diluetur sirupus acetosus cum aqua decoctionis radicum graminis, hordei, radicum endiuiæ, & borraginis, & adianthi viridis. Sic enim emendatur vitium frigiditatis congregantis, & inspissantis, vt inquit Auicenna; pugnat enim vis aperitiua, & incisiua, & abstergens, & ita attemperatur incendium sine notabili obstructionum noxa.

Impedit etiam potum aqua (inquit Auicenna) *dolor in visceribus, aut complexio pauci sanguinis, aut debilitas innati caloris.* De dolore intelligendum est, si proueniat à causa flatuosa, aut immoderata obstructione, aut intemperie frigida: nam si à calore, aut mordacibus succis proueniat, vtilissimè bibitur frigida. Qua ratione molestissimas cardialgias ex bile cum frigidissima aqua, & succo acidi limonis summa voluptate ægroti abstulimus, non semel, sed pluries in eadem accessione eundem potum repetendo; sæpè enim iecur squallidum per totam ferè accessionem exustam bilem in os ventriculi mittit, à qua grauissimè molestatur; & nisi attemperentur, facillimè linquuntur animo ita affecti. Similiter homines pauci sanguinis non ferunt tantam copiam frigidi potus, quia non potest esse nisi paucitas influentis, & innati caloris, vbi datur sanguinis paucitas: & per consequens timendum est, ne extinguatur parua caliditas à tanta frigiditate; & hæc ratio etiam incidit cum habentibus debilem innatam caliditatem; nam à tam forti agente vincitur caliditas debilis, quia resistere non poterit.

Dicit Auicenna vlterius: *Aut non sit assuetus potare aquam frigidam, scilicet illi, qui sunt de regione calida: hi enim spasmantur velociter, & associantur ei singultus, & extenuatus est de hac summa.* Multæ sunt regiones, in quibus non datur aqua frigida, nec inuenitur infrigidandi modus, quia neque aquæ spontè nascentes frigidæ emanant, neque adest nix, aut gelu, vel nitrum, quibus aqua per artem infrigidatur, nec venti frigidi efflant. Incolæ verò talium regionum, si in aliis, in quibus datur aqua frigida, translati corriperentur ardente febri, cùm summo periculo aquam frigidam copiosè assumerent, non solùm quia consueti non sunt tali potioni, & tam magna, & repentina mutatio non potest carere periculo, iuxta doctrinam Hippocr. 2. *Aphorism. sentent.* 51. sed quia habent carnes debiles & laxas, omnésque partes solidæ eetam habent debilitatem, quam ex calido contrahunt. Pro quo notanda est doctrina Hippocrat. 5. *Aphor. sentent.* 16. dicentis: *Calidum, vbi quis sæpius eo vtitur, hac mala affert, carnis* A *effœminationem, neruorum imbecillitatem, mentis torporem, profluuia sanguinis, animi defectionem, quibus mors succedit.* Quæ sententia etiamsi de vsu balnei calidi interpretetur, etiam habet eandem vim circa vsum aquæ calidæ in potu communi; nullum enim vitium exterius occurrens efficit, quod interne assumpta non causet, cùm alterando, & humiditate operetur, & sic laxando, & resoluendo virtutem effœminat. Habent itaque qui aqua vtuntur calida debilissimas omnes partes corporis, quia raras, porosas, & satis amplas. Vnde assumpta aqua frigida ad satietatem subitò occurrens omnibus partibus, neruosis præsertim, conuulsionem causat, & in ventriculo singultum à frigore nimio vexatum. Ita & extenuati simili periculo bibunt copiosè aquam frigidam: sunt enim carnes sine pinguedine, ac per con- B sequens sine munimine aliquo nerui, & ita immediatè alterantur à summa illa frigitate, & conuelluntur, aut in paralysim incidunt densatis neruis.

Dicit deinde: *Quod vbi materia calida, aut crassa iam digesta est, & corpus carnosum, & abundans innato calore, & virtus constans, & viscera sana, & consuetus est æger assumere aquam frigidam, tunc aqua frigida est melior res, nam sæpè adiuuat ad expellendam materiam cum solutione naturæ, aut per vomitum, vel per vrinam, vel per sudorem, aut per omnia illa, & statim sanatur.*

Ad dandum hunc potum requirit Auicenna coctionem in materia. Ratio est, quia cùm post illam potionem sequatur ferè semper euacuatio materiæ peccantis per regiones assignatas, sequitur facillima expulsio, si C materiæ coctio præcedat, quia cruda retinetur à natura, vt coquatur, & sic non pellitur. Quomodo verò à frigida aqua iuuetur natura ad hoc vt pellat tam subitò, & per tot regiones expulsionem procuret, non est facile inuenire: videbatur enim sequendum contrarium, cùm mitigata acrimonia bilis à potu minus naturam irritet. Constat verò id facere, primò quia attemperat; & cùm intensa intemperies, vt est in ardentibus febribus, actum pellentis deiiciat, attemperata roboratur, & sic potest, quod antea nòn poterat. Præterea à calore deprauatur retentio, scilicet attractio, quia attractio terminatur in retentionem: calidæ ergo carnes, & viscera exusta attrahunt, & retinent deprauatè, quia intensè; ablato verò incendio retentio diminuitur, & sic expultrix expellere potest, quia iam cedit retentrix. D Deinde à calore illo laxantur partes omnes, & sic necessariò debilitantur, & intra se vt spongia imbibunt omnia; constrictæ verò à frigore aquæ densitatem, & firmitudinem natiuam recuperant, & sic pellunt quod anteà non poterant. Si verò calor ille non laxat; nam sæpè exsiccando condensat, & vias coarctat, redditur corpus minus transpirabile, & fluidum; assumpta verò aqua frigida humectatur, & laxatur; sic fluidum fit. Hæc ergo omnia possunt plus quàm diminutio mordacitatis materiæ: præterquam quod materia causonis intra vasa contenta paucissimam facit in illa irritationem; quia etsi ex se sit satis mordax, vasa aut non sentiunt, aut satis obtusè, vt non tam pellatur per irritationem, quàm per antipathiam, & facultatum subordi- E nationem. Accedit, quòd copia ipsius aquæ non parum expulsioni auxiliatur grauando ventriculum, & viscera de nouo.

Sed non caret admiratione naturæ præcipitium post potum aquæ frigidæ. Quis enim non mirabitur eodem tempore per sudorem, vomitum, deiectionem alui, & vrinæ regestionem peccantem materiam expelli, aut quia ex vulgaribus tantis, & tam impetuosis euacuationibus non terrebitur. Verisimile itaque mihi videtur, vbi taliter natura se præcipitat, esse in synochis febribus non habentibus certam partem affectam, sed eatum materia in vniuerso corpore continetur, & putrescit; & ita quando iuxta iecur existit in secunda regione, per vrinam, & intestina pellitur, quia per has partes habet illud viscus commu

communissimas vias; item & per ventriculum, ad quod facit quamplurimum aquæ grauitas, & pondus irritans eam primam regionem. Quod verò in venis minoribus iuxta iecorem continetur, & in vapores ex maioribus vasis aquæ ratione à calore permutatur, pellitur per sudores. Quia verò aqua vt præstans aquositatem multam vrinam suo modo mouet, & secum affert permixtam biliosam materiam, mingitur etiam sua bilis portio.

Sed ex euacuationibus prædictis colligitur, non leue robur requiri ad dandam hanc copiosam potionem; quia nisi magnum, non erit satis ad ferendam tam copiosam euacuationem sine periculo: copiosus ergo potus robustis est robur; debilibus verò ratus, & exterminatio virtutis; nam debilitata retentrice per insuperabile frigus vsque ad dissolutionem pelluntur excrementa, nisi interim primo occursu extinctionem caloris natiui pariatur, qui debilis erat; & subitò occidatur.

Sed dubitabitis, si continentes febres sæpè fiunt ex sanguine, & ardentes similiter, & euacuatur peccans materia per talem potum, quomodo sanguis non pellitur, sed bilis? Respondeo, talem euentum non parum fauere nostræ opinioni, in qua docuimus, omnem humorem iam mutasse formam, quando est vera causa continentis putridæ in bilem transisse, vt Galenus docuit, in ardentibus verò ex bile naturali in alias partes bilis præternaturalis fit permutatio. In continentibus verò ex sanguine sine putredine à calore diariæ permutatur pars sanguinis pinguis in bilem, & hæc etiam euacuatur post potum, quia præternaturalis est, licet non putrida.

Notabitis tamen, quòd sicut quando est inflammatio magnæ caliditatis, cogitur Medicus propinare frigidam aquam, ita quamuis Galenus, & Auicenna requirant signa coctionis ad dandum tam grandem potum; aliquando tamen ita vrget febris incendium, vt ante coctionis signa propinandus sit frigidus potus, vt optimè annotauit Auerr.

Dicit vlterius Auctor: *Et quandoque dat Medicus in potu infirmo de aqua frigida quantitatem plurimam adeò, donec color eius fiat viridis, & extenuat, & fortasse conuertitur febris ad phlegmaticam, & fortasse confortatur natura, & expellit materiam cum sudore, & vrina, & fluxu ventris, & fit sanitas.*

Quantitatem remedij tam celebris esse variabilem, certum est: nam neque omnes febres sunt æqualiter ardentes, neque illis laborantes æqualiter robusti, & mille modis variatio contingere potest. Galenus verò 9. *Meth.* dixit, esse dandum quantum velit ægrotus, tenetúrque Medicus diligenter obseruare omnes conditiones adductas ab Auctoribus, vt iuxta mensuram illarum maiorem, aut minorem potum concedat, aduertendo vt propter paruitatem sine non frustretur æger. Satius enim existimo conuenire in præsenti casu peccare in excessu, quàm in paruitate. Certum ergo debet esse, quòd continentes ardentes magnum potum requirunt, quia cùm in omnibus vasis, aut maioribus putrefiant humores, magno potu est opus. Si verò in ventriculo causa contineatur, minor potus requiritur, quia immediatiùs alteratur à frigida, & iecur medio modo se habet, maiorem enim potum, quàm ventriculus requirit, minorem tamen quam maiora vasa: pulmo, & cor largissimum potum indicant, quia cùm per tot vias alteretur aqua, & remittatur, minus frigida accedit, & quod per continuam alterationem producitur, remissius est, quia magis distat.

Dubitationem autem habet quod dicit Auicenna, *quòd per talem potum conuertitur febris ad phlegmaticam.* Quibus verbis constat, aliquando per talem potum consequi expulsionem humoris peccantis, & ab intenso frigore aquæ febrem ardentem in pituitosam permutari. Gentilis enim in commento dicit, ideò fieri talem conuersionem, quia sanguinem valdè infrigi-

A dat, & incrassat, vt non sit possibile virtuti post incrassationem illum expellere, quare remanens putrefit, & fit febris de sanguine pituitoso. Constat verò huiusmodi permutationem esse vtilem, quia securius est laborare pituitosa febre, quàm ardente. Mihi videtur satis probabile, per talem potum posse ventriculum, aut cerebrum, aliámve partem internam infrigidari præter naturam, ita vt ex proprio alimento generent cruda excrementa, quæ febrem pituitosæ æmulam producant. Præterea & ipsum humorem biliosum accensum non implicat per alterationem frigidam aquæ in aliud mixtum frigidum permutari, & cùm non expellatur, de nouo putrefieri, & febri remissiori grauare, quam phlegmaticam appellat Author, quia erit lenta, & diù durans, quia materia infrigidata incrassatur, &
B obstructiones fiunt maiores; sic enim carbones accensi, & igniti nimis, si aqua calorem deponant, nunquam magnam flammam concipiunt, nec splendent. Ratio est, quia id, quod igneum est, & aëreum in humoribus, & in reliquis mixtis; quæ inflammari possunt, incenditur, & in fuligines, & flammam conuertitur, separaturque, quia in nouam formam mutatur. Hoc verò est, quod extinguitur aqua frigida copiosè sumpta; crassum verò, quod non expellitur per occultam transpirationem, neque per viam manifestam, remanet frigidum, quia & secundum se est tale, & à frigore aquæ infrigidatur magis, & concrescit, & ita detentum in locis obstructis putrefit, & febrem lentam producit.

C Deinde dicit: *Et cùm non licet vt bibat aquam frigidam, & fit audax super eam, timetur quòd faciat accidere contractionem pororum, quare fit causa febris alterius cum euentu opilationis alterius, & fortassè erit vehementior prima.* Hæc verba videntur opponi doctrinæ ipsius Auicennæ immediatè antea adductæ: nam si frigida potio iam quòd non terminat febrem, & absoluit, conuertit eam in phlegmaticam, & hoc vt lucrum habetur, quomodo dicit, quod febris fortassè erit vehementior prima. Ratio est, quòd per vehementiorem intelligere oportet non intensiorem, sed difficiliorem. Probatur: quia hæc sententia desumpta fuit ex doctrina Galeni 9. *Meth. cap.* 15. dicentis: *Ergo quoties ex his febris accenditur, atque ad eos vacuandos frigida data non conducit, ad præsens quidem non paruum affert leuamen,*
D *propterea quòd iam accensam febrem extinguat: verùm cùm causa eius adhuc perstet, aliam de nouo accendi necesse est, atque ea, quæ præcesserit, nonnunquam difficiliorem.* Est autem intelligendum, quòd sit difficilioris sanationis, quia à crassis pendens, & corpus magis obstruitur per potum aquæ: & ideò Galen. reddens rationem, propterea quòd corpus densatum est ex frigida, cum hoc tamen non implicat febrem aduenientem esse intensiorem aliquando, quia cùm obstructiones augeantur, in quibus non conuenit talis potus, & possit esse in corpore multa bilis, aut alius humor fluens post potum ad focum putredinis, potest esse intensior, quia obstructio est multò maior, & materia non fuit euacuata, & ita erit occasio maioris putredinis. Dicit
E deinde Auicenna: *Et cùm videris calefactionem fortem, & complexionem calidam, & siccam, & euacuaueris tunc, quandoque concedes infusionem fieri in aqua frigida apud declinationem, & apparitionem digestionis, & euacuationem humorum, & non est malum, vt administretur balneum, & potus vini commixti subtilis, & vnctio cum oleis lætificantibus.*

Inusitatum remedium ponit Auicenna in præsenti, scilicet quando calor febris est intensissimus, & complexio calida, & sicca, præcesserunt communes euacuationes, & adest coctio materiæ, vel est motibus in vigore, licèt incendio summo cum signis coctionis, id est, quando est ad finem vigoris; nam tunc est declinatio propinqua, & crisis humorum, quia hæc fieri debet

debet in vigore cum signis coctionis, tunc quidem permittatur æger intrare in balneum aquæ frigidæ. Quam doctrinam transtulit ex Galeno 10. *Meth. cap.* 4. vbi iuuenem boni habitus in statu cœli calido, & sicco, etiamsi in frigidam natationem illum immittamus, non lædi affirmauit. Eiusmodi namque temperiei opportunitate vt (inquit Galenus) qui sese in frigidam coniecerunt, & statim omnes sudarunt, & nonnullis eorum aluus biliosa reddit. Erant enim Galeni tempore vtilissima balnea tam frigida, quàm calida, & ita in hominibus assuetis balneis alicuius momenti, erat vsus illius sub tanto incendio, & tempere, & in homine robusto. Nobis tamen non sine periculo tale imperaretur remedium, loco cuius balneum aquæ dulcis tepidum vtilissimum, & securissimum erit cum conditionibus adductis ab Auctore. Quòd verò docet de vsu vini, & inunctione, non est intelligendum conuenire vinum in tanto incendio, sed ad curandas febres alias remissiores postquam materia cocta est: nam vt loco allegato Galenus docet, vinum album bene lymphatum promouet omnes euacuationes, & vim habet detergendi, & attenuandi, roborandique naturam. Aduertit verò Galenus, non esse opus, vbi continentes febres infestant, vino, aut balneo, vel laxante, vel rarefaciente intentione, sed aquam frigidam copiosè ebibitam egregium esse remedium. Legite caput illud, quod doctissimum est.

Sed non prætereo silentio quantum faueat hic Auic. locus nostræ doctrinæ, quam *tract. de temporibus morborum* adduximus, scilicet summam morbi entitatem copulari, & coniungi cum summo vigore coctionis: nam ad hoc quòd in balneum frigidum immittatur ægrotus, requirit Auicenna non quamcumque febrem, sed fortem, & simul dicit, quando sit apud declinationem, id est, quando iam declinatio, & crisis, seu humorum euacuatio proxima sunt. Quod desumpsit ex Galeno *cap.* 9. iam *citato* dicente: *Ergo si vires cuncta valentissima sint, & febris ardentissima, & coctionis nota plane accidentes, frigidam homini audacter dare debetis.* Quid clarius pro confirmanda nostra sententia, cùm ardentissimam febrem accidentibus signis coctionis coniungat.

Dicit deinde Auicenna: *Et non euacues materiam indigestam in calido, aut frigido, nisi propter necessitatem; fortasse enim multiplicatur euacuatio humoris, non peruenientis ad statum propter digestionem, vt euacuetur, & fortasse nocet euacuatio maturationi, & fortasse miscetur malignum cum bono, propterea quòd mouetur malignum absque digestione sua.* His verbis docet Author non esse vtendum medicamento purgante in principio febrium putridarum, nisi sit necessitas: quod frustra videtur dictum, cùm nullum remedium absque indigentia illius accommodari debeat, quantò magis expurgatio, quæ ex maximis est, & satis molesta: Sed Author id certè dixit, quia putauit in principio non esse expurgandum nisi propter necessitatem, ex his, quæ citra coctionem suadent esse necessariam expurgationem: communiter adducuntur hi casus, in quibus sine coctione purgamus. Primus est, quando materia turget, & hoc est, quando mouetur motu vago per diuersas corporis partes, & nullibi parata quiescit. In hoc enim euentu est necessitas expurgandi, quia talis humor non retinetur à natura, & sic nec coqui potest. Tum quia timent Medici, & meritò, ne talis humor, quem nulla pars ob malignam naturam ferre potest, pellatur ab aliqua in aliam principem, quam contingit esse debilem, & ibi firmata lethalem affectum generet; & ob id dixit Hippocr. 4. *aphor. text.* 10. esse purgandum eadem die, si materia turget, quia tardare in talibus malum est. Et 1. *Aphor.* dixit: *Concocta medicare oportet, atque mouere, non cruda, neque in principiis, modò non turgeant.*

Secundus casus est, quando tanta reperitur humorum copia, quòd timeat Medicus naturam non posse supe-

A rare tantum onus, & tantam materiam; tunc enim commodissimè tentatur purgatio ante coctionem materiæ, cùm non speret Medicus coqui posse ob multitudinem. Tertius casus est, quando incoctilis est materia ob venenosam, & malignam corruptionem: fit autem incoctilis ob duo, & quia videtur totalis corruptio, quando in venenum transit, & quia ob malignam qualitatem anticipat plurimum deiicere vires, & ita in pestilentibus, & malignis febribus paruos, & creberrimos experimur pulsus, & satis debiles statim à principio morbi: quia ergo Medici putant, talem humorem incoctilem esse ob summam, & malignam corruptionem,
B & ob virium effæminationem, quam causat, ideo statim ante coctionem conantur huiusmodi humorem extrahere.

Quartus casus est, quando reperitur impropria turgentia, id est humor mouetur ad vias destinatas euacuationi, nempe ad ventrem inferiorem, nihilominus tamen non pellitur humor: cognoscitur verò, quia aluus humidior esse solet solito, & deiiciens bis, aut ter per diem, adestque murmur in ventre cum tam parua, vt diximus, aut nulla euacuatione, in quo euentu solet reddi humidior, & distentus, & hunc motum appellant Medici vergentiam, quia vergit humor in partes alui inferiores, & sic ad vias huic euacuationi destinatas à natura: colligiturque ex tali motione humorem non detineri à natura, sed in motu esse, & si nec coquitur, & habemus naturam adminiculantem, euacua-
C tur per aluum infernam, quia ad illam ipsa sponte mouet: quia verò non sequitur effectus adiuta à medicamento, euacuatio fit facillimè, & leuissimo dato medicamento. Hoc præceptum colligitur ex doctrina Hippocr. 4. *lib. de vict. rat. in acutis, text.* 34. dicentis: *Hos si ab initio purgare volueris, ante diem quintum facito, vbi venter murmurauerit; vbi vero non, à medicamentis abstineto.* Vbi per murmur ventris colligit vergentiam humoris, & naturæ inclinationem ad expellendum per aluum infernam, & sic conuenire medicamentum expurgans. Docet verò in textu esse dandum mediocre, quia moderatum est satis ad copiosam euacuationem, cùm natura sponte moueat ad ventrem: & huius indicationis habetis singularem historiam in Hip-
D pocrate 7. *Epid. text.* 106. vbi refert, qualiter Pithionia filius acuta febre cum comate magno laborans, liberatus fuit à febre, & somno profundo, dato medicamento expurgante in principio, quia natura mouebat humores in ventrem inferiorem, ibique detinebantur, & ita dato medicamento educente biliosa eruperunt, inquit Hippocrates, & statim sopor sedatus est, & febris facta mitior: cognitaque fuit humoris vergentia, quia apposito suppositorio multa egessit, & remissiora fiebant prædicta mala: breui verò à tali euacuatione aluus intumuit, & febris, & sopor maiora fiebant. Cognoscitur itaque hæc humoris vergentia, aut alui murmur, aut intumescentia illius, aut quia deiectiones moderatæ fiunt, &c. vt dixi.

Quintus: In principio & cruda materia purgamus, quando alius humor à sanguine mouetur in aliquam
E partem nobilem, vt solet non rarò natura in perniciosis febrium accessionibus ad os ventriculi, cerebrum, aut cor partem humoris expellere; nam si in turgentia expurgamus statim timendo periculosum humoris decubitum in partem nobilem, vrgentius iudicatur tale remedium, quando certò, & determinatè pellitur humor in partem principem.

Quando ergo aliquis ex adductis casibus, aut alius, si est, non datur in febribus, cessandum est, inquit Auctor, à purgatione in principio, hoc est, antequàm sit cocta morbi materia. Et primam rationem reddens, ob quam purgare non licet, ita dicit: *Fortasse enim multiplicabitur euacuatio humoris non peruenientis ad statum propter digestionem, vt euacuetur.* Quæ verba satis ineptè

Iacobus exposuit. Gentilis verò inquit, quòd humor naturalis est familiarior medicamento expurganti, & ita ille potiùs trahitur, quàm putridus, qui ob putredinem dissimilior factus est, & ita minus analogus medicamento euacuanti: ergo humor naturalis, qui non debet coqui, vt euacuetur, scilicet putridus: & ita sequitur noxa, quia euacuatur humor ad nutritionem necessarius, & non qui debet coqui, qualis est putridus. Quæ doctrina habet hanc difficultatem: sequitur enim ex illa quòd nunquam liceret in principio purgare. Patet quia semper est medicamentum familiarius humori naturali, quam præternaturali: imò neque in declinatione esset secura expurgatio ob eandem rationem, quia in quouis tempore morbi attraheretur magis naturalis humor, quia magis similis medicamento. Item quia materiam antecedentem expurgari vtile est: potest verò esse naturalis peccans in quantitate. Sed pro Auicenna stat, quod materia, quæ mouetur, potest generari quotidiè de nouo, & tunc euacuatio in principio extrahit quod est vtile.

Alia ratio Auicennæ est: *Et fortasse nocet euacuatio maturationi.* Et Gentilis ita exposuit, nempe quòd quia euacuatio facta in principio debilitat virtutem, ita impedit coctionem, & retardat. Deinde quia euacuat subtile, & remanet crassum minus dispositum ad coctionem: quæ rationes sunt insufficientes, quia cuicunque remedio conuenit debilitare aliquo modo. Vnde si vtilitas, quæ sequitur, est maior, debet Medicus cessare à remedio, quia debilitat, & minorata materia iam redditur coctio facilior. Nec secunda ratio satis idonea videtur; quia illud subtile putridum, quod euacuatur, non est cur conferat ad coctionem crassioris, potiùs enim corruptioni præparatur ob admixtionem subtilis putridi. Neque est vnde constet, non posse crassum euacuari simul cum subtili, scilicet quando euacuatur humor sine putredine, expurgantur simul partes crassæ cum tenuibus.

Mihi videtur Auicennam tradere rationem à nobis adductam, cùm probauimus, morbos incipientes cum alui fluxione esse diuturniores, quia ipsa fluxio coctionem retardat, ex doctrina Hippocr. 4. enim *de vict. rat. in acutis, text.* 44. ita reliquit scriptum. *Ventrem ab initio clystere duces, sed medicamenta purgantia non adhibebis; nam si ventrem moueris, vrina non maturabitur, febrisque tùm citra sudorem, tùm indicationem in longum protrahetur tempus.* Docuerat enim in principio textus Hippocr. ad breuiandam coctionem humorum, corporis quietem, inunctionem, & quod æqualiter æger contegatur. Vnde analogistica ratione colligit Galenus, quòd si ad breuiorem coctionem quiescere conuenit, & inungere ægrotum, & continere eum æqualiter coopertum, necessariò erunt purgationes coctioni aduersæ, & repugnantes, quia corpus mouentes vehementer frangunt; & contra humorum retentionem agens attractio medicamenti retardat eorum coctionem, quia hæc sine retentione non fit; de quo latè diximus in 2. *part. cap.* 4. *huius libri.*

Tertia ratio Auicennæ est: *Et fortasse permiscetur malignum cum bono, propterea quòd mouetur malignum sine digestione sua.* Hoc est, expurgatio in principio, antequam humor sit coctus, permiscet humorem putridum cum bono, & ita bonum corrumpitur, & per consequens non conuenit: nam etsi malignus permixtus bono etiam videatur attemperatus, tamen non est dubium esse efficaciorem humorem malignum ad inficiendum, quàm bonum ad perficiendum malignum. Dupliciter autem potest intelligi huiusmodi permixtio: primò manendo intra vasa, tam putridi, quàm non putridi: nam etsi in hoc euentu permixti sint aliquo modo; tamen multò magis permiscentur, si commoueantur. Vnde cùm medicamentum commoueat, & natura similiter irritata, sequitur maior permixtio mali cum bono.

Secundò intelligere possumus talem permixtionem fieri in vasis maioribus de nouo; nam cùm plurimæ febrium putridarum habeant accessiones, & focum determinatum, certum est ad illud moueri humores facturos accessiones, & repetentias: per hunc verò motum iam sunt quodammodo segregati à consortio sanguinis, quia mouentur ad determinatam partem distantem à maioribus vasis: Si verò expurgatio fiat, mouetur, & retrocedit humor iam in foco semiputridus existens, & permiscetur cum sanguine maiorum vasorum, & sic corruptio maior sequitur. Hæc ergo sunt inconuenientia, quæ videntur obstare expurgationi in principio febrium putridarum: nec est dubium, quòd si scilicet permiscetur humor retrocedens vi medicamenti, etiam humores vasorum agitati impetu maiori feruntur ad focum, & sic augeatur obstructio, & febris. Sed mirandum est, cur Auicenna non sequitur communem doctrinam Medicorum dicentium cum Hippocr. 2. *Aphor. text.* 22. *Concocta medicari oportet, atque mouere, non cruda, neque in principiis, modo non turgeant.* Et rationem dans Galenus in comment. dicit, non esse expurgandum in principiis, ante coctionem enim non habemus naturam adminiculantem; quia natura non pellit nisi post coctionem: tunc enim discernit, & separat excrementa à reliquis humoribus vtilibus, & hæc pelluntur ab ipsa: quia vero ante coctionem retinet natura, ideo non habemus eam adminiculantem, & ideo euacuatur vtile, & inutile remanet, quia detinetur à natura ad correctionem. Sed si Auicenna secutus fuit hanc doctrinam Galeni, vt solet, optimè explicatur, si inconuenientia ita intelligatur, nempè quod fortassè multiplicatur euacuatio humoris non peruenientis ad statum, id est, euacuatur humor intra vasa contentus, & naturalis, qui non ita retinetur ad coctionem, scilicet putridus. Sed hæc controuersia ad tractatum de expurgatione pertinet, nec est huius loci eam ex professo agitare.

Deinde dicit Auicenna: *Et si non est digestus, non moueas nisi in principio, apud statum verò non moueas aliquid, donec vincat natura, & digerat.* His verbis tradit Author præceptum obseruandum in purgatione: dicit enim quòd si humor est euacuandus ante coctionem, debeat fieri expurgatio in principio: circa statum minimè expurgare licet, quod desumpsit ex Hippocr. 2. *Aphor. text.* 19. dicente: *Cùm morbi inchoant, si quid tibi videtur mouendum, moue: cùm verò consistunt, ac vigent, melius est quietem habere.* Est autem duplex ratio, ob quam ita operandum est. Prima, quia in principio sunt omnia accidentia imbecilliora, vt *Aphor. sequenti* dixit Hippocr. & ita meliùs tolerat natura laborem, & debilitatem remediorum. Secunda, & principalis est, quia si expurgatio fit, debet fieri antequam materia firmetur in partibus, & detineatur; nam ante hoc tempus non detinetur humor, & sic trahi potest à medicamento; transacto verò principio iam firmantur humores, & detinentur, incipiuntque coqui. Tunc verò præterquam quod accidentia sunt maiora, habemus naturam repugnantem tractioni, quia retinet ad concoquendum: ergo si est expurgandus humor ante coctionem, fiat euacuatio in principio: ob hoc dixit Hippocr. 4. *acutorum iam citato. Hos si ab initio purgare volueris, ante diem quintum facito.* Loquebatur enim de acutis morbis, in quibus principium vniuersale breuius est, quàm in longis. Dicit ergo: Purga ante diem quintum, quia transacto primo quaternario dierum criticorum iam natura incipit succos retinere ad coctionem; quia cùm breui victura sit, aut superari debeat, breuiter aggredi coctionem, & per consequens retinere incipiet; incepta verò retentione inepti fient humores ad purgandum.

Dicit deinde Auicenna: *Etsi ipsa non mouet, moue in hora motus eius.* Iam diximus autem, quòd hora significat tempus

tempus morbi vniuersale: dicit ergo Auicenna: Si non mouet natura hora sua, moue tu in hora motus eius, & cùm hora motus eius sit post coctionem perfectam, quando natura operatur benè, & secundùm legitimum ordinem, si ipsa non tentauerit crisim, moue tu euacuatione conuenienti, ne cùm morbi relinquuntur, recidiuam faciant, vt Hippocr. docuit. Duplex autem principalis occasio mouendi requiritur. Prima, quando morbi inclinatio prolongatur; nam vt rectè docuimus, declinatio constituitur per coctionem summá, & aliquid quod de nouo mouetur ad focum: hoc verò expurgari indiget, vt cesset omninò morbus. Secunda, quando cessante morbo remanent signa recidiuæ, vt inappetentia, oris amaritudo, sitis maior quàm per naturam, & alia symptomata, quæ neutram dispositionem comitantur: tunc enim rectè imperatur expurgatio. Sed contra est, naturam nunquá mouere, nisi in vigore summo, quia morbi qui non iudicantur in vigore, non finiuntur crisi, sed paulatina resolutione, vt Galenus docuit 3. *de cris.* sed in vigore summo non licet Medico mouere, vt *Aphor. 29. libri* 2. docuit Hip. dicens: *Dum verò consistunt, ac vigent, melius est quietem habere*: ergo nunquam mouere hora motus naturæ conuenit. Respondetur primò, quod iam diximus per horam significari tempus coctionis vniuersale, non verò tempus absolutè: doctrina ergo est, sicut hora naturæ est post perfectam coctionem, ita hora Medici est post illam; non tamen eodem tempore, quia in fine rigoris natura potest mouere sine incommodo aliquo, non tamen semper Medicus.

Dico secundò, quòd aliquando Medicus mouet hora naturæ; nam quandò in ardente febre, aut sinochali præbet copiosam aquam frigidam, & sequitur sudor, aut alui deiectio, aut vomitus, aut omnia, vt diximus ex Auicenna, iam mouet hora naturæ. Idem fieri potest, si Medicus mouerer sudorem in vigore post signa coctionis, dando determinatè medicamentum ad sudorem accommodatum. Notabis tamen, quòd quamvis natura non moueat, non licet semper Medico mouere, quia non repugnat per resolutionem finiri omninò materiam morbi, & ita impertinens esset, si per crisim perfectam omninò morbi materia pelleretur: & ita meritò Cardanus reprehendit Medicos, qui sine delectu omnes ægrotantes in declinatione, aut ea finita expurgant. Itaque, dum dixit Author, si natura non mouet, moue tu hora motus eius, tempus determinauit, scilicet post perfectam coctionem; sed Medicus mouere debet motu conuenienti naturæ, & necessario: at non semper necessarium est mouere, quamvis ipsa non moueat criticè, quia rectè potest fieri omninò resoluta materia.

Deinde Auctor dicit: *Cùm ergo exerces euacuationem, considera horam interpellationis, aut quietis, aut frigidiorem horam quæ est, & non euacues per fluxum ventris, aut phlebotomes in die periodi, & non agas cum euacuatione artis contra naturam euacuationis naturæ.* Hæc doctrina iam est adducta in principio, nec indiget peculiari expositione. Solùm aduertendum est, apertè refragari huic principio putantes rationi consentaneum esse, quòd expurgatio in quartana fiat in die paroxysmi. Quod maximè obseruat, & docet Amatus Lusitanus, & id, quod in commentario huius loci tradit Iacobus de medicis sui temporis, mirabile est. Dicit enim ita: Medici aliqui nostri temporis in febribus putridis, fortibus, & securia, & in corporibus robustis sæpè præsumpserunt dare forte pharmacum hora paroxysmi, qua vehementiùs affligitur æger; quia tunc imponit æger mala, quæ patitur in pharmaco, sed paroxysmo & frequenter accidit, quòd euacuatur tota, aut ferè tota materia antecedens, quæ tunc commota est ex accessione. Vnde paroxysmus vel non redit ampliùs, vel minor, vel leuior redit, quam præfuit, & mos erat, inquit Iacobus illis Medicis prædicere infirmis, quòd accessio illa fortissima esset, sed subsequentes essent leuiores, ne violentiam pharmaco imponerent, sed febri potiùs. Est autem mirabile, quòd illi Medici inuenirent rationem commodam ad dandum pharmacum in hora accessionis, sed magis mirabile quòd res ex voto contingeret ita, vt certò præsagirent, futuras accessiones leuiores esse, & quod in plurimum non reuertebantur, vt inquit Iacobus: quod experimentum vincit rationes, quibus mouentur ad expurgandum in hora intermissionis, si detur, aut in hora leuiori, quando minus natura affligitur. Sed de hac praxi proprius incidet sermo *cap. de curatione quartanæ*; ibi enim proprium habet locum.

Dicit deinceps Auctor: *Et consilium quidem meum in phlebotomia est, vt dimittatur quantum possibile est. Si autem non est possibile, tunc multitudo numeri est melior multitudine quantitatis. Oportet enim, vt non euacuetur sanguis multus subitò, quia euacuatur multum de eo, cuius non est necessaria euacuatio, vt non est in sanguine excusatio ad euacuationes, quibus fortasse indiget, & debilitatur virtus à resistendo in crisibus expectatis.* Hic textus, qui vt oraculum quoddam haberi debet, apertè impugnat morem quorundam Medicorum in omni febre æqualiter mittentium sanguinem, ita vt non cessent ab hoc remedio; sed febris non cessat vsquequo virtus cesset, & iam debilitata natura constet deinceps talem euacuationem sustinere non posse: quem deprauatum morem carpit, & reprehendit Valles. 4. *Meth. capite* 2.

Doctrina ergo Auicennæ est, quòd quamvis phlebotomia sit in cura febrium putridarum melior res, vt ipse docuerat, quando scilicèt sanguis abundat, aut alij humores causantes febrem sunt sanguini permixti, cum hoc tamen æqualiter non est euacuatio facienda in omnibus; quia cùm alij humores à sanguine febrem generant, oportet, vt dimittatur quantum possibile est huiusmodi remedium, hoc est, fiat secundùm modum requisitum ad satisfaciendum inclinationibus, quia inconuenientia peculiaria sunt in missione sanguinis, quando illa non abundat præter naturam, neque est causa febris. Item inconueniens est, quia euacuatur id, cuius euacuatio necessaria non est; nam sanguinis missione extrahuntur omnes humores; est tamen vnus solus, qui peccat, præcipuéque extrahitur sanguis in quo vita consistit. Secunda ratio est, quod quando febris dependet ab aliis humoribus à sanguine, necessariò sunt exercendæ aliæ euacuationes, vt materia peccans extrahatur: oportet ergo conseruare virtutem fortem, vt possit tolerare prædicta remedia. Vlterius per alias euacuationes, excepta missione sanguinis, potest febris dependens ab aliis humoribus curari, & quòd extrahatur sanguis, non tollit necessitatem aliorum auxiliorum: ergo oportet dimittere sanguinis missionem, quantum fieri possit. Tertiò inquit Author; & debilitatur virtus à resistendo in crisibus expectatis, hoc est, per missionem sanguinis debilitatur virtus, vt non possit facere crises febribus conuenientes: requirunt enim talia iudicia magnam vim ad secernendum humores vitiatos à bonis ad separationem, & expulsionem ad ferendam criticam euacuationem, & perturbationem, quæ magna esse solet: ergo dimittatur talis sanguinis missio quantum possibile fuerit, vt per debilitationem inductam non impediatur iudicium conueniens.

Dicit vlterius Author: *Quòd quando aggregatur dolor capitis, & febris: curatio febris est dignior, & quòd aliquando dolor capitis facit redire febrem declinatam ad augmentum*: quare oportet, vt sedetur dolor capitis, qui cum febris incremento augetur, & declinatione minuitur: Symptoma est febris, cuius curatio non est alia à febre: & ita curatio febris est dignior, quia est

est curatio vtriusque. Si verò dolor tam grauis sit quòd febrem tam declinatam faciat redire ad augmentum, & incrementum nouum, iam indicat vt febris causa, quia eam auget, & ex alia parte nimis virtutem effœminat, causatque peruigilium. Oportet ergo magnam curam illius habere, quia graue symptoma vt causa est, & vt signum; qualiter sit causa, iam diximus. Est verò signum aliquando mortale, vt constat ex Hippocrate 3. *Prognost. text.* 51. ita dicente: *Capitis dolores fortes, & continui cum febre, si quidem aliquod lethalium signorum extiterit, valde mortale, &c.* Significat enim magnum humorum fluxum in cerebro, quo per phrenitidem, aut conuulsionem mortem inferre poterit: estque ipse dolor tractionis magna causa, & quando vehemens est, est omnis morbus, quia lædit omni modo: habenda ergo est magna cura illius præcipue quando febrē iam declinatā auget rursus, & intendit, nā signo est ratione illius confluxum ad cerebrum fieri, & febrem augeri.

Dicit vlteriùs: *Et cùm infans lactans febricitat, tunc oportet, vt rectificetur lac matris eius.* Hoc præceptum est summè aduertendum; nam frustra tentatur omnis curatio lactantis, si lactis vitium est causa febris absque correctione lactis. Hæc correctio fit dupliciter: aut per mutationem nutricis, quæ est primo loco eligenda habens optimum sanguinem; aut correctione lactis, quod sumitur, quia non est possibilis nutricis mutatio: quod præcipuè facere cogimur, quando infans alia vbera sugere nolit, vt sæpè contingit. Sunt autem plurima vitia in lacte, ob quæ ad febrem disponit, & contrariis corrigenda sunt: qualis verò sint vitia, constabit Medico, si optimè lactis conditiones memoriæ commendet. Prima est, quod sit copiosum; quia alioqui voraces pueri trahunt ex mammis lac antequam probe sit coctum: ob quod semper improbantur nutrices paruarum mammarum. Vbi obiter notabitis singularem doctrinam Galeni *lib.* 1. *de crisib. cap.* 12. vbi docet, pueros abundare crudis humiditatibus, quia ventriculi operatio non potest tantam alimenti copiam commutare, qualis est necessaria ad nutritionem, & augmentum; ob quod antequam sufficienter alimentum coquatur, trahitur à partibus, & sic plurimas cruditates coaceruat: quod inconueniens suo modo maius est, quando nutrix paucum lac colligit, & commutat. Secunda est, quod sit lac gustui, & olfactui gratissimum, quod per se notum est. Tertia conditio est, quòd sit albissimum, quia sic perfectè est coctum, eo quòd omninò assimilatum glandulis vberum, quæ albissimæ sunt, & lactis generatrices. Vnde constat bonum lac non debere esse perspicuum, quia aquosum erit, & quod benè coctū est crassitiem quandam, & opacitatem comparat, quia membrorum crassorū, & opacorū iam proximū alimentum est. Cum hoc tamen obscurū esse non debet, sed pellucidum sine diaphaneitate magna; quia quod leue est, & album, pellucidum esse debet, quia significatur sic coctio perfecta omnium partium eius. Circa colorem improbatur à Recentioribus Auicenna, eo quòd putauit albissimum lac non esse perfectum, sed pituitosum nimis, quia pituita est alba. Sed contra est, quia adenes generantes lac sunt albiores pituita, nec lac refert materiam, ex qua fit, sed efficiens, cùm lac efficiatur ex rubro sanguine. Galen. etiam 1. *de tuenda sanit. cap.* 9. lac dicit debere esse albissimum. Arist. verò 3. *de hist. anim. cap.* 22. præfert lucidum albo: Intelligunt verò Anthores de colore cœlesti, qui post album non improbatur ab illis. Debet etiam esse optimum lac medium inter tenue, & crassum, nam crassum multum habet casei, & coquitur difficillimè, ingentesque generat obstructiones, & epilepsiam facillimè concitat. Tenue verò serosum nimis est, & sic tenuiter nutrit, & atrophiam causat. Quod verò mediocre est, plus habet butyrosæ partis, quæ optimè nutrit, & impinguat. Constat verò, quòd si verè diximus lac debere esse leue, eo ipso intelligitur, quòd si diuersas partes re-

A præsentat, crudum est, & malè concoctum. Inde etiam fit, quòd spumosum improbatur; diminutam enim coctionem significat, & flatus immodicam copiam: quia spuma ex aërea substantia permixta generatur. Facit etiam perfecta coctio, quòd omnes partes lactis vniantur perfectè, & ita lac, quod alicubi repositum permittit breuiter serum à reliquis partibus separari, vituperatur ratione, quia primò fugitur pars serosa, quia separabilis est à reliquis; deinde pars crassior, & sic inæqualiter coquuntur: suntque prædictæ partes veluti duo alimenta extremè distantia, quæ à tenero ventriculo non facilè superantur: itaque medium in omnibus debet esse al-
B bissimum temperamentum, quod manu collectum nec calefaciat, nec refrigeret, sed media temperie afficit: lactis verò mediocritas in tenuitate, & crassitie probatur à Paulo, quando tardè crassius, & caseosius existit. Aëtius verò bonitatem, aut malitiam lactis colligit, si pilus in lacte intromittatur, & eo modicum suspendatur: nam si lac totum elabitur, aut guttula vni parti pili, improbandum est; nam primum arguit aquosum esse, secūdum caseosum nimis, & crassum, & graue. Vnde optimum erit, si totum pilum circundet, & omnibus adhærescat partibus: tale enim butyrosum & pingue censendum est, & alitioni opportunum. Optimè etiam probatur partium æqualitas speculo limpidissimo; facilè enim visu discernitur an æquale sit, vel inæquale.

Secundo autem rectificatio lactis fieri potest: prima, si sensibile vitium cognoscatur in lacte illud permutan-
C do: secunda, si optimum sit refrigerando magis, præcipiendo nutrici, vt alimenta frigida, attenuantia, & attemperantia sumat; nam sic redditur lac magis attemperans, & minus euaporatur ad cerebrum, & vim medicinalem secum defert, semper aduertendo, ne coctio ventriculi nutricis vitietur.

Dicit Author vlterius: *Et quando fuerit vrina hysterica in febre, significat apostema: quare est curatio dare in potu aquam hordei, & sirupum acetosum: cùm ergo quiescit febris, intentio sit ad apostema.* Gentilis intelligit ita suum patronum, non quidem quòd febris sit accidens inflammationis, sed è contra incendium in iecore sit causa cur apostemetur, aut inflammetur, quia calore nimio trahit ad se sanguinem inflammantem, in quo
D euentu meritò dixit Author, quòd primò curetur febris, & sedato incendio, si aliquid attractum fuerit ad iecur, aut aliud viscus internum, idonea curatione tollatur; nam si febris esset accidens inflammationis (inquit Gentilis) potiùs esset curanda primò inflammatio, deinde febris; nam non videtur possibile, quòd febri auxiliemur, si ab apostemate pendet, quin primò apostemati occurramus.

Sed hæc expositio, etsi subtilis, vim imponit doctrinæ Auicennæ, & nimis coactè traditur, cùm faciliùs diceret, cùm est vrina icterica in febribus, timere oportet apostema iecoris. Proinde existimo locutum fuisse de febre pendente ex inflammatione interna, vt accidens illius, quia verò talis vrina summum incendium significat, ac proinde vrgere calore magis, quàm tumore; attemperare primò oportet tale incendium aqua
E hordei, & sirupo acetoso; mitigato verò priùs ob periculum suffocationis, & syncopis ad tumoris curationem accedendum est. Itaque hæc doctrina est quasi exemplū præcepti anteà adducti, dum docuit, quod quando timetur malitia caliditatis, & sitis, non prohibeatur aqua frigida, quia additio apostematis, & illius incrudatio melius est, quā cadere in hecticā, nunquā verò magis timeri debet, quàm quando est lotium icterinū, hoc est, intensè flauum cum spuma citrina ex feruore: soletque crassum, & opacum apparere; quia ob sanguinis, & bilis vstionem, immodica fit corruptio, & sanguis in biliosam naturam degenerat, cuius aliqua portio ex vrina pellitur. Hanc vanam colliquationem significare ex Hippocr. diximus *tract. nostra de essentia, præsagiis, & cura colli-*

A *quantium febrium*, & sæpè ægrotantes tum tali vrina icterici fiunt; quia corrupto sanguine, & in bilem permutato naturam irritat acrimonia, & incendio, sic pellitur ad cutem, & morbus regius fit.

Dicit tandem Auicenna: *Et quando fuerit cum febre colica, non aperitur via in dando in potu aquam hordei, imò ius galli, & lene ius, & multiplica vnctuositatem eius: deindè detur in potu aqua hordei, si necesse fuerit.* Doctrina autem Hippoc. est, quòd quando dolor colicus adiungitur febri, non est sufficiens remedium aqua hordei ad aperiendam obstructionem intestinorum, nec conuenit, quando à flatibus pendet, aut humoribus frigidis, quia & frigida est, & flatuosa, nec abstersio, quam habet, sufficit ad deobstruendum, & sic oporter præbere ius galli, ita vt leniens per artem fiat, & magis vnctuosum, sic sedat dolorem vnctuositate, & emollit lubricans, & benè B detergit, ac per consequens aluus emollitur, & deponuntur fæcea, & excrementa. Vnde constat, hic loqui Authorem de dolore trahente ad se curationem respectu febris. Est autem duplex ius galli, vnum simplex, quod ex sola decoctione galli paratur; aliud est purgatiuum magis, quia cum gallo coquuntur medicamenta purgantia, & posteà facta expressione datur: & de primo intelligitur Author, quia secundum non conuenit in febribus. Præcipit verò Auic. quòd fiat lene, & magis emolliens à Medico; nam ipsum solum abstergens est ob nitrosam naturam, non tamen emollit: Vt ergo fæcea emolliantur, & alvus reddatur lubrica, permiscenda sunt aliqua emollientia. Sic autem parat Iacobus *in comment.* Sumatur gallus antiquus, qui priùs vehementer agitetur, deindè C occidatur, exenteretur, & duplemetur, coquatur in sufficienti quantitate aquæ dulcis ad ossium dissolutionem, à carne sumatur ius, cui misceatur butyrum optimum, aut parum olei communis dulcissimi, aut inijciatur aliquid istorum, in aqua coquatur ad finem decoctionis: possunt etiam misceri florea violarum, & maluarum folia, & mercurialium, prima pinguia, & borraginis folia tenerrima. Quòd si dolor vrgeat, commodissimè miscebitur loco olei communis oleum amygdal. dulc. recenter extractum, quia epotum mirè mitigat dolorem, & aluum lubricat: mediocria dosis erit ℥. vj. & ij. olei amygdal. dulcium: postea verò sedato dolore, si febri conueniat, datur aqua hordei, præcipuè si febris post iuris sumptionem minus mitigata fuerit.

D Sed in doctrina huius Authoris est contradictio manifesta: nam *fen.* 16. *lib.* 3. *text.* 4. *cap.* 1. ita dicit: *Et illud, quantum in ius necessarium est, & sorbeat lenientia lubricantia, scilicet ius galli vetusti, deinde administretur clyster lenitiuum; quòd si fuerit illicò febris, permutetur aqua galli, & in loco eius sit aqua hordei.*

Respondent expositores, quòd hîc intelligitur, quando febris est fortis, & colica leuis: in præsenti verò capite è contra: nam vbi febris vehementior, ius galli non conuenit, quia calidum, & nitrosum. Alij dicunt, quòd vituperauit ius galli carminatiuum; quia multa miscent flatus resoluentia, & calida, quæ febrem intendunt.

E

CAPVT VIII.

De cibatione febricitantium febre putrida.

CELEBRE capur nobis proponit author tradendo præcepta communia cibationis febricitantium febre putrida, sine quibus omnis curatio frustra tentabitur, tantam enim vim habet conueniens victus ratio per morbos, vt illa sola sine aliis auxiliis sit satis ad multos curandos, & sine recta ipsius institutione reliqua auxilia debitè applicata inutilia, & parui momenti sint.

Hîc adducenda primò est doctrina, quam in ante exposito capite prætermisimus, quia bonus erat proprijssima. Dixit itaque Princeps: *Quod cibatio est amica virtuti ex parte sui, & inimica virtuti ex parte sui, quia est amica inimico eius.* Hoc est, cibatio est amica virtuti, quia cibo roboratur; est inimica virtuti, quia augetur materia morbi, cùm ex quouis cibo generentur quatuor humores: item quia cibatio semper retardat coctionem suo modo: quia ergo cibatio est amica, & inimica, vt diximus, oportet tradere methodum vniuersalem, quam diligenter obseruantes Medici non noceant magis cibatione, quàm expedit ratione virium, & prosint omnibus modis, quibus auxiliari possint ægrotantibus. Itaque si possibile esset totam morbi constitutionem sine aliquo cibo transigere, id esset maximè amandum, quia sic nec augeretur morbi materia, nec retardaretur eius coctio: quia verò illud est impossibile per omnes morbos, tradenda methodus est regulæ certæ.

Dicit ergo Author: *Scias, quòd conuenientiores cibi febricitantibus sunt humidi, & propriè, quibus complexio est humida, vt infantibus, & grossis: conueniunt enim ex hoc quòd assimilantur complexioni, & ex hoc quòd sunt contrarij ægritudini.* His verbis tradit sententiam Hippocratis *lib. Aphor. sentent.* 16. dicentis: *Victus humidus febricitantibus omnibus conuenit, præsertim verò pueris & iis, qui tali victu vti consueuerunt.* Ratio est, quia temperamentum ætatis puerilis est conseruandum; quia alioqui si non seruatur humidum, impedietur augmentum puerorum. Item consuetudo est quædam altera natura, & per morbos esse conseruandam Galenus docuit. Dixit verò Author humidum debere esse alimentum, quia frigidum clarè constabat debere esse, si essentia febris in calore consistit: sed quia calor præternaturalis est, vt talis semper exsiccat resoluendo humidam substantiam; ideò doctissimè Hippocrates animaduertit esse dandum humidum alimentum, ne introducatur à febre sicca distemperies in membra, quæ lethaliter afficit, & perniciosius quàm calor; cùm eius curatio, si confirmetur, desperata sit, vt 7. *Meth.* docuit Galenus. Notabitis tamen diligenter, hanc doctrinam esse veram, attendendo solùm indicationibus, quæ oriuntur à febrili calore, vt est qualitas resoluens: nam indicatione sumpta à causa, aut ab alio morbo complicato benè potest conuenire alia victus qualitas, cum sæpè in quotidianis & quartanis calidum & siccum alimentum impetetur ob naturam causarum infrigidantium, & humectantium corpus præter naturam. Idem in maligna putrescentia, & in Hydrope febribus adiuncto contingit.

Dicit deinde Author: *Cùmque accidit febris, & natura est sicca, non cibes penitus, dum non egreditur fæx perfectè, & opera, vt occurrant eis paroxysmi periodici, & paroxysmi, qui sunt fortes vacuis ipsorum ventribus, in quibus non sit cibus omninò: nam si cibati fuerint in illa hora, occupabitur natura in digerendo, & dimittet digerere, & expellere, & prolongabitur ægritudo, & confirmabitur.* Per febriles morbos frequentissimè aluus exsiccatur, quia febris exsiccans humiditatem excrementorum, & intestinorum absumens, compactiora redduntur excrementa, & intestina minus lubrica; partes etiam corporis præter naturam calefactæ humiditatem copiosius attrahunt ex ventre. Accidit etiam, quòd quia minus assumitur alimenti, plus exsiccatur corpus. Dicit ergo Author, summam habendam esse curam emollitionis alui, & depositionis excrementorum, si sponte non deponantur, quia omninò impeditur exhibitio alimenti, quando natura sicca est, id est, quando non deponit alui excrementa, vt debet: distenditur enim venter à multitudine stercoris, & comprimuntur partes, & obstruuntur, sic minus benè ventilantur. Propterea accedens ex alimento ingesto noua disten

distensio, sequitur noua coarctatio partium, & maior occasio putredinis, permiscetúrque tetrum illud, & fœtidum quod excrementa exspirant cum cibis & potibus: sic incipiunt corrumpi, & minus defœcatum, & purum alimentum ad partes distribuitur; sed & distributio alimenti ex ventriculo ad iecur per mesereum tarda fit ob viarum coarctationem, & indè periculum corruptionis, & permutationis in flatus. Hinc respiratio difficilior, ægrotantium angustia, & debilitas maior, quia magis in respirando laborant, & maiori conatu fatigantur. Quæ doctrina desumpta est ex Hippocrate *lib. de vict. rat. in acutis, text.* 12. dicente: *Quibus cibus statim inclusus est, si quis non euacuato eo deorsum potionem dederit, dolorem quidem, si adest, auxerit; si non adest, statim fecerit, frequentiúsque redditur spiritus, quod malum est, nempè pulmonem exsiccat, fatigatque tum hypocondrium, tum ventrem imum, tum septum transuersum.* Putauitque meritò Vallesius in comment. huius sententiæ, quòd etsi de Pleuritide adducta sit, nihilominus ad omnes morbos transferenda est, est enim magni momenti in febre, & in omni morbo ante aliam curationem ventrem vacuare, ne in eo sit vlla redundantia, aut vetus stercus: plurimi enim morbi fiunt ob hanc causam, & omnes pendentes ex materia inde fouentur, indéque constabit, quàm perniciosa sit alimenti ingestio veteri stercore non descendente, quod omninò prohibet alimentum dari, vt in textu docet Author, & antea docuerat Hippocr. 1. *de vict. ratione in acutis, text.* 19. Et *lib. Epidem.* 6 *sect.* 3. *text.* 8. omnia in corpore confundi docuit, quando alui excrementa non deponuntur. Verba textus sunt: *Cutis raritas, alui densitas, cutis colligatio, carnium incrementum, alui stupor; omnis confusio, vasorum immunditia, cerebri consumptio; quapropter & caluiciei organorum attritio.* Vbi per alui stuporem omnia confundi docuit. Quam dictionem acutiùs quàm Galenus, & conformiùs menti Hippocr. exposuit Valles.

Secundum, quod dixit Author, quòd accessiones veniunt, quando venter vacuus existit à cibo, quia alioqui impeditur natura à resolutione materiæ accessionem facientis, & morbus fiet firmior, & longior. Vnde dicit; quòd est dandum alimentum in declinatione, aut in eo quod est post ipsam, hoc est, in intermissione. Impeditur natura dupliciter, & quia reparatur ab alimento, quando cum morbo pugnatura est, & quia cibi euaporatio impedit resolutionem materiæ, quia obstruit vias: fit etiam morbus firmior, quia alimentum non potest benè commutari tempore accessionis, eo quòd calor præter naturam tunc viget magis, & naturalis est intemperatior: hinc cibi corruptio, & mala coctio, & augmentum obstructionis febris, & debilitatis, & ita nihil mirum, quòd longior fiat febris; & aliquando ex intempestina cibatione lethalis. Vnde Hippocr. *libro de morbo sacro in fine* docet, quòd Medicus temporis occasionem agnoscat, ne venenum fiat, quod alimentum datur. Est etiam notanda historia Hippocr.

Ex dictis constat, tantum temporis esse interponendum inter alimenti sumptionem, & accessionem futuram, quod sit satis, vt prima ventriculi coctio facta iam sit, & distributus chilus ad iecur; nam hoc mihi videntur significare verba illa: *Quod non sit cibus omninò in ventre.* Vnde detegitur error putantium, duas, aut tres horas esse satis, si ante accessionem alimentum sumatur, quod verum esse non potest in vniuersum, cùm sæpè detur alimentum, quod in illo tempore commutari non possit, etiamsi robustissimus esset ventriculus. Cùm ergo diuersa sit forma victus, prout est diuersa morborum constitutio, constat constitui non posse regulam temporis, sed totum negotium pendere ex alimenti natura, & forma, & robore ægrotantis; nam etsi ad iusculum tenue, aut oua sorbilia trium horarum tempus idoneum videatur, non tamen ad carnes, panem, & alia alimenta crassiora, aut in maiori quantitate exhibita, etsi tenuia: in his ergo, qui carnibus egent, pane, aut alio alimento crasso, quinque horæ erunt necessariæ: in his enim iam tota alimenti euaporatio consumpta est, roboratum est corpus, & factum perspirabilius. Hoc longius tempus requirens Auicenna in præsenti capite, præcipit, quòd alimentum sumatur in declinationibus febrium continuarum, quia nullum tempus magis distans ab inuasione accessionis cum commoditate, & occasione cibandi; nam licet reliqua tempora sint distantiora, sunt tamen incommoda. Vnde constat, quod quamvis intermissionis tempus sit ad cibandum commodius, tamen si aliquando contingat ab intermissione ad initium alterius accessionis, non esse satis amplum tempus ad primam coctionem, cibandum esse ægrotum in ipsa declinatione, antequam intermittat febris, quia ferè semper deterius tempus est initium venturæ, quàm finis, & declinatio præsentis accessionis. Hanc doctrinam desumpsit ex Hippocrate Author 1. *de victu acut.* & 4. *lib. text.* 39. vbi ita reliquit scriptum: *Cùm autem purgaueris sorbitionibus quibusdam vtere, obseruans febrium exacerbationes, vt nunquam exhibeas, cùm sunt, aut futura expectantur, sed vbi desierunt, aut quieuerunt, & quàm longissime a principio*; quod etiam commendauit 1. *Aphor. text.* 11. dicens: *In accessionibus abstinere oportet; nam cibum dare nociuum est.*

Dicit vlteriùs: *Et scias, quod de cibatione, & regimine est, quod est subtile valde, & de eo quod est grossum valdè, & de eo, quod est inter illa, & pars eius declinat ad subtile plus, & pars eius declinat ad spissum plus.* Summè aduertenda est hæc Auctoris doctrina, quia præcipuam rationem cibandi continet. Constat, vt diximus, si esset possibile sine cibo omni totam morbi constitutionem transire, id maximè faciendum; sed quia id in omnibus morbis fieri nequit, ob virtutem cogimur febrientes cibare, quia verò non licet plus dare, quàm virtus requirat, ad hoc quòd duret vsque ad morbi constitutionem, & iudicium, ideo variatur victus species, & forma, prout morbus est breuior, vel longior & virtus durare potest: improbè ergo imperabit victum, qui cuiusque morbi naturam, & constitutionem ignorauerit, & ideo in hac artis parte maximè peritus debet esse Medicus, vt conuenientem formam victus statim à principio instituat. Hinc Auicenna in *præsenti cap.* docet, esse diuersas cibandi formas, quia diuersæ sunt naturæ, & constitutiones morborum: dicit verò, quòd vltima cibi tenuitas est, quando omninò prohibetur cibus: quæ forma propriè conuenit validæ virtuti, & morbo, qui intra primum quaternarium dierum criticorum suam crisim, aut terminationem habiturus est, vt 1. *Aphor. comment.* 7. & *comment.* 4. docuit Galenus, & nihil dare appellat victum extremè tenuem morbis extremè acutis conuenientem, qualis est tetanus, grauis angina, apoplexia, accessiones morbi comitialis, cholera morbus, & febres mitissimæ quantum ad humorem, & intensissimæ in entitate, aut quæ deterrimæ sunt, & signis firmantur pessimis; tales enim iudicantur intra quartum diem ad salutem primæ, & secundæ ad mortem, vt 3. *prognost. text.* 2. docuit Hippocr. In summa victus tenuis conuenit omnibus morbis acutis; tales verò dicuntur, qui intra diem decimum quartum habituri sunt crises, & terminationem, & ita quia intra diem decimumquartum, quidam finiunt tertium, aut quartum, aut quintum, alij vndecima, alij decimaquarta, ideò victus tenuis diuersæ sunt formæ, & species, cùm plus requirat acutus, qui in decimoquarto die finiendus est, quam qui 11. & hic plusquam qui 7. & sic de reliquis.

Victus crassus conuenit morbis longis, quia multum tempus cum victu tenui non durabit virtus: appello victum crassum prout in morbo; nam crassus, qualem

A bene valentes sumunt; nunquam in morbis conuenit, quia nunquam constat virtus coquendi per morbos, vt per bonam valetudinem; & sicut sunt plures formæ in victu tenui, ita sunt plures in crasso, nam morbi longi diuersissimam constitutionem sortiuntur, vt quartana longissima est omnium febrium, sed æstiualis breuior, autumnalis, & quæ hyemem attingit, longior multò; item exquisita ex humore melancholico longior, quàm quæ ex bile adusta originatur; notha ex bilis, & melancholiæ permixtione breuior, quia bilis permixtio remedium est ad corrigendam crassitiem, & frigiditatem melancholiæ. Tertiana notha ex longis est, scilicet & quotidiana exquisita, sed breuiores multò quàm quartana, & ideò minus crasso victu in illis vtendum.

B Dicit ergo Author, quòd victus crassus valdè est administratio ciborum sanorum hominum, & cibi, qui sequuntur hoc latus, cibi crassiores sunt, scilicet gallinæ, & galli extremitates; istæ autem non sunt tanti nutrimenti, scilicet corpus auium, etsi sit alimentum perfectissimum, quia minimè excrementosum: per gallos intelligit pullos paruos, quos galliculos appellauit Rasis; sed fœminæ laudatiores sunt apud omnes: hoc genus alimentorum est crassissimum prout in morbis, quia est, quod immediatè ponitur post cibum crassum, quo sani vtuntur; & ita experimur in morbis longissimis eiusmodi cibos capaces ad seruandam facultatem vsque ad iudicia, & terminationes eorum.

C Dicit vlterius: *Et subtiliores eis sunt alcabugi, & pulli, & subtiliores sunt athageni, & oua sorbilia parua, & pisces parui, & subtilius est Kist-hordei.* Per alcabugos intelligit perdices, quas subtiliores esse dicit, quàm pullos, & gallinarum extremitates, quod summè aduertendum est contra vulgi opinionem putantis perdices esse difficilis coctionis, & non conuenire febricitantibus, quod nullo modo admittendum est; nam præterquam quòd facilè coquuntur, si sint teneræ ætatis, multum, & optimum alimentum præstant. Athageni sunt auiculæ paruæ: ponit etiam oua sorbilia vt alimentum tenuius, quàm dicta: faciliùs enim coquuntur, & optimum præstant succum, si sint recentia, & solùm commendantur vitella ouorum, nam albumen difficilè coquitur, & crassum succum generat; & sic Celsum intelligo *lib. 2. cap. 22.* dum dicit oua crassam pituitam generare: intelligendus enim si non solùm vitella, sed albumina con-D cedantur, alioqui sequendus non est, scilicet qui dicit, febrientibus non conuenire, quia conuertuntur in bilem, quod apertè refragatur Galeno illa concedenti in exquisita tertiana. Argenter. verò putauit *1. ad Glaucon.* ideò non conuenire febrientibus, quia nihil habent medicinale, quod etiam de carnibus asseruit *lib. de febre, cap. 7. ad finem*; non enim satis refrigerant. Additur etiam, quòd carnea, & oua non permittunt corpus vacuari, & coctionem turbant. Quod etiam docuit super *artem medicinalem, cap. 62.* ideò inquit: *Oua dantur febricitantibus, quia parum nutrimentum, & crassiorem victum corpori præbent; indigent verò febrientes medicamentis, & tenui victu.* Sed planè errat sic in communi oua vituperando, & carnes, cùm plures sint febres calido egentes alimento, quia causa antecedens indicat magis, quàm E febrilis calor, vt antea retulimus. Quis enim quartanam exquisitam, aut quotidianam frigidis alimentis curaret? Falsum etiam est, omnes febres victu tenui indigere, cùm plures crassum requirant, & respectu febrium pendentium ex vstione, & sicca materia, medicinalia alimenta sunt carnes, & oua, quia humida; sed neque oua crassum alimentum constituunt in parua quantitate, vt hic Auicenna docuit: nam facilè commutantur, quod potius ei opinlatur; nam præterquam quòd moderatè calida, & humida id faciunt, vt sunt alimenta dicta, roborant mirè facultatem, & spirituum vitalium generationi vtilissimam præstant materiam, multóque minus repatitur ab eis natura, quia consueta eorum sumptioni, A quàm ab aliis insuetis. Perperàm ergo Argenterius carnes, & oua omnibus febrientibus negat, quia non satis refrigerant; & vinum in multis concedit, quod multò minus quàm dicta attemperat, auget fluxiones, & caput replet. Falsum etiam est, quòd adducta alimenta non permittant corpus euacuari, quia in parua quantitate absque dubio est falsum: quod patet in sanis, quia absque dubio enim alimenti paucitate resoluuntur, & extremè debilitantur.

Hoc vnum summè notabilia de ouis, nullo modo conuenire fastidientibus, quia vt Galenus docet *1. de victu acutorum, comm. 8.* manifestè stomachum supinant, quod subuersum esse existimant; quæ conditio magis mihi videtur facere ad vituperium in febribus, quam B reliquæ ab Authoribus adductæ; tùm in plurimum febrientes inappetentes sint, & ita si aliquando concedantur, aliquid acidum permiscendum est, quia non aliter supinant stomachum, quàm tepido calore, & humiditate, scilicet tepida omnia ventriculum subuertunt, & ad nauseam inclinant; laxato enim ventriculo tepore, & mulcebri sensatione, infirmatur retentrix, sicque omnia ventriculum grauant non retenta, & ad vomitum concitatur: huic iaaitari opponuntur acida, quia ventriculum exasperant, teste Galeno *eod. 1. de vict. acut. comment.* 18. & sic ad appetentiam, & retentionem conducunt. Vitellum enim oui eo ipso, quòd est anodinum, est nauseabundum, quia moderatè calefacit, humectat, & lenigat, ob quod aqua, quæ ea se vomitoria non est, talis fit, si assumatur tepida.

C Deindè dicit Author: *Et subtilius est Kist-hordei*, scilicet est prima aqua coctionis hordei non colata, nam dum coquitur, affert secum aliquas partes crassiores hordei, aut succum crassiorem, & ita si non percoletur ante assumptionem, crassius nutrit, quàm si colata assumatur. Huius aquæ laudes proponit Author, & eas desumpsit ex Hippocr. *1. acut.* vbi longa oratione huiusmodi ptisanam hordei extollit, & omnibus aliis condimentis frumentaceis anteponit; habet enim omnia commoda, quæ pro febrientibus excogitari possunt; nam primò est lenta, & viscosa, & ita reparatur substantia non ita facilè resolubilis, & humida, quæ per acutas febres perpetuò depopulatur; id, etsi viscosa, & lenta sit, habet hoc insigne, quòd lentore non adhæ-D rescit, neque agglutinatur, sed potiùs abstergit, & lubricat, & febrem attemperat, & sitim extinguit, & facilè penetrat, & sua detersione, si aliquid pituitosum gulæ, aut ventriculo adhæret, illud detergit, & separat, neque venter inflammatur, aut intumescit, nam in decoctione intumuit quantum intumescere potuit. Hoc victu tenui frequenter vtebatur antiquitas in acutis febribus, pleuritide, pulmonia, & internis aliis inflammationibus: & sicut magni lucri pro ægrotantibus erat, ita non sine ingenti damno illorum vsus illius nostris temporibus prætermittitur. Via enim inuenitur alius cibus, in quo tot prærogatiuæ contra febres acutas & internas inflammationes inueniantur; neque facilè crediderim, quod Valles. docet *1. acutorum*, non exhiberi detectius ius galli-E næ, aut pulli nostris temporibus, quàm si daretur ptisana; nam nec iura ita attemperant, neque extergunt, nec resistunt incendio febrili, nec substantia ipsorum tam permanens, nec ita præcauetur transitus febris ardentis in hecticam, scilicet ptisana fiunt hæc omnia: proindè vsum illius vobis commendo, dummodo vt decet, præparetur, modus autem vtilior est, qui modò proponitur.

Eligendum est hordeum optimum, nec vetus admodum, nec recens, nam hoc excrementitia humiditate abundat: antiquum verò est valde siccum: aqua, in qua coquendum est, sit dulcis, tenuissima, & melior omnibus est pluuialis, deinde fontana, aut fluuialis, hordeum moueatur bis, aut ter in aqua calida, & fricatione forti excorticetur, mox coquatur; sit verò hordei cotyla, & in viginti cotylis aquæ coquatur igne

lento

lento in vase testaceo, donec grana omnia, quantum possint, intumuerint, & præ tumore disrumpantur. Hæc est simplicissima ptisana, & grana integra tota ptisana dicitur à Medicis; secus verò quæ per coctionem extrahitur in aqua, dicitur eius cremor, qui dupliciter assumitur; vno modo colatus per linteum, qui debetur acutioribus febribus, & morbis, quia minus nutrit: secundus non colatur; sed quod ex coctura remansit, sine colatura separatur à granis; magis hic nutrit, sicut & magis etiam quando hordei grana exprimuntur, & succus eorum cremori post coctionem remanenti miscetur. Hic enim paulo minus quàm tota ptisana nutrit: cuique horum admiscetur saccharum album, quia sic sumitur gratiùs, & nihil de propriis virtutibus ptisana deperdit. Galenus verò vbi cumque ptisanam præparat, admiscet oleum, sal, & modicum porri, & anethi, & acetum. Sic enim pro hecticis præparat 10. *Meth. cap.* 11. nam horum viribus adiuta penetrat magis, & inscindit, & attenuat humores, qui in prima regione, & secunda harent; & magis per sputum mouet quæ in thorace continentur: vnde in thoracis morbis aliquid mellis admiscetur, & lac amygdal. duc. scilicet pro ardente febre lac seminum frigidorum maiorum, aut minorum, & vbi obstructionis maioris habetur suspicio, radicis graminis, cichoreæ, & adianthi miscetur. Laudat Author sirupum acetosum ex saccharo, quia complet omnes indicationes in febribus putridis, de quo iam diximus. Agit deinde Author de diuerso modo cibandi in temporibus febrium, & inquit: Dignior horarum ad subtiliationem est status: hic enim est vehementia occupationis naturæ in pugna materiæ, & non oportet, vt ab ea recedens occupetur in re alia, & propter apud etiam. His verbis adducit Author sententiam Hippocr. 1. *Aphor. text.* 10. Docent itaque Authores in febribus putridis semper esse cibandum minus, quàm per bonam valetudinem; semel verò constituta specie victus, quam febris exposcit, diuidenda est alimenti quãtitas, ita vt magis tenuis detur in principio febrium, quando verò ad vigorem accedunt, & in ipso vigore, cibi quantitas minuenda est, ita vt detur minus, quàm in principio vniuersali; in hoc quidem plus datur, quia distantia est maior, & ita ne deficiat facultas, antequam accedat summus vigor, & coquatur materia, plus cibi dandum est, in augmento verò datur minus, quàm in principio, & in vigore minus, quàm in augmẽto. Rationem reddit Author in hoc capite, quia cibus retardat materiæ coctionem, & quia in augmento iam sunt signa coctionis manifestæ, & in vigore summo perfectæ, ideò ne impediatur coctio incepta, & victoria naturæ, minuẽdus est cibus, quod etiam docuit Gal. 1. *Aphor. comm.* 8. in quo dixit Hippocr. *Quando morbus in suo vigore constiterit, tunc victu tenuissimo vtendum est.* Rationem reddit Galenus *in comment.* & quia symptomata sunt maiora, & quia morbus cognitur: nec enim distrahere oportet naturam ad aliam nouam coctionem, cùm eo tempore vni coctioni humorum noxiorum fortiter vacet, & non multò post ipsos euicturа sit.

Sed dices: ad coctionem nullum maius auxilium, quàm esse facultatem fortem, quia hæc robusta citiùs vincet materiam, Sed cibo roboratur facultas: ergo quando plus coquitur, non impedietur per cibum, sed fortior reddetur. Nec obstat, quòd ex cibo generetur de nouo materia morbi, & per consequens impediatur coctio, aut retardetur, quia quando plus cibi sumitur, plus generatur materiæ coquendæ, & per consequens magis resistet. Sed contra est, quia rectè dari potest, & debet alimentum, ex quo contrarius humor generetur ei, qui morbum causat: ergo non solùm non generabitur similis, sed contrarius: quod enim bilis augmentum expectandum in ardente febre ex sumptione ptisanæ, aut piscium? Roboratur ergo sine augmento materiæ.

Magister noster *libro de loc. aff. disp.* 7. *cap.* 52. *in fine*, D. Petr. M. de Heredia, de Febribus.

A respondet, per alimenti sumptionem virtutem coctricem diminui, quia cùm accedat ad partem alimentũ nouum, & hoc sit dissimile, necessariò separatur ab illo, & sic debilitatur. Quæ solutio mihi non placet, quia aliquando alimenti repassio potest esse vtilis, vt in meliori temperamento constituatur; nam cùm in febribus per calorem intensum vitietur sæpè coctio, accedẽte sanguine ex alimento frigido, etsi repatiatur natura, non debilitatur, sed fortior fit, quia reminuitur calor præternaturalis, qui actum coctricis destruebat: repassio enim aliquid naturalis temperamenti tollit debilitando, sed quæ distemperiem corrigit, roborat: reducta ergo per repassionem natura ad temperiem perfectiorem, & naturalem, multò melius humorem putridum vincet. Mihi videtur dicendum primò, quòd si verum est, quod multi dicunt,

B mitti scilicet à natura copiam spirituum ad ventriculum, quando alimentum coquitur, quod ex hac parte potest impediri humorum coctio, quia trahuntur magis, quia magis laboraturus est. Dico secundò, quòd quæ natura coquit, debet retinere, & quæ retinet, potiùs attrahit; & quia attractio fit similitudine, trahitur plus eius, quod est similius: & quia sanguis de nouo genitus est similior, quàm humor putridus, ideo magis attrahitur, & retinetur, & coquitur, deficiente verò sanguine magis vtili, & simili operatur in humores, quos habet, etsi putridos. Hoc videtur colligi ex Auicenna qui dum tradit rationem subtractionis cibi in vigore, dicit: *Et non oportet, vt occupetur natura in re alia*, id est, in coctione alimenti, & non in coctione materiæ mor-

C bi. Dico tertiò negari non posse, quòd sanguis de nouo genitus permisceatur cum putrido humore, & ita sit impedimentum ad hoc, vt materia agat in humorem putridum, quia ponitur inter partem coquentem, & humorem, & ita tollit immediationem, quæ ad coctionem necessaria est.

Deinde notate, quòd in augmento, & in vigore non solùm minuitur cibus, quia in his temporibus celebrantur coctiones, sed etiam quia restat minus temporis trãsigendum, & ita minori cibo est opus. Dixit enim Hipp. 1. *Epid. sect.* 2. *text.* 45. coctiones significare iudicij celeritatem, & salutis securitatem, quia peracta coctione crisis bona fit, aut sine crisi morbus declinat, & ita minori cibo opus est in his temporibus, quàm in principio; & hæc est principalis ratio, ob quam in vigore

D summo tenuissimus competit victus, quia cum tenuissimo pertransibit natura totam morbi constitutionem. Mihi enim non videtur dubium multò magis indicari cibi parcitatem à crudo humore, quàm à cocto, aut incepto coqui; quia cibus coctionem retardat, & impedit: nunquam minori cibo est opus, quàm quando natura superatur à cruditate humorum, quia tunc indicantur magis coquentia, quando est materia magis putrida, & cruda: est autem talis in toto vniuersali principio: ergo si cibi parcitas confert ad coctionem, tunc indicabitur magis, quando est materia minus cocta. Sed quia distantia maxima est, & indicatio virtutis superat omnem aliam, ideò in principio datur plus, quia magis distat summus vigor, ne ante illum

E deficiat natura. Hoc, quod diximus, ex Gal. colligitur, 1. *ad Glauconem, cap.* 10. *de curat. tertianæ nothæ*, vbi sic reliquit scriptum: *Cibi abstinentia, vbi valentiores sunt vires, & morbus coctu difficilis, confidentius vtaris; vbi verò imbecillior virtus non omnino coctioni contumax, opus est largiori cibo.* Hæc quidem in omnibus aliis morbis consideranda sunt. Ecce qua ratione vbi præualet magis cruditas, maiorem inediam commendat, quia vt ipse docuit in principio capitis, inedia ad coctionem confert. Constat verò eandem rationem habere morbum in principio ad se ipsum, vt in augmento, & in vigore, quam habet vnus morbus longioris constitutionis respectu alterius breuioris. Vnde nullo modo acquiesco doctrinæ Vall. 1. *lib. Meth. cap.* 6.

dicentis 7. ideò dandum esse minus in augmento, & vigore, quia hæc tempora magis prohibent cibum, & quia magis prohibent, minus permittunt; quia verò principium prohibet minus, ideò in illo plus dandum: potiùs enim existimo iuxta Galeni mentem, principium vniuersale magis prohibere, quia crudior materia magis prohibet incrudantia, & coquentia plus petit, & sic inediam: nec video vndè inueniat indicationem ad dandum in augmento, & vigore maiorem potum, & auferendum cibum, &c. Hæc doctrina Auicennæ intelligenda est loquendo solum de victus ratione febribus putridis debita; nam quando adiunguntur inflammationibus internis, aut ab eis pendent, vt ipse dicit in *præsenti cap.* 4. solo exquisitè victu tenui vtendum esse docet vsque ad 7 & propriè in febribus apostematum, contrario modo instituendus est cibus, præsertim quando in thorace inflammationes consistunt; nam vbi morbus ex fluxione pendet, vt maximum remedium contra fluxionem imperatur inedia, & sic non generatur aliquid, quod fluat ad locum inflammatum, & quod intus genitum est, detinetur à partibus ad propriam nutritionem, & sic non permittunt fluere. Dum verò intra thoracem fluxiones consistunt, & inflammationes, præter dictam rationem est alia peculiaris, nempè quod ad proportionem, qua coquitur materia pellitur media tussi, & quia tussis est validus motus animalis facultatis, & motus validus fieri nequit sine facultate forti, ideo augemus cibum in vigore, & augmento coctionis, vt robur facultatis pellentis medio motu seruetur; nam alio primus detenta cocta materia suffocat. Vnde constat, quòd in omni fluxione dandum est minus in principio, magis in augmento, & plus in statu; sed in augmento, & statu inflammationis thoracis adhuc dandum magis, quia illæ indicantur motu valido musculorum efficientium respirationem; nec hanc validam, & magnam efficiunt, quin magna etiam præcedat inspiratio, & valida. Quam doctrinam desumpserunt omnes ex Hippocrate 1. *de vict. acut.* *text.* 21. vbi inter initia pleuritidis nec multam ptisanam, nec crassam esse dandam docet. *Textu* verò 23. dixit: *At si os madescat, & quæ à pulmone exspuuntur, talia sint, qualia esse oportet, sorbitionis quantitatem augere oportet.* Vbi clarè docet, quando thorax expellit, esse dandum plus alimenti: constat verò non pellere, qualia debent esse, nisi cocta sint. Excipiendi etiam sunt à regula morb. febres cum satietate incipientes; nam isti in principio minus alimenti petunt, vsque dum satietas sit ablata. Similiter excipiuntur, quæ cum copia pituitæ incipiunt: nam cùm hæc in alimentum conueniens permutari possit, supplet alimenti externi vicem.

Sed contra dicta conficiuntur duo argumenta difficillima. Primum est, quod ego in actibus publicis proposui. Videtur itaque non esse dandam minorem alimenti quantitatem in principio inflammationis internæ, quàm in principio febris putridæ. Probatur indicatio à virtute, quæ superat quamcunque aliam indicationem; sed dare plus in principio est propter virtutem, vt duret vsque ad finem vigoris: ergo in quouis morbo dandum est plus in principio, quia datur in illo distantia maior, quàm potest per morbum: ergo si pleuritis est terminanda in die decimo quarto, & febris putrida similiter, sicut in hac deficeret virtus, si daretur alimentum in parua quantitate in principio, ita in quauis inflammatione deficiet ante decimumquartum, si in illo finienda est, & detur in principio tenuissimus victus.

Secundum argumentum est, quia febres putridæ repetentes per circuitus habent non minus coniunctam fluxionem ad focum, quàm inflammationes internæ: ergo sicut in illis propter virtutem datur in principio plus alimenti, quàm in vigore, ita in inflammationibus fieri debet, aut in illis dandum est alimenti minus in principio, ne augeatur fluxio ad focum, cùm augeantur

A febres, & obstructiones, si plus fluit in principio, sicut augetur in principio.

Ad primum respondeo, quòd in quouis morbo est instituenda sua species victus, quæ semper debet obseruari; quantitas tamen non variatur in diuersis temporibus, prout vrgent indicationes: ita tamen instituenda victus species, quod cum illa variatione in quantitate duret vsque ad vigoris finem: ergo in pleuritide terminanda die decimaquarta eandem alimenti quantitatem dabimus, & eandem victus formam, scilicet in febre ardente terminanda eodem die: vnde sicut in febre paulatim detrahimus, prout ad augmentum, & vigorem accedit, ita in pleuritide augetur, quia ita petit virtus, eò quòd in principio subtractum fuit alimentum: ergo debilitas, quæ inducitur inedia in augmento, & vigore febrium, fuit primò introducta in principio inflammationis, quia ita indicauit fluxio: reparatur verò
B dando magis in augmento, & vigore, quia tunc minus nocet, quàm in vniuersali principio, & ita consonant omnia. Argumentum autem haberet vim, si in tenuitate, quam in principiis inflammationum concedit Medicus, vsque ad vigorem perseueraret, quia verò augetur copia, ideò nihil probat.

Ad secundum respondeo, quòd est diuersa ratio inflammationis, & febrium: nam quod influit ad inflammationis locum, remanet in parte collectum; quod verò ad focum, resoluitur in ipsa accessione, & sic non ita prohibent cibum: quod verò in loco inflammato colligitur, ibi permanet ferè totum, & quia si magna in-
C flammatio fiat, est periculosissimum, ideo subtrahimus cibum tempore fluxionis, ne ingens fiat inflammatio. Dixi verò, ferè totum manere collectum, quia necessariò aliquid resoluitur, quod indicant remissiones accessionum, verum resoluitur paucissimum respectu resolutionis, quæ in febribus fit: id verò dependet, quia quod inflammationem causat, impingitur in poros partis, estque extrauasatum, pars distenta comprimitur, & sic densata retinet intra se diutius humorem, qui fluxit: quod in febribus non fit, quia intra vasa continentur humores ferè semper, & si aliquando moueantur ad extra (vt in intermittentibus putauit Galenus) sunt iuxta cutem, & non imbibuntur intra poros partium, & ita resoluuntur facilius; quod indicat febrium intermissio, & inflam-
D mationis febrium continuitas.

Dicit deinde Auicenna: *Et de illis, quæ significant subtiliationem, est vt sit necessitas phlebotomiæ, aut resolutionis ventris, aut clysteris, aut sedationis doloris.* His verbis docet peculiarem occasionem, in qua est denegandum alimentum, quia oportet, vt venter sit vacuus, scilicet quando sanguis est mittendus, quia retrahitur alimentum crudum ad venas, aut deficiente calore crudius remanet, & virtus vehementer cadere solet. Memini vidisse quendam interfectum intra diem, quia secta fuit illi vena repleto ventriculo, comederat enim mane non paruam quantitatem ficuum viridium, & statim superueniente febri non leui euentum Medico enarrat, qui imperitus cùm esset magnitudine febris
E perterritus sanguinem mittere iubet; annuit æger infelix, & secta vena inopinatè correptus sudore syncopali animam egit vespere. Alio modo exponit Iacobus hunc locum, videlicet, quòd cibus est subtiliandus, quando est necessitas mittendi sanguinem, & ob aliquod inconueniens mitti non potest; nam inedia est euacuatio vniuersalis, & sic supplet, quod euacuatio erat factura.

Similiter quando assumendum est medicamentum expurgans, cibus est denegandus, quia & distribuitur sine coctione irrita natura, & corrumpitur à medicamento, & medicamentum solet fine frustrari, quia permixtum cum alimento non trahit, aut cum maxima difficultate, & inde anxietates, & tormina, & naturæ turbatio. Similiter semel deuorato pharmaco, non est dandum alimentum, antequā suum opus compleuerit: nā cùm sit

venter

venter inclinatus ad expellendum, quæ medicamentum trahit, pellit etiam alimentum incoctum, & non detentum corrumpi solet, & fluctuare, & ventris inflammationem causat. Vnde aliqui recentiores vituperant post assumptionem mannæ, vel cassiæ, vel aliorum medicamentorum purgantium leniendo statim assumere alimenta, putant enim aliter expurgationem impediri, quia medicamenta illa ob benignam naturam commutantur.

Similiter quando clystere est opus, non est dandum alimentum, quia trahitur incoctum ad intestina, & rarò non sunt laxantia medicamenta, quæ ventrem effœminant. Dolor etiam impedit cibationem, quia vehementer debilitat naturam, & spiritus, & sanguis mouentur ad locum dolentem, & partim trahuntur a corde, quia tristatur: & ita ventriculus languet per consensum patiatur, quo indigebat. Causat etiam turbationem dolor, motum perpetuum, & angustias, quæ omnia ventriculum imbecillitant, & retentricem impediunt. Constat verò hæc omnia præcepta intelligenda esse, quando totus ferre potest remedii numerata; nam si deficiat, alendus est æger, quia indicatio virtutis omnem aliam superat. Sic etiam excipiendæ sunt particulares indicationes, & conditiones hominum; quidam enim, nisi priùs leue, & adstringens medicamentum assumant, linquuntur animo, dum sanguis extrahitur ob bilem commotam circa ventriculum, & in æstate fere semper est vtile illud assumere, & in regionibus calidis similiter.

De cibatione pro diuersitate temporum.

DEinde Author tradit modum cibandi ægrotos diuersis temporibus anni, quæ doctrina vtilissima est. Dicit ergo: *Æstas quidem propter summam resolutionem indiget additione cibationis, & reparationis eius; nam virtus non sufficit ad digerendum illud, quod multum est simul, & quia resolutio in æstate est per expansionem, tunc oportet, vt cambium sit per expansionem.* His verbis docet, in æstate esse dandum plus alimenti, quia repositio debet esse proportionata resolutioni, & quia æstas resoluit magis, quam reliqua tempora, ideò plus alimenti dandum. Dicit tamen, quòd hæc maior copia debet esse comparatiuè, id est, semel non detur multum, sed separentur vices. Ratio est, quia virtus est debilis ob resolutionem, & ita simul non potest multum conficere: separentur ergo quantitas, & quod semel dandum petebat multa resolutio, detur in pluribus, quod est dare semel parum: sed hoc parum repetendum est; nam est alius modus supplendi multum, quod perit nimia resolutio cum virtute debili, nisi repetendo paruam quantitatem, quam potest conficere coctrix. Hanc doctrinam desumpsit ex Galeno 1. *Aphor. comment.* 17. vbi sic relliquit scriptum: *Æstino quidem tempore quantum ad temporis rationem attinet, sæpè, & pauca danda sunt, quia & plurima egent adiectione, vt potest, quia digeruntur, & vires habent imbecilles.*

Dicit deinde: *Et in hyeme res est e conuerso, quoniam propter paruitatem resolutionis eius non facit indigere cambio, multò amplius si dederint cambium multum, subitò erit virtus tolerans ipsum, & fortis apud expulsionem eius.* His docet, diuerso modo cibandum esse hyeme, quam in æstate: si ergo in æstate erat opus multa adiectione, & quia virtus debilis multa simul tolerare non potest, erat necessarium, quòd sæpè, & parum fieret cibi repetitio; in hyeme parum dandum est, & per longa interualla, quia resolutio moderata est, eò quòd occludantur pori; & ideo quamvis virtus fortis possit simul conficere multum in hyeme, dandum non est, quia resolutio est parua; quæ doctrina contrariatur Galeno *in comment. Aphor. cit.* dicenti: *In hyberno vero tempore multam quantitatem propter robur virium, sed raro, quia non valde multa indigent adiectione laborantes, & quibus non multa fiat euacuatio.* Imò Galen. his verbis repugnantia videtur asserere; nam dicit, quòd in hyeme multa alimenta danda sunt, quia adest virium robur, sed rarò, & per longa interualla, quia laborantes non indigent multa adiectione. Hæc enim doctrina videtur improbabilis in morbis; quia si virtus robusta potest maiorem inediam ferre per morbos, & tanto imperanda est, quando vitios constat, eo ipso quòd fortis est facultas in morbis, dandum est paucissimum alimenti; quod si alioqui non fit in hyeme multa euacuatio, nec ex hac parte est opus multa adiectione. Melius ergo diceret Galen. hyberno tempore pauca quidem, quia vires robustæ multam inediam sustinere possunt, & per longa interualla, quia multa euacuatio non fit; ita enim docuerat 1. *ad Glaucon. citato* dum dixit *cap. de curatione tertianæ nothæ*, inedia vtendum esse valentioribus existentibus viribus, & morbo ad coctionem difficili.

Diuerso modo conciliator Galenus à nostro Authore. Mihi autem videtur, quòd illud multum, quòd Galenus dicit dandum esse in hyeme, quia virtus est robusta, non referatur ad multum in quantitate proportionali, quam facultas commutare potest, sed ad paruum, quod datur qualibet cibatione in æstate: quasi diceret: quia hyeme constat facultas, totum, quod petit natura, semel dari potest, & simul, quia totum illud commutabit: & quia resolutio magna non fit, satis est totum, quod petit facultas, dare per longa interualla, quia lenta resolutio non potest petere crebram, & frequentem reparationem. Appellauit itaque multum, quia datur totum quod petit facultas, quod in æstate non fit, & ita contrariatur modus cibandi in hyeme, quia semel datur totum, quod petit facultas prout in morbo, & hoc non datur crebro, sed per maiora interualla; in æstate verò è contra.

Dicit vero deinde: *Et autumnus est tempus malum, & propter hoc oportet, vt subtilietur in eo inter conseruationem virtutis, & inter separationem materiæ, & spargere paulatim est melius in eo & prorsus spargere cum debilitatione virtutis est melius vero.* Doctrina huius textus est, quòd autumnus est tempus malum; tùm quia vt docuit Hippocr. 3. *Aphor. text. 9. Autumno morbi acutissimi fiunt, & exitiales maxima ex parte; vere saluberrimum, & minimè exitiale;* tùm etiam propter temperaturam, quia frigidus, & siccus; quæ qualitates ex diametro vitæ opponuntur; & cùm hæc composita temperies omninò sit aduersa naturæ, & ex alia parte succedat æstati, quæ & corpora debilitat, & resoluit, & sanguinem adurit calore, & siccitate; fit, quòd autumno abundent humores biliosi, & atrabiliarij, qui acutissimos morbos creant, & ex alia parte temperies autumni non est accommodata humorum coctioni, quia intensa siccitas, quæ viget, magis coctioni opponitur, & vires non constant; ob hanc enim intemperiem pessimum iudico autumnum, nam frigus intensius multò est in hyeme, & non est tempus malum; sed & frigus autumni, etsi attemperet calorem æstatis, & calidum intus detineat, multis est perniciosum, si excedat, quia paucitas vitalis caloris ab illo frigore extinguitur, vt non tam remedium, quam perniciem afferat multis. Lege Valles. 3. *Aphor.* 10. Ideoque exitiales vt in plurimum sunt tales morbi. Est etiam tempus malum, quia inæquale, quia eodem die & frigus excellens, & calor abundant: vnde in perpetua agitatione continentur humores; nam calor mouet ad extra, frigus repellit ad intra. Sed quia frigus plus viget, quia in maiori parte diei, ac noctis, ideo magis repellit, & intus continet humores biliosos, & adustos: ob quod putauit Galenus autumnum assimilari morbis, qui cum rigore infestant, & ideò esse

opus attemperatione maiori, vt indigent humores corrupti: quia ergo ex antecedenti æstate manent corpora debilia, & autumno non roborantur multum, etsi sint firmiora, quàm æstate, ideò cibandi sunt ægri vt in æstate, habita solùm differentia, quòd in autumno plus dari potest vnica vice, quia firmior est facultas, & quia non fit tanta corporum resolutio minus crebra fit adiectio. Firmatur vero facultas, quia per maiorem partem diei, & noctis prædominat frigus, & detinetur intus calidum, sicut per hyemem, simulque attemperantur viscera æstuantia calore æstatis. Corporum tamen siccitas non permittit multum acquiri robur, neque imbecillitas ex æstate contracta ita facilè reparatur; consumpsit enim calor æstatis partem sanguinis spirituosam, & atra bilis tum naturalis autumno, tum ex adustione genita in æstate inepta materia est ad spirituum generationem: vndè & humidi cibi conueniunt, & moderatè calefacientes, vt in melancholiam non mutentur, & conuenientem materiam spirituum vitalium generationi suppeditent, & immoderatam siccitatem corrigant.

Deindè dicit Author, quòd si virtus non indicaret alimentum, omninò denegaretur per morbos, & ideo quantò breuior, & acutior fuerit morbus, tantò minus dandum; & si fuerit morbus chronicus, crassiùs cibare oportet. Semper tamen dandum plus in principio, & circa vigorem subtiliandum alimentum, præterquam in febribus apostematum, minusque dandum, quantò virtus robustior fuerit, quæ omnia iam sunt à nobis adducta, & exposita.

Dicit deinde: *Et cùm ambigua sit tibi dispositio in ægritudine, & non cognoscis eam tunc, vt declines ad subtiliationem, est melius, quàm vt declines ad adiectionem te obseruante virtutem, & tolerantiam.* His docet, quòd si Medicus statim prima die morbi non assequitur constitutionem illius, & quanto tempore sit duraturus, quod securius est attenuare victum, quàm incrassare illum, dummodò virtus constet; nam dieta ipsa est euacuatio quædam, & sic potest esse conueniens, & sæpè detergit morbi naturam: nam biliosi solent magis vrgere, quia mordacior redditur bilis; pituitosi verò coquuntur, & melioris conditionis redduntur; imò non solùm in hoc casu, sed in omni morbo melius est peccare in tenuitate, quàm in crassitie, vt clarè docuit Hipp. 2. *de vict. ration. in acut. text.* 37. dicens: *Ciborum adiectioni intendendum multò minus, subtrahere verò sæpenumero confert.* Galen. *in comment.* docet, quòd plus est noxas inemendabiles facere, sed quod minus est facilè emendari: nam si virtus elabi videatur, facillimum est exiguum cibi administrare. Experimentoque docet, ex vnica cibatione abundantiori & magna pericula, & interdum subitam mortem accidisse, cùm nullos perierit ob vnicam cibationem omissam. Hinc Hippoc. *eod. lib. text.* 19. docuit, magis lædi, qui ad totam ptisanam permutantur, quàm qui ad solum cremorem, vel potionem ducuntur. Et ratio est, quia abundantia maior alimenti rarò non interficit subitò translata materia ab vna parte in aliam, quantitate irritando; impedit etiam idoneam ventilationem, & ad putredinem disponit; inedia verò nunquam repentè interficit, sed paulatim, vt differat inedia à repletione, sicut morbus acutus à chronico: ita Nuñez 2. *Aphor. sent.* 53. & Galen. tradit historiam pleuritici, qui in declinatione pleuritidis, in qua ægrum perire repugnat, fuit interfectus, quia lentes cum aceto coctas cænauerit.

Nec obstat, quod Hippocr. dixerat 1. *Aphor. text.* 5. contrarium dicit enim: *In tenui victu ægri delinquunt, quo fit, vt magis lædantur.* Et in fine ita loquitur: *Ob hoc igitur tenuis victus, atque admodum exquisitus eo, qui sit paulo plenior, magis periculosus.* Vbi clare docet, victum tenuem esse periculosiorem. Hippoc. verò solùm dicit esse periculosiorem, non verò deteriorem; est autem periculosior non propter se, quia si conuenit secundùm ideam morbi, periculo caret, & periculosior illo est crassior, aut tenuior: sed quia virtus tenuis conseruat vires in ordine ad vigorem debilitando nimis, ideò si errata contingant, magis læduntur, quia debiles minus ferunt errata; & sic magis molestantur. Itaque non comparat Hippocr. meo videri errorem in victu, quando instituitur crassior, aut tenuior quàm conueniat; sed solùm docet, quòd quando instituitur victus nimis tenuis conueniens morbis peracutis, & instituitur victus crassus conueniens morbis longioribus, periclitantur magis ægroti in victu tenui, quàm in crasso, non quia ille victus non conueniat, sed quia errores grauiùs ferunt ob debilitatem virium; incrassari verò ob errata minus periclitatur, quia cùm constet magis virtus, sustinet melius errorum læsionem. Ex quo colligo, quòd errores victus non comparat, sed solùm docet, quòd errores, qui lædunt, lædunt magis in tenui, quàm in crasso ob adductam rationem.

Dicit deinde Author: *Et de corporibus sunt corpora cholerica, qui requirunt diuersum regimen ab illo, quod diximus, & propriè quando sunt assueta plurimæ comestioni: ipsi enim, cùm non cibantur saltem in principio febris, imo in hora, quæ est prior, & est hora status, non sunt vacua eorum dispositiones à duabus rebus, quia cùm sint debilium virtutum, superuenit eis syncope, & moriuntur in principio; & si sunt fortium virtutum, cadunt in extenuationem, & apparent super eos signa ariditatis ex minoratione nasi, & profundatione oculorum, & quod tempora sunt depassa, & fortassè superuenit eis syncopis ante illud propter illud, quod funditur ad stomachos eorum de cholera mordicatiua.*

Doctrina Authoris est, quod ex corporibus biliosis sunt quædam adeò cholerica, quòd eo ipso indigeant contrario modo cibandi. Est autem contrarietas, quia conuenit, quòd accessio veniat ventre existente vacuo ab omni alimento, nec conuenit transigere totam accessionem sine cibo, sed in principio cibandi sunt, imò & in hora prauiori accessionis, nempè in statu: nam nullus eorum aliquod periculum effugere potest: si enim sint debiles, & facilè resolubiles, superueniente syncope moriuntur, quia à calore febrili digeritur paucus vitalis spiritus, quo constant: nam extremè biliosi non habent idoneam materiam ad spirituum generationem; hi enim non fiunt nisi ex parte spirituosa, & aërea sanguinis, qua priuantur nimis biliosi, propterea habēt tenuissimos spiritus, & corporis poros nimio calore dilatatos, & in superueniante calore febrili, qui in ipsis rarò non est intensus, & aeris, attenuantur spiritus, & resolutione inducta syncopantes moriuntur: tales igitur cibandi sunt in omni tempore, si hoc periculum velimus subterfugere. Quòd si non sint tam debiles, quòd syncope periclitentur, saltem non effugient periculum cadendi in hecticam dispositionem siccitatis membrorum, & sic saltem liquefiunt, & debilitantur resolutis spiritibus, & parte sanguinis tenuiori, & faciem hypocraticam contrahunt. Quod si in accessionum principio bilis mordax in ventriculum confluat, vt in biliosis frequenter euenit (præsertim quando iecur occasio mali existit) & morsus, ac cardialgias excitat, omnia augentur, & antequam faciem hypocraticam contrahant, linquuntur animo, & syncope apprehenduntur: in quo casu ab assumpto alimento hebetatur bilis acrimonia, & adhærens alimentum ventriculi tunicis non permittit sentiri bilis acrimoniam, quia tactus non sentit, nisi obiectum, quod immediatè organo hæret.

In qua consideratione, quæ magni momenti est, notate, quòd biliosi quidam sunt, quia tali temperamento constant, calido, inquam, & sicco, & ita totam massam sanguinariam simili labe inficiunt; alij verò sunt tales non ob natiuam temperiem, & vt aluntur

tur

tur contractam; sed quia ob nimium exercitium, aut alimenta vitiosa, quæ faciliè in bilem vertuntur, biliosi sunt facti, non quidem temperamento, sed abundantia humoris. Primi verò sunt, qui nunquam sine cibo possunt transire accessionem ob dicta pericula; reliqui verò etsi abundent bile non habent carnes, & sanguinem biliosum omni ex parte, & tales benè ferunt accessiones sine alimento, nisi bilis in ventriculum confluat; & ibi detenta os illius mordicet: nam dum confluit, si facilè euomatur, & pellatur per ventrem, non est necessarium alimentum: quando verò detinetur, molestè verò (fit hoc, quando per venas alimentum mouetur) non semper est necessarium alimentum dare aliquod: sæpè enim in his, qui abundant prædicto humore, non ratione temperiei, sed ob aliquod erratum in rebus non naturalibus, magno commodo datur potus aliquis attemperans, vt aqua ex niue, quæ gelidissima, & in parua quantitate satis esse solet ad moderandam anxietatem, & bilis contemperationem: imò meliùs subuenitur anxietatibus potu frigido, quàm cibo, quia melius penetrat, & citiùs ad vasa alimenti, & frigidior multò datur quàm alimentum, & vtilissimè miscetur succus granatorum acidorum, limonis, aut citri; succus etiam agrestæ mire confert: hæc enim non solùm attemperant, & mordacitatem obtundunt, sed adstrictione roborant partem, vt minus recipiat, & receptum extrudat. Estque alia commoditas in potu, quòd non ita impedit conuenientem ventilationem, sicut alimentum, quia vapores ex potu eleuati resoluuntur facillimè, & debilitas non ita nascitur ex anxietate: sicut & defectus spirituum non reparantur potu, sed alimento, quod idoneam materiam eorum generationi præbeat, & quia talis resolutio sit magna, & præcipuè in vigore, quia tunc est summè intensa caliditas; ideo cogimur in illo cibare, quia & resolutio, & permutatio putridæ in hecticam tunc præcipuè timentur, ob quæ priuior hora appellatur ab Authore. Quæ doctrina desumpta fuit ex Galeno 10. *Meth.* vbi celebriter diatriton vituperans experimento confirmauit quàm perniciosa sit inedia biliosis naturis. Legite c. 3. & 4. Meritò ergo docuit Valles. 10. *Meth. cap.* 9. quòd si non cibentur prædictæ naturæ, vt dictum est, inedia ipsa sæpè prætermittente continuam, & pro febre simplici, atque cum sudore soluenda (si daretur cibus in initio) syncopalem, & pro salutari lethalem febrem fecit. Datus verò cibus in ipsa accessionis hora non solùm aliquando hæc pericula prohibet, sed ipsam etiam febrem anteuertit. Quod ex Galeno desumpsit 8. *Meth. capitibus citatis.*

Dicit deinde: *Et de hominibus quidam sunt exuberantis carnis, sed cùm abscinditur ab eis cibus, debilitantur, & extenuationem incurrunt: quare non tolerant prohibitionem cibi.* Dupliciter potest exponi hæc sententia. Primò, vt per carnis exuberantiam intelligamus veram carnem musculosam. Secundò, ita vt per carnis exuberantiam intelligamus obesitatem: obesos enim, & pingues vulgus appellat carnosos. Si intelligatur primo modo, non intelligitur sententia de carnosis quibuslibet, sed de illis, qui carnem teneram, & mollem habent: hi enim resoluuntur facillimè ob corporis laxitatem, & ita inediam multam non sustinent. Si verò per carnosos intelligantur obesi, est etiam verissima doctrina; nam multi obesi sunt debiles, quia exiguas venas, & arterias habét. Vnde constat, nec biliosos, nec carnosos, molles, & laxos multam euacuationem per missionem sanguinis sustinere posse: nam qui non possunt inediam ferre, nec euacuationem copiosam sustinebunt. Hæc est expressa sententia Galeni 1. *ad Glauc.* 13. dicentis: *Nam qui densa, solidaque sunt carne, non facilè his iniuriis patent, itaque verendum non est eos semel euacuare: qui verò mollem, & alga modo teneram, promptéque defluentem hanc habent, in grauem noxam facilè ruunt: quare ab his etiamsi omnia alia suadeant, sanguinem mittere non audemus, verùm aliis euacuationibus quàm moderatissimè promptissiméque fieri potest, vtimur. Similiter autem & his, qui habitu sunt immodicè obeso, vel graciles, venam secare, vel alio quouis modo affatim euacuare timendum est.* In qua sententia ponit Galenus vt euacuationi ineptos carnosos habentes carnem teneram, & mollem, vt alga: ponit similiter obesos, & biliosos, nam tales sunt graciles nimis, licèt non omnes graciles sint biliosi, nam melancholici frigidi, & sicci cùm sint, facilè necessariò redduntur: differunt tamen à biliosis, quia hi sunt graciles cum latitudine vasorum, melancholici verò cum paruitate, quia dilatat calor, condensat frigus: nulli verò horum magnam euacuationem per missionem sanguinis ferunt, quia biliosi sunt resolubiles ob ingentem calorem, & spirituum tenuitatem; melancholici verò, quia exiguis vasis constant, pauci sanguinis sunt, & pauci, & debilis vitalis caloris, vndè & timidi, & per consequens neque inediam tolerant, sed omni tempore egent cibari ob dicta. Ob quod inferius dicit Author: Et quibus calor innatus est debilis valdè, non possunt dimittere cibum. Vel per istos etiam intelliguntur decrepiti, qui indigent continua reparatione, sed leuissimo cibo.

Dicit deinde Auicenna: *Et omnis eius calor innatus est fortis valdè, aut plurimus, aut calor innatus est debilis valdè, non potest dimittere cibum.* In qua doctrina videtur contradictio: nam si debiles valdè non possunt ferre inediam, eam tolerabunt habentes calorem fortem, aut plurimum: nam contrariorum contrariæ sunt rationes. Prætereà multus calor innatus esse non potest, nisi vbi existit multus spiritus: multus autem spiritus esse non potest nisi in sanguineis, qui famem tolerant, & quia multum sanguinis continent, & quia robusta constant virtute. Rursus senes habent vitale calidum debile, & tamen ieiunium facilè tolerant, vt docuit Hippocr. 1. *Aphor. text.* 13. & *text.* 10. docet senibus parum calidi innati inesse, & propterea paucis indigere fomitibus. Et confirmatur, quia appositio debet esse proportionata resolutioni, sed debilissimi caloris resolutio paucissimum: ergo inediam tolerabunt habentes calorem valdè debilem, quia resolutio paucissima fit, & per consequens indigentia paucissima erit. Respondetur, quòd per habentes calorem fortem valdè intelligit biliosos nimis, tales enim ob adiunctam siccitatem, & intensionem caloris resoluuntur facillimè & extremè. Per habentes verò plurimum calidum innatum intelligit pueros, qui ob adiunctam laxitatem naturæ resoluuntur facillimè, & multum, & ideo inediam non tolerant, de quibus dixit Hippocr. 1. *aphor. text.* 14. *Qui crescunt, plurimum habent calidi innati.* Nec obstat, quòd si calidi, & sicci resoluuntur facillimè, non possint calidi, & humidi promptam resolutionem pati, quia contrariæ sunt causæ. Respondeo, non resolui ob eandem rationem; sed biliosi, quia habent tenuissimos spiritus & accerrimas fuligines; humidi verò, quia laxi sunt; & promptè diffluentem habent quamcunque substantiam, spiritus præsertim, & ideò magna egent reparatione. Hippocr. verò intelligitur de prima senectute, dum dicit facilè ieiunium ferre; decrepiti verò ieiunium non ferunt, quia licet calor paucissimam moderatam efficiat resolutionem; tamen calor ipse ab aliis causis resoluitur facillimè, dum grauissimus est, & ideò egent crebra reparatione, sed leuissimo cibo, vt dixi, ob quod *in textu* dixit Author: *Aut calor innatus est debilis valdè*: vt intelligamus de extremè senibus loqui, non de primis. Idem quoque intelligendum est in quocunque alio habente calorem debilem extremè; quia in quolibet est eadem ratio.

Reliqua, quæ in *hoc cap.* adducit Author, ex dictis à nobis manent clarissima, neque egent noua expositione. Quæ verò in *cap.* 9. dicit Author de aqua hordei,

&

& sirupo acetoso, exponentur à nobis in affectionibus, quibus conueniunt, suntque facillima intellectu.

---

* *Ab hoc Cap. VIII. Auicennæ vsque ad XXXIV. inclusiuè non scripsit Author, partim quòd in antecedentibus de ipsis, partim quòd in subsequentibus tractaturus est.*

CAPVT XXXV.

Sermo vniuersalis de febre cholerica.

A Capite primo vsque ad præsens quod explicandum proponitur; diuersa symptomata, & eorum correctionem Princeps adduxit, in propriis capitibus commodiorem locum obtinentia, quod exquisitiorem, & longiorem doctrinam requirant: eorum enim naturam, & curationem diminutè quidem, & breuiùs quàm par erat Auicenna exposuit, ob quod ad propria Lector recurrat, ne immensum opus euadat, & cuiuslibet febris medela, quod erit maioris frugis, commodiùs tractetur. Est communis diuisio huius capitis in tria membra. Primum diuisiones febris biliosæ continet. Secundum differentiam inter causonem seu febrem ardentem exponit. Tertium symptomata quædam biliosas febres comitantia tradit.

Dicit primò Author; *Febres cholericæ sunt tres, tertiana continua, & tertiana periodica, & causon.* Per periodicam intelligit tertianam intermittentem, per continuam constat intelligere oppositam, carentem nimirum intermissione. Est autem difficile quæ febris species per causon intelligenda sit, nam si non est alia diuisio nisi in intermittentem, & continuam, & causon continua est, liquet sub continua comprehendi, & ita est reuera; tamen quia non omnis febris biliosa continua potest dici causon, ideo vt quid distinctum adduxit; valet enim consequentia, est causon, ergo tertiana continua, non tamen econtrà, quia causus vt talis dicatur, peculiaria accidentia requirit, quæ non inueniuntur in qualibet tertiana continua. Sunt autem implacabilis sitis, Incendium febrile intensissimum, & quod remissiones satis leues, aut quàm breuissimas habeat, quæ symptomata omni febri biliosæ continuæ non conueniunt. Vnde verò procedat hoc discrimen, *proprio cap. de febre ardente* dicemus. Qui ergo putauerit continentem febrem ex bile sola posse creari, dicet diuisionem adductam esse in febrem biliosam, intermittentem, in continuam, & in carentem accessionibus; quia verò in mea opinione ex sola massa sanguinaria aut sanguine solo continens febris creatur, exponendus est author modo iam insinuato: nempe quod detur diuisio per diuersa accidentia, vt febris periodica intermittat, & habeat symptomata sibi vt tali debita, continua verò non intermittat, verùm non inducat tam acerba accidentia, vt illa quæ causus includit, quod respiciens author *in hoc cap.* dicit, *causon verò est de genere continuæ*, quoniam differentia inter eius vehementiam, & inter ipsius teporem est insensata, & accidentia eius sunt vehementia.

Dicit secundo Auicenna; *Et tertiana quidem periodica, aut est pura, & fit à cholera pura, aut non pura, & fit cum putredine choleræ rubeæ grossæ substantiæ, propter commistionem choleræ cum phlegmate commixtione aliqua complexionali vnita.* Iis adducitur alia diuisio tertianæ in exquisitam, & notham, seu spuriam; quæ diuisio cuilibet aliæ febrium sorti competere potest, nam quotidiana, & quartana, & legitima, & spuria esse potest. Dicitur verò tertiana legitima, quæ ex bile naturali, & sola originatur, & bifariam adulterari potest, aut quia bilis ex qua fit, non sit bilis naturalis, vt quando ex bile æruginosa, porracea, aut vitellina nascitur, aut quia etsi bilis sit naturalis, non tamen sola est author tertianæ, sed aliis succis adiungitur ad accessionis afflictionem, vt frequentissimè fit, quando pituita, & bilis miscentur; minus tamen frequenter adiungitur melancholia, quæ diuisio summè notanda venit, quia magni momenti ad idoneam curationem, & diuersa præsagia: quæ diuisio & continuæ, & causoni conuenit, quælibet enim ex iis febribus, & legitima, & spuria esse potest. Vnico tamen exemplo adducto, facilè alia colliguntur.

Si inquiratis, vnde eueniat talis denominatio legitimæ, & spuriæ, respondeo, quod ex diuersitate humoris putrescentis ad causandam febrem; nam humor concipiens putredinem, aut est naturalis, aut præter naturam, aut solus corrumpitur, vel copulatus cum alio: quia ergo bilis naturalis putrescere potest, & sola hæc est quæ iuxta mentem Galeni, exquisitam tertianam creat, & hanc tanquam normam constituit per propria signa, vt dicatur legitima, & quia (vt dixi) à naturalitate discedit dupliciter, vel quia bilis naturalis non sit, vel quia non sola putrescat, sed aliis succis adiuncta accessiones causet, ideo dicitur spuria seu notha bifariam; quia aut non erat bilis naturalis quando concepit putredinem ad causandam febrem, aut non sola, sed aliis adiuncta, à quibus præternaturalis etiam reddita febrem causat. Ob id Galenus summè laborat *libro 2. de Crisibus*, vt legitimas febres, & simplices Medicus agnoscat, vt inde & nothas, & complicatas distinguere queat, alioqui turpiter hallucinatus errabit. Miror tamen quod Medici non enumerauerunt vt necessariam conditionem ad febrem legitimam, aut notham, quod simplex sit putredo, aut maligna. Videtur enim ita esse dicendum, nam si bilis quod degenerauerit à naturalitate ante putredinem febrem causantem, notham febrem constituit, sic quia potest benignè, aut malignè putrefieri, degenerat magis, aut minus à natura propria. Vnde, quia ad febrem creandam duo sunt necessaria, & humor, & putredo illum contaminans, dici potest legitima febris quæ & à naturali humore, & simpliciori putredine pendet: notha verò seu spuria, quæ à maligniori putredine nascitur; nam si putredo absoluat, non constituit spuriam febrem, & est in putredine mira varietas, optimè potest diuidi in legitimam & spuriam ex parte putredinis, præsertim si per putredinem ita affici potest, vt omnino degeneret ab accidentibus, quæ in simplici putredine inueniri solent.

Ex dictis infert author discrimen inter tertianam notham, & hæmitriteum, dicendo; *Hæmitriteum faciunt duæ materiæ separatæ; & hanc facit materia vna, quæ in seipsa est permista, cum cuius calore permiscetur aliquantulum frigoris, quod grauat suam putredinem, & suam resolutionem, & suam digestionem.* Hæmitriteus legitimus, vt docuit Galenus, est febris composita ex tertiana intermittente, & quotidiana continua, & inde causam habet pituitam, & bilem, vt habet tertiana notha aliquando: est tamen differentia, quod pituita, & bilis hæmitriteum componentes, non vniuntur ad faciendas accessiones per modum vnius, sed quælibet causa seorsim putrefit, & propriam seruat periodum, vt pituita quotidie repetat, bilis verò per tertium. At in spuria tertiana ij duo humores ita commiscentur ad constituendam hanc febrem, vt simul putrefiant in eodem foco, & simul inflammentur ad creandam accessionem. Vnde hæmitriteus est febris cōposita, quia duplex est febris, quælibet diuerso tempore repetens; tertiana

tertiana verò spuria simplex febris est, etsi spuria, vt constat ex dictis: constat verò comparationem authoris esse ad tertianam notham ex bile, & pituita tantùm constitutam, non tamen ad omnem notham.

Reliqua in litera contenta manifestissima sunt, & in propriis capitibus longius explicantur; illud tamen notabitis, quod in nostra opinione doctrina Auicennæ non est in vniuersum vera, quia ex pituita potest dari tertiana periodica & continua, sicut ex bile quotidiana; sæpe enim experimur quolibet die accessionem ex bile quin per tertios sit repetentia, imo quolibet die repetit, & æqualem habet durationem, quod in huius capitis expositione doctè Herculanus notauit.

SECTIO I.

Quæstio celebris quomodo duo humores in eandem accessionem conspirent.

QVæstio proposita expositorum mentem malè torsit, & est in scholis celebris: fuit circa eius dilucidationem mira opinandi varietas, nullum tamen placitum ad sui probationem aliquod fundamentum insigne adduxit, ob quod expunenda sunt solùm quæ in scholis celebriora esse solent. Est verò communis ratio dubitandi contra Auicennam, quia bilis per tertios repetit ex propria natura, & pituita quotidie: ergo implicat quod ad faciendam accessionem eodem die conspirent. Probatur sequela, quia resistentia ad putredinem æqualis esse non potest in illis duobus humoribus, quorum est tam diuersa natura, vt in propriis qualitatibus ex diametro opponantur, cum bilis sit calida & sicca, pituita verò frigida, & humida: quæ dubitatio habet vim contra nostrum modum opinandi, quia etsi putemus quemlibet circuitum à quolibet humore causari posse, tamen respectu eiusdem causæ putrefacientis non videtur possibile, quod tam oppositi humores eodem tempore concipiant putredinem, cùm sit tam inæqualia resistentia, & actiuitas in rebus alterandis & vincendis à causa putrefaciente.

Petit hoc argumentum qualiter duo humores tam diuersi vniri possunt, vt eandem semper accessionem creent, & eadem hora repetant. Gentilis insinuat misceri eos humores, sed bilem in maiori copia, ob quod vincit pituitam, & illam corrumpens mutat in bilem, & sic conspirant in eundem effectum, & modum repetitionis: cuius doctrinam sequuntur Herculanus, & Iacobus, eam tamen impugnat Magister meus *fen. 1. lib. 4. tract. 2. cap. 40. folio 944.* Primò, quia experimento constat in principiis accessionum euacuari per vomitum, aut secessum pituitam, & bilem sub propriis formis; constat verò tunc moueri eos humores ad accessionem faciendam. Secundò, quia nullus ex relatis authoribus docuit, in quem humorem permutentur qui permiscentur ad alterationem inter se. Sed fallitur Magister, quia ex Gentilis lectione constat, pituitam in bilem mutari. Verba sunt. *Et ex tali mistione, quando scilicet vincit cholera febris, tertiana fit.* Constat verò quod si tertius humor deberet resultare, non posset cholera vincere, cùm vterque deberet corrumpi, vt fit in substantiali mistione.

Deinde arguit, quia humores naturales non sunt tam actiui, vt vnus alium corrumpat, constat enim intra vasa esse summè applicatos, & nunquam vnum alium in se conuertere; non ergo bilis pituitam corrumpit vt in bilem mutetur, nec ad inuicem ita se alterant, vt tertius humor resultet, quia neutrum sine mutatione substantiali fieri potest. Quod si dicas id esse verum in humoribus naturalibus, tamen in præternaturalibus euenire posse quod mutuo se corrumpant, aut vnus in alium A mutetur si nimis excedatur. Contra est, quia ex hac solutione sequeretur, nunquam posse dari tertianam notham ex humoribus naturalibus putrescentibus, quod est contra communem sensum Medicorum, & experimentum, cùm videamus passim euomi, aut deiici bilem & pituitam naturales in accessionum principiis.

Magister verò *eodem loco* dicit, quod ad faciendam tertianam notham non est necessarium, quod vnus humor alium in se conuertat, sed satis esse si ad idem temperamentum perueniant: quod probat à simili in sanguine, qui in opinione Galeni 2. *de differentiis febrium cap. 9.* habet diuersam formam à bile; & nihilominus per tertios vt bilis repetit, quia per innatam temperiem habet ad putredinem eandem analogiam cum bile, humores enim non resistunt putredini, quòd hac aut illa B forma substantiali decorentur, sed quia talibus qualitatibus magis, aut minus resistunt.

Hæc resolutio mihi non probatur, & argumentum quod in refutationem Gentilis adduxit, habet contra Magistrum eandem vim; est enim certum, quod ad hoc vt pituita per tertios repetat, debeat in temperiem bilis mutari antequam putredinem concipiat. Vnde quando accessiones causat, necesse est quod non appareant symptomata pituitosa, quod est contra manifestum experimentum: ergo vt Magister contra Gentilem intulit, quod pituita in bilem mutata substantialiter non fuerit, quia sub forma pituitæ reiicitur quando accessiones causat, eodem fundamento constat non fuisse mutatam in bilis temperiem, quia reiicitur sub accidentibus pi- C tuitæ debitis, albedine videlicet, lentore, crassitie & aliis, quod perspicuè confirmant accidentia in tertiana notha inuenta, quæ eodem modo ægros excruciant, quo dum quotidiana opprimebantur: est enim minus singultuosa tertiana, ad somnum inclinat, longiorem accessionem reddit, colorem lotij remittit, pulsum grauat, inæqualem accessionem creat, non succenditur facilè, & quod magis est, tam longam, & infestam reddit totam morbi constitutionem, quod ad sex menses soleat extendi, vt Auicenna *in littera capitis* docet, & ex Galeno desumpsit 1. *ad Glauconem, cap. proprio*: esset verò impossibile, tam longum morbi fastidium, si pituita antequam putredinem concepisset, naturam, seu temperiem bilis acquisiuisset. Quod non leniter confirmat malus corporis habitus, & totius inflatio tertianæ spuriæ fa- D miliarissima ob copiam pituitæ, & crudorum succorum, crassorumque flatuum ex pituita originem trahentium.

Quæ opinio efficaciter suadetur Galeni doctrina 1. *ad Glauconem, cap. 10.* vbi docet in curatione tertianæ nothæ esse imperanda medicamenta mista ex frigidis & calidis auxiliis, vt simul occurramus correctioni vtriusque humoris: quæ praxis perniciosa fuisset, si materia antecedens esset permutata in bilis naturam. *Tota ratio victus* (inquit,) *sit, non quæ vt in exquisita tertiana refrigeret, & humectet, sed quæ vim aliquam incidendi, & calefaciendi assumat: iis igitur maximè prodest ptisanæ succus, cui iniectum piper sit, aut nonnunquam etiam hyssopum, aut origanum, & nardi spica in aquam mulsam iniecta,* &c. Sentit ergo Galenus materiam pituitosam ad E focum confluere frigidam, humidam & lentam, cum calefaciat, extenuet, incidat & siccet: esset verò perniciosum præceptum si pituita in bilis temperiem antecedenter permutata fuisset.

Tertiò, quia si pituita in bilem conuerteretur antequam ad focum confluerct, non essent signa ostendentia ex pituitoso succo talem febrem originari. Probatur, quia non aliter agnoscitur pituitæ permistio, nisi quia dantur accidentia pituitæ propria: at hæc deficient si in bilis temperiem fuit prius permutata, nō ergo bilis naturam prius acquisiuit. Sed eodem modo se habet dum tertianam spuriam reddit, & quando quotidianam exquisitam constituit, quia ex signis media agnoscimus causam esse mediam per participationem: quod etiam

etiam confirmat distinctio magna in tertiana notha, quando ea permistione pituitæ aut melancholia causatur, suut enim diuersissima accidentia : talia tamen non forent, si pituita, & melancholia naturam bilis acquirerent antequam accessionem efficerent. Experimento etiam nostra opinio suadetur : sæpe enim à nobis visa est febris tertiana in ætate senili, nullum signum bilis ostentans, vt verissimè diceretur febrem illam tertianam pituitosam esse. Et doctrina Magistri haber contra se difficultatem magnam philosophicam, qua nimirum ratione temperies bilis in pituita conseruatur, si non mutauit formam, vt contra Gentilem docuit, & nos calorem in facto exponendo efficacibus rationibus confirmauimus.

Sed in nostra opinione facilis est quæstionis resolutio; probauimus enim non esse tam infallibilem repetitionum ordinem in humoribus, vt variis modis permutati non possint, ita vt bilia quotidie repetat, & per quartos, & melancholia quotidie, & per tertios, vt pituita per tertios, & quartos; dependet enim determinata perioduea hūmorum certa quantitate, & qualitate, ea motu ad focum, & ex collectione causæ determinatæ putrefacientia, quæ quia multifariam variari possunt, ita etiam & putredinia tempus, & per consequens citius, aut tardius accessio repetere : sic in notha tertiana contingit vt bilis cum pituita simul ad focum moueantur, & non resulter agens putrefaciens ante tertium diem, aut ratione speciali motus humorum, aut ratione obstructionis excitandæ in foco, aut quia pars transmittens non congerit antea vtriusque humoris idoneam quantitatem ad accessionem faciendam, sicque per minima ij duo humores miscentur, quod vnus sine alio expelli aut putrefieri nequeat, & inde eodem tempore in accessionem conspirant, nec est necessarium quod in duobus iis humoribus sit æqualis putredo, cùm nec respectu eiusdem humoris id sit possibile, quivis enim passim obseruat eandem tertianam exquisitam ita aliquando anticipari, vt per decem horas, & duodecim anticipatio fiat, & aliquando plus : ex quibus constat repetitionis tempus variari satis posse.

Et si inquiratis vbi fiat talis permistio? Respondeo intra vasa, & ab eis expelli : putandum tamen est, esse duas partes affectas illa duo excrementa creantes, implicat enim excessum pituitæ, & bilis ab eadem parte produci, quæ excrementa postea permiscentur incerto loco, à quo simul in focum pellentur : nec mihi est dubium, quod pituita etiamsi leuissimè, aut nullo modo putrefiat, possit esse occasio illegitimæ tertianæ, nam vt minus putredinem concepit, plus reddit spuriam tertianam, vt constat; sæpe enim videmus id, quod nostram opinionem satis confirmat, tam grauia esse accidentia pituitæ correspondentia in tertiana spuria, quod dubitari merito possit, si concepit putredinem, vt constat ex somno profundo, longitudine accessionum, inæqualitate pulsus, & mollitie, vrinæ eruditate, & aliis. Ratio à priori est, quia conditio spuria tertianæ non pendet ex qualitate putredinali pituitæ, sed ex aliis accidentibus pituitæ debitis, humiditate scilicet, lentore, crassitie, & irresolubilitate, quibus summum conciliat contra naturam, accessiones protrabit, pulsus grauat, & inæquales reddit, & longiorem constitutionem efficit totius morbi. Vnde si semel concipias possibile, quod portio pituitæ ob nimiam eruditatem non conciplar simul putredinem cum bile, expellatur tamen cum illa, quia bilis expultricem irritat, euenient non dubiè symptomata spuriæ tertianæ efficaciora, quàm si pituita permista putredinem experta fuisset : esse verò possibile ex communi placito Medicorum patet in febre ephiala, cuius causa per minimas partes & putrida, & frigida ob inæqualem resistentiam manet, & contrariis alterationibus morbosè disponit, ita vt frigus, & calor simul molestent. Neque præter rationem videtur posse illos diuersos humores excedere sine læsione alicuius visceris ob solam diuersitatem alimentorum, & hæc causa securior, & facilius curationis potabitur, quia instituta recta victus ratione, cessat occasio nouæ creationis humorum febrem assidue fouentium, quæ origo datur semper si à visceribus læsis diuersi humores creentur, donec distemperies eorum moderata à Medico sit, quod difficillimum est ob remediorum oppositionem.

A Quidam ex sociis nostris potarunt, ideo pituitam per tertios repetere, quia in parua quantitate ad focum mouetur, ita vt ad accessionem non satis obstruat, donec accedat bilis, quæ cùm per tertios repetat, mouetur simul cum bile portio illa pituitæ ex se non potentis febrem producere. Quod placitum mihi non probatur, primò, quia supponit in omni tertiana notha

B esse duas partes mittentes ad eundem focum illos duos humores, & quemlibet separatum ab alio expelli; quod est apertè falsum, nunquam enim Medici docuerunt in tertiana notha esse duplicem partem transmittentem ad eundem focum, sed res est intelligenda vt diximus antea. Secundò, quia experimento constat, dari plures tertianas nothas, in quibus bilis pituitam non excedit, & alias in quibus bilia excedirur, vt ex accidentibus pituitæ debitis plus in accessionibus molestantibus perspicuè deducitur, vt ex somno profundo, & accessionum longitudine, qua sæpe febres subintrantes fiunt, sitis defectu, & aliis iam traditis.

C Nec minus improbabile mihi videtur, quod de bile in quotidiana notha philosophantur : dicunt enim, quod bilis quæ per tertios dies erat repetitura, repetit quotidie, quia cum minore portione permista humori pituitoso in maiori quantitate existente dum fit quotidiana notha, sufficientem corporaturam acquirunt ad obstruendam partem, quàm si seorsim consisteret, & ita quotidie resultat agens putredinale sufficiens ad quotidianam repetitionem. Dicunt etiam, quod agens putredinale iuuatur ad vincendam resistentiam maiorem bilis à putredine pituitæ, cuius auxilio tam celeriter putrescit, vt quotidie cum pituita repetat.

Sed hoc totum videtur falsum, quia in hac opinione nunquam dabitur quotidiana notha, in qua sit æqualis portio bilis, & pituitæ : tune enim non erit ratio cur iuuetur potius bilis putredo à pituita putrescente,

D quàm è contra, imo respectu agentis potentis inducere putredinem, citius corrumpitur bilis quàm pituita, si vera est communis Galeni, & Medicorum opinio, quod corpora calida, & sicca citius acquirunt febrem, quàm calida & humida : similis enim ratio in causis etiam datur. Secundò, quia non erit ratio maior, cur si sit æqualis mistio pituitæ, & bilis, fiat magis tertianus circuitus, quàm quotidianus, cum æqualis sit humorum portio, & quilibet proprium circuitum petat. Tertiò, quia maior aptitudo in bile ratione pituitæ permistæ vt quolibet die repetat, planè docet resistentiam ad concipiendam putredinem, vt nisi per tertios repetat, esse naturaliter superabilem ab alia causa. Vnde non implicabit sine pituitæ admistione ab

E alio agente vinci, & quolibet die posse repetere, etiamsi non sit admista pituita, quia si impetuosius fluat bilis sola ad focum, ab obstructione maiore resultabit agens, quod eodem die repetitiones causet : nam si ob maiorem obstructionem causatam ab humore bilioso quando cum pituitoso miscetur, resultat agens putredinale quod quotidie repetentias causet, sic si fluat humor biliosus in maiori copia seorsim, aut focus sit nimis obstructus ex se, dabitur sufficiens occasio ad quotidianam repetitionem : & è contra, si pituitæ non detur sufficiens obstructio vt quotidie resultet agens putredinale, repetat per longiora interualla. Quæ omnia mihi videntur certissima in philosophia.

Absque fundamento etiam docent, quod quando duo

duo humores æqualiter miscentur ad faciendam febrem quotidie repetentem, possit dici aut tertiana, aut quotidiana, si bilis, & pituitæ mistio sit æqualis, est enim apertè contra Galenum, & communem Medicorum consensum, quod tertiana dicatur quia ex bile oriatur, aut quotidiana, quia ex pituita. Sed potius tales denominationes sumuntur à die repetitionis, ita vt tertiana dicatur, & quia repetit, & quia per tertios dies, & sic de reliquis circuitibus. Et constat planè, quia Hippocrates, & omnes Medici quintanas, sextanas, & nonanas febres admittunt, cùm tamen fiant ex eisdem succis à quibus quartanæ, & quotidianæ. Et confirmatur, quia alioqui febris continens ex bile si detur, foret appellanda tertiana, cùm sit contra rationem & communem Medicorum doctrinam, & continentem ipsam appellent, quia accessionibus caret, ergo à die repetitionis tertiana, aut quotidiana nominatur, ab humore verò bilioso, aut melancholico, vt de sextana concedunt omnes, & septimana etiam. Et contra adductum placitum stat fortissima ratio, quia alioqui tertiana notha ex æquali quantitate bilis, & pituitæ, non esset vnica febris, sed composita ex quotidiana, & tertiana, quod est chimæricum.

Solum contra nostram sententiam stat Auicennæ authoritas in *hoc cap.* dicentis: *Et fit cum putredine choleræ rubeæ, grossæ substantiæ propter commixtionem choleræ cum phlegmate, commixtione aliqua complexionali naturali vnita.* Quibus clarè docet, bilis & pituitæ mixtionem esse complexionalem naturalem, vnitam, & per consequens ideo pituitam per tertios repetere cum bile, quia temperiem bilis acquisiuit. Respondetur tamen, quod appellatur commistio complexionalis naturalis vnita, quia ita hi duo humores inter se commiscentur, vt moueantur simul, & vnus ab alio separari nequeat, vt quando simplicia miscentur, & velut fermentantur ad formandam compositionem aliquam; & cùm negari non posset, quod duo contraria inuicem bene permista, se etiam ad inuicem alterent, & ad vnam mediam temperiem reducantur, ideo dixit esse mistionem illam complexionalem naturalem, quia à natura ita constitutum est, vt duo contraria permista mutuò se contemperent. Constat verò contra Magistrum, quod si æqualis sit mixtio, non sit ratio maior cur pituita in bilis temperiem reducatur, quàm bilis in pituitæ naturam: & multò minus si pituita bilem excedat, vt in tertianis nothis sæpe contingit.

SECTIO II.

De diuisione tertianæ in simplicem, & duplicem.

VT diuiditur Tertiana in exquisitam, & notham, sic in simplicem, & duplicem. Simplex dicitur quando intra tres dies sola vnica accessio reperitur: Duplex verò, quando intra eosdem dies duplex accessio infestat. Bifariam autem contingit hæc duplex accessio, aut quia quolibet tertio die duplex accessio molestet, aut quia in quolibet die suadetur accessio. Quomodo verò à quotidiana distinguenda si quolibet die repetit, non est ita facile, præsertim in nostra opinione: dicemus verò inferius: in accessionibus verò per tertium diem ei correspondentibus, aut in hora inuasionis, aut si in eo non discrepent, differant tamen in accidentibus, facillimum est à quotidiana distinguere, & non ignorare quod sit duplex tertiana; si verò eueniat quod eadem inuaserint hora, & non detur accidens aliquod particulare, quo differant per dies tertios, est res difficilis inferius exponenda.

Est verò inter Medicos controuersia, si sit idem laborare duplici tertiana, & habere duas tertianas. In-

A fructuosa quidem disputatio, & in Galeni doctrina satis nota, nunquam enim aliud putauit esse duplicem tertianam, & aliud duas tertianas, sed idem sonare, & significare, estque quæstio de nomine, cuius decisionem parui semper habuit Galenus, & rigorosè vituperat. Vtitur itaque Galenus nomine duplicis tertianæ, & duarum tertianarum indifferenter, vt constat ex *lib. 20. de differentiis febrium, cap. 10.* & duarum tertianarum mentionem fecit *2. de Crisibus, cap 20.* dicendo: *Velut in ea febre quæ tertiana nominatur, non hoc tantum aduertas, si tertio quoque die fiant accessiones in febris quietem desinentes; nam si duæ tertianæ fierent, aut duæ quartanæ, duæ quidem tertianæ quolibet die, per tertium autem duæ quartanæ exacerbantur, quare vel duas tertianas vnam putabis quotidianam, vel* B *duas quartanas vnam tertianam.* Ex quo loco perspicuè deducitur contra Amatum Lusitanum Galeno apertè refragari, dum putat non esse dicendas duas tertianas, nisi quando quolibet tertio die duæ accessiones infestant; contrarium enim apertè docet Galenus verbis adductis. Capibacius verò *libro 6. cap. 22. tractat. de tertiana intermittente exquisita* sic loquitur; *duæ vocantur tertianæ dum ab vno foco vno die, ab alio alio, die prodit materia: duplex autem vocatur febris, si materia à duplici loco eodem die prodeat.* Primum videtur desumpsisse ex Galeno *ad eos qui de typis scripserunt, cap. 4.* dicente: *Ac subinde in ægrotantibus vidimus Medicos duarum tertianarum implexum quotidianam vnam esse autumantes*; cuius rei non adduxit rationem, sed legislatoris C more loquitur. Sit ergo certum, duplicem tertianam, & duas tertianas idem apud Galenum significare, & contingere posse, aut quia quolibet die accessio repetat, aut quia tertiò quoque die duæ accessiones molestent. Galenus *lib. de typis, cap. 20.* insinuare videtur opinionem Amati. Verba sunt: *Ex similibus quidem genere, cùm quotidianus typus (exempli gratia) simplex, duplici quotidiano commiscetur, aut tertianus duplices, aut duo tertiani concurrunt.*

Sed certè putandum est, in eadem significatione vtrumque sumpsisse, si verò rigorosè loqui velimus, duplex tertiana dicenda est quando ab eodem loco vterque circuitus causatur: tunc enim propriè dicitur duplicata tertiana, duæ verò erunt, quando duo foci in- D uenientur distincti omnino, sicut duo homines distincti non dicuntur in rigore duplicati, sed duo. Duplex verò homo diceretur si duplicata essent membra, & simili forma, vnicaque informarentur. Sed de quæstione inutili hactenus dixisse sufficiat: est verò magna difficultas si positus casus sit possibilis, nimirum quod ab eodem foco possit duplicari tertiana.

Et respondeo affirmatiuè, quod vt intelligatur notabis, in omni febre per accessiones repetente posse considerari tres species: primam quæ humorem antecedentem materiam febris generat, secundam, in qua genitus humor accumulatur, non enim semper manet in parte à qua generatur: tertiam, in quam mittitur, quando accessionem faciat, quod sic explicatur: E dixit Galenus *1. ad Glauconem*, rarò dari tertianam sine læsione iecoris, quartanam sine læsione lienis, quotidianam sine læsione ventriculi. Quæ doctrina est vera vt in plurimum de parte prima, de ea nimirum quæ generat materiam antecedentem, aut causa est copiæ illius materiæ; iecur enim facilè labitur in calidam distemperiem, & ita bilis copiam producens, & sanguinem calidorem, febri tertianæ materiam præstat, ventriculus verò è contra infrigidatur facilè, quia omnia crudissima, & à nobis magis distantia suscipit, & cum illis duellum committit, quo fit vt nimis repatiatur, & calor eius extinguatur, lien verò materiam melancholiam non creat, sed eam à sanguine expurgare tenetur. Vnde quando afficitur, aut obstruitur,

diminutè, aut ablatè læditur, & secretionem melancholiæ non faciens, abundat intra vasa, & quartanæ fit author; siccus ergo cuius à ventriculo, & calidus à iecore genitus, distribui possunt ad vasa, & sic non manent in loco suæ generationis, sed in alio accumulantur, vt sit occasio febris: est verò occasio copia maior, à qua & grauitas molestans, & initium putredinis datur ob ventilationis defectum, & irritata vasa ad aliud membrum reiiciunt, in quo firmatur humor, & inculcatus putrescit, & generat febrem. Est verò probabilius intra vasa esse aliquam partem, quæ determinatè plus afficiatur, & grauetur, à qua expellatur in debiliorem partem humoris accessionem facturi. Vnde in circuitibus ottis quòd pars aliqua mittat in debilem, duplex focus à Medicis admittitur, primus est pars quæ mittit; secundus est pars, in qua recipitur ibi manens toto tempore accessionis donec resoluatur.

Hoc supposito, probatur conclusio de foco in quo humor reiicitur vt accessio causetur; nam tertiana exquisita, vt Galenus docuit, non transgreditur spatium duodecim horarum, & sequentius est ante illud febrem omnino deficere; ergo si transacta prima accessione mittatur de nouo alia portio humoris in eundem focum, sequetur noua accessio, & hoc tantò melius, quantò immediatius transactæ accessioni mittatur, quia manebit non dubiè focus plus incensus, & magis incinetatus, & obstructus: ergo non cadit sub dubio ab eodem numero foco recipiente, posse creari duplicem repetitionem non solum diuersis diebus, sed quolibet die: de parte verò mittente probatur, quia expulsio humoris dependet aut ex quantitate, aut qualitate irritante, & quod frequentius est, ex vtrisque simul; non est verò implicatio aliqua quod quolibet die moueatur, aut trahatur ad eam partem tanta humoris copia, cum conditione irritante quod accessionem causet, eo quòd mittat in focum determinatũ: nec minus est possibile quod distemperies partis mittentis sit tanta, & tam valida, quod præter naturam disponat quolibet die copiam sufficientem, vt molestetur, & eam ad focum reiiciat: ex nullo ergo principio probabilis repugnantia suadetur, vt fieri nequeat ab eadem parte mittente, & ab eodem foco duplex tertiana.

Quam conclusionem confirmant etiam rationes omnes, quibus ostendimus quemlibet humorem posse quouis modo repetere: & efficaciter suadebatur non solùm ex tertiana, & quotidiana notha, sed etiam ex pleuritide biliosa, in qua eius causa statim ac mouetur in pleuram, putredinem concipit, & febrem satis magnam inducit; constat verò eodem modo putrefieri posse in foco, & tam breuiter, si in simili copia mittatur: posse verò mitti indubitatum est, nam ipsum locum inflammatum vt focum febris pleuritidis Galenus recensei. Vt ergo in illum mittitur humor continuè, & quolibet die, ita in focum febrilis accessionis, quippe si humor extra vasa inflammãs deti neretur in vasis minoribus, & capillaribus, febrem produceret sine affectu inflammatorio: quod etiam confirmat febris maligna, in qua à quouis humore dependeat, tatò non haber quolibet die accessionem.

Sed dices, si febris biliosa habeat quotidie suam accessionem, non dicetur duplex tertiana, sed quotidiana. Patet, quia quotidie repetit, & iu nostra opinione ab eodem foco, non ergo est vnde dicatur tertiana, sed quotidiana. Respondeo quod si accessiones cuiuslibet diei sibi correspondeant per tertios dies, ita vt secundus non sit similis cum primo & tertio, sed cum quarto, & primus, & tertius similiter sint, tunc planè constabit non esse eundem focum cum vnitate partis transmittentis, & ita erunt duæ tertianæ, non enim videtur rationi consonum, quod si sit eadem pars transmittens, & eadem recipiens, denturaccidentia diuersa per tertios dies sibi correspondentia, & similia, sed omnes repetitiones eiusdem naturæ apparebunt, tuneque (vt dixi) duæ existent tertianæ, quia quælibet pars mittens per tertius reiicit,

A & recipiens suscipit, facitque accessionem tertianæ.

Si verò eadem pars mittat, & recipiens etiam sit eadem, mihi videtur esse dicendam quotidianam biliosam, quia quotidie repetit, & bilis mouetur. Quod dico intelligendum esse quando ab eodem foco & eadem parte mittente creantur: ne tamen intelligatis id esse perpetuum, quia non implicat quod duæ partes mittentes sint quoque tertio die, & quælibet mittere poterit eadem hora, & similibus omnino accidentibus infestare, quòd humor sit eiusdem naturæ, & pars in quam mittitur sit eadem, aut non habeat diuersa accidentia, quibus distinguatur, eritque tertiana vera duplex, licet distingui non possint per accidentia sensibilia; est tamen casus rarus. Quando tamen duæ accessiones per tertios dies assimilantur, putandum est aut esse diuersas partes, in

B quas humor truditur, quamuis eadem mittens, aut econtra diuersæ sint mittentes, etsi eadem sit quæ recipit, indoctus tamen erit Medicus si biliosa quotidiana à quotidiana pituitosa distinguere nesciat; quid enim facilius in arte est, si accidentia consideretur vniuscuiusque humoris debita, & inde ratione summa notauit Princeps etate, qui febres per dies repetitionis vocantur, quod ante illum Galenus notauit *1. de crisibus*. Sed difficilia quæ ex dictis possunt inferri, *cap. de compositu febribus* elucidabunt, de quo Princeps egit *fen. 1. 4. tract. 4. cap 22.*

C

CAPVT XXXVI.

De Tertiana absolutè.

Galenus per prima capita *lib. 2. de crisibus*, totus est circa explicationem & exercitationem in febribus simplicibus, ad amussim, & exquisitè cuiusque febris simplicem naturam exponendo, duo magni momenti ex eius doctrina eliciendo. Primum, quod possibile sit statim in primo febris insultu, & prima accessione naturam febris incipientis venari, vt victus ratio constitutioni febris idonea impetetur, & mirabilis Vulgo Medicus appareat, ex prima accessione febrem incipientis præsagiendo. Secundum nec minoris lucri est, exquisitè complicitas febres agnoscere, quod euenire nequit, si febrium simplicium integra cog-

D nitio non fit, eandem methodum Princeps noster æmulatus, febrium simplicium naturas diligentissimè exponit, & post de Compositione & complicatione febrium sermonem instituit.

Dicit primò *Paroxysmus tertianæ incipit in primis cum horripilatione, & punctura acus, deinde infrigidat, & incipit facere rigorem difficilem valde, difficiliorem reliquis rigoribus, non frigidum, aut cum pauco frigore.* Est hæc doctrina expressa Galeni *20. de Crisibus, cap. 3.* dicendo, *atque ideo vehemens fit rigor, &c.* Ratio est, quia ad vehementiam rigoris ex parte humoris duo maximè cooperantur, & materiæ acrimonia, & agilitas, quæ in bile putrida dantur præ cæteris succis, causaque tam vehementum rigorem, quia partes sentientes acriter mordet, & velocissimè per eas mouetur ob eius te-

E nuitatem, de quo *tract. de rigore* latè egimus. Quod verò dicit author esse rigorem tertianæ difficiliorem reliquis, non dicit quia sit longior, sed quia vehementior, & molestissimus, ob violentam & impetuosam concussionem partium ad trudendam causam ita molestantem, & velociter per illas delatam; non enim potest dubitari quod rigor quartanæ, & tertianæ nothæ sit plerunque molestior, quia longior, quod insinuauit inferius dicendo: *Et hic rigor cum vehementia sua est velocis sedationis, tã vehemens tamẽ vt in tertiana exquisita nõ datur.* Est ergo vehementia rigoris distinctiua febris tertianæ à quauis alia cæteris paribus, non tamẽ quod prius horreãt ægroti, deinde rigeant, hoc enim commune est omnibus febribus

cum

cum rigore inuadentibus, quia semper incipit disseminatio humoris per partes sentientes in minuri copia, aut substantia flatuosa ea humoris commotione prius eleuatur, à qua horror fit, deinde rigor maior molestat.

Dicit vlterius, quod rigor non sit frigidus, sed cum pauco frigore, non quia retrocessus caloris ad intra maior non sit in tertiana, & per consequens occasio maioris frigiditatis externæ; verum quia bilis mota per corporis ambitum est reliquis succis calidior, ideo obstat productioni frigoris ab initio principio plusquam reliqui humores: quod verò fiat cum punctura acus, pendet ex humoris biliosi tenuitate, & siccitate qua friabilis fit, & inde per minima diuisus pungit vt acus, eodē modo vt in vlcerosa lassitudine pungere consueuit, estque signum magnum ad ostensionem humoris biliosi extrauasati per minima.

Cur verò rigor tertianæ sit facilis, seu velocis sedationis, dicit Gentilis, quia materia est subtilis, & apta vt extra moueatur: quam doctrinam Magister noster non recepit, quia rigor non cessat quia materia eius resoluatur, sed quia accumulatur in certo loco debili, à quo concussio non fit, & ibi accessionem causat. Quæ impugnatio non traditur iuxta omnem opinantis modum, & ita non est sufficiens, nam qui putauerit (vt cum Mercato multi) materiam rigoris non esse materiam febris, satis idoneè cum Gentile loquetur; si verò eandem esse putet rigoris, & febris materiam, velocius sedabitur rigor tertianæ, quia velocius ad focum impellitur, quia tenuior, & quia molestior.

Dicit Princeps, quod rigor tertianæ sit in diebus primis fortior, & vehementior: in quartana est è contrario, de quo dicemus *cap. de quartana.*

Secundum signum ex sudore adducit dicendo. *Et sudor multiplicatur in tertiana cum dimittit,* idest in fine accessionis, quod experimento constat, & docuit Galenus 20 *de Crisibus, cap 3. & 2. de differentiis febrium cap. 3.* Contingit sudor, quia attenuatus humor in vapores mutatur, qui verò acutè frigidiore alterantur, & concrescentes, densioresque facti mutantur in aquam, nec obstat quod bilis tertianæ sit calida, & sicca, à qua exhalatio, aut fumus, non vapor suscitetur, exhalatio verò, aut fumus non est aquæ materia, sed alterius mixti ob nimiam siccitatem aquæ naturæ repugnantem; non inquam obstat, quia si putredine causat febrem, debet præter naturam humectari in communi doctrina. Solum videtur dubium, si vsta tertianam creet, in quo casu necesse est quod humida esse non possit, sed siccat nihil enim vritur à prædominio humidum, vt constat experimento, idest non est humidum à prædominio quando vstionem factam sortitur, & facit febrem, & ita qui arbitratur bilem esse actu à prædominio humidam, siccam verò in potentia, non soluet dubium de vstione propositum, quicquid dicat Magister noster super hoc caput. Putandum ergo est, quod si accessio sudore finiatur, sit serum à quo diluta & humectata bilis possit in vapores mutari, & per sudorem emitti; nam cùm serum sit quid diuersum à substantia humoris, rectè humor vstionem patietur quando serum consumptum non est. Vnde si totum serum consumptum sit, nullatenus accessio sudore finietur, cuius sit materia ipse humor, sed aliud diuersum. Sunt etiam multa sicca, & calida in formam aquæ mutabilia, vt aqua vitæ, gentianæ, & argentariorum; putandum itaque est, res vstas, ab aliis substantiis humectatas in vapores mutari posse, & per concretionem in aquam, quod 2. *de Crisibus, cap. 3.* Galenus docuit in tertiana post aquæ potum inueniri, non distinguendo si bilis vsta, aut putrida erat.

Dicit deinde; *Et fit in ea vrina rubea tendens ad igneam, in qua non est multa grossitudo.* Ratio est, quia incendium bilis multam copiam seri absumit, & bilis maior portio cum lotio descendit, quæ duo calorem naturalem intendunt, & apparet vrina rubea, hoc est, crocea

A vt dicit Iacobus, & tendit ad igneam; nequit tamen esse crassitiei insignis, quia tenuitas bilis obstat crassitiei immodicæ.

Contra quam doctrinam stat Galeni locus difficilis, 2. *de Crisibus, cap. 3.* dicentis: *Si vero ipso ægroto mingente, vrina subfulua, vel subflaua, & crassitudine mediocris apparet*; ac paulo post: *vel albam nebulam, vel suspensionem innatantem optimam fecerit,* &c. Quibus verbis naturalissimam vrinam depingit ad ostensionem tertianæ exquisitæ, quod videtur esse contra eius doctrinam crudam vrinam tanquam signum febrium putridarum maximè proprium referens 1. *de differentiis febrium, cap. 10.* vbi docuit, quod vrinæ cruditas, & obscura coctio simul sumptæ, sunt penitus inseparabilia à principiis febrium putridarum: repugnabit ergo B quod in principio febris tertianæ sit vrina subfulua, aut subflaua, & mediocris crassitudinis cum alba nebula, aut optima suspensione innatante, quia hæc signa sunt naturalis vrinæ, & constat ex eius doctrina *cap. 12. lib. 1. de Crisibus,* vbi notas vrinæ corporis temperati referens, dicit: *Quæ quidem optimè cocta, in iis qui supremum sanitatis obtinent gradum, considerare oportet, talis enim est subrussa, & subflaua, magisque subrussa quam subflaua, statim verò, & hæc mediocrem crassitiem habet,* &c. Nec obstat si dicas vrinam relatam *lib. 2. de Crisibus* non esse coctam perfectè, quia solùm nebulam, aut suspensionem bonam admittit, hæ verò manifestam coctionem, non tamen perfectam ostendunt. Sed contra est, quia iam nec vrinæ cruditas, nec coctio obscura à Galeno C admittitur in principio febris tertianæ, quod est contra ipsum, tum etiam quia in morbis biliosis, nebulam solam sufficere ad perfectam coctionem ipse docuit. Verùm quod *eodem cap. 21. de Crisibus,* scriptum reliquit, omnem captum superat: Dicit enim: *Inter omnes autem tertianas, illa simplicissima est, quæ cum omnia illa nuper à me dicta exquisitæ tertianæ signa commonstrauerit, in vrinis etiam subsidentiam albam, & lenem, & æqualem statim in primo fecerit die*; Quibus clarè admittit in primo die signa coctionis perfectæ.

Sed hæc non videntur pugnantia, aliud etiam est primas vrinas febrium putridarum, debere esse obscurè coctas, aut crudas, aliud verò quod in primo die febris coctæ apparere possint: non enim est idem vt constat, cùm eodē die plures esse possint, & primæ cru- D dæ, aut obscuræ coctionis, posteriores verò optimè coctæ; nam quod eodem die coctio prima vrinarum apparere possit, Galenus docuit 1. *de Crisibus cap. 16 & c. 17.* Sic loquitur. *Quomodo igitur in primo die febris in statu consistere cognoscetur?* & respondet. *Quomodo aliter quam si statim habuerit signa coctionis?* Sed dices, esse in primo die coctas vrinas, non est magis debitum tertianæ quàm aliis febribus. Malè ergo dixit Galenus, ex tali coctione esse venandam exquisitam tertianam. Benè dicis? Verùm nulli magis quàm febri tertianæ id conuenit, quod breuissimè iudicetur, & tenuior sit materia, & longiorem intermissionem præ aliis sui generis habeat, & minus per consequens laboret natura, vt in primo die coctionem ostendere possit

E Dicit rursus: *Et tertiana caliditas est saluior caliditate causonidis, & quantò prolixius manus tangit corpus, non additur inflammatio, imo quandoque minuitur, & in causonide additur inflammatio: causus est febris ardens, & continua, putrescitque in illo bilis in partibus inferentibus noxam maiorem. Vnde triplici ratione est febris tertiana intermittens saluior, & quia remissior, & quia intermittens, & quia minus offenditur cor, quia longius: ab eo causa putrefit, quod est verum vt in plurimum, nam sæpe tertiana intermittens lethalior est, quia in accessionum initio mittitur bilis in cordis ventriculos, aut vasa cordi proxima, aut in os ventriculi, aut in cerebrum, & citius, ac molestius necat quam causus.*

Ratio verò cur ad manus applicationem caliditas minuatur, hoc est, sentiatur minor quantò prolixius ma-

nus applicata detineatur, est quia fuligo in tertiana exquisita est prope cutem. Vnde facilè (inquit Magister noster) resoluitur, & exhalat; causone verò non ita, eo quòd maxima pars intra venas, & arterias remanet. Quæ duo videntur difficilia, quia si fuligo tertianæ abundat plus iuxta partes externas, magis applicabitur tactui, & per consequens plus alterat: tum etiam quia per manus compressionem pori occluduntur, & inde non redditur pars tacta perspirabilior si verè comprimitur. Vlterius, quia si causa febris ardentis inclusa manet, distat magis à tactu, & minus mordax sentietur: accedit quod Hippocrates 6. *epid. sect.* 1. febribus biliosis in communi dixit conuenire, quod à manu vincantur. Verba sunt: *Febres aliæ mordaces manui, aliæ autem mites, aliæ non mordaces quidem, sed postea insurgentes, aliæ acutæ quidem, sed imminutæ à manu, &c.* Constat verò iis vltimis verbis aliud intelligi non posse quàm febrium biliosarum naturam, hæ enim solum sunt acutæ, hoc est celeriter tactui occurrentes, & breuissimè inducentes calorem, quas tamen dixit à manu vinci: ergo etiam causoni hoc idem conueniet, & lege contrariorum id suadetur: nam per febres non mordaces, sed postea insurgentes, pituitosæ intelliguntur; ergo biliosæ cùm sint suo modo oppositæ in accidentibus, erunt statim mordaces, & postea vincentur.

Mihi videtur probabilius victoriam in biliosa tertiana intermittente pendere magis ex alteratione contraria & repulsu fuliginum ad alias partes per manus applicationem: nam cùm copia fuliginum sit minor multò quàm in causone, & non sit tam copiosè partibus applicata, & alteratione eadem plus remittitur calor, & impulsu facilius repelluntur: in causone verò in magna copia interius & extra est, & inflammatio est intensissima, vnde minus remittitur, & quia corpus obstructum vndique est fuliginum copia, non ita facilè repelluntur, quia minus via patet, nec libera est, quo fit, vt aliæ accedant de nouo, & tactum vrant. Sentioque potius per manus applicationem ventilationem impediri, quia & cutis infrigidatur, & impulsu pori comprimuntur, & minus arteriæ dilatantur, improbabiléque iudico tam celeriter humiditatem produci posse à manu tangentis quod laxetur cutis, & exhalet fuligo, præsertim cùm sit necessaria productio non solùm humiditatis, sed etiam nouæ raritatis, & modi substantiæ, vt corpus fiat perspirabilius, cui effectui vel ipsa manus applicatio manifestè repugnat, vt operis celeritati remissa, & inefficax humiditatis actiuitas, cùm contrarium sit si agere possunt.

Ne tamen intelligas esse perpetuò verum quod de causone docuit Auicenna, sæpe enim tam malignus est, quod vrat interna refrigerando cutem, vt Galenus notauit 4. *aphor. com.* 47. at verò 2. *de Crisibus*, *cap.* 5. de hoc signo loquendo dixit: *Et si manum imposueris in primo occursu sit calor multus atque acris, quique veluti quodam cum vapore effertur, paulò à manu superatur, non vt in febribus malignis adurentibus accidit, contra enim illa grauiores, ac molestiores, quantò diutius perdurant, apparent*; hoc enim intelligendum est de febribus adurentibus, quarum malignitas non est tanta quod intra calorem reuocando extrema sint algida.

Dicit rursus; *Et accidentia quæ accidunt eis in tertiana sunt vigiliæ sine grauitate in capite, nisi in quibusdam non puris, & sitis, & furor, & ira, & odium loquutionis.* Vigilia, sitis, furor, & ira, ex calida & sicca distemperies oriuntur, caput verò graue non est, quia fuligo ex bile eleuata tenuissima, leuissimaque est, vt impellat potius sursum quàm grauet. Vnde, si grauitas cerebri in tertiana exquisita molestet, aliud principium erit, nimirum liquatio succorum crudorum, aut quod calor febris secum vehat aliquid grauans cerebrum: vt feruorem in sanguine crasso & pituitoso causando, copiam crassiorum vaporum eleuare solet, & ex accidenti dolorem grauantem inferre: quod etiam facit quando

A tertiana non est exquisita, quia alium succum crassum adiunctum habet. Odium locutionis bifariam potest intelligi, aut quod propriam loquelam abominetur, aut aliorum: & vtrumque est verum, sed multò magis propriam, quia & per sonum eodem modo lædit vt aliena, & præter hoc fatigatur, & exsiccatur, sitisque augetur: Cur verò sonus iam molestus sit, dicit Gentilis, quem etiam Magister sequitur, quia est organum auditus expurgatissimum, vnde à leui suno molestatur, quæ ratio non est vniuersalis, cùm multi febricitent pessimi in quibus nullum sit excrementum a febre absumendum. Putandum ergo est, distemperiem calidam, & siccam neruorum aptissimam esse ad optimam sensationem, & sic perfectius audire febrientes, vt moderatus sonus sit vehemens respectu ipsorum, & inde molestus; & *in fine capitis* idem repetit author dicendo; *Et habentibus quidem tertianam accidunt vigiliæ, & amor*
B *solitudinis.*

Signa ex pulsu tradit dicendo; *Et est pulsus eius acutus, velox per comparationem ad reliquas febres, & non æqualis constrictionis, & dilatationis quoniam humor debilitat eum, & addit ei diuersitatem apud statum.* In nulla febre intermittentium datur pulsus acutior; hoc est crebrior, & velocior, quàm in tertiana exquisita, quia cùm sint illæ differentiæ familiares aucto vsui, & in nulla detur tam auctus, excedit reliquas in dictis differentiis: & idem dicendum est de magnitudine, quatenus agitur ex parte vsus, cum prius hæc differentia ponatur, vbi constat facultas; constare verò Galenus docuit *lib.* 1.
C *ad Glauconem, cap.* 5. dicendo: *Pulsus verò magni, & calidi, vehementes, celeres, ac frequentes.* Quod autem non sit æqualis constrictio dilatationi, aut econtra, pendet ex vsus variatione tam propria febribus putridis; abundant enim fuliginea, & calor præter naturam, hic dilatationem, illæ compressionem variat, & vt excedit fuligo calorem, fit inæqualis constrictio & maior, si calor excedat fuligines, contrà: certum tamen est corpora fuliginosa magnam vim habere ad pulsus inæqualitatem in omni febre putrida, & hoc insinuauit author dicendo; *quoniam humor debilitat eum, & addit ei diuersitatem apud statum*: per *debilitare* intelligendum est *aggrauare*, quia hæc debilitas est quæ inæqualitatem pulsus molitur vitiando instrumentum.

D Sed tunc insurgit magnum dubium, quâ ratione verum esse possit quod talis inæqualitas addatur apud statum, cùm vitium instrumenti sit minus, eo quòd ante statum plus abundabat, & molestabat fuligo propria corporatura; in statu verò minus abundat, & extenuata nimis est, & inflammata magis, ac per consequens minus grauat arterias: non ergo potest inæqualitatem seu diuersitatem addere apud statum.

Si placita authorum essent referenda circa huius textus explicationem, tempus frustra contereretur; inter expositiones verò probabiliores, prima est, quod loquatur Auicenna, non de inæqualitate orta ex arteriarum grauitate, & vitio instrumenti, sed de inæqualitate orta ex pugna naturæ, quæ maior fit in vigore, quia
E tunc & corpus inflammatur nimis, & molestatur natura incendio, & acrimonia, quæ dilatatione moderari tentat, & sic impetuosè dilatare contendit; quia verò ex summo incendio debilis manet, ob nimiam spirituum resolutionem, iactationem, & anxietatem temporum præcedentium, ideo non potest non esse nouum pondus auctum in vigore, non quia opprimatur à fuliginibus, sed quia ad portionem debilitatis inductæ crescit pondus in ordine ad illam, & ita conando vt potest facultas, varias motiones, & diuersissimas causat, quia debilitas variè etiam inducitur, & mutatur ob spirituum facilem & variam resolutioné, & hæc fuit sententia Gentilis. Iacobus insinuat, quod in omnibus temporibus accessionis dilatatio est minor cópressione, quia etsi ex parte caloris in vigore non deberet ita contingere, tamen quia facultas debilis

debilis est obiecta, & dilatatio requirit virtutem fortiorem, ideo non fit maior compressione, sed econtra. Quæ solutio videtur mihi improbabilis, quia non admitto talem debilitatem in tertiana, eamque negat Galenus: & Serapio *proprio cap.* dicit: *Et non est in pulsu diuersitas nisi diuersitas quæ appropriatur febri, quoniam non est illic materia quæ debilitet virtutem.* Ego hunc locum interpretor, quod illa verba, *& addit ei diuersitatem apud statum*, non sint quòd diuersitas, seu inæqualitas sit maior in statu quàm in duobus prioribus temporibus intensiuè, sed quòd detur per ipsum statum, vel quòd addat diuersitatem apud statum, excludendo statum, ita vt in tempore immediato statui (augmento scilicet) addatur illa inæqualitas, vt nunquam quàm in illo sit maior, vt Galenus docuit 2. *de differentiis febrium cap.* 3. de signis putredinis loquens. Itaque quia putredo aut fuligo nunquam est maior quàm in extremis partibus augmenti, ideo humor debilitans, hoc est grauans, addit inæqualitatem, id est facit maiorem quàm in alio tempore apud statum, in extremis scilicet partibus augmenti quæ statui copulantur.

Dicit deinde, *quod inæqualitas febrilis inuenitur in tertiana vt in omni alia febre putrida, est tamen minor.* Ratio est, quia minus grauantur arteriæ ob humoris tenuitatem, & paucitatem fuliginum, dicit tamen esse in pulsu duritiem, quod videtur esse contra rationem, nam nec datur inflammatio in tertiana, nec febris includit aliud præter calorem. Sed doctrina Auicennæ fuit desumpta ex Galeno *lib. de morb. temporibus, cap.* 3. & in aliis transtitionibus 4. dicente; *Pulsus eorum in hoc tempore durior, & minor quam prius euadit.* Loquebatur de principio accessionis: cur durus fiat, dicit Magister, pendere ex sicca distemperie, est enim bilis calida & sicca, siccitas verò pulsum indurat; quæ ratio mihi non probatur, quia maior durities in vigore, & declinatione daretur, quia plus exsiccatæ erunt arteriæ, & quia resolutio humiditatum partium maior facta est. Galenus verò dixit esse pulsum, & duriorem, & minorem quàm prius in illo tempore: ob id mihi venit duritiem illam à tensione pendere, replentur enim arteriæ tempore rigoris, & tenduntur per consequens, & ideo coniunxit Galenus duritiem cum paruitate, quia ex eodem principio oriuntur, & eodem tempore concurrunt; nec esset cur durities in principio à Galeno notaretur, si ex siccitate penderet, cùm in aliis temporibus similis, & maior occasio siccitatis includatur; pendet ergo ex principio à me allato, & per consequens in aliis temporibus deficiet, in declinatione præsertim, & vigore, præterquam quod opinio Magistri, Gentilis, & Iacobi, apertè fatetur omnem laborantem tertiana debere laborare siccitate morbosa, quod quàm falsum sit non eget probatione: quod vel eo manifestè constat, quia illud signum traditur ad cognitionem tertianæ, & inde in prima accessione inueniri debet. Est verò ridiculum quod in illa corpus sit aridum, ita vt durum pulsum efficiat. Magister dixit quod non semper datur durus pulsus, sed quòd aliquando reperiatur: insufficiens quidem solutio, cùm à Galeno expresè tradatur hoc signum ad significandum principium accessionis, & non aliud tempus, & ita duritiei occasio in illo debet dari peculiariter.

Dixit rursus, *quod pulsus est fortior in tertiana*, est verò intelligendum quàm in aliis intermittentibus: nam etsi intemperies illius maior multò sit quàm reliquarum, debilitas tamen non solùm oritur ex intemperie actuali febris, sed multò magis ex dispositione creatiua materiæ antecedentis, & ex obstructionum multitudine, quæ maiores sunt in aliis febribus, & antecedens intemperies aliarum febrium plus vitæ opponitur vt constat, & accessionum longitudo est etiam maior multo in aliis intermittentibus, & in nulla vsus augetur vt in tertiana, ob quem maiores fieri pulsus inexcusabile

A est, & per consequens fortiores, quia magnitudo maior sine nouo & maiori conatu apponi repugnat, vt maiori conatui non correspondere vehementia maior.

Deinde adducit author, quæ ad generationem tertianæ conducunt, & suo modo illam significare possunt, vt sunt ætas iuuenilis, consuetudo patiendi illam, & alicuius rei ad bilis copiam conducentis, regio calida, & sicca, & tempus eiusdem naturæ, & quod eo tempore magnus sit tertianarum prouentus, quæ facillima sunt, & eisdem quæcumque eiusdem naturæ comprehendenda sunt, vt retulit Galenus 2. *de Crisibus, c.* 3. & Rasis *cap. proprio.*

Dicit tandem: *Cum ergo componuntur duæ tertianæ sunt paroxysmi euenientes omni die.* Qui ergo considerat B tertianam per paroxysmum errat in ea, imo oportet vt attendantur significationes aliæ, quas diximus, quæ doctrina iam est explicata, & eam adduxit Galenus 2. *lib. de cris. cap.* 2. dicendo: *Veluti in ea febre quæ tertiana nominatur, non hoc tantum aduertas, si tertio quoque die fiunt accessiones quæ in quietem & sine febre remissionem desinant: nam si duæ tertianæ fierent, aut duæ quartanæ, duæ quidem tertianæ quolibet die, per tertium autem duæ quartanæ accenduntur; quare vel duas tertianas vnam putabis quotidianam, vel duas quartanas vnam tertianam: sed formam ipsam febrium te inspicere iubeo; nec enim insultibus accessionum similes sunt, nec ascensibus, nec statibus, nec remissionibus, nec in caloris qualitate, nec in motu arteriarum, nec iis quæ superueniunt accidentibus.* C Et alibi dixerat, febres agnoscendas esse non ex accessionibus, sed ex ipsarum febrium idea, non aliter ac homines ex propria forma dignoscimus.

In fine capitis notat Auicenna, quod in hac febre multoties sentitur ebullitio circa iecur. Ratio est, quia raro non est pars transmittens, & creans bilis abundantiam, & fuit doctrina Serapionis *cap. proprio*, ob quod Galenus docuit 1. *ad Glauconem*, dari tertianam absque iecoris læsione.

D

CAPVT XXXVII.

De differentia inter tertianam puram & non puram.

OMNIA anteacto capite relata accidentia sunt tertianæ puræ, hoc est exquisitæ, & quia datur etiam tertiana non pura, seu non exquisita, quæ etiam notha seu spuria dicitur, ideo quomodo sint distinguendæ, præsenti capite Princeps exponit; estque summè necessarium, quod magnum sit discrimen in earum medela, vt est in essentia.

Notato verò pro capitis intelligentia, quod tertiana dicitur pura seu exquisita aut legitima ob duo: & quia pendet à bile naturali, & quia non habet admixtio- E nem aliorum humorum, & per consequens bifariam spuria aut notha seu illigitima erit; nimirum aut quia à bile non naturali dependeat, aut quia etsi sit naturalis, coëat tamen cum alio humore ad accessionem tertianæ mouendam. Dixi quod sit exquisita si bilis naturalis eius sit author, non quia putem sine putredine febrem tertianam causari, sed quia putredo afficiat immediatè bilem naturalem, antequàm per aliam mutationem naturalitatem amiserit: scimus enim dari bilem æruginosam, porraceam, & vitellinam, antequam febrem creent; quæ cùm sint omnino præter naturam, si huic præternaturalitati putredo noua febrem accendens superueniat, erit non exquisita, nec simplicissima, sed perniciosa omnino, & summè periculosa; ergo quia putredo potest bilē & quemlibet alium succū immediatè afficere

antequam aliam præternaturalitatem acquisierit, ex hoc principio desumpserunt authores nomen exquisitæ tertianæ, aut quotidianæ, aut quartanæ, accuratissimè vt solent contemplantes signa quæ humoribus naturalibus immediatè affectis putredine propriissima sunt, vt quia si alius humor bili admisceatur, aut non sit bilis, ex naturalibus illa accidentia magnam variationem suscipiunt, ideo quia degenerat ab eis quæ bili naturali putrefactæ debentur, dicitur spuria, seu notha tertiana: & idem putandum est de omni alia febre, siue continua, siue intermittens sit. Galenus 4. *aphor. com.* 59. sic loquitur: *Exquisita igitur tertiana erit quæ suam naturam seruat puram, atque synceram: seruat autem vbi flauam bilem habet superabundantem, & motam.* Circa quod crassè errauit Baudetonius non agnoscens aliam rationem tertianæ nothæ nisi per admistionem duorum humorum: errat etiam quia à bile naturali non putat fieri exquisitam tertianam, sed ab excrementitia, *cap.* 12. *de febribus.*

Dicit ergo. *Tertiana pura est subtilis, lenis, cuius paroxysmus consumitur a quatuor horis vsque ad duodecim, & non addit super eas multum, & si addit ratione multa, tunc non est pura, & secundum plurimum perueniens ad septem horas.* Est doctrina ex Galeno desumpta 2. *de Crisibus,* c. 3. dicente: *Sed præter hæc omnia etiam ad infebricitationem desinit vniuersum accessionis tempus vltra duodecim horas non extendens; nam hoc tempus longissimum est veris tertianis, sæpius autem aliquando septem horas accessio continuat, nonnunquam citius, aut tardius, sed non multo finitur:* quod etiam retulit 2. *de differentiis febrium, c.* 3. & 4. *aphor. com.* 59 & 1. *ad Glauconem, cap.* 8. totam Auicennæ doctrinam adduxit dicendo: *Cuius accessionis tempus breue est, quatuor nimirum horarum, aut quinque, aut sex, aut quod longissimum est, vndecim, aut duodecim.*

Mirum tamen est, quod in nulla ætate & in nulla corporis dispositione, siue modum substantiæ, siue vires spectes, prædictum spatium transgrediatur: & quod magis est, quod nulla qualitas bili naturali competat, aut quod in nulla quantitate colligi potest, quando tertianæ est causa, vt eius occasione vltra horas duodecim extendatur: & ita putauit Gentilis *in com. huius cap.* quod durationis tertianæ non potest adduci ratio aliqua, sed quod breui tempore durat, est notum. Constat verò causam debere esse aptitudinē bilis, vt in fuligines vertatur, & totalem vstionem patiatur, quæ respectu cuiusvis corporis, & naturæ non potest vltra duodecim horarum spatium vstioni & resolutioni resistere, & inde miram esse variationem intra illud spatium, ita vt quædam tertiana solùm ad horas quatuor extendatur, quod spatium minimum omnium putat esse Gentilis, vt tota latitudo possibilitatis respectu naturæ humidæ intra duodecim horas includatur, nec hoc est magis peculiare tertianæ quàm diariæ exquisitæ vltra diem durare non posse, intra quem respectu minoris durationis mirè variat; & inde colligit Auicenna, quod si plurimum transgrediatur duratio tertianæ horas duodecim, iam non sit putanda exquisita, sed notha, quia ex bile crassiori oritur, quæ præternaturalis ante putredinem extiterit: inde colligitur cur secundum plurimum tertiana exquisita septem horis tantùm molestet, nam cùm medium seruare sit naturalissimum omnibus rebus, & à sex ad horas septem medium totius durationis contineatur, per hoc spatium vt plurimum, & frequentius molestant, quia excessus extremi, aut summam paruitatem, aut magnitudinem causæ requirunt, quæ vt plus distantes sic minus frequenter apparent in rebus.

Aliud discrimen adducit dicendo; *Et si taliter pura non addit supra septem periodos, cum non accidit error, & quandoque consumitur propter subtilitatem suæ materiæ in paroxysmo vno, in quo accidit vomitus aut ventris solutio mundificans.*

A Vt particularis accessio exquisitæ tertianæ vltra duodecim non extenditur, sic tota eius vniuersalis constitutio vltra septem periodos non durat, secus ac in nothis tertianis quotidie experimur, quæ & molestissimæ & longissimæ esse solent; quæ est etiam Galeni doctrina, & ante omnes ab Hippocrate adducta, 4. *aphor. text* 59. dicente; *Tertiana exquisita septenis circuitibus cùm longissima est, iudicatur.*

Cur verò amplius repetere nequeat, tam difficile est vt nullus ex authoribus quos legerim susus fuerit rationem adducere; & Argenterius difficultati succumbit, nec Galenus cur ità eueniat explicuit. Difficultatis ratio est, quia non implicat iecoris distemperiem magnum bilis prouentum creantem ita firmè durare, vt pro pluribus accessionibus materiam in dies generet; dixit
B enim Galenus, ratò dari tertianam sine iecoris detrimento. Inquiro cur intemperies eius nisi pro septem accessionibus materiam creabit, experimur enim quotidie iecoris calidam intemperiem per menses & annos durare: ergo si ab ea materia tertianæ suppeditatur, vt durat per tam magnum temporis spatium, cur non durabit etiam accessionum circuitio? Deinde si ob prauam victus rationem bilis generationi accommodatam maior eius copia intra vasa colligitur, vt eam ferens natura accessiones efficiat, cur ea copia colligi, accumularique nequit, vt non nisi pro septem periodis materiam præstet? Confugiunt omnes ad bilis tenuitatem ob quam facillimæ sit resolutionis, & ita breuiter terminari: quæ solutio insufficiens videtur, quia licet ad accessionis
C breuitatem plurimum conducat materiæ facilis resolutio, tamen vniuersali morbi constitutioni ea affectu determinato alicuius visceris oriundæ, quia vitium illud materiam præstat, non rectè accommodatur, cùm, vt dixi, per plures menses molestare possit intemperies illis nouam materiam in dies præbendo.

Ingenuè fateor huius rei rationem esse difficillimam, nec aliqua satis idonea hactenus à nobis inuenta est, præcipuè verò tradenda videtur ex proportione foci ad causam coquentem, nam bilis naturalis nullam extremam proprietatem participat, qua coctioni, & resolutioni nimiè resistat, & sic breui tempore à natura vincitur, vt maius sit tempus septem accessionum, quod non ita intelligendum est vt ad plures extendi nequeat. Quod idem Hippocrates docuit *in Coacis prænotionibus* dicen-
D do. *Tertiana exquisita quinque circuitibus, aut septem, vel quod longissimum est nouem iudicatur, com.* 20. *in lib.* 4. *text.* 44. Idem repetit *com.* 1. *eiusdem libri, text.* 43. & 6. *epid. sect.* 2. *tex.* 14. dicit, quæ dum vna die intermittunt, altera superrigent cum iudicatione, à quinto vsque ad septimum deducunt. In expositione verò loci *ex Coacis* putat Desiderius Iacotius, quod si ad nouem paroxysmos extenditur, est ob aliquod erratum, vt *in tex.* notauit noster Auicenna, aut quia densum sit corpus, aut tempus frigidum, aut virtus debilis, aut alia occasio, certum enim est accessionem tertianæ exquisitæ vehementissimam esse, & molestissimam, & naturā strenuè laborari à causæ acrimonia, vt sæpe in vigore accessionis ægri delirent, vnde tantam molestiam natura sustinere non potens, de-
E iectionibus, sudoribus, & vomitibus à tanta molestia liberari contendit, sicque breuissimè ipsam iudicat, vt aliquando (vt notat Auicenna *in hoc cap.*) in vnico paroxysmo finiatur omnino, quia in eo accidat vomitus, aut solutio ventris mundificans. Et Galenus 2. *de Crisibus, c.* 3. dixit humorem biliosum in tertiana impetu delationis per totum expurgari, vnde mihi mirum quod impetuosa deiectione à vomitibus violentis totum corpus concussum euacuet, non solùm quod accessionem facit, sed etiam id quod in foco continetur, & totam materiam antecedentem, & sic omnino cessare in prima accessione, siue cocta sit materia, siue non, quod præcipuè euenier quando vsta bilis fuerit, quia plus irritat, & coctio in vstione non ita confert vt in putredine.

Dicit

Dicit deinde; *Et apparet digestio in vrina in primo die, aut in tertio, aut in quarto, aut in septimo.* Hoc insinuauit Galen. 2. *de Crisibus, cap.* 3. dicendo: *si verò ipso agroto mingente, vrina subrufa, vel subflaua, & crassitudine mediocris apparet*; ac paulò post: *vel albam nebulam, vel suspensionem optimam feceris, iam non etiam lapis simpliciter fores, sed is qui molaris appellatur, si quidem hanc tertianam esse ignoraueris, & exquisitam tertianam, qua vltra quartum circuitum non progredietur.*

Sed est notandum, quod quando ait Auicenna quod etiam possunt apparere signa coctionis in septimo, non sit intelligendus septimus paroxysmus; nam cùm in illo finiatur fere semper, non poterant non apparuisse antea coctionis signa: est ergo intelligendus septimus dies, in quo quarta accessio celebratur: Galenus tamen potat 2. *de crisibus*, quod si intra primum circuitum suspensio aliqua, aut nebula non appareat, ad septem circuitus extendetur. Quod si intelligatur de primo circuitu, qui secundam repetitionem includit, mihi videtur falsum, nec est ratio probabilis huius præsagij, si verò per primum circuitum intelligatur circuitus dierum criticorum, cùm hic intra septem dies includatur, necesse est quod ad septem accessiones febris perueniat, si ante septimum diem coctionis signa non sint, quia putat Galenus tantum tempus requiri à prima apparitione coctionis manifestæ vt morbus finiatur, quantum à primo die morbi vsque ad diem in quo manifesta coctio apparuit. Sed hæc tam fallacia sunt, vt securè præsagium publicari non possit, & contra ipsum Galenum fiat manifesta ratio; nam si in primo die appareant signa coctionis manifestæ, dicit quod vltra quartum circuitum non extendetur tertiana: ergo illum potest attingere, ac per consequens plus temporis absumitur à die apparitionis manifestæ coctionis ad finem morbi, quàm à principio morbi ad diem manifestæ coctionis: nam iuxta eius doctrinam, tertiana quæ in primo die coctionis manifestæ signa præbuit, non debebat tertiam accessionem pertingere, sed in secunda finiri.

Subdit author; *quod si addit super septem periodos additione plurima, tunc est de genere non pura, & similiter si prolongatur spatium sui rigoris.* Ratio constat ex dictis, vbi notabitis, quod admittit in exquisita additionem aliquam, quod fuit iam traditum ex doctrina Hippocratis ad nouem paroxysmos extensionem admittentia: constat verò imperiti Medici esse, tot accessiones expectare ad distinctionem nothæ, & exquisitæ: quod verò rigor tertianæ exquisitæ simul cum vehementia sit breuis, iam diximus, in quibus deficit rigor nothæ; est enim diuturnior, sed minus vehemens, quia ex crassiori materia ob admistionem pituitæ, aut melancholiæ creatur, & quamuis bilis æruginosa, aut vitellina sint naturali mordaciores, sunt tamen crassiores, & sic minus vehementem rigorem efficiunt, quia minus mobiles.

Subdit: *Et est additio fixorum paroxysmorum, & antecessio eorum ad inuicem secundum ordinem seruantes proportiones similes, & in non pura est illud diuersum non retentum.*

Ita verbia docet, accessionem tertianæ quando augmentum suscipit, æqualiter & proportionaliter crescere, & inflammari materiam, quia est vniformis, & sic ad focum mouetur æqualiter, & in illo inflammatur vniformiter, quod in tertiana notha non euenit si ex permistione humorum fiat, quia non est materia illa æqualis, & vniformis, non solùm quia ex omnino diuersis humoribus in qualitatibus constat, sed etiam quia adhuc crassi humores, etsi soli, ad focum moueantur, vniformia naturæ non sunt, & ita experimur quotidie in tertiana nothia, quod postquam incrementum sensibile febris suscepit, subito decrescat, & noua oppressio pulsus appareat, quòd noua portio humoris ad focum

A accessit, quæ flammam inceptam deprimit & remittit, quod obstruat de nouo, non aliter quàm si ligna iam mediocriter accensa noua ligna iniicias; ad quem effectum non est necessarium quod materia ad focum transmissa sit difformis, sufficit enim quod crassa nimis sit, & lenta, vt non possit simul moueri, sed pars post partem; frequentius tamen est ob materiæ difformitatem euenire, cuius pars leuior, & tenuior prius succenditur, crassior verò post effumat, & pulsum coarctat, & deprimit ob copiam, & crassitiem fuliginum de nouo accensarum.

Subdit: *Et similiter quando assimilantur paroxysmi secundum terminum vnum, & reliqua signa elongationis febris, quæ sunt de illis, quæ ostendunt longitudinem morbi,*
B *& per consequens notham tertianam, cum exquisita (vt diximus.)* Est celebre signum diuturnitatis morbi, quod accessiones febriles eadem hora repetant, quod 4. *aphor. textu* 30. Hippocrates retulit dicendo: *Quibuscumque accessiones fiunt, quacumque hora febris dimiserit, si eadem cras occupauerit, iudicium habent difficile.* Rationem adduxit *in commento* Galenus, quod significet vniformis repetitio causæ firmitudinem, quando causa (inquit) accessionum non fuerit fixa ac stabilita, non seruare eundem terminum, aut circuitum; vbi verò firmata fuerit, seruare, atque ideo difficulter solubile quod fixum, ac stabilitum, facilè verò solubile quicquid non tale, firmata enim magnam vim demolientem exposcunt, quæ longo tempore & per fortiora ac plura auxilia fit.

C Est tamen dubitatione dignum, si mutatio cum ordine fit etiam præsagium aut signum longitudinis morbi: videtur enim similis ratio, sicut quando eadem hora fit repetitio, vt si secunda accessio anticipet horas tres, & tertia similiter, & sic reliquæ. Probatur, quia repetitio in eadem hora ideo arguit causam immutabilem quia cum ordine in eadem hora repetit, sed quando mutatur, si mutetur cum ordine, & infallibili vniformiter, arguit etiam firmitudinem in hora mutationis, & vniformitatem; ergo non minus erit talis infallibilis mutatio fortitudinis præsaga quàm quæ eadem hora sine anticipatione reperit. Probatur, quia licet mutetur, mutatur nihilominus cum infallibili & inconcussa firmitudine in ordine ad horam anticipationis, ac proinde tam immutabilia erit in ordine ad antici-
D pationem, & tam firma, sicut illa quæ eadem hora semper repetit. Et mihi quidem ita videtur, & in aliquibus obseruaui ita euenire, & ratio iam tradita est: constat verò rationem Galeni non solùm verificari in accessionibus febrium, sed in omni alio morbo cum determinato ordine repetente, reliqua verò longitudinem significantia, quæ si ita fopponit author, in fine adducentur, vbi quædam enumerat, edisceisque ex dictis, periculosius infirmari in acutis passionibus, quibus accessiones eadem hora repetunt, quia morbus acutus rarò non est mortalis si diuturnus fiat, hoc est si à causa firma creetur.

Subdit Auicenna: *Et cum vides principium cum rigore secundum quod terminamus, & statum cum sudore exsuperante, tunc non dubites quin ipsa sit pura.* Ratio est
E iam tradita, estque intelligenda sententia de sudore copioso, vt notat author, quia in hac sola febre cum illo rigore datur tam copiosus sudor, quia in nulla febre minus obstructum est corpus, nec tenuiori constat causa cum magno incendio ad sudorem cogente.

Dicit rursus; quod in tertiana notha datur magna capitis grauitas & extensio, hoc est propter tertianæ ex permixtione bilis, & pituitæ, feruor enim bilis ex humoribus eruda, & pituitosa copiam magnam flatuum crudorum eleuans, caput replet, & illud distendit, liquat etiam eruda quæ in cerebro sunt, & multitudo flatus non semper in formam eorum resoluitur; sed multi in aquam, & succum crudum mutantur, &

inde simul repletur, & distenditur cerebrum, vt non rarò videamus lethargicos & cataphoricos esse à principio accessionis vsque ad finem vigoris.

Dicit rursus: *Et prolongatur rigor donec peruenit ad vigintiquatuor horas, aut triginta horas vsque ad horam suam & non compescitur donec compleantur quadraginta octo horæ, & per quantitatem additionis paroxysmi super duodecim horas est eius elongatio a puritate.* Iis verbis traditur forma febrium quæ dicuntur subintrantes, sæpe enim tam longus efficitur paroxysmus, vt ad sensibilem infebricitationem æger non perueniat, quas febres diximus esse de natura, continuarum contra Vallesium, & communem fere consensum.

Ne tamen intelligatis id quod videntur insinuare verba textus, nempe quod prolongetur rigor ita vt duret vigintiquatuor horis, aut triginta, sed quod rigor in tertiana notha est aliquando tam extensus, quod accessio eius molestet per tam magnum spatium, quia tempora accessionis proportionati solent, rigor enim diuturnus aut debilem virtutem, aut succorum crassitiem, aut corpus nimis obstructum arguit, quæ conducunt ad accessionis longitudinem; suspicor hunc textum corruptum esse, & malè translatum, est enim impropriissimus modus loquendi, vnde aut loco rigoris erat dicendum accessio, aut alia vox scribenda quæ molestiam longam innueret, vt reliqua verba durationem molestiæ significant, & ita meritò Bellunensis loco rigoris, *paroxysmum* transtulit.

Dicit deinde, *quod in tertiana non pura traditur apparitio digestionis, & non apparet in forma offuscatio, neque extenuatio.* Si coctionis signa celeritatem iudicij significant, necesse est quod in longis tardissimè appareant, & cùm tertianna notha chronica esse soleat, tardè signa coctionis incipient: in eis verò, in quibus tarda coctio speranda, timendaque est, proponit vt signum diuturnitatis, quod non appareat in facie offuscatio, nec extenuatio. Non dicit quod non appareat in facie offuscatio, quia si appareret esset signum breuitatis morbi, sed per negationem nigredinis in facie, innuit quod sit albicans, & tumida, seu inflata: ita quidem longitudo febris significatur, quam antea 2. *aphor. textu* 28. præsagauerat Hippocrates dicendo, febricitantium non omnino leuiter corpus permanere, & nihil minui, vel etiam plusquam ratio postulat contabescere malum, illud enim morbi longitudinem, hoc verò imbecillitatem significat. Est notandum quod dicit *non omnino leuiter*, quia si leuissima esset febris, & corporis summa plenitudo, & tempus hyemale, mirum non esset tale corpus non extenuate, vt *in comment.* Galenus dicit: hæc verò exceptio in *nostro text.* necessaria non est, cum tertiana notha satis intensa sit febris, vt constet illa oblæsos non omnino leuiter febrire; ergo non extenuari cum febre non omnino leui, crassorum copia, plenitudo nimia, obstructiones multæ, & corpus densum cum robusta virtute sunt in causa, aut omnia, aut multa ex dictis inueniri necesse est, nunquam tamen deficere poterit valida virtus, quia sine illa longitudo morbi non erit, sed breui morietur æger.

Est etiam ad huius præsagij confirmationem locus Hippocratis 2. *epid. sect.* 6. *text.* 10. cuius sunt hæc verba. *Si venæ in manibus pulsent, & facies rectè valet, & hypochondria non sint mollia, diuturnus morbus fit, sine conuulsione non soluitur, aut sanguine multo ex naribus, dolor coxæ.* Vbi faciei immutabilitas vt signum longitudinis traditur, simul etiam quod hypochondria mollia non sint, sed tensa, quia ad longitudinem febrium nihil magis quàm tensa hypochondria conducit, in eis enim cum prima, & secunda coctio celebrentur, & malè habeant, agitur pessimè, & noua indies materia producitur ob malam coctionem aucta cacochymia, obstructa enim vitali spiritu orbantur ob loci defectum; & si aliqui in ipsa confluant, aut corrumpuntur, aut al-
A terantur violenter à fuliginibus, & humoribus putridis obstructi loci, alimentum tardè per obstructa permeat, & inde corrumpitur, & solum tenue, & aquosum solum distribuitur, & terreum ac fæculentorum cohibitum obstinctionea impactum geminat, viæ conspicuæ non sunt ad resolutionem & iudicia morborum, pellit enim natura ad intestina per hypochondria, hinc grauatur corpus, & copia obruitur, vt rarum sit quod hoc fluxo copioso sanguinis aut alio humorum decubitu morbus soluatur, inde aut fluxus sanguinis timendus, aut conuulsio ex repletione in neruos & musculos translata materia, aut dolor articulorum; & quia coxæ articulatio grandior est, & maximè caua, ideo in dolorem eius seu ischiadem morbus terminatur: accidit quod per longos morbos magis hæc articulatio calefiat, & sic ad
B receptionem sit plus disposita, & etiam hypochondriis proxima, cum quibus communionem per magna vasa habet: in quem sensum dixit Hippocrates *libro* 4. *aphor. text.* 44. *Quos febres longæ exercent, iis tubercula, vel labores in articulis fiunt.* Quod etiam docuit *aphor.* 30. *eiusdem libri.*

Est verò difficile quomodo ex facie bene valente possit præsagiri morbi diuturnitas, quando signa naturalia non morbum, nec aliquod contra naturam possint significare. Respondet Magister meus, quoad corpus nihil minui, quia cruda abundant, & obstructum sit, & densum non stat cum facie omnino sana, sed tumida, & inflata erit, vt totum corpus etiam, & quæ procedūt ex soliditate cutis, & robusta virtute: quæ solutio mi-
C hi non probatur, cùm textus ex *lib. epid.* contrarium significet, esséque impropriissima solutio, si facies rectè valet, quando tumida, albicans, & inflata concipitur; quinimo & aphorismus adductus non minus huic expositioni refragatur, non enim dixit si corpus tumidum, & inflatum sit, sed si permaneat, & nihil minuatur.

Mihi videtur quod ex optima valetudine faciei diuturnitatem morbi præsagiat, sicut ex eo quod corpus non minuatur, est enim communissima phrasis Hippocrati, ex iis quæ non adsunt, si adesse deberent, non minus præsagire quàm ex iis quæ adsunt; estque elegantissimus discursus, vt in exemplis relatis: febris enim non omnino leuis ex se semper extenuat, id in hoc in-
D diuido non facit, ergo sunt quæ obstant resolutioni & dissipationi: talia esse nequeunt, nisi corporis densitas, obstructio nimia, & crassorū, & lentorum multitudo cum robusta virtute, quæ ex crudia restaurantur perpetuò illa in sanguinem commutando: hæc verò ad morbi diuturnitatem nimis faciunt, non ergo est opus quod facies, aut corpus inflетur, sed quod non minuatur secundum rationem febris: præterquam quod corpus esse inflatum, aut tumidum, non arguit directè non resolui, vt in anasarca constat, in qua totum resolutum cùm sit satis validè, tumidum nihilominus est: densitatem verò corporis naturalem ad morbi longitudinem conferre Hippocrates docuit *libro de alimento.*

E Tandem dicit Auicenna; *Et fortasse non eradicatur cum sudore copioso, & fortasse non incipit cum rigores, & non est caliditas cum multa fortitudine, nec est augmentum eius æquale, imo est quasi ipsa addatur, deinde procedit, & minuitur, & accidentia sana minorantur in ea.* Hæc omnia conueniunt nothæ tertianæ. Prima verba duplicem sensum reddere possunt, nempe quod remissio, aut intermissio accessionis non fiat præcedente sudore copioso, quia admista pituita ob lentorem & crassitiem, vt in sudorem mutetur, apta non est, at corpus obstructum est magis, vnde remittitur, aut intermittit sine sudore copioso. Alius sensus est, quod quamuis sit copiosus sudor, non eradicatur vt tertiana exquisita, hoc est intermissio est minus pura, & minus libera à vestigiis putredinis, ob mul-

tam

tàm obstructionem, & quia quod remanet in foco, corpulentius, & fuliginosius est. Vt enim quotidianæ intermissio est minus pura, vt dicemus, sic tertiana notha ob pituitæ admistionem habet intermissionem minus puram, & vtrumque reuera in nothis experimur, sed primum frequentius euenit, non esse scilicet sudorem copiosum, vt neque in quotidiana, præsertim in primis accessionibus, non tamen repugnat aliquando tam serosam esse humiditatem permixtam cum bile, vt copiosus sudor eueniat, & fiat intermissio purior, & ideo dixit fortasse: Quod aliquando non incipiat cum rigore, pendet ex multis, si loquamur propriè de rigore: tum quia rigor propriè raro datur in tertiana notha, quia materia crassa est & minus mordax: tum etiam quia ob multas obstructiones non pellitur semper ad ambitum corporis, ita vt extrauasetur copia ad rigorem sufficiens: obstat etiam pituitæ crassities cum lentore, vt per carnis poros possit moueri celeriter: vnde frequentius est, à leni horrore, aut simplici refrigeratione accessionem incipere. Quod non sit caliditas cum multa fortitudine, pendet etiam ex pituitæ admixtione, quæ inflammabilis multum non est, quia aquea, & propriis etiam qualitatibus obstat, vt bilis etiam conditionem æmuletur: vt enim inflammabilior redditur pituita ob bilem admistam, sic bilis redditur minus inflammabilis frigore, & humiditate pituitæ alterata: mutuò itaque se expugnant vt omnino dissymbola, & se remittunt mutuò, & inde fit quod accidentia sæua in ea minorentur, quia bilis ferocitas & inflammabilis conditio cum acrimonia, moderantur per pituitæ mistionem. Vnde minor molestia, minor inquietudo, sitis placidior, & vigiliæ, aut delirium non sunt: verùm interdum malignæ naturæ redditur ob pituitam admistam, quando in magna copia miscetur, fiunt enim longissimi horrores, & accessiones per consequens molestæ, quia diuturnæ, & cum graui sopore molestare solent, & in lethargum mutari, & ob multas obstructiones viscerum male commutato alimento cachetici fiunt, túncque accessiones longissimæ sunt; vt licet non sint nimis intensæ, leuiter tamen remittant ob multas obstructiones, & sic periculosissimæ fiunt.

Hactenus dicta intelligenda sunt de tertiana notha ex permistione bilis, & pituitæ, quæ maioris famæ ab authoribus dicitur, quod frequentissima sit, quæ enim ex permistione melancholiæ originatur, infrequens est, quia minus datur huius humoris, & putredinem difficilè concipit: si tamen eueniat satis molesta erit, & longior multò quàm ex pituita creata. Vt enim differt quartana à quotidiana in longitudine, sic tertiana notha ob atræ bilis mixtionem; tunc autem non est dubium quod in facie offuscatio apparere possit, quod in notha Auicenna negauerat, quia de alia specie solùm loquebatur: nec ob id quod appareat, breuitas morbi significabitur, vt constat ex dictis, & tenebantur expositores notare.

CAPVT XXXVIII.

De Tertiana continua.

IN præsenti capite dicit author, quod tertiana continua cognoscitur per vehementiam paroxysmorum tertianæ, & per vehementiam accidentium. Dicit secundò, quod Galenus putauit, quod sanguis quando putrefit, tertianos circuitus moueat, & per consequens sit febris sanguinis. De hoc genere tertianarum doctrinam hæc continet litera.

Quæ in litera continentur iam sunt à nobis exposita,

A tradendo discrimen inter febres continuas, & intermittentes: & continua cùm fiat ob maiores & grauiores causas, plus molestare, & vehementiora accidentia inducere, probatione non eget, quod verum est de accidentibus ipsi febri debitis: quæ verò motum causæ sequentur, sæpe sunt grauiora in intermittente, vt constat de concussione vehementi rigoris, & quando in accessionum initio in partem nobilem humor tenditur, & perniciosa, mortalisque tertiana excitatur, vt melius, securiúsque foret si in continuam permutaretur. Explicuimus etiam qua ratione differat tertiana continua ab ardente, quamvis sub eodem genere immediato contineantur, & latius explicabitur *capite proprio.*

B

CAPVT XXXIX.

De Cura tertianæ puræ.

INCIPIT iam Princeps noster medelam febrium in particulari adducere, & cùm omnis particularis curatio methodi vniuersalis scientiam præsupponat, notat esse memoranda præcepta in communi methodo tradita, vt ad curationem in particulari descendamus. Reprobat statim expurgationem in principio imperatam à Rasio cum medicamentis folientibus, & valentioribus; admittit tamen lenientia, C quæ nec coctionem turbant, & si quæ sunt in prima regione excrementa euacuant, in quem vsum clysteres commendat lenientes cum rapillo irritantium, quibus ferè semper egemus ad excitandam vim expultricem intestinorum, pituitæ, & mucis ferè semper sopitam, quo auxilio opus est, quando stercora non sunt satis disposita ob communem vtilitatem, & quia si alimentum detur stercore non descendente, euenient incommoda ab Hippocrate tradita, quem æmulatus Princeps dicit; rectum namque est, ne in potu detur quod est, sicut sorbitio hordei, nec ei simile, neque cibi, nisi natura iam lenificata.

Notat tamen, quod si error committatur expurgando medicamentis attrahentibus ante materiæ coctio- D nem, vt operabatur Rasis, in nulla febre sequitur minus incommodum quàm in tertiana exquisita, etsi in illa lene non sit, sed maximum. Ratio est, quia facilius educitur materia peccans ob tenuitatem, & corpus in hac febre minus obstructum est, quàm in aliis intermittentibus est: est verò perniciosum auxilium expurgatio, quando corpus fluidum non est, vt iam in communi methodo diximus: nunquam verò tale est in principio, & inde minus noxium remedium, quominus obstructum corpus extiterit: tale verò est in tertiana pura; ex qua doctrina praxis Sennerti vt periculosa tenenda est, expurgat enim, & non leuibus omnino medicamentis omnes hac febre oppressos ante venæ sectionem.

E Lenita ergo natura, & ab excrementis communibus, & ab alio vitio, si detur in prima regione ex satietate, aut aliis excrementis, dicit Author: *Et quando est possibile vt phlebotomes vsque ad tres periodos fac.* In aliis verò translationibus legitur negatiuè, sic: *Et quando est possibile vt non phlebotomes vsque ad tres periodos, fac.* Quæ diuersitas textus placita authorum diuisit etiam, vt sint innumeri sustinentes hoc auxilium semper incommodum esse, si ante tres periodos celebretur. Est plus mirandum quod Iacobus lectionem sine negotiatione legens hunc textum exponit, quod non liceat nisi transactis tribus periodis venam secare, expectando bilis cum sanguine permixtionem, etiamsi in aliquo casu venæ sectionem statim admittat, quando scilicet est in

corpore

corpore sanguinis tenuis, & biliosi copia, cuius cor-
ruptio à calore febrili timetur. Hinc fastidiosæ & fere
inutiles insurgunt disputationes, quas libentissimè
omitto, & satis prolixe a nostro Magistro exponuntur,
atque sententia nostra adducta iam in communi metho-
do, vbi docuimus omnibus putridis sanguinis missionē
esse vtilissimā, & rationes ibi allatæ cum vtilitatibus hîc
transferendæ sunt, & secāda vena statim, si non sit aliud
impediens: nec obstat quod Galenus 1. *ad Glauconem*,
in curatione huius mali venæ sectionem non imponit,
quia ibi scripsit per modum compendij, & multa sup-
ponit in communi methodo adducta: tam enim vidi-
mus ex eius authoritate *lib. 11. method.* secandam venam
in omnibus putridis. Et cùm in terțiana exquisita vi-
geat plus attemperatio, & acrimoniæ mitigatio, quàm
copia illius, eius memores authores Græci, sanguinis
missionis obliti fuerunt velut communissimi remedij, &
necessarij; & contra omnes rationes sententiæ oppositæ
stat etiam Galeni doctrina, in febribus ardentibus vs-
que ad delisquium venæ sectionem imperantis, quæ cùm
pendeant ex simili materia, si in tertiana exquisita ob
vitium sanguinis inductum à bile, aut ob eius furorem
non liceret venam secare, liceret minus multò in arden-
te febre, cùm vitium sit maius, & maior etiam bilis
abundantia. Nec obstat quod experimento quotidia-
no Pereira obiicit pro stabilienda contraria opinione,
debebat enim probare quod secta vena ante tres perio-
dos erat auxilium noxium, si tamen transactis tri-
bus accessionibus conferret, nihil mirum, si fortasse
conferret magis statim venam secare, ita vt tertia ac-
cessio non veniret, vt hoc anno sæpius obseruauimus à
prima sanguinis missione omnino febrem tertianam era-
dicari, vt tertia accessio non rediret: ergo si aliquando
detinendum est auxilium, est quando in primis acces-
sionibus vomitu, & deiectione magnam copiam bilis
natura reiicit, tum quod ipsa satis euacuat, tum quia
supernatantia timetur, vt liceat potius ab expurgante
medicamento incipere, aut expectare permistionem,
quam omnes contrariæ sententiæ desiderant, vt se-
curè venæ sectio celebretur.

Censura tamen Ludouici Mercati in curatione huius
febris dubitationem fecit. Docet enim non esse sine
distinctione venæ sectionem imperandam, quia etsi sta-
tutum sit omnibus putridis idoneum auxilium esse, est
etiam statutum, quod vbi præualuerit cacochymia, sit
hæc prius deponenda, cùm Galeno (inquit) & reliquis
decretum sit, in æstuosis ac feruore concitatis tertianis
alteratione solùm esse vtendum. Vnde infert, conside-
randam esse flauæ bilis quantitatem. Deinde locum vbi
viget, & aut putrescit, aut vitiatur: tertiò etiam eius
vitium seu qualitatem citra id quod quantitate abundet.
Si hoc vltimum eueniat ob anteactam vitam laborio-
sam, vigilias, & alia, tempúsque sit æstiuum, cauen-
dum (inquit) omnino ab omni euacuatione; quinimo
res agenda est refrigerantibus, & reficientibus alimen-
tis, & optimi succi ad restaurationem substantiæ, quæ
laboribus euanuit; nam morbus ex dicta causa origi-
natos, à defectu potius quàm copia emanat, cuius placi-
tum suaderi potest authoritate Hippocratis 2. *aphor.
text. 22.* dicentis: *quicumque morbi ex repletione fiunt
curat euacuatio; & quicumque ex euacuatione repletio, &
aliorum contrarietas*: tum etiam quia in casu relato exsic-
catum est corpus, & exsocce, laboratque sicca distem-
perie: cui nihil magis aduersum quam venæ sectio,
quod spiritus, & substantiam humidam extrahat, nec
esse potest multitudo ex occasione dicta, cum labores,
vigiliæ, & curæ vehementer inaniant, & omnem
substantiam depopulentur: additio ergo, & refe-
ctio, & attemperatio indicantur, non euacuatio ali-
qua.

Oppositam doctrinam tradit Magister meus 1. *de
febribus, folio 927. ad finem*, cuius assertio non aliter sua-
A detur quàm rationibus adductis ostendentibus huius
auxilij necessitatem. Et quia bilis vsta est, aut putrida,
& per consequens inemendabilis à natura, & cum peri-
culo magis, ne sanguis totus inficiatur, & maligna
fiat febris aut continua periculosa.

Neutra opinio mihi probatur absolutè intellecta, &
censeo philosophandum esse in casu adducto velut in
omni alia complicatione contrariarum indicationum;
siccitas enim in solidis, & extenuatio tanta esse potest
ex prægressis laboribus, quod nullo modo admittant
venæ sectionem, etiamsi mediocriter vitius constet; ha-
bet enim magnam indicationem morbus omnis qui ex
B inanitione timetur, & vrgens est respectu tertianæ in-
termittentis, præsertim si sit exquisita: & ita in hoc ca-
su securior videtur opinio Mercati, quantum ad venæ
sectionem; hæc enim si celebretur cum inedia debita
febri, & cum exsiccatione à febre inducenda, possunt
nimiè augere siccam distemperiem, & in hecticam, aut
extremum languorem ægros deducere. Quæ incommo-
da respiciens Acakia, in expositione huius capitis venæ
sectionem dehortatur, & ob id à Galeno imperatam
non fuisse.

Vnde constat, quod si siccitas nimia non sit, securè
imperabitur sectio venæ, vt putat Magister meus, minus
tamen quam alioqui fieret ob incipientem iam, aut pro-
ximum marcorem.

Quantum ad expurgationem videtur probabilior
opinio Magistri in quolibet casu, quia euacuatio humo-
C ris putridi & vsti, iam temperatis auxiliis vt modò sunt,
securissimè, & cum magno commodo celebratur, præ-
cipuè cum occasio febricitandi vstio sit, quæ attempe-
ratione nimia, & optimis alimentis melius quàm coctio-
ne corrigitur, in quo casu magnum erit auxilium per
balnea aquæ dulcis, & totam fere spem in illo, attempe-
ratione iecoris, & optimo alimento collocatem, cum
leni expurgatione attemperatis iam succis, estque ex-
purgatio necessaria magis, quantò ad deprauatam na-
turam ob vstionem humores plus accesserint. Sunt
enim incoctiles, & strenuè corpus desiccant, & ad ta-
bem disponunt, & inde puto perniciosum Mercati
præceptum, quatenus omne auxilium euacuatorium
tollit: timenda itaque est sectio venæ magis, expurga-
D tio benignis medicamentis celebrata nequaquam; imo
necessarissima est, ob prauam cacochymiam, & quia
adest causa morbi quæ euacuari indicat, cuius eductio
remedium etiam est contra tabitudinem, quam & ca-
lore, & siccitate incessanter machinatur: ex quibus
etiam deducitur ita affectis liberalius danda esse alimen-
ta, quod instet inanitio, & attemperatio vstorum illa
exposcat.

Quæ pro Mercato adducta fuere facillimè soluuntur.
Ad primum quod hîc datur complicatio indicatio-
num, & quamvis exsiccatio, aut inanitio substantiæ
euacuationem dehortetur, tamen cacochymia & humo-
ris putredo, aut vstio euacuationem requirit, quam
non semper contrarius affectus tollit, neque aphoris-
mus aliud ostendit: nec obstat, quod adhuc in bile de-
fectus sit, ac per consequens non euacuanda; nam etsi
E hoc concedatur quod perpetuum non est, in occasione
adducta coëunt etiam duæ indicationes contrariæ, alia
quod euacuetur bili vsta, alia quod alimentis idoneis
humores creentur, vt naturali statui competunt; & ita
pro qualibet operandum est, quando vna ad se totam
medelam non conuertit, parúmq; interest quod multitu-
do non sit ad prædicta remedia, quia quod infra natu-
ralem statum est, si inutile sit, & noxium, euacuari pe-
tit, & naturale loco eius reponi, vt in sphacelo ponit
inutilem copiam, cum superabundent quæcumque
corrupta sunt, & inemendabilia. Nec facilè concedam,
quod inedia, labores, peruigilia, & tempus æstiuum,
etiamsi inaniant, non creent simul bilis maiorem co-
piam quàm statui naturali debeatur; æstas enim id
planè

planè docet, quæ etsi corpora colliquet, & resoluat, biliosiora nihilominus illa reddit: idem verò causant peruigilia, labores, & alia quod æstas.

Minus dubium est quando intra vasa bilis nimis abundat, vt manifestam cacochymiam faciat per magnum excessum: in quo casu Mercatus, quem etiam sequitur Magister noster, venam esse secandam tenent. Suadent & rationibus & authoritate Actuarij & Galeni 1. *meth. cap.* 16. in quo generale præceptum adducit. Rationes sunt, quia sanguis à tanta bile facilè inflammatur & succenditur, & in bilem mutatur, & sic bili fomentum præstat vt augeatur. Secundò, quia calor febrilis distribuitur per corpus totum medio spiritu, & sanguine, & inde si extrahatur, tollit medium distributionis, & simul cum illo euacuantur fuligines. Tertiò, quia hoc auxilium refrigerat, & vt in febre ardente imperatur à Galeno gratia refrigerij, sic in exquisita tertiana.

Horum authorum doctrina mihi non probatur, & sic absolutè tradita videtur satis periculosa; absolutè enim docere, quod etiamsi nimis bilis excedat sit mittendus sanguis, quis ignorabit temeritatem præcepti? est enim supernatantia humoris cui debetur expurgatio, & deneganda omnino sanguinis missio, vt in communi methodo docui Auicennam sequutus. Contra quorum placitum tam clarè opinatur Galenus 4. *de tuenda sanitate*, *cap.* 2. quod exponi non possit. Verba sunt: *Vbi quidem paulùlum vel citra sanguinem restitum, vel vltra processum est, audacter mittendus sanguis est; vbi autem plus, consideratius agendum; vbi verò plurimum, in iis nullus omnino mittendus est: inspicere verò & quantitatem conueniet, vt verbi gratia si bonus sanguis paucus sit, reliquus verò succus plurimus, vtique in iis abstinendum à detractione sanguinis est.* Nihil clarius dici potuit: est ergo opus distinctione iuxta mentem Galeni, & si cum copia bilis sanguis etiam abundet, mittendus; sin minus, cessandum omnino, & expurgandum est corpus ad tantæ cacochymiæ minorationem. Rationes adduximus nostrum placitum stabilientes in communi methodo pro defensione Auicennæ, & *tractatu de expurgatione*, vbi docuimus esse expurgandum corpus, vbi tanta copia humoris vitiosi infestat. Probabilius meo iudicio loquuti fuissent authores adducti, si docerent vbi solum datur tertiana exquisita intermittens, non posse tantam esse copiam bilis quod nimis excedat: in quam causam noster Vega breuem terminationem paroxysmorum; & totius constitutionis reduxit: videtur enim impossibile, quod vbi nimium bilis excedit, si iam concepit putredinem, continuam febrem, aut ardentem non faciat, aut duplicem tertianam: & id planè constabit ex robore virtutis, quod si adsit, & bilis sit intra vasa, vena secabitur securius, quia calida cacochymia virtutem robustam permittens, sectionem venæ dehortari non potest, si crudorum copia idem robur permittens secare venam teste Galeno non recusat omnino; quomodo verò supernatantia expurgationem primo requirens agnoscatur, *cap. de causone*, vbi proprium locum habet, docebimus.

Neque rationes adductæ alicuius sunt momenti, vt constat. Galenus enim *loco method.* supponit esse omnes conditiones, & nullam repugnantem missioni sanguinis: est verò repugnans in casu proposito: reliqua verò commoda à secta vena proposita sequentur, etiamsi expurgatio celebretur, quæ multò magis quàm sectio venæ refrigerat, quia seorsim calidum succum educit, sanguinis verò missiu etiam quæ contemperant. Si verò in prima regione biliosus humor contineatur, sanguinis missio erit incommoda, & nullo modo impetanda: bifariam verò contineri potest, primò quia tota materia, & antecedens, & coniuncta ibi contineatur: secundò, quia aliunde transmissa vt sit non materia antecedens, sed coniuncta, aut ibi portio aliqua mittatur

A ex multis, quæ solent per alias partes disseminari. Si primo modo eueniat, nunquam conuenit sanguinem mittere; erit enim perniciosum auxilium, quia intro trahit quæ extra vasa iam sunt, & totum sanguinem vitiat, & commotio in bile primæ regionis maligna esse solet ob deliquia, & syncopen euenientia. Si verò aliunde mittatur vt solet, ex venis nimirum maioribus, & iecore, aut resoluitur tota, vel non. Si resoluatur, non obstat missioni sanguinis: si non, educenda est aut clystere, aut leui pharmaco, & pòst roborandus ventriculus, sic vena secabitur securè: sed qualiter hoc sit agnoscendum, & quæ praxis seruanda, *cap. de tertiana perniciosa* tradetur. Quod verò sit secanda basilica, seu interna publicum est.

Addit author verba difficillima dicendo: *Et similiter*
B *quando times quod sit ægritudo furiosa, & facis illud, erit illud quod accidit de errore, si accidit minus quam aliud.* Quæ verba Herculanus, Iacobus, & Gentilis sic exponunt: *Et quamvis timeatur quod materia sit turgens, etiamsi sanguis mittatur, & aliquod damnum sequatur, ex hoc erit tamen minus quam si vena sectio non fieret.* Rationem reddit, quia ex turgentia timendus est perniciosus decubitus humoris in aliquam partem internam, & quod mors eueniat subitò, aut aliqua interna inflammatio erectur: quæ incommoda si sectio fiat, impedientur. Sed quod incommodum (dicetis) sequetur si sectio venæ fiat? videtur enim quod nullum: nam si inflammatio interna præcauetur, & aliàs venæ sectio conuenit pro mali curatione, potius videtur omnem vtilitatem includere, quia auxiliatur morbo præsenti, & futurum
C præcauet. Respondetur humorem turgentem esse iam segregatum à reliquis, quia illius solùm expulsio à natura tentatur, cùm sectio venæ omnes indifferenter, & solùm intra vasa existentes euacuet. Hinc non videtur auxilium adæquatum humori turgenti, quia potest turgere extra vasa, & necessariò educuntur etiam qui à natura non pelluntur, nec est necesse expelli; sed hæc incommoda si cum damno timendo comparentur, paruipendenda sunt. Si interrogetis, quo signo sit timenda turgentia, nullum enim esse videtur, quia respectu motus venturi nullum hactenus ab authoribus adductum est signum, neque est reuera. Respondeo, ante manifestam turgentiam solet natura leues humoris motiones elicere, velut iam conando reiicere molestum, &
D sic sentitur agitatio, & dolor leuis per partes diuersas sine excretione aliqua: quæ si adsint, & inquietus sit æger vt solet ab illa commotione, meritò timetur succorum turgentia; huic verò vt adæquatum auxilium purgatio debetur, quæ ea quæ à natura pelli tentantur educat, & inde non potest non esse aliquo modo noxia venæ sectio, sed minus quàm si ab ea abstineremus.

De expurgatione etiam hic textus à Gentile, & Herculano explicatur eodem modo, nempe quod si materia sit turgens, & ob id expurgatio imperetur, etiamsi aliquod incommodum ab expurgatione sequatur, erit tamen minus quàm si tale auxilium omittatur.

Subdit Auicenna: *Et non oportet vt moueas in die*
E *paroxysmi aliquid, nisi propter necessitatem.* De missione sanguinis & expurgatione præsens textus exponitur, quæ in die accessionis celebrandæ non sunt, eo quòd natura plurimum laborat eo die, & recreari potius quàm debilitari conuenit, nisi sit aliqua vrgens necessitas: & cùm esse possit huius, aut alterius remedij, notabitis quod sanguinis missionis potest esse necessitas in die paroxysmi, quando nimia infestat plenitudo, & accessio prima fuit molesta ratione lassitudinis, doloris capitis, & aliorum accidentium plenitudinem ostendentium per pulsum, & naturam nimis grauari; tunc enim non erit satis ad præcautionem periculi, quod per tertios dies sanguis extrahatur, sed in die etiam accessionis antequam incipiat, fieri potest: nam vt in continuis febribus

bus quotidie tepentenbus sanguis commodè educitur sine damno sensibili, sic in die paroxysmi tertianæ simplicia vena secari potest ad præcautionem alicuius mali timendi, cuius iam sunt indicia, aut timor probabilis: quod mihi est in vsu, quando constitutio maligna grassatur, & incipiente morbo per accessiones tertianas in malignam febrem in tertia, aut quarta accessione degenerat, quo aut impeditur permotatio, aut saltem efficitur quod minus periculosè ingruat.

De expurgatione res videtur difficilior, quomodo in die paroxysmi competere possit? Et certum est solùm in manifesto periculo fieri debere: illud adest, quando timemus raptum in partem nobilem, qui in temporibus præcedentibus insinuatus à natura fuerit, & Medicus vocatus antea non sit; aut in die quietis aliquod obstaculum adfuerit, executionem remedij indicati impediens, vt si in accessione præcedenti signa raptus in cerebrum apparuerint, & Medicus vocetur ante secundam accessionem, transacto tamen die intermissionis, & videat magnam esse in corpore cacochymiam, & quod in die intermedia etiamsi quietis fuerit, nondum à capitis turbatione, aut grauitate liberatus sit æger, timebit meritò ne in secunda accessione graue malum firmetur in cerebro, & inde si tempus sit sufficiens ad celebrandum remedium, poterit prædicto periculo illud exequi. Idem eueniet si signa turgentiæ adhuc maneant, aut manifestam motionem materiæ ad ventrem inferiorem tentet natura, & tamen non euacuet, sed cardialgias & tormina excitat, quæ commota materia solet tempore accessionis retrocedere ad interna, & summè lædere: nihil enim impedit quod in die paroxysmi leniente medicamento educatur tota copia in ventre inferiore collecta; eueniet sine dubio leuior accessio, & quod materia commota intro retrocedat impedietur; & si probabiliter assequatur Medicus raptum in cerebrum fuisse post transmissionem in ventrem, qui irritatus partem humoris ad cerebrum misit, non poterit absque manifesto periculo tale remedium omittere, quia ex noua transmissione in accessione ventura onerari necesse est, & violentissimè in cerebrum mittere, confirmabiturque passio cum præcesserunt in alia accessione præludia. Sed hæc generosi tantum Medici sunt, qui ita timet probabilia, velut si iam molestassent: quod quia paucissimi exequuntur, extra artem putant quæ in illa sunt maxima, & magnam gloriam & honorem Medicis parant. Auicenna quidem quia generosus, in die paroxysmi ob necessitatem mouere consulit.

Subdit Auicenna: *Et non cibes nisi apud conditiones prædictas, aut prouoces vrinam cum emulsione seminum, & oportet vt superueniat ei paroxysmus dum est famelicus, & non est in stomacho eius aliquid.* Hæc in communi methodo explicata iam sunt; quando verò conueniat quod paroxysmus non veniat cum ventriculi inedia & omni inanitione, *capite de tertiana perniciosa* dicetur.

Dicit deinde: *Imo oportet vt sumat in potu syrupum acetosum omni mane, & post duas horas aquam hordei in qua non est paroxysmus, & syrupus quidem acetosus post paroxysmum est conueniens, & similiter ponere pedes in aqua frigida ad extrahendum residuum.*

Serapium acetosum deobstruit, detergit, incidit & attemperat bilem, estque laudatissimum ob tot commoda, cuius vsus, & aliorum deobstruentium ante totiua euacuationem tutus non est, vt 8. *method. capite* 4. Galenus docuit: datur mane, quia ratum est non esse tunc horam commodiorem ad syruporum exhibitionem, quòd sine alimento ventriculus sit, & ita melius distribuatur, & non ferat secum alimenti inocti reliquias, aut coctionem turbet: in quem vsum alij etiam syrupi propinantur, vt de endiuia, de acido limonis, aut citri, & si nimia tenuitas in bile & sanguine sit, additur oxysacchar. simplex, aut serapium granatorum, aut violaceum. Sed omnia incrassantia suspecta meritò sunt in febribus putridis ob obstructionú augmentum. Vnde serapium agrestæ sine ratione imperat Pereyra, quia nimis adstringit, solùmque conuenit si bilis in ventriculum fluat. Ad eius robur ante fluxionem diluuntur serapia aqua instillatitia endiuiæ, oxalidis, buglossæ, boraginis, condrillæ, aut decocto hordei integri, radicum graminis, endiuiæ & foliorum scariolæ, & florum cordialium, & quod non minus vtile & iucundum est, aqua limpidissima & tenui, aut per lapideum mortarium percolata, semper tamen acida omnia dum nimiè non adstringant, contra bilem magnam prærogatiuam habent, & si fœminæ vterinis non molestentur, in quibus acida vituperantur, vt de aceto docuit Hippocr. Timet verò Auicenna quod detur simul cum serapio acetoso simplici aqua hordei, quia acescit facile, quod vitium facilè contrahet si acidis misceatur, & inde post duas horas dandum esse præcipit. Quæ praxis iam in vsu non est, est enim abominabile medicatas potiones tam breuiter repetere, & temporibus nostris aqua hordei timetur, quod vulgus non ignoret appetentiam tollere.

Dicit verò dandam esse huiusmodi potionem in die à paroxysmo libera, quia quæuis repletio ventriculi ab Authore timetur in die paroxysmi; quæ doctrina maximè notanda est, & communem consuetudinem redarguit, cùm nihil communius temporibus nostris, quam tribus, aut quatuor horis ante accessionem ægrum replete. Praxis quidem perniciosa, & extra omnem antiquorum methodum; est enim certum, quod multò ante paroxysmum incipiat iam calor naturalis suffocari, & fuliginibus obrui, dato verò alimento augetur obstructio, calor obruitur, & non solùm cibus non commutatur bene, sed vt fit assumptum ferè semper euomitur summa angustiis, & anhelatione, quod venter distendatur, & rigoria concussione agitatum, in flatus mutetur: quare aut non dandum alimentum in die accessionis, nisi ipsâ transactâ, & restaurato iam ægro à dissipatione vitalis caloris per vehementiam accessionis inducta: quod ego facere soleo à potu frigido somnum conciliando, aut si ante accessionem æger cibetur, sit alimentum paucissimum, & longissimè ante accessionem datum.

Aliam occasionem propinandi syrupum acetosum tradidit Author dicendo, quod est etiam conueniens post paroxysmum, hoc est in declinatione accessionis, tunc enim attemperantur viscera, & cùm iam corpus ad finiendam accessionem à natura laxetur, & per omnes vias expulsionem humoris tentet, iuuat hanc expulsionem per vrinam & aluum syrupus acetosus.

Verùm quia communis consuetudo est in tertiana exquisita dare in accessione potum attemperantem, vt Galenus docuit 2. *de crisibus, cap.* 3. dubium est non leue de occasione potus attemperantis; video enim omnes ferè declinationem febris expectare, & videtur illud docere Author in *hoc cap.* dando syrupum acetosum post paroxysmum. Fundamentum esse potest, quia in vigore nondum est corpus satis laxatum, neque cœpit natura sensibiliter pellere; si verò potio frigida detur, corpus stipatur, & fuligo quæ in vigore nimia est, detinetur, crassescit, & sic aut nouum incrementum eueniet, aut vigor longius molestabit: videtúrque expresse doctrina Hippocr. 1. *de victu acut. text.* 46. dicendo: *nam si pedes frigidi fuerint, non à sorbitione modò, verùm quoque & maximè a potu temperandum: at cùm caliditas ad pedes descenderit, tunc dare expedit.* Exposuit verò Galenus, quod calor descendetit ad pedes non solùm quando calidissimi sint, sed quando eo sint calidi, quod caliditas descenderit relicto thorace, & visceribus, vt ipsa in quibus coctio alimenti celebratur sint iam temperata, in vigore verò æquè inflammata sunt viscera, & pedes, vt *in com.* Galenus testatur.

Oppo.

Oppositum tamen videtur Galenus docere 2. *de crisibus cap.3.* in quo tradendo signa vigorem accessionis ostendentia dicit; *Et iam bibendi tempus adest ægrotanti*, quod etiam docuit Aëtius *lib. 5. cap. 79.* Donatus *parte 3. de febribus, cap.3.* Argenterius, & Didacus Marinus *lib. 6. cap.3.* omnes Medicos in declinatione potum præbentes suggillant, quod iam sit potus occasio præterita. Idem tradit Vallesius *de victus ratione in acutis, in expositione textus penultimi.* Potum (inquit) in plerisque febribus non solùm licet, sed etiam expedit dare inclinante febre, atque adeò in quibusdam vigente vt inclinet: plus autem, aut minus, citius, aut tardius, frigidiusque, aut minus frigidum, vt febris inclinabit magis ad biliosam, aut pituitosam; frigidior ergo potus, & citius & magis ad biliosas referuntur, ac per consequens si in pituitosis in declinatione datur, dandus erit in vigore in biliosis. Idem docet doctissimus Cesalpinus *lib.2. practica, cap.20.* & Galenum citat 2. *de crис. cap.3.* & mihi videtur hæc doctrina verior. Ratio est, quia in biliosis febribus exquisitis (vt diximus) vehementissimæ fiunt accessiones, & in vigore sic vrget calor, vt metus sit resolutionis nimiæ, aut permutationis in febrem continuam, aut in hecticam, aut quod humores malignè corrumpantur, & summe angantur ægroti vehementia caliditatis adusti, & acrimonia lancinati, quibus periculis occurrere decet, & nihilo melius quam frigida, à qua statim vt Galenus dicit, plurimus vapor calens per cutem exhalat sudoris nuncius, bilisque superuenit vomitus, venter soluitur, & biliosum mingunt, &c. Expulsiones verò dictas (quæ sunt non dubiè particulares crises accessionum) semper natura tentat in fine vigoris quando summè irritatur, vt in eodem tempore vniuersali totius morbi iudicia tentat, non verò quando iam inclinauerunt, vt ipse docuit 3. *de crис. cap.5.* Vt enim in vigore vniuersali cocta materia est in fine eius, sic in particulari extenuata est extremè, & maximè irritans ob maius incendium, & sic expulsiones eius à natura tentantur, & vt in ardente febre potus aquæ conceditur quando natura concoxit, & commodè pellere potest, & summa cum hoc afflictio est ob magnum æstum, sic in particulari accessione dandus est potus quando materia summè irritat, & naturam fatigat, & corpus laxatum est, & materia omnino extenuata. Hæc verò adsunt in fine vigoris, in quo per potum recreata, & roborata natura, & corpore iam laxo sudorem & alias excretiones celebrat, vt dicit Galenus, & sic molestia declinat, & impressiones caloris ob siccitatem inductam moderantur. Ex his constat occasio dandi potum attemperantem; est enim dandus in extremis partibus vigoris, in quo tantum abest quod corpus densetur, quod potius primo occursu frigoris restituantur viscera ad naturalem densitatem, quam per calorem rarefacientem & extenuantem perdiderant, & debilitatem contraxerant, & sic roborata tentant succorum expulsionem; quod si conceipias corpus exustum densari, laxatur potius humiditate, & in vapores succis & fuliginibus permutatis, sudor superuenit; sed primum est verosimilius. Inde constat dubitationum perspicua solutio, nec Hippocrates *loco allegato* de potione attemperante loquitur, sed de alimentosa, quæ in acutis in sola declinatione permittitur, vt in intermittentibus in ipsa intermissione: non enim datur vt inclinet febris, sed vt virtus instauretur: in nostro casu è contra, & ad præcauenda pericula permutationis in febrem malignam, aut tabidam. Nec rectè inferes ob has indicationes dandum fore potum in primis partibus vigoris, vt incrementum impediretur, quoniam in eis non sequeretur febris remissio, sed nouum augmentum, quia nondum laxatum est corpus, nec ita præternatti humores, vt sudor, aut alia expulsio accessionis indicatoriæ à potu sequantur.

Est enim communis vsus saccharum prius assumere

A quàm aqua bibatur, ne offendatur os ventriculi primo frigoris occursu, & vt potus distribuatur promptissimè vi detersoria, & tenuitate sacchari, cuius dulcedo, vt distribuatur aqua celerius plurimum conducit ob familiaritatem cum visceribus. Docuit etiam Galenus 1. *simplic. cap. 19.* citius sedari sitim, si tantillum aceti, aut vini aquæ admisceatur ob celerem distributionem. Mihi vsitatissima est potio ex tenuissima aqua & dulcissima cum sacchato & limonis, aut citri acido; mirum enim est quàm suauis sit potus, & qualiter natura recreetur: quæ potio necessariissima est, vbi linguæ amaritudo, & dulcia omnia, & aquam ipsam ingratissima vt solet reddit, aciditate enim mirè corrigitur, dicente Hippocrate 3. *de victu acut. text....* quod acredo aceti picrocholis conferat: vbi verò obstru-B ctionis iecoris suspicio est, serapium acetosum prius propino, & deinde aqua cinnamomi superbibitur sola, nec tam frigida, vt si obstructio non esset; certum enim est, & experimento confirmatur, temporibus nostris rarissimè tertianas exquisitas inueniri, & ita frigiditati potus minus consulendum, deobstruentibus verò magis, alioqui febris prorogatur, & ex simplici in duplicem mutatur: Si verò pituitæ permistio sit, vrgeatque tamen sitis, quod pauca sit pituita, limonata parabitur ex rotulis limonis cum cortice, saccharo, & aqua cinnamomi, cortex enim, saccharum & cinnamomum pituitam respiciunt, viscera roborant, & gratissimam potionem efficiunt, aciditas verò vt siccat & incidit, pituitam etiam emendat. Ex dictis Lagunæ error conuincitur; laudat C enim lactucæ cauliculos sacchato conditos, si deuorentur ante aquæ potum, quando calorem vstiuum, & sitim moderari intendimus, præbet enim alimentum difficilis commutationis, & quod aquæ celerem distributionem remoratur vt per se constat. Quod rursus præcipit Auicenna, scilicet quod in declinatione pedes balneentur aqua frigida, non est intelligendos de frigiditate actuali cùm esset auxilium temerarium ob retrocessum fuliginum ad viscera. Est ergo parandum balneum ex aqua moderatè calida, vt constat ex significatione rigorosa verborum; dicitur enim ad extrahendum residuum caloris, extrahere verò non est corrumpere, sed extra mouere, quod fit humiditate & moderato calore laxatis poris.

Deinde notat, quod in postremis accessionibus detur syrupus acetosus cum emulsione seminum frigidorum, D & ante paroxysmum per tres aut quatuor horas hoc auxilium datur ad deobstruendum, & mouendam vrinam, & attemperandum, cuius vsus vtilis est ad detergendum cinetitium, quod vsum solet iuxta iecur stabulari; quod mirè facit auxilium paratum ex ℥. ij. emulsionis seminum frigidorum maiorum, cum ℥. j. ß. serapij acetosi simplicis & ℥. iiij. decocti radicum graminis, fragariæ, apij, & radicum rumicis; dicit etiam quod iuxta statum victus attenuetur, vt in *aphorismo 8. primæ sectionis* dicitur, de quo in cómuni methodo iam egimus.

De fructibus, oleribus, & alimentis laudat quædam, vt granata dulcia, & muza, & pruna matura, & non matura; melonem tamen Indum extollit, quoniam soluit ventrem, vrinam prouocat, calorem remittit, sudo-E rem mouet, & fortasse, inquit non nocent parui: circa quæ pruna immatura suspecta sunt, quia acerba, & ingrata, obstructionem augent, & ventrem sistunt, exsiccant etiam vt omnia acerba, non tantùm quia terrea, sed quia astrictione substantia humida exprimitur, nullaque vtilitas tanta esse potest quæ tot incommoda superet, cùm refrigerium eorum aliis innumeris & securissimis competat: vbi verò os ventriculi bilis fluxione laborat, & morsum sentit, vtilia esse possunt, quia nimis illud adstringunt, & roborant, & bilis influxæ expressionem faciunt. Per melones Indos Gentilis, & Iacobus melones exponunt, aut citruloa: quidquid fit, mihi videtur vsus eorum suspectus vt in communi methodo docui ex sententia Cardani, meritòque notat Iacobus quod in quibusdam codicibus legitur: *& fortasse*

non nocent parum, hoc est si vt alimentum considerentur, nocentissimi sunt, quod ocyssimè, & malignè corrumpantur. Cucurbita etiam, & cucumerea vt alimentum reiicienda, etsi vulgus cucurbitam laudet; est enim ventriculi turbatoria, flatuosa, & facilè corrumpitur, cuius incommoda cum hoc quod crudos succos generat, timenda semper sunt, ius tamen eius cum carnibus elixatis securè datur ad lotium mouendum, & placandam sitim, lactuca verò laudatur quod non corrumpatur, grata sit, appetentiam exciret, sitim extinguat, somnum conciliet, refrigeret, & humectet, omnique caret laxitate debilitante viscera.

De alimentis dicit, quod debeant refrigerare, & humectare. Inter humectantia enumerat extremitates perdicum, gallorum testiculos, & cerebella hædorum, in quibus non est nausea, & ouorum vitelia; refrigerat verò, & humectat lac hordei: notat tamen cauendam esse refrigerationem nimiam, & propriè in principio, nisi inflammatio, aut mutatio in ardentem aut continuam febrem timeatur. Ratio est, quia in principio vniuersali corpus obstructum est, & excrementis plenum; frigida verò minus materiam densant, poros occludunt, ventilationem impediunt, & sic suffocationem caloris vitalis (quam vniuersale principium semper machinatur) procurant: præterquam quod frigore nimio etiam coctio retardatur.

Fuit hæc sententia desumpta ex Galeno 1. *ad Glauconem cap*. 9. dicente: *Cibi verò quicumque humectant, atque refrigerant, omnes vtiles sunt exquisitis tertianis, quantitas vero sit tanta vt bene concoqui possit*. Quæ doctrina absolutè dicta videtur mihi improbabilis; nam dare quæcumque alimenta refrigerantia & humectantia non decet, si non sint optimi succi, nihil enim periculosius quàm vbi infestat putredo præbere, quæ praui sint succi, & corrumpantur facilè: quod verò quantitas sit danda quæ bene coquatur, sic absolutè dictum, temerariè imperatur, multi enim optimè coquent eam copiam cum qua læduntur extremè, quod plenus sit cibus, præsertim in die intermissionis, in quo nulla intemperies in ventriculo datur: danda ergo quantitas quæ bene coquatur, non tamen danda tota quæ bene coqui potest, quia potest esse nimia pro morbi constitutione: extremitates perdicum siccum esse alimentum, & minus temperatum quàm exquisitis tertianis conuenit, mihi non est dubium, & inde puto non bene intellexisse hunc textum Iacobum, quinimo Herculanus omnes auium extremitates quia sicciores, putat esse suspectas, & inde nomine Altaiegi intelligendum esse aliquod animal notabiliter humidum, cuius extremitates vt les sunt; in expositione verò Arabicarum vocum Altaiegi phasianum etiam significat; gallorum testiculi (hoc est paruorum pullorum) optimè nutriunt, frigidi tamen non sunt, sed humidi; hædorum verò cerebra humida sunt, & frigida, sed humida magis. Galenus verò *loco citato*, non hædorum, sed suum cerebra, & pedes commendat, quod nimis humectent: omnia tamen lenta sunt, & tardè permeant, ob id noxia, etiamsi contra bilis mordacem conditionem egregiè pugnent, sunt tamen sumenda ex porcellis paruis lactantibus, nam ex suibus crassiora sunt, & tam lenta & glutinosa difficilisque coctionis, vt noxia sint satis & fugienda, sunt etiam nauseabunda omnia animantium cerebra, quod lentore, & humiditate ventriculi retentricem effeminent, nec minus sensu illo mulcebri ab eis causato: qua ratione tepida aqua nauseabunda est, non quia irritet, aut grauet: corriguntur verò incommoda dicta succorum mistione plurima.

Commendat etiam ouorum vitellos, qui humidi sunt, & in calore temperati, licet ab illo excedatur frigus tantisper, quod dixit etiam Galenus 1. *ad Glauconem*, ita: *Sed & oua ad sorbendum sunt offerenda, & præsertim vitella eorum, facilius enim hæc quàm pars alba concoquun-*

A *tur*, vnde contra Galenum & Auicennam opinantur, dicentes oua febrientibus danda non esse, inter quos fuit Argenterius *in arte medicinali*, & *tractatu de febribus, cap*. 7. *folio* 2277. rationem reddit, quia oua præstant alimentum crassum, quod nulli febri conuenire potest, tum etiam quia non permittunt corpus vacuari, sed natura tota occupata est in eorum coctione, & sic à coctione humoris noxij impeditur: tum etiam, quia nihil habent oua medicinale, quo morbis, aut causis eorum repugnent: non decet verò in febribus (acutis præcipuè) alimenta absque vlla virtute contra morbos aut causas pugnante concedere: quibus rationibus carnes etiam vituperat. Sed vrgentius probari potest authoritate Galeni, & Auicennæ, putantium oua succum crassum generare. Galenus 5. *de sanitate tuenda, cap*. 8. febri-
B bus oua interdicit, quòd succum crassum creent, quod etiam docuit 4. *de victu acut. com*. 115. dicendo: *oua autem, & similia, & chondrus crassi sunt succi, & boni*. Et in textu ipso Hippocrates oua concedit si febris non fuerit, vbi absolutè febrientibus noxia esse insinuat. Sic Auicenna *fen*. 10. *lib*. 3. *tract*. 3. *cap*. 6. in curatione sputi sanguinis illa commendat, quod vtile non esset, nisi sanguinem crassum & lentum crearent; & *fen*. 5. *lib*. 3. *tract*. 1. *cap*. 9. pro medela fluxus sanguinis narium eisdem vtitur vt vtili alimento. Clarissimè Celsus *lib*. 2. *cap*. 23. oua etsi tremula crassam pituitam generare scribit. Conciliator *differentia* 110. putat solum competere propter virtutem, quæ si constet, admittenda non sunt, quod sint facilè inflammabilia, & contra morbum, cau-
C sam, & symptomata non pugnent, inde in principio dicit non esse idonea, in vigore verò quando plus lapsa est virtus, idonea esse, & magis in declinatione, in qua à nostro Principe consuluntur, nam dicit; *Et scias, quod intentio in cibo patientium tertianam, aut est humectatio, sicut datur eis in fine eius de extremitatibus, &c.* & Brauo Salmanticensis 2. *de differentiis febrium cap*. 2. idem docet, quia calida sunt facilè corruptibilia. Tandem suadetur hæc pars, quia oua stomachum subuertunt, vt Galenus docuit 2. *de victus ratione in acut. com*. 18. dicendo: *Præterea ptisana viscositas humens est, sed non vehementer vt aqua, & melicratum: sorbitio item ex chondro, & ea qua sorbentur oua*: nempe ea omnia stomachum languentibus ipsis manifestè supinant, vt subuersum ipsum esse existiment.

D De ouis loqui possumus aut absolutè, aut comparatiuè ad hoc vel illud indiuiduum, aut hoc, vel illud genus febrium. Absolutè loquimur solùm de gallinaceis, aut phasianorum, reliqua enim nec bona, nec in vsu medico sunt vt alimenta; loquimur etiam de sorbilibus, & tremulis dictis, quoniam aliæ præparationes in febribus non sunt idoneæ; est ergo philosophandum in nobis ab iis quæ exterius experta in maiorem cognitionem nos ducunt: docet verò experimentum album eorum tenacis, & glutinosæ esse naturæ, & non vt viscus: verùm vt colla agglutinari, & hærere: concrescit etiam facilè, seu induratur à calore, & inde difficilis esse coctionis non solùm ob dicta, sed etiam ob frigiditatem: ob id candidum ouorum Gale-
E nus exclusit in cura tertianæ, contra putantes in febribus vitella cum albo sumenda esse, quòd sic temperatiùs alimentum reddatur, & minus corruptibile à febre: non considerantes obstructiones à glutinosis, & emplasticis, & facilè coagulabilibus foueri, & pretiosiores fieri: hinc calculosis oua noxia putantantur ob gluten in albo contentum, quo obturant, & arenas tam firmiter vniunt, vt in tophum concrescant.

Vitella verò lapidosam naturam acquirere à maiori calore, aut si diutius circa ignem leuiorem detineantur, experimento constat. Vnde experimur in calidioribus stomachis statim in nidorem & sæpe malignum mutari, vt socio cuidam meo eueniebat; quia verò vt dixi

lapido

lapideſcunt etiam, ſi diutius igni etſi leuiori expoſita A ſint, non admittunt ciborum aliorum permiſtionem, quia tardiua deſcendunt, & ab eiſdem corrumpuntur: vnde in ventriculo excrementoſo ob facilem corruptionem ſuſpecta ſunt; vnde videtur quod ardentioribus febribus non conueniant, quoniam ſi in ventriculo calidiori in nidorem vertuntur, melius eueniet ea permutatio à calore æſtuoſo, & adurente, eſtque veriſſimum quod Argenterius, & Conciliator dixerunt, non eſſe alimentum ita attemperans vt eis debetur, nec ita corruptioni reſiſtens: in tertianis verò exquiſitis adducta ratio locum non habet, quia alimentum datur quando febris non eſt, & ſic nidoris periculum effugiunt, niſi ægroti indiuidua conditio corruperit. Melancholicis febribus optimum alimentum, quòd B cor exhilarent, humida ſunt, & calida eorum vitella & melancholiæ concoctoria, vt cuiuſvis alterius humoris putridi; agitur enim cuiuſvis concoctio calore moderato, & mulcebri, humiditateque aërea, quæ vitellum participat, & ob id eſt anodinum ſimul, & ſuppuratorium: pituitoſis febribus minus ſunt idonea, ob nimiam humiditatem, neque calor eorum eſt tantus, quod frigiditatem pituitæ quæ debet eſſe materia antecedens, ſatis emendet, cum ſacchato tamen & piperis tantillo, aut cum ſale idonea eſſe poſſunt; eſt verò peſſima conditura quando ſine putaminibus elixa cum oleo & aceto ſumuntur; nam aqua, oleo, & humiditate & lubricitate vitelli ſtomachus vehementer ſubuertitur, languet & nauſeabundus redditur, præcipuè ſi à potu non abſtineat æger; putauit enim Celſus *lib. 5. capit. 5.* vitellis crudis vim purgatoriam C ineſſe, quod non niſi lubricitate efficere queunt; inde conſtat, alimentum nauſeabundum, & ſtomachum ſubuertiens eſſe, vt omnia lubrica faciunt, laxando ventriculi fibras, ob quod conſuetum eſt cum ſale oua mandere; quo & ſuauius, & ſecutius alimentum redditur: quod verò oua frixa tam peſſima ſint, vt non ſolùm malum ſuccum, & fumoſum præſtent, ſed etiam alia cibaria admiſta corrumpant, Galenus notauit *lib. de Cibis boni & mali ſucci, cap. 7.*

Ex dictis conſtat in febribus ardentibus & vſtiuis, non eſſe oua concedenda, in malignis verò quatum caloe eſt tepidus, & vires nimis labuntur, concedi debent, quod multum, & optimum ſuccum præſtent, D & coquantur facilè, ſintque ſpirituoſa, & ob id in omni alia plurimùm virtutem diſſoluente optimè dantur, vt in syncopali Galenus conceſſit 12. *methodi.* Sic corporibus tabidis optima ſunt, vt Princeps notauit, quod plurimo egeant alimento, & virtus non conſtet; ſunt etiam oua vtiliſſima vigilantibus nimiè, & ſiccatis cerebro, ſi loco aquæ in lacte amygdalarum dulcium coquantur, ſeu elixentur, & palato ſunt gratiſſima. Et quamuis Galenus opinetur ventriculum ſubuertere, quod lenia ſint & lenigantia, vt oleoſa, aut pinguia; dantur nihilominus faſtidientibus, non vt auxilium faſtidij, ſed quando alia alimenta abominantur, quod ſumantur facilè, & in parua quantitate multum poſſint ad reſtaurandum: ſic pueris ſenibus E conferunt, quia illos conſeruant, reducunt verò ſenes, & tandem quia omnia medicinalia temporibus noſtris abominantur ægri, ad oua confugimus, quòd omnem intemperiem fere corrigant, quod ad temperatam naturam vitelli accedant, & reſpectu febrientium humiditate conferunt, & calorem non augent. Nec eſt parui momenti quod optimum ſuccum præſtent, & multum, ſi non corrumpantur, ſpiritibus creandis idonea ſint, & coctioni calore temperato & mulcebri humiditate auxilientur, & ſomnum concilient, vt ob tot vtilitates quæcumque incommoditas ipſorum contemnenda veniat, cùm nullam habeant extremam, & multum præbere ſuccum, & optimum, quod excrementoſa non ſint, magnum quid eſt in morbia, nec ita facile vt vulgus putat corrumpuntur, cùm doceat experimentum tardius multò quàm carnes corruptionem admittere, & fuit experimentum Cardani; etenim expoſita ſoli æſtiuo vix triduo fœtent: carnea ſpatio quatuor horarum ſi teneræ ſint, & comminutæ putreſcunt; eſſe verò vitium tenuem, aut craſſum, certum eſt pendere ex parua, aut magna quantitate alimenti exhiberi, & ita oua, & craſſum, & tenue conſtituent iuxta copiam eorum: quando verò ab authoribus dicitur multum ſuccum oua præbere, non eſt intelligendum in quauis quantitate alimentum craſſum conſtituere, ſed comparatione ad molem ipſorum, velut ſi dicerent, ouis multum ineſt nutrienti, quia tota ferè in optimum ſuccum mutantur, quòd excrementoſa non ſint, & ita meritò dicit Galenus 11. *ſimplicium,* vnam ſolùm prauitatem pati poſſe, eam nimirum quam illis affert vetuſtas.

Ex dictis conſtat ſolutio dubitationum. Galenum verò interpretantur authores, quod loquatur dum oua vituperat, & craſſi nutrimenti difficiliſque coctionis eſſe dicit, ſi malè præparentur, iuxta locum adductum ex *lib. de cibis boni, & mali ſucci, cap. 7.* quam conditionem cum vetuſtate excipere potuit. Celſus verò de toto integro ouo cum albumine rectè timuit craſſæ pituitæ prouentum: de vitellis verò ſeorſim ſine ratione dixit, nullum enim alimentum tam analogum, & ſymbolum ſanguini hactenus inuentum eſt, ex iis, quæ ſub propria forma, & tam leui præparatione ſumuntur.

SECTIO I.

De Expurgatione.

DIcit deinde; *Quod ſi conſequatur criſis, & videris digeſtionem in vrina, & eſt ſedimen laudabile, tunc bene eſt, & ſi non, cura tunc cum eo quo innatur natura ex prouocatione vrinæ, aut ſolutione ventris, aut vomitu, aut fluxu ſanguinis narium, & non agas contra ipſam in hoc: quod ſi non inuenis inclinationem manifeſtam, tunc euacua cum ſolutione ventris.*

Iis verbis docet, quod ſi cocta iam materia eius expulſionem criticam natura tentet, & ſatis euacuet, ſit dimittenda; ſi verò per aliquam regionem ex dictis mouere incipiat, non tamen ſatis euacuet, iuuanda eſt, dummodo contra eius inclinationem non operemur, id eſt ſi per vrinam moueat, danda lotium mouentia: ſi fluxu ſanguinis narium, iuuandus etiam ille impetus, & ſic de aliis, quia omnes regiones *in textu* adductæ conuenientes ſunt, ſi tamen cocta iam materia natura non moueat, euacua (inquit) cum ſolutione ventris. Ratio eſt, quia hæc eſt euacuatio ſecuriſſima, & quæ in voluntate Medici eſt multò magis quàm reliquæ. Primum præceptum fuit Hippocratis 1. *aphor.* 20. dicentis, *Quæ indicantur, & indicata ſunt integrè, nec mouere, nec nouare aliquid ſiue medicamentis, ſiue aliter irritando, ſed ſinere oportet.* In illa verò particula (*integrè*) permittitur, quod ſi integrè non moueat, auxiliari poſſumus; vt docuit Princeps, & eſt Galeni, & omnium inconcuſſa doctrina. Secundum fuit eiuſdem Hippocratis decretum 1. *aphor. text.* 22. *concocta medicari oportet, & mouere, non cruda, &c.* neceſſitas eſt vt quæ reliuquntur in morbis recidiuare faciant, iuxta decretum *aphoriſmi* 12. *lib.* 2. Iam verò in communi methodo diximus, quod non ſemper eſt neceſſaria expurgatio in omnium febrium declinatione, etiamſi natura non moueat, quia concoctione, & reſolutione tota morbi materia poteſt cómodè abſolui, nec expurgatio tã ſuaue eſt auxilium, aut tam ſecurum, quod ſine manifeſta neceſſitate imperandum ſit, & ſi in aliqua febre tam incertum auxilium prætermitti poteſt, eſt in tertiana

exquisita, in qua tot, & tam diuersæ euacuationes natura tentare solet, vt quælibet accessio crisis quædam videatur esse; & hoc est, quod insinuauit Galenus 2. *de cris. c. 5.* dicendo. *Quo fit vt delationis impetu ipsa per se ipsam expurgetur.*

Accedit quod morbi solutio integra in ipsa morbi natura includitur, alioqui non esset verum quod tertiana exquisita septem circuitibus iudicatur. Est etiam humor biliosus resolubilis, quem per vrinam facilè natura solet reijcere; ergo ea bilis copia, oris amarore, siti, colore totius pallido, infectione in sanguine extracto perspecta, inappetentia, facili mutatione vnius coloris in aluum, & quod natura per accessiones succi biliosi copiam non deposuerit, assequetur Medicus expurgandi necessitatem; ex contrariis signis è contra.

Ex doctrina huius textus exploditur sententia affirmantium, quod in principio tertianæ exquisitæ materia turgeat, & per consequens sine coctione sit expurganda: quos etiam reprehendit Mercatus *lib. 1. indicationum, cap. proprio.* Hippocrates verò *lib. de affectionibus,* quarta die purgare consulit, si non videatur æger satis purgatus; si verò non videatur opus expurgatione, medicamenta in potu danda esse consulit, quibus febris aut transmutetur, aut deficiat. At verò 1. *de morbis* sic reliquit scriptum: *Si tertiana febris tenuerit, si quidem non omissis tribus inuasionibus quarta corripiat, pharmacum deorsum purgans bibendum data: Si vero pharmaco non opus habere tibi videatur, radicum quinquefolij trium acetabuli mensura ex aqua bibendum dato: Si verò nec sic cesset, multa calida dato, trifolium & hyperici succum in vino pari aqua mixta bibenda prabeto, & reclinato vestimenta multa iniecito donec sudet, &c.* Sed hos libros Hippocratis non esse publicum est, & ita eorum authoritas parui pendenda. Secundus tamen locus commodè explicatur: nam si tertiana exquisita septem circuitibus terminatur, necesse est vt post quartum iam sint signa coctionis, & ita commodè detur medicamentum expurgans: magnam tamen fecit dubitationem Magistro meo *in expositione huius capitis*, cur Hippocrates auxiliis permutationem febris tertianæ in aliam tentet, cùm nulla videatur securior, & breuior, & dubium hoc insolutum reliquit. Putandum tamen est, in regione Hippocratis vehementissimas fuisse accessiones tertianæ exquisitæ, & fortassis in ea regione facilè in ardentem, aut aliam malignitatem permutari consueuisse, & ita mirum non esse, quod auxiliis medicis sentit in aliam permutari; est verò intelligendum in aliam frigidiorem vel minus molestam, id verò auxiliis frigidis exequetur Medicus, de quo ea propria sententia nostri Principis partim diximus in communi methodo, & incidet sermo *cap. de causone.* Et mihi videtur non esse verbum aliquod in doctrina Hippocratis, ex quo colligi possit, quod de tertiana exquisita intermittente loquatur, vt putat Magister; loquendo verò de febre tertiana biliosa in communi, rectè vt insinuaui, in aliquo euentu potuit permutationem eius in aliam securiorem consulere, cùm ardentissima soleat esse maligna, & colliquans, quod etiam insinuat Princeps in *hoc cap.* dicendo: *Et si fuerint illic caliditas superflua, & inflammatio maxima, non erit malum dare in potu aliquid de extinguentibus fortibus, de illis quæ dicta sunt in regimine acutæ, &c.*

SECTIO II.

De Balneo.

AD aliud auxilium celebre in tertianis exquisitis perueniens Princeps dicit: *Balneo verò oportet ne approximet nisi post digestionem, post digestionem autem, & apud declinationem est ipsum melior curatio eius, & propriò*
A *consuetis, quamuis error in intromittendo eos in balneum ante digestionem saluior est quàm suum simile in aliis, &c.* Est etiam hæc doctrina Galeni 1. *ad Glauconem, cap. 9.* Balnea (inquit) calida ex aqua potabili prosunt, tum quia aliquid bilis educunt, tum etiam quia sua qualitate plurimum iuuant; nam huiusmodi balnea humectant, ac postea refrigerant. Putant tamen Authores esse inter Galenum, & Auicennam repugnantiam, nam hic non admittit balneum ante materiæ coctionem, & videtur Galenum carpere *loco citato* scribentem; *Si verò etiam coctionis morbi signa ostendantur, tunc etiam si sæpius laueris, nihil deliqueris.* Sed hic locus ita planè ostendit quod ante signa coctionis balneum imperetur, vt non possit optimè interpretari; non enim
B aliud significat quàm vsum balnei posse esse crebriorem, si signa coctionis sint: ergo ante coctionem, & sine illa balneum admittit, licet non tam crebrò: & constat ex eius doctrina *lib. 11. method. capite 10.* vbi enumerando quæ esse debent, vt citra noxam balneum in febribus admittatur, tria solum recenset. Primum quod in balneo non horreat æger. Secundum, quod nullum viscus primæ notæ sit debile. Tertium quod prima regio succis crudis careat, & concoctionis materiæ mentio non fit vt conditionis. Nec obstat, quod *in fine cap.* se scribat; *In progressu tamen morbi, quo tempore & absumpta iam superuacanea sunt, & non cruda, tum putrescentia concocta, cataplasmatis relaxantibus & balneis sine periculo vtere:* nam hoc solum docet optimam occasionem, & securiorem prædictis auxiliis, non tamen quod
C ante coctionem balnea, aut cataplasmata imperanda non sint: cùm contrarium *eodem cap.* perspicuè antea docuisset dicendo; *At verò si quis vt prius dictum est, toto corpore primi vacuato relaxantibus curet, vbi scilicet maxima febris non adest, vtique prodesse aliquando potest, tunc verò bene dictum est, lauari citra noxam licet.* Nihil clarius dici potuit, antea verò in *eo cap.* coctionis non meminit, sed illa solùm tria numerauit, & cùm easdem conditiones ad relaxantia, & ad balnea requirat, & ad illa concoctio necessaria non sit, nec ad balnea requiretur.

Et mihi videtur in tertianis exquisitis non esse necessariam materiæ coctionem ad balneum. Ratio est, quia
D balneum si quid habet periculosum, est liquare humores, & fluxioni paratiores reddere, non solùm quia liquat, sed etiam quia vias dilatat: hoc verò in bile timendum non est, vt in aliis, quia cùm facilè per cutem trahatur, resolutio magna fit, & euacuatur magna portio, & cùm ex se sit satis parata ad fluendum, resoluitur plus quàm liquetur. Sunt verò vtilitates magnæ à balneo expectandæ in hoc morbo; nam attemperatio, & vstionis correctio, & mordacitatis hebetudo, magnum quid sunt, vt siccitatis remissio, & concoctio vstorum, & putridorum, eorundémque exhalatio, laxatis poris pluri æstimanda sunt, vt somni conciliatio in morbis biliosis tam necessaria; inde Galenus in tertiana notha balneum vituperat ante signa coctionis dicendo: *In tertianis verò non exquisitis, nec statim circa initia balneare expedit, sed cum pri-*
E *mum coctionis signa apparuerint.* Impertinens verò documentum fuisset in tertiana notha, si in nulla febre ante signa coctionis balneum imperare liceret: constat verò prius esse euacuandam redundantiam succorum, & clysteribus, & sanguinis missione, & imperandum quando iam coctio instat, & magis si præcesserit; neque credendum est euacuare solùm quæ iuxta cutem hærent, vt Galenus putat 3. *aphorismorum, com. 15.* dicendo: *Quæ enim fit per balneum euacuatio parua est, & solam fere cutem euacuat. Quæ autem fiunt per carnem, & partes profundas ac solidiores, diuersæ superfluitates non sufficienter ex balneis euacuantur.* Contrarium enim docet in *hoc cap. & 4. aphor. 2. & 2. aphor. 17.* vbi corpus æqualiter euacuari per balneum docet, vt per exercitium, & alium quemcumque calorem

quod

quod experimento Vallesius noster notauit 3. *de victus ratione in acutis, folio* 131. *in scholio text.* incipientis; *Minimè autem tempestiuum est lauare*, &c. Non est autem (inquit) quod Medicus contemnat eam euacuationem quæ balneo agitur, quasi exiguam & minimè dignam mentione; mihi enim contigit videre ex vna longinsenla, & cum vehementibus superfusionibus facta lotione, in balnei aqua sordium & lentæ pituitæ, & crassæ, & quæ non videri solùm, sed in longum etiam trahi digitis & palo poterat plus eo quod per copiosissimam missionem sanguinis duci solet, non absimile ei quod in pelui ex venæ sectione in talo apparere consueuit: quod satis confirmat inanitio & debilitas ad balneas sequutæ: putauit etiam Galenus 1. *ad Glanconem cap.* 13. alui fluxiones omnino cohibere, quod sine totius inanitione magna fieri nequit.

Multum tamen negotium fecit doctrina *aphorismo* 15. tradita, & Musæ & Nunnezio: huic non apparet probabilis Musæ expositio, ipse verò dicit non esse intelligendum Galenum absolutè, sed respectu excrementorum, quæ in humidis & pluuiosis constitutionibus accumulat corpus: multæ enim sunt, quas balneum non euacuat satis. Sed hæc Nunnezij expositio maiorem vim imponit, & violentius doctrinam Galeni explicat. Dixit enim Galenus: *Quæ vero fit per balnea euacuatio parua est, & solum fere cutem euacuat*, &c. Non itaque comparat euacuationem balneorum copiæ excrementorum per imbres collectæ, sed vim balneorum exponit. Ego verò illum interpretor de balneis quæ inter res non naturales ponuntur, & in communi salute celebrantur, ad eluendam scilicet corporis, & cutis sorditiem: hæc enim euacuant solùm cuti hærentia, quod parua sit mora, nec vehementibus perfusionibus, aut fricationibus peragantur, sed leuioribus cutis immunditiem solam eluentibus, quæ redundantiam maiorem quàm pro cute resoluere nequeunt. Si verò aliter fiat, euacuabunt non dubiè, & multa, & quæ in alto corporis detinentur, præsertim si aqua calidior sit quàm illa in qua balnea pro sordibus eluendis tantùm parantur.

Est ergo occasio balnei aquæ dulcis in tertiana exquisita, post euacuationem totius per missionem sanguinis, etsi coctionis signa non sint, præcipuè si iuuenis sit æger, si balneis assuetus, & tempus æstiuum; occasio particularis in die quietis est optima, in declinatione verò particulari rarò conuenit, quod fere semper sudoribus terminetur: si tamen corpus tabi ob siccitatem obnoxium sit, & molesta, & vstiua accessio, quæ sudore non finiatur, commodissimè accessio balneo finietur, & permutatio in tabem impeditur cum summa naturæ recreatione: in declinatione verò vtilius est non dubiè, etsi iam cessauerit malum, ad sanguinis refrigerium, & corporis extenuationem emendandam: sunt balnea temporibus nostris dimissa fere, quod minus assueta per salutem, & quia rarum est tertianas exquisitas dari.

Docet verò Author quod balneum sit temperatum. Quæ doctrina si ad aquam balnei referatur vera est, quia frigida, natatio non conuenit ob caloris retrocessum & vstorum cohibitionem: calida verò si sit aqua, nec humectat, neque intromittitur, nec rigere facit; de quo elegantissimè, & doctissimè Galenus 10. *lib. method.* & *lib.* 7. in curatione distemperiei siccæ ventriculi. Exsiccant etiam balnea si nimis sint calida, & multò magis si ex aëre solo sint, de quo intelligenda sunt prima verba textus, vt fuit mos antiquus, de quo legatur Galenus *lib. de sanitate tuenda*. Primò enim ægroti se denudabant in aëre calido, mox ad balneum aquæ introibant, deinde ad frigidam aquam, & tandem in loco calido aëris sudor promouebatur si oportebat, sin minus vngebantur, & deinde ad lectulum, aut domum redibant: ob id

A dicit Author; & si apud exitum infundantur in aqua tepida, stent in ea secundum quantitatem declinationis, deinde cum egrediuntur, tunc conuenit eis vt bibant vinum album subtile multa commistione permixtum, & cooperiantur in locis suis; sudabunt enim sudore vehementi, & si quid residuum fuerit, digeretur. Gentilis notat, quod non sumatur vinum immediatè à balnei exitu, sed postea, quia vinum à balneo bibitum venenum putauit Galenus, & docuit etiam Princeps *fen.* 5. *lib.* 6. *summa* 3. 31. quia præfocationem, & dolores, & inflammationes creat. Sed meo iudicio melius Iacobus authorem intellexit, nimirum quod
B statim à balneo vinum sumatur, nam vituperium eius intelligendum tantum est de vino mero, hoc enim incommoda relata potest afferre, non tamen nimis lymphatum, vt docet Princeps: & contra Gentilem stat efficax ratio, datur enim vinum ad mouendum sudorem, vt ex littera constat, ad quem conducit & balnei humiditas, & laxitas, & euocatio ad cutem, & ita statim à balneo dandum est, & ob id nimis dilectum commendat ne incommodum sit.

Dicit rursus Author: *Et non timeas post declinationem potare eos vino plurimo commixto; fractum enim vinum per commixtionem confert eis, & quanti residui eius in resoluendo illud, cuius est necessaria resolutio, & succurrit aquæ penetrationi cum fortitudine sua & permixtione eius quod est in eo de calefactione pauca, quare infrigidat vehementer & humectat.*

C Illis verbis *potare eos vino plurimo commisto*, non intelligas plurimum vinum dandum esse, sed nimis lymphatum, vt referat multitudinem aquæ ad vini portionem. Gentilis docet debere esse quadruplum aquæ, sed huius non est certa regula, cùm iam varia sit vinorum natura in calore, & fortitudine; lymphandum itaque est vt non inflammet, nec caput tentet. Galenus 1. *ad Glanconem* sic scripsit: *A vino verò antequam morbus concoquatur omnino abstinendum, ac vbi concoqui cœperit, dandum est ab initio tenue, aquosum, at paucum, vbi verò iam prope est, vt morbus soluatur, amplius est offerendum.* Vnde quando dicit Auicenna; *Et non timeas post declinationem potare eos vino*, non potest intelligi commodè iuxta Galeni doctrinam post declinationem vniuersalem,
D quasi ante illam dandum non sit, sed propriè intelligendum est in declinatione, vt si diceret postquam declinauerit, id est transacto vigore; tunc enim omnes euacuationes vini auxilio promouentur, per vrinas nimirum, per sudores & insensibilem halitum. Aliud commodum est, quod tarda aquæ penetratio, ad viscera & corporis intima per vini naturam emendetur; iam enim vidimus in communi methodo incommoda aquæ, quia nimis in hypochondrio detineatur. Vinum ergo suarum partium tenuitate, detergente vi, & quia actuarum statim calorem extenuantem acquirit, & vias recludit, aquam per totum distribuit celerrimè, & sic meritò vulgus putat plus attemperare aquam vino pauco permistam, quàm si sola biberetur, quia frigidior, & in maiori copia per viscera distribuitur, detenta enim si sola bibatur in ventriculo nimiè calefit, & tardius distribuitur:
E ad quod etiam facit non parum familiaritas maior naturæ nostræ cum vino, quo celerius attrahitur, & ita citius distributa potio infrigidat, & humectat interna vehementer, vt inquit Author, & minùs est offensa hypochondrio.

SECTIO III.

De modo absumendi caloris reliquias.

EST communissimum, aut febrem quæ in principio exquisita apparuit diutius protrahi, aut non omnino incendij vestigia deficere, etiamsi febris non repetat.

Huic calori succurrere intendens Aothor dicit; *Et quando post crisim remanet aliquid caloris inseparabilis, tunc tibi superest vt administres syrupum acetosum cum succis diureticis, aut in quo decocta sint semina, & radices diuretica.*

Occasio quod febris doret, & fiat diuturnior, est obstructio aliqua, aur in liene, aut iecore, aut in mesereo: firmatur verò ob indexterum vsum frigidorum, quia plus quàm oporteat, aut frigidios, aut intempestiuè bibatur: quod etiam efficere solet agrestæ immodicus vsus, præcipuè si loco serapij sumatur, vt vulgus solet; est enim astringens & ex siccans, & sic obstructorium, & per consequens diuturnitati febrium eximiè auxiliatur. Tenetur ergo Medicus statum hypochondriorum diligenter explorare, num iecur, aot ventriculus, aut mesereum, aut lien, tensionem, ardorem, aot duritiem contraxerint, & inuenta particula affecta appropriatis medicamentis intus, & extus obstructionem recludere Laudat Princeps serapium acetosum cum succis diureticis, aut seminibus eiusdem naturæ, pro qua indicatione multa inuenies *cap. sequenti* in curatione tertianæ nothæ, cui hæc indicatio propriissima est. Est verò in communi vsu, si obstructum sit iecur & intensum, secare saluatellam in manu dextra, quod credant Medici plus quàm sectio basilicæ conferre; deinde deobstruentia intus, & extra conueniunt, & reliqua provt in curatione tertianæ nothæ leges, quando diuturnitate molestat; iam enim exquisita in notham degenerauit, & eius medelam exposcit.

Interdum contingit, quod iecur plus vstum, & inceosum appareat, quàm obstructum, quod indicat ardor ipsius, & manus dextræ cum siti, oris siccitate, & inappetentia, pulsus celetior, & crebrior, & lotium ad flauum tendens cum corporis squallore, citra tumorem aliquem notatu dignum, aut tensionem; maneatque velut febricula in eodem manens tenore absque repetentiis, & accessionibus; in quo euentu timendum est ne in hecticam permuretur, auxiliamur verò prædictæ dispositioni præter sectionem saluatellæ (nisi exetmuatio, aut siccitas obstet) lacte hordei summo mane sumpto cum saccharo, aut farris vsu cum lacte amygdolarum dulcium, & seminum melonis, & cucurbitæ pararo. Balneum etiam aquæ dulcis streonè confert, vt inunctio dorsi, cum vnguento cucurbitæ, refrigerante Galeni, resumptiuo, aut oleo violaceo, & amygdalorum dulcium cum aqua maluarum loris; iecus verò temperarur etiam idoneis auxiliis exterius applicitis, circa quæ multa, & considerationis magnæ sunt obseruanda.

Primum est ab immoderato vsu frigidorum, siue quia diutius applicentur, siue quia sint intensiora, scirrhosam duritiem iecur contrahere; est enim ex natiua conditione viscus hoc paratissimum ad hanc permutationem, quod sit limosæ naturæ; vt Galenus notauit, & discere licet hoc ex natura sanguinis, qui à frigore statim concrescit; est verò iecur vt dicebat Galenus, nil aliud quàm sanguis gelatus, seu coagulatus. Secundum diligenter notandum, si sola vigeat distemperies sine manifesta obstructione, an verò cum illa; nam in hoc secundo casu summum peccatum est, & infrigidare nimis, & sola frigida applicare; oportet ergo vt mixta est affectio, mixtis etiam auxiliis succurrere, deobstruentibus simul, & attemperantibus; nam suo modo etiam deobstruentia attemperant, quatenus ventilatio fit melius, & fuligo liberè exit. Est etiam aliud peccatum in modo auxiliorum; nam quæ in forma vnguentorum parantur, sæpe iecur inflammant, quòd virtus in solida materia consistens altius penetrat, & inde versus iecur repellit calorem, & fuligines, occlusis poris extrinsecus; melior ego forma quæ in fotu paratur, cum succis, siue decoctis: omnibus necesse est aliquid ad penetrationem conducens miscere, quod distantia partis læsæ indicat, & vbi obstructio cum intemperie inuenitur, si non sit omnino leuis obstructio, magis indicat, quia se habet velut conditio sine qua non, in ordine ad ablationem distemperiei, & inde prius deobstruendum, & frigida quoad fieri possit recusabimus, quod valenter obstructioni tollendæ obstent; si verò incendium sit magnum, obstructio verò leuior, attemperantia cum deobstruentibus mixta securè accommodantur, deobstruentia verò, & attemperantia *cap. seq.* leges.

Illud tamen notabitis, in tertiana exquisita fieri non posse, quod iecur non vratur, & simul cum calore distemperari etiam siccitate, quod cùm ita sit, suspectum habetur cetatum santalinum, quo frequentissimè Medici vtuntur; nam etsi frigidum sit, siccat tamen nimium, vt ex simplicibus perspicuè deducitur, & ita duritiem contrahere facillimum est, & schirrhosum fieri: miscendum ergo aliquid humectans, aot ab eo abstinendum, & succis ac decoctis attemperandum. Potauit verò Magister meus, quod frigida attemperantia non necessariò debent esse adstringentia, etiamsi iecur sit pars princeps, quia Galenus in reductione ad bonam temperiem sine materia, indicationem non sumpsit à partis principatu; tum etiam quia frigida habent eundem effectum vt astringentia; densant enim, & cogunt partem secundùm locum, qui effectus est adstringentibus debitus. Ego verò contrarium sentio, quod Galenus etiam docuit, nam *7. method. cap. 7.* in quo medelam distemperiei siccæ, & frigidæ sine materia tetulit, adstringentia non semel, sed sæpe commendat, vnguento nardino mastichem permiscens: contra quam methodum egi in scholio illius capitis, putaui enim frigidum, & siccum ventriculum, esse etiam contra naturam densatum, & vias alimenti occlusas esse præter naturam. Vnde adstringentia incommoda putaui, si nutriri desiderabamus vt siccitas auferretur: adduco tamen Galeni locum contra Magistrum, in quo intemperiei sine materia medetur Galenus, & astringentibus vtitur, & in nostro casu certum est iecur non solùm esse calidum, sed attenuatum etiam, & rarum præter naturam: quod hæc sint caloris effectus, & inde refrigerandum simul, & leniter adstringendum: Nam etsi frigus denset, non licet soli frigori committere quæ pars princeps semper requirit, quia semper in alimenti confectione laborat, & cùm frigoris sit effectus secundarius densare, poterit impediri, etiamsi infrigidetur, vt videmus in partibus densatis frigore, non laxari statim ac calefiunt, quin imo induratam, & velut concretam partem manere longissimo tempore, etiamsi nimium calefiat. Et ratio physica est, quia inest propria contrarietas ipsis modis substantiæ, qui sæpe ita firmantur, vt quamvis contraria prima qualitas producatur in parte, non sequatur secundarius effectus, quod contrarius modus fixus sit: ergo nec constabit quod frigus productum in iecore necessariò densabit: melius ergo erit astringentia miscere, vt secundarius effectus certius vincatur: & negari non potest quod citius medela, & reductio ad habitum naturalem perficietur. Accedit doctrina Galeni dum de oleo rosaceo loquitur, docentis, quod astrictio moderata conducit nimiè, vt altius vittus rosacei penetret, vt moderata astrictio sit vt vehiculum, vt internè auxilium plus penetret. Et hæc est etiam expressa doctrina Ludouici Mercati *classe 3. de curatoria facultate, artic. 6.* Et ratio pulchra est, quia productio densitatis à frigore requirit tempus diuersum à productione ipsius frigoris, in quo frigus necessariò remittitur à calore partis, sicque sæpe impeditur secundarius effectus. Vbi ergo incendium molestat, absque manifesta obstructione ad se curationem conuertente, optimum auxilium est, quod paratur

paratur lactis sero, cuius sumantur ℥. vj. succi endiuiæ depurati ℥. ß. sacchari albissimi ℥. ß. misce, quod sumatur frigidum, & si aliqua obstructio sit quæ expurgationem desideat, sumantur prius ℥. ij. serapij acetosi simplicis, mox solum serum superbibant, aut quarto quoque die ℥. semis rhabarbari cum sero, & succo endiuiæ propinetur, & est medicamentum celebre ad iecur incensum, & obstructum: est etiam optimum auxilium serapium acetosum cum aqua instillatitia fragorum, endiuiæ, & portulacæ, & si iecur vstum putetur, aquæ scariolæ, portulacæ, sonchi, fragorum, & cerasorum acidorum mirabiles sunt, ex quibus & serapio nenupharis, limonis, aut de acido citri cum pulueribus margaritarum potiones attemperantes parati poterunt; sed ad deobstruendum & attemperandum incendium, strenuum auxilium est decoctum radicum, & foliorum fragariæ, & intybi maioris, cum succo citri & saccharo.

Exterius vero fouebitur iecur hoc auxilio; succi endiuiæ ℥. vj. succi rosarum rub. ℥. iij. succi eupatorij ℥. j. succi absinthij ℥. ß. aceti rof. ℥. j. misce, aut ex aquis endiuiæ, acetosæ, plantaginis, & rof. cum eodem aceto epithema parabitur, nunquam tamen tepida, nec frigida sunt applicanda iecori epithemata, si Galeno credendum est.

In fine tradit author qualiter in curatione differat tertiana intermittens & continua, de quo *capite de causone* dicetur.

CAPVT XL.

De cura tertiana non pura.

DICIT primò Auicenna: *Res quibus diuersificatur cura tertiana non pura, sunt res quibus communicant febres frigidæ de licentia secunda.* Quæ verba malè torserunt expositorum ingenia. Notabis tamen, quod licentia est idem quod indicatio, & in febribus indicatio prima est ad infrigidandum, & humectandum, cùm in calore ad siccitatem perducente natura febris consistat. Aliquando verò à causa vincit febris indicationem, cùm sæpe (vt dixi pluries) periculum consistat non in calore febrili, sed in diuturnitate, & fixione causæ, quod crassa, lenta, & cruda tenaciter hæreat, ita vt calida imperentur à Medicis, & extenuatoria, & aliquando sudores moueant ad domandam cruditatem, & crassitiem succorum frigidorum, & viscidorum, & hæc indicatio appellatur indicatio secunda, quia prima sumebatur à febre: ergo rectè dicit Author, quod diuersitas curationis tertianæ spuriæ, à curatione exquisitæ est in iis, in quibus communicant febres frigidæ de licentia secunda, idest febres pendentes à causa frigida, aut à materia antecedente, in quibus est licentia secunda, idest indicatio à causa quæ vincit morbi indicationem, & contra illum sæpe operantur medici, dando calida extenuatoria, & sudores mouentia, & diuretica propriè, quæ in exquisitis tertianis concedi non possunt, quibus sæpe etiam indigemus in tertiana non pura ob admixtionem succorum crudorum, & crassorum cum bile, vt in tertiana notha datur ptisana cum pipere; piper verò nullatenus in exquisita est ex vsu: constat verò hîc institui sermonem de tertiana notha maioris famæ, ex bilis, & pituitæ mistione orta, quia frequentissima est, cuius cognitio ex dictis iam constat *cap.* 37.

Vnum tamen signum superest explicandum adductum ab Hippocrate *lib. 6. epid. sectione* 2. *text.* 16. dicendo: *Quæcumque tertianæ naturam imitantur, iis nox ante accessionem difficilis, quæ verò subsequitur, facilis magna ex parte*; quod ex tentis & nothis tertianis, non verò exquisitis conuenire Galenus docuit, dicendo: *In omnibus autem ferme tertio quoque die exacerbatis febribus præter exquisitas tertianas, nox ante accessionem reuera molesta esse solet, quod si in exactis tertianis id nonnunquam eueniat, indicationem sequenti die futuram portendit, potissimùmque si & reliqua futuræ iudicationis indicia consentiant.* Eodémque modo relatum textum Vallesius noster exposuit. Ratio est, inquit; nam cùm exquisitæ tertianæ motus celer sit, mox atque incipit, euadit in manifestum paroxysmum: quare nullam molestiam prius ingereret, nisi indicatio instet, ac proinde secretio fiat; nothæ verò quia est motus tardus, non ita, sed antequam proxymus manifestè appareat, conflictatur plurimum ægrotus incipiente putrescentia, & motu; non tamen ita interpretatur omnino vt Galenus, nam hic exquisitas exclusit absolutè. Vallesius verò dicit, quod etiam exquisitis tertianis eueniat, vt nox antecedens accessionem molesta etiam sit, verùm est breuior, & molesta minus, vt non faciat insigniter difficilem diem, aut noctem antecedentem. Vnde infert Vallesius eò fore noctem antecedentem molestiorem, quò ab exquisitis tertianis discesserit, & per consequens si in exquisitis, aut eis satis proximis detur nox nimis molesta, erit signum decretorium, vt Galenus docuit, & in nothis erit etiam si molestia sit multò maior, quàm debitæ figuræ morbi, & consuetæ.

Sed dices, molestiores debere esse noctes antecedentes exquisitam tertianam, quia si necessariò putredo incipit, debet incipere citius in exquisita. Probatur, quia est inflammabilior causa exquisitæ, quàm nothæ, facilius enim accenditur sola bilis quàm si pituitæ misceatur; & constat ex longitudine maiori accessionum nothæ. Rursus quod eleuatur ex syncera bile, molestius erit non dubiè, nam vt accessio exquisitæ molestior est, quia calidor & mordacior, sic euaporatio exquisitæ incepta putrescentia lancinabit magis partes sentientes, & cor inflammabit; ergo erit omnino molestior, & quia ante incipit, & quia grauior & molestior putredo. Respondetur quod molestia noctis antecedentis non solùm pendet ex qualitate rei putrescentis, sed multò magis ex copia: est verò multò maior fuliginum copia, & etiam corpulentior in spuria tertiana, vnde quæ eleuantur fuligines, non exhalant, sed intus conclusæ obruunt, & suffocant, alterántque corpus: at fuligo ex bile eleuata euanescit facillimè, nec detinetur, quia nec lenta, nec crassa, nec corpus ita obstructum vt in notha; dixit enim Auerroës *cap. de cura tertianæ exquisitæ*, leuissimas, aut nullas obstructiones in ea dari, & inde fortè iudicari tam breuiter, quod constat ex ipsa intermissione spuriæ, quæ impurior est multò, vt docuit Auicenna: & ita contingit, vt ex antecedente putrescentia multa accumuletur fuligo molestam noctem ante accessionem efficiens: in legitima verò, etsi eleuetur ex ancedente putrescentia, resoluitur etiam nimis, & ita non lædet vt notha.

His suppositis, expositio huius capitis non erit cum ordine ab Authore posito, sed vt curatio febris debet incipere à missione sanguinis iuxta præcepta in communi methodo tradita, ideo à textu imperante missionem sanguinis est inchoanda explicatio. Dicit ergo Author: *Et cùm videris vrinas eorum grossas, tunc phlebotoma; & cum phlebotomaueris, non indigebis clystere.* Antequã vena secetur, diligenter est inquirendus status primæ regionis, est enim frequentissimũ crudis repletã esse, ante quorum eductionem secare venam perniciosum est: nam cùm fiat huiusmodi febris ob permistionem pituitæ cum bile, vt in quotidiana, rarò non patitur ventriculus, sic in tertiana notha, cùm participet materiam quotidianæ, estque probabilissimum, copia crudorum

primam regionem obſtrui, cum in ea generetur ſuccus crudus, qui ad vaſa diſtributus materia eſt huius febris, quod timendo authores aliqui ante venæ ſectionem leniente aliquo vtuntur, & aſſiduis clyſteribus ventrem inferiorem ſollicitant, aut vomitum imperant. Si nauſeabundus, & guloſus æger extiterit, ordo ſit primò vomere, deinde clyſteribus inteſtina, & quæ gratia conſecutionis educuntur mundare, in quo tempore conſultum eſt mel roſaceum ex ſaccharo cum ſerapio adianthi, & tantillo oxymelitis primam regionem præparare, ſuperbibita aqua calida cinnamomi, aut aniſi, & poſt primam regionem purgare: timebis verò ante dictam præcautionem venam ſecare, præſertim tempore æſtiuo, & autumnali in homine venereo, abſtemio, & potatore vini, guloſo aut fructibus horariis & niui indulgente, in eis enim crudiatatum magna copia in prima regione inuenitur, & rarò totius febris fomes in illa non datur: euacuanda ergo omni arte antequam vena ſecetur, & ſi per ſigna conſtiterit ab excrementis liberam eſſe, & materiam intra vaſa contineri, ſecanda eſt vena, vt dicit Auicenna, & docuit etiam Galenus 1. *ad Glauconem, capite* 10. dicendo, quod ſi ſanguinis miſſione opus ſit, nec ea omittenda eſt, ſed initio ſtatim adhibita earum rerum quas ſcis diſtinctione, tantum mittendum quantum præſens exigit ſtatus. Author noſter dicit, ſi ſit vrina groſſa; expoſitores addunt etiam quod ſit turbra. Nomine groſſæ intelligo perturbatam, nihil enim commonius quam vbi cum bile intra vaſa ſucci crudi, aut pituita efferueſcunt, turbatam vrinam, & aliquando velut iumentorum apparere, indicium quod ſanguini permixti ſint ſucci crudi, & ſic commodè educi poſſe; quantitas iuxta plenitudinem, virtutem, maiorem aut minorem crudorum copiam, & læſionem ventriculi metienda eſt, ſecanda baſilica vtriuſque brachij in die leuioris acceſſionis, & ſi æqualiter infeſtet, quolibet die, aut tertio quoque vt grauitas acceſſionum, aut leuitas poſtulauerint, aut plenitudo maior, vel minor ſit. Quod ſi ſenſibiliter iecur obſtructum concipias, plus ſecabis venam baſilicam dextram, quod iecoris manifeſtus ſit, & illud deobſtruere oporteat, & deonerare, illud plus ad duo refertur; & ad maiorem copiam ex dextra quàm ex ſiniſtra baſilica, & quod non æquè reperatur ex vtroque brachio, vt vulgus medicorum facit.

Notat Auicenna, quod ſi ſanguis mittatur non erit opus clyſtere, illo inquam quo ex vaſis educere peccantes humores contendebamus, quia ſectio venæ ſecurius, & certius materiam deponit, neque decet in morbo qui longus timetur crebris auxiliis vim effeminare, & coctionem turbare; dixerat enim antea; *Et vt clyſteriſentur in principio clyſteribus acutioribus*: quod fuit documentum Galeni 1. *ad Glauconem* citato dicendo; *Et clyſteres non admodum molles.* Timent, & meritò, copiam crudorum primæ regionis, & ſic non ſatis facit clyſter tam mitis vt tertianæ exquiſitæ conueniebat, ſed acutior, plus irritans, & detergens. Dictum verò Aochoeis; *Et cum phlebotomaueris non indigebis clyſtere*, expoſitorum ingenia ſollicitauit. Socius Gentilis dicebat, quod in mane in quo ſecanda eſt vena non ſit opus clyſtere, id eſt non iniciatur, quia vtramque euacuationem incommodè fert natura, & ita ſi mane ſecanda eſt vena, clyſter iniiciatur veſpere aut nocte antecedente, & mane ſanguis mittatur. Gentili non placet, quia clyſterem iniicere communia excrementa educentem ante venæ ſectionem eodem mane, nullum affert incommodum ſi virtus conſtet; mihi verò videtur expoſitio optima, ſi fieri poſſit, & maximè obſeruanda; nam commotio clyſteris eſt oppoſita motioni ſectionis venæ, & inde celebrandum non eſt ſecundum auxilium, quando motio alterius durare poteſt, clyſteris verò motio durare ſolet per tres & quatuor horas, bis, & ter intra hoc ſpatium deiiciendo, quo præter dicta debilitatur æger, & minus firmè, & impetuosè ſanguis emanat, & interdum æger animo linquitur, & ceſſat auxilium, aut vt docuit Valleſius 1. *method. capite ſecundo, folio trigeſimo-tertio*, multis accidit, quod accepto medicamento non ſatis vacuatis in ipſa miſſione ſanguinis turbatur aluus. Eſt etiam aliud inconueniens, quod ſi clyſter mane iniiciendus ſit, & mittendus ſanguis, & tempus idoneum pro clyſtere, & ſedatione eius ſumendum ſit ante venæ ſectionem, ægrotus ante tempus expergiſcitur, & debilitatur impedito ſomno. Cautio igitur optima eſt, ſi mane iniiciendus eſt clyſter, anteponere illum veſperi aut nocte ante cœnam, eò m excrementa eius non poſſint nouam neceſſitatem afferre, & ſic nox erit minus moleſta diſpoſitis excrementis, & depoſita cura ſuſcipiendi clyſterem diluculo, eſtque praxis mihi conſueta ſi fieri poſſit; ſecus verò ſumendum tempus idoneum ad motionem clyſteris, & vt virtus reſtauretur, quæ in ægrotis euacuatione, & commotione facile exſoluitur, vt non rarò linquantur animo, biliosi præſertim, aut quibus os ventriculi languet.

SECTIO I.

De expurgatione & humorum præparatione.

DE his conditionibus loquendo Author dicit: *Et vt expectetur digeſtio in ſolutione ventris eorum plus, & vt ſint in aqua hordei eorum virtutes digeſtiua, reſolutiua, ſicut eſt illud quod diximus in eo in cuius ſtomacho acetat aqua hordei, imo fortiores quam illa, fortaſſe enim neceſſe eſt vt decoquatur in ea hyſſopus, & origanum, & calamentum, & ſpica, ſecundum complexionem, & ſicla iuuatiua eſt eis, & permiſſio aquæ ciceris cum aqua hordei, & in fine cicer eſt iuuatiuum eis.* Et inferius dicit: *cum ergo ſcineris quod digeſtio iam aduenit, tunc euacua, & prouoca, & non cures.*

Euacuato corpore vomitoriis, clyſteribus, leui purgatione ob excrementa primæ regionis, & ſanguine miſſo ob plenitudinem, & vitium vaſorum ſecundæ, & conſequutionem vtilitatum tanti remedij, præparanda eſt materia longius, & efficacioribus auxiliis, quod craſſior, & contumacior ſit cauſa ob pituitæ mixtionem, & quia cauſa compoſita eſt ex bile, & pituita, vtriuſque cura habenda eſt, ob quod cum priſanā præparatoria bilis, miſcet hyſſopum, origanum, calamentum, & ſpicam præparantia pituitam. Sunt enim calefacientia exſiccantia, quia partium tenuiorum, & vrinam mouentia, quibus in ſuccorum crudorum præparatione egemus, quod magis reſiſtant coctioni, & corpus, & viſcera obſtructa nimis ſunt. Galenus 1. *ad Glauconem cap.* 10. citato ſic loquitur: *Sit autem totius victus ratio non quæ humectet, atque refrigeret vniuerſum corpus, qualis in exquiſitis exhibetur tertianis, ſed aliquem modum aſſumat ad calefaciendum, atque incidendum, plurimum igitur eos iuuat priſanæ ſuccus pipere adiecto, vel etiam hyſſopum, vel origanum, vel ſpicam nardi mulſa infundens & decoquens adhibendam propina, & quæcunque alia quæ cient vrinam, præterquam illa quæ ſupra modum calefaciunt, atque exſiccant, maximè verò poſt diem ſeptimum danda eſt ingiter abſynthij coma. & quidem oximeli potione plurimos iuuat, & aliquid ex his quæ molliter ventrem ſubducunt: quibus me aſſiduè vti nouiſti.* Hæc Galenus. Author noſter inferius dicit: *Adiuuantia autem ad digeſtionem ſunt, ſicut ſyrupus acetoſus permixtus cum aliquantulo de gelaniabin, aut ſyrupus acetoſus de radicibus*: eſt verò, *gelaniabin* nomen commune ad mel roſaceum, & ſaccharum roſatum, vt dicunt Iacobus, & Gentilis.

In ſyruporum ergo exhibitione diligenter notandum ſi bilis exuperet pituitam, aut è contra, & iuxta permixtionis

tionis rationem miscere suo modo serapia, est enim timenda inflammatio bilis percalida, si non exhibeantur vt decet, sicut incrassatio, & crassitudo pituitæ, sic refrigerantia pro bile nimis misceantur. Est in hac febre celebris vsus serapij acetosi simplicis, quod vtrumque humorem sine læsione præparet: mel etiam rosaceum detergit pituitam, extenuat, & ventriculum firmat: oxymel verò vbi pituita abundat mirabile est, quia vt dixit Galenus, non accendit febrem, & est strenuum desiccatorium, & deobstruens, est etiam commodum adiamhi serapium, quia concoctorium, & detergens, de bisantiis de duabus & quinque radicibus, & seorsum diarrhodon, sempérque diligo acida omnia serapia, quia bilem non exasperant, & pituitam sine febris augmento dissecant, & incidunt, & exsiccant, nec enim succi crassi & lenti minus præparantur serapio acetoso simplici de acido citri, & limonis, quàm biliosos humor, hunc enim infrigidant, non tamen humectant; pituitam verò dissecant, extenuant, & putrilaginosam humiditatem mirè coercent, nec in alia vi quam in acida agnoscitur iam efficacia fermentandi, & ad concoctionem disponendi, quod vitriolata sit & summè dissecans: inde succus acidus limonum, & citri incidit, extenuat crassos & viscosos humores, arenulas comminuit: calculum frangit, & gemmas non sine admiratione dissoluit, vt coralia, & cum frigidus putetur, constat non frigore, cui condensare conuenit, sed vitriolata natura tam miros effectus præstare, eosdemque non dubiè in corpore nostro moliri; & vbi ventriculi manifesta debilitas agnoscitur, serapium de corticibus citri miscebitur, aut de absinthio, nec diluentur serapia, vbi solius primæ regionis excrementa disponere tentamus, vt plus detenta, & in densiori forma violentius operentur: vbi verò secunda regio disponitur, diluentur idoneis decoctis, vt condrillæ, cinnamomi, endiuiæ, squinanti, seminis anisi, fœniculi & hordei integri, capillorum Veneris, eupatorij, liquiritiæ, & florum vtriusque buglossæ, quibus vtendum donec materia coquatur, & expurgari possit, ad cuius concoctionem confert plurimum, vt hic Princeps & Galenus *1. ad Glauconem citato* docent, præcordiorum calefactio, quod in eis fomes contineatur. Vallesius noster ex oleo, cera, & croco linimentum parat: est commumissima vnctio ex oleo absinthij & melino, aut ex oleo spicæ, mastichis & rosaceo, superspersis pulueribus diarrhod. aut aromatici rosacei. Est mihi familiare vnguentum ex oleo absinthij, spicæ & melino, cum pulueribus spicæ, rosarum, coralli & mastichis cum cera: est etiam in officinis paratum vnguentum ad robur ventriculi conciliandum.

Sic dispositis succis, & obstructionibus reseratis, expurgatio incipienda est leuioribus auxiliis, quæ totum non turbent, sed obstructiones viscerum & præcordiorum primò euacuent, alioqui pernicies certa erit corpus totum purgare; obstructa enim viscera liberum transitum succis vasorum, & totius non permittentia, inculcantur de nouo, & obstructiones geminantur: sunt enim consideranda Galeni verba hæc; *Et aliquid ex his quæ molliter ventrem subducunt, quibus me assiduè vti vidisti.* Verba quidem tanto authore digna, quippe in hoc malo magnæ, & pertinaces obstructiones hypochondriorũ infestare consueuerunt, quæ leuioribus, & repetitis expurgationibus paulatim eradicandæ sunt, non verò pharmacis valentioribus, quæ per obstructas vias succos commotos ducentia illos impingunt, & inde febres augentur: hinc videmus rarissimè vt tertianæ nothæ quæ protrahi cœperunt, aliter exstirpentur quàm concoctione paulatina, & vrinam cientibus, & deobstruentibus simul, aut vt dicit Galenus vomitu à cibo, quo hærentia ventriculo & meseraeo quæ mali fomes erant, exturbantur, & sic euacuatione tam leui morbus tam pertinax eradicatur: hinc tam laudata à Galeno post septimum absinthij potio: quia deobstruit, detergit, lotium mouet, & aluum leuissimè, & ventriculum firmat vt vitiis primæ regionis & hipochondrij strenuè succurrat citra totius corporis & vasorum turbationem.

Neque mihi videtur ad eius vsum in tertiana spuria coctionem esse necessariam, vt putant multi, & præcipuè Stephanus Athenienfis in expositione Galeni, & Gentilis *in com. huius capitis*, nam textus ipse apertè reclamat, cùm tam clarè dicat Galenus; *post septimam danda est inguer absinthij coma.* Nec obstat quod in tertiana exquisita sine signis coctionis non admittat absinthium; nam ex hoc perspicuè infertur diuersam mentem habuisse Galenum in vno capite, quam habuit in alio. Quod enim periculosius tradi poterat, quàm præcipere post diem septimam comam absinthij, si coctionem requireret eius vsus in morbo, qui nec post quadraginta dies signa coctionis habere solet; cur tam periculosè verba mutaret, cùm tam facilè vt in exquisita dicere potuisset, *post signa coctionis confert absinthij potio.* Putandum ergo est quod ex mente eius, & nostri authoris, post septimam dari possit, & debeat, quando iam euacuatum est totum, quia mouet vrinam, quando cruditates ventriculi auxiliis iam dictis eradicatæ sunt, quibus ob vim astrictoriam noxium esse poterat, eritque vtilissimum quia deobstruit, lotium mouet, aluum etiam sollicitat, & quod magis est, conducibilius os ventriculi, & totum etiam roborat, vt impedita noua creatione crudorum, cesset tertiana: aluum etiam laxando quæ cruda in prima coctione creantur, per secessum euacuat, quo impeditur ad venas transitio, & fomes febris destruitur: esset verò amethodum crudorum quæ in prima coctione quotidie creantur, expectare coctionem, si statim distribuuntur ad vasa, & hæc sunt commoda absinthij post totius euacuationem, & similia præstare possunt leuiter aluum subducentia assiduè data, vt Galenus docet, ad quæ tantum abest quod coctio requiratur, quod putem potius ad coctionem celebrandam esse necessaria, quæ sine turbatione totius viscerum obstructionem reserent, & non permittant introferri cruda quæ ex quotidiano alimento perenniter creantur. Mirandum certè est quod Massarias tam apertè mentiatur, dicendo apud Galenum, nullum verbum fieri de septima vel alia die, cùm simpliciter scribat post apparentia signa coctionis absinthium dandum esse; quippe vt *cap.* 9. illud simpliciter scripsit, ita *cap.* 10. simili simplici ratione Galenus præcipit, quod post septimam detur. Tralianus etiam malè intellexit Galenum, exquisitæ attribuens, quod de notha Galenus docuit: ego verò cuiusque humoris deiectorium absinthium iudico, quòd putem detersione tantùm humores educere, & sic pituitam, & succos crudos extergere, & quicquid in prima regione continetur: quare summum auxilium anasarcæ esse solet, quia cruda detergit, deobstruit, ventriculum roborat, & vitium concoctricis à frigore, & humiditate imbecillis corrigit; vrinas mouet, & appetentiam excitat, & sic magni momenti puto fore in tertiana notha ex multa permistione pituitæ cum bile, præsertim si ventriculi læsio agnoscatur: vt suspectum tamen habendum in declinatione tertianæ exquisitæ, quia nec distemperiem emendat, præsertim cum mulsa datum, nec peccantes humores electiuè à venis educit, quod & Tralianus, & Argenterius contra Galenum notarunt, & Galenus ipse *de sanitate tuenda c.* 10. dixit; *Absinthio inest tantum vis detergendi euacuatis humoribus meseraeum & hypochondrium obsidentibus, & viis optimè reseratis, expurgatio vasorum si necessaria sit, est tentanda mixtis medicamentis bilem & pituitam trahentibus; sæpe verò non erit necessaria expurgatio vasorum, si vitia hypochondriorum emendata fuerint.*

An verò semper sit expectanda coctio vt expurgatio fiat, dubium videtur, propter Traliani doctrinam *lib.* 12.

folio

folio 751. vbi docere intendit quomodo humores diffundi, dissoluique, iamque ad excretionem incitari cognoscatur; cuius doctrina impertinens esset si coctionis signa expectanda semper forent, cùm per ambages doceret quæ ex se satis perspicua sunt: sic loquitur. *Materiam subiectam temperato ac humectante victu dissolui inde cognosces, quod cùm per initia esset immobilis, nunc aliquo modo agitari incipiat, atque alias in alium locum descendere, interim ad os ventriculi & intestina, interim etiam ad articulos, aut cutem. Igitur animaduertere oportet hunc humorum motum, & diligenter obseruare, & dare aliquid quod eos subducat, antequam aberrantes noxam intulerint in partem aliquam nobiliorem decumbentes. Verum vulgares Medici nihil humorum norunt, vt qui motiones humorum discernere non laborent, vnde fit vt contraria faciant; postquam igitur hæc viderint statim ad ea prorumpunt, quæ siccare humores, & crassos facere possunt, atque huiusmodi astrictoria quidem sunt medicamenta, similemque victum præcipiunt. Vnde accidit vt humores inde crassos reddant, nec purgantibus facilè cedant, nec obediunt: conuenit igitur vt qui humores dissolutos nouerit, non modò semel exhibeat quæ per aluum subducere possint, sed etiam rursus humectante victu vsi, & dissoluente, si quæ sicca & crassæ reliquiæ subsint, iterum leuiter expurgent, ita enim humoribus modicè subtractis, etiam solus victus morbum in totum en[illegible]ere, mutare, & ad bonum statum deducere poterit, vt nulla alia medicina indigeat, &c.* Quæ aurea sententia memoriæ mandanda quòd magnum quid doceat in curatione tertianæ nothæ. Qua doctrina munitus Medicus poterit cum tanto authore aliquando naturam incipientem mouere, etsi non appareant signa coctionis, quando iam extenuatos succos, & incisos, ac detersos reiicere tentat; sæpe enim qui obstructiones pariunt succi, ita exsiccantur, & tophaci fiunt, quod incoctiles sint, vt sola attenuatio, incisio, & emollitio victu humido, & moderatè calido sit idonea, & sola sit præparatio, vt pellantur leuioribus purgationibus & repetitis: quod documentum ad quartanas & omnes morbos contumaces celebre est. Est etiam communis praxis in iis affectibus non esse euacuandam totam materiam simul, sed statim quod apparent signa coctionis; & si perfecta non sit totius materiæ, educendam esse partem quæ cocta apparet, ne detenta operatione requisita ad coquendam aliam portionem materiæ recrudescat, & fiat noua materia. Sic Mercatus docet *lib. 6. cap. isto*, his verbis: *Et apparente quauis coctione primò præparatam materiam purgabis, &c.*

Constat verò primam præparationem leuioribus deobstruentibus & concoctoriis celebrandam esse, vt serapio adianthi, & endiuiæ, vel acetoso simplici & borraginis, aut melle rosaceo, ex saccharo cum oximelle simplici, & serapio condrillæ cum aquis endiuiæ, & borraginis vel buglossæ, aut decocto fæniculi, cinnamomi, hordei integri, & adianthi; deinde purgandum corpus leuioribus vt docui, & si febris non deficiat, aut satis manifestè remittatur, crassioris succi natura, & copia timenda est, aut obstructiones maiores molestabunt, est necesse hypochondria fouere, & deobstruere auxiliis inferius tradendis, & nouam efficacioribus auxiliis succorum præparationem moliri, vt serapio de duabus, aut quinque radicibus cum aceto in vitria, absque illo in fæminis, oxymelite in maiori copia, quod magnum sit auxilium, aut serapio bisantino, aut acetoso diarrhodon, quod est celebre in febribus pituitosis diuturnis; diluentur verò cum aqua apij, absinthij, endiuiæ & cardui benedicti, aut decocto radicum apij, petroselini, dauci, graminis, & cinnamomi, aut adianthi, radicum endiuiæ, & centaureæ minoris, quæ ad deobstruendum viscera prærogatiuam habet, vt ob id febrifuga dicatur, aut sequenti decocto radicum cichoriæ ℥.j.ß. radicum graminis ℥.j. radicum petroselini & fæniculi ana ℥.ß. ireos ʒ.ij. comarum absinthij ℥.ß. adianthi ℥.ß. radi-

A cis rumicis ℥.ß. seminis æmisi ʒ.j. dauc. ℈.ij. florum vtriusque buglossæ M.ij. coquantur secundum artem, & aromatizentur cinnamomo, vel santalis; huius decocti sumet ℥.iij. cum idoneis separatis.

Deinde corpus, & vasa maiora expurganda, vt electuario diaphænicone de succo rosarum indo, diacatholico, aut confectione hamech, si melancholicum adsit, quod in longis tertianis frequentissimum est: aut sequens parabitur potio. Rhabarbari ℈.ij. foliorum sennæ ʒ.ij. agarici trochiscati ʒ.ß. spicæ ℈.j. infundantur in decocto cordiali, expressionis sume ℥.iij. serapij solutiui ℥.iij. electuarij indi, & diacatholici ana ʒ.ij. misce; nec contemnenda purgatio quæ sic paratur. Pulueris radicis mechoacan ℈.iiij. ialappæ ℈.j. cinnamomi ℈.j. misce & cum iure auis propinetur. Si enim legitimæ B sint radices illæ, præsertim mechoacan, mirabiliter purgant bilem, & pituitam lentam, ac serosos humores, vt nullum inuenias innocentius medicamentum radice mechoacan, & simul deobstruens, vbi iecur obstructum aut hypochondrium percipitur. Est mihi commune expurgans decocti pugilli cum speciebus, & serapij solutiui rosarum ana ℥.ij serapij endiuiæ compositi cum duplicato rhabarbaro ℥.j.ß. misce: nec ad maiora ascendo, donec obstructio & tensio perdurant. Est mirabilis puluis sennæ laxatiuus Rolandi, ad tenaces, melancholicos, & crassos succos educendos, cuius hæc est compositio: Foliorum sennæ mundatorum, tartari vini albi ana ℥.j. seminis anisi, caryophil. cinnamomi, galangæ ana ʒ.j. diagridij ʒ.ij. puluerizentur subtiliter secundum ar- C tem: dosis in substantia à ℈.ß. ad ʒ.j.ß. datur in conueniente aliquo liquore, in infusione verò datur ℥.ß. bilem flauam & atram, & pituitam & morbos inde natos curant feliciter, estque eius vsus salutaris & tutissimus, dummodo siccus æger non sit, aut febris intensa, aut nimia sitibunda: si verò morbus diuturnus fiat, & in cachexiam mutetur, aut permutatio in quartanam timeatur, optimus erit eius vsus.

Inter pilulas commendantur de rhabarbaro, & de agarico, aut aggregatiuæ, quæ sunt optimæ, aut quæ à Platerio parantur sic. Agarici trochiscati ʒ.ij. turpeti ʒ.j. zingiber. ℈.j. rhabarbari optimi ʒ.iij. spicæ ℈.ß. diagridij præparati cum succo rosarum ℈.j. extracti absinthij ʒ.j. cum serapiu solut. ros. fiat massa, capiat ʒ.ß. alternis diebus, & mane ieiunus sumat ℥.j. serapij viola- D cei cum aqua endiuiæ.

Notat tamen Author, quod in hac febre fortasse est necessaria medicina fortis vno modo, & debilis alio modo: est verò eius fortitudo quia euacuat humorem viscosum, debilis verò quia non euacuat plurimum vice vna. *Et est* (inquit) *possibile, quod fiat gradatio in ea, quare euacuat humorem eius cuius euacuatio est necessaria multis vicibus, vt non destruat virtutem.* Iis verbis documentum traditur exhibendi medicamentum forte, quia glutinosa materia leuioribus non cedit, non tamen dicit totam materiam simul educere, quia sine magna dosi vehementia medicamenti tota educi non potest: tam forte verò medicamentum, & in magna dosi natura ferre non poterit. Est ergo dandum ita vt euacuet aliquid, non tamen multum, & sic erit fortis medicina, E quia humorem nimis reluctantem euacuat; sed debilis quia parum eius educit, & ita si reiteretur, erit virtuti, & humori proportionatum auxilium, hinc circulatores, & empyrici morbos tenaces extirpant, Medici circumspectis in cura bilis, quòd vim medicamentorum, & turbationem pertimescant, & leuioribus tantum vsi, nunquam æquale auxilium accommodant. Non decet verò peritos ita operari, sed præceptum Auicennæ sequentes, efficax medicamentum propinare quod educat aliquid, etsi non totum, & si virtus constet satis, augere vim medicamenti, quia morbus sine magna turbatione, vomitibus, & deiectionibus solui non potest, quod concussio violenta vomitionum magni momenti

sit

A fit ad reiectionem lentorum, & plus sæpe valeat, quàm expurgantium reiteratio, præcipuè si os ventriculi tenacibus, & erudis infarctum appateat: auxilia verò hoc efficientia *capite de Curatione quartanæ* tradentur.

SECTIO II.

De Prouidentia Hypochondriorum.

SI relatis auxiliis malum non cedat, putandum est obstructiones esse tenaces, & hypochondria satis tensa, & obstructa, quibus auxiliari intendens Aothor dicit: B *Si autem ægritudo prolongatur, non inuenimus excusationem, quin demus ea quæ sunt, sicut trochisci de eupatorio, & decoctio eius, & calefactio partium hypochondriorum est huius generis, & emplastratio mirach eorum iterum cum eis, quæ digerunt & mollificant tensionem, cùm euenerit illic.* Est documentum hoc celebre, quod quia ignorant triuiales Medici inopes consilij redduntur, quod suis sanguinis missionibus, & expurgationibus malum non obediat. Est ergo docti Medici causam diuturnitatis ad amussim inquirere: ea verò esse non potest alia quàm viscerum & hypochondrij vitium, quod in dies materiam augens, morbum etiam producit. Est verò vitium distemperies à pertinaci obstructione emanans, quæ sibi inuicem causas rise consurortunt, interdum enim intemperies præcadit excrementa pretenitre creans; hæc verò intemperiem augent, & fouent, & C reductionem impediunt: interdum verò ex praua victus ratione excrementa resultant partim distemperantia, in qua firmantur, & rursus similia emanant à parte; est verò periculosior prima occasru. Tactu ergo & aliis signis statum hypochondriorum Medicus explorabit, & parti quæ affecta appareat, succurret, & si iecur tensum, & dolens sit, ex saluatella dextra sanguis educetor, creditur enim plus quàm aliorum vacuarum venarum sectionem conferre: deinde internè, & externè contra obstructionem, & tensionem pugnabimus; externè confert sequens decoctum meliloti, eupatorij, foliorum absinthij viridis, ana m.i. florum chamemali p.j. spicæ vtriusque, & squinanti ana ʒ.i.ß. anisi ʒ.ß. radicum endiuiæ, & apij, & petroselini ana ℥.ß. ros. rub. p.j. coquantur in sufficiente quantitate aquæ, decocti sume ℔.ij. quibus adde olei spicæ, amygd. amar. & ros. ana ℥.ß. olei chamemali ℥.j. aceti ros. ℥.i.ß. misce. Quo D decocto iecur fouebitur lana, filtro, aut spungis, deinde leniter exsiccato fotu, vngatur sequenti vnguento. Vnguenti deoppilatiui succorũ iecoris ℥.j. puluetis trochiscorum rhabarbari ʒ.ß. succi endiuiæ ℥.ß. aceti ros. parum, fiat linimentum, & si obstructio contumacior sit, decocto addes lupinos, centaurum minus, & radicum cyperi. Semper tamen aliqua emollientia miscenda, quia obstructio pertinax schirrhum æmulatur. Et sequens vnguẽtum parabis. Olei spicæ, & absinthij, amygdal. amar. & chamemali ana ℥.ß. olei ros. ℥.j pulueris fænugræci, florum chamemali, squinanti & spicæ ana ʒ.ß. santal. rub. & cos. rub. ana ℈.ij. succi endiuiæ & foliorum apij ana ℥.iij. coquantur ad consum- E ptionem succorum, & colaturæ adde emplastri meliloti loco ceræ quod satis, aceti ros. parum, fiat vnguentum.

Multa etiam inuenies apud authores *capite proprio* de iecoris obstructione, inter quæ aqua rhabarbari præstantissima est, quia deobstruit, aluum solicitat, & iecur, & ventriculum firmat, & si febris intensa non sit, decoctum radicum ononichis, & cardui lactei, qui etiam Mariæ vocatur, præstantissimum est, vt testatur Mathiolus: contemperabitur optimè si decocto addas radices, & folia fragariæ, quod mirè deobstruant & ie- A cur obstructum respiciant, vt inde morbo regio magno sint auxilio: semper tamen fugies simplicium magnam farraginem ad apozemata deobstruentia parand, quòd ingratissima sint, & abominabilia, & sit difficillimum per diem seruari, quod multò se alterent, & inæqualem coctionem non sustineant, vt sit difficile multa ipsorum in decoctione ipsa vires non amittere, in quo passim peccat Quercetanus, vt contra illum notauit Poterus. Sic mihi errare videntur qui serapia decocti admiscent, & cum simplicibus rursus decoquunt: hoc enim sine magna syruporum strage fieri nequit, & fiunt etiam ingratæ potiones. Est mihi in vsu serapia seorsim præbere, & mox decocta, aut aquas stillatitias propinare, aut non antè miscere quàm sumi debeant. Illud tamen de decoctis doctissimè Quercetanus notauit, non esse B paranda ex viridibus; & exquisitè clarificanda, & mox aromatisanda, sic enim suauiora, & durabiliora parantur, & vtiliora sunt. Aqua absinthij, & eupatorij celebres sunt in hoc casu, & decoctum minoris centauri strenuè deobstruit, & iecur firmat, bilem crassam expurgat, vt ob hæc febrifuga dicatur. Paratur ex floribus eius serapium febrium biliosarum ferociam compescens, & facillimè eas eradicat, crassam bilem benignè euacuans, viscera omnia deobstruens, & omnem ictericiam exstirpans, & continet in se (vt inquit Quercetanus) suum rhabarbarum: potest etiam parari ex succo foliorum, si flores non sint, & easdem vires participat, licet sit minus balsamicum gratum. Præstat etiam ius alteratum cum succo agrimoniæ, borraginis, adiantho, radice pentaphill, graminis spij, petroselini cum drach- C ma salis ex tartaro: sed ante ius sumendum serapium acetosum simplex, in quo maduerint absinthij pontici comæ.

Si ventriculus obstructus sit, eodem decocto fouebitur, addito ligno aloë, iunco odorato, cyperi radice, & si debilis sit, aliquid mastiches, & vngetur vnguento deoppilatiuo ventriculi cum pulueribus trochiscorum, absinthij, aloë & mastiches parato linimento, aut in vino albo generoso coquantur spica nardi, & celtica, squinantum, anisum, absinthium viride, daucum, rosæ, & chamemali flores, & illo ventriculus fouebitur, deinde vnguento relato vngetur. In quo casu est optimus vsus mulsæ, in qua absinthij comæ maduerint, aut acetum mulsum cum eodem absinthio summo mane aliquot cochlearia sumendo: quibus & aliis attenuati humores, & emolliti, si æger facilè vomat, magnum erit auxilium, quia vt Galenus docuit *in fine huius capitis*, D vomitus post cibum adeò his quibus hæc febris perdurauerit vtilis est, vt multos sciam solis vomitibus statim fuisse curatos, & ego iam vidi post sumptam aquam stillatitiam ex nucibus viridibus vomitu superueniente, prolixam tertianam eradicatam; propriè hoc auxilium conuenit quibus ventriculus crudis & lentis infarctus malum fouet, indigentibus vt dixi violenta concussione vomitus, vt impacta tenaciter materia impetu reiiciatur. Confert verò alimentum sumere ob duo, & quia facilius vomitus mouetur, & quia est præparatio quædam, vt infarcta melius educantur: hærent enim ipsi alimento, & sic consequentia pelluntur. Sunt multa id præstantia, commune oxymel cum decocto seminis ra- E phani, & florum chamemali tepidè sumptum, est optimum, si ℈.j. succi tabaci addatur, mouet enim vomitum efficaciter, aut ʒ.ß. agarici puluerizati: erunt verò alimenta sumenda oleosa, & pinguia, quia ad vomitum etiam inclinant, & efficaciter ad vomendum inclinat raphanus cum melle in principio prandij ingestus, & extenuat etiam lentam pituitam, quam vim obtentura esse alimenta sumenda Stephanus putat *in expositione huius capitis*, vt pinguia, & attenuantia miscenda sint cum detergentibus, vt si cum origano, pulegio, pipere, hyssopo, beta, porro, & aliis alimentum paretur, deinde transacta horæ dimidia vomitus impetrabitur,

oportet

oportet enim expectare inceptam coctionem, vt succi crudi cum alimentis agglutinari possint, & commodè educi: cauendus vomitus in menstruantibus, aut menstruo proximis, & caput nimis debile habentibus, & ventriculi fluxum facilè patientibus: maiora verò vomitoria *cap. de quartana* inuenies.

Si verò vomitum imperare non licest, vel imperatus non eueniat, pillulis idoneis infarcti humores extrahendi sunt, vt de hiera cum agarico, aut de agarico aggregatiuis, vel alephanginis, de rhabarbaro & hiera, aut quæ ex ammoniaco parantur, quæ sunt mirabiles hac ratione. Aloës præparatæ ℥.ß. ammoniaci ʒ.i.ß. rhabarbari ʒ.ij. myrrhæ ʒ.i. croci ℈.ii. cum serapio de absinthio formentur, dosis ℈. ii. quarto quoque die aut per maiora interualla si opus fuerit, sumantur, eruntque reiterandæ quousque sufficienter euacuent, fomentum, & vnctionem semper repetendo.

Simili methodo lieni affecto auxiliandum, parabitur enim decoctum hoc modo. Corticum capparum, & tamarisci ana ℥. ß. scolopendriæ, lupulorum, meliloti & camemali ana m. ß. radicum apij, eringij & feniculi ana ℥. ß. cardamomi, spicæ, & squinanti, & radicum assari ana ʒ.ii. ireos ʒ.iii. coquantur in aqua chalybeata fortiter, decocti sume ℔.ii. iis adde olei cappar. ℥.i. amygdalarum amaratum, & absinthij, an. ℥.ß. camemali ℥.i. aceti squillitici ℥.i. misce, quo, vt de iecore diximus, lien foueatur, post vngatur vnguento sequenti. Vnguenti deoppilatiui succorum lienis ℥. i. pulueris trochiscorum de cappatibus, & radicum asari ana ʒ. ß. aceti squillitici quod sufficit pro linimento. Notabitis tamen, ne ex decoctis, aut vnguentis sumatur nisi requisitum pro quavis vnctione, cùm enim calefacienda sint, si igni semper exponatur totum, vires attenuantes amittit; ob quod Galenus nec ad ignem vnguenta calefieri permittebat, sed in duplici vase ob virium custodiam; si verò lienis obstructio contumax fuerit, sequens vnguentum parabitur. Olei amygd. amar. & cappar. an. ℥. i. olei irini & absinthij ana ℥. ß. medullæ crurum bouis ʒ. i. butyri recentis ʒ. vi. succi brioniæ, & cyclaminis, ana ℥.i. succi apij ℥. ß. coquantur lento igne ad consumptionem ferè succorum, & coletur, colaturæ adde pulueris asplenij, corticum tamarisci, & cappar. ana ʒ.i. pulueris seminis vitici, & nicotianæ, & nucis myristicæ, ana ʒ.ß. aceti squillitici parum, ceræ quod satis pro vnguento: est enim mirabile, & mihi expertum.

Interius sumetur decoctum quod ad febres chronicas Quercetanus extollit; est verò quod sequitur. Foliorum scolopendriæ, absintij viridis, centauri minoris, ana m.i. vuarum chorintiacarum, hordei ana ℥.i. assari ʒ.iii. coquantur in æqualibus partibus seri caprini, & vini albi, in colatura dissolue saccari, & cinnamomi quod satis ad dulcorandum & aromatizandum pro duabus dosibus. Ante hoc decoctum sumi poterit serapium aliquod ex maioribus deobstruentibus, vt acetosum diarrhodon, de eupatorio, de quinque radicibus, bisantinum, aut aliquando oxymel parabis easdem vires participans, & ex Mesue recipies. Si duritics & obstructio adhuc molestent, in schirrhum mutari timebis: eritque vtilissimum cucurbitam scarificare altioribus plagis supra regionem lienis, & post sex horas iterum cucurbita cum multa flamma sine noua scarificatione supra scarificatum locum applicabitur, & si prima scarificatio fiat duabus horis aut vna ante accessionem vtilior erit, extrahet enim materiam iam paroxysmo vicinam, & locum scarificatum fouebis oleo camemali, & cappar. & irino, ad extus materiam euocandam accessionem facturam, & seruanda aperta vlcuscula pro secunda appositione, quæ methodus etiam in iecoris obstructione seruabitur, sæpe enim tam pertinaces sunt huiuscemodi febres, vt omne genus auxiliorum requirant. Constat verò ex adducta antea methodo, secandam esse saluatellam, sed sinistræ manus, antequam scarificationis necessitas in-

A gruat, nec parum proficient hyrudines hæmorrhoïdibus admotæ, si lien, & iecur obstructa inueniantur, eruntque per epicrasim expurganda excrementa, vt iam docuimus, & si melancholiam vigere videas, pillulæ de ammoniaco, si ellebori nigri præparati drachmam addideris, ex vsu esse poterunt, aut pillulas fumariæ miscebis, aut Indas, & aureas; & interdum tam pertinaces solent esse obstructiones, vt chalybeata auxilia imperare cogamur, vt Claudinus notauit *in appendice a. sect. folio* 184. Non enim putat necessarium vt prodesse possit, & experimentis confirmat.

B

SECTIO III.

De cibatione & victus ratione.

Victus debitam rationem vim nondum satis laudatam ad morbos contumaces debellandos obtinere, publicum est, quod in tertiana notha velut rem magni momenti Galenus diuersis præceptis ostendit; inter alia dicit: *Nec quotidie oportet cibum exhibere, sed alternis diebus.* Quod placitum transferens Author noster dicit: *Imo oportet vt cibentur vno die, & alio die non.* Quod præceptum iam religiosè obseruauit Stephanus Atheniensis, quod putet in die quietis alimentum concedendum non esse, quia cùm succi crudi abundent, in ea die coquetitur, & in sanguinem mutari morbi mate-
C ria minuitur; & in hoc sensu tradit Stephanus Sotum *in suis practicis animaduersionibus, num.* 59. ingeniosam eius expositionem iudicans; ergo verò periculo plenam; dato enim quod alternis diebus solum forent cibandi, securius esset in die quietis cibare, & diem paroxysmi sine cibo transigere. Ratio est, quia cùm notha tertiana longior esse soleat, non potest exquisitus victus competere, sed paulò plenior; & cùm alternis solùm diebus cibandus sit æger, necesse est vt eo die copia alimenti concedatur, quæ non dubiè infelicius coquetur in die accessionis quàm in die intermedia. Constat planè, quia iam incipit natura pati, & suffocatur calor vitalis, quod indicat inquietudo, & nox difficilis ante accessionem, vt Galenus, & Hippocrates docuerunt. Vnde necesse est quod coctio pessimè fiat ob
D duo, & quia quò accessio propinquior est, plus laborat natura, & quia æger in somnis fuerit, & inde pessimè coquet, & si quid alimenti incocti remaneat, accessionem intendet, & minus ventilabile corpus reddet. Sic Gentilis Auicennam exponit, & Galen. Trincauellus *in scolio huius capitis*: nec Stephanus eam habuit sententiam; solùm enim dixit cibandos esse alternis diebus, quia pituita superflua in ipsis, residens, potest in intermediis diebus constitui, & ad melius reduci, inediaque iuncta in sanguinem mutari, sicque nutrimenti rationem membris seruare. Per dies verò intermedios non intelligit febre vacantes, vt malè Sotus, sed cibationis auaræ, hoc est in diebus intermediis in quibus cibus non datur, pituita abundans sufficiens alimentum præstat, quia in sanguinem vertitur, & inde sufficiet alternis diebus ci-
E bare; & cùm dubium esse nequeat alimentum in die quietis melius commutari, & alias salubrius imperari, & in die accessionis pituitam in sanguinem permutari posse, & magis resolui, sine ratione aliqua cibus in die quietis denegaretur, & laboris tempore concederetur; quinimo censeo melius pituitam tempore caloris febrilis in sanguinem verti, quia etsi calor naturalis tunc non magis abundet, neque sit temperatior, calor tamen febrilis succos crudos alterans, & calefaciens & extenuans, in dispositionem eos incoctiles reddentem emendat, & coquuntur facilius; neque implicat quod in die accessionis, si nimiè crudi abundent, calor etiam vitalis melius se habeat; quia materia ex qua fiunt, potest esse

melius

melius disposita, quod à pituitæ frigiditate sanguis gelidior, & concretus aut densatos, minus spirituosos, & ineptus creationi spirituum reddatur. Prauè igitur Galenum & Athenicnsem Sotus exposuit; constat verò esse semper considerandam naturam ægrorum, & cibi consuetudinem notandam, tum etiam si succi crudi apti sint vt mittentur in sanguinem, nec enim de omnibus id affirmari potest: vires etiam maximè contemplandæ, & iis rectè, & ad vnguem libratis, si alternis tantum diebus cibandus sit æger, doctus Medicus inueniet. Dixit verò Iacobus, quod in septimo clymate, & in regionibus sub eo manentibus, rarò vel nunquam præcipiunt Medici febrientibus, quod vno integro die à cibis abstineant, & quamuis præcipierent, non obedirent: sunt enim voraces, & vix sustinent semel tantùm in die cibum assumere, quod etiam Stephanus *loco citato* notauit, & cum longè Trincauellius exposuit. Pereyra etiam consilium Galeni damnat, quod alternis tantùm diebus alimentum concedat; qui tamen sine ratione imperat, quod tribus horis ante inuasionem, ius, & caro pulli propinentur, est enim dandum alimentum multò ante, experimento enim constat post quatuor, & quinque horas, sub propria specie alimentum euomi.

Difficile etiam videtur, quod *eodem cap.* Galenus docuit dicendo: *Inedia quidem in valentioribus etiam viribus, & morbo cocta difficili; Leuiori autem cibo, vbi vires sunt debiliores, nec morbus admodum concoctu contumax*; nam in morbo coctu difficili plus temporis requiritur ad eius victoriam, quia quò passum plus resistit, vincitur tardius; plus ergo in pugna natura detinebitur, & per consequens vberiori cibo egebit, quod morbus difficilius coquatur. E contra etiamsi morbus est coctionis facilis, erit eius constitutio breuissima, in qua cum pauciori cibo natura sufficiet, non ergo plus dandum. Respondetur, Galeni doctrinam esse veram, sumpta indicatione ab eo quod morbus ex se, & natura etiam indicant; nam cum alimentum suo modo coctionem retardet, si minus detur in morbo contumaci, citius adueniet coctio: ergo si vires fortes sint vt diu durare possint, & morbus coctionis difficilis, inedia imperanda quia virtus illam potest ferre, & morbus eam requirit, vt citius coquatur. Sic si morbus sit coctionis facilis, & virtus debilior, plus alimenti dabitur, quia virtus illud vt debilior requirit, & morbus non ita contra indicat, quia coctionis facilioris, & sic sine periculo dabitur: ergo cum forti virtute plus indicat morbi contumacia quàm virtus, & sic minus dandum; vbi verò virtus labitur & affectus coctionis contumax non est, plus indicat instauratio virtutis, & sic plus dandum, quamuis morbus tardius coquatur, quia vincitur indicatio morbi à virtute: erit tamen victus extenuans, incidens, calefaciens moderatè, & abstersorius ob pituitæ admistionem, & sic Galenus ptisanæ addit piperis aliquid, aut hyssopi: quomodo verò hæc commodè misceantur, *cap. de hemitritæo* dicemus.

SECTIO IV.

De potu & reliquis auxiliis.

Potus in principio aqua hordei cum cinnamomo, aut radice condrillæ decocta cum aniso, euacuato corpore vinum album, & tenue concedendum, præsertim si langueat ventriculus, aut adsit copia crudorum: in declinatione verò accessionum permittunt Authores frigidam dare ob pituitæ copiam, & obstructiones maiores; sæpe tamen in ista tertianis sitis molestare solet, præsertim quando bilis aduritur, & pituitæ salsæ, aut salsæ miscetur, in quo euentu potio medicamentosa non nimis frigida imperabitur, vt si serapium acetosum simplex propines, & aqua cinnamomi superbibatur; læsio enim à frigore inducenda, tenuitate emendatur, & insertione serapij, aliasque potiones ad huius exemplum parabis iuxta ideam morbi ex aquis buglossæ, borraginis, endiuiæ & cardui benedicti, cum serapio limonum, aut de acido citri, borraginis, & acetosi simplicis: frictiones dorsi post totius euacuationem cum oleo camemali, anethino, & amygdalarum dulcium, maximè vtiles erunt ad pororum apertionem, si linteo calido oleum leuiter detergatur fricando; sic enim viæ aperiuntur, & coctio celebratur moderato calore, balneum non permittitur à nostro authore ante signa coctionis, & declinationem vniuersalem. Rationem reddit dicendo; Balneum enim facit descendere phlema indigestum per illud quod effunditur ad locum putredinis, & permiscet humorem malum cum putrido, & resoluit subtile, & facit remanere spissum: sed temporibus nostris sepultum est hoc genus auxilij. Quod si mali pertinacia ventriculus langueat, & ob malam coctionem inflatus æger & cachecticus appareat, omni ingenio roborandus est auxiliis *cap. de curatione quotidianæ* relatis.

Illud tamen obseruabitis, non esse perpetuò auxiliis vtendum, quando diuturnum fit malum, sed præceptum Hippocratis obseruandum, in adhibitione contraria adhibere, & quiescere; præsertim de auxiliis internus fomendis intelligendo sententiam, quòd magnum fastidium & horrorem incutiat assiduus eorum vsus; & ita sola victus ratione interim agendum, & postea ad noua auxilia redire, si opus fuerit: contingit verò interdum breuiùs morbum finiri, nihil agendo & à lecto surgendo, est enim opus robusta coctrice ad concoquendos succos tam tenaces, coquuntur verò copia vitalis caloris, quem auxilia non augent, sed moderatum exercitium, & optimum alimentum cum recto vsu rerum non naturalium; distributio quippe alimenti, & caloris augmentum vbi frigidis obruitur, moderatis motionibus optimè aguntur, quibus etiam humores obstruentes incipiunt dimoueri, & concoqui, & à locis obstructis separari impetu delationis sanguinis, & spirituum, vt solum exercitium sit efficacius reliquis auxiliis, estque rationi consonum, quia auxilia possunt non pertingere obstructa loca integris viribus; calor verò motione excitatus omnia alterat, concoquit, commouet, & resoluit.

Vbi molestus adhuc est morbus, vt magnum auxilium, & expertum tradit Augenius succum gentianæ, aut eius decoctum, vel aquam stillatitiam, succus tamen (inquit) si sumatur adeò confert vt nullum sit auxilium cum illo conferendum: sic præbet. Succi gentianæ condensati ℥. j. liquidi autem ℥. j. ß. iuris pulli ℥. iiij. specierum diarrhodonis Abbatis, & aromatici rosati ℈. j. sumatur tribus horis ante accessionem, in multis vomitum mouet, in aliis aluum, sed maximo commodo vtrumque facit, quia futuram accessionem solet prohibere, aut adeò illam minuere, vt contemnatur. Succum liquidum non intelligo depuratum, sed cum sua fæce recenter extractum. Ratio extrahendi hæc est. Radix contusa quinque diebus aqua maceratur, pòst in eadem tantisper decoquitur, dum extent radices, & vbi refrixit aqua, linteo excolatur, mox decoquitur dum mellis crassitudo fiat, fictilique reconditur. Id scribo quod pluries vidi, & certissimè obseruaui.

Aquæ extractæ ex succo florum camemali per balneum pro exstirpandis his tertianis longis, vt præstantissimum laudat auxilium: datur mane ieiuno ventre per tres, vel quatuor dies, quod auxilium quia securissimum per plures dies imperari potest. Ex puluere etiam florum exsiccatorum trochisci parantur, & datur drachma cum iure pulli: decoctio etiam florum longas febres fugat. Zecchius vnciam succi plantaginis depurati cum ℈. j. aromatici

matici rosarum initio rigoris præbet. Mizaldus vt certum auxilium tradit eundem plantaginis succum cum mulsa datum duabus horis ante accessionem si repetatur. Rondeletius *cap. proprio, fol. 786.* dicit, rubea trochiscata Nicolai, & folia bursæ pastoris, si post vniuersales purgationes carpis admoueantur, hanc febrem depellere. Idem præstat dentilaria, & ea species thlaspi quæ similis est bursæ pastoris: terantur simul cum sale, & aceto, & carpis applicentur; caluæ etiam cum sale nigro contunduntur, & carpis applicantur, & plantis pedum ante principium accessionis, & per tres aut quatuor dies reiteratur, idem cum absinthio sicco celebrator; auxilia ad rusticos à Fonseca relata, quæ non esse præter rationem dicit; eam tamen non affert, credendum est aut tractione ad partes extremas, aut siccatione, & resolutione accessionem cohibere, quod etiam de foliis vrticæ cum aceto forti, pistario, & sale eisdem partibus applicatis dicitur. Idem de succo extracto ex foliis viridibus coronopi, & initio accessionis seu rigoris in quantitate ℥. v. bibitus, vt certum experimentum mihi fuit relatum; estque commune auxilium & his temporibus multi vsus initio rigoris aut horroris ℥. iij. aut iiij aquæ instillatitiæ nucum viridium præbere, sæpè frustratur auxilium, interdum verò manifestè confert vomitu excitato.

SECTIO V.

De duplici tertiana notha, & eius curatione.

COmmunissimus morbus est tertiana notha duplex, bifariam verò contingit: nam aut à prima inuasione duplicata est, aut vna sola incipit, & postea alia superueniens prieri duplicatur. Non semel obseruaui in tertiana notha simplici à legitima non multum distante, statim à septima accessione absque vllo errore duplicari, quando iudicium, & terminatio primæ spetabatur. Res certè notatu digna, videtur enim quod vt in continuis, & acutis crises malæ fiunt, malo in deterius mutato, sic in intermittentibus quando iudicium prioris febris spetabatur, fuit velut mala crisis duplicati. Circa quod est notanda sententia Hippocr. *7. epid. textu 81.* vbi *in fine*, postquam docuit quod tertianæ præcipuè in æstate fiunt, & aliquando malignæ, & ad morbos acutos perueniunt, sic textum finiuit. *Sed cauere oportet; maximè vero tales morbos arguit* 5. 7. *aut* 9. *melius autem vsque ad quatuordecimam obseruare*: ergo vt in continuas, & malignas febres solent permutari, sic duplicati possunt in eisdem diebus. Valesius verò *in commento* non reddit rationem huius permutationis, nec cur talem permutationem arguant 5. 7. aut 9. dicit verò esse intelligendam quintam, septimam, aut nonam accessionem, non diem, quia in intermittentibus non numerantur dies, sed accessiones. Mihi verò videtur oppositum, quia *in fine textus*, dum dicit Hippocrates; *melius autem vsque ad quatuordecimam obseruare*: non potest intelligi de accessionibus, cùm tertianæ exquisitæ eam non attingant; loquitur ergo de diebus, & ratio est, quia in quinta, & septima & nona die, fiunt tertia, quarta, & quinta accessiones, in quibus vigor morbi, & concoctio solet euenire, & in quinta accessione præsertim: ergo in ea maximè contemplandum quid eueniat; si enim non coquatur morbus, timenda permutatio; quia sunt iudicatorij, & indices: & quia in septima accessione solet omnino finiri morbus ille, & hæc incidit in diem decimamtertiam, timenda est permutatio in die decimaquarta, si non fuit finita & iudicata tertiana in decimatertia die; & ideo rectissimè dixit, esse melius quod summa obseruatio habeatur vsque ad diem decimamquartam, quia vsque ad decimamtertiam habet vt legitimum terminum iudicationis hæc tertiana exquisita, & sic verosimilius est, aut iudicandam fore, aut permutandam in alium morbum; hoc enim est proprium morborum, qui intra legitimum terminum sibi præscriptum non iudicantur in alios mutari, & abscessus facere. Facit etiam contra Vallesium, quod si accessiones deberent intelligi, non esset cur sextum non numeret, cum sexta in decima adueniat, quæ est decretoria.

In aliis obseruaui, quod cùm tertiana notha per aliquos dies molestaret, & prius sanguis fuisset extractus, sed non satis, imperata tertia sanguinis missione, eo die febrem duplicari, quod mihi in duobus fratribus pueris hoc anno non sine admiratione euenit: sunt enim in rebus Medicis iam admirandi effectus secundarij, & per accidens ad alia auxilia sequuti, vt scientia, aut timor eorum haberi non possit. Sunt verò rationes multæ, ob quas tales effectus præter spem eueniunt. Prima quòd viscus aliquod per sanguinis missionem debilitetur, quod antea non percipiebatur læsum manifestè, vt sanguinis missionem impediret, vt ventriculus, aut cerebrum, vel quodcumque aliud; nam læsio inducta per rationem sanguinis omnibus membris communicat, viscus verò læsum nouam materiam creans, aut abundantiorem quam antea, morbum geminat, quia pro duplici accessione sufficiens materia creatur. Alia ratio mihi se obtulit; nam cùm in intermittentibus cum rigore incipientibus magna pars excrementi in ambitu corporis relinquatur, cùm in eo sit focus, in quo accessiones fiunt, aut quod esse possit, negandum non est, non implicat per repetitas missiones sanguinis retrocedere ad vasa magnam portionem excrementi in ambitu, aut extremitatibus vasorum derelicti, quæ sanguinem & humores vasorum contaminet, & nouam ac maiorem corruptionem inducens, febrem duplicet. Idem euenire potest si tota materia febris in prima regione contineatur, aut in prima, & secunda, & nondum materia primæ sit expurgata satis, intro enim trahitur, & vitium secundæ augetur, & duplicatur morbus: non contingit verò duplicatio illa in primis sectionibus venæ, quia vasa maiora non erant inanita, vt post aliquot sectiones, & sic non trahunt tam cupidè in principio, parúmque refert quod trahi putes, aut quod moueatur gratia vacui, quia in idem recidit ratio à nobis adducta. Est etiam probabilissimum, quod natura viscera expurgans corruptum sanguinem ad extremitates reiiciat, vt interna liberet, secta verò vena intro remeet quod ad distantes partes natura pellebat, aut a munere incepto per reuulsionem remedij impeditur, sicque retrocedens, aut non expulsus, nouam & maiorem infectionem efficiens, febras dupliciter, aut continua fiat; sæpe videmus extractum sanguinem tam corruptum, & extra naturam sanguinis apparere, quod si viscerum sanguis tam corruptus esset, foret vita impossibilis, & tam breuiter liberentur ægri sanguine misso, quod non eueniret, nisi natura (vt dixi) expelleret in partes extremas tam vitiatum sanguinem; qua doctrina munitus Galenus 4. *de tuenda sanitate*, *cap. 10.* sectionem venæ reiterat, dum lassitudini phlegmonosæ medetur, vt id quod vitiatum ex locis phlegmonosis ad vasa retrocessit per primam missionem sanguinis, reiterato remedio extrahatur, ne humores vasorum contaminet. Sed aliquando obseruaui aliud notatu dignum, quod si sanguis prius extractus non apparebat satis vitiatus, & secundus malignior exibat, nec repetat morbus, arguit euacuari quod erat in foco, & bonum esse vt tale Hippocrates in pleuritide censuit, & Galenus *in expositione*: sæpe etiam sanguinis missio, vt docuit Auicenna, permiscet bonum cum malo, & febris deterior redditur, aut intra propriam speciem, aut duplicata, aut malignè affecta, aut quia totum corpus nouam debilitatem contrahens, minus quàm antea humores emendet, & magis putrescentes, quod diximus, eueniant. Tot infortuniis Ars medica vacillat, &

absque

absque crimine Medici culpantur, si casum primæ regionis excipias, in quo accusantur iustissimè, nisi sensim per morbum ob prauam victus rationem crudi in prima regione creentur, quibus communis stercorum euacuatio satis non fit, & error in victu Medico celetur, quod est frequentissimum.

Ergo duplex tertiana si statim incipiat, putandum est ab eadem minera pronenire, & simul cessaturam, nec insignem aliquam mutationem in lotio, aut aliis excrementis ostendere in vnico die, quæ non fit in aliis; si verò post duplicetur, & duplex sit pars transmittens, & focos, solet vna sine alia cessare, & vno die signa coctionis apparere, in alio verò minimè, aut signa coctionis vnius facit per cruditatem alterius obscurantur: si verò tanta fit crudi humoris & sedimenti non cocti expulsio, quod nunquam lotium absque aliquo sedimento crudo reiiciatur; si verò non ita eueniat, sed solùm quando viget aliqua portio maior, tunc in tempore intermedio coctionis, signa alterius forer apparebunt. Sed hæc variatio non est tam propria duplici foco quod in notha tertiana simpliei inoenitur repugnet, vt quotidia obseruamus, ob materiæ difformem conditionem & resistentiam; certum tamen est, quod si secunda febris post primam euenit, quod poterit primas esse in augmento vniuersali aut vigore, quando alia in principio manet, & eodem modo si duplex sit focus, & simul incipiat quilibet sua febre molestare, possunt enim diuersæ naturæ materiam præbere, quarum vna facilius multò coquatur, aut quia minor, aut tenuior, aut minus putrafacta, aut quia diuersæ naturæ, vt si alter focus pituitam, alios verò melancholiam cum bile præbeat, certum est pituitam citius fore emendandam. Idem eueniet si partes mittentes in vigore natiuo discrepent, debilior cum tardius signa coctionis ostendet, quòd tardius & debilius coquat, & plura excrementa generet. Ergo si modò signa coctionis appareant, modò obscurentur, iam constat varietas: si verò ob continuam permixtionem crudi sedimenti quod coctum est obscuretur, alia signa contemplanda sunt coctionem ostendentia, vt quod vna ex accessionibus melioris moris sit reddita, quia accidentia eo die euenientis leuiora sint, & meliora ægrotus toleret; nihil verò melius ostendet quàm si pulsus mollior appareat, & contractionis magnitudo & celeritas remissiores quàm antea sint. Est enim notanda Galeni doctrina 9. *lib. methodi, cap.* 5. dicentis: *Maxima verò febrium continentium remedia hæc duo sunt, detractio sanguinis, & potio frigida; verum illa nullo non tempore modo vires sustineant: hac cum in pulsu, & vrinis concoctionis euidentes cernuntur notæ.* Quibus clarè docet signa coctionis pulsu ostendi: quomodo verò ostendantur, doctissimè exposuit 4. *lib de præsagitione, ex puls. cap. vltimo*, dicendo: *Quæ sunt pessima excretiones, quæ pulsum nec magnum obtinent, & celerem in contractione ostendunt. Porro autem si etiam se plus intro recipiat simul hic extrementi affluentis imprimis est nuncius, atque ob id crudi morbi, &c.* Ratio est, quia quandiu crudis est materia, fuligines & abundant magis, & sunt crassiores, velut quę ex lignis viridibus dum igniti incipiunt eleuantur, & sic vsus contractionis augetur, & inde si coctio fiat, quia minor est fuliginum copia, nec tam irritans & maligna, nec tantæ obstructiones, ideo & pulsus mollescit, & contractio, & eius celeritas minuuntur, & sic coctio insinuatur, quæ si non adsequaris, declinationem manifestam vnius accessionis expectabis, vt expurgatio fiat illius portionis, declinatio enim eius portionem emendatam esse declarat: certum tamen est quod secunda febris potest esse ocessio vt alis non coquatur, non solùm quia distemperat, sed & contagio inficit sanguinem, & ideo eius curationi incumbendum, si maior videatur: fiet verò id si viscus de nouo affectum corrigas, vt vitium eius exposcit.

D. Petr. M. de Heredia, de Febribus.

Nec ignorare decet, quod vna tertiana potest esse pituitosa, & alia melancholica, & alia per consequens miscenda medicamenta bilam, pituitam & melancholiam concoquentia: conueniunt tamen in deobstruentibus, lotium mouentibus, clysteribus acutioribus, priùs verò expurgabitur bilis & pituita, quia coquitur facilius, deinde humor melancholicus, nisi contrarium perspicuè percipiatur, erit tamen rarissimum. Illod tamen diligenter notabis, quod si duplex sit focus, & qoilibet grauem creet accessionem, in magno periculo erit ægrotans, quod duas partes habeat insigniter læsas, ne dicam tres, si bilis, melancholia, & pituita misceantur ad diuersas accessiones faciendas, est enim cognictabile quod ventriculus, iecur, & lien sua vitia patiantur, quorum maggi momenti semper fuit ventriculi vitium, quia coctio prima viriata omnia confundit in corpore, vt ex sententia Galeni *in communi methodo* vidimus; & sic eius cura strictius suscipienda, & de optima alimentorum coctione summè curandum, deinde iecori subueniendum deinde lieni: quod dico, non quia omnibus simul occurrere non liceat, sed quia solent medicamenta aliis visceribus idonea ventriculum lædere, & si hoc aueniat tantisper cessara, dum ventriculus emendatur, medicamenta præcipuà quæ lieni debantur, quod fortiora sint, ventriculo solent obesse, & inde per externa auxilia crebrius visceribus applicata, iecoris, & lienis vitia corrigenda sunt, Intus verò tatius imperabuntur, tuncque quæ ventriculum roborent, illamque respiciant, miscebuntur.

CAPVT XLI.

De Febre Causon.

SECTIO I.

De Essentia eius.

IN hoc capite quod in arte medica celebre est, & passim cum periculo occurrens, essentiam causi, causas, præsagia & medelam Auicenna tradit: est caput confusum, & malè dispositum, ob quod vt in præcedenti naturam ipsius prius trademus, deinde reliqua debito ordine. Est causus febris ardens, quam etsi explicitè author non definiat, potest tamen eius natura ex verbis eius deduci. Et quoniam causon (inquit) vehementiora habet accidentia quàm tertiana, oportet vt sit breuioris spatij, quàm ipsa. Nomine tertianæ intelligit continuam biliosam, vt constat ex diuisione allata ab eodem authore *cap.* 55. diuidente febres cholericas in tertianam continuam, & periodicam, & causon.

Cùm ergo tertiana continua intensa fit, & sitim magnam inuehat; si causus differt ab ea magnitudine symptomatum, necesse est quod sit ardes febris, quæ intolarabila incendium, & sitim inextinguibilem causet. Vnde inferius dicit: signa eius sunt insepatabilitas, & occultatio temporum, & vehementia sitis. Ergo febris ardens est calor præter naturam, vehementem sensum caloris, & inextinguibilem sitim inducens; dixi vehementem sensum caloris, quia per illum agnoscitur directè obiecti efficacia, quod est ipsa febris. Sic Galenus 4. *de victus ratione in acut. com.* 1. loquitur: *Causus verò propriè dictus, non caliditatis, quæ per totum fit corpus, differt non modò vehementia, verum quoque & sitis; nam sitis in eo vehemēs est & incōpescibilis.* Quam doctrinā locis infinitis repetit & clarissimè *lib.* 3. *epid. sect.* 3. *text.* 34. dicēdo: *Quare qui-*

dam pro sopore oppressi malè scripserunt, æstuosi, nam est hoc febribus ardentibus peculiare, vt etiam perpetuo sitire, nullumque prope dixeris eximium esse aliud febrium ardentium insigne: verùm abunde ex hisce duobus affirmaueris compleri sitim assiduam, atque extremem calorem ægris sentientibus. Quæ doctrina intelligenda est de Causo exquisito à bile pendente, quia vt in omni alia febre datur ratio exquisitæ, & nothæ, ita in ardente. Exquisita est iam definita per duo illa accidentia à Galeno relata, sitim inquam assiduam, & magnam, & sensum vstionis molestissimum; notha verò febris ardens erit quæ aliquid ex quisitæ participat, non tamen totum, vt inextinguibilem sitim inducat, ob quod accidens à pituita salsa causonem nothum fieri Galen. cum Hipp. docuit, 4. *de victu acut.* tex. 3. cuius sunt hæc verba. *Causi genus aliud, aluus soluta, sitis magna, lingua aspera, sicca, salsa:* in cuius loci expositione Galenus dicit, causonem esse legitimum & nothum. Legitimum definit ita: Febrem Causum Medicos merito appellasse, cùm vrens caliditas, sitisque incompescibilis hominem torquet; nothum exponens inferius dicit, cuius videlicet ex legitimis symptomatis nonnulla insunt, aliqua verò non; & inferius, nothus siquidem causus ex legitimis symptomatis alterum quidē habet, alterum non. Vnde quia salsa pituita sensū magnum caloris quòd non sit nimiè inflammabilis, inducere nequit, sitim tamen magnam inuehit, & causum nothum constituit, quia vnum symptoma ex legitimis necessariò patit, alio verò priuatur. Idem genus causi meo videri eueniet, si vera bilis exquisita, & bilis præternaturales species febrem continuam creent, à quibus enim aberit molestissima, & incompescibilis sitis, quod per vstionem præternaturales factæ, si postea nouam concipiant ad febris constitutionem, corpus validè exsiccabunt intolerabili siti excrucia[n]tes; & constat ex historia Leophorbi 3. 7. *de vulgar. mor. text.* 24. vnde sine ratione aliqus negauit Mercurialis à bile æruginosa & prasina ardentem febrem fieri posse, & eius falsò pro se Galen. 2. *prognosticorum*, cùm talia non dixerit; imo contrarium planè deducitur ex Hippocrate, qui ex vomitibus bilis præternaturalis præsagit periculum in acutis morbis debere esse, & id planè Galenus fatetur com. 39. Eodem modo causus nothus dicetur febris, quæ magni, & æstuosi caloris sensum inuehat, etsi sitim magnam non lanciner, quia participat vnum ex accidentibus essentialibus causi. Vnde febres continentes causi nothi rationem veram includere necesse est, quod nimium inflamment, & sanguinis missionem ad deliquium, & potum magnum frigidæ vt extinguantur, requirant: quia tamen calor in humida materia & benigna recipitur, & sæpe vt putrescat humectatur etiam contra naturam, sitim qualem causum requirit, non creant, nisi quando summum incrementum susceperunt & durstinue humorem ventriculi depopulatæ sunt, & duratione putredinis vstus est sanguis.

Sed dices nullam febrem incipere posse sub ratione ardentis, quia sitis incompescibilis, & æstuosum incendium in primo insultu febris cuiusque euenire nequeunt, cùm in illo nec ita exsiccari possit ventriculus, nec inflammari humor, vt dicta symptomata causet. Respondetur, casum esse metaphysicum; certum enim est in primo esse febris nec molestam æstuationem, nec ingentem sitim esse posse, tamen in prima accessione non implicat signa febris ardentis apparere, si proportio temporis ad febris inceptionem ventura tempora comparet; nam vt in prima accessione omnia sunt leuiora quàm in immediatis, ita in ardente febre erit prima inuasio molestior ob æstuantem calorem & sitim, si non absolutè, saltem in ordine ad febris inceptionem, vt verè dicatur initium ardentis febris, quia in illo plus quam in aliis initiis dicta symptomata vrgent. Sit exemplum Hermocrates 3. *epid. sect.* 1. *Ignis* (inquit Hippocrates) *eum corripuit, cœpit autem dolere caput & lumbos, hypochondry*

A *intentio molliter, lingua autem ab initio adusta est, &c.* Et *sect.* 3. *ægrot.* 12. sic loquitur. *Febris cœpit ardens, & acuta, insomnis, sitibunda erat, lingua fuliginosa, & arida;* & Galenus 4. *de victus ratione, com.* 3. historiam tradit illius qui ex occasione extrema protinus causo fuit correptus.

Dices, neque sitim inextinguibilem posse esse signum inseparabile febris ardentis. Constat ex Hippocrate 4. *aphor. text.* 54. dicente: *Quibus sicca tusses leniter irritantes in febribus ardentibus fiunt, non multum siti infestantur*, & *lib.* 3. *epid. section.* 3. *text.* 4. sic scriptum reliquit: *Febrium ardentium quæ vigebant hæc erat natura, initio sopore erant oppressi, fastidiosi, inhorrescebatque febris non acuta nec magnopere erant sitibundi, vel deliri.* Respondetur ad primum, certum esse, quod essentialia

B signa possunt obscurari, & impediri à contraria causa, & ita contingere si eum febre ardente tussis leuiter irritans complicetur; sitim enim moderabitur, quia ex tussis motione aliqua humiditas ori, & faucibus communicatur sitim compescens, vt *in comm.* Galenus docet, a quacumque causa tussis concitetur. Ad aliam locum respondeo, quod febres illæ ardentes erant illegitimæ, & inde non inferebant tantam symptomatum intentionem, eo quòd pituitosus aliquis succus cum bile miscebatur, incendium magnum & sitis feruciam mitigans. Vnde vt morbus causus Galeno dicebatur qui vnum accidens febris ardentis habebat, alio tamen priuabatur; sic eodem modo nothus dicitur quando vtrumque accidens participat, cum quadam tamen remissione; quod iis verbis Galenus docet 4. *de victus ra-*

C *tione, comm.* 13 Quod si ita habet Causum eum in quo corpus non vritur, sitisque leuis sit, causum quidem simpliciter, exquisitum autem, legitimumque non dicemus, cumque qui pro dimidia parte talis sit, breuioris doctrinæ gratia causum nothum appellare haud malum fuerit; cognosces vero causum esse nothum, quia bilis putrescit in loco, in quo si sola consisteret, symptomata causi exquisiti causaret, id verò non facit ob miscellam humorum crudorum: idemque intelligendum est, si ob aliam occasionem dicta symptomata minuantur: at quando æger delirat, non sitiet, & multò minus quàm per naturam, nec etiam vstionis sensum patietur ob mentis distractionem, eodémque modo in morti iam proximis sitis non est, quòd extincta facultas sit, & incipiat iam mori: vero tamen causo laborant, quia causa

D eius ex se essentialia symptomata daret.

Ex dictis constat, quod vt in phrenitide delirium debet esse perpetuum, etiamsi febris remittat, ita sitis in causo nunquam deficere debeat, etiamsi febris declinet, nam in vigore, & augmento etiam tertiana continua sitis magna molestat. Idem de vstione dicendum est; & inde nunquam causus exquisitus multum remittit, etiamsi incrementa per tertios suscipiat, vnde in declinatione calor permanere debet, quod æstuationem etiam & sitim molestè ferat, etsi minus quàm in vigore, & augmento. Quod videns Princeps *cap.* 35. *citato* dicit. Causon verò est de genere continuæ, quoniam differentia inter eius vehementiam, & ipsius teporem est insensata, quod ego intelligo si ad molestiam comparetur; nam etsi aliquo modo, & sensibiliter remittat, semper tamen manet sub tanta intensione, quæ & siti & æstuatione satis excruciet; nam cùm in opinione omnium causus biliosus sit tertiana continua, nequit sine remissione & incrementis nouis dari: & vt phrenitis non datur sine acuta febre, & delirio, etiamsi febris declinet, quia sunt signa essentialia; ita causus, etsi declinet, est tam remissè, & tempore tam breui, quod sua accidentia essentialia nunquam deficiant. Estque Galeni expressa sententia 4. *de victus ratione com.* 34. *in fine* dicentis. *Sed non appellabitur ardens febris, nisi adiunctam habeant perpetuo per totum morbum duo paulò ante commemorata, assiduam sitim, & ardentem, fastidiosumque calorem.*

SECTIO

SECTIO II.

De loco in quo causa febris ardentis continetur.

IMplacabilis sitis & molestus sensus vstionis quæ sunt essentialia signa causi, dependēt ex causa determinata, & ex certa putredine, & loco determinato habēte rationem foci putredinis; ex causa, quia etsi pituita summè putrefiat, aut melancholia naturalis in quovis loco, implacabilem sitim, & vstionis molestissimum sensum non inducent, nec si bilis extremè putrida pedem afficeret: est ergo opus ad Causi creationem, quod causa eius inflammabilis sit, & vstiua, & quod in locis continetur, in quibus etsi remittat aliquo modo, vrat etiam, & sitim magnam pariat; vnde constat etiam certam intensionem putredinis requiri; nam remissa nimia putredo in nullo loco relata accidentia creabit, quod doctissimè notauit Princeps *cap. 35. citato*, dicendo: *Et causa est acuitas materiei, & multitudo, cùm eius casus sit circa cor, & in venis oris stomachi, aut in partibus hepatis propriè, & ad summū in membris nobilibus vicinis cordi*: & in hoc diximus antea differre ardentem febrem propriè dictam à tertiana continua, quia ob loci conditionē in quo accenditur, tam sæua accidentia causat: est verò loci conditio quod cum corde & ventriculo communionem habeat, vt sic æstuationis, & implacabilis sitis sit author. Si sit circa cor, non eget probatione ad incendij intensionem, nec minus ad sitim, quòd cum ore ventriculi insignem communionem sortiatur, de quo latè dixi *cap. de cardialgia*; & è conuerso si sit in venis oris stomachi, cùm sit similis communio, erit tamen discrimen, quod æstuatio & difficultas respirationis erit maior quàm sitis, vt partes cordi proximæ laborent, & habeant rationem foci: si verò ventriculi venæ, sitis implacabilis & molestissima erit, & maior si ad incendium comparetur, quòd ventriculi ostium sit sitis subiectum, cor verò febris. Sic si iecur patiatur, vtrūque viscus facilimè consentit, quod per magna vasa cum vtroque communicet, & sit iecur calidæ naturæ, & ad summū (inquit author) in mēbris nobilibus cordi vicinis, vt in pulmonibus, aut lenibus arteriis eius, aut iuxta membranam cor cooperientem; estque doctrina Gal. qui 1. *epid. sect.* 1. *com.* 9. docuit, Aquilonem intro repulisse humores, & primo tenues, seu biliosos, & reddēdo rationem cur febrem ardentem generarent, dicit: *Nec enim in quibuslibet corriuatus partibus corporis febrem potest humor hic excitare ardentem, verùm ventriculus, & huius præcipuè os, circaque iecineris partes simas.* Et 4. *de victus ratione com.* 1. sic loquitur. *Omnium autem maximè id facit os ventriculi, deinde ventriculus, atque ab eo stomachus, post pulmo, & subinde ieiunum intestinum*: apud Gal. verò non legitur partes cordi proximas vt locum affectum posuisse, quia sub dubio non cadebat, nullaque erit ardentior, & malignior ob cordis viciniam, non est tamen putandū requiri partes relatas simpliciter, vt causus fiat, quippe si in toto corpore bilis putrefiat, non est dubium causonem gigni; & est expressa Gal. sentētia 4. *acut. com.* 1. dicentis: *Verùm si vena totius corporis supra modum exsiccata, calidas carnosis ex partibus humiditates traxerint, in toto corpore fiet, quæ causum refert affectio.* Et 2. *de Cris. c.* 6. sic loquitur: *nam quæ in sola flaua bile febris accenditur sine aliquo visceris affectu, si quidem manente adhuc intra vasa bile accendatur, exquisita febris ardens nuncupatur.* Et ratio à priori est, quia multitudo agentis potest supplere distantiam, quia vt proximitas est ad agendum efficacior conditio, sic multitudo. Vnde si multa flaua bilis in aliqua parte putrefiat, etsi non sit aliqua ex dictis, ardentem exquisitam causabit, sicque Galenus continentes febres ex sanguine inter ardentes reposuit, & in omnibus venis maioribus causa earum stabulatur. Quod verò omnis

A tertiana continua sit ardens exquisita, & propriè, vt putat Massarias, mihi videtur contra Auic. *cap. citato*, apertè distinguentem causum à tertiana periodica, & à continua, cùm tria membra febrium biliosarum enumeret: est etiam contra rationem, quia continuitas febris biliosæ non sufficit, vt in quavis parte accessionis dentur illa duo accidentia, sitis scilicet implacabilis, & æstuosa caliditas; quia cùm in omni febre videamus esse magnam differentiam in copia humoris putrescentis, & in ipsa intensione putredinis: ita in tertiana continua euenire posse non est negandum; poterit enim intra vasa continuè ad focū mitti copia bilis, quæ ad continuitatem sufficiat, non tamen sit nimia putrida, nec in tantà quantitate, quæ etsi in quauis parte putrescat, tam intensa indicat symptomata vt ad ardentem exquisitam requiruntur. Quid B enim prohibet in tertiana continua remissiones esse longissimas, aut nec ità intensas, quod neque molestè vrant, nec sitim implacabilem causent per totam declinationem? Proternè quidem hoc negabitur; fefellit meo iudicio Massariam Galenus, qui multis in locis differentiam constituens inter intermitantes, & continuas febres, docuit nō differre causa, sed putredinis foco, quia in intermittentibus per ambitum corporis humores feruntur, in continuis verò intra vasa manent, inter exempla ponit, quod tertiana intermittens ab ardente exquisita eo solo differt, quod ardens nec cum rigore inuadit, nec ad febris quietem desinit, vt docuit 2. *de Crisibus cap.* 6. Sed nec ex hoc, aut aliis locis directè colligitur, quod Galenus putauerit identificari omnem C tertianam continuam cum ardente exquisita, sed quia omnis ardens biliosa est necessariò tertiana continua, ideo vocando Galenus ardentem omnem (vt debebat) continuam tertianam, putauit Massarias omnem continuam biliosam ardentis exquisitæ rationem sortiri, quod ita non est; nec si Galenus diceret, posset sustineri de rigorosa ardente exquisita. Hanc rigorosam distinctionem ardentis febris à tertiana continua in communi ad amussim contemplatur noster Author, adhuc quando in locis cordi, & ventriculo proximis, & cum prædictis partibus communionem habentibus, vt dicta symptomata assiduè molestent, acutam materiam, & multā requirit. Sic enim loquitur *c.* 35. *citato*: *Et causa est acuitas materia, & multitudo eius, cum eius casus est circa cor, & in venis oris stomachi*, &c. Ex quibus liquet error Zacuti *c. de* D *tertiana exquisita* docentis, quod discrimen inter tertianam continuam, & ardentem sit, quod in illa putrescit bilis in vasis totius corporis, in causo verò iuxta cor: vtrumque enim est falsum, vt ex dictis & doctrina Galeni constat.

Sed locus Galeni 4. *de victu acut. com.* 1. magnam facit dubitationem Massariæ, & nullum ante illum talem dubitationem attulisse dicit: Verba Galeni sunt: *Nempe in vna corporis parte, quævis illa sit, interdum causus gignitur, interdum & in toto corpore.* Quibus verbis docet, in quavis corporis parte causonis focum esse posse, quod est contra dicta. Massarias exponit E quod loquatur de causo improprio, quatenus significat æstum, aut incendium: ego verò de causi essentia, licet non de accidentibus omnibus Galenum intelligo, dixerat enim antea: *Si ergo in vna quapiam corporis parte affectio ea fiat, in ea solum quæ erysipelas referat, affectus quispiam erit*, &c. Causus itaque quantum ad morbi essentiam æquè participatur à parte qualibet, vt à toto simul, quia causi natura in magna distemperie calida, & sicca consistit, cuius quælibet pars aëreas, & biliosas humiditates ad se trahens erit particeps, tamen symptomata causi, quibus à Medicis denotatur, non ex quavis parte, sed ex ea quæ sitim, & vehementē æstuationē causat, eueniēt, quia manus, aut pes, etsi vrantur, implacabilem sitim nō inducent, etsi essentiā causi participet; ergo essentia causi in quavis parte esse potest, symptomata verò non possunt, nisi aut totū patiatur, aut aliqua pars ex dictis. Et id

dixit Galenus *loco citato* dicendo : *Verùm cùm in toto sit corpore , sitim omnino parit , cùm verò in vna parte, non de necessitate, nisi pars ipsa sitim pariat* , &c. Est enim magni momenti partem in quam velut in focum humores mouentur agnoscere , quod attemperanda sit omni ingenio : laborat enim erysipelate , aut affectione ei proxima , vt Galenus docet 4 *de victus ratione, text.* 1. ob quod summè periculosus est hic affectus, quod magnum incendium internum semper ostentet, & in internis reconditum ; ergo si circa ventriculi os, aut cauam iecoris partem sedes mali consistat , nausea, aut bilis vomitus aderunt , & cardialgiæ molestæ rarò deficient , præcipuè si os ventriculi focus affectus sit, à quo anxietas indicibilis molestabit cum implacabili siti , & sensus vstionis in ea parte molestissimus erit, & quia cor cum ore ventriculi facilè consentit, pulsus debilior , inæqualior , & paruior erit , manus supra ventriculum applicata æstuationem percipiet, & tensionem aliquam , cùm humor calidissimus & siccissimus affluat , & obstructus sit necessariò causonis focus : inde in pulsu (& non sine pernicie) aliqua apparebit durities. Deiectiones biliosæ vtrique parti solent esse communes, sed cauæ parti iecoris magis propriæ sunt, vt oris ventriculi vomitus, nausea, & cardialgiæ, & deteriora accidentia pulsus. Sic Galenus 4. *de Victu acut. text.* 4 ventrem morderi, & biliosa deiicere, non esse ex eis, quę perpetuò causis insunt, dicit : hæc contingunt iis quidem qui ventrem heparque causi velut sedem habent, si verò in ieiuno intestino, vt Galenus putat, incendium & dolor cum positu id manifestabunt , eruntque deiectiones biliosæ in maiori copia, sed cordis incendium minus, & pulsus robustior, quod non patiatur pars princeps.

Si verò pulmo læsa pars sit , velut flammei in incendium in thoracis regione sentietur, & respiratio erit velut in pulmonis erysipelate. Eam depinxit Hippocrates, creba inquam, magna, & celerrima plurimum aërem & confertim attrahere conantes : febris erit cum magna siti, & si leues arteriæ pulmonis patiantur , erit in pulsu multa inæqualitas , præsertim illa quæ myuros pulsus reddit, eritque tam collectiua quàm in vna pulsatione: quam etiam patientur , si partes cordi proximæ fluxionem patiantur cum maxima cordis oppressione, & anhelatione, velut exspiratione, & inspiratione violenta, molestiam cordis conantes reiicere ; estque tam grande incendium partis foci rationem habentis in ardente exquisita, quod incendium solum & partis molestia affectum locum ostendent, plerumque etiam tussis sicca excitari solet, si in thoracem humores decumbant. Parochum vidi ardente febre oppressum , cuius focus in thorace erat, & dicebat præ incendio thoracis æstuans, se credere iam quod negauerat physicus, ignem formaliter in mixtis contineri.

Ex dictis constat, quod per duo illa signa essentialia omnis causus exquisitus sit agnoscendus , sitim nimirum implacabilem , & æstuosam molestamque sensationem caloris. Pulsus magnus , celerrimus & creberrimus erit, nisi facultas satiscat ob magnam intemperiem, rarò non erit durus ob siccitatem, & fluxionem calidi, & sicci humoris : differentiæ aliæ inæqualitatis maioris, aut minoris euenient iuxta partium diuersam naturam, in quam humor decubuerit. Hippocrates 4. *de victu acut. tex.* 2. dicit. *Febris quoque vehemens habet, corpusque velut ab ossearia lassitudine laborat, doletque* ; & *text.* 4. *fit autem lingua aspera , sicca, & valde nigra, ventrisque morsu dolet, deiectionesque, & liquidæ, & pallidæ fiunt, vrgetque sitis vehemens , & vigiliæ , atque interdum mentis aberratio.* Sunt verò accidentia hæc ex iis quæ deficere possunt, in principio præsertim : Videtur tamen Hippocrates sine ratione ossleariam lassitudinem inter signa febris ardentis ex biliosis excrementis numerare, cùm illæ vlcerosam potius creent, vt cum Galeno fatentur omnes : & Galenus certè sic interpretatur Hippocratem. *Laborat* (inquit)

A *corpus totum lassitudine vlcerosa propter tenuium humiditatum acrimoniam* : vnde & Antonius Musa, & Valletius noster super hunc locum putant alios codices legisse Galenum loco ossleariæ lassitudinis vlcerosam habentes : quod mihi videtur etiam probabile , cum ea quæ vera non sunt (etsi Hippocrates dixerit) notare soleat, præsertimque in hoc loco fecisset , cùm Hippocratis non sit liber ille in eius opinione , & alias plures sententias passim refellat ; verissimè tamen interpretari potest Hippocrates iuxta occasionem ab eo adductam ad causi generationem , dicit enim fieri magna ex parte ob longum iter , nomine cuius alium quemcumque la-
B borem magnum comprehendit, nihil verò communius quàm lassitudine ossearia molestari per febres , quibus immodicus labor febricitandi ansam præbuit ; in eo enim labore tendones & nerui maximè calefiunt & implentur , item & ligamenta , quæ ossibus alligata sunt. Vnde est ossearia lassitudo , quia intima loca , & ossium tunicam , tendones, & neruos afficit ; nam qui defatigati in causum incidunt, ossibus dolere videntur, quia eorum ligamenta ad articulos, & capita musculorum ob nimium laborem trahunt ad se excrementa quæcumque plus aliis partibus , vnde & in ipsas membranulas quibus vestiuntur , ossa imbibentur. Sic enim Galenus 2. *de locis, cap.* 2. ostocopos, seu ossearia lassitudo fit (inquit) ab immoderato exercitio. Sic explicant hanc ossleariam lassitudinem Brassauolus , & Vallesius. Ego verò existimo , quod partes circa ossa repletæ ob exercitij calorem , distentæ sunt nimis , & ita in parti-
C bus supra quas cubant ægroti fit compressio magna à tota ossium mole. & sic videntur veluti à re graui , & dura contundi , & comprimi , & hoc vulgus appellat ossium dolorem, & ita locum assiduè mutant, fugientes illam molestiam , & compressiuum dolorem ; meritò ergo posuit Hippocrates ossleariam lassitudinem inter signa causi ob immodicum laborem creati : hîc de linguæ nigredine agendum, quam in causo à pituita salsa inueniri posse Vallesius docet *6. epid. sect.* 5. *text.* 13.

Causi cognitio tam facilis est , vt non indigeat pluribus : magna enim etiam ab imperitis facilè agnoscuntur , superueniunt tamen omnia accidentia intenso calori , & siccitati annexa, vt peruigilium , dolor capitis, inquietudo , & inspirandi aërem frigidissimum ingens
D appetentia , & potus tam grande desiderium , quod flumen satis non sit vt expleatur : sic resolutis spiritibus oculi excauantur , appetitus alimenti deficit , pulsant cerebri arteriæ ; ne tamen te fallat aliquando tepor externus , vt putes ardentem febrem non esse , cùm soleat eo ipso ardentissima & valde maligna febris vexare : quod Galenus 4. *aphor. com.* 48. docet exponendo hanc sententiam Hippocratis , *in febribus non intermittentibus si partes externæ algent , internæ vruntur , & sitiunt , lethale.* In cuius loci expositione Galenus dixit esse dignum animaduersione , si huiusmodi casus sit possibilis in febre intermittente : & respondet. *Ego nec vidi , nec animo capio. Videntur siquidem solum accidere in febribus ardentibus perniciosis , vel si aliter libeat appellare, valde malignis , veluti lypiriis.* Et author noster *in*
E *præsenti cap.* dicit ; *Et caliditas quidem in causonide secundum plurimum non est ita fortis in exterioribus sicut est fortitudinis in interioribus.* Quod si peculiariter de Causone dicit , non erit idonea ratio quod in internis sit focus , & sic quia sunt agenti proximiora quàm externa , vruntur plus ; hæc enim ratio omnibus putridis continuis communis videtur. Putandum ergo est, peculiariter causoni conuenire, quia vt dixi, locus affectus seu focus ita æstuat , quod affectu velut erysipelaceo laboret, vt retrahat intro vitalem calorem , & sanguinem , vt sit magnum discrimen inter interna , & externa , quod nec perpetuum est , licet sit frequentissimum : nec statim à primo insultu , sed aucto malo eueniet , quod si eueniat, non erit sine graui periculo

da

de quo mentionem Hippocrates fecit 2. *de morbis febris à bile, ad medium*, dicendo: *Foris ad contactum febris debilis est, intrinsecus autem ardet, & lingua aspera est, & per nares, & per os spirat calidum, quinta die præcordiis dura sunt, & dolor inest, & color qualis in morbo regio apparet, & crassam ac biliosam vrinam eiicit, &c.*

Iis signis agnoscenda est febris ardens, quæ symptoma non est, si verò accidens sit alicuius visceris inflammati, similia signa præbet, quibus superaddit ostendentia inflammationem, & viscera affectum: sed vt febris ardens exquisita à bile creari debet, sic viscerum tumor erysipelaceus est, qui propriissimè ardentes, & desperatas simul febres generat. Mirum certè est quod Authores controuertant, si ex affectu inflammatorio ardens febris emanare possit, cùm à simili humore idem locus ad ardentem requisitus tumorem contrahere possit? Quo concesso pertinacius non dubiè accidentia ardenti debita euenient, quod causa sit firmior & magis inculcata putrescat magis, estque doctrina Galeni 4. *aphorismorum, com.* 48. & 2. *de Crisibus cap.* 9. & nos latissimè docuimus *cap. de malignis viscerum erysipelatibus*; illud tamen notabitis, quod si arteriarum sanguinem putredo inuadat, febris ardentissima excitabitur, eò quòd sic maximè inflammabilis talis sanguis, & cum corde maximam per arterias communionem habeat, præcipuè si in trunco magnæ arteriæ cordi vicino hoc accidat, eritque funestissima passio.

CAPVT XLII.

De præsagiis & signis causi, seu febris ardentis.

COLLIGIT multa Donatus ab Altomari. Sit primum ex pessimis, quod febris ardens per pares moueatur: si enim celeriter moueantur, in die sexta occidere solet. Est Galeni doctrina 1. *epid. sect.* 2. *com.* 75. dicentis: *Iam accessiones cum diebus paribus fiunt à principio statim, interim ad sextum diem pessimum fieri iudicium pronunciant, interim in longum producendum morbum, & si quidem admodum moueatur quarto die, prauam habente accessionem, ad diem sextum de vita discedent.* Vt intelligatur præsagium, notabitis, quod moueri per pares, est quod accessio febris habeat in diebus paribus deteriorem partem accessionis, & cùm natura febris in calore consistat, illa per pares mouebitur, quæ in die pari vigorem habuerit; quo fit vt in diebus paribus deterius æger se habeat, vt si die dominica ad meridiem febris ardens incipiat, & tria prima tempora non habeat in toto die integro, sed vigor eiusdiem lunæ sequentem attingat, ita vt post meridiem adhuc in vigore accessionis persistat, mouebitur per pares: iotra quem diem declinare tenetur, & die Martis ad meridiem incipiet secunda accessio, cuius principium, augmentum, & status ita extensa erunt, vt prius adueniat meridies Mercurij, quàm vigor accessionis finitus sit: & ita in quarto die habebit deteriorem partem accessionis. Eodem modo in sexta, & in octaua eueniet, indeque tam malignum est per pares moueri, arguit enim copiam magnam bilis putrescentis, & crassioris, corpus esse malè difflabile, & expellentem vim debilem, cùm accessio incipiens ita prolongetur, vt intra 24. horas remitti non potuerit, quinimo ita per totum primum diem increuerit, quod vigor accessionis particularis diem secundum cum summo labore pertingat. Hinc intelligitur locus Galeni, quod si moribundus sit æger, breui fiet, & si quarta die mortale signum appareat, die sexta animam aget, si verò mortalia signa non sint, morbus longus molestabit, quia tanta materia in corpore malè perspirabili coqui breui non poterit, & inde diu affligetur, si superanda est. Hinc intelligitur locus Galeni difficilis ex 4. *lib. aphor. com.* 36. dicentis: *Didiscimus autem; quod in vehementioribus accessionibus iudicia fiunt, & quod morbi qui in diebus imparibus accessiones habent, citius iudicantur: qui verò paribus, tardant*; est intelligendum non in ordine ad mortem, nam febres quæ per pares mouentur, citius occidunt quàm quæ per impares; nam diuturniores esse accessiones respectu eiusdem causæ, nequit non esse magis lethale: quàm si accessio breuior foret: tardare ergo iudicia, non est nisi in ordine ad vitam, quia tanta materia non potest breui superari, & inde fit quod solum robusti liberabuntur.

Ex hac doctrina constat, accessiones vehementissimas fieri, quando materia coquitur, quia Galenus dicit, quod iudicia fiunt in vehementioribus accessionibus morbi; & cùm iudicia optima cocta materia fieri debeant, deducitur planè tempore coctionis vehementissimas accessiones debere esse: quod fuit nostrum placitum *tractatu de temporibus morborum.*

Sed dices, videtur quod si morbus præ sui acutie & magnitudine breuiter occidere debet, quod in eadem duratione debeat ad salutem terminari. Constat ex doctrina Hippocratis 3. *prognosticorum, text.* 1. in quo dixit: *Febres iudicantur eisdem numero diebus, quibus superfunt homines, & quibus moriuntur*; quo loco apertè docet in eisdem numero diebus iudicia fieri, siue ad mortem, siue ad salutem, vt morbus acutus simpliciter intra diem decimumquartum terminabitur, aut occidendo ægrum, aut quia à natura morbus vincatur: non ergo si febris mouetur per pares occidet breuiter, & in longum tempus protrahetur si salutaris sit, sed in eisdem numero diebus iudicium bonum, aut malum eueniet. Respondetur, aliud esse morbum media crisi finiri, aliud verò quod hoc, aut illo modo soluatur. Hippocr. rectè dixit, quod si crisi terminandus est morbus, siue ad salutem, siue ad mortem, debeat iudicium eodem die fieri, quia ex parte diei semper natura inclinatur ad pugnam cum morbo: & ita si febris ardens iudicanda est, fiet in eodem die decretorio, siue ad bonum, siue ad malum iudicatio fiat Tamen si aliter soluatur, non fiet breui tempore quando per pares mouetur, quia ex multa materia pendet, quam si non anticipauerit euacuare natura aliqua crisi, morbus longus reddetur, quia plurimo tempore ad coctionum & resolutionem eget, & ij sunt morbi qui ex acutis chronici fiunt; lõgos enim cum acutie fieri implicat. Eodémque modo hîc philosophandum, vt de deiectionibus variegatis: has enim 2. *progn.* dixit Hippocrates diuturniores esse, lethales tamen nihilominus; quod intelligendum est in ordine ad salutem, hoc est, deiectiones lethales variegatæ non sunt minus lethales, quàm si variegatæ non essent, & ita breuiùs occidunt, quàm lethales, quæ sunt vnius modi, & vniformes, tamen si vincenda est ea affectio, longum tempus absumetur in eius victoria, quia plures dispositiones & lethales nequeunt breuiter superari.

Est etiam periculosius motus per pares, quia vis lunæ qua per dies decretorios naturæ auxiliatur, deficit fere in paribus diebus, solus enim quartus, & decimusquartus sunt iudicatorij ex parte lunæ, vnde cum iudicia fiant in deteriori parte accessionum, & hæc in diebus paribus contingat, deficit auxilium astrorum, quando natura iudicia tentat: datur etiam in motu per pares breuissimum tempus pro somno, cibatione, & auxiliis, quando hæc in declinatione celebranda sunt, quæ breuissima est si per pares febris moueatur: & ratio constat ex dictis, cum diem secundum vigor occupet; est verò dies secundus in quo omnia dicta imperanda sunt, cùm in eo solum declinatio detur.

Alia signa ex malignis Hippocrates retulit 2. *epid.*

sect. 2. dicendo. *Et cum febres ardentes inciperent, annunciabant quibus exitium impenderet, siquidem statim ab initio febris acuta eos corripiebat, à qua parum rigebant, insomnes erant, grauiter angebantur, sitibundi, fastidiosi, paululum in clauiculis, & fronte sudabant, sed nemo per totum corpus: multum delirabant, timores, mæstitia, extremitates subfrigidæ, vt summi pedes, magisque manus, accessiones diebus paribus, plurimi quarto die maximè laborabant, sudores diutissimi, frigidiores extremitates non iam ad calorem redibant, sed liuida erant, & subfrigida, nec sitiebant, nigra erant vrina, tenues, pauca, & alui erant dura, nec profluxit ex naribus sanguis, ne iis quidem quibus hæc accidunt, sed parum stillarum, neque recidiua vlli horum aduenit, cæterum ad diem sextum cum labore expirabant.* Hactenus Hippocrates: ea qua sententia perspicua satis est maligna conditio febris ardentis per signa ab eo relata, acuties quidem magna ostendebatur, quia statim ab initio acuta febris ipsos corripiebat; significatur quidem vis magna causæ corrumpentis, & putrefacientis, cuius primo ingressui natura resistere non potuit, vt non operaretur valentissimè: in principio verò rigere malignum est in ardentibus febribus, vt in expositione Galenus testatur, quia rigor solet esse iudicatorios illacum, decretoria verò statim apparere non debent, quia indicant causæ prauam naturam, quam facultas non ferens statim conatur reiicere, & ante coctionem symptomaticam crisim tentare; peruigilium capitis calidam, & siccam distemperiem innuit, & illud *in prognosticis* Hippocrates damnauit dicendo; *pessimum autem nec nocte, nec diu dormire, nam aut dolore & labore vigilabit, aut delirium succedet huic signo*; & sic euenit ita affectis, cùm delirarent omnes; causæ enim quæ ob intemperiem cerebri vigilare cogunt, si augeantur, delirare faciunt. Est etiam vigilia vt causa pessima, quia virtus extremè laborat, & non est aliud quam assidua spirituum inanitio, omniaque excrementa trahit ad cerebrum, quod vigilia sit continua obiectorum contemplatio, & in delirantibus intensissima, & quia coctionem diminuit, aut tollit, omnia in corpore confundit, & excrementis replet; anxietas est animi angor quo nullibi pacati ægroti quiescunt, sed perpetuò iacendi figuram euariant: quod accidens præcipuè contingit vt Galenus notat 7. *aphor. com.* 56. quibus in ore ventriculi humoris aliqua propria qualitas continetur ventriculo infesta, quæ nec plurima est, nec in ventriculi fluitat cauitate, sed eam tunicæ imbiberunt. Sunt etiam anxij ob viscerum molestum incendium, & mordacem naturam fuliginum, à quibus ve separentur, nunquam inquiete multa partes continere possunt, quod iuxta partes detentæ ipsas vellicent, & simul exurant: sitis & alimenti fastidium, æstuationem oris ventriculi arguunt, sudor verò in fronte, & clauiculis, nunquam non fuit signum perniciosum, & in morbi initio magis, imminentem enim syncopen præsagit, & vitalem calorem iam extingui, & dissipari ab incendio febrili, & si frigidus sit sudor malitiam signi auget; quia vt *in prognostico* dicitur, & 4. *aphor. text.* 37. *sudores frigidi cum acuta febre mortem significant*; pendent verò sudores frigidi in dictis partibus ab extinctione vitalis caloris, & qui sursū ascendit, extinguitur etiam, & in aquā mutatur: sunt enim partes externæ ob defectum caloris algidæ, spiritus verò, qui per carotidas, & iugulares sursum ascendunt, attingentes partes externas frigidas concrescunt, & in aquam mutantur à frigore ipsarum, & sic sudor frigidus syncopis nuncius emanat. Delirare multum, vt dicebat Hippocrates, est delirare continuò fere, quod in morbis cerebrum in consensum trahentibus grauissimum est; arguit enim tam breues, & tam intensas esse febrium remissiones, quod nunquam deficiet in cerebro delirandi occasio: timendum etiam ne circa septū sit putredinis focus, quando tam assiduè de-

A lirant per consensum, quod est etiam periculosissimum.

Damnat etiam Hippocrates timores, & tristitias in ardentibus febribus. Docuit verò Galenus timores esse symptomata flauæ bilis magnopere acris & deustæ, quod videtur difficilimum, nam cùm bilis ad timorem non faciat, sed ad furorem potius, vt passim Galenus docet, minus ad timorem conducet, si nimis vratur, cum sic sit causa maniæ, & ferini delirij, vt docuit ipse 3. *de locis*, *c.* 7. nec aliquis quem ego viderim posuit hactenus bilem magnopere vstam inter causas timoris, & tristitiæ: imo Galenus 6. *aphor. com.* 56. dum melancholia naturalis magnopere putrefit, aut vritur; non melancholiam morbum, sed furorem, & maniam efficere docet: quomodo ergo flaua bilis vsta non indu-

B cet efficacius furorem? Putandum ergo est, ob vstionem sanguinis, aut eius putredinem; crassam partem in melancholiam mutari, vt ipse Galenus docet, sicque cerebrum affici ob redundantem melancholiam: & crederem etiam sanguinem in cerebro existentem à calore nimio febris crassiorem redditum, melancholicum fieri; resoluta enim parte spirituosa & aërea fæculentus redditur, niger, & crassus.

Extrema algere vbi incendium internum fatigat, malignissimum est, si quid aliud, quippe aut ingens est spiritus vitalis dissipatio, aut tantum incendium, quod intro calorem reuocet, & ibi pereat suffocatus, quod 4. *aphor text.* 48. Hippocrates damnauit dicendo. *In febribus non intermittentibus, si partes exteriores sint frigidæ, interiores verò vrantur, & sitim habeant, lethale*: in

C *com.* verò Galenus docuit, id solùm accidere febribus ardentibus perniciosis, aut valde malignis, vnde 1. *prognosticorum*, remissè mihi videtur loquutus Hippocrates dicendo: *Caput, manus, ac pedes frigere, ventre, costisque calentibus malum*; est enim prauissimum, non malum.

Non sitire in ardente febre, aut delirij magni est indicium, aut quod iam facultas sentiens ventriculi extinguatur, & mori incipit, vt Galenus notauit 3. *epid. sect.* 1. *com.* 5. hoc vltimum mortale omnino est, contingit verò interdum absque delirio, aut ventriculi mortificatione, in ardente febre non sitire, vt expertus fui in Magistro quodam linguæ Græcæ publico professore, mense Iulij ardente febre, & maligna correpto: lingua aspera, nigra, & inæqualis apparebat, veluti ignea ferri candentis æmula cum magno peruigilio,

D quo etiam per bonam valetudinem affligebatur, iecoris regio tam calida, & æstuans tactui repræsentabatur, vt initium erysipelatis habere non sine ratione timerem: erant verò longissimæ, & intensæ accessiones, & cùm sic vsque ad decimumquartum molestaretur, non solùm non sitiuit vt febriens, verùm & potum, quem sanus sumebat abominatus fuit, vt nisi per vim & consilium nostrum biberet, ad quod cogebamus, non gratia solandi sitim, vt constat, sed ad impediendam alimenti vstionem, attemperandum iecur, conciliandum somnum, excitandam appetentiam, impediendam sanguinis vstionem, & partium solidarum, & demulcendam vrinæ acrimoniam: Verùm cum non deliraret, nec

E ventriculus mortificaretur (alioqui liberatus non fuisset) tantam, tam lentam & irresolubilem humiditatem ori ventriculi inesse putaui, quod non resoluta, neque exhausta liquaretur potius à calore febrili, & irrigando ventriculi neruos, potus odium induait, nec enim tussiebat, nec alicuius distillationis signum apparuit, à quibus sitis moderaretur: ad finem verò morbi sitire cœpit, & cum naturali solum voluptate bibebat.

Nigras vrinas (si decretoriæ non sint) inter lethales posuit Hippocrates in prognosticis, pendet verò ab eadem causa quod nigræ, & paucæ sint; calor enim adurens sanguinem, nigras, & paucas vrinas reddit, quod simul etiam serum absumat eas: erant tenues ob

magnam

magnam putrilaginem succos dissoluentem, & quia humores in caput ferebantur, neque ob id albicantes stant, quia descendebat humor ater, cuius vel leuissima portio ad tingendum paucum serum sufficit, quia bilis sursum mouebatur, & quia non constabant mente. Vnde non est perpetuum, quod defectiones præternaturales fiant in Causo, vt author *lib. 4. de victu acut. text.* 4. insinuat, stilla sanguinis narium in morbi initio est signum etiam exitiale; impotentiam enim naturæ innuit, quæ irritata à copia maligna reiicere cœpit & non perfecit opus: quod damnatum fuit ab Hippocrate *a. prorrheticorum. text.* 47. Galenus verò *in com.* docuit, idem præsagiendum de quanis alia euacuatione tentata: in ardentibus verò febribus malignissimum est, quia vt Galenus docet, solent per copiosum sanguinis fluorem bene terminari.

Dubitat Vallesius in expositione huius loci, quomodo notauerit Hippocrates, quod nullus ex illis ægrotis recidiuam habuit, si omnes vitam egerunt. Et respondet quod si tales liberarentur, recidiuarent, quia tanta & tam grauia symptomata, & causas à quibus emanabant, nequiret natura simul & adæquatè vincere. Mihi videtur hanc expositionem vim magnam textui imponere, & modus loquendi Hippocratis ei apertè refragatur, non enim dicit quod recidiuarent, sed quod nullus recidiuam habuit: aliter ego authorem interpretor, contingit sæpe per morbos exitiales remissiones magnas, & interdum intermissiones sine ratione fieri, quibus fidendum non esse *aphorismus* 27. *lib.* 2. consulit, quia tales non durant, imo malignius redire experimento probatum, quia sine coctionis signis, & manifesto abscessu iudicantur. De quibus Galenus *lib.* 3. *de cris. cap.* 2. *in principio*, ita scripsit. Quæcumque verò aliter quieuerint, malignius redeunt: interdum etiam collapsa natura, nec succos mouere, nec agitare solet, & sic magno exitio febres, doloresque cessare per tempus solent; de qua est elegans Galeni doctrina 3. *epid. in historia Hermocratis, com.* 8. qui die decima-quarta liber à febre erat, & nihilominus exit osè laborabat, quos status vulgus Medicorum ignorare Galenus ibi fatetur. Idem in muliere quæ in littore habitabat, inuenies 1. *epidem. sect.* 3. *text.* 30. De iis ergo alleuationibus dixit Hippocrates in ea tempestate maligna nullas fuisse, & sic ægros non habuisse recidiuas, sed assidua afflictione periisse.

Ad præsagium etiam pertinet, quod in *hoc cap.* Auicenna dicit: & Hippocrates quidem dicit, quod si alicui accidit in febre causon tremor, tunc permixtio mentis resoluit ab eo tremorem. Est verò sententia Hippocratis 4. *lib. aphor. text.* 25. dicentis: *Qui in febribus ardentibus tremores fiunt, delirio soluuntur*: Quod præsagium cùm verissimum sit, & experimento probatum, ingenia Medicorum distraxit, inter quos Manardus *lib.* 6. *epistolarum, epistola* 5. putauit aphorismum deprauatum esse, & antiquam translationem sequitus asserentem, quod febris ardens soluatur, superueniente tremore, & delirio: Antiqua versio sic habet. *Quibuscumque in ardentibus febribus tremores fiunt, delirium soluit.* Sed etiamsi hæc versio sequatur, non fauet magis huic expositioni Menardi quàm nona: nam in antiqua apertè insinuatur, quod delirium soluit tremores, cùm hi ponantur velut superuenientes ardenti febri, & delirium velut id in quod terminantur: & si Grammaticæ leges obseruandæ sunt, si tremores, & delirium ponerentur vt signa solutionis ardentis febris, non diceret Hippocrates; *delirium soluit*, esset enim impropriissima locutio, sed ita scribendum foret: *Quibus febribus ardentibus tremores, & delirium fiunt, morbum soluunt, aut febres.* Tradit ergo Hippocrates id quod obseruatissimum habemus in febribus ardentibus, & malignis, præsertim nimirum tentata mala crisi, humores à venis in neruos, & eorum originem

A transferri, & in ipsa translatione neruos offendendo motus conuulsiuos, quos tremores appellat, emergere, & quia translationis illius malignæ cerebrum est terminus, ibi firmari, & superueniente delirio aliquando cessare tremores, & febres, quia tota causa in transitu solum offendebat neruos, hæc verò in cerebrum decumbens, mentem deprauat. Et hæc fuit expositio Galeni, qui scrupulosus satis (etsi veritatem aphorismi sequatur, & rationem adducat) taxat Hippocratem quia dixerit, tremores, & febres solui superueniente delirio, quia non consueuit Hippocrates solutionem morbi appellare, quando cessat absque malo maiori. Auicenna etiam diuersimodè aphorismum exponit, sed ipsæ explicationes liquidò ostendunt violentissimas esse textui, B etsi veræ sint: nam cùm in qualibet translatione dicatur quod delirium soluit, nulla expositio Auicennæ litteræ textus consonat. Prima est *in hoc cap.* dicendo: *Et est verisimile vt sit illud, quoniam cerebrum calefit valde, & calefiunt nerui.* Quam sententiam Magister declarat, ita vt febris ardens sit auxilium tremoris, quando à cerebro irrigabantur nerui succis crudis, & calore febris, resoluuntur, & sic tremor cessat. Expositio quidem in causa probabilis, sed omnino extra aphorismi institutum, cùm nulla eius particula exponatur. Alia expositio Auicennæ *in hoc cap.* est: *Et est simile vt sit causus, & permixtio mentis, & resoluatur ab eo per tremorem propter expulsionem materiæ ad neruos*: quæ causa est etiam possibilis, sed quid ex ipsa ad aphorismi intelligentiam, cùm dicat oppositum, nempe quod delirium soluat, & non C quod soluatur. Alia expositio adducitur ab eodem authore *lib.* 3. *cap.* ... dicendo. *Et Hippocrates quidem iam dixit, cui accidit in febre causone tremor, tunc sensus permixtio resoluit eam ab ipso.* Quibus verbis insinuatur quod aliquando materia febris ardentis transfertur ad cerebrum, & febris cessat, & quia hæc translatio motus conuulsiuos excitat, quia in transitu neruos lancinat, inde tremor ponitur vt signum permutationis humorum à vasis in cerebrum: quæ expositio probabilis est, & eam Galenus tradit, licet *in fine aphorismi* insinuet quod febris ardens à tremore soluatur, & hic in delirium D terminetur, & hanc terminationem nos iam videmus in malignis febribus non semel; est tamen casus rarus, quod superueniente delirio febris cesset omnino, febricula enim leuior præcedente manere solet, cum delirio perpetuo, donec materia tota resoluatur: fit verò quando iam coctionem adepta fuit, & abscessum iam periculosum ob partis principatum tentauit natura, quia cerebrum debilius reliquis partibus extitit. Est verò coniectabile expelli materiam foci si cessat febris prior: quando verò sine coctione talis materia reiicitur, phrenitici potius redduntur, & tremores non cessant, neque febris, etiamsi superueniat delirium, quod quotidie in malignis febribus obseruatur, cum maxima ægrotantium clade, priùs enim tremunt, deinde delirant, tandem phrenitici, & conuulsi moriuntur, & maior pars ita affectorum perit; quod verò senes exitialiter laborent, si febre ardente opprimuntur, & etiam qui in hyeme maE gis, publicum est, ob grauitatem mali cum dissimilitudine ætatis, & temporis. Vnde constat æstatem, & siccam, calidamque temperiem febrium ardentium feracem esse, vt 3. *aphor. text.* 1. Hippocrates docuit: biliosum etiam sanguinem visus auium creat, vt ex Hippocrate deducitur 6. *epid. sect.* 6. *text.* 9. dicente: *Bilis, vt dicebam de auibus, quod biliosa.* Quam sententiam exponens Galenus dicit: *Quod autem ait, quia biliosa sunt, id ipsum verum esse declarat earum leuitas, & quod in sublime ferantur: habitationem etiam in terra arida diligunt, quia sua natura conformem.* Ob quod Hippocrates dixit 6. *epid. sect.* 4. *text.* 23. *Terra arida volatilium genus bene habet*: inedia etiam in biliosis huius mali est causa, quia sanguis comburitur, vt ex historia vxoris Autimachi liquet 5. *epid. tex.* 18. solent tamen causones fluxu

sangui

sanguinis iudicari, & ob id in eis perniciosum est signum sanguinis stilla, vt *in fine expositionis textus* 75. Galenus notat.

CAPVT XLIII.

De curatione febris ardentis.

IN meis codicibus cum expositione Gentilis, & Iacobi *cap. de febre ardente* diuisum non est, sed absque vlla diuisione essentiam, causas, signa, & curationem complectitur: in aliis verò translationibus diuersa capita essentiæ, signis, & curationi dicantur.

Medelam ergo huius acutissimæ febris exponendo author dicit: *Cuius cura est cura tertianæ puræ.* Loquitur de febre ardente exquisita, & à bile pendenta, & quia in causa conueniunt, ita in curatione: solum est discrimen quod celerius ardenti febri occurrendum sit, & maiori contemplatione illud, quia acutissimus est morbus, & celerrimi motus esse solet; hoc, quia quodlibet erratum in acutis magnum est, & sæpe mortis occasio: & auxilia maiora referendo dicit; *Et non phlebotomentur; fortasse enim inflammabit eos, & fortasse iuuabit eos, si fuerit ibi turbiditas & rubedo.* Diceret melius, sectio venæ cum maximo consilio fiat: forte non conuenit, quia inflammabit eos, fortassis iuuabit eos si fuerit ibi turbiditas, & rubedo, hoc est, si rubra & crassa vrina extiterit; quod documentum tradiderat prius author in communi methodo, vbi nos eius mentem exponimus, nunc verò breuiter dicendum est quid tenendum sit. Et in primis indubitatum est quod ardentes febres pendentes ex sanguine putrido desperatæ reddantur, si venæ sectio statim non fiat, nec de iis controuersia esse potest, & hoc author præcipit dicendo; *fortasse iuuabit eos, si fuerit ibi turbiditas & rubedo*, & ego delerem aduerbium *fortasse*, quia non cadit sub dubio iuuaturam in eo casu sectionem venæ, imo sine illa vt dixi desperatam medelam fieri.

Dubium ergo celebre est ob Auicennæ præceptum, si in omni febre ardente sit medela incipienda à missione sanguinis, an verò liceat aliquando ab alio auxilio inchoare; non enim est credendum tantum authorem in morbo tam periculoso & acuto, & tam communi, cum tanta certitudine loqui, & distinctionem tradere circa conuenientiam, aut disconuenientiam remedij tam necessarij, affirmando interdum nocere, & aliquando prodesse; & controuersia intelligi potest bifariam, primò si potest esse intra vasa tanta copia humoris biliosi, quod creando febrem ardentem expurgatiu indicetur, & non sanguinis missio. Secundò controuerti potest respectu loci ad quem mouetur humor, si in quolibet tale auxilium conueniat, & hic secundus modus solùm considerat si sit possibile, quòd tam materia antecedens, quàm coniuncta in prima regione contineatur; nam cùm bilis præternaturalis species in ea creari possint, & hoc esse frequentissimum Galenus patet, non potest negari quod sanguinis missio in hoc casu sit perniciosum auxilium. Et hic casus non videtur mihi impossibilis, etsi rarus sit, euenit vero ob prauam victus rationem excrementa bilosa, & ferocissims accumulantem, quæ in prima regione manentia, eò quòd non contemperentur cũ sanguine, vt quæ ad vasa distribuuntur, putrefiant, & causus eueniat: est enim probabilissimum tam pessimos succos naturam refugere, nec à iecore trahuntur, vt alia quæ succosa, & familiaria sunt; indicabitur verò ibi materiam contineri morsu ventriculi, & inferioris regionis, siti implicabili, fastidio nimio, & linguæ asperitate, & nigredine; & mirum erit si aluus laxior non sit, & biliosa deiiciat, & vsta; vrina sanorum, aut parum mutata apparabit, & erit cum dictis magnum indicium quod in prima regione contineatur morbi materia, vt in excellenti Comite de Saldanna fuimus experti; laborabat tertiana simplici cum rigore, & ad exquisitam accedebat in duratione, & in siti, & cùm iam tribus accessionibus molestaretur, vnus ex Medicis venæ sectionem proposuit, alter renuebat: Vocatus in consultationem vt iudex discordiæ, erat iam dies in qua quarta accessio ventura erat, & hora fere solita ipsum corripuit, in die verò intermissionis ante quartam accessionem iniecto lenissimo clystere, quinquies deiecit, & cùm transacta accessione cœnauit placidè, hora decima noctis post tres horas leuis turbatio ipsum corripuit inter dormiendum; vocor ob angustiam, & nihil notatu dignum inueni, iussi vt quiesceret, & placidè dormiuit; sequenti die, in quo de electione auxiliorum consultatio facienda erat, vrina optima erat in modo substantiæ, & in contentis, & ita per totum morbum fuerat, solum colorem ad intensionem mutatum habebat. Medici in sua discordia manentes vt antea, alter venæ sectionem, alius expurgationem consulebat, ille iam esse transactas quatuor accessiones dicebat, & die antecta quinquies deiecisse, tenuiore victu fuisse vsum, & sic de prima regione non debere esse solicitos; alius verò dicebat nil aliud nisi expurgetur, quòd æger edax esset. Huic acquieui, ob tria, & ob ingluuiem, & quia vrina naturalissima erat, & quia leui illo clystere toties deiecerat; magnum quidem indicium cacochymiæ primæ regionis, & quod in illa sola totius morbi causa stabularetur, nec parum fecit ad hoc coniectura ex leui illo deliquio post cœnam acceptam; illud enim ob defectum euenire non potuit, sed ex repletione ventriculi & primæ regionis. Sic dato leniente pharmaco feliciter expurgatus, alimenta cruda reiecit, quæ antequam in morbum incidisset ingessit, simul etiam bilem multam flauam, & aliam vstam, & febris amplius non rediit. Mihi mirum fuit in hoc morbo quod nullum indicium in accessionis apprehensione repletionis illius vitiosæ in prima regione apparebat, nec vomitus, nec nausea, nec spontanea deiectio, nec morsus in ventre inferiore, nec flatuosa distensio, quod satis mirabile, & infrequens est, & dubitatione dignum, si in prima regione materia tota biliosa morbi continebatur, & à parte in partem mouebatur, quomodo nec leuis morsus, aut molestia aliqua in prima regione erat: tam arcana sunt interdum naturæ opera, vt passim Medicos, etsi peritissimos eludat: mihi fuit probabile ob ingluuiem ægri, intestina omnia muco esse oblita, & partem in quam bilis mouebatur similiter, vt stupore quodam affecta esset, & sic admittebat humores absque vlla sensibili molestia: certum enim est in philosophia tactum non percipere obiecti acrimoniam, nisi sit immediatum organo. Vnde interpositus mucus irritationi obstaculum fuit.

Alius tamen casus, & mirabilior in alia infirma mihi contigit. Laborabat maligna febre, anxia satis, & animo deiecta, fastidiosa, inappetens, & totum corpus puncticularibus maculis infectum, vrina à naturali statu nihil distabat, & pulsus tam paruus, vt non sine admiratione dubitarem sæpe, si verè febricitaret. Transacta vndecima die intoleralibus ventris inferioris torminibus lancinari cœpit, mox fistulosa corpora sanguinolenta, quorum aliqua palmi magnitudinem æquabant, detrudere cœpit, & reiectio per diem durauit; sic tamen formata, caua, perpolitaque erant, vt vulgus putaret intestina dilacerata fuisse, & quia ita formata & cruenta exibant, cessauit expulsio, & licet cum summo vitæ discrimine tandem euasit: euentus hic manifestè declarat, febrem puncticulatem ex putrilagine crudorum primæ regionis ortum habuisse, quæ quia lenta &

iam

iam fere vt gluten disposita, intestinx obliniebant, eorum formam suscipientia, & in die caoa apparebant, & quia materia vaporosa non erat, tam praua eleuabatur fuligo, quod interdum dubitarem si febre molestaretur, & vrina erat optima, quia tota materia primam regionem obsidebat; hæc tamen mulier repetentias manifestas non habuit, sed continuam febrem in eodem tenore manentem sine annotatione aliqua: erat enim firmata materia, vt ex lentore & formatione constabat.

Fit ergo ex dictis manifestum, totam morbi acuti materiam in prima regione contineri posse, & quod mirabilius est, sine nausea, vomitu, deiectione, morsu, aut alio signo satis perspicuo ad manifestam cognitionem Medicos deducente: & idem euenire potest in materia febris ardentis, in qua hypothesi pernicies erit venæ sectio.

Auicenna tamen non loquitur in hoc casu, sed quando humores intra vasa putrescunt, cum ex vrina si liceat, vel non venam secare, deducere doceat: eius mentem in communi methodo aperuimus cum Herculano, posse nimirum dari aliquando intra vasa tantam copiam humoris biliosi, quod etiamsi vires constent, non liceat sanguinem mittere, sed medelam esse incipiendam à cacochymiæ expurgatione: hoc verò indicari à copia bilis cum sanguinis paucitate, ita vt cum summo periculo sanguis educatur ob duo, & quia non remanet sanguis in copia sufficiente ad tantæ bilis attemperationem, & quia ad spirituum reparationem, & alia munera necessaria, si detrahatur, deficiet, & inde à missione sanguinis vires collapsæ, & summus langor eueniet, vt tanto morbo resistere nequeant: si verò bilis euacuetur, quod in tanta copia felicissimè fit, quia supernatat & per minima cum sanguine mista non est, minuitur causa febris, & materia antecedens iam genita, & in securiori mensura, vt sanguis postea mitti possit, massa sanguinaria disponitur, & in copia bilis quæ supponitur, leuissima facta præparatione securè euacuatur, quòd tenuis sit humor, & facilè trahatur: in huius doctrinæ confirmationem est locus *Galeni lib. de purgantium medicamentorum facultatibus, cap.* 4. sic loquitur: *Hac cùm asseueres ipse, deinceps mihi ex duobus agrotis, vni sanguinem mitte, alteri purgationem aliquam porrige ex his, qua cateri homines nigram bilem euacuare, tu vero non euacuare, sed gignere ita dicas: atque si agrotum sublenabis, aut pallorem de cute eiicies, me tibi omni supplicio deuinctum trado: sin autem non modò quidquam non profeceris, sed hominem in extremam perniciem egeris, ad meliores sententias redi, & Hippocratis artem sequare.* En Galeni locus perspicuè docens extremam perniciem esse laborantibus morbo regio venam secare, & non medicamentum bilem atram educens imperare. Finge ergo ictericum ob copiam bilis ardente febre corripi, huic in doctrina Galeni venenum est sectio venæ, & expurgationem commendat, qua *inferius cap.* 5. fatetur vnico die salutem integram restituisse. Videtur ergo quod in hoc non liceat mittere sanguinem, nam si morbus regius ob bilis copiam & nimiè sanguinem superantem expurgationem indicat, & sectionem venæ vt venenum refugit, non potest portio bilis de nouo putrescens sanguinis missionem indicare, cùm augeatur cacochymia, & humorum vitium, & affectus eueniat de nouo vires diminuens: ergo in hoc casu tutissimè expurgatio imperabitur, cùm causus magnum remedium indicet, & statim imperandum, ne fiat mortalis: & si vno die totam eam cacochymiam Galenus dato eductorio deposuit, quomodo non erit saluberrimum, eam incipiente causo vno die deponere, quæ morbi exitialis iam incipientis causa antecedens est; & si non educatur, est futura coniuncta, eamque iam expultrix non ferens incipit ad focum per partes reiicere: rursus quæso ob febrem inceptam quod vitium nouum imputatur expurgationem tollens, si antea tam rigorosè expurgationem petebat? Ego quidem nullum video, nisi nouam febrem magnam, & breuiter remedium exposcens, quod in principio mali, & posito casu, nullum nisi expurgatio tanti vitij inuenitur. Nec rectè respondeas, quod cruda est materia, & ideo non expurganda, quia si per crudam intelligis putridam, falsum est quod quando incipit febris ardens, tota bilis iam putrida sit, cùm solùm putredo inuaserit portionem primam accessionem causantem, quæ resoluitur, & alia accenditur ad nouam accessionem faciendam; ergo cùm tota materiæ collecta iam sit, & tota non sit, coinquinata putredine, non erit cruda, & inde expurgari poterit vt antea.

Sed quicquid sit de hoc, ego inquiro, si potest dari tanta copia bilis, quæ venæ sectionem omnino recuset, quod negari non debet, & incipiat putrescere, & febrem ardentem generare, cum non expugnabitur statim tota illa materia antecedens, si antea expurgationem indicabat, & nullo modo sanguis erat mittendus; nam per putredinem (vt dixi) non ponitur noua indicatio in causa ad venæ sectionem, cùm vitium, & cacochymia augeantur, & actiuior bilis reddatur vt reliquum sanguinem corrompat, & vitiet, & ad biliosorum feruorem deducere possit. Et vigetur hoc placitum in opinione communi (quæ etiam Galeni est) quod requiratur virtus maior ad venæ sectionem, quàm ad expurgandum. Sit ergo virtus, quæ primum auxilium tolerare nequeat, bene tamen secundum: cur si hoc indicatur à tanta copia bilis, non imperabitur, vbi tam acutus morbus incipiens, magnum remedium exposcit. Accedit quod corpora tam vitiosa, semper sunt vitali calore depauperata, cuius magna copia secta vena extrahitur, quia in opinione Galeni ad vacuum replendum quod tenuius, & mobilius est, facilius trahitur, & ipsum seruari in massa sanguinaria, docuit *cap.* 5. *de vena sectione*, ob quod consulit quanta præmeditatione sanguis sit educendus; hîc verò non seruatur in putrida bile, quæ medicamento expurgante, & tam abundanti educitur, & sanguis bonus non extrahitur; & bilis eductione, qui superest purior manet, & nutritioni, & nouæ spirituum creationi quàm antea commodior. Vnde ergo timor tam rusticus quod nullo modo sit statim expurganda bilis? Est etiam reuulsorium auxilium, & in hoc casu magis attemperans, quia educit solum humorem biliosum & æstuantem, sectio verò venæ etiam quæ attemperat, præsertim temporibus nostris vtiliter celebratur; cùm tam temperata medicamenta, & tam secura sint: mirum quidem est, quod Hippocrates in dolore pleuritico descendente expurgationem consulat, etiamsi inflammatio tam strenuè expurgationem recuset, & hanc repugnantiam vincat sola humorum vergentia, vt putat Galenus, & quod cacochymia tam magna si versus inferna declinet, ob ventriculi & cauam iecoris partem lancinando, non sit statim minoranda idoneo medicamento, quod & vergentia, & vitium sanguinis vnà indicant. Ego quidem non sine magna laude in febre, & maligna, quæ in prima accessione ictericum ferè ægrum reddidit, à præsenti periculo, dato pharmaco statim mirificè liberaui, cùm socij mei in quinta periturum præsagirent.

Adduxi in huius placiti veritatem Galeni locum ex 4. *de tuenda sanitate, cap.* 4. contra Mercatum, & Magistrum nostrum, quem *in expositione huius capitis* Magister exponit dicendo, quod non loquitur eo loco Galenus de habentibus febrem, seu calorem putredinalem: sed tunc dixit Galenus plurimum distare, quando adeò excedunt, vt virtus non maneat ad tam magnum remedium. Quæ expositio mihi non probatur; nam cùm sit primum principium traditum passim à Galeno, quod virium robur sit necessarium ad missionem sanguinis, frustra traderetur per hoc quod humores distent plurimùm

plurimùm

mum à sanguinis natura, nulla facta ibi vitium recordatione. Est etiam contra Galeni institutum: ibi enim intendit corporis & massæ sanguinariæ diuersos status proponere, in quibus etsi vires constent, dantur certæ indicationes ad hoc aut illud auxilium imperandum; & inquit, *vbi plurimum restitum est, in iis nullus omnino mittendus.* Quod (etsi vires constent,) sanguinis vitium expurgationem petit & indicat, præsertim si bonus sanguis sit paucus, & exiguus, reliquus verò succus plurimus, est in huius rei confirmationem locus Galeni celebris *libro de vena sectione, cap. 7. in fine*, dicendo: *Eadem ratione in iis, quibus pars quapiam grauiter icta est, aut vtcumque aliter incipientem habet phlegmonem, eam si magnam fore suspicamur, curationem ab inanitione auspicamur, aut purgatorio medicamine exhibito, aut vena incisa, prout nimirum alterum altero magis conuenire indicamus.* Et clarissimè 6. *epid. section 3. text. vltimo*, dicendo; *nam admodum calidis temporibus, qualia sunt prope canis ortum, à venæ solutione cauemus, necnon si valde biliosus sit homo.* Quid clariùs? & in loco vbi ex professo de impedimentis ad secandam venam agit: & sic Hippocratem intelligit etiam.

Sed dices, si vires constant ad missionem sanguinis, etiamsi nimis bilis abundet, est secanda vena. Probatur ex Galeno *lib. de vena sectione, cap. 8.* dicente, quod præsentibus scopis nulla est tanta copia succorum crudorum, quæ missionem sanguinis prohibeat: ergo si in copia crudorum qui sanguinis missioni reluctantur, sanguis mittendus est, multò melius & securius vena secabitur si calidi succi, & putridi abundent, cùm minus obstent sectioni venæ quàm frigidi. Verba Galeni sunt ad *finem 8. capitis. Neque enim vbi tanta crudorum humorum copia accumulata est, vt secandam venam impediat ratio redarguitur: nam istis virium robur non adest*; sed ex hoc loco, & alio à me adducto ex *fine cap. 7.* perspicua fit Galeni varietas & inconstantia, cùm in affectu inflammatorio à quauis occasione incipiat, distinctione vtatur, si incipienda sit medela ab expurgante medicamento, aut sectione venæ: constat verò eam distinctionem sumendam ex alio principio non esse, quàm ex specie succi fluentis, & eius copia supra sanguinem, vt millies docuit. Fatetur ergo intra latitudinem virtutis pro vtroque auxilio requisitam, eam distinctionem adhibendam esse, quod etiam tradidit 1. *aphor. com. 23. in fine*, & seipsum citat *in opere de missione sanguinis.* Ad quid ergo toties repetita hæc distinctio, si nullum humorum vitium sanguinem mittere prohibet, donec virtutem deiiciat? Melius ergo, & breuius diceretur, nullum humorum vitium ob superabundantiam si intra vasa sint, venam secare impedire si virtus constet; nec in hac authoritate crudorum suis principiis videtur stare Galenus, qui solam anasarcam quando ex suppressa euacuatione sanguinis originem trahit, venæ sectione curat, cur enim non secabitur in omni alia anasarca si virtus constat, nam Hippocrates ibi hoc auxilium commendat, si difficultet spirauerit; & cur rursus in tympanite non secabitur, si ex euacuatione suppressa oriatur. Idem in ascite dubitatur non solùm si ex dicta occasione pendeat, sed absolutè si virtus constat, Inconstans itaque est in suis principiis Galenus, quod vel ex ipso *cap. 7. de vena sectione* manifestè deduces. Verba sunt, loquendo de curatione rheumaticorum affectuum. *Merito ergo iis curandis scopus est, non euacuatio, sed corporis totius roboratio: quamquam tamen curationis initium illis à misso oriatur sanguine, ac si excrementa prauam etiam qualitatem habuerint, vnà adhibeatur purgatio:* ergo si prius mittendus est sanguis in fluxionibus, etiamsi excrementa praua influant, deinde purgandum, cur statim sententiam mutat dicendo. *Eadem ratione in iis quibus pars quapiam grauiter icta est, aut vtcumque aliter incipientem habet phlegmonem, eam si magnam fore suspicamur, curationem ab inanitione auspi-*

A *camur, aut purgatorio medicamine exhibito aut vena incisa, prout nimirum alterum altero magis conuenire videamus.* Sententia ergo Galeni ex 4. *de sanitate tuenda* videtur mihi verissima: adducta verò *lib. de vena sectione*, quod si virtus constet, nulla detur tanta copia crudorum, quæ venæ sectionem impediat; temeraria & periculosa mihi videtur, vt illa, *quod si morbus sit magnus, quicunque sit, & virium robur adsit, vena secari debeat*: & doctrina Auicennæ *in hoc cap.* & in communi methodo, innititur authoritati Galeni ex 4. *de sanitate tuenda*, quam vt oraculum veneratus dixit; *Caue ne agrum ad vnum ex duobus perducas, aut cholericorum feruorem, aut pituitosorum cruditatem.* Rectè ergo Peramatus *lib. de vacuandi ratione cap. 17.* dixit: *Sunt ar-*
B *dentes, febres in quibus ad deliquium sanguis extrahi potest, vt sanguinea: aliæ sunt, in quibus sanguis, sed moderatè extrahendus, vt in biliosis sanguinem nimis non excedentibus; sunt in quibus nullo modo conuenit, vt si bilis nimis sanguinem superet, & sanguis sit paucus.* Hoc vltimum eget grano salis, nimirum si medela à purgatione incipiat, & euacuata magna parte bilis adhuc causus periculosè molestet, poterit secari vena, quia excessus nimius ablatus est, & sanguis temperatior, & nutritioni ac generationi spirituum commodior redditus, parcè tamen mittendus, quia moderata copia sanguinis est. Nec obstat contra dicta doctrina Galeni 1. *aph. com. 23.* dicentis, in ardentissimis febribus esse mittendum sanguinem vsque ad deliquium; nullæ verò sunt ardentio-
C res biliosis, nam locus ille de continentibus sanguineis intelligendus est, vt *loco citato* optimè Peramatus notauit, in huius confirmationem loca diuersa Galeni adducendo, vt 2. *de cris. cap. 6.* in quo sanguineas de genere vrentium esse dicit, & vt *aphor. citato* docet, in doloribus esse distinguendum, si venam secare, aut aluum mouere expediat, sic in febribus: & doctrina ex 9. *method. cap. 5.* id suadet, in quo de sanguineis apertè loquitur, & ad deliquium euacuat: & clarissimè *lib. de vena sectione, cap. 12.* dicendo: *Porro vbi sanguinis feruentis copia ad acutissimam accedens febrem incurrit, confertim vacuare expedit, & vsque ad animi deliquium deducere, tentandum.* Sunt verò feruentiores huiuscemodi febres, quando ex tenuiori sanguine, &
D magis spirituoso dependent, vt Actuarius notauit *lib. 2. meth. cap. 10.* & hanc praxim sequitur etiam Saxonia *cap. 33. de febre ardente*, & confirmat authoritatibus Galeni in exquisito erysipelate venam non secantis, quia bilis excedit nimis, sed purgationem commendat.

SECTIO I.

De expurgatione in causo & attemperatione humorum per assumpta.

SI plurimum bilis abundet, os amarescat, & circa ventriculum & ventrem inferiorem morsus sen-
E tiatur; si statim in prima accessione color ictericus, aut ad pallorem vergens, & si icterica propria non sit, vrina tenuis, & ignea nimis appareat, præsertim si vomitus, aut biliosa deiectio eueniant, expurgatio statim imperanda, non quidem leniente solùm pharmaco, sed eligente, quod ex secunda regione trahere debeat, notando diligentissimè, ne tumor, aut obstructio aliqua hypochondrium afficiat; debet autem esse tumor talis naturæ, quod viscus aliquod fixè molestet, nam hypochondrij, & alui inferioris intumescentia sæpe fit ob humorum vergentiam, qui ibi detenti tumidum ventrem reddunt, & nil aliud desiderant quàm medicamentum expurgans, de quo est celebris historia filij Pithonis 7. *epid. text. 106.* qui ardente febre laborauit

laborauit, & expurgatus saluus factus fuit: latenter enim natiua succoa in ventrem mouebat, & in tumorem eleuabatur, nil per inferna deiiciens, imperitis verò alui illa intumescentia facilè imponeret quod esset expurgationi obstaculum, quia tensus, & fluidus non erat: Hippocrati verò expurgandi indicationem exhibuit. Sic quæ à nobis circa Auicennæ doctrinam relata sunt, errotis erunt occasio, quibus ad amussim supernatantiam bilis, & eius excessum supra sanguinem distinguere nesciant: hunc verò excessum ita antiqui pertimuerunt, quod Rasis in causone bilioso sanguinis missionis non recordetur, nec Paulus, nec Aetius. Tralianus verò sic loquitur. *Vbi igitur febres ex sanguine orientes internoueris, statim per initia vt dictum est venam secato, eos autem qui ex bile febricitant purgato potius, si materia ibi ad excretionem procliuis, & febris quæ inuadit, vehemens non fuerit, noui autem me etiam acuta laborantem febre purgasse.* Notat tamen, huiusmodi casus magnam diligentiam, & notationem requirere, & Medicum qui animo fuerit confidenti: dicerem ego requirere Medicum arcana medicinæ comprehendentem, & qui inuiolabilibus regulis addictus non sit, vt sunt multi hodie, hæresim putantes statim in principio medicamentum expurgans propinare, etiamsi incoctilem materiam, & superexcedentem cacochymiam febris authorem concipiant. Audiamus Paulum sic loquentem. *Horum alterutrum fieri necessarium est, si perfectè morbus solui debet, aut biliosos excerni humores, aut eosdem extingui. Excernuntur itaque per sudores, vomitiones, & imum ventrem; extinguuntur autem frigida potu, quo nos ardentissimas febres (causos appellant) ex toto curauimus.* Auerroës sic loquitur: *Et in ista conueniens existit purgare cum medicina attractiua a principio ipsius, & minuere ex sanguine si sanguinis signa apparuerint.* Isaac *capite* 16. distinctione vitæ, pharmaciam, & venæ sectionem commendans.

Est imperanda expurgatio in declinatione, & quia statim indicatur, & clysteribus emollientibus, & potionibus attemperantibus, & leuiter deobstruentibus prima regio disponatur sæpe repertis auxiliis, si occasio sit: vtilissimè expurgatio imperatur serapio solutiuo regio, aut ex 9. infusionibus cum rhabarbari dimo in aqua endiuiæ, & addatur luco electuarij, tamarindorum pulpa, quæ in hoc morbo prærogatiuam habet; aut sic parabitur. Rhabarbari ʒ. j. infundatur in decocto cordiali facto in sero lactis cum floribus maluarum, expressionis sume ℥. iij. ß. serapij solut. ros. ℥. iij. medullæ tamarindorum ʒ. vj misce: aut idem rhabarbarum in decocto tamarindorum, & florum cordialium infundes, & addita simili quantitate serapij solut. regis, addes diacatholici ℥. ß. misce. Sine fondamento Massarias serapia dicta vituperat, cùm mel non recipiant, & copia succorum sacchato obstat ne mutetur in bilem, si vstio statim appareat: flores vtriusque buglossæ, violarum, maluarum, & pruna cum semine psillij recentis in lactis sero infundes, infusionis sume ℥. iij. serapij solut. regis ℥. ij medullæ tamariodorum ʒ. vj. misce, aut medollam solam prius ingeret, & post sumet potionem, habet enim semen psillij maceratum vim strenuam cohibendi vstionem & bilem etiam expurgat, eius mobilitatem, & fetoetam simul reprimendo: in eo tamen ab aliis authoribus dissentio, quod putem post expurgationem sanguinem esse mittendum si febris molestet, & per expurgationem vt insinuaui, supernatantia humoris billosi ablata sit; in mea enim opinione vt missio sanguinis ad expurgationē disponit, sic expurgatio ad sectionē venæ, quamvis diuerso modo, quippe venæ sectio disponit, quatenus corpus laxat, & vias liberiores reddit, expurgatio verò in nostro casu quatenus æquabilitatem succorum inducit, cui per morbos venæ sectio debetur supernatantiā tollendo, vt sine commodo permutationis ad biliosorum feruorem sanguis extrahatur, vt in pituitosis febribus expurgamus, & coctionem crudorum, & mutationem eorum in sanguinem speramus, vt venæ sectio commodè fiat: displicet Saxoniæ scammoneatis non leuibus vtens.

Est tamen notanda doctrina Auerrois, *cap.* 17. qui non solùm expurgationem imperat, sed rursus dicit: *dando etiam omni die decem aureos tamarindorum infusorum in aqua simplici absque syrupo, & aliqua alia re dulci.* Quod præceptum mihi satis probatur, quia potio relata febrilem ardorem extinguit, sitim solatur, appetentiam excitat, putredinem inhibet, & aluum solicitat, adustam bilem (quæ fortè coctilis non est) sine noxa euacuando, & à capite reuellendo, cui per causonem maximè timemus. Auicenna verò in *hoc cap.* dixit: *Et quandoque conueniens est, vt dormiant apud teporem paruum febris, super aquam tamarindorum*; aduertit etiam qua ratione debeant caueri syrupi nostri per tam longam cocturam, & cum tanto sacchato confecti, quòd attemperare satis non possint, & in bilem mutentur, & ad sitim placandam minus idonei, saltem elicieris non nisi acida serapia danda esse, sic enim impeditur in bilem mutatio, si nimis diluta, & niue infrigidata propinentur. Est mihi in vsu succum acidum citri, & limonis perfectè depuratum, cum aqua tenuissima & limpidissima imperare, tum manè, tum in declinatione accessionis, aut in fine vigoris, in quo largior potus concedendus, vt Amatus notauit; nam tanto incendio communis dosis satis non est, nec potest, nec semel tantum dandus, vt est in communi vsu, sed repetendus si sitis, æstuatio interior, & inquietudo assiduè fatigent, & colliquescentia timeatur: Aliqui guttulas olei vitrioli ad gratam aciditatem aquæ funtanæ iniiciunt, quam niue infrigidatam propinant, & miro modo calorem extinguunt, quòd velocissimè totum corpus penetret, & antequam in ventriculo incalescat, totum peruadat, & attemperet, & felicissimè sudorem elicere solet, & morbum finire, aut magnopere leuare. Sic Chymici nitrum albissimum in liquore conuenienti dilutum, & bibitum caroilunt. Ægyptij verò vt testatur Alpinus *lib.* 4. *cap.* 3. mucaginem seminis psillij, & cydoneorum ad extinguendum ardorem propinant: Est optima potio quæ sic paratur Aquæ ros. rubrarum per vitrum distillatæ ℥. iiij. aquæ communis per mortarium lapideum percolatæ ℥. viij. succi citri, aut limonis depurati ℥. j. ß. sacchari albissimi ad gratum gustum misce; & niue infrigidata propinetur, præcipuè vbi ventriculus æstuat, & cor ob incendium palpitare videtur, cui etiam si opus fuerit electuarium de gemmis miscebis, aut margaritarum præparatarum puluerem, aut crystalli, quæ mordacitatem obtundere creditur: de qua potione Alpinus mentionem facit *cap. citato*, & Ægyptij vocant sarbet: saccharum enim in multa aqua dissoluunt, cui admiscent succi recentis limonum quod ad gratam aciditatem sit satis; nobiles verò Ægyptij, & Turcæ modicum moschi, vel ambræ addunt. Si autem bilis vsta in ventriculi ostium confluat, serapium de agresta, granatorum, oxisaccharū simplex, aut citoneorum niue infrigidata sensim deglutiuntur sino aquis, vt fortius operentur, & plus durent, præstat etiam mica panis tosti, & succo agrestæ infusa & ingesta, aut in granatorum succo, quæ danda sunt si vomere non sit possibile, quia bilis sit mordax, & pauca, dorsate ventriculi erosione vtiliter datur serapium papaueris, & de nimphea cum aquis portulacæ, lactucæ, & plantaginis; quæ si non moderetur, consilium Hippocratis est lac asinæ præbere, 4. *de victu acut. text.* 7. nam si ob bilis amarorem circa ventriculum bilem stabulari significantem illud consulit, maiori iure vbi mordet, & lancinat indicabitur: non enim corrumpitur lac asininum ob seri copiam, & mirè acrimoniam retundit, sitim extinguit, bilem per inferiora exturbat, & est alimentum in medicamento, vbi tam validè vires exsoluuntur, amandum omnino est vbi morsus molestat.

Præter dicta danda aqua in communi potu, in qua se-

men recens psilli maduerit,& largius concedenda,vt docte notauit Heurnius *lib. de febr. cap.* 17. qui 4. *de victu acut. com.* 7. loco lactis asinini, hanc commendat potionem, medullæ tamarindorum ℥. ß. coquatur ex aqua, expressioni colatæ adde mannæ ℥. ß. serapij solut. ℥. ij. misce, aut cassiæ fistulæ ℥. j. pulpæ tamarindorum, ℥.iij. & cum saccharo fiat bolus.

Vallesius *in com. eiusdem loci ex* 4. *de victu acut.* dubitat, quomodo expurgatio ab Hippocrate imperetur, cum *libello de medicinis expurgantibus* contrarium doceret sequentibus verbis, *Quicumque igitur à febribus fortibus corripiuntur, iis medicamenta purgantia dare non oportet.* &c. Respondet sequutus hoc præceptum; *medicamentum verè expurgans non tribuit, nec tamen omnino abstinet ab aluum subducentibus, quia bilis redundans facilè educitur, & magno cum periculo detinetur intus.* Quæ verba si rectè perpendantur, expurgationem satis efficaciter consulunt, & non tam leui medicamento vt lacte asinino, quando bilis copia est, si cum magno periculo intus detinetur; video intelligi posse de bile extrauasata. Sed Hippocrates illius non recordatur, neque ex linguæ amarore satis idoneè colligitur: quia verò authoritas Hippocratis contra non videtur pugnare, expurgationem consulentis statim in principio, quando bilis supernatat, dicimus, omnia præcepta doctrinalia esse, & nullum inuiolabilem legem sancire, & illud de febribus fortibus rigorosè intelligendum, id est, quando actu fortes sunt, non quando timentur, febres verò ardentes quando incipiunt non sunt actu fortes, licet timeantur; & expositio constat ex Hippocratis ratione dicentis: *Carnes enim eorum, & ventres cum calidi sint, medicamentum assumunt, & nihil purgantur*, &c. Supponit itaque tantum calorem in carnibus, & ventribus, quod trahant ad se quod medicamentum mouerit, id verò in principio morbi dari non potest. Hæc de expurgandi præceptis & attemperatione per intus assumpta, in quæ obiter incidimus; de potu verò copioso aquæ frigidæ ad satietatem *cap. de curatione continentium* diximus.

Serapia ergo quæ in officinis parata sunt ad attemperationem in febribus vstiuis, sunt de acido citri, limonis, oxalidis, acetosum simplex, oxysacchara, violaceum, de endiuidia, rosaceum, & vbi in ventriculum bilis regurgitat, serapia granatorum, agrestæ, citoneorum: si vigiliæ infestent de papauere,& nenupharis, & de lactuca, & portulacæ, cum aqua, aut decoctis eiusdem naturæ, ad quem vsum aquam ex succo limonis parare iubeo per vitreum alembicum extractam, quæ mirabilis est simul cum aliis bibita, vt quæ ex extasis acidis distillatur.

SECTIO II.

De attemperatione per extrinseca.

Nec sunt parui momenti in curatione huius mali extrinsecus attemperantia, præcipuè verò accommodantur parti in quam humores mouentur, & habet rationem foci, vt solet esse in hoc malo iecur, ventriculus, aut venæ cordi proximæ, cerebro etiam accommodantur ad præcautionem phrenitidis, & conciliandum somnum. Vnde Auicenna *in hoc cap.* dicit; *Et oportet vt ferues capita eorum cum aceto, & oleo rosato, & santalis, & aqua rosarum & camphora, & iis similibus*: magnitudinem verò, & efficaciam incendij interioris depinxit satis dicendo; *Et oportet vt obseruentur anhelitus eorum, & non dimittas partes pectoris spasmari*, hoc est, conuelli, & contrahi ob siccitatem musculis ab æstuoso calore inflictam; cuius dispositionis fecit mentionem Hippocrates 4. *aphor. text.* 68. dicendo: *In febribus spiritus offendens malum, conuulsionem enim significat*; intelligit verò per spiritum, ipsam respirationem, vt *in com.* dicit Galenus, quæ vbi offendit, hoc est, in medio sui interrupta substiterit, conuulsionem significat; etenim fit mouentibus thoracem musculis ac neruis iam conuulsioni paratis,&c. Quod vitium explicuit etiam Hippocrates 6. *aphor. text.* 54. dicendo; *In acutis passionibus quæ cum febre sunt, luctuosa suspiria mala*: *in com.* Galenus: *Febre verò cum his existente, non possumus causari musculorum thoracis, siue neruorum frigiditatem; sed vel duritiem comparatam, vel virium imbecillitatem, vel conuulsioni similem dispositionem.* Ex qua doctrina constat non semper offendentem spiritum significare conuulsionem, si ex debili facultate originari potest eius intermittentia in medio motus: ergo incendij thoracis temperiem, & conuulsionis præcautionem humidis & frigidis authores celebrant; sed humectatio maior esse debet; sic enim caloris actiuitas hebetatur, & ventilatio non impeditur vt fit intensioribus frigidis. Est commune auxilium antiquorum, oleo & aqua permixtis (hydreleon vocant) thoracem madefacere. Sic dicit Aetius in curatione huius febris: *At verò panniculi linei complicati moderatè graciles, aqua, & oleo calido imbuti, & pectori, ac stomacho impositi, ardentem febrem mirificè mitigant, sed & aqua, & oleum rosarum ex alto in pectus delata per tanè manipulum, vehementiam ardoris facilè obtundunt: oportet tamen (inquit) abundè calidam esse aquam & oleum, aut aquam, & rosaceum; tepida enim partium firmitudinem exsoluunt. Si verò parum nitri his mixtum fuerit, sudores excludere poterunt.* Quod præceptum sequutus Vallesius noster *lib.* 4. *method. num.* 533. dixit, caput æstuans oxyrhodino attemperandum esse, thoracem verò, aut totum corpus si ardeant, hydreleo: sic æstuanti ventriculo vtilitèr applicatur Traliani remedium, aqua nimirum frigida cum rosaceo subacta, & extrinsecus imposita, aut sesamum aqua maceratum, deinde eum rosaceo diligenter læuigatum, item ceratum rosaceum, cui admixtus sit portulacæ, & vuæ acerbæ succus pari portione. Si n autem totum quoque corpus cerato inducto humectaueris, valde commodabis. Quibus Traliani auxiliis iecur etiam si æstuet attemperabitur, aut fotu parato ex ℥. vj. succi endiuiæ, & tribus succi rosarum rubrarum, & vna eupatorij cum aceto rosaceo, aut epithema ex aquis parabis sumendo aquæ rosarum ℥. vj. endiuiæ ℥. iij. absinthij, & eupatorij an. ℥. ß. succi citoneorum ℥. ij. agrestæ ℥. j. aceti rosarum ℥. j. misce. Optimum etiam est in magno æstu ventriculi,& iecoris emplastrum sic paratum. Succi plantaginis ℥. vj. rosarum rub. ℥. ij. agrestæ ℥.j.ß. endiuiæ ℥. ij. cum hordei farina fiat emplastrum molle, addendo puluueria rosarum rub. ℥.j.ß. squenanti ℥. j. aceti rosarum ℥. j. misce: quod siccari permittendum non est, sed immutandum; in hac enim forma solidiori plus durat auxilium, & efficacius alterat, nec indiget penetratione, quia eius actiuitas interiora penetrat. Illse c. 16. in huius febris curatione sic loquitur. Cataplasma ponimus super hepar, & stomachum,quod recipit santalarum albar. & rub. sna ℥. j. rosarum ℥.ij.ß. corticum cucurbitæ ℥.iij. frondium viridium rosarum ℥.iij. camphoræ ℥.j. tempera cum succo semperuiuæ: nec audiendi sunt qui nisi finito iam morbo attemperare nesciunt; magnæ enim intemperies vt iu causone dantur, vrgent semper: ob quod timemus, ne erysipelaceus affectus confirmetur in aliquo viscere, aut magna fiat ad locum æstuantem succorum congestio, aut in eo qui sunt corrumpantur malignè, & præ magna intemperia coqui nequeant: sit etiam in ea parte indigente copia vitalis caloris à tanta intemperie magna caloris resolutio, & molestia æstuationis ægros anxios, & inquietos tenens mitigatur mirificè; quocirca magni momenti est viscera æstuantia contemperare euacuato iam corpore ob eandem vrgentiam. Est puerile argumentum dicentium à frigidis externis applicitis poros densari

densari & ventilatione cohibita febrem intendi; nam quæ attemperatio maior quàm ardorem partis exstinguere, & vehementer moderari, nec viscera ita ventilantur per cutem, vt per exspirationem, & motũ arteriarum in alto delitescentium. Estque probabilissimum à frigidis tempestiuè adhibitis fuligines corrumpi, & in alias substantias frigidas permutari; sunt enim igneæ naturæ, inde vt feruentur grandem caloris excessum requirunt, vt ignis, & ita facilè desinunt esse. Sic enim docent authores, vt ex doctrina Zoar testatur Auerroës, & noster etiam Princeps, per potum aquæ gelidæ causonem in pituitosam, & tardam febrem permutari. Ignorant etiam isti scioli, causonem exquisitum plus vrgere incendio quàm copia, neque nisi hæc deponatur prius, attemperantia admittuntur. Sed audiant Galenum *lib. 1. de differentiis febrium, cap. 9.* sic loquentem. *In eandem verò incidunt febrem ex ardentibus atque acutis febribus plures, qui rectè curati non sunt, ac præsertim, qui cum aqua frigida potu indigerent præter id quod eam non biberunt, nullum aliud refrigerans medicamen thoraci, ac præcordiis adhibuerunt.* Cuius doctrinam imitatus Isaac dicit: Vngimus pectus hoc vnguento, dragachanti ℥. j. succi maluæ, & violatiæ q. s. agitentur in mortario ad mellis spissitudinem, deinde ceræ albæ ℥. ij. j. olei violacei ℥. j. fiat vnguentum ad lentum ignem, quo in statu vtitur: supplere ergo potest ne in hecticam ardens transeat attemperatio externa thoracis, & viscerum, quando frigidæ potio indicabatur: hæc verò non indicatur nisi dum febris vehementissima est, vt *9. method.* docuit: ergo tunc iudicabantur etiam extrinsecæ attemperantia, ne illud magnum incendium, vt colliquatio, & in hecticam permutatio impediantur. Laudat suũ epithema Rõdeletius ex quatuor vnciis olei violacei, & aquæ hordei excorticati libra, agitentur bene, & thoraci, & hypochondriis æstuantibus applicetur, & sæpe renouetur: Verùm hoc epithema thoraci est accommodatius, viscera enim naturalia laxarentur nimis, ob quod consulo vt rosaceum addatur pro hypochondriis. Diligenter tamen notabitur ne obstructiones alicuius momenti viscera offendant, erit enim necessarium cum attemperantibus deobstruentia miscere, ne tophaceæ fiant, & immobiles nimio frigidorum vsu, & si corpus squalidum percipiatur, optimum est auxilium Fonsecæ, quod continet olei ros. lactis muliebris, succi cucurbitæ, & endiuiæ ana partes æquales, misce: quo vngantur partes squalidæ, & æstuantes. Vngit etiam prædictus authur dorsum, lumbos, & pedum, ac manuum plantas; totúmque corpus præter caput, & ventriculum, à cuius inunctione æger in lectulo contineatur, quia sæpe eueniunt sudores soborta natura, quo solo auxilio docet à grauissimis, & molestissimis ardoribus intra breue spatium multos liberasse. Illud verò notandum à nobis est, posse nimirum eam inunctionem supplere potum aquæ frigidæ, si ob aliquod viscus debile, aut aliud incommodum dari nequeat, si mouet sudorem vniuersalem, & cùm ab eo auxilio iudicatorius sudor speretur, tunc vtilissimè applicabitur quando potus dandus erat: est verò dandus si appareant signa coctionis, & febris sit maxima, vt *9. method.* Galenus docuit.

Constat verò, quod topica attemperantia ante totius euacuationem imperanda non sint, quia sub plenitudine perniciosa sunt, plethoram augendo: nec in principiis, aut augmento decessionum, sed in vigoribus, in quibus iam natura laxator vt accessionem finiat, sicque eo tempore vias reclusas habent vt intus penetrent, & obstant ne corpus tabidum fiat aut liquescat, quod periculum in vigoribus datur optimè vnguento cucurbitæ refrigerante Galeni cum succo limonum aut citri, & puluere florum nymphæ.

SECTIO III.

De sanguinis fluxu ex naribus in causo.

DE hoc symptomate peculiariter loquendo Princeps dicit: *Et oportet vt caueatur in eis superfluitas sanguinis narium, est enim de eis in quibus magnificabitur timor apud eos.* Est verò particularis ratio ob quam periculosè aliquando in causo fluat, sæpè enim & à copia bilis, & à putredine sanguinis eum in bilem mutante, tam mordax, & alienus totus sanguis efficitur, vt à natura ferri nequeat, sed violenter concitata expultrice in totum sanguinem irruat, quia ipius biliosa infectione præternaturalis redditus, quacumque sui parte expultrice stimulat, & sic si permittatur fluere donec sponte cesset, fluit vsque ad syncopen & mortem, quia in quauis parte sanguinis occasio irritandi datur: si verò topicis auxiliis fluxum sistere tentes, ad interna recurrens, lethalem passionem creat, aut impetum capiendo in partem internam debilem, aut fouendo febrem donec interficiat; quia quod ita expultricem stimulat, non coquitur, nec potest, quia non detinetur, vt inde constet quamlibet viam periculosissimam esse, siue permittatur, siue sistatur auxiliis. Et si occasionem fluendi ad amussim consideres, inuenies facilè quod neque Galeni remedia alicuius commodi erunt, quando nec topicis, nec missione sanguinis biliosa infectio, & mordacitas moderantur, & inde non minus quàm antea ad extra, aut intus fluet. Non docuit Auicenna quibus hic periculosus fluxus superuenire præcipuè soleat, in communi verò dictum à nobis est, biliosam corruptionem sanguinem totum inficientem causam esse, quia verò docti Medici est id præsagire, & mirabilis inde vulgo erit, legatur Hippocrates *6. epid. sect. 3. textu 21.* cuius sunt hæc verba. *Sanguinis de naribus profusio, aut iis, qui subuirides, nigrique sunt, aut iis qui rubri, & virides.* Vallesius verò transtulit ita; *fluxus sanguinis ex naribus, aut seminigris semichloris, aut semirubris semichloris, aut subchloris*; nam chlorus color apud Græcos communis est viridi, & pallido. Et quamuis Galenus dubitet, quomodo sit intelligendus textus, an inquam fiat magis dicta sanguinis profusio per morbos hominibus dictis, an verò eos iuuet magis quàm alios, verissima textus interpretatio est, quod plus accedere soleat, & periculosius: plus, quia nimis irritantur, & totus sanguis infectus per minima est, & biliosa infectio facilè sursum impellitur, acresque vapores sursum tam facilè moti oscula venarum recludunt, partim calore, partim acrimonia excedendo, & quia per minima humor biliosus permixtus est, non ita commodè separatur vt per aluum aut vomitum reiiciatur, & sic totam massam sanguinariam natura pellit: quod esse in causa censeo cur natura per sanguinem ex naribus rarò nimiè vitiosum sanguinem vacuet, quia tunc cogitur venas narium recludere, quando ob nimiam mixtionem cum sanguine peccantes humores separare nequit, aut ob vitium aliquod commune totius irritat. Quando ergo per morbos biliosos eam mutationem colorum Medicus videt, vt modò æger pallidus in facie subitò fiat, modò viridis, modò cùm nigritie aliquis ex dictis coloribus permixtus appareat, aut cum rubore, & sit ab vno in alium ex dictis nimia mutabilitas, timendus est summa ratione sanguinis fluxus ex naribus, & periculosus, quod experimento Vallesius noster comprobauit. Vidi (inquit) quosdam, quibus non sine admiratione eorum qui aderant, facies mutata est ad chlorum, & per horas quasdam chlori indicibiles differentias, fluxu sanguinis periclitari, & eorum quemdam mori, alium cum vehementi animi deliquio euadese; est tamẽ probabilius periclitaturos minus, quibus cũ rubore chlorus color miscetur, quia minus infectum

sanguinem rubet color arguit, si verò mutabilitas illa à viridi in pallidum fiat, aut contra, vel cum nigredine, maligna infectio, & vniuersalis timebitur, & sic cum magno periculo fluxum sanguinis natura tentabit ob dictam causam: ergo semirubri semichlori securius, semichlori malignius, seminigri semichlori deterius omnibus fluxum admittent, quò enim succi peccantis deterior conditio fuerit, eò magis timenda euacuatio, quia minus à natura contineri potest. Sic niger deterior erit, deinde viridis, deinde pallidus, verùm rubet color omnium malitiam moderatur, quia sanguis non omnino corruptus innuitur, à quo contemperatur, & idoneam materiam nutritioni, & spiritibus præstat.

Quomodo verò huic periculoso fluxui auxiliandum sit, non est facile, quia vt docuit Vallesius, vtramque viam habemus periculosam: si permittatur, fluet vsque ad syncopen; si sistatur, cùm à natura sustineri nequeat, in partem aliquam internam debilem mittitur, & lethalis, nouaque passio creatur. Auicenna *fen.* 3. 4. *tract.* 2. *cap.* 14. tradit medelam fluxus sanguinis ex naribus per auxilia communissima, ligaturam scilicet extremorum, cucurbitarum appositionem supra hypochondria secundum rectitudinem partis affectæ, per infrigidantia, astringentia, & exsiccantia naribus, & partibus proximis applicata: & notat conferre etiam caput infrigidare, si non sit quod prohibeat, notat tamen esse tentanda reliqua auxilia antequam cucurbitæ hypochondrio affigantur: adhibe (inquit) regimen illius loci, idest loci affecti; possibile enim erit tibi vt infrigides, & restinguatur per illud, & non ponas ventosas desuper: quod mihi videtur aliquam practicam præceptionem includere, timet enim ne cucurbitarum appositione materia retracta ad iecur, vel lienem, inflammationem, aut obstructionem magnam suscitemus; & videtur hoc auxilium velut topicum versus partes nobiles euacuationem totius prius requirere, aut saltem quod permittatur fluere, quod ad inanitionem eius sit satis. Quàm vtilis verò sit sectio venæ ad cohibitionem fluxus sanguinis narium ex brachio directè nari fluenti respondente, Galenus docuit *lib. de vena sectione*, & 6. *epid. sect.* 3. *text.* 2 a. & 5. *method. cap.* 6. Est verò secanda communis aut cephalica, stricto orificio inducto, & per interualla (vulgo *por pausas*,) sic enim efficacior reuulsio celebratur, quod præcipuè in nostro casu obseruandum est ob naturam biliosi sanguinis, & nimiam eius tenuitatem. Galenus verò 5. *method. cap.* 6. vituperat Medicos localia cerebro, & naribus partibusque proximis applicantes, antequam euacuatum totum sit, & facta reuulsio, dum prius hypochondriis cucurbitæ fuerint affixæ, quod videtur contra expositionem nostram, & Gentilis.

Verùm vt insinuare cœpi, hæc auxilia adæquata esse non possunt, quia vitium internum expultricem stimulans illis moderari non potest. Altiùs res explicanda est: supponimus verò fluxum esse periculosum ob sanguinis biliosam infectionem, & per consequens sistendum: criticus, vt docuit Princeps permittendus est, quantum possibile fuerit; quippe in optima crisi raro natura depranatè operatur, sed cessat vbi peccantem materiam detrudit; in omni ergo fluxu, etsi symptomatico, aliquid sanguinis fluere permittendum est, vt docuit Hippocrates 6. *epid. sect.* 3. *text.* 25. & *in com.* Galenus, esset enim temerarium primum naturæ impetum impedire velle, violenter enim peccantem, & commotam materiã in alias partes internas reiiceret, neque alius modus salubrior, nec minori lapsu naturæ tentari potest, quàm sine dolore vasa narium recludendo. Verùm in nostro casu multum effluere permittendum non est, quia in infectionibus tam biliosis, & depranatis, quævis sanguinis euacuatio detrimentum affert, quod paucissimum bonum habeant vnde reficiantur. Ex quo constat venæ sectionem moderatissimam debere fieri, & per angustum fo-

A ramen, vt dixi, & si quod sentio propalare debeo, venam non esse secandam censeo, quod contra infectionem biliosam, & occasionem fluendi (mordacitatem scilicet & tenuitatem sanguinis) leuissimæ vtilitatis esse possit: est verò mittendus audacius in semirubris semichloris; quod plus sanguinis & minus infectum habeant, vt antea retuli: in aliis verò aut non mittendus, aut parcissimè.

Est verò dubitatione dignum, si incepto iam fluxu, & cognito quod ex malignis sit, ob infectionem biliosam, & quod coctionis signa non præcesserint, multaque bilis copia agnoscatur, expurgandum sit corpus statim: videtur enim necessarium auxilium, cùm euacuatio tentata a natura tam periculosa ab omnibus authoribus

B censeatur, cùm euacuetur sanguis quo tam validè egent sic affecti, & ex alia parte occasio fluendi sit cacochymia biliosa, & bilis acrimonia, nimiaque tenuitas, ob quas, & facile educitur, & à natura non continetur, vt constat ex fluxu iam cœpto: magnæ quidem conditiones vt securè possit educi medicamento dato, bilis peccans, & fluxionis tam periculosæ author; nec obstat crisis incepta, si perniciosa est, & cum periculo vitæ tentatur, euacuando quod non oportet, nec per illã occasio fluẽdi tolli potest, cùm ob malitiam fluat, & prauã conditionẽ.

Mihi videtur praxis, consulens expurgationem probabilissima, si roborantibus, & astringentibus celebretur, verùm ante illam experiri decet si copioso aquæ gelidissimæ potu sisti possit, erit enim celebre remedium, quia omnem indicationem implet; nihil enim communius tum experimentis, tum authorum doctrinæ, quàm

C ex potu gelidæ aluum moueri, aut sudorem, aut vomitum, aut vt dicebat Galenus, omnia simul succedere, & inde si tam securo, & necessario auxilio expurgationis indicatio completur, ab hoc incipienda est fluxionis cohibitio, quod etiam mordacitatem obtundit, & frigore incrassat, sistitque fluxiones, & per omnes corporis regiones reuellit: nec obstat quod signa coctionis nõ præcesserint, quia vt datur talis potus quãdo non adsunt ob vrgentiam incendij, & metum colliquescentiæ, sic quando incipit fluxus tam periculosus vrget eius ablatio; si verò potus non detur ob aliquod inconueniens, aut dato non cesset sanguinis fluor, notandũ est si fluxit aluus copiosè, aut vomitus fuit concitatus, aut magnus sudor promotus, poterunt enim prædictæ euacuationes medicamentum expurgans supplere; si verò non fuerint præ-

D motæ aliquæ euacutiones, expurgatio imperabitur, eritque magnum auxilium succi plantaginis depurati ℥.ij.ß. rhabarbari puluerisati ʒ.j. misce: sic enim vt dicit Mesues euacuatur bilis, & simul sistitur sanguis, aut in decocto centinodiæ, ros. & florum malnarum insundentur myrobalani, & addetur rhabarbarum. Optimus est syrupus rosarum Hispanicarum, si eius sumantur ℥.iiij.ß. rhabarbari puluerisati recentissimi ℈.ij. aut drachma aquæ plantaginis, & portulacæ, in quibus corticis myrobal. & citri infusæ fuerint ℥.iij. misce: aut cum pulpa cassiæ fistulæ & eodem rhabarbaro buccellæ formẽtur, aut in serapio regio vel rosarum rubrarũ supra posito, tamarindorum medulla cum rhabarbari puluere propinetur. Sed hîc

E notanda venit doctrina Plateri *tom.* 3. *fol.* 560. timet enim hoc auxiliũ si actu sanguis per vterum fluat, quia vires iã deiectæ sunt, & timenda est earum effeminatio, & corpus accendendo, irritando, & commouendo fluxionem augerent. Sed hæc doctrina in fluxibus non perniciosis optima est, sed in nostro, & in eo, qui nunquã cessat, locũ non habet, & cùm fluat per regionem supernam, reuellitur optimè per aluum, quod quandò per vterum manat non fit tam securè, quia ad partem affectam trahit, estque noster fluxus desperatus omnino, vt experimento constat, si contra illũ non pugnemus egregiè: nec tentandũ hoc auxiliũ si vires satis non constent. Sed Leonellus Fauẽtinus quod Platerus non timuit; nam in fluxu sanguinis per aluum si ob biliosam infectionem pellatur, expurgat statim,

ſtatim, & ipſe Platerus idem imperat, *tom.3. fol.570.* in cura fluxus ſanguinis narium.

Sic euacuata bile vno aut alio modo, incraſſandus eſt ſangnis, & attemperandus, & eius mordacitas obtundanda; dixit enim Hippocrates *loco citato, text.22. Parum remittentem incraſſare aridè*: quod mihi videtut intelligendum potius de topicis naribus applicandis, quoniam ſiccantia in febre ardente interius ſumpta, acrimoniam augere dubitari non poteſt, niſi frigidiſſima ſint; quia verò aſtringentia ſine ſiccitate non dantur, dixit *incraſſare aridè*, hoc eſt aſtringentibus ſanguis incraſſetur, quæ etſi ſuſpecta ſint in febre puttida ob augmentum obſtructionum, in ardentibus tamen, in quibus hic fluxus periculoſius timetur, minus timenda ſunt, quod ſanguis ferueat, & tenuiſſimus ſit, & incraſſatio ipſa fortè ad coctionem conueniet, non vt incraſſat ſolùm, ſed vt quietem maiorem humoribus conciliat, & agilitatem reprimit, vt retenta magis felicius coquantur: ego verò potius intelligerem frigida, & ſiccantia danda eſſe, & omnino fugienda aſtringentia, niſi leuiſſima fuerint per ſebres: ſunt tamen aliqua quæ vtiliter concedi poſſunt, vt decoctum radicum pentaphyli, radicum frugariæ, foliorum plantaginis, centinodiæ, roſarum rubearum, florum violarum, nenupharis, quæ infrigidant, exſiccant, & contra febres vim habere creditur, ſed inter omnes vtiliſſimum eſt decoctum radicum pentaphyli, quod deſiccatorium ſit ſine mordacitate, & eſt partium tenuium, & ſanguinem fluentem ſiſtit. Cui etiam eximiè conducit decoctum radicis, & foliorum fragariæ, iecur attemperando, & eius inflammationem mitigando, deobſtruit etiam vt ſummum auxilium icteritiæ putetur, & inde neceſſe eſt febri ipſi magnum auxilium fore. Eſt etiam magnum auxilium infundere in aqua, aut decocto centinodij & plantaginis ſemina recentia pſillij, & mucaginem derelictam cum aqua ipſa bibere, nam præterquam quod bilem expurgat, attemperat mirè, & ſanguinem incraſſat, mulcebremque reddit reprimendo acrimoniam. Harum ergo rerum decoctum cum oxyſacchara ſimplici, ſerapio aceioſæ, granatorum, violaceo, roſaceo, papaueris, nenupharis, & portulacæ ſi nimius ſit feruor, vtiliſſimè dabitur cum puluetibus coralli, cryſtalli præparati, margaritarum, aut ſolius ſmaragdi, quod contra fluxus ſanguineos prærogatiuam etiam habere creditur. Hoc autem non ignotes, quod vbi exſiccatio, & aſtrictio deſiderantur, meliora ſunt decocta, quàm aquæ ſtillatitiæ, præſertim ſi aqua in qua ſunt coquenda ſimplicia deauretur, aut decoctum chalybeetur; non tamen licet magnam copiam præbere, quòd multus potus ſanguinem reddit dilutiorem, & cum nimis frigidus dandus ſit, & repetendus, non poteſt ſine periculo in magna copia dari.

Confert etiam iecur & viſcera attemperare exterius appoſitis, vt diximus antea; teſtes verò in aquam frigidam immittere probatiſſimum eſt ab authoribus, aut illis infrigidantia applicari. Platerus de hoc auxilio ſic loquitur: *Teſtibus cum multa vaſa ſanguinem deferentia admittant, & conſenſum magnum cum vniuerſo corpore habeant (vt ex mutatione temperamenti ſi caſtrentur apparet) refrigerantia admota admodum narium hemorragiam compeſcunt, tom.3. fol.575.* alimenta incraſſantia ſint & mordacitatem obtundentia, vt ſi ſuccum hordei extraxeris cum quarta parte ſucci tritici, vt deterſio hordei moderetur, & magis acrimonia ſuccorum mitigetur; ſic amylum cum lacte amygd. dulcium, & ſeminum frigidorum maiorum optimum eſt, inter omnia alimenta caro ranarum primas tenet, quod mitè incendium temperet, & contra ſanguinem fluentem inſignes vires participet potus aquæ deauratæ, aut chalybeatæ, & ſit pluuialis, ſi non adſit ex tenuiſſimis: ſomni conciliatio neceſſaria eſt, & longior, alimentum verò crebrò, & in modetata quantitate dandum, quod multa ſit

A inanitio, & vires nequeant multum conſtare, & mordacitas ſanguinis inedia multa exacerbatur; & plura alia leges auxilia in curatione febris ſyncopalis minutæ. Illud tamen ſcire licet, nullum alimentum vtilius pro ſebribus ardentibus, ptiſana dari, etiam in morbi initio, vt Galenus docuit *lib. proprio, cap.5. poſt medium* dicendo. *Quarum certè qualitatum nomine ardentibus febribus eſt accommodatiſſima, nimirum quod in omnibus iis apponatur, non modò refrigerans & humectans, verum etiam putridos humores abſtergens, corporique non paruum afferens alimentum, humores verò etiam ſemiputres concoquens, & in bonum ſuccum transmutans.*

Vnde mirari licet quàm ſiniſtrè à multis exponatur Hippocrates 1. *de victu acut. text.* 22. vbi docuit, quod ſi
B morbus ſiccior quàm vt quiſpiam exiſtimet, fuerit, non multum dare oportet, ſed ante ſorbitionem, vel mulſam, vel vinum, &c. Ex quibus inferunt in principio morbi febrilis non eſſe dandam ptiſanam, quia materia cruda eſt, & morbus ſiccus. Siniſtra certè interpretatio, cùm præceptionem in morbis thoracis ad febres transferant, tum etiam quia non prohibet illam omnino Hippocrates, ſi morbus ſit ſiccior, ſed quòd non detur multa, quia conditio febrilis ad coctionem inediam requirit, iuxta Galeni doctrinam 1. *ad Glaucon. in curatione tertianæ nothæ*, vbi docuit, inedia eſſe vtendum ſi vires valentes ſint, & morbus ad coctionem contumax. Et quid clarius quàm quod in *text.22.* Hippocrat. ſcripſit, dicendo: *Verùm inter initia neque multam, nec craſſam admodum dare oportet*, &c. Conſtat verò quod vt in pleuritide, aut pulmonia non
C datur in earum principio ſemper omnimoda cruditas, ita nec in febribus, & per conſequens vt in principio pulmoniæ, aut pleuritidis quando nimis ſiccæ non ſunt, ptiſana à tanto authore conceditur, ſic in initio febrium ardentium præſertim concedenda eſt, quòd nihil habeat eis aduerſum, vt Galenus loco citato docuit. Valleſius verò *de victus ratione in acut. fol. 19.* dicit non dari minus conuenienter in ardentibus febribus ius gallinæ aut pulli, in quo licet coquere borraginem, lactucam, aut cucurbitam: cuius doctrina mihi non probatur, quia ſi priſanæ prærogatiuæ animaduertantur, perſpicuè inueniemus excelſius alimentum eſſe ſi abnminabile ſumenti non ſit; quod contra Valleſium etiam notauit Augenius. Galenus *in fine capitis 5. lib. de ptiſana* ſic loquitur. Cum igitur talis exiſtat, merito acutis ſebribus conueni-
D re illam exiſtimamus, non tantùm quod illis in omnibus aduerſetur, verùm etiam quod facillimæ concoctionis, & in vniuerſum corpus promptiſſimè digeratur, & putrefactos humores ob diuerſoriam qualitatem expurget, eos verò concoquat qui ſemiputres iam euaſerunt. Iam verò docuit Galenus *cap.5. citato*, quod etſi hordeum ſit ſiccum, euadit nihilominus humidum ob præparationem cum aqua: eſt tamen difficilius qua ratione coctioni ſemiputridorum poſſit conferre, ſi deterſoria facultate putridos omnino expurgat, tum quia frigida coctioni aduerſantur, cùm coctio à calore fieri debeat. Sed nota, deterſoriam vim ptiſanæ vt pro acutis febribus præparatur, moderatiſſimam eſſe, vt *cap.3. proprio lib.* Galenus docuit. Eſt verò ſatis illa leuis deterſio vt putridi omnino
E ſucci commoueantur, quia non detinentur vt inemendabiles, & nullius commodi, ſemiputridos verò, quia detinentur, quod ſint reducibiles, & vtiles eſſe poſſunt, non commouet, & ex alia parte calorem febrilem contemperando, & humiditate illa lenta & mulcebri coctioni vſtorum, aut ſemiuſtorum opitulatur: notat tamen Galenus ptiſanam bene præparatam ſitim plus quàm aquam extinguere, quia etſi non ſit tam humida vt aqua, velocius diſtribuitur, & humorem habet ob viſciditatem permanentem magis.

Sed dices, ſi ptiſana velociter diſtribuitur, non videtur ſitim moderari; nam rùm ſitis ſit ſenſatio moleſta oris ventriculi ob humidi defectum, rondeqet potius ad ſitis ablationem, quod diutius ventriculo hæ-

reat, quàm quod distribuatur celeriter. Deinde videtur manifesta repugnantia in Galeni doctrina, nam *cap. 6. lib. de ptisana*, dicitur non esse dandam in morbis acutis. Verba sunt. *Nec enim illis est administranda qui cum periculo laborant, aut sanguinis missione, purgationeve indigent, aut aliquo clystere.* Et inferius: *Atque omnium minime iis qui aut medicis fomentis, aut venæ sectione, aut purgationibus egent*: constat verò nullum esse acutum morbum, qui aut venæ sectione, aut purgatione, aut clystere non egeat, nec minus quod sine periculo detur, cùm periculum ipsum in essentiam acuti morbi ingrediatur. Deinde quomodo potest ptisana distribui facilius quàm aqua, cum *cap. 2.* dixerit Galenus, aquam facillimè, & celerrimè totum corpus, & hypochondria pertransire, estque tenuiorum partium quam ptisana; & cùm hæc alimenti rationem obtineat, implicat non detineri amplius in ventriculo vt coquatur, & in chylum mutetur, aqua verò incoctilis est, vt docuit Philosophus; ergo omni ex parte celerius distribuetur.

Ad primum respondeo, quod illud *velocius distribuitur*, ad aquam debet referri, & inde minus sitim extinguit; aut dicendum, quod citius distribui conferat ad sitim extinguendam, quia citius occurrit partibus omnibus actuali frigiditate attemperando incendium quod humidum exhaurit, & sic sitis mitigatio ob ptisanæ concursum plus durat, quia refrigerat totum velocius, & magis, & ob maiorem consistentiam; aqua enim quæ datur, tenuissima debet esse, huius verò proprietas est, vt Galenus docet *5. cap. de ptisana*, quod calori naturali admota citò calefiat, & docuit etiam Hippocrates *5. aphor. 26.* dicendo. Aqua quæ citò calet, & citò refrigeratur, leuissima est: ptisana verò crassior cùm sit, calefactioni magis resistit, & plus infrigidat, & humectat, nec hæc totius infrigidatio fit quia celerius quàm aqua distribuatur, sed quia ob maiorem vim infrigidandi habet maiorem sphæram actiuitatis, ita vt in ventriculo manens totum efficacius alteret, & temperet: distribuitur ergo celerius eius frigiditas, non verò corporatura. Hæc de ptisanæ cremore intelligenda sunt, nam aquã hordei non implicat ob detergentem vim celerius quam aquã distribui, vt docent Medici de aqua saccharo admixta, celerius nimirum quàm solam distribui ob vim detersoriam sacchari. Quod verò dicit *cap. 6.* non esse dandam ptisanam laborantibus periculosè, & venæ sectione, expurgatione, aut clystere egentibus, de integra ptisana intelligendus est, & loquitur de acutissimis morbis, quibus ptisana tota crassius alimentum est quàm conueniat: quod verò non sit danda clystere indigentibus donec vetus stercus descenderit, Hippocrates præcipit *1. de victu acut. text. 29. & 32.* dicendo: *Quicumque igitur in huiusmodi morbis ptisana vtuntur, iis ne vno quidem die vasa vt ita dicam inanire patiendum, sed vtendum nec desistendum, nisi vel propter medicamentum, vel clysterem desistere opus sit.* Et *text. 32. & 33. eiusdem libri*, docet Hippocrates multa ex traditis à Galeno; qui author satis variè & indistinctè mihi videtur loquutus *eo c. 6.* vniuersalia præcepta tradendo, vbi particularis obseruatio ptisanam prohibet. Nam quid absurdius quàm absolutè proferre, ptisanam non esse dandam in morbis periculosis, aut expurgatione, & venæ sectione indigentibus, cùm absolutè docuerit *1. ad Glauconem, c. 13.* in continuis febribus succum ptisanæ dandum esse, in quibus necessariò periculosas, & acutas includit.

Sectio IV.

De linguæ asperitate, siti & nigredine.

Molestissima esse consueuerunt linguæ accidentia in causo, ita enim exsiccari, conuelli, indurari, exasperarique solet cum implacabili siti, vt loquelam formari

A ob immobilitatem non permittat, cibi appetentiam destruit, somnum tollit, & interdum (si Auicennæ credendum est) cerebrum in consortium trahit, & delirium inducit: quæ si oscitanter à Medico tractentur, vlcera depascentia creant, & fauces exulcerantur cum magno periculo, vt *in præsagiis* Hippocrates docuit, quibus occurrens *6. epid. sect. 3. tex. 33.* scripsit: *Siti carentem os claudere, tacere, ventrem cum potu frigidum inducere*: quam doctrinam sine expositione ferè Galenus reliquit: ergo os claudere necessariò includit tacere, non tamen quia tacet os necessariò habet clausum, quin potius, nil communius quàm in magnis ardentibus molestè hiare: oportet ergo non solùm tacere, sed etiam claudere os, nam motus semper calefacit, & exsiccat, loquela verò sine motu linguæ & labiorum non agitur, &
B sic causam sitis, & asperitatis intendit, os claudere (etsi taceat æger.) Confert etiam, quia si hiet, aër per os in pulmones defertur, & fuligo etiam adusta per illud expiratur simul cum aëre iam calefacto. Vnde etsi quandoinspiratur frigidus videatur aliquod solatium attulisse, tamen ipso impetu delationis humiditatem absumit, & dum expellitur multò plus. Vnde os claudere humiditatem oris, & faucium conseruat, & sic ad sitis mitigationem conducit, non enim inspiratur per os, sed per nares in pulmonem, & sic oris humiditas, & faucium seruatur optimè, & linguæ siccatio impeditur, & sitis, aer verò inspirantibus ita a Medico disponendus, præparandusque est, vt sit frigidissimus; dummodo cutem non alteret; sic enim perniciosus potius foret: desideratur
C verò frigidior si focus iuxta cor & pulmones consistat, quia eorum æstuationi immediatus celerrimè, & inalteratus occurrit, sicque melius quàm potus sitim solatur, si in thorace focus contineatur. De potu iam diximus quando sit propinandus, & quod largiori opus sit in febribus æstuosis, præcipuus enim scopus est attemperatio, & ob ipsam intemperiem plus agendum, quo fit vt aer frigidus paretur irrigationibus, fonticulis, & folita stratis, & ventilatione, & ori ac naribus applicando quæ aërem ingredientem contemperent, vt frigidior inspiretur, quia vt dixi propius quàm omnia alia accedit ad cor, quod est subiectum febris; constat verò attemperantia omnia tunc magis paranda, quando vrgent accessiones; vrgent verò quando coctiones fiunt, & inde in principio febrium ardentium minorationi causæ plus
D incumbendum, quia in eo minus vrget incendium, & obstructiones fiunt maiores, & crudiora excrementa, quæ intensè frigidis obstant: ab augmento verò vsque ad finem vigoris plus attemperandum, præcipuè si vstio succos inficiat, cui vt putauit Vallesius noster, attemperatio potiùs quàm coctio opponitur.

Est deinde notandum, quòd in ardentibus exquisitis calor, & siccitas sunt sitis authores, sed calor magis; in spuriis verò siccitas, & salsugo excellunt, calor minor est: vnde in illis frigidissimis, & humidis siti succurrimus, in spuriis verò humidioribus, & mucilaginosis, & minus frigidis, quinimo sæpe aqua moderatè calida melius sitis mitigatur, quia intimius penetrat humor, & induratam linguam emollit; sicca enim quæ ob caloris excessum talia non sunt, sed abundante siccitate pusillum
E humorem quem habent frigore exprimunt, & vt metalla coquuntur, etiamsi siccitate concreuerint multa, sic lingua indurata siccitate, humore, & calore moderato emollitur; desiderat etiam pituita salsa, quæ dissecent, quod crassa sit & lenta: quo fit vt acetum album aqua dilutum cum saccharo summè auxilietur, quia humectat, temperat, dissecat etiam aceti tenuitate, saccharo detergit, humor intimè penetrat, sicque pituitæ crassæ, & lentæ multa copia extrahitur, quod aqua frigida nunquam eueniet; febri verò æstuosæ magnum auxilium est semen psillij in aqua optima maceratum, cuius infusio cum serapio violaceo propinatur; infunduntur verò drachmæ duæ, aut ℥. ß. seminis in ℥. xx. aquæ, sumuntur

A tur item frusta peponis, aut citruli, aut pomorum acidulorum, supra quæ aqua bibenda infundatur, & simul agitantur, & niue, aut alio modo infrigidata bibitur, aut ʒ. ß. seminis cucumeris sumatur, & dragachanti ʒ. ij. gummi dissoluitur in oui albumine recentissimo, & semen tritum commiscetur, & pilulæ formantur ore detinendæ, quæ sunt optimæ in maximis siccitatibus, aqua etiam stillata ex radice recenti liquiritiæ contra siccitatem pituitæ salsæ optima est, præcipuè si oxysacchara simplex ea dilnatur, pilulæ etiam ex mucilagine seminis psillij, & citoneorum, cum oui albumine recenti, & pulueribus liquiritiæ recentis optimæ sunt: magnum etiam auxilium & solatium est in ardentibus febribus, & vstiuis, in aquam frigidissimam os, & linguam immittere, & nares, vt fauces, & interna gulæ, & asperæ arte- B riæ attemperentur frigore aquæ, nec constipatio in viis tam latis timenda: aqua etiam instillatitia ex quovis lacte optima est, ex vaccino præcipuè.

Duo tamen notabitis; primum, quod in fine ardentis febris, & quando iam cessasse videtur, remanere solent ardoris vestigia, & corpus tabidum fit, cui auxiliandum victu humectante, & moderatè frigido, quod præstat optimè ptisana rectè præparata, & dorsi inunctio cum vnguento cucurbitæ, & refrigerantis Galeni, rosaceo, aut resumptiuo, aut cum oleo violaceo, & amygd. dulc. & si tempus æstiuum sit, balnea aquæ dulcis optima erunt, vt Auicenna docet, & lac asininum summo mane sumptum: instituenda itaque est medela tabis, & hecticæ incipientis, præcipuè si aliqua colli- C quatio appareret, & duret, visceraque exusta, exterius attemperanda, & somnus maximè conciliandus post alimentum.

Secundum notabitis, post vstiuas febres pulsationem magnam sentiri solere in hypochondrio, quod sanguis, aut bilis nimiè adurantur, & schirrhosa cancrosaque dispositio in hypochondrio relinquitur, quæ omnes ferè tandem interficit, & multi tabidi intereunt, cui dispositioni occurrendum est iuribus pulli saginati, deobstruentibus, attemperantibus, & emollientibus simul, quod cancrosa passio dura & æstuans sit, vt si radicei graminis, rumicis, adianthi foliis, & boraginis, tenerioribus lu- D pulis, hordeo, radice fragariæ, foliis tenerioribus maluarum, floribus buglossæ vtriusque, violarum & passulis corinthiacis infarctus pulli pinguissimi fiat, & lento igne coquatur donec contabuerit: sic enim attemperatur hypochondrium æstuans, virtus instauratur, & vstus humor, & atrabiliarius iam factus dissecatur, & emollitur, præsertim si cum guttulis ex acore citri, aut limonis & sacchato sumatur; sic enim celerius trahitur gratitudine sacchari, & tenuitate succi facilius distribuitur, & tophaceum dissecatur, post verò prædictis rebus addentur senna, & polypodium, & epithimi flores, vt sensim atra bilis educatur absque vlla in locum obstructum, & cancrosum tractione, ptisana etiam eisdem rebus parata imperabitur tempore somni, loco cœnæ, & hypochondrium fouebitur oleo violaceo, amygd. dulc. & chamemali, cum guttulis aceti rosacei. clysteres etiam ex iure pin- E gui, aut capitis arietis cum oleo violaceo, amygd. dulc. & butyro iniicientur ad eandem emollitionem, deinceps aliquid expurgans recipient, & idoneo alimento marcor impedietur; quod si virtus constet, vtiles erunt hyrudines hemorrhoïdibus applicitæ, ante, & post auxilia prædicta, mitè enim auxiliantur, & si ad manus habeatur lac asininum, felicissimè expurgabitur illo quod omnem impleat indicationem: dandi tamen sunt duo sextarij, aut plus: quod si non detur copia lactis expurgabitur sero, in quo folia senæ infusa fuerint cum floribus vtriusque buglossæ, vt à Mathiolo patetur.

CAPUT XLIV.

De Febre Sanguinis.

SECTIO I.

De essentia eius.

Duo *in præsenti cap.* Auicenna intendit. Primum B acriter Galenum impugnare, quod febrem ex sanguine non admittat. Secundum, eam (iuxta propriam mentem) febrem sanguineam tum admittere, tum propriis signis ostendere. Dicit ergo, opinatus est Galenus, quod non detur febris sanguinis ex sanguine putrescente, quia cùm sanguis per putredinem transeat in bilem, non erit febris sanguinea, sed biliosa, & causon, seu tertiana conclusa. Vnde secundus error emanauit, nimirum quod eandem medelam febri sanguineæ, ac biliosæ dicauerit.

Supponit itaque vt certum noster Princeps, illud fuisse Galeni placitum, quod etsi non probet, facilè ex locis Galeni deducitur: primò enim de natura humana dixit, bifariam tantum sanguinem præternaturalem fieri, aut simplici alteratione, aut aliorum humorum per- C mixtione: alios verò succos non solùm iis duobus modis vt sanguis, sed etiam putredine: quorum verborum sensus alius esse non potest, nisi quod etsi sanguis putrefiat, non dicitur putredine affici quatenus sanguis est, quia per putredinem in bilẽ necessariò mutatur. Quia verò reliqui humores etsi putrefiant non necessariò in alios vertuntur, ideò non solùm alteratione simplici, & permixtione aliorum, sed putredine etiam præternaturalisantur; in cuius rei confirmationem nullum alium febrium circuitum præter quotidianum, tertianum, & quartanum admittit, etiamsi præter pituitam, bilem, & melancholiam, à quibus illi circuitus oriuntur, sangui- D nem quartum humorem admittat, quia etsi putrescat, mutatur in bilem, & sic tertianos circuitus creat vt bilis: sic docet 2. *de cris. c. 6. & 2. de differ. febr. c. 2.* estque communissimus iam modus loquendi Medicorum, sanguinem per putredinem in bilem mutari, & sic alium circuitum nisi tres relatos vbique à Galeno impossibilem esse. Ratio desumitur ex doctrina Galeni 2. *lib. de naturalibus facultatibus, cap. 12.* docentis, sanguinem fieri à moderato calore, bilem vtramque à maiori moderato, pituitam verò à minori moderato. Vnde cùm putredo sanguinem inficere nequeat nisi caloris excessu, necesse est in bilem mutari, & nunquam sub forma sanguinis.

Hanc doctrinam sic intellectam multis rationibus Author noster impugnat, primò quia Hippocrati apertè refragatur: Secundò, quia est falsa; nam hæc pro- E positio, quando sanguis putrefit, fit bilis, duplicem sensum efficere potest. Primus quod quando putrefit, peruenit ad hoc vt fiat post putredinem cholera. Secundus est, quod quando putrefit, tunc fit cholera, sicut dicitur quod quando lignum calefit, fit cinis: & si intelligatur primo modo, nempe quod sanguis post putredinem mutetur in bilem, ita quod putredo sit dispositio antecedens, vt in materia sanguinis introducatur forma cholera; est (inquit Auicenna) sensus corruptus ob tres rationes. Prima est, quia post putredinem, ob quam iam sanguis formam mutauit, non solùm pars tenuis sanguinis in bilem vertitur, sed etiam crassa est in melancholiam mutata, & inde colligitur clarè, non mutari sanguinem in bilem totaliter, sed solùm secundum partem tenuem; malè ergo dicit Gale-

nus quod ſanguis quando eſt putrefactus in termino fit bilis, cùm etiam ſit factus melancholia: in hac autem ratione Auicennæ eſt nutum quod ipſe non reprehendit Galenum, quia dixerit quod ſanguis poſt putredinem fiat cholera, id enim omnes admittunt eſſe poſſibile, ſed ideo Galenum ſugillat, quia ex eius doctrina ſequitur, quod non ſolùm ſit febris cholerica quando ſanguis putrefit in vltimo, ſed etiam ſit danda febris melancholica, & ideo dixit eſſe ſermonem corruptæ acceptionis, quia non explicat totum euentum.

Secunda ratio authoris contra Galenum eſt, quod non ſolùm ſit conſiderandum, quod poſt inductam omninò putredinem, ratione cuius ſanguis in alios humores mutari poteſt contingit, ſed etiam id quod eſt dum putrefit, & nondum in alios humores fuit permutatus; noſtra conſideratio (inquit Auicenna) non eſt ſolùm illius quod fit poſt putredinem, ſed etiam in ipſa diſpoſitione putredinis. Quibus verbis ratio fortiſſima adducitur, quippe omnis humor putredine affectus, eſt cauſa febris: ergo ſanguis quando putrefit, & nondum in alios humores eſt permutatus, febrem ſanguineam neceſſariò inducit. Conſtat, quia omnis diſpoſitio accidentalis ad nouam formam diſponens, præcedit neceſſariò formam ipſam; ergo ſi forma bilis introducitur cum certo gradu putredinis, antequam vltimus gradus introducatur, erunt priores ſub forma ſanguinis: ergo iam ſanguis erat antequam in bilem mutaretur cum gradibus putredinis ſub ſanguinis forma, quibus febrem inducet, & inde dabitur neceſſariò ſanguinea febris.

Tertia ratio contra eundem ſenſum eſt, id quod generatur præſuppoſita materiæ putredine, non eſt neceſſariò putridum, quippe multa ſic generantur quæ putrida in ſe non ſunt, vt conſtat in vermibus in aceto, & in omni alio viuente ex putrefactione creatu; ergo non implicabit quod quando ſanguis per putredinem in bilem mutatur ſit bilis genita de nouo non putrida, & febrem creare nequeat, vt ipſe Galenus docuit *2 de differentiis febrium, cap.* 1. ſi verò Galenus ſuſtineat, quod genitum per putredinem eſt neceſſariò putridum, redit contra ipſum difficultas in prima ratione propoſita, nimirum quod ſemper dentur ſimul duæ febres, quando ſanguis putreſcit, bilioſa ſcilicet, & melancholica, cùm in hos duos humores putridus ſanguis mutetur. In qua ratione Auicennæ includitur aliud dubium contra Galenum, ſi concedatur quod id quod eſt per putredinem genitum, non eſt neceſſariò putridum; nam admittitur ſanguinis putredo, & negatur quod genitum per illam ſit putridum: ergo fatendum eſt aut non dari febrem quando ſanguis putrefit, quod eſt inſomnium, aut quod detur febris ſanguinea, quia humor de nouo per putredinem genitus cum putridus non ſit, febrem cauſare repugnat.

Contra ſecundum modum ſic arguit Princeps; quippe ſi eo modo intelligatur, eſt mendacium purum. Ratio eſt, inquit, quoniam putredo eſt via corruptionis, hoc eſt, non per quemcumque gradum putredinis forma præexiſtens corrumpitur, quoniam putredo eſt via, id eſt diſpoſitio ad corruptionem: ergo dabitur ſine mutatione formæ ſanguinis in aliquo gradu, & per conſequens non eſt verum, quod quando ſanguis putrefit in fieri, neceſſariò ſit mutatus in bilem ſubſtantialiter, ſicut neque ſtatim ac lignum calefit mutatur in ignem, aut fit cinis. Secunda ratio eſt, quia putredo non habet tempus, & conuerſio ſanguinis in choleram non fit niſi in tempore. Hæc ſecunda ratio vt mihi videtur, eſt velut confirmatio prioris, quidquid dicat Gentilis, qui incautè incidit in id quod reprehendit, ſi attentè legatur. Eſt verò intelligenda ratio Auicennæ de tempore determinato, nam cùm putredo ſit qualitas in tempore producenda ſucceſſiuè, nequit incipere quantum ad ſuum eſſe in determinata menſura, ſed in extrinſeco inſtanti incipiendo quando non eſt; eſt enim hic modus inci-

A piendi proprius ſucceſſiuorum, vt ex phyſica conſtat, ita vt dicamus, nunc non eſt putredo, & immediatè poſt hoc erit; at verò generatio formæ ſubſtantialis cùm in inſtanti fiat, incipit intrinſecè, & inde incipit quando eſt primum ſui eſſe, & per conſequens habet determinatam menſuram in qua incipit. Vnde infert Auicenna, eſſe impoſſibile quod in ea duratione, in qua eſt putredo, ſit generatio nouæ formæ, & per conſequens non ſit idem ſanguinem putrefieri, & in bilem mutari, nec in eadem duratione conſiſtere poſſe. Sed vt omnis diſpoſitio ad nouam generationem neceſſariò generationem ſubſtantialem antecedit, & requiritur tempus determinatum in quo vltima diſpoſitio cum forma introducatur, non verò requiratur determinatum tempus vt B diſpoſitio incipiat, hinc fit, quod putredo non habet tempus determinatum quantum ad inceptionem, habeat tamen illud forma introducenda, non ſolùm (vt dixi) quia in determinato inſtanti introducitur, ſed etiam quia tempus determinatum expectat, in quo diſpoſitio determinata, & vltima quam expoſcit, introducatur. Tertia ratio traditur à ſimili contra Galenum ſic. Putredo accidit pituitæ, & eſt pituita, & melancholiæ, & eſt melancholia: ergo etiam accidet ſanguini, & erit ſanguis. Id ſuadetur, quia putredo eſt accidens commune de quinto prædicabili, & per conſequens poteſt adeſſe, & abeſſe præter ſubiecti corruptionem: ergo dabitur in ſanguine putredo, quin ſanguis neceſſariò corrumpatur, & in alios humores mutetur.

C Hæc ſunt rationum momenta, quibus author noſter Galenum carpit, videndum tamen reſtat quanti momenti ſint.

SECTIO II.

Quid Galenus ſenſerit circa propoſitam difficultatem.

ANtequam Galeni mens adducatur, notabitis, non eſſe dubium de tota maſſa ſanguinaria, prout omnes humores includit, de ea enim tam clarè Galenus D docet, quod febrem continentem putridam cauſet, vt id dubitare non liceat. Sic *9. method. cap.* 5. continentes febres recenſens, dicit fieri quando æquabiliter in corpore ſucci putreſcunt; & *inferius* ſe exponens dicit, in gracili, & frigido corpore non conſiſtere, ſed in iis qui ſanguine abundant, & corpulentis gigni conſueuerunt; & *ad capitis finem* dicit: *Imo tum ætate, tum natura, acquiſito temperamento, quæ calida ſunt, ac præcipuè ſi carnoſus, ac bono & multo ſanguine affluens, & denſo corpore æger ſit, &c.* perperam enim multum ſanguinem Galenus requireret ad continentes putridas creandas, ſi ſola bilis author eſſet earum, cùm diceret melius in corporibus nimiè bilioſis tales febres excitari; ſic etiam Hippocratem interpretatur *6. epid. ſect.* 1. *text.* 29. vbi docuit, febres valde rubentes vehementiſſimam caliditatem indicare, & earum materiam eſſe ſanguinem; & E clarius id tradidit *2. de differentiis febrium, cap.* 9. vbi de febre putrida à ſanguine orta diſputat, & illam admittit, prout contra alios humores diſtinguitur, colliguntque authores, & Magiſter noſter, eo quòd ibi Galenus doceat, quod quando in inflammationibus thoracis ſanguis eſt author earum, ſputum ſit rubrum, quod etiam repetit *2. de Criſ. cap.* 10. ſed ex hoc nullo modo colligitur niſi materia antecedens, non verò quæ iam putrida febrem inducit. Conſtat ex Galeno *cap. 9. cit.* dicente, id quod exſpuitur eſſe quod in loco inflammato retinerì non potuit, quia fuit ichoroſum: conſtat verò non admittere putredinem quod retentum non fuit: & experimento conſtat ferè ſemper quod pellitur, præſertim in principio, & rubrum eſt, aut ſpumeum, vel pallidum,

nullam

nullam putredinem oſtendere. Melius meo iudicio deducitur Galeni mens, quod doceat *eodem cap.* ex qualitate caloris maximum indicium humoris cauſantis febrem deſumi; nam etſi ſanguis putridus multam tactui caliditatem repræſentet, eſt tamen (inquit) omnino mitis, ſicut ea quæ in balneo contrahitur; id verò impoſſibile foret, ſi per putredinem in bilem primò mutaretur, & rurſus alia noua putredine egeret vt febrem induceret; tacere tamen non poſſum, quod Galenus tam obſcurè loquatur *in dicto cap.* vt modò videatur febrem ex ſanguine admittere, ſtatim verò inſinuet in alios humores mutari priuſquam febrem generet. Verba ſunt. *Et quidem pro varietate humorum in quos conuertitur ſanguis febres fiunt ſola malignitate, & non malignitate differentes, illæ ſiquidem quæ ſanguinis transmutationem conſequuntur, ſunt ſimpliciores, tum in reliquis, tum in qualitate caliditatis mitiori, &c.* Simili confuſione Vega noſter Galenum expoſuit, quia Galeni verba non mutauit: rationem hanc partem oſtendentem tradit Magiſter noſter *lib. de febribus, fol. 978. pag. 1. ſub littera C.* eamque efficacem putat: quælibet (inquit) forma poteſt conſeruari ſub aliquo gradu qualitatis contrariæ, vt aqua, aut lignum non ſtatim à primo gradu caloris accepto in ignem vertuntur ſubſtantialiter: ergo cùm putredo ſit diſpoſitio contra naturam ſanguinis, non deperdet humor quicumque ſit formam propriam mox ac recipit primum gradum putredinis, & inde ſub illo manere poterit ſub propria forma, & febrem inducere: quæ ratio à noſtro Principe etiam inſinuata eſt reprehendendo Galenum. Eſt verò ratio hæc meo iudicio ſatis inefficax, nam ad putredinem requiritur introductio qualitatum primarum, caloris ſcilicet, & humiditatis in magna intenſione antequam putredinem cauſent; quod indicat magna permutatio, quæ in calore percipitur quando febris biliosa, & putrida datur, & id certius indicat mutatio tam magna, & violenta qualitatis in modo ſubſtantiæ, quæ in omni re putrida inuenitur: non repugnat verò tam aptum eſſe ſanguinem vt ab exceſſu caloris in bilam vertatur, quod non expectet tantum quantum putredo requirit, & inde in materia ſanguinea non introducitur putredo à calore externo prinſquam in bilam vertatur; durante verò alteratione, genita bilis de nouo putreſiat, & generet febrem: id indicat febris continens diaria ex efferueſcente ſanguine, in qua incaleſcit ſatis ſine acquiſitione putredinis, & corrumpi poterit, in bilemque mutari ſine putredine, & contingit quotidie in ſanguinis feruore; argumentum enim à Magiſtro adductum probabilitatem aliquam oſtenderet, ſi corruptio ſanguinis neceſſariò media putredine fuiſſet inducenda; quod cùm neceſſarium non ſit, non repugnat antequam verè putreſiat in alios humores mutari. Hæc eſt communis interpretatio Galeni, etſi meo iudicio nullus locus adductus ſufficienter oſtendat ita ſenſiſſe, quidquid dicant authores, & inde cum maxima probabilitate eum author reprehendit.

Et mihi videtur probabilior opinio aſſerentium cum noſtro Principe dari febrem ex ſanguine, quin in alios humores mutetur: primò quia Ariſtoteles dixit omnia præter ignem putreſieri poſſe, quod etiam ſanguini competere debet: conſtat verò in mea doctrina teſtimonium Philoſophi intelligendum eſſe de putredine, ob quam forma rei putreſcentis deperditur & in aliam calidiorem mutatur, vt in fuligines, & vſtilagines febrium creatiuas, vt *in quæſtione de calore in facto* dictum eſt, ſi febris putrida eſſe debet; nam diariam eminentem ex ſanguine fieri ob eius feruorem omnes fatentur, & in *ſequenti quæſtione* explicandum eſt. Tum etiam, quia improbabile iudico, quod putredo vt talis poſſit eſſe diſpoſitio ad introductionem formæ bilis in materia ſanguinis. Ratio eſt euidens in bila naturali, cùm per coctionem iecoris fieri debeat; in præternaturalibus verò ſpeciebus non minus conſtat, eum omnes in cor-

A poradentur abſque putredine aliqua, & partim ſine fœtore, aut alia extranea corruptione euomuntur: quinimo Auerroës putauit bilem æruginoſam, porraceam, aut vitellinam, tam deprauatæ naturæ eſſe, quod ſi generentur, euomantur priuſquam putredinem concipiant, vt inde negaret febres ex tam peſſimis ſuccis creari; quod argumentum efficax eſt ad oſtendendum, quod ſanguis per putredinem nullo modo diſponatur vt in alios humores mutetur, loquendo de putredine formaliter; nam à calore putredinem inducente poſſe mutari aliquas partes ſanguinis, & putreſieri, alias verò in alios humores verti ſine putredine, veriſſimum eſt, & inferius latius docebimus. Et inde conſtat, quod communis Medicorum locutio, & Galeno frequentiſſima,

B nempe quod ſanguis per putredinem in bilem & melancholiam mutetur, ſit impropriiſſima rigoroſè loquendo, ne dicam falſa, quod patet ex eo quod quamcumque bilem etiam præternaturalem putredo corrumpit, & diſſoluit: non ergo putredine generatur; eſt ergo intelligendum dictum illud, quod non implicat quando ſanguis putreſcit, vt vna pars eius in bilem mutetur, & alia corrumpatur putredine.

Sed tunc contra noſtram ſententiam magnum dubium datur, docuimus enim nullum humorem febrem cauſare ſine mutatione formæ, quia ſine illa calor in facto non datur: ergo nunquam ſanguis ſub ſanguinis forma febrem creat, ſed ſemper in alios humores mutatur, cùm ſine calore in facto febris non detur. Secun-

C dò, quia ſi Galeni dictum probabile eſt, nempe quod ſanguis dum putreſit ſecundum partem tenuem in bilem mutetur, ſecundum craſſam verò in melancholiam, ſemper quod putredine afficiatur, ſanguis in eos humores vertetur, & inde nunquam ſub propria forma febrem creabit. Ad primum reſpondeo, quod febrem aliquam dici ſanguineam, aut bilioſam, non pendet ex eo quod cauſa eius ſub ſanguinis forma aut bilis maneat, quod euidenter conſtat ex eo quod omnes fateantur fuligines ex bile, aut alio humore putrido eleuatas eſſe diuerſæ naturæ, & ſpeciei ab humoribus ex quibus eleuantur, & nihilominus febris ab eis fuliginibus orta, bilioſa dicitur, aut ſanguinea, quia ſemper in illis datur aliquid quod humori ex quo creatæ fuerunt, correſpondeat, & inde infertur eſſe materiam putridam

D hunc, aut illum humorem: ſic explicatur facilè: bilis cæteris humoribus eſt calidior, mordacior, amara, inflammabilis facilè, ſitis inductiua, appetentiam tollens, & ſomnum, &c. Quando ergo fuligines eleuatæ has proprietates oſtendunt, dum febrem cauſant, dicimus rectè, quod bilis ſit quæ putreſcit, & ex qua eleuantur. Idem in fuliginibus ex ſanguine eleuatis inuenimus: ſunt enim mulcebres, humidiores, ad ſomnum potius quàm vigiliam inclinantes, minus ſitis inductiuæ, non ita corpus exſiccantes, nec amaram qualitatem oſtendentes, plus tamen caput grauantes & corpus, &c. Ex quibus infertur ex ſanguine putreſcente eleuari, & hunc eſſe materiam, & cauſam talis febris indicatam: eodem ergo modo philoſophandum eſt in noſtra opinione reſpectu mixti, in quod ſanguis per pu-

E tredinem mutatur; ſi talis enim non mutatur niſi in fuligines ſolas.

Dico ſecundò, quod quando humor aliquis putredinem concipit, non mutatur totus neceſſariò, ſed aliquæ partes ſub propria forma manent, & ſimul cum fuliginibus à calore putrefaciente attenuatæ per corpus diſtribuuntur: ſic lingua rubet, & maxillæ etiam quando ſanguis febris eſt cauſa; & inde dicimus febrem eſſe ſanguineam, aut bilioſam, aut melancholicam, non quia cauſetur à parte humoris, quæ non mutauit formam, ſed quia quæ mutauit, genita fuit ex hoc, aut illo humore.

Ad ſecundum dico, quod quando docet Galenus, & cum eo omnes, quod in ſanguinis putredine pars tenuis

transit

tranſit in bilem, & craſſa in melancholiam, nequit eſſe vera loqnutio formaliter, quia putredo nullarenus eſt diſpoſitio conueniens, aut proportionata bilis, aut melancholiæ generationi, vt efficaciter probauimos: eſt ergo vera locutio illa ſolùm de poſſibilitate permutationis in dictos humores, quando calore putrefaciente alteratur: pro quo notabitis, quod in ſanguine concedunt authores partem tenuiſſimam, pinguem, & oleoſam, partem craſſiſſimam, & terream, & partem mediam; & quis tales diuerſis diſpoſitionibus conſtant, rectè euenire poteſt, quod vna putrefiat ab eodem calore, & agente, & aliæ non, ſed in alios humores mutantur; circa quod eſt notanda doctrina Galeni 2. *de differentiis febrium c. 9.* dicentis. *Quod ſi ſanguis ſupra modum aſſatus fuerit, pars quidem eius ſubtilior, ac pinguior, omnino in flauam bilem conuertitur: quæ autem eſt craſſior in atram, quod in iis tumoribus qui carbunculi appellantur contingit, nam in iis ex ſanguine ſupra modum efferueſcente ad melancholicum humorem fit tranſmutatio.* Hæc Galenus; quæ verba ſi intimè penetrentur, duo docent notatu digniſſima; primum quod ſanguis non mutatur in alios humores quacumque vſtione, aut putredine, ſed quando tales mutationes fiunt ſupra modum, hoc eſt vehementes. Secundum eſt, eſſe dandam aliam partem mediam diuerſam à duabus relatis, nam cùm in vehementi aſſatione, aut putredine ſanguinis neceſſariò detur febris intenſa, & hæc non creetur à parte in bilem, aut melancholiam mutata, nam hæc per putredinem ad eas formas diſponi non poteſt (vt dixi,) neceſſariò danda eſt media pars quæ putreſcens eam febrem intenſam creet, & inde dari febrem ſanguineam propriè, quia pars ea in nullum humorem fuit permutata, cùm nullus media putredine fiat, etiamſi ſit præter naturam: inde fit, quod quando ſanguis vritur, aut putrefit, poſſit vna pars ſanguinis vſtionem, aut putredinem pati, quando aliæ non patiuntur eas mutationes: mutantur tamen in præternaturales humores, vt quando vſtio propriè ſanguinem inficit, pars calidior & ſiccior veram patietur vſtionem, & febrem creabit, quo tempore aliæ minus aptæ vſtioni in alios humores præternaturales mutabuntur. Eodem modo ſi ſanguis vera maculetur putredine, pars humidior poterit veram putredinem experiri, quando aliæ ob minorem capacitatem diſpoſitionem idoneam ad putredinem non expertæ, in præternaturales humores mutari poterunt: ſi verò tam maligna ſit vſtio, aut putredo, quod omnes partes ſanguinis inuadat, non reſultabit aliquis humor præter naturam, ſed ſanguis totus in mixtum violentum naturæ permutatus, febrem vehementem creabit, aut malignam, aut totus ſanguis putreſcens in fuligines permutabitur, ſolumque remanebit cinericium: hoc eſt cauſa ob quam ſæpe contingit quod febres longæ, aut vrentes in quartanam permutari ſoleant, quia nimirum ſanguis vſtionem patitur, & à calore præternaturali creantur humores non naturales, melancholia præcipuè, quæ cùm minus ſit apta putredini in multa copia accumulatur, donec iam ſit infeſta naturæ, & eam in focum mittit, & quartanam creat; inde etiam fit, erraticas febres eſſe quartanæ præſagas, quòd erraticæ repetitiones ſignificent in diuerſos humores ſanguinem permutari, & cùm nihil ſic frequentius quàm in melancholicum, cum omnia putreſcentia, aut vſta, tandem fiant terrea, cinericia, & ſanguinis fæx, melancholiam naturalem in craſſitie, ſiccitate, & aliis æmulantia, ita in modo repetitionis melancholiam æmulantur, & quartanas generant: omnes etiam humores à calore violento in melancholicam naturam permutari poſſunt, & inde in longis febribus & erraticis meritò timetur permutatio in quartanam.

Si quæ diximus non exciderint, facillimum erit dubia à noſtro authore in Galenum adducta diluere; quia verò omnia ſupponunt putaſſe Galenum, quod ex ſanguine putreſcente non detur aliqua febris, & id non eſt certum, quin potius oppoſitum probabilius apparet ex Galeni lectione, non eſt opus peculiares ſolutiones adducere, cùm omnes vt certum ſupponant quod falſum eſt, & Galenus non dixit.

SECTIO III.

De natura, & eſſentia febris continentis.

GAlenus 8. *methodi capitibus* 3. 4 & 5. continentium febrium recordatur, & 2. *de differentiis febrium, cap. 2.* & *vltimo de Criſ. cap.* 12. Eſt verò de natura febris continentis, quod in vnica acceſſione tota conſtitutio finiatur, quod ſit intenſa, & talem modum in ea acceſſione retineat, & ſeruet, quod vnum tempus illius ad alia tempora comparatum, ſit præ cæteris longiſſimum; hæc enim tria naturam febrium continentium à Græcis ſynochæ dictæ complent, & ob cuiuſvis defectum à natura continentis degenerat. Galenus 2. *de differentiis febr. cap. 2. citato* ſic loquitur: *Continuarum autem, quæ ex flaua bile proueniunt duplex eſt ſpecies, altera earum, quæ à continuo feruore ſynocha appellantur, quarum vniuerſum tempus in vnica conſumitur acceſſione, quæ à principio vſque ad finem pertingit.* Iis verbis clariſſimè exponuntur duæ conditiones à nobis adductæ, nimirum quod in vnica acceſſione tota conſtitutio abſumatur, & per conſequens quod acceſſionibus pluribus, & repetentiis priuetur, & quod ſit ſatis intenſa; nam à continuo feruore ſynochas à Græcis appellari dicit. Tertia verò conditio, nempe quod tempus vnicum acceſſionis debeat eſſe longiſſimum ſi ad alia tempora comparetur, clarè deducitur ex ſpeciebus à Galeno ibi relatis, iis verbis: *Earum igitur quæ ſynochæ dicuntur, tres ſunt omnes differentiæ; nam quædam earum à principio vſque ad finem æquales perdurant, quædam paulatim augentur; tertia ſpecies paulatim decreſcit.* Quæ verba ſi intelligantur, perſpicuè docent, quod prima ſpecies habet vigorem acceſſionis longiſſimum, reliqua verò tempora breuiſſimè pertranſit, & inde à longitudine illius temporis dicitur ſemper vigens, ſicut ſecunda dicitur ſemper increſcens, vltima verò ſemper decreſcens, quia in ſecunda tempus augmenti longiſſimum eſt, in vltima verò econtra, tempus decreſcendi longiſſimum, reliqua verò breuiſſima, ad decrementum comparata.

Inde conſtat cur diariæ exquiſitæ non dicantur continentes, etiamſi in vnica acceſſione finiantur, vt ſinochæ; quia nimirum nec ſunt tam feruentes vt ad ſynochales requiritur, nec habent illam imaginem repræſentantem vnum tempus longius inſigniter quàm alia, licet prima conditio ſit quæ præcipuè eas à ratione continentium excludit: quod etiam conſtat ex Galeno 2. *de Criſibus, cap. 6.* vbi continentes febres ex ſanguine inter ardentes enumerat; nec obſtat, eorum quæ in corpore ſunt, nullum eſſe ſpiritibus inflammabilius, quia nihil eſt illis calidius: nam etſi hoc concedatur, tenuitas, & raritas eorum obſtant vt magnum, moleſtumque feruorem imprimere poſſint. Vnde etiam fit, quod ſi vnica portio ſanguinis, aut bilis putrefiat, & amplius non ſerpat putredo, etiamſi magnus calor inducatur, non dicetur talis febris continens, quia ex illa ſola portione repugnat fieri febris perpetuò creſcens aut decreſcens, aut in eodem tenore manens, vt inferius videbimus. Dicetur ergo ea febris bilioſa, aut ſanguinea, non tamen continens. Vnde diuiſio Galeni febris continuæ ex bile in ſynochas, & alias quæ per circuitus repetunt, non videtur mihi ſufficiens, nam febris excitata ex vnica ſolum portione bilis, aut ſanguinis, quæ amplius non ſerpat, nec repetet, nec erit ſynochalis, quod mihi videtur euidens contra Galenum; ſed caſus adductus ex rarò contingentibus eſt, & ita ſub communi diuiſione

vt

vt tares non enumerarunt. Vt verò diariæ febres exquisitæ excluduntur à ratione continentium, quod intensæ satis non sint vt ardentes dicantur, & careant etiam alia proportione vnius temporis longissimi ad reliqua comparandi, vt semper crescens, aut decrescens, aut in eodem tenore persistés dicatur; eodem modo febres lentæ quæ semper affligant, & circuitibus carent, vt quæ symptomaticæ sunt ex firmis obstructionibus pendent, & hecticæ etiá, etsi non repetant, continentes non sunt ob eandem rationem: præterquam quod continentes omnes quatuor tempora debent habere, non solùm vniuersalia ex coctione materiæ ostensa, si sint ex putredine, sed etiam particularia, eam vnicam accessionem integrantia, quorum vnum sit præ aliis longissimum, & à quo denominentur, quod in symptomaticis, & hecticis nullo modo inuenitur.

Harum continentium solæ tres species à Galeno traduntur *loco citato, & 9. methodi*, quia solùm potest esse triplex proportio resolutionis materiæ putridæ ad id quod corruptum est, & de nouo corrumpitur, quoniam aut fit æqualis resolutio cum eo quod de nouo per putredinem accenditur, & tunc oriuntur febres continentes, quæ semper sunt in eodem tenore, seu in vigore summo particularis accessionis, quas dicit Galenus appellari homotonas, atque acmasticas, hoc est in eodem statu, & vigore perseuerantes: si verò quod de nouò accenditur per putredinem, plus sit quàm quod resoluitur, generatur secunda species continentium, quæ semper crescens nominatur, quas anabaticas, & epagmasticas, hoc est assurgentes, & inualescentes nominarunt: si verò quod ex putrida causa resoluitur plus sit, quàm quod de nouo accenditur, tertia species febris continentis creatur, semper decrescens dicta, & græcè paracmastica: non posse verò esse nisi tres species febrium continentium euidens est, cùm solùm possit dari aut æqualis portio eius quod resoluitur ad id quod de nouo accenditur, aut maior, aut minor, & inde non possint creari nisi quæ semper in eodem tenore sint, aut crescant, aut diminuantur semper, estque expressa Galeni doctrina *9. methodi, cap. 3. à principio*.

Quomodo verò hoc sit intelligendum, nullus quem legerim adduxit, facilè tamen deducitur ex Galeno *9. methodi cap. 3.* in quo reddendo rationem ob quam in frigidis corporibus continentes febres creari repugnet, dicit: *Nec putredo humorum in omnes, quæ inter inguina, & alas intersunt venas æquabiliter ac citò porrigi in frigido habitu potest, &c.* requirit ergo Galenus ad creationem febrium continentium quod humores citò & æquabiliter putrefiant. Ex hac ergo breui, & æquabili humorum putredine accenditur statim magna summa; ita vt de genere ardentium iam appareat febris, & cum hac portione primò accensa, quæ ob eius vim febrem magnam producit, debet fieri comparatio eius quod rursus putrescit, vt sic oriantur necessariò illæ tres species, quia si quod de nouo putrescit, est maius quàm quod ex prima illa portione resoluitur, febris semper crescet; aut est æquale, & sic in eodem tenore, & vigore manebit, aut minus, & sic diminuetur perpetuò, semper tamen debet esse magna illa portio quæ primò constituit fundamentum febrium continentium: quia cùm omnes durent per aliquos dies, & cum magna intensione, necesse est quod sit grandis illa prima portio & intensa, cum qua conferantur portiones quæ postea putrescunt; constat enim manifestè, quod si in primo febris continentis insultu, pulsus à Medico tangeretur, non iudicaret, nec posset eam febrem continentem esse, cùm inciperet cum summa remissione, & ita quovsque putredo cresçat, ita vt magnam febrem inducat, non constituet febrium continentium fundamentum, quia cum illo debet conferri quod postea putrescit, & resoluitur, vt species dictæ resultent. Galenus sic loquitur *cap. 3. ex 9. methodi. Quoniam igitur ex duobus iis seruari febris potest, & quod to-*

A *tus vapor transpiret, & quod idem vapor ea quæ contingit etiam calefaciat, necesse est tres esse in synochis febribus differentias, nempe vel pari permanente magnitudine ea, quam in prima accessione summam habuit, vel adiiciente semper exiguum aliquid diminuente, &c.* Expendo verba Galeni; *pari permanente magnitudine ea quam in prima accessione summam habuit.* Quibus clarè docet esse dandam quandam partem, vel summam prius putrefactam, cum qua aut idem tenor seruetur, vel augmentum fiat, aut diminutio; appellauit itaque summam, non absolutè, cùm increscente semper febre maior non dubiè detur: dicitur ergo summa, quia est talis cum qua comparatio deinceps facienda est sub formali fundamento ad formalitatem continentium requisito: nam quomodo aliter possibile foret dari febrem continentem in qua
B resoluatur plus quàm eleuetur de nouo, nisi præsupponatur velut fundamentum portio magna humoris putridi, cuius sit resolutio maior quàm quod per nouam putredinem eleuatur. Præsupponenda ergo est (vt dixi) prima illa portio putrida, quæ summam attingat, cum qua comparatio facienda est, & respectu cuius non sit possibilis alia proportio nisi triplex adducta, si comparetur ad id quod de nouo putrefit & resoluitur ex toto quod putridum est.

Ex quibus etiam patet, quod febris dicitur semper decrescens, non quia per decrementum incipiat, id enim impossibile est, cùm decrescere necessariò præsupponat summum vigorem respectu cuius diminui semper dicitur; hoc est, semper diminuitur postquam summum vi-
C gorem pertingit, in ordine ad quem etiam dicitur in eodem tenore perseuerare, aut semper augere: & inde falsò philosophantur dicentes, quod in febre semper decrescente, tria prima tempora insensibiliter euolent, vt à Medico nequeant agnosci, vt in febre eundem tenorem seruante, insensibilia sint principium, augmentum, & declinatio, & in semper crescente insensibilia sint principium, vigor, & declinatio: sunt quidem hæ meræ nugæ. Ergo ex Galeno dicitur febris semper decrescens, quia tempus remissionis, seu declinationis longissimum est, si cum aliis temporibus eiusdem accessionis conferatur, etiamsi ea tempora sensibilia sint. Constat ex historia adducta à Galeno *9. method. cap. 4.* serui continente putrida laborantis, in quo tertianæ accessionem spectabat, habuit febris idem incrementum, ita vt tertia nocte transacta
D plane iam febris remissior appareret, & sic sub remissione durauit vsque ad septimum diem, in quo finita fuit: habuit ergo illa febris, quæ decrescens à Galeno dicitur, tempus sensibile, in quo nec minui, nec augeri sensibiliter percipiebatur: quia verò illud est breue si cum tempore remissionis conferatur, dicitur febris semper decrescens. Eodem modo philosophandum est in aliis duabus speciebus synochi, nam quæ semper in eodem tenore perdurat, in hac æqualitate plus insigniter quàm in aliis temporibus, vt quæ semper augetur, durat plus in augmento, quàm in reliquis temporibus particularibus. Quæ omnia si rectè perpendantur, lucem vobis afferent, vt innumera dubia, quæ contra Galeni doctrinam insurgunt, facillimè soluatis. Has febres enumerauit Hippocrates *1. epid. sect. 5. text.* 45. iuxta Vallesij
E nostri translationem, & iuxta mentem suam Galeno *in eiusdem textus expositione* planè repugnantem, qui non solùm de continentibus, sed de omni febre continua, & diuturna Hippocratem interpretatur, imò & de omni morbo, licèt Vallesius commodè interpretari possit, vt non repugnet omnino menti Galeni, neque Hippocrati dicenti *in fine text. contingunt autem hæc, similque in omni febre, & in omni morbo*: sed ex illo textu perspicuum fit, quod tempora tria febrium continentium non sint insensibilia, vt dicunt multi, quia Hippocrates planè dicit esse febres quæ statim ab initio florent, & vigent maximè, & in difficillimum aguntur, circa iudicium autem, & simul cum iudicio extenuantur.

SECTIO

SECTIO II.

Ex qua materia febris continens generatur.

HOc dubium malè etiam torsit authorum ingenia, in vno autem omnes ferè concordes inuenio, quod non generetur synochus ex sola pituita aut sola melancholia, est enim (vt ex Galeno retulimus) omnis synochus de genere ardentium, & inde ex frigidis succis creari repugnat: ob quod Galenus 9. *methodi* docuit in frigida ætate vel temperie synochos non fieri. Solùm ergo controuersia mouetur ob bilem, & sanguinem quartum humorem, num ex quolibet ex iis seorsim creari possit synochus, an verò sola massa sanguinaria prout quatuor humores includit, idonea materia febrium continentium sit reputanda, ita vt à nullu seorsim causetur.

Vallesius 2. *lib. de differentiis febrium, cap.* 2. docet ex nullo humore seorsim putrefacto continentes febres causari, sed ex tota massa sanguinaria simul putrescente, & putat esse mentem Galeni 9. *method. cap.* 3. dicentis, febrem hanc generari, vbi in omnibus vasis, & potissimum maximis æquabiliter succi putrescunt; humores verò æquabiliter putrescere, non potest esse aliud quàm sanguinem vt de humoribus dicitur putrescere, & ob eandem rationem *eod. cap.* docet, continentes creari in iis, qui plurimo sanguine abundant, carnosique sunt: nec in toto eo libro, nec alibi (inquit Vallesius) alterius causæ recordatur Galenus. Quod etiam probat, quia si ex sola bile continens putrida crearetur, deberet esse acutior, & malignior febre continua biliosa, quia fieret ex eadem materia, bile scilicet, & ex maiori copia, quia ea repleret vasa omnia magna, vsque adeo vt non posset in illis moueri. Galenus tamen eam continentem quæ est de genere vrentium, dicit esse minus acutam biliosa continua, 2. *de crisibus.* Constat per hæc verba; *Cum verò nec declinatio aliqua sensibilis fiat, semper verò à primo principio febris vsque ad crisim similis perseuerauerit, erit & hæc ex genere febrium deurentium, ab eisdem verò acutie differt, &c.* Vbi febrem continentem in communi, etsi de genere ardentium reputet, dicit tamen minus esse acutam exquisita febre ardente: putat ergo Galenus, quod omnis febris continens ex sanguine prout comprehendit omnes humores excitatur, & à bile sola, aut alio quovis succo non posse creari.

Quæ doctrina non docet, quod semper quod excitatur in sanguine putrido, continens febris etiam suscitetur, cùm solùm id eueniat quando non mouetur sanguis in aliquam partem determinatam; si verò moueatur vt solet, tunc non continentem causat, sed febrem per tertios dies repetentem, vt 2. *de differentia feb. cap.* 9. Galenus docet; tunc enim (inquit Vallesius) non replet omnia magna vasa, sed in parte aliqua putrescit. Verùm cùm sanguis adeò crescit vt repleat vasa omnia magna, plerúque putrescit, nec expulsus de parte in partem, nec extra venas, nec motus in ipsis venis, fitque febris continens, quæ iis ipsis rationibus ex nullo alio humore fieri potest, quia nullus alius potest solus adeò redundare vt faciat plethoram, vt dicitur *lib. de plenitudine* à Galeno, & proinde omnis alius eum putrescit mouetur, aut in venis ipsis, aut extra venas; facitque proinde aut continuam cum annotationibus, aut intermittentem. Accedit etiam (inquit Vallesius) quod nullum alium humorem putrescentem potest ferre natura membrorum sine motione, & inde repetentiæ eueniunt: sanguinem verò ob mitem naturam, etsi putrescat, natura sine vlla expulsione sustinet; quæ vltima ratio Vallesij mihi non probatur; sequeretur enim quod nunquam sanguis in aliquam partem determinatam pelleretur ob eius benignitatem: putandum ergo est non pelli, quia sic vasa omnia replet, vt defectu viarum, & nimia copia opprimente naturam expulsio non fiat. Sed nec hoc satis est, si rectè perpendatur vt febris continens generetur, sed requiritur etiam quod tam apta sit materia putredinem suscepturа, vt nulla pars intermedia inepta sit vt putrescat, alioqui ibi putredo cessaret, & non continuaretur febris vniformiter crescens, aut decrescens, vel in eodem tenore durans, vt ad continentes requiritur.

Ratio itaque fundamentalis, ob quam ex nullo humore seorsim putrescente continens excitari possit, est iam insinuata; cùm enim humores non moueantur de parte in partem (alioqui circuitione repeterent) necesse est, quod in materia detur ea dispositio velut continua, ratione cuius serpat sine intermissione putredo. Vnde cum intra vasa sint humores per minima permixti, si sola bilis (exempli gratia) esset apta vt putresceret, reliqui verò humores minimè, foret impossibile quod accumulata putredo, & continua excitaretur, vt ad continentes est necessarium; & inde in toto sanguine debet esse illa dispositio ad putredinem; sin minus, agens debet esse tam validum, quod omnes humores putrefaciat, etsi in eis non detur antecedens aliqua dispositio putredinalis.

Hæc doctrina Vallesij ex mente nostra adducta fuit in huius rei confirmationem, nondum enim hunc locum Vallesij legeramus, modò verò re altius considerata, satis probabile apparet, quod continens febris ex solo sanguine quarto homore excitari possit, etiamsi reliqui putredinem non concipiant. Duas itaque causas continentium putridarum assignamus, & totam massam sanguinariam vt quatuor humores includit, aut solum sanguinem. Ratio est, quia vt ex Galeno constat, plenitudo bifariam potest accidere (siue quoad vires, siue quoad vasa) aut ex omnibus humoribus ex æquo adauctis, aut ex solo sanguine. Vnde si ob id alios humores à sanguine Vallesius exclusit, quia plethoram facere nequeunt, si sanguis solus eam causare valet, poterit ille solus continentium febrium esse materia.

Nec obstat, quod etiamsi causet plethoram, non erit totus sibi continuus, cùm intra vasa necessariò cum aliis per minima permistus remaneat: & inde si alij putredinem concipere nequeant, non dabitur illa continua, & cumulata putredo, quæ ad tam magnam febrem, vt sunt continentes, requiritur. Sed contra est, quia si sanguis nimium excedat, vt excedit reuera quando solus sine aliorum augmento plenitudinem causat, bene potest esse sibi continuus per supernatantiam quam vocant Medici, quia ob nimiam copiam erit supra omnes, præcipuè pars eius pinguis, quæ inflammabilis nimis est, & velut oleum supernatat, estque sibi continua. Neque putandum est in massa sanguinaria sic tenuiores humores supra alios leuitare, vt seorsim, & velut separati loco consistant, sed omnes per minima misceantur, nisi alicuius tam magnum sit incrementum, quod talem permistionem per minima fieri non permittat: quod cùm in solo sanguine quarto humore admittatur, aut in tota massa sanguinaria, ex iis duabus causis continentes febres fieri admitto, & curatio indicat, quæ missione sanguinis vsque ad deliquium ex Galeno celebratur: auxilium quidem sanguini nimis excedenti proportionatum & debitum, quando febres continentes producit: esset verò temeraria sectio venæ ad deliquium, si ex sola bile posset causari. Sed contra datam resolutionem pugnat duplex locus Galeni. Primus est 9. *methodi, cap.* 3. vbi docuit in febre continente putrida in omnibus vasis, ac potissimum maximis æquabiliter succos putrescere, quibus docet ex omnibus humoribus continentes febres creari. Aliud testimonium videtur 6. *epid. sect.* 1, *text.* 2. vbi docuit

ex

ex vteri inflammatione continentes febres creari, quod grandissimas, & plurimas venas participet: constat verò in hoc casu moueri sanguinem ad locum determinatum, & per consequens si bilis moueatur, cùm sit inflammabilior, poterit vt sanguis continentes causare. Et confirmatur, quia idem Galenus 2. *de differentiis febr. capite* 2. dixit: *Continuarum autem ex flaua bile duplex genus est; vnum quidem earum quæ continentes nominantur, quarum vniversum tempus vna est accessio ab initio vsque ad finem, &c.* quo loco clarè admittit continentes ex bile. Ad primum respondeo, quòd cùm materia continentium possit esse tota massa sanguinaria, & etiam sanguis solus, rectè dixit succos æqualiter debere putrescere, vt omnes comprehenderet. Ad secundum testimonium respondeo, quod etsi moueatur sanguis ad vterum quando inflammatur, non causatur continens febris aliter quàm ex loco inflammato, serpente continuè putredine per humores & sanguinem vasorum: & quamvis ratione transmissionis in vterum inflammatum noua febris inuasio ventura sit, tamen ob magnam intensionem febris continentis ex sanguine vasorum putrefacto causatam obscuratur illa noua inuasio, & si appareret aliquando, non obstat, quod detur febris continens cum illa complicata, nunquam tamen concedendum est continentem causari ex portione sanguinis quæ inflammationis causa continens est, & constat ex Galeno qui ideo dixit ex vtero inflammato continentes fieri, quia vterus multas & grandissimas venas participat. Quæ ratio friuola esset, si à portione sanguinis inflammationem causantis synochus excitaretur, aut posset, & inde intelliges, quod quando datur continens febris ex vtero inflammato, datur duplex genus febrium: vnum febris accidentis, aliud continentium: nec dixit Galenus, quod semper ex vtero inflammato detur continens, sed quod possit. Aliud testimonium iam explicatum est in illius loci expositione à Vallesio, est enim Galeno communissimus modus loquendi, quod sanguis per putredinem bilescat; inde sub bile sanguinem etiam putridum comprehendit, & id clarè deducitur ex 2. *de crisibus, cap.* 6. vbi docuit, febrem continentem esse de genere vrentium, ab eis tamen acutie differre; hoc est, sunt minus acutæ quàm ardentes exquisitæ à flaua bile pendentes: si verò continens ex bile posset oriri, foret acutissima omnium, & inde male Galenus dixisset, continentes in communi ab ardentibus acutie differre, si ex bile continens fieri posset: vnde absque omni ratione, & planè contra Galenum putauit Lemosius 9. *methodi, disputatione* 2. ex bile continentes fieri posse, & esse minus periculosas quàm continentes ex sanguine; hoc enim quod de maiori periculo docet, planè est falsissimum, cùm omnes affectiones à bile excitatæ sint molestioris naturæ quàm à sanguine, quod est in doctrina Galeni primum principium. Et ratio à priori est, quia transmutatio præter naturam, ratione cuius causat febrem vterque humor, est eiusdem rationis specificæ in vtroque, quoniam putredo, aut vstio. Vnde quod remanet naturalis in quolibet humore, necesse vt est sit minus molestum in sanguine quàm in bile, aut loquendo propriùs, sit naturalius, quod negari non potest.

Si bene perpendatis rationem ob quam nisi ab omnibus quatuor humoribus, aut à solo sanguine continentes fieri possunt, fundamentum habebitis ad dissoluenda innumera argumenta contra modum prædictum, quæ quia parui momenti, tacenda censui. Magister etiam noster *libr. de febr. fol.* 987. licet doceat nullam rationem efficacem adduci posse, ostendentem quod non possit fieri à quolibet humore, putat nihilominus probabiliorem doctrinam adductam à nobis, Galeno esse magis consentaneam; ratio verò à nobis adducta & à Vallesio, non est parui momenti. Et si omnis continens est de genere ardentium, vt 2. *de crisibus, cap.* 6o. Gale-

A nus docet, clarum est, nec à pituita, nec melancholia continentes fieri posse.

Quod verò continentes putridæ sine motione humorum, aut sanguinis in partem determinatam fieri debeant, & ob id accessionibus priuari, Galenus docuit clarissimè 2. *de differentiis febrium, cap. vltimo, ad finem capitis*, & à simili argumentum efficax desumitur: nam tres species continentium, quæ aut semper augentur, aut minuuntur, aut in eodem vigore manent, inueniuntur etiam in continente sine putredine, in qua nullus somniauit quod detur fluxio aliqua in partem determinatam, cùm diaria sit, & ex sanguinis feruore causetur: ergo eodem modo sine motione in aliquam partem determinatam humoris putrescentis, dabitur febris continens, & omnes eius species apparebunt. B Et si inquiraris, si in continente non putrescit quod euaporari possit, non videtur possibile quod dentur illæ tres species: Respondetur quod vt in putrida fit comparatio respectu humoris putridi, & eius quod resoluitur de nouo, ita in diaria continente comparatio efficienda est in ordine ad spiritus putrefactos, & vapores, qui ex sanguine ob eius feruorem eleuantur, si tales habeant calorem in facto; nam in opinione dicentium quod vapores differunt specie ab humoribus, non est dubium quod habeant calorem in facto; si verò specie non differant, non erunt causa febris diariæ in rigore loquendo. Est ergo consideranda in continente diaria ingens obstructio, & plenitudo, quarum ratione corpus non ventilatur, & fuligines in C magna copia detinentur, quæ præterquam quod spiritus putrefaciunt, causant etiam ob nimiam constipationem magnum feruorem in sanguine, à quibus excitatur febris intensa, veniens ad tam grande incrementum, vt continentis nomē mereatur. Producta ergo illa intēsione, necesse est quod aut crescat in spiritibus putredo magis quàm resoluatur, aut minus crescat, aut æqualiter, & sic emanabunt illæ tres species vt in putrida continente: idemque censendum est de fuliginibus, & vaporibus ex feruore concitatis, vt de spiritibus diximus, estque certum in mea opinione, quod fuligines quę eleuantur in corpore febriente, habent tantum calorem sibi naturalem, quod sine noua putredine in ipsis febrem causare possint: quod est etiam euidentius in opinione dicentium, quod ad calorem in facto non est necessaria D mutatio formæ in re putrida, quia hæc non habet alium calorem, si non mutauit formam, nisi quem à fuliginibus accepit. Quo fundamento docui, non esse necessarium quod spiritus putrefiant quando cutis densatur, aut corpus obstruitur, ad diariæ excitationem: sufficit enim fuliginum calor naturalis, si sufficit qui in spiritibus fuit impressus à fuliginibus, cùm maior esse non possit in spiritu, aut humoribus, si non mutauerunt formam: tandemque notabitis, interdum ab authoribus continuas febres cum continentibus confundi, quamcumque continuam appellantes continentem, qui sequendi non sunt, si distinctio, vt decet tradenda est: & constat clarè E ex Galeni diuisione adducta 2. *de differentiis febr. cap.* 2. quam etiam nos in præcedente quæstione ex eius mente retulimus.

SECTIO V.

Secunda pars capitis.

IN secunda parte capitis adducit Princeps diuisionem febris continentis in non putridam, & putridam: & dicit quod febris non putrida causatur vt plurimum ex ebullitione sanguinis orta ex oppilatione suffocante caliditatem, & quandoque fit à causis aliis, quæ sunt vehementiores quàm excitantes febres alias diarias simpliciores, quæ continentes non sunt. Subdit

quod ſynochus ſine putredine eſt media febris inter febres putridinis, & diarias; differt à febribus ephemeris, eo quòd calefactum primum in ſynocho ſine putredine eſt humor: & differt à febribus putridis, quoniam non eſt in eo humore putredo.

Eſt tamen dubium, quomodo in continente diaria primum calefactum ſit humor. Ratio dubitandi eſt, quia calefactio præter naturam producitur vt à prima cauſa à fuliginibus ob ſtipationem meatuum detentis: hæ verò neceſſariò calefacient prius ſpiritus quàm ſanguinem, quia faciliùs inflammantur cùm ſint minus frigidi, tum etiam quia tenuiores, & rariores. Vnde implicat quod ſanguis ſit hac ratione primum calefactum in ſynocho non putrida; ſi verò per primum calefactum intelligatur quod habet calorem in facto, vt requiritur B in omni cauſa febris cuiuſlibet, non poteſt dici de ſanguine in diaria febre. Conſtat, quia nulla mutatio datur conſtituens calorem in facto niſi vſtio, aut putredo, hæ verò mutationes in ſanguine ſynochum cum putredine, & non diariam efficiunt; nullo ergo modo poteſt eſſe vera Principis doctrina, quod in continente non putrida primum calefactum ſit humor: & ita mihi videtur quod in ſenſu dicto non poſſit ſuſtineri doctrina Principis: eſt tamen modus quo explicari poſſit, putant enim Medici ad continentem diariam non eſſe ſatis quod fuligo detineatur, aut inflammentur ſpiritus, ſed requiritur etiam ſanguinis ebullitio & feruor, vt in *hoc cap.* docet dicendo: *Febris ſanguinis eſt febris putredinis, & febris calefactionis, & ebullitionis, quam nominat Hippocrates ſynocham concluſam, ſine aliis, & plurimam ebullitionis eius eſt ex oppilatione ſuffocante caliditatem, &c.* In feruore ergo ſanguinis diſcriminatur continens diaria à reliquis ephemeris, & quia ex illo feruore magna vaporum, & fuliginum copia ſuſcitatur, ideo id, quo continens diaria conſtituitur, & ab aliis diſtinguitur, eſt calefactio in ſanguine feruorem ſuſcitans, & magnam copiam vaporum eleuans, & inde primum calefactum, ratione cuius ab aliis ephemeris diſtinguitur, eſt in humore: quæ explicatio vera eſſe nequit, niſi ſuſtineatur quod vapores (vt antea inſinuaui) ſpecie diſtinguuntur ab humore ex quo eleuantur, & ſic optimè author explicatur, quod nullus hactenus fecit: conſtat verò quod illi debeant eleuari ad ſimplicem calefactionem abſque vlla ſanguinis vſtione, aut putredine, alioqui non conſtituerent diariam, ſed putridam. Galenus verò *9. meth. cap* 1. continentes non putridas inter diarias repoſuit, etiamſi ad plures dies extendantur, quia nec hecticæ, nec humorales, putridæ eſſe poſſunt, eſt enim calor in vaporibus à feruore ſuſcitatis abſque vlla putredine, vt excitantur ab aqua feruente, & ita nec hectica, nec putrida eſſe poteſt talis febris, & per conſequens erit diaria, quia reuera ſigna illius præſtat. Vnde author noſter dum enumerauit cauſas diariæ productiuas, vapores ſanguinis tradit, & nomine ſpirituum comprehendit, eſtque clara doctrina Galeni *9. meth. c.* 2. vbi ex humorum feruore continentes excitari docet, & non putridas, & ibi inter diarias reponit. Auicenna verò E non vult quod diaria dicatur, ſed quod habeat mediam naturam per negationem vtriuſque extremi, quia non eſt in ſpiritibus vt diaria, nec eſt cum humorum putredine, vt putridæ, quamvis ſit in humore feruente, & conſtat ex præſagio eius quod immediatè pòſt tradit, dicendo: *Et eſt febris acuta, non febris ephemera, nec hectica, nec febris putredinis, & multoties quidem permutatur ad febrem putredinis, aut hecticam.*

Magnam verò dubitationem expoſitoribus Auicennæ fecerunt hæc verba: *Et videtur Galeno, quod febris ſanguinis non componitur cum reliquis febribus, quoniam cum putredo eſt in ſanguine, eſt communis omni humori.* Legantur Gent. & Iacobus, ſed Gentilis præcipuè. Expoſitio noſtra eſt, quod ſynochalis ſanguinea non componitur cum aliis febribus, quoniam cum putredo A eſt in ſanguine, eſt communis omni humori, hoc eſt, quando continens excitatur, eſt in maſſa ſanguinaria talis diſpoſitio ad putredinem, quod tota vniformiter, & cumulatim putredinem concipiat, & inde non ſequetur expulſio ad locum determinatam aliquam periodum faciens: quod eſt intelligendum de materia continentem cauſante cum impedimento expulſionis ad certum locum, vt antea cum Vall. retulimus. Id verò dixit Auicenna ob doctrinam Galeni *9. meth. cap.* 3. dicentis: *Alterum eſt vbi in omnibus vaſis, ac potiſſimum maximis æquabiliter ſucci putreſcunt.* Quibus clare docet in continentibus putridis eam eſſe in ſanguine diſpoſitionem, vt in omnibus vaſis, & præcipuè in maximis omnes humores æqualiter corrumpantur, & ſic non detur modus diſtinctus putridinis in aliquo humore, à quo alia febris à continente diſtincta generetur. Quæ doctrina vt plurimum intelligenda eſt; nam in rigore illud Galenus non dixit, ſed Auicenna ex dictis eius intulit; quippe ſi humores in omnibus vaſis putreſcunt, & æqualiter, non videtur quod detur locus, nec diuerſus putredinis modus, ratione cuius in partem determinatam moueatur aliquis humor, diſtinctam febrem à continente creans, alioqui non eſſet æqualis putredo in humoribus, nec in omnibus vaſis, & præcipuè in maximis: hoc verò non tollit euentus raros, & ita non implicabit aliquando cum ſanguinea febre aliam complicari.

Tradit deinde author cauſas huius febris dicendo: *Et cauſa quidem huius febris eſt repletio, & oppilatio, & multitudo exercitij, & propriè non conſueti.* Ratio eſt, quia C exercitium non conſuetum inflammat ſanguinem, & ſolet etiam impetuosè mouere ſanguinem per vaſa, & poros replere, & ſic magnam obſtructionem cauſare, quæ eſt potiſſima cauſa huius febris; conſtat verò eſſe ſupponendam ante exercitium plenitudinem, quippe ſi corpus plenum non ſit, conducet potius ad inanitionem magnam exercitium non conſuetum. Galenus *lib. 3. aph. com.* 2. ſic ſcripſit: *Verùm ſi hominem pituita plenum, vel flaua bile, vel atra, vel ſanguine ipſo volueris exercere, ſei morbum comitialem, aut apoplexiam exercitatione contrahes, aut ſi hæc mala non eueniant, periculum* D *imminet ne rupto aliquo in pulmone vaſe, in morbum incidat inſanabilem; multi vero cum febricitare cœpiſſent, propter exercitationes acutiſſimis morbis fuere correpti: ſic ſuppreſſio euacuationis conſueta eſt occaſio repletionis, & ſynochi.*

Deinde inquit Auicenna; *Et vſus exercitij laborioſi*: quod vt diſtinctum à non conſueto tradit, quia laborioſum hîc ſignificat magnum in propria eſſentia. At non conſuetum etſi magnum non ſit in ſe, poteſt eſſe nihilominus magnum in ordine ad hoc indiuiduum, & ſic impetuosè humores mouere, & obſtructiones cauſare, fatigat etiam nimiè exercitium non conſuetum, & anhelationem cauſans inflammat, laſſitudinemque inducit, & ſæpe liquando, vehementer replet. Tradit etiam vt cauſam putredinis ſanguinis aquoſitatem ex fructuum ingeſtione, & multitudinem humoris crudi, E ſicut qui generatur ex cucumere, aut citrulo, aut pyris, & aliis huius naturæ, non quidem quod ſucci crudi ſint febris continentis materia; ſed quia ſanguinem humectant, & corpus etiam obſtruunt, & ſic ad putredinem ſanguinis diſponunt: deberet etiam author inter cauſas numerare exercitium conſuetum demiſſum, ſicut & alimentorum ſanguineorum, & vini generoſi ingluuiem, aut membri alicuius mutilationem: quæ omnia corpus replent; ſic etiam cutis ſtipatio in ſanguineis replet, quòd reſolutionem impedit, & inde omnes cauſæ replantes ſynochum poſſunt creare.

Dicit deinde, quod hæc febris non tepeſcit propter continuitatem materiæ, & eius adhærentiam vſque ad criſim, aut mortem. Quæ doctrina noſtram ſentententiam apertè confirmat, nimirum quod ſynochus fiat, quia ſanguis totus vt eſt ſibi continuus, & immobilia putre

putredinem concipiat, & inde non habeat remiſſiones, ita vt poſt illas redeant iterum nouæ exacerbationes, vt in continuis repetentibus experimur, ſed tota materia in vnica acceſſione conſumitur. Loquitur itaque author de tepore quem poſtea ſequatur nouum incrementum febris, & noua acceſſio; nam de tepore abſolutè non poteſt eſſe vera authoris ſententia, cùm fateatur eſſe continentem quæ perpetuò decreſcat.

Præſagia adducendo dicit, quod ſaluior febris eſt epacmaſtica, id eſt quæ ſemper decreſcit, quia reſoluitur magis quàm putreſiat: deinde periculoſior eſt homotona, id eſt quæ ſeruat eundem tenorem: deterior tamen omnibus eſt, quæ ſemper augetur, quia reſolutio eſt minor putredine, & eius criſis eſt vſque ad ſeptimum, vt in plurimum, eſt enim morbus peracutus.

Inquireres tamen, ſi continens ſemper decreſcens poſſit eſſe mortalis? videtur enim quod non, quia ſi in maiori intentione non poſuit diſpoſitionem cum forma incompoſſibilem, nequibit poſtea interimere, cùm ſemper decreſcat, & viuens in meliorem temperiem reducatur. Sed oppoſitum eſt probabilius; nam Princeps non dixit quod illa eſt ſecura, ſed minus periculoſa reliquis: ratio eſt, quia illa diminutio poteſt eſſe ſine correctione materiæ, & inde durare poterit vſque ad virium conſumptionem, quamvis reſoluatur plus quàm putreſiat, & ita etſi febris ſemper ſit minor, poteſt nihilominus eſſe maior quàm vires ferre poſſint, & quod deficiant morbi diuturnitate, quamuis ſit minor morbus, & poſſunt non dubiè deficere priuſquam morbus minuatur, quia cùm ſemper fiat noua extenſio putredinis, poterit extendi per totam maſſam ſanguinariam, ita vt non ſuperſit idonea materia pro nutritione, & regeneratione ſpirituum; tum etiam quia ſub illa remiſſione poteſt eſſe in vniuerſali principio, quia nondum coqui cœpit materia, aut in augmento, quia nondum pars eſt cocta eſt, & inde interficere poterit vt dixi, plus debilitando naturam, quàm minuatur febris: quod veriſſimum eſt ſi ſimul poſſibile iudices (vt eſt reuera) quod ſit ea putredo maligna, non ita calore quàm qualitate maligna vires diſſoluens. Neque obſtat communis Galeni doctrina, quod in declinatione nullus perire poteſt, quia loquitur de vera declinatione per correctionem materiæ eueniente, non verò de qua nos agimus. Nec obſtat ſi rurſus obicias quod iudicium febrium continentium non celebratur coctione ſola, ſed etiam ſola reſolutione, vt Galenus docet 2. *de differentiis febrium, cap. vltimo*: ergo vt in declinatione coctionis interficere nequit, ſic nec in declinatione reſolutionis. Reſpondetur enim eſſe diſparem rationem, quia coctio facit ceſſare putredinem, vt *in arte medicinali* Galenus docuit, non tamen quod reſolutio ſit maior quàm putredo, quia etſi hac ratione tandem putredo finienda ſit, tamen durare poteſt magis quàm virtus, & ſic interficere.

Sed obicies; videtur quod nulla febris continens debeat determinari coctione, ac per conſequens nulla alia declinatio aſſignanda ſit niſi per reſolutionem cauſata, & inde quæ ſemper declinat, mortalis eſſe non poterit. Probatur, quia ſi per coctionem creſcit febris, neceſſariò mutabitur tota forma duarum febrium continentium; nam quæ ſemper decreſcere debet, accipiet nouum incrementum quando coquitur materia, & quæ in eodem tenore manere debet, vigorem accipit etiam quando coctiones celebrantur, & per conſequens nulla erit decreſcens ſemper, aut ſemper in eodem vigore conſiſtens. Reſpondetur, quod tale augmentum tempore coctionis eueniens non tollit formam continentium, quia talis ſolùm conſtituitur per hoc quod vnica acceſſione tota conſtitutio finiatur, illud verò incrementum coctione eueniens acceſſionem nouam non facit, ſed febrem ſolùm intendit, quæ in-

A tenſio excludenda eſt à ratione continentium, quia eſt communis cuicumque febri quando materia coquitur, & inde dependet ab alia radice omninò diuerſa, à qua febris vt continens generatur.

Reliqua adducta à noſtro Principe facillima ſunt, expoſitione non indigentia: ſolùm notanda ſunt quæ ad oſtendendam huius febris longitudinem tradit, dicendo: *Signa verò longitudinis eius ſicut iam ſciuiſti, ſunt ex poſtpoſitione ſignorum digeſtionis, & tornatilitate faciei, & diuerſitate diſpoſitionis eius in ſpatio ſuo, & additione, & ſtatione, & diminutione, ita vt ſit quaſi ipſa ſit tepida, illud enim ſignificat quod ſanguis eſt plenus humore crudo, &c.*

Tempora vniuerſalia proportionem quandam ſeruare
B publicum eſt, vnde ſi ſigna coctionis tardè appareant, longior conſtitutio morbi innuitur, vt Galenus, & Hippocrates docuerunt exemplo pleuritidis, 1. *aphor. text.* 12. & Galenus per *libros de criſibus* præſertim, & ita ſi ſigna coctionis poſtponantur, longitudo febris meritò timetur ſi ſaluari debet ægrotus, nam perire rectè poterit tempore breuiori. Eodem modo ſignificatur morbi diuturnitas, ſi poſtponantur ſigna faciem extenuatam oſtendentia, iuxta *aphor.* 28. *lib.* 2. dicentem; *febricitantium non omnino leuiter permanere corpus, & nihil minui, vel etiam plus quam ratio poſtulat contabeſcere, malum: illud enim morbi longitudinem, hoc vero imbecillitatem ſignificat.* Galenus in com. dicit, *cùm maiores ſunt febres, permultam quandam repletionem adeſſe ſignificatur*: quo fit, vt niſi in tempore longo coctionem ſuſci-
C pere poſſit, ad quod conducit etiam ſanguinis craſſities, lentor, & corpus ſatis ſolidum, & cutis denſioris, ob quæ vacuari non permittit, etiamſi non omnino leniter febriciter, quod præſagium certius erit, quò febris intenſior ſit, vt conſtat. Eandem doctrinam Hippocrates tradidit 2. *epid. ſect.* 6. *text.* 10. noſtrum tamen authorem tam inepte Iacobus expoſuit, quod putet faciem extenuatam, & Hippocraticam eſſe ſignum longitudinis febris, contra communem Medicorum, & Galeni doctrinam, & rationem tam manifeſtam à Galeno adductam; & certè litera Auicennæ ſic videtur innuere; eſt tamen ſic legendum; *Et ex tornatilitate faciei* (ſupple poſtpoſita,) nam cùm antea dixiſſet longitudinem oſtendi per poſtpoſitionem ſignorum coctionis, continuando ſer-
D monem, & ſenſum eumdem, dixit ſolùm, *& tornalitate faciei*, poſtpoſita ſcilicet, vt coctionis ſigna.

Aliud ſignum maximè notum adducit dicendo: *Et ex diuerſitate diſpoſitionis eius in ſpatio ſuo, ex additione, & ſtatione, & diminutione, ita vt ſit quaſi ipſa ſit tepida: illud enim ſignificat quod ſanguis eſt plenus humore crudo.* Quæ verba exponit Herculanus dicendo: quod ſint accommodanda cuicumque ſpeciei continentium; nam ſi quæ ſemper augetur, non augeatur vniformiter, ſed inæqualiter, ita vt modò remittat, modò augeatur, longior febris ſignificatur, quia dependet ex materia inæquali & heterogenea, cuius vna pars facilè inflammatur, alia verò difficilè: eodémque modo in aliis philoſophandum eſt. Conſtat verò huiuſmodi inæqualitatem in quolibet tempore acceſſionis dandam eſſe, & magis
E in principio, quando ſucci crudi & craſſi abundant plus, & nondum extenuari cœperunt, eſtque corpus magis obſtructum, & plenum; bifariam verò id euenire poteſt, aut quia ſaguis ipſe ſit crudior, & inæqualiter diſpoſitus, ita vt quando putredo craſſiorem, & frigidiorem partem inuadere incipit, retardetur agens putrefaciens, quia repatitur plus, & operatur circa paſſum nimiè reſiſtens, in quo euentu febris continens erit intra limites ſuæ intenſionis remiſſior, quia nequit ſanguis crudior magnam concipere flammam. Alio modo euenire poteſt ea inæqualitas, quia ſanguis ſolus putreſcat; ſint tamen crudi ſucci velut interpoſiti inter ſanguinis partes, quas agens putrefaciens continuò & cumulatim (vt dicebat Galenus) corrumpere debebat vt continentem

febrem crearet, & ita per eam interpositionem aliquo tempore febris remittatur, & tepescat, donec calesiat humor ille velut medium magis resistens, quo victo sequetur maior putredo in parte immediata sanguinis, quia facilius corrumpitur: & hoc videntur proprius significare Auicennæ verba dicendo: *Illud enim significat quod sanguis est plenus humore crudo.*

Dicit deinde Auicenna: *quod si coctionis signa in tertio, aut quarto die non appareant, non eueniet iudicium, aut crisis in septimo, sed tardius*: de quo iam egimus *cap. de tertiana exquisita*, ex Galeni mente. Dixit etiam Hippocrates 2. *aphorism. text.* 24. *Septenorum quartus est index.* Vnde si in die quarto signa cruditatis appareant, non est expectanda crisis in septimo, sed longius, quia vt dicitur 4. *aphor. text.* 71. *Quibus septimo die fit crisis, iis nubecula rubea quarto die in vrina apparet, & alia ex ratione*; quia vt Galenus dicit in *expositione aphorismi* 24. *citati*, indices, & contemplabiles dies solet Hippocrates nominare, in quibus aliquod signum futuræ iudicationis indicatiuum apparet: quo fit, vt si in quarto, qui est septimi index, nullum coctionis signum appareat, vltra septimum crisis, aut iudicium debeat euenire, cùm coctiones præcedere debeant vt iudicium bonum eueniat. Dicit tamen Auicenna quod multories fit crisis eius in quarto, quod Iacobus de febre continente non putrida intelligit præcipuè: est tamen etiam aliquando possibile in putrida, quia materia benigna est, & coctionis facilis, & corpus sanguineum, robustum & perspirabile satis ob calorem & humiditatem, solet esse ad breuitatem iudicij nimis conducens, præsertim molestia febris ob magnam intensionem irritans nimia; quòd verò intra quartum iudicanda sit febris, agnoscere docuit Hippocrates 30. *prognosticorum text.* 2. dicendo: *Simplicissimæ enim febres, ac signis firmata securissimis, quarto die, aut citius desinunt, maleficentissimæ vero, ac signis affligentes difficillimis, quarto die, aut citius interimunt.* Constat verò per simplices febres non esse intelligendum remissas; cùm hæ malignæ esse soleant, sed intelligit non habentes signa praua, quamvis in sua entitate febris sit magna; non enim nisi magni morbi intra primum quaternarium iudicantur: ergo quamvis febris sit magna (vt est omnis continens) potest alia signa salutis habere, vt si in secunda die coctiones apparere incipiant, non sit respiratio difficilis, constet pulsus, & mens, dormiat æger, & decubitum placidum, & naturalem seruet, præcipuè si inflammatio interna non sit, nec dolor; hæc enim intra primum quaternarium iudicabitur, si intensa & magna sit febris, & quò intensior, citius & certius iudicium eueniet, quia molestia maior semper crisim accelerat: nec miremini quod cum magna febre difficilis respiratio non sit; nam sic docuit Hippocrates 3. *prognosticorum, text.* 8. dicendo: *Qui enim conualituri sunt, facilè spirant, sine dolore agunt, noctu dormiunt, & alia signa securissima habent; qui verò morituri sunt, difficulter spirant, delirant, vigilant, & alia signa deterrima habent*: & 1. *prognosticorum, text.* 25. dixit: *Spirationis facilitatem existimare oportet, per quam magnam vim habere ad salutem in omnibus morbis acutis qui cum febre sunt, & in quadraginta diebus indicantur.*

Est verò dubitatione dignum, quomodo respiratio non sit difficilis vbi dantur febres acutæ, de quibus ex professo agit in eo opere Hippocrates: nam si difficilis respiratio, est læsio in respiratione, & hæc mutatur in similes differentias, & pulsus quando vsus augetur, necessariò erit in magna febre celer, magna, & crebra respiratio, & inde necessariò difficilis: nunquam igitur talis ab acutis febribus aberit; & quod magis mireris, est quod Galenus *in expositione text.* 25. *citati*, dicit, quod Hippocrates naturalem respirationem appellauit spirationis facilitatem, quod omnino videtur absurdum, cum reuera tale esset dicere quod in acutis febribus pulsus sit naturalis. Proinde ego intelligo non quod respiratio per acutas febres læsa non sit, & inde communi significatione difficilis, vt Galenus definiuit 1. *lib. de respirandi difficultate, cap.* 1. & argumentum adductum euidenter probat, sed quod respiratio iuxta differentias quas vsus exposcit, liberè, & sine aliquo impedimento agatur: quod verba Hippocratis significare videntur, cùm semper dicat optimum esse facilè spirare, id est thoracem facilè moueri, dum differentias respirationis necessarias opponit: arguit enim robustam esse facultatem, instrumenta obedientia, omni affectu inflammatorio, aut doloroso, aut conuulsiuo carere, nec tantum esse cordis incendium, quod sublime respiret; aut tam crebre, quod anhelosè, & hanc appellat optimam respirationem prout in acutis bona esse potest, quia nulla melior; & Galenus incautè dicens quod per spirationis facilitatem intellexerit Hippocrates naturalem respirationem, non potuit aliter verè textum exponere, quàm quia significat nec thoracem, nec cor, aut pulmonem, nec præcordia doloris quamdam habere affectionem, quin etiam nec partes quasdam iis adiunctas, &c. contrarium docuimus in quæstione illa si omnis febris in calore consistat.

Quomodo verò febris sanguinea agnoscenda sit, facillimè intelligitur, si defectum paroxysmorum consideretis, si magnum, ac fortem pulsum, turgidum corpus, rubrum, oculos sanguine plenos, incendium etiam intolerabile, cui nec mordacitas, nec molestia interna adæquatè respondeant, quia materia benigna est: Galenus 9. *meth. cap.* 30. *in fine* sic loquitur: *Proinde fit vt quia ita febricitant, iis & pulsus maximus sit, & æqualis, & vehemens, quibus etiam arteriæ habitus nec durior quam pro natura est, nec mollior: Celeritatis tamen, frequentiaque eò peruenit, quo febris ipsa magnitudinis, atque hæc quidem ambarum sunt communia, alteri verò priuatim putredinis insunt notæ, idque tum in lotio, tum pulsu, tum caloris ingrata qualitate.*

Et hic meritò dubitabitis, qua ratione possibile sit quod in continente putrida detur pulsus æqualis, tum quia fuligo ex sanguinis putredine nimia est, tum quia ipsa plenitudo (quæ in continentibus ad vasa esse solet) non potest non efficere inæquales pulsus, & multò magis si ei putredo superueniat: docuit etiam idem Galenus 1. *ad Glauconem, cap.* 8. proprium signum febrium putridarum esse pulsus inæqualitatem; quod etiam millies reperit per diuersa loca: & quod magis mirandum est, quod eadem pulsus æqualitate continentem diariam, & putridam significet, quod omnino videtur impossibile: certè Galenus commodè interpretari non potest, nisi dicamus non loqui de qualibet inæqualitate, sed de illa magna, quæ febribus putridis reperientibus per accessionum principia, & incrementa euenire solet; hæc enim in continentibus dabilis non est, quia non mouentur humores in locum certum, cuius causa calorem vitalem suffocant, & externa infrigidantur, aut manifestè tepescunt, & ita pulsus in principio vehementer contrahitur, vt interdum non appareat, & in incrementis etiam satis inæqualis percipitur; nam quod dixit Lemosius in huius loci explicatione, mihi non probatur: dicit enim tam exiguam esse inæqualitatem, quod nullum sit absurdum æqualitatem appellare: hoc enim liberè dicitur, & contra rationem, præcipuè vbi (vt dixi) plethora cum febre putrida iungitur, & multò magis quando putrida continens perpetuò crescit, cùm plus eleuetur quàm resoluatur.

** Includitur in hac Sect. V. Cap. XLV. Auicennæ.*

CAPVT

CAPUT XLVI.

De cura febris Sanguinis.

INTENTIO *in curatione febris sanguinis* (inquit Auicenna) *est euacuatio plurima vsque ad syncopen*; est verò intelligendus de euacuatione per missionem sanguinis; nam præterquam quod vsque ad syncopen nulla alia euacuatio, nisi sanguinis missio tentari potest, esset temerarium præceptum in principio morbi sanguinei, & ex plethora dependentis, aliam euacuationem imperare, & multò temerarius quod vsque ad syncopen duceretur. Ne tamen intelligatis per syncopen eam virium debilitatem, quæ ad vitalem facultatem pertineat, hoc enim esset etiam temerarium præceptum, sed nomine syncopis intelligenda est debilitas animalis virtutis, quæ in euacuationibus constante vitali facultate passim contingit absque vllo periculo; imò cum magno ægrotum commodo; quod auxilium inferius determinans Princeps dicit: *Euacuatio autem non est aliqua ita bona sicut phlebotomia ex modo in quacunque hora accidat*; dicit tamen quod non est hoc auxilium tam celebre prætermittendum, nisi sit repletio nauseatiua, tunc enim (inquit) caue eam euacuationem, scilicet per missionem sanguinis, & remouere ipsam, hoc est, remouere prius nauseatiuam satietatem; quà sublatâ si febris perseuerauerit, tunc phlebotoma, & non cesses phlebotomare donec æger appropinquet syncopi, aut cadat in syncopen, si corpus fuerit forte. Tota hæc doctrina desumpta est ex Galeno 9. *lib. meth. cap.* 4. affertur ibi duas historias laborantium continente putrida, & non putrida, quibus vsque ad deliquium venam secuit; in eo verò qui continente non putrida opprimebatur, non secuit statim venam ob duo: & quia male concoxerat alimentum, & vt certior de natura febris redderetur Galenus. Verba sunt: *Visum nobis est eius auxilij considerationem in aliud tempus remittere, simul vt certius sciremus, cuius generis febris esset, simul necessario propter eam, quæ præcesserat coctionis tarditatem*: & hoc est quod Auicenna nauseatiuam repletionem appellauit, hoc auxilium donec ipsa sit ablata remorantem. Oportet verò Principem vt loquitur intelligere, quod sit olimitum nausea & satietas; nam nausea sine satietate sæpe indicat sanguinis missionem; cùm sæpe nauseent fœminæ ob sanguinem ex vtero in ventriculum retrocedentem ob menstrua suppressa; nam si ob eandem occasionem euomatur sanguis, nullum maius auxilium statim venam in talo secare; eodem modo si ab eodem sanguine non vomitus, sed nausea causaretur, idem indicaretur auxilium, idem in viris ex mariscis suppressis euenire poterit, nec minus vbi totum sanguine onustum est, contingere solet, quod nauseabundus sit æger, commouente iam natura sanguinis satietatem, quam non sine ægrotantium periculo per vomitum nausea molesta præcedente trudere solet. Tantum ergo abest quod nausea venæ sectionem semper obstet, quod potius eam interdum efficacissimè indicet, nec si satietas est, necesse est quod sit nausea vt hoc auxilium differatur, cùm sola mala, aut tarda coctio vt Galenus dicebat, necessariò donec sit ablata auxilium retardet. Dixit ergo Auicenna *nisi sit repletio nauseatiua*, quia si vtrumque eueniat, efficacius venæ sectio retardatur; quod verò dicit repletio nauseatiua, de repletione ventriculi ob alimentum incoctum intelliges; nam vt docui, repletio sanguinis nauseatiua statim auxilium per venæ sectionem in continentibus indicat. Galenus 9. *meth. cap.* 5. dixit; nam si præcedat cruditas ciborum, tanto tempore differte venæ sectionem iubebis, quantum satisfacere tum ad eorum coctionem, tum vt excrementa descendant, videbitur.

Sed quod Auicenna de missione sanguinis vsque ad deliquium animi imperat; fuit præceptum Hippocratis 1. *aphor. text.* 23. dicentis: Atque vbi vsque ad animi deliquium expedit ducere, faciendum si æger possit tolerare: quod docet etiam Galenus 9. *meth. cap.* 4. & 50. Verum non in omni continente vsque ad deliquium euacuare licet, sed in illa solùm, quæ ex plenitudine ad vasa pendet, si calidissima est febris, constetque virtus satis. De plenitudine constat ex ipso Galeno 9. *meth. cap.* 5. citatò dicente: *At illud vel me tacente constat, non esse nunc nobis de ea abundantia sermonem, quæ ad vitutem comparatur, verùm de ea quæ contineri à vasis vltra non valet, &c.* Incendium magnum requirit ipso deliquio deducitur, quod non solùm vt mensura idoneæ euacuationis vltra quod extendenda non est, sed tanquam remedium inducitur, cuius causa totus corporis habitus refrigeretur; tam magnum verò refrigerium, nisi à magno, & æstuoso calore indicari potest. Sic Galenus loquitur 9. *meth. cap.* 4. *Aufero itaque ab homine eò vsque de industria sanguinem, quoad animo linqueretur, maximum planè vbi valentes vires sunt continentis febres remedium: primum namque in contrarium statum agitur corpus, celerrimè ex animi deliquio refrigeratum, hoc verò nemo inuenire potest, neque quòd ipsis ægris, nec quod naturæ quæ animantes gubernat incundius, vtiliusve sit.* Quibus clarè docet quam vtilis sit ea transmutatio per deliquium facta ratione frigoris, in alio etiam ægro eiusdem cap. putrida continente oppresso ad deliquium sanguinem misit.

Multi tamen putant nonquam in continente putrida esse ducendam euacuationem vsque ad deliquium intrinsecum, hoc est, verum deliquium, in quo sensus & motus deficiunt; sed tantum euacuationem continenti diariæ solum conuenire. Rationem reddunt quod continens putrida non potest solo hoc auxilio curari, sed aliis remediis est opus, ad quæ celebranda sanguinem derelinquere oportet, & vires; quia vt 1. *meth.* Galenus docuit, humorum putredo sola missione sanguinis curari non potest, vtpote quæ alia remedia desideret: vnde dicunt, quando *in cap.* 4. Galenus dixit se venam vsque ad deliquium in putrida continente secuisse, non de deliquio intrinseco, sed de extrinseco intelligendum esse; vocant verò deliquium extrinsecum, in quo sensus, & motus non deficiunt, sed perturbantur ratione euacuationis; vulgo *abilamiento*. Quæ distinctio libere traditur absque aliquo fundamento, nec credendum est quod Galenus si non esset ducenda euacuatio vsque ad deliquium intrinsecum in putridis, hoc præceptum taceret, cùm tamen sine distinctione aliqua 9. *methodi* vsque ad dignium euacuet, & hoc auxilium sæpius repetat, & *in expositione aphorismi* 23. *lib.* 1. sine distinctione dixit: *Nam & ardentissimis febribus si vsque ad animi defectionem sanguis mittatur, statim totius corporis habitus refrigeratur, & febris extinguitur, &c.* Constat verò ardentissimas febres fieri ex bile putrescente, & in malignis causis, in quibus ad deliquium sine distinctione euacuat vbi vires valentes sunt; & ratio est, quia vt docuit ipse 9. *method. cap.* 4. *citato*; *deliquium inducitur vt auxilium refrigerans totum corporis habitum*: non refrigerat verò nisi intrinsecum deliquium inducatur, quia ipsa animi defectio est occasio refrigerij totius corporis, & potest esse in continente putrida tantum incendium, quod animi defectum exposcat, vt adæquatum necessarium auxilium. Et cùm Hippocrates *in eo aphor.* de deliquio in communi sine distinctione loquatur quod tale est propriissimè, de illo etiam est intelligenda Galeni expositio.

Est que ratio in oppositum adducta friuola satis, quia eo quòd animi deliquium inducatur in corporibus san-

gnineis, non deficiunt vires, vt quæ superest curatio perfici possit, cùm facilè ab eo releuentur, & instaurentur spiritus; & Galenus id planè insinuat *in expositione aphor.* dicendo; *Et quidam eorum ex iis sunt prorsus sanitati restituti; alij adiuti plurimum, vehementiam ægritudinis absciderunt.* Quibus vltimis verbis clarè docet, esse euacuandum ad animi defectionem, non quia statim omnino morbus exstirpetur, sed vt vehementia tanta eius moderetur, & postea quod superest facilius vincatur. Id etiam clarè docet Auicenna *in hoc cap.* dicendo: *Et non cesses phlebotomare donec æger appropinquet syncopi, aut cadat in syncopen, si corpus fuerit forte, syncope namque infrigidat complexionem fortem:* vbi clarè vtrumque deliquium indicat, & ad quamlibet euacuationem extendit.

Notat tamen Galenus *in expositione aphorismi*, quod deliquium quod certa mensura euacuationis esse debet, est quod inducitur ratione solius euacuationis, non verò quod ob timorem remedij, aut quia in ipsa euacuatione humores mordaces in ventriculum confluant, aut quia in ipso euacuati agitentur, inducitur, hoc (inquit) deliquium ex dictis causis creatum non est sufficiens mensura euacuationis, quia nonnunquam antequam oporteat contingit, sed illud solum est vera mensura, quod ratione euacuationis contingit. Quod præceptum non ita intelligatis, quod sit licitum si deliquium inducatur ob aliquam causam ex dictis, amplius euacuationem extendere; esset enim temerarium illud imperare, nimirum quodlibet deliquium statim prohibet ne sanguinis plus extrahatur, quia syncopis eueniet & mors. Ratio est, quia quodlibet deliquium inducitur semper ab eadem causa immediata, à defectu scilicet animalium, aut vitalium spirituum; vnde sicut in deliquio orto ob nimiam euacuationem, non licet amplius euacuare, quia iam est tanta spirituum consumptio, quod si amplius inaniantur, syncopis prehendet: ita ea quavis occasione deliquium eueniat, arguit similem spirituum defectum, & inde si euacuatio extendatur, timor erit probabilissimus syncopis. Illud tamen est certum, quod refrigerium simile inducatur, à quauis causa deliquium eueniat, quia eodem modo linquitur viuens, & corporis habitus refrigeratur: vnde quantum ad refrigerium inducendum, parum obstat quod nimis fuerit extensa euacuatio, vel non, etsi negari non possit, quod plus infrigidetur viuens si nimis euacuatus fuerit, quia minus habebit substantiæ calidæ resistentis refrigerio inducendo ab interno principio; poterit nihilominus deliquium eueniens ob alias causas, & non ab euacuatione esse satis ad idoneam attemptationem, cùm non omnes febres æquale refrigerium exposcant. Duo ergo præcipua sunt vsque ad deliquium euacuationem indicantia, & magna plenitudo, & grande febris incendium, quarum quodlibet si deficiat ita secusè agitur, quia includit in se & magnam euacuationem & insigne, magnumque attempetamentum.

Notat Iacobus quod si in synocho sanguis æqualiter in toto abundauerit, vel magis in membris naturalibus, & inferioribus, secanda est vena basilica dextri lateris, & si superabundauerit in vitalibus, secanda est mediana, hoc est communis; si verò in animalibus, cephalica. Quæ doctrina sequenda non est, imo econtra diceret melius, si æqualiter abundat sanguis in toto secanda est communis, si verò in vitalibus, aut naturalibus partibus, basilica; cephalica verò nunquam secanda est in febribus nisi vrgens affectio cerebrum obsideat, verùm si ingens dolor capitis, aut grauitas molestet, satis est communem secare. Galenus verò 4 *de victu acut. com.* 24. dixit, venam internam velocissimè, & plurimum ex partibus principibus euacuare; eandémque secandam esse quando partes thoracis superiores præsertim patiuntur, 2. *de victu acuto, com.* 10. docuit. Cum verò Galenus dicat in continentibus humores putredinem concipere, in vasis

A præcipuè, quæ sunt inter inguina, & alas, basilica præcipuè secabitur, quod directè, & multum dictam regionem inaniat, semper tamen in magna copia (si vires sustineant) sanguis educetur: tum quia plethora est, tum etiam quia non educitur gratia reuulsionis in continentibus, cùm ad nullam partem succi confluant. Est tamen diligenter notandum, quod Galenus nunquam hoc auxilium si ad deliquium duceretur iterabat, nam ex illis duabus historiis constat, quod semel solùm cuilibet ex duobus ægris venam secuit, quod mihi non videtur semper imitandum; non enim implicat pòst sectam venam vsque ad deliquium putredinem durare, & febrem non remitti, imo augeri, & maligniorem fieri, in quo euentu non esset licitum à sanguinis missione cessare, cùm vrgeat morbus, & vires constare possint. Galenum

B verò venæ sectionem non reiterasse in relatis ægris, quod necessarium non fuerit, nec opportunum, constat ex eius doctrina; metiro tamen docuit 9. *meth. cap.* 4. quod hoc præsidio omisso in summum discrimen febricitantes veniunt, nisi eos vel virium robur, vel largum sanguinis profluuium, vel sudor copiosus ex manifesta pernicie eripiat, & *cap.* 5. dixit, nisi hoc adhibeatur præsidium, fore vt vel suffocentur, vel certè syncope prehendi omnino periclitentur.

Notat tamen Auicenna quòd melior est partitio euacuationis, quam vsque ad deliquium ducere, nisi fuerit quod necessariam faciat festinationem, quod præceptum maximè notandum est. Et confirmat quod antea ex Galeno retuli nos, nimirum quod vsque ad deliquium euacuare nò docet, nisi in plethora ad vasa, & magna febre,

C ob quę timeatur syncopis, aut præfocatio, vel alius perniciosus in partem aliquam principem decubitus: nam vbi hæc non timentur, rectè dicit Auicenna quòd fortasse erat in ea, quæ est infra appropinquationem syncopis vltimatio, hoc est erit sufficiens euacuatio, etsi ad syncopen non ducatur, quia non omnes continentes ea æquali plenitudine pendent, nec æquali periculo fatigant.

Illud verò maximè notandum est, quod imperitos turbare potest, nam cùm sit communis praxis à magnis auxilius cessare, quando natura nimis fatigatur, & sint continentes quæ semper in vigorem consistunt, aliæ quæ perpetuò augentur, ob tantam naturæ afflictionem poterat aliquis venæ sectionem timere; & ab ea cessare; sed hoc minimè faciendum est, sed vt generosus Medicus

D continentem agnoscens, & etiam quod in vigente perpetuo nulla occasio melior se potest offerre, & in perpetuo crescentibus semper erit deterior, statim venam secabit, vt febris declinet, aut securior reddatur. Eodem modo vbi nimia infestat plenitudo, paruus, & debilis apparenter apparebit pulsus, cùm tamen intrinsecè fortissimus sit, & ita diligenter agnoscendum est, quod debilitas essentialis non sit, sed per aggrauationem, quod multa indicabunt, sed præcipuè inæqualitas pulsus, & quod inter paruissimas illas, & apparenter debiles pulsationes, si pulsus diutius, & prolixè tangatur, aliquæ magnæ, & fortiores emergent. Est mihi præter hæc magna consideratio, si tota circunferentia, aut magna eius parte digitum

E arteria pertingit: magnum quidem signum debilitatis per aggrauationem & non essentialis, & in paruissimo illo spatio intra quod arteriæ mouentur, si impetus earum attentè consideretur, nunquam deficient pulsationes aliquæ, quæ vim internam esse fortem ostentent; quia vt implicat non esse aliquas pulsationes maiores aliis, vbi sola debilitas per aggrauationem infestat, sic implicat quod aliquæ pulsationes satis fortes non appareant, quando vincitur grauitas, & plenitudo, vt maiores pulsus effici possint; & id indicabit etiam tumor faciei, & rubor, & certius si incipiente iam euacuatione pulsus tangatur, & maior statim appareat, vt apparere debet quando ob plenitudinem oppressus paruus fiebat.

Dicit author deinde: *Et fortasse sequetur phlebotomiam*

miam vltimam statim fluxus ventris cholericus, & sudor quem oportet omni hora abstergere donec continuetur, forsasse enim sanabitur cum eo. Per vltimam plebotomiam intelligit ad deliquium vsque deductam, cui succedere solent alui fluxus biliosi, & copiosi sudores, febrem ipsam interdum extinguentes. Galenus 9. *meth. cap.* 4. sic dicit. Postmodum enim in eiusmodi corporibus necessariò superuenit alui deiectio, nonnunquam etiam bilis vomitio, quas res statim à toto corpore madores, sudoresve excipiunt, quæ nimirum omnino cùm huic quoque contigissent, prorsus febrem extinxerunt. Est verò differentia inter Galenum, & Auicennam, quod ille dicit necessariò sequututas relatas euacuationes; at Auicenna non dicit necessariò, sed fortasse, quæ lectio melior est; non enim datur ratio efficax ob quam necessariò venturæ sint post euacuationem vsque ad deliquium, quin potius videtur repugnans, cùm debilitas virium omnem euacuationem cohibeat, deliquium verò languor virium est, & cum sensum auferat, tollit simul conditionem ad pellendum, quia tollit irritationem. Rursus si ad deliquium sequantur relatæ euacuationes, videtur quod non liceat vsque ad deliquium euacuare; quia vt à deliquio non licet sanguinem amplius extrahere, sic aliqua alia euacuatio secura esse potest, cùm ad syncopen ducat quæcumque sit, deliquij iam inducti debilitatem augendo, ob cuius metum non admittitur à deliquio vlterior sanguinis eductio: credendum tamen est per deliquium refrigeratus corporis habitum roborari ægrum, & cùm natura euacuatio sarcinam deposuerit, vnà que recluserit vias à copia obstructas, quæ expulsioni obstabant, statim à deliquio recuperata natura per nouam spirituum generationem, & attemperata iam noxiorum succorum expulsionem tentat, & perficit, nec expulsio illa agitur in actuali deliquio, sed quando iam sensus & mens, & virtus recuperata, & molestiam sentit & sine periculo syncopis noxios humores expellit. Est verò credendum huiusmodi expulsiones euenire potius à deliquio in continente non putrida, quàm in putrida: ratio est quia in hac cùm euacuatio agatur statim in principio quando nondum cocta est materia, non est verisimile ab ea euacuatione crisim venire, in continente verò diaria cùm humorum putredo non detur, deonerata natura tentat statim noxiorum expulsionem; & ita constat ex historiis à Galeno adductis 9. *meth. cap.* 4. nam qui diaria continente laborabat, ab euacuatione per missionem sanguinis habuit statim euacuationes dictas, non verò qui putrida vexabatur. Sequuntur verò illæ euacuationes in diaria, non quia à succorum putredine oriatur, sed quia per magnum incendium sanguinis magna eius portio (tenuis nimirum, & pinguis) in bilem præternaturalem mutatur, & pellitur; ad sudorem verò non est necessaria humoralis materia, cùm diariæ exquisitæ, & non continentes passim sudore finiantur, quippe & spiritus, & sanguinis vapores sudoris possunt esse materia: ex quibus etiam constat sanguinem in bilem posse mutari sine eius putredine, aut vstione, quia in diaria continente nullos hactenus dixit, quod talibus mutationibus sanguis efficiatur, quando si hoc ita esset, non diaria, sed putrida foret, aut vtriusque complicatio.

Dices adhuc; si in deliquio spiritus, & vapores, & sanguis ad cor trahentur, non videtur auxilium refrigerans respectu cordis, cùm oneretur in illo substantiis tam calidis. Respondetur quod etsi hoc ita sit, refrigeratur nihilominus statim à deliquio, quando iam & minor est copia, & quod cor obsidebat per corpus totum disseminatur. Accedit etiam quod refrigerium totius iam grande est; quod etiam in actuali deliquio possit cor ab eo attemperari.

Si verò Medicus tentet vsque ad deliquium euacuare, consulit author quod ei succurratur cum cibo subti-

A li, & quiete, non quidem in ipso deliquio cùm in eo necessariò quiescat, & nihil possit deglutire, sed mox à deliquij releuatione; in ipso verò deliquio odoratu reficiendus est æger iuxta doctrinam Hippocratis *libro de alimento*, dicentis: *Quicumque celeri appositione indigent, humidum medicamentum ad resumendas vires optimum. Quicumque celeriori, per olfactum; quibuscumque verò tardiore appositione opus est, id solido alimento faciendum est.* Vocat ergo Auicenna cibum subtilem, qui in forma potabili, & liquida datur, quia minus coctioni resistit, cùm nondum à deliquio satis constet facultas, & celeri appositione egeat, iuxta aphorismum 11. *lib.* 2. dicentem: *Facilius est impleri potu, quàm cibis.* In cuius aphorismi expositione locum ex *libro de alimento* Galenus tradit ad aphorismi veritatem exponendam; *at* B *in explicatione loci ex lib. de alimento*, sic Galenus loquitur. *Corpus quod iam debile, aut longo morbo, aut euacuatione, aut a vitiato humore sit redditum, postulat alimentum, non graue illud quidem, sed quod facilè concoquatur, quodque suauis sit odoris; causa est, quia suauis odor nescio quid addit ad corpus, & eius temperaturam accommodat, & naturalem calorem corroborat, in quo calore nos esse vitam asserimus.* Hactenus Galenus: constat verò quod suauis odor alimenti conducat vt voluptuosius sumatur, & iucundè, & sic à ventriculo firmius detineatur, & coquatur melius; naturalem verò calorem roborat, & tuetur, quia odorata halituosa sunt & cordialia, & inde in vitales spiritus facilè mutantur, in quibus consistere vitam nemo ignorat, quippe si pereant, vita non sub- C sistet.

Vnum tamen difficile subdit author dicendo: *Quod si dispositio non tolerat phlebotomiam in manu, phlebotometur vena quæ est in cornu frontis, aut ponantur ventosæ.* Quæ doctrina etsi ab expositoribus admittatur, sequenda non est quantum ad sectionem venæ frontis; quis enim dubitat, quod si in brachio venæ non appareant, sit secanda saluatella vtriusque manus, hæc enim à visceribus euacuat, & plenitudinem melius deponit, reuellitque ab internis, & trahit ad partes externas, iecur atque, & lienem attemperat, estque temerarium si plenum sit corpus venam statim in capite secare, cùm soleat sanguinis feruor caput replere & delirium aut phrenitidem sequi: quod si nullo modo in brachio, aut manibus extremis vena aliqua appareat, secabitur vena in talo, D quia cùm continentes non fiant cum humoris affluxu in partem aliquam, & occasio incendij sit plenitudo, optimè succurritur iis indicationibus secta vena in talo, & inclinatur ad inferiora, quod caput petere solet, & viscera reliqua lædere. Si verò nullo modo vena secari possit, cucurbitæ scarificatæ conueniunt, fiet verò scarificatio primò in suribus, deinde in natibus, postea in dorso, quia corpus plenum cùm sit, & cucurbitæ tam validè trahant, reuocanda est plenitudo in partes distantes à principibus, & nullo modo versus illas trahenda. Quod præceptum præcipuè obseruabitur in pueris, quibus non licet venam secare, aut loco cucurbitarum E cum scarificatione poterunt hirudines basilicæ venæ, aut communi affigi, & sanguinem ducere, semper tamen plus sanguinis educetur in continente perpetuò crescente: deinde in eundem tenorem seruante, vt Rasis in huius capitis explicatione notauit. Notat tamen quod si accidat fluxus sanguinis ex naribus, non supprimatur, nisi tanta sit euacuatio quod syncopis appropinquet; quibus iuxta mentem Gentilis non admittitur sanguinem tantum euacuari per nares, vt linquantur animo, sed antequam deliquium prehendat, sisteodus est fluxus: quia etsi quando nos euacuamus, ad deliquium euacuare sit licitum, hoc tamen naturæ permittendum non est, quia sectio, & euacuatio ab arte facta quando volumus sistitur, id verò in euacuatione à natura tentata fortassis non erit possibile, & inde antequam deliquium adueniat, sisteodus est fluxus narium.

Aliam rationem insinuat Gentilis, quæ mihi non probatur, iam verò latissimè diximus in cura febris ardentis quæ circa sanguinis fluxum ex naribus notanda sint.

Sanguine misso iuxta indicationes relatas, commendat author naturæ lenitionem, & præcipuè si ob aliquam causam sanguis non trahatur, aut non in quantitate conueniente, oportet enim aliis auxiliis noxios humores educere, & quia vt dixi ob sanguinis feruorem magna pars eius bilescit, oportet leniente medicamento bilem præternaturalem educere secundum modum (inquit) in causone traditum, in quo casu celebris est porio parata ex hordei, violarum, florum maluarum, & prunorum decocto cum ℥. ij. pulpæ tamarindorum, aut serapium regium cum eodem decocto, aut serum lactis caprini cum tamarindorum medolla, aut optima manna cum eodem sero, aut iure pulli cocti cum hordeo, violis, & floribus vtriusque buglossæ, de quo latè diximus in cura causonis, estque doctrina Pauli cap. 13.

SECTIO VNICA.

De attemperatione, & potu aquæ frigidæ.

ATtemperantia & feruorem reprimentia inanito iam corpore vtilissimè dantur; vnde dicit Auicenna: *Et regimen sit cum his quæ aperiunt, & incidunt, & sedant ebullitionem.* Circa quod notabitis, non implicare quod humores lenti & crudi corpus obstruant, & inde sanguis ferueat aut putredinem concipiat, in quo casu aperientia, deobstruentia, & incisoria conueniunt, ad crudorum & lentorum, crassorumque incisionem, & attenuationem, & detersionem, cauendo nimis frigida ob eandem rationem, ne magis impingantur humores crudi. Sic Auicenna *in hoc cap.* loquitur. *Mundificatio autem fiat cum soluentibus choleram, secundum responsionem necessitatis, & virtutis, & debilitatis cum digerentibus humorem crudum, quoniam fortasse ipse est causa in putrefactione sanguinis: si verò sanguis seipsum obstruat ob copiam, nullum auxilium citius, & securius deobstruit, quàm cita sanguinis euacuatio, & nimia: si verò sanguis biliosus, subtilis & feruens sit, quæ aperiunt, & extenuant importunè imperantur, si valida sint, cum maximo incommodo, quia feruorem intendunt: frigida verò etsi extenuent, aut incidant, securius conceduntur, nisi constet clarè quod sanguis præter modum sit biliosus, & tenuis, tunc enim moderatè astringentibus, & frigidis, aut quodam lentore incrassantibus feruorem reprimere authores conantur, ne caput petat, & totum replens vaporibus, & rarefactione suffocet.* Præbet Auicenna ad comparandam sanguinis crassitiem, feruoremque reprimendum, rob. iuiubarum: sumit enim iuiubas centum, & eas decoquit in lib. quinque aquæ donec remaneat pars tertia, & saccharo inspissetur; notat tamen quod quantò plus saccharum minoretur, tantò erit melius prædictum auxilium. Ratio est, quia in bilem mutatur, & præterea detergit, & extenuat, vnde quando sanguinem incrassare cupimus, conueniens esse non potest: præberem ego in dicto casu decoctum iuiubarum, violarum, & florum nenupharia, cum succo granatorum acidorum, & sacchari momento, aut iulep. paratum ex aqua pluuiali limpidissima, cum aqua rosarum rubrarum per alembicum extracta, & serapio de acido citri, aut limonis cum puluere margaritarum, aut chrystali, aut electuario de gemmis sine speciebus, & si nimia putrilago sanguinem contaminet vt in continentibus solet, aqua pluuia auri frusto chalybeabitur vt plus siccet. Lentes etiam author imperat cum aceto forti præparatas, à quibus cauendum puto, quod praui

A succi & nimium astringant, nec intima penetrent ob astrictionem, & partium crassitiem tam promptè, vt tanti ardoris extinctio requirit. Rasis tamen sic loquitur. In hac febre ea quæ sanguinem reprimunt, magis sunt danda, sicut rob. quæ fit de succo vuæ acerbæ, & de acetositate citri, & ribes, & acetum, & malum granatum, est tamen diluendum nimis rob. de succo agrestæ ob similia incommoda de lentibus dicta, quia nimis astringit, licet non vt lentes; opus est tamen perito Medico vt agnoscat exquisitè quod ob nimiam tenuitatem, & feruorem febris eueniat, & simul quod non sint obstructiones à crassis & lentis succis, quæ vsu astringentium rebelles fiant, & febris deterior, ob quod securior praxis est frigidia non astringentibus feruorem **B** reprimere, vt serapiis limonis de acido citri, acetoso simplici, endiuiæ & condrillæ, cum aqua buglossæ, oxalidia, endiuiæ, scariolæ, lactucæ, fragorum, & sonchi. Ex quibus apozemata largiora concedentur, & niue, aut alio modo infrigidata, sæpiusque repetenda vbi incendium magnum fatigat, præsertim in continuò crescentibus, notando semper ne quando alimentum coquitur tribuantur, sed iam finita coctione; & quia sanguis quando putrilagine afficitur, in serum corruptum degenerat ob humiditatem superfluam, optimum est per vrinam naturam inclinare, vt illum serum fœtidum, & prauum deponat, in quem vsum decoctum radicum graminis, rumicis, & seminum frigidorum optimum est: aut ex dictis seminibus lac extraheior, & tres vnciæ lactis cum largiori decocto radicum graminis rumicis, liquiritiæ **C** recentis, & adianti viridis cum saccharo albo propinabitur. Semper etiam vbi putrilago sanguinis ob superfluam humiditatem fœtida nascitur, infrigidare, & siccare conuenit acidis auxiliis, quæ sordidæ putredini efficacissimè obstant, in quem vsum multi cum apozematibus dictis guttulas optimi olei vitrioli propinant. Sunt verò iniiciendi solùm quæ ob suam aciditatem gratum saporem concilient, mirum enim est quàm strenuè sanguinis putrilagini resistant, & ex accidenti attemperent, quatenus celerrimam potionum distributionem efficiunt, nec in tam parua copia cum aliis rebus permixtæ inflammantur, & sua impetuosa penetratione obstruentes humores exagitant & commouent; nam si humores habitus sanguinei adhuc naturaliter hircum redolent, teste Galeno. 8. *method.* quid expectandum si ob **D** humiditatem superfluam sanguis eorum putredinem concipiat, & qualiter fœtor, & putrilago illa nisi acidia, & siccantibus, & interdum leuiter astringentibus cohiberi poterunt.

Vnde mihi non placent authores inter quos est Massatiss sine discrimine infrigidantia, & humectantia in huius febris medela consulentes, cùm frequentius sanguis ob superfluam humiditatem putrilaginosus, & sordidus, madidus ac velut dissolutus, cum summo tetroque odore reddatur, quæ sine siccantibus cohiberi nequeunt. Eadem indicatione ad sudores præparandum est corpus, & danda interdum ad eos in[illegible]nanria, quia sanguinis serum corruptum, & superfluus humor per eam speciem euacuationis optimè, & facilè educuntur; **E** vt si in potionibus medicatis aqua buglossæ, papaueris rubri, & florum chamemali, & cardui benedicti misceantur; sed est hoc discrimen, quod vrinam ducentia statim à corporis euacuatione iam satis facta concedi possunt; quæ verò sudorem mouent coctionem requirunt, quod crisim, & euacuationem abundantem promoueant, & corpus exagitent, quod in vrinam cientibus non datur, & per hanc partem semper fere consueuit natura quæ putrida omnino sunt & inemendabilia educere, præcipuè si formam liquoris induerunt antequam concoquat totam morbi materiam, & crisim eius tentet: terminari verò aliquando febres continentes per sudorem sponte à natura tentatam, Galenus docet 9. *method.* estque indicium sanguini putrido, & humidita

humiditate madido familiarissimum, præsertim quando ichores totius sanguinariæ massæ concipiunt putredinem, & continentem causant: imo putauit Heurnius solas pestilentes continentes ex sanguine ipso putrefacto creari, alias verò salubres ex ichoribus sanguinis oriri: Videtur enim impossibile (inquit) quod si tota massa sanguinaria in toto corpore, & præcipuè in vasis quæ sunt inter inguina, & alas, putrescat, vitam seruari posse, nec intra quartum diem salubriter determinari, si tanta & per totum corpus sparsa fuisset in succis alimentalibus putredo.

Aliud celebre auxilium continentibus succurrens est copiosus potus aquæ frigidæ, vt Galenus docuit *9. method.* & Auicenna *in hoc cap.* dicendo: *Et sumere in potu aquam frigidam si non fuerit quod prohibeat*: estque communis Medicorum consensus. Galenus verò *9. method. cap. 5.* diuersam occasionem venæ sectioni, & frigidæ potui dicauit, dicendo; *Maxima vero continentium febrium remedia hæc duo sunt, detractio sanguinis, & potio frigida: verum illa nullo non tempore, modo vires sustineant, hæc cùm & in pulsu, & vrinis concoctionis evidentes cernuntur notæ, febris autem est maxima.* Vbi diligenter notanda est conditio quod sit febris maxima, quasi dentur continentes quæ maximæ non sint. Et rursus notabitis, quod euidentes coctionis notæ coniunguntur à Galeno cum febre maxima, vt inde constet quam clarè eius doctrinæ refragentur, putantes quod non coincidant signa coctionis cum magnitudine febris: quod verò requirat ad dandam aquam frigidam coctionis notas, pendet ex eo quod à potu illo sequitur euacuatio critica, aut per sudorem, aut deiectionem, aut vomitum, vel per omnes has euacuationis species: & vt ad crisim optimam coctionis signa requiruntur, ita ad dandam copiosè frigidam, vt propriè dicere possitis, in ea potione includi vim medicamenti expurgantis, cientis sudorem, & vomitorij. Vnde vt naturam adminiculantem habeamus, relatis euacuationibus dandus est potus quando non retinet; cessat verò à retentione postquam concoxit. Vnde constat quod occasio dandi frigidam est diuersissima ab ea in qua sanguis mittendus est, quoniam venæ sectio statim in principio conuenit, non verò frigidæ potio, & vbi coctio præcessit, conuenit potius frigidus potus, & non ita sanguinis missio. Constat ex Hippocrate *2. aphor. text. 29. Inchoantibus morbis si quid tibi videtur mouendum moue. Dum verò consistunt & vigent, quiescere melius est.* Quem textum Galenus exposuit, quod in vigoribus quiescendum sit, non ab omni auxilio, sed à missione sanguinis, & expurgatione. Vnde constat, quod in vigore in quo coctionis notæ inueniuntur, & febris est maxima, detur optima occasio ad frigidæ potum, quando non datur ad mittendum sanguinem, aut expurgandum. Nec inde rectè deducas, quod si expurgatio non conuenit, nec potio frigida conueniet, si vim expurgantis medicamenti, aut eius vices supplet; est enim ratio dispar, quippe in vigoribus est ob incendium expurgationi magnum obstaculum, quod Hippocrates *lib. de medicamentis expurgantibus* retulit, nimirum quod carnea calidæ & vrentes medicamentum absumunt, & nihil purgatur, & sequuntur inconuenientia ibi relata, quæ per frigidæ potum euenire non possunt; nam cùm tota periculi ratio consistat in calore carnium, & viscerum, quo trahunt ad se quicquid medicamentum commouet, & ille per potum copiosum frigidæ potius temperatur, & non commoueat aliquid, sed robore inducto naturæ noxiorum expulsionem tentet, hinc securissimè datur, & cum magno naturæ solatio, quia intemperiem emendat aqua, aut colliquari, aut in hecticam permutari, vel humores omnino corrumpi periclitatur.

Hinc deducetis methodicè dari frigidum potum in eadem occasione in qua iudicia morborum natura tentat, nempe quando concoxit, non tamen remissa fuit fe- A bris, idest antequam vniuersalis declinatio appareat, quia vt Galenus docuit *lib. 3. de Crisibus, cap. 5.* morbi qui in suo vigore iudicati non fuerunt, & iam declinant, lenè per resolutionem finiuntur sine crisi; sic frigida potio danda est quando natura concoxit: apta tamen est vt crises efficiat, cùm ab eo potu tot euacuationes promoueat. Ratio est, quia si quando magna & grauiter molestantia symptomata naturam lancinabant, nec tentauit eorum expulsionem, minus eueniet naturæ incitatio, quando minora sunt, & minùs molestant. Accedit quod tanta aquæ frigidæ copia non potest dari, si iam inclinauerit febris, quia non est æqualis intemperies tam magnum remedium indicans.

Non tamen putandum est, nunquam dari posse, si B coctionis signa non sint: sæpe enim tam grande incendium fatigat, quod ob vrgentiam suffocationis, aut colliquationis, vel corruptionis malignæ, aut permutationis in tabem, nondum coctionis signis apparentibus, vtilissimè detur. Est expressa Galeni sententia *10. lib. method. cap. 6.* vbi in laborantibus phlegmone, quibus *9. method.* (vt post videbimus) eum potum denegat, dandum esse docet, quando propter incendium, & corporis dispositionem tabem incurrere possunt. Verba sunt: *Ego enim talium quoque non paucis dedi, tutius esse ratus phlegmonas in præsens augere, quam sinere hominem hecticam febrem incurrere*: idemque *eodem loco* de humorum putredine docuit, & id *in communi methodo* docuerat, quando vrgentiori prius succurrit: & *cap. 5. libro 10. methodi* historias tradit eorum, quibus statim à C primo febris insultu gelidam, ne in tabem inciderent, propinauit. Vnde si in diatils ob corporis dispositionem ad cadendum in hecticam dedit statim gelidam, & initio accessionis cibauit, vrgentiori ratione idem in continentibus, & ardentibus efficiendum est, quando aut incendium est magnum, & intolerabile, aut corporis dispositio aptissima vt colliquetur, & hectica adueniat.

Est tamen notanda Galeni doctrina *9. methodi, cap. 5.* docet enim, quod si sanguinis missio facta non fit, & nunc quoque quando medicus vocatur, aut propter aliorum medicorum ignorantiam, vel ipsius ægroti timiditatem, aut propinquorum, sanguinem mittere pro- D hibeant, ad frigidam exhibendam (inquit) accedes. Vbi insinuat quod detur potio frigida quando sanguinis missio celebranda erat, si aliquam ob rationem impediatur, ac per consequens esse velut substitutum missionis sanguinis. Verùm si attentè legantur quæ tradit inferius, constabit ita non esse, cùm doceat nociuam esse eam potionem quando humor putridus non concoctus incommodat, & inde si sanguinis missio prætermittatur, & non vrgeat incendium, modis iam dictis coctio vt detur expectanda erit; probabile tamen est ob prætermissum auxilium tam celebre vrgere statim incendium, & suffocationis periculum, & per consequens danda erit potio tempore cruditatis.

Est tamen dubium si ob vrgentiam in principio vniuersali detur, liceat postea sanguinem mittere. Respondet Horatius Augenius non licere, dicit enim quod ve- E næ sectio & potus frigidæ non sese compatiuntur inuicem, vt Galenus docet *9. method. cap. 5.* vnde si inchoante ardentissima febre conuenit statim frigidam dare, non poterit huic febri venæ sectio conuenire. Quæ solutio & doctrina mihi falsa apparet; nam si data potione non eradicaretur febris, vt est verisimile, quia datur in vniuersali principio, temerarium esset à sanguinis missione cessare, cùm remedium tam celebre sit pro ardentibus febribus, nec video quid ponat potio frigidæ venæ sectioni repugnans, vt post eam nequeat celebrari, maléque Galeno imponi quod venæ sectio & frigidæ potio in febre eadem non se compatiantur, cùm in eadem numero febre vtrumque auxilium commendet. Discrimé solum erat quod venæ sectio non requirat coctionem,

ctionem, imo eius principalior occasio est vniuersale principium, potio verò coctionis notas requirat; vnde quando datur in principio ob vigentiam, & febris non cessat, si constet virtus, secabitur vena cum maximo commodo. Quod si dicas esse posse tantam cacochymiam quod sanguinis missio noxia putetur, & ita indicabitur potio, post quam non licebit venam secare, nec hoc negabimus, non est tamen perpetuum quod detur semper frigida in principio vniuersali ob cacochymiam venæ sectionem omnino impedientem, sed ob summum incendium & implacabilem sitim, quæ à feruente sanguine & multo euenire possunt, cui venæ sectio vt adæquatum auxilium dicatur.

Quod si dicas in hoc casu non esse cessandum à venæ sectione in vniuersali principio, & si fiat, aqua non conueniet; contra est, quia si venæ sectio ob aliquam causam fieri nequeat, danda erit potio si febris vrgeat, vt si magnum incendium cum cardialgia molesta ob adustam bilem, aut sanguinem vstum in ventriculum fluentia coniungatur, quibus symptomatis frigidæ potio succurrit, & sectio venæ nociua putatur. Et constat, quia vtrumque auxilium conuenit in ratione communi attemperandi, & destruendi calorem; & in se quando vrget incendium, & magis ob vstionem quàm ob copiam, & mordetur ventriculus, indicabitur potio frigidæ in morbi principio: est quod in vigore summo si detur obstaculum ad dandam frigidam, possit vtilissimè vena secari ad attemperationem, & ob alias indicationes, vt in communi methodo diximus; & ita vt celebratur sectio venæ quando frigida potio conueniebat, ita hæc imperari poterit vbi vrget incendium, euacuari tamen non potest per venæ sectionem. Illud tamen notabitis, quod si à venæ sectione quando datur cocta iam causa, necessariò sequitur alui fluxio, vomitus, aut sudor, optimum consilium est quod datur in die iudicatorio, vt felicior euadat euacuatio quælibet à natura tentata: habetque hoc insigne hoc genus auxilij, vt nulli iudicationi obstet, confert enim omnibus, quia non inclinat ad iudicium, nisi quatenus naturam ob incendium debilem instaurat, & succos attemperat, viasque dilatat & emollit. Constat verò ex dictis quod in vigore vniuersali si ob aliquod inconueniens frigida nociua putetur, poterit loco eius venæ sectio substitui, & econtra in principio vniuersali si secari vena non possit, vrgeatque incendium, poterit frigida dari, licet illud sit securius quàm hoc; quæ verò requirantur vt sine notabili noxa frigida propinetur, ex Galeno suscipite 9. *methodi, cap. 5.*

Iam diximus requiri magnum incendium & coctionis signa; illud requiritur simpliciter, quia tam magnum auxilium non nisi à magno morbo potest indicari; coctionis signa non sunt simpliciter necessaria (vt docuimus) si vrgeat incendium, sin minus expectanda sunt vt iudicium sequatur. Obstat etiam nimis frigidæ potioni copia crudorum & lentorum, siue hi (inquit Galenus) obstructiones, siue putredinem, siue phlegmonem, siue qualis erysipelas, aut schirrhus, aut ædema est, affectum creauerint: eos enim digeri attenuarique prohibet. Et quamuis data aqua videatur ad præsens non paruum afferre leuamen, verùm cùm causa febris ob crassitiem & lentorem euacuari non possit, aliam de nouo accendi necesse est, atque eâ quæ præcessit nonnunquam difficiliorem, eo quòd densatum ex frigida corpus est, & hæc est, inquit Galenus, vna species noxæ non contemnenda.

Obstat etiam frigidæ potioni multitudo partium debilium, siue à natali, siue postea debilitatem contraxerint; alij namque gula adeò vehementer est affecta, vt vix deglutiat: alij ventriculus sic, vt vix concoquat, alij ipsum ventriculi os aut iecur, aut colon, aut pulmo, aut septum transuersum, aut renes, aut vesica, aut tale quippiam aliud à frigida percussum ad pro-

A prium opus infirmum est redditum: nonnulli autem ex intempestiua, immodicaque eius potione, non multo interposito tempore, sed illico, difficultate spirandi, & conuulsione, & tremore corripiuntur, ac toto vt semel dicam neruoso genere læduntur. *Quibuscumque enim in principe particula tumor aliquis ex phlegmones, ædematos, aut schirrhi genere consistit, iis frigida offerre non oportet, sed nec iis quibus obstructio putrida, vt humor non concoctus incommodat; quod si euidentes percipis atque iam dictis tumoribus concoctionis notas, illud dumtaxat æstimabis, sitne pars aliqua temperamento adeo frigido, vt in hanc noxam procumbat. Porro erysipelas quod verum erysipelas sit, non aliter sanaueris, & si mistum cum phlegmone sit, in hoc concoctionis expectandæ sunt notæ.* Hæc Galenus, quibus addit vt securissimè detur, si æger frigidæ potui fuerit assuetus, quippe si per bonam valetudinem nullam noxam in visceribus sensit, minus eam percipiet quando ardente febre cruciatur, cùm calor tantus sit ei pro munimento contra noxam ab aqua inferendam. Timet etiam Galenus tam copiosum potum si corpus sit gracile, quod primo occursu substantiam neruosam pertingens offendat vehementer, & celeriter ad partes solidas distributus nimis lædit, nolli quod eius frigiditatem frangit occurrens; quo fit vt hecticæ febres nec perinde eam quæ prorsus sit gelida, nec multam desiderent, eò quod extenuatis omnino, exiguique sanguinis corporibus incidant; hæc sunt requisita, vt sine notabili incommodo frigida detur. Legite pulchram historiam *lib. de*

C *consuetudinibus, cap. 1.* vbi Galenus narrat qualiter ille Aristoteles frigidæ potu animam egit, ipse vt summus Philosophus seipsum agnoscens, talem potum sumere recusans, erat enim debilissimi ventriculi, & gracilis, & potui calido assuetus. Addit Auicenna, quod quandoque permutatur febris continens, aut ardens; ad phlegmaticam vi frigidæ potionis, cuius permutationem non semel data aqua, sed repetita tentat Rasis *lib. diuision.* in curatione huius febris: quomodo verò talis eueniat permutatio *in communi method.* diximus; receptissimum enim est ob immoderatum vsum auxiliorum in contrarium lapsum ægros incidere, vnde nil mirum si repetitus tam copiosus potus, & tam algidus, ardentem febrem extinguens, totam massam sanguinariam infrigidet; & cùm obstructiones non solùm per frigidæ potum non auferantur, sed vt motis est geminentur, aut

D pressiores fiant, occasio manet putredinis nouæ, sed in materia crudiori, & pituitam æmulante, quod securius est quàm febre vrente, & periculosa colliquari, & perire.

Quantitatem potionis Galenus exposuit dicendo, quantum vno haustu bibere possit, nam cum auidissimè expetatur, non leuis copia ingeretur. Author noster dicit: *Et fortasse sumitur in potu donec tremere faciat, & satiet.* Est verò bibenda intrepidè, non paulatim, ob duo: & quia minus in lento transitu caleat, & minus etiam gulam oblædat, paulatim quippe descendens, diutius non dubiè alteratur, & læditur, cuius oppositum per sanitatem exequendum est, vt docuit Philosophus 1. *sect. problemat.* 57. non enim intendimus nisi

E gulæ & oris siccitatem corrigere, & humiditatem ingerere, qua ab alimentis succus extrahatur & elixatio fiat, quæ melius euenient, si lentè aqua bibatur.

Est verò data aqua diligenter obseruandum si aliquod viscus aut pars læsionem persenserit, vt ei ocyssimè auxiliemur, ne habitualis noxa fiat, & si in prima regione detineatur (quod inflatio & distensio monstrabunt) vomitus imperabitur, qui indicatorius esse solet, & simul impedietur ne prima regio à tanta copia aquæ frigidæ læsionem, & debilitatem contrahat: sic etiam ad mouendum sudorem æger quietus & coopertus detinebitur, semper tamen aquæ miscebitur, quod vehiculum sit, ne in hypochondrio detineatur, vt acetum album optimum, aut olei vitrioli guttula: eligetur verò aqua

aqua subtilissima ob eandem indicationem, & vt facilius sudor prouocetur; si verò semel percipiatur circa A ventriculum detineri, motio corporis, & digitorum in os intromissio vomitum concitabunt.

Tandem notandum est, quod dixit Galenus ita. *Porro erysipelas quod verum sit erysipelas, non aliter sanaueris: at si mistum cum phlegmone sit, in hoc concoctionis expectandæ sunt notæ.* Quibus clare docet, veri & exquisiti erysipelatis calorem tantum esse, quod statim sine coctionis signis tantum remedium indicet, vt ad potum frigidæ, coctio materiæ expectanda non sit. Constat clarè eius mens cùm dicat; *at si mistum cum phlegmone sit, in hoc concoctionis expectandæ sunt notæ*; quod frustra diceretur si in solo erysipelate coctio requireretur: notanter verò dixit, si verum sit erysipelas, aliter B sanari non posse, quia in eo quod verè tale non est, negauerat antea prædictum auxilium dicendo; *siue y obstructiones, siue putredinem, siue phlegmonem, siue qualis erysipelas, aut scyrrhus, aut œdema est*: loquebatur enim de humoribus crassis & lentis: at inferius de vero, & exquisito erysipelate à bile sola feruente, & putrida, aut à sanguine subtili & tenui, vt *lib. de tumor. præter naturam c.9.* docuit & a *ad Glauconem, cap.1.* sic loquitur: *Quod si ex sanguine, & flaua bile calidioribus quàm oporteat mixta fluxio fuerit, vel ex sanguine quidem, sed feruescente, & tenuissimo secundum substantiam, erysipelas p[...]sio vocatur, multo inflammatione calidior, &c.* Est verò intelligendus Galenus, non quod curatio erysipelatis viscerum (de hoc enim loquitur, non de externo) à potione frigidæ statim sit inchoanda, prius enim vena non dubiè secanda est, vt *4 acut. com. 21. & 22.* clarè in- C sinuat. Misso ergo iam sanguine si, viscerum erysipelas suam prauitatem non deposuerit, danda est frigida ad satietatem, vt viscerum phlogosis remittatur; si verò verum erysipelas cum inflammatione coniungatur, coctio speranda est, non quia inflammatio potum frigidum ad satietatem indicet, sed erysipelas ei adiunctum; quia verò ob eam copulam vrget minus, & inflammatio non cocta mortalis redderetur à frigidæ potu, inde coctionem vt potus propinetur exposcit Galenus, de quo *tract. nostro de malignis erysipelatibus* fusè egimus.

Tandem dicit author; *Et scias quod esse contentus in frigidatione, & dimittere phlebotomiam, & solutionem ventris*; addit in oppilatione, & coarctatione, quare additur putredo, & caliditas in reliqua dispositione. Iis verbis vsum frigidorum assiduum vt in eis tantum spes sa- D nationis reponatur, vituperat, quia cùm plenum sit corpus obstructum, & fuliginibus multis & crassietibus obrutum, & frigiditate auxiliorum viæ occludantur, humores densentur, & inde calor vitalis amplius suffocetur, omnia in deterius mutantur cum magno ægrotorum periculo; nam non mittentes sanguinem in hac febre iis verbis carpit Galenus *9. method. cap. 4. ad finem. Etenim hoc præsidio omisso, qui ita febricitant, in summum discrimen veniunt, nisi eos vel virium robur, vel largum sanguinis profluuium, vel sudor copiosus ex manifesta pernicie eripiet, &c.* Huic ergo errori alio superaddito ob indexterum vsum & assiduum infrigidantium, mirum erit si aliquis euadere possit, nisi febris non ita ex E multo sanguine & obstructionibus pendeat, vt à bilioso & vsto sanguine: in quo euentu securitate maiori frigida concedentur, vt notauit Auerroës.

Reliqua in textu adducta facillima sunt, expositione non egentia: solùm notabitis quod iuiubas & lentes author commendat in victus ratione, quod est intelligendum quando sanguis biliosus, & subtilis extiterit; incrassant enim illum, & attemperant, nec de iuiubis, & lentibus in alio casu intelligi potest adducta doctrina: quod in textu author antea notauerat dicendo: *Et caue ne des in potu rob. iniubarum, aut corpus lentium, materia existente crassa.*

A

CAPVT XLVII.

De febre phlegmatica.

NOMINE febris phlegmaticæ intelligitur quæ ex pituitæ putredine pendet, siue quotidie repetat, siue per longiora interualla: docuimus enim quemlibet circuitum à quolibet humore posse creari, & inde febris phlegmatica nihil aliud rigorosè dicit, quàm calorem præter na- B turam à putredine pituitæ ortum; quia verò nullus humor frequentius quàm pituita quotidianos circuitus parit, definitur hæc febris quod sit ea, quæ pendet ex causa quæ iuxta propriam naturam quotidie repetit; ego verò limito adductam rationem, nempe quod iuxta propriam naturam quotidie frequentius repetit.

Dicit ergo author, quod febris hæc *aut est paroxysmalis, aut continua; & qualibet habet sua tempora, vt habent reliquæ febres, coctionis scilicet, & cruditatis, per quæ vniuersalia tempora significantur*; dicitque: *Et minor horarum sui principij secundum plurimum est octodecim dierum, & eius exaltatio in pluribus est intra sexaginta & quatuor dies.* Dixit meritò *secundum plurimum*, quia perpetuum non est, sed frequentius: longitudo verò illa à crassitie, lentore & frigiditate pituitæ nascitur. Putant C verò Authores, quod sit longior quotidiana intermittens ad continuam comparata, vt continua sit breuior, & per consequens si intermittens vt eradicetur 64. dies requirit, intra 40. dies continua terminabitur, quod mihi non probatur absolutè; quippe continua maiorem copiam pituitæ, maiorem obstructionem, corpus minus perspirabile & debilius significat. Vnde cùm idem sit humor vtrobique, eadem etiam capacitas ei inest, vt coquatur à natura. Accedit quod intermissio plurimum facit vt materia morbi facilius superetur, quia in ea minus patitur calor natiuus, cùm febrilis non detur: tum etiam, quia negari non potest quod pars affecta pituitam creans non sit plus læsa, quando materiam continuam febrem efficientem generat, quàm si intermittat, cum maior copia pro continua requiratur; nec potest ab aduersariis probabilis ratio adduci, cur intermittens D longior esse debeat in ordine ad salutem, licet in ordine ad mortem satis sit manifesta, cùm plus & grauius naturam molestet. Putandum ergo est quod cæteris paribus longior debeat esse continua, si ad salutem terminanda est, possunt tamen esse aliæ conditiones ex parte virtutis, densitatis, aut raritatis corporis, aut speciei humoris, quæ intermittentem longiorem reddant, & continuam breuiorem, & è contra: nec circa hoc tempus est contendendum, nec minus circa explicationem durationis temporum, & eorum comparationem; sunt enim omnes ij sermones arbitrarij, vt doctè *in huius capitis expositione* Gentilis notauit. Et mihi videtur, quod tempus principij vniuersalis, & augmenti, sit longis- E simum in hac febre, si ad vigorem & declinationem vtrumque comparetur; nam cùm calore natiuo debeant crudi succi emendari, & corrigi viscus distemperatum, sitque in morbi initio magnus excessus frigoris, tam in pituita, quàm in parte illam creante, magna datur in eis resistentia in principio vniuersali, & augmento, & maior multò quàm in vigore, & declinatione, & inde mirum non esse quod principium vniuersale sit longius reliquis temporibus, si cum quolibet conferatur, estque diuersa ratio conferendi tempora in hac febre; quia in ea non solùm datur humor coquendus vt in aliis, sed etiam calor natiuus magnam extinctionem patitur ob causæ frigiditatem, & inde quia in principio vniuersali datur maior extinctio, & humor est frigidior, plus re-

sistis

sistit signis coctionis manifestæ, quàm resistat à manifestis vsque ad perfecta, vt proportio temporum quæ frequentius à Galeno obseruatur in *lib. de Cris.* sit vera, vbi non datur tam perspicua extinctio vitalis caloris, vt in quotidiana.

Dicit deinde Auicenna. *Et saluior earum est illa, quæ est mundorum teporum, & præcipuè illa quæ est multi sudoris.* Rationem reddit dicendo; *significat enim subtiliationem materiei, & paucitatem eius, & raritatem corporis.* Per teporem intelligit declinationem cum intermissione: videbimus enim exponendo signa, quod vestigia febris raro deficiunt in quotidiana, etiamsi intermittens sit. Dicit ergo, quod si intermissio sit purior, erit etiam securior, quia significat subtiliorem materiam, & copiam minorem, & raram corporis texturam, quæ ad breuiorem iudicationem conducere notum satis est.

Verùm quod in adducta sententia difficilius apparet, est quod de sudoribus dicit, nimirum quod multus sudor paucitatem materiæ significet; nam si sudoris materia est materia morbi, si sudor multus est, nequibit morbi materia esse pauca; non ergo multus sudor aliud quàm multam materiam innuere potest. Refragatur etiam doctrina Auicennæ authoritati Hippocratis 4. *aphor. text.* 50. dicentis: *Febricitanti sudor superueniens febre non deficiente malum; prorogatur enim morbus, & multam significat humiditatem*; non ergo paucam, vt author noster putauit: multò minus sal[...]or esse potest, si sudor multus statim appareat, imo eo ipso periculosior est iudicanda. Constat ex Hippocrate 2. *epid. sect.* 1. *text.* 9. dicente; *Iudicatoria non iudicantia, partim mortalia sunt, partim difficilis indicationis, &c.* Non ergo sudor copiosus statim apparens salutem, aut securitatem maiorem quàm si non appareret significare poterit, quin potius aut mortem, aut iudicium difficile, quod recidiuas inducit, & morbi longitudinem, ita vt difficillimè febris soluatur; ergo nec securitatem, nec morbi breuitatem significat abundans sudor statim apparens, de quo legatur Galenus 3. *de Cris. cap.* 5.

Herculanus dicit, quod author loquatur de sudore copioso post signa coctionis excitato, quod mihi non probatur, quia vt dixi in ratione dubitandi, non potest multus sudor paucam morbi materiam significare; melius ergo intelligitur quod loquatur de materia remanente post sudorem multum, quia si multa per illum educitur, manebit moderatior interius pro reliquis accessionibus, & ita etiam morbus finietur. Optimè etiam exponitur author, si solùm intelligatur de sudore in purioribus intermissionibus, ita quod sudor multus absolutè non significet paucam materiam, & febrem saluiorem, sed ille solus qui cum pura intermissione datur. Ratio est, quia significat tenuiorem materiam, serosam, & paucam, & hoc indicat purior intermissio: quomodo verò multus sudor paucitatem materiæ interdum innuat, audi; potest enim pauca materia in copiosum sudorem resolui, quia tota apta sit vt in sudorem mutetur. Id verò contingit in vniformi & serosa: ergo vt ex pauca aqua fit multus aër, & ex pauco aëre multus ignis, ob raritatem magnam, quam tales permutationes requirunt, sic quia omnis sudoris materia extenuanda, rarefaciendaque est, si tota in sudorem vertatur, multus emanabit sudor, etsi materia ex qua fit, multa non sit: fieri verò copiosum sudorem ex pauca materia ex nullo meliùs Medicus deducet, quàm ex puritate intermissionis, quippe si multa esset materia antecedens, etiamsi sudor copiosus excitaretur, non eueniret intermissio tam pura.

Nec sententiæ Hippocratis obstant, cum raros casus semper admittant, nec intelligi debent nisi de morbis quibus ex propria idea sudores non competunt; tertianis verò, & quotidianis intermittentibus familiaris est sudor in fine accessiunum, in quibus in morbi principio eueniens non potest esse signum mortale, aut iudicij difficilis, quia talis totius morbi decretorius non est, sed accessionis tantùm particularis, quam si optimè finiat, vt quando perfectè intermittit sine vestigiis febris, optimus erit, & eius accessionis perfecta crisis, quia omnino eam eradicauit. Loquitur ergo Hippocrates *in epidemiis* de sudoribus, aut aliis euacuationibus, quibus mediis totius morbi expulsionem natura tentat; non de illis qui ideæ morborum in particularibus accessionibus familiares, & analogi sunt. Et quia teste Galeno, quod sudore finiatur accessio quotidianæ infrequens est, ideo si sudore copioso intermissio perfecta fiat, arguit tenuitatem materiæ, virium robur, & corpus minus obstinctum & perspirabilius, conducentia omnia vt quotidianæ constitutio breuior sit.

Dicit deinde, *quod longior pars huius ægritudinis est augmentum, quamuis eius declinatio iterum sit longior, vt in plurimum, declinatione tertianæ.* Quæ doctrina intelligenda est de augmento particulari, estque doctrina Galeni 2. *de differ. febr. c.* ... dicentis; ea incipit ex frigore partium extremarum, atque horrore potius quàm rigore, difficulter accenditur, longumque obtinet incrementum ad ipsum consistendi vigorem, quia humor ipse ex quo consistit, frigidus, atque humidus est temperamento, & glutinosus, & ita difficulter accenditur, & tardè mouetur, sæpe in ipsis meatibus hærens: Et inferius, igni fumoso lignorum viridium calorem pituitæ Galenus comparauit, & ita est etiam rationi consentaneum, vt febrium pituitæ inclinatio longior multò sit declinatione tertianæ exquisitæ. Norat tamen Galenus *loc. cit.* quod intermissionis tempus in quotidiana est minus purum & liberum à putredinis nota quàm in tertiana; hæc enim, inquit, humorem habet accensu facilem, & promptè expurgatur ob tenuitatem quicquid feruefactum fuit per accessiones, ad integritatem quandam magis putam desinit, & post accessionem exiguum vestigium caloris putridi relinquere, eam verò quæ ex pituita consistit, nec integrè purgari per inclinationes accessionum, nec exiguum quod veluti succendatur relinquere: inde ergo efficitur & intermissio multò deterior, & secundæ accessionis maturius principium. Quæ vltima verba maximè notabitis, vt perspicuè intelligatis quotidie repetere, non pendere solùm ex determinata resistentia ad putredinem, quippe si hæc sola attenderetur in pituita, multò difficilius quàm bilis accenderetur, cum sit frigidissima, & humida. Est ergo causa principaliter breuioris repetitionis, quod in ipsa intermissione calidius corpus permaneat, & multum semiaccensum relinquatur, quod ob lentorem & crassitiem resolui non potuit, & inde etiam corpus sit magis obstructum, & per consequens maneat corpus ob dicta magis dispositum vt putredinem citius concipiat, quod ad focum mouetur, & sic quotidie repetitio fiat. Vnde in mea opinione si bilis moueretur ad focum eodem modo dispositum, vt in quotidiana, & pituitosa febre, repeteret bilis non minus quam pituita quotidie, quia inflammaretur facilius; eadem enim proportio est in causa febrem inductura respectu humorum cum ea adducta à Galeno 8. *meth.* respectu corporum; imo corpora calida citius febrem incurrunt, quia calidis spiritibus, & humoribus constant, & per consequens calidus humor ab eadem causa citius inflammabitur, & eius febris citius etiam repetet, quod mihi videtur euidens; & propterea quando bilis in partem aliquam impetuosè mouetur, & in magna copia vt inflammet statim, febrem producit non expectato tertio die, quia magnam obstructionem efficiens, calidas etiam fuligines cohibens, & multas, agens tam citò putrefaciens remanet & coaceruatur, vt non intra tertium diem, sed intra horam putredinem & febrem inducat.

Tradit deinde Auicenna diuersas pituitæ species hanc febrem creantes dicendo; *Et phlegma quidem putridum quandoque est vitreum, & quandoque est acetosum, &*

quandoque

quandoque est dulce, & quandoque est salsum, & tu iam sciuisti qualiter fiat ex salso causon. Notat Gentilis quod ad has species pituitæ, si quæ in earum numeratione deficiunt, reduci possunt; nam pituita gypsea non erat numeranda quia febrem non facit: eur verò eam non faciat, non dicit si putrescere potest, sed etsi putredinem concipere nun implicet, non inducent febrem, quia non est vaporabilis, sed præcipuè quotidianæ author esse non potest, quia nequit moueri; est enim velut tophos intra articulos ob impensam siccitatem indurata, & conclusa, & simul etiam crassissima, vt parum à lapide distet, & inde immobilis vt circuitus creet: ex parte verò naturali species omnes pituitæ, & ipsarum generatio accipiendæ sunt. Constat verò ex dictis *capite de febre ardente*, quod vt aliqua causa febrem ardentem producat, in certo loco putredinem concipere teneatur, in quo si non sit salsa pituita, causus non fiet, sed aut quotidiana intermittens, aut continua.

Adducit tandem Author naturas, & conditiones quotidianæ febris feraces, dicendo: *Et plurimum quidem accidit febris phlegmatica humidis, & quietis, & senibus, & infantibus, & patientibus nausiatiuam satietatem, & exercitantibus, & balneantibus se super repletionem, & habentibus eructationem acetosam, & habentibus repletionem, & fit patientibus catarrhum, & descensum humoris ad stomachum, qui putrefit in eo, & parum* (inquit) *euacuatur a læsione in ore stomachi.*

Humiditas est dispositio ad pituitam, præcipuè si nimia sit, & remisso calori adiungitur, aut distemperiei frigidæ, quam sibi associare docuit idem author *fen. 1. libro primo, doctrina tertia, capite primo*, si humiditas sit superflua, & ita ad febrem quotidianam conducit pituitæ copiam creando. Quies verò immodica corpus cruditis replet, quia excrementa non resoluta calorem suffocant, motione etiam corporis calor ventilatur suo modo & reuiuiscit, ob quod Hippocrates *epid. sect.* .. dixit, ad sanitatem conferre esse ad laborem impigrum; senes verò ob caloris defectum, & exercitij, etiam crudis replentur, pessimè enim alimenta coquunt, & excrementa ob corporis soliditatem resolui non possunt, infantes verò quia voraces, & motibus intempestiuis agitati alimentum crudum distribuunt. Addit Galenus pulchram aliam rationem, *de crisibus, capite duodecimo*, nimirum quod ventriculos ob paruitatem non coquit tantum quantum corpus pro eius augmento requirit, & partes inanitæ crudum alimentum à ventriculo rapiunt, & ita crudis replentur: nauseantes verò ob satietatem semper congerere, probatione non eget: exercitium verò, aut balneum à cibo crudum alimentum distribuunt. Quomodo verò si hoc est verum Galenus doceat posse esse vtilia balnea à cibo in certis temperaturis, huius loci non est, illud verò docuit *libro de sanitate tuenda*: sic etiam ructus acidos emittentes frigidi ventriculi sunt, & crudos succos generant, ob quod dixit Hippocrates 6. *aphorism. textu 33. Qui acidum eructant, non valde morbo laterali corripiuntur, eo quòd pleuritis à bile ferè semper causatur, rarò vero à pituita.* Dixit vero Galenus *in com.* illud *valde* significare idem quod *rarò*, licet nos *capite de pleuritide* aliter illam particulam (valde) exposuimus. Patientes verò catarrhum si humor pituitosus ad stomachum descendat ibique putredinem concipiat, quotidiana etiam premuntur, quod etiam eueniet in quauis alia parte, verum est & frequentissimum ex cerebro per gulam in ventriculum pituitam præcipitari, & obstructam putrefieri, simulque illum lædere vt crudos etiam succos deinceps generat. Sic Galenus 6. *aphorism. com. 2.* dicit loquendo de cerebro humido: *Et si superfluitas ad inferiora per palatum descendat, partes subiectæ offenduntur, fauces, guttur, aspera arteria, pulmo, gula, ventriculus; tusses itaque fieri ipsis, & difficiles anhelitus & anginas, & cruditates, & ventris profluuium est necessarium, &c.* Hæc Galenus, ex quo totam adductam sententiam Auicenna desumpsit; nam 2. *de crisi. capite quarto*, sic scriptum reliquit: *Nam & natura eget humidiore, vitaque ociosa plena crapulis, sic igitur & in pueris plurimum fit, ac perrarum est, quia & os ventriculi, & hepar in ipsis male afficiatur, sed & cruditates plurimæ antecedunt, & coquendi mora, & acidi ructus, &c.* quod etiam docuit *de differentiis febr. cap. 4.*

Dixit vero frequentissimum esse quod in hoc malo patiatur ventriculus. Quod etiam Galenus docuit *loco* immediatè *citato*, qui etiam addit iecoris læsionem, quod est maximè notandum; nam cùm succi crudi per illud distribuantur ad vasa maiora, & nequeat omnes concoquere, partim obstruitur, partim distemperatur. Idem de ventriculo Galenus docuit 1. *ad Glauconem*; cur verò læsio ventriculi frequentius ad crudorum copiam terminetur, quàm ad naturam aliorum humorum, nullus explicuit. Mihi videtur pendere, quia cum crudis omninò alimentis pugnat perpetuò, & magis quàm reliqua viscera, inest verò alimentis partium terrestrium, & aquosarum magnus prouentus, quod indicat alui excrementorum copia, ab eis verò nimiè calor ventriculi patitur, nullique alio visceri in tanta copia alimentum simul adiungitur, & inde debilitatis caloris occasio magna, plus enim terreæ, & aqueæ, quàm aëreæ substantiæ, & igneæ alimenta communia participant, & inalteratæ ventriculo applicantur, omninoque dissimiles, & sic nimis reparitur; quod cùm verum sit adhoc quando sine peccato in victu viuitur, quid sperandum vbi non comedentes, sed lurcones, & comessatores sunt homines, veneri, & mero indulgentes, vt temporibus nostris experimur.

CAPVT XLVIII.

De signis phlegmaticæ periodicæ.

CAPITE præcedenti docuit quotidianæ febris causam esse posse pituitæ plures species, & quia in signis nimia varietas datur, vt ab hac, aut illa pituitæ sorte creatur, necessarium est eam diuersitatem notare, vt causa ad amussim explorata, medela vt decet instituatur. Dicit ergo primò: *In illa quidem in qua causa est phlegma vitreum, aut acetosum, multiplicatur frigus valde, & rigor in vitreo est vehementior, & frigus non incipit in ea subitò, imo paulatim in extremitatibus, deinde perueniunt ad hoc vt fiant sicut nix, quæ non calefiunt nisi cum difficultate, nec calefiunt subitò, nec secundum gradationem continuam, imo paulatim cum reditu frigoris.*

Certum est vitream, & acidam pituitam reliquis speciebus frigidiores esse, & per consequens quando in corpore exuperant, frigus valde multiplicatur, & quia vitrea est frigidior, maiorem rigorem inducit, quia magis molestat partes sentientes, non tamen frigus subito incipit, sed paulatim pelluntur ad partes sentientes, & sic lentè extrema refrigerare incipiunt, non quia ad illa humor pellatur, sed quia ob frigoris molestiam reuocato intus calore incipiunt tepescere, & quia plus distant à fonte caloris, eius defectus, & retrocessus prius in extremis significatur, & arguitur, quippe vt plus distantia calefiunt minus; quia verò corpora vitrea & acida pituita scatentia nequeunt non esse frigidissima, quando calor intus reuocatur omnino, tam algidæ partes extremæ redduntur vt à niue infrigidari putemus, quòd in talibus corporibus calor vi-

talis paucissimus sit, qui interceptus extrema calefacere nequit, & frigidissimi succi per partes omnes sparsi, deficiente calore in extremis à quo attemperari deberent, ipsa vehementer alterant, & velut nix frigida apparent. Vnde fit quod quando rursus calorem recuperant, illum non recuperent subitò, sed lentè & paulatim, quia frigida vt nix, magno, valentéque calore vt subitò reducantur, egent, quo corpora dicta priuantur, & inde lentè, paulatimque calefiunt.

Notat tamen author, quod hæc caloris reductio fit cum reditu frigoris, non quidem quia calor, & frigus simul redire possint, sed postquam iam partium extremarum calor instauratus videbatur, cœperántque calefieri, incipiunt præter spem infrigidari de nouo, velut si aliud nouum accessionis principium exurgat, quod pendet ex pituitæ inæqualitate, tam in natura, quàm in eius motione, sed in motione magis; in natura quidem, quia partes minus crassæ facilius ad focum pelluntur, quæ etiam prius succensæ totum calefacere incipiunt, post verò noua succi crudioris, & frigidioris portione accedente, noua molestia incipit, nouusque caloris retrocessus; & humor, qui in foco prius succensus erat, infrigidatur à denuò accedente, & inde nouum frigus partes extremas obsedit, pulsus suffocatur, minor, tardiorque redditur, quia simul arteriæ grauantur, & extinguitur flamma noua, & noua pars principij reuera molestat; sic si pituita inæqualis non sit, pellatur tamen inæqualiter, quia ob lentorem & crassitiem per vias strictas non potest æqualiter pelli; nec tota simul, succenditur prius quod antea fuit transmissum, & à portione posterius expulsa suffocatur, & attemperatur, calorque iam accensus remittitur. Idemque eueniet si sit inæqualis pituita, quamuis tota simul ad focum pellatur; prius quippe inflammabitur quæ tenuior, & minus frigida sit, post verò frigidior, & crassior. Ex quibus constat quotidianam à rigore incipere posse, quando à vitrea pituita, aut acida creatur, in quem sensum dixit Galenus 1. *ad Glauconem*, *cap.* 5. quotidianam à paruo rigore incipere posse; & sæpe docuit quod rigoris sine febre pituita vitrea possit esse author, vt *lib. de tremore, rigore, & palpitatione, capite* 5. Rigor verò ab his pituitæ speciebus ortus vehemens esse nequit, quia sine veloci motione per partes sentientes vehemens rigor non fit, crassis verò succis, & lentis, velox motio per partes strictas & poros repugnat, ob quod Galenus *loco ad Glauconem citato* dixit merito: *Quod si tertiana exquisita a paruo rigore incipiat, alia signa oportet attendere vt à reliquis febribus discriminetur*; quoniam non quotidiana tantum, atque quartana, sed etiam hæmitriteus aut aliqua alia ex continuis esse potest.

Dicit deinde author; *Et fortasse immiscetur frigori eius in principio rigor.* Si de rigore, & frigore simul molestantibus intelligatur, videtur locutio impertinens, cùm repugnet non esse frigus vbi rigor datur. Intelligendus ergo author, quod sæpe accessio incipiat à simplici frigore, post verò concepta in humore putredine, rigor, aut horror causetur, quia per putredinem pituita extenuata agilior redditur, & velocius expulsa rigorem leuem causat, quem in principio ob lentorem, & crassitiem non potuit. Sic Serapion intellexit, dicendo: *Et in febre phlegmatica quæ fit extra venas, sentit ille cùm aduenit frigus propter partem phlegmaticam quæ non putrefit adhuc, in fine facit horripilationem propter phlegma quod iam putrefit & ignitur.* Et noster author dicit; *fit ergo frigus propter illud quod non putruit, & horripilatio propter illud quod iam computruit.*

Subdit: *Et maius eius frigus & ipsius rigor sunt in principio status.* Rationem reddit Gentilis, quia in statu iam est materia tenuior, & inde velocius mouetur per partes sentientes, & maior rigor excitatur, maius

A verò, seu intensius frigus non fit, quia in vigore vniuersali plus causa febris infrigidet, hoc enim implicat, cùm sit magis cocta; & in aliorum opinione putrida etiam: causatur ergo illud frigus ab interno principio, quia plus intrò calor vitalis reuocatur, vbi datur molestior concussio, vt fit in vehementiori rigore. Quam doctrinam sequitur etiam Magister noster, contra quos statim dubium non leue se offert, quomodo si coctio incrassat, in maiorem materiæ tenuitatem vehementiores rigores possunt reduci. Rursus si irritatio maior, est etiam tam potens conditio ad vehementiores rigores, & in statu vniuersali est in opinione Gentilis & Magistri vehementior, & summa putredo; erit per consequens materia mordacior, & plus molestans vehementiores rigores excitabit. Ego in vigore vni-
B uersali multa inuenio ad maiorem rigorem conducentia; corpus enim minus obstruitur, & sic viæ patentiores, per quas expulsio celebratur: est etiam corpus calidius multò quàm in morbi principio, erat enim in hoc ob copiam pituitæ tam frigidæ velut concretum, & deustum, & à multitudine obstructum; calore verò maiori vias dilatatas magis esse negari non potest, & si materia quæ coquitur erat prius putrida vt erat reuera, & à calore putredinis, & deinceps illam coquente exsiccari necesse est, & lentorem deperdere, cùm iam sit velut cinis, & vsta; certumque est lentorem materiæ magnum esse obstaculum celeri motui. Torpet etiam expultrix in principio vniuersali magis quàm in vigore, quia magis grauata, & frigore, & humiditate
C antecedentis materiæ robur expultricis destruitur, quæ in vigore deficiunt, & inde robustior redditur; & inde fieri potest quod si in principio erant moderatiores rigores, possint esse in statu maiores, & in hoc esse qui prius non fuerant. Quod etiam notauit author dicendo: *Et multoties incipit in paroxysmis primis sine rigore, & postponitur vsque ad tempus.* Ratio est iam innuata, potest enim in principio tam lenta esse, & crassa materia, quod etsi moueatur ad partes extremas vt accessiones fiant, non tamen motu requisito, vt rigor, aut horripilatio causetur, donec deperdito lentore & extenuata materia, corporéque deobstructo, minúsque expultrice col-
D lapsa, expulsiones vehementiores agantur, quæ ad concussionem sint satis.

Notat tamen author vnum difficile dicendo: *Et hæc quidem febris non est ex materia quæ faciat punctionem, ita vt sit causa rigoris in via expulsionis*: & rationem reddit, quia eius putredo est putredo rei lenis, quod est dicere, etsi materia sit putrida, non est tamen tam mordax, vt quia mordax, pellatur, quia putredo in materia tam humida tam mordacem eam non reddit, vt irritet satis ad inducendum rigorem, quod clarè videtur oppositum doctrinæ antea traditæ; dixerat enim quod fit horripilatio quæ prius non fuerat, propter illud quod iam computruit; acquisiuit ergo materia per putredinem conditionem antea non habitam ad excitandum rigorem, quæ alia esse non potuit nisi acrimonia, hanc enim à tactu Medici sentiri, Galenus etiam docet. Et
E cùm in putredine magna diuersitas detur ex parte intensi & remissi, non potest ratio probabilis dari cur non reddatur pituita putrescens tam maligna aliquando, vt ad horrorem sufficienter irritet; nam dum mouetur ad focum, quia irritat, expellitur, & non irritat quia frigida, vt constat, sed quia iam parte mittente aliquam concepit putredinem. Sine fundamento ergo id negat author, & sibi non constat, præsertim cùm doceat inferius, quod sitis non minoratur in hac febre, nisi ob salsedinem, aut vehementiam putredinis, & si ratione frigoris rigor causaretur, & non ratione putredinis, non esset verum quod inferius dicit, nempe quod fortasse erit frigus, & non erit rigor, si à frigiditate solùm rigor inducitur.

Addit aliud signum maximè notandum dicendo; *Et*

multoties

multoties incipit cum syncope, & non fit syncopis, & in hac ægritudine multiplicatur syncopis propter debilitatem oris stomachi, & casum appetitus, & priuationem alimonia, quæ est fundamentum materiæ nutrimenti, & virtutis. Iam diximus ex Galeno rarò quotidianam dari siue læsione oris ventriculi, in hoc enim humor frigidus creatur, & in magna copia accumulari solet. Vnde quando moueri incipit ad faciendam accessionem, & plus replet, & obstruit, & magis euaporans cor in consensum trahit, & sic & suffocatione, & alteratione in accessionum initio debilitatem magnam inducit, ob spirituum resolutionem & extinctionem. Et hæc quia est via ad syncopen, dicit quod cum syncope incipit, non tamen semper in syncopen terminatur, id est non consummatur syncopis; quia cùm moueatur humor in focum, separatur ab ore ventriculi, & minus suffocat, & quia iam calefieri incipit, minus spiritus infrigidantur, & extinguuntur, & debilitas incepta perficitur omninò, quia minus consentit cor expulso humore per ambitum corporis, quàm si in ore ventriculi contineatur. Est verò causa multiplicationis syncopis, stomachi debilitas, & inappetentia, & priuatio alimoniæ, hoc est, priuatio coctionis debitæ alimento, cùm sit coctio optima alimenti totum fundamentum virtutis; debilitas verò ventriculi ad syncopen conducere potest occasionaliter, creando scilicet humorem iam frigidum, nec minus quia facilè recipit, in accessionum enim initio quod crudum in ipso ventriculo, & prima regione est, commouetur, potest tunc recipere magis, & cor consentire; nec potest esse dubium quod in ipsa commotione, quia debile magis patitur, quia tardius excrementa agitata reiicit, & patitur plus temporis ab eo quod succi commotio causat de nouo: inappetentia verò debilitatis est causa quatenus alimentum non sumitur, ex quo instauratio virtutis celebranda est. Hæc propensio ad syncopen ex pituita vitrea præcipuè nascitur, quia frigidior, deinde ab acida, ab omnibus tamen speciebus potest, si os ventriculi grauent, de quo *cap. de febre syncopali humorosa* latius tractabitur. In cuius confirmationem dicit author inferiùs: *Et plurimi quidem periodi febris phlegmaticæ incipiunt cum syncope.*

Subdit: *Quod si febris fiat a pituita salsa, fit horripilatio, & non est vehemens frigus eius.* Ratio est, quia est calidior, cum omnis salsedo fiat aut vstione, aut permixtione humoris biliosi; quia verò crassa nimis est salsa pituita, est inepta (etiamsi sit mordax) ad efficiendum rigorem, horrorem tamen facile causat; est tamen in hac febre sitis maior quàm in quauis alia pituitosa, & salsedo etiam ab ipso ægrotante percipi solet: in quem sensum dixit Hippocrates *epid.. sect..* salsaa catoes gustanti redundantiæ signum.

Si verò à dulci pituita febris oriatur, dicit author: *Rarò eam antecedit in principio vsque ad plures paroxysmos horripilatio, nec rigor, nec frigus, est dulcis pituita, reliquis temperatior: vnde nec frigore, nec acrimonia molestat, nisi vehementi putredine corrumpatur, & acrimoniam tenuitatemque acquirat, quibus horrere faciat.* Et quibus etiam error Auicennæ suadetur, negantis quod expulsio in rigore aut horrore non fiat ratione putredinis molestantis; nam in pituita dulci alia ratio esse non potest, cur in posterioribus paroxysmis, & non in prioribus molester horrore, nisi quia putredine benignam naturam deposuit, & irritat; hanc etiam causam somni inclinatio & inappetentia comitabantur; vtrumque enim symptoma dulcis pituitæ proprissimum est, somnus quidem quia humida, lenta, & mulcebris, & paratissima, quia minus frigida vt in vapores vertatur, inappetentiam verò inducit vt dulcis, vt lenta, & humida; dulcedo enim remissum frigus arguit in pituita, cùm semper à calore oriatur, licet non semper excedat. Ob quod Gal. 2. *de differentiis feb. cap..* dixit, quod dulcis pituita non est frigida exquisitè; est verò frigus

A quod expressione appetentiam suscitat, expressio verò si remisso frigore fieri nequit, neque sensus suctus, quem effectum tollit etiam humiditas, quia laxat, lectore agglutinatur, & hæret, quibus ventriculi tunicas laxat, madefacit, & repiet, & sic corrugationem, aut suctum impedit sine quibus fames non fit, aut perceptio obiecti famelici; omnis enim dolor resolutionem continui requirit, huic humiditas, laxitas & madefactio obstant extremè; laxa enim distenduntur, non verò rumpuntur, & inde non dolent, quod tumor ædematosus indicat, quod vel facilè imperitos decipiet, cùm nulla molestia pituita dulcis detegatur, nisi fortè nauseam excitet; solent sic affecti pondus alienum in ventriculo à cibis percipere, etsi moderatè cibentur, quoniam re- B tentrix ab humiditate, & madore effeminata alimentum non bene complectitur, & sic ponderat, quia retentione subleuatur.

Tradit deinde author signa quæ febri quotidianæ ex pituita ortæ communia esse possunt, & dicit: *Et plurima quidem periodi febris phlegmatica incipiunt cum syncope:* quæ doctrina explicata iam est. Subdit: *Et iam apparet in ea in principiis calor vehementior, & in postremis minoratur illud, & est simile vt sit causa in hoc, quoniam putredo accedit prius ad magis dulce, & magis salsum, & magis subtile, & deinde ad grossius & frigidum.*

Ratum est si crudorum copia congeratur, & accumuletur, vt sint antecedens materia quotidianæ, quod sint vniformes, & æquales omnino cruditates, præci- C puè quando vitio ventriculi creantur, quoniam etsi intemperies vniformis esse possit, materia tamen ex qua cruditates fiunt, homogenea esse nequit, cum potus & alimentorum tanta sit varietas, & non minor in quantitate vtriusque. Constat verò quod quamuis agens sit idem, non sequatur idem omnino similis effectus, si quæ patiuntur, diuersa sint, aut in modo substantiæ, aut in temperamento, aut in copia ingesta; accumulabitur ergo pituitosus succus & crudus diuersæ naturæ, & cùm tenuior & minus frigidus facilius à calore alteretur, moueaturque ad focum, fiet inde vt priores accessiones vehementiores appareant, posteriores verò remissiores, quia ex pituita frigidiori & crassiori, quæ & tardius mouetur, & minus inflammatur, oriuntur: ergo quia dulce est minus frigidum, facilius à calore putre- D faciente obsidetur, tenuius quia minus resistit ob modum substantiæ; salsum etiam quia etsi crassum esse soleat, est tamen calidius, vt constat: semper ergo erit verum quod putredo in dulci, tenui, & salso prius concipietur quàm in crassiori, & frigidiori: & inde priores accessiones erunt cum vltimis comparatæ maiores, seu vehementiores, quia ex materia magis inflammabili.

Subdit: *Et tactus caliditatis eius in primis est debilis, & vaporosus, deinde cum prolongatur positio manus, sentit acuitatem, & mordicationem.* Est Galeni doctrina 1. *ad Glauconem, capite septimo* dicendo: *Nam eius caliditatem humidiorem cum quadam acritudine esse oportet, non enim primum manus admouetur confestim* E *occurrentem, sed per moram.* Rationem reddit Stephanus Atheniensis dicendo: *In iis enim caliditas ob succi crassitiem in profundo occultatur, nec tactu percipitur, qualis ipsa sit in prima manus applicatione; dum autem immoratur manus calore, conuersationeque corpus calefaciendo atque vnà meatus rarefaciendo, materiamque attenuando, redditione sua suam ipsius malitiam ostendit.* Cuius doctrinam Magister noster sequitur *libro de febribus, folio* 1066. Gentilis etiam idem insinuat dicendo: *Cuius causa est vaporis grossities, vnde non statim penetrat.* Verùm hæc doctrina mihi non probatur, quia ex manus applicatione non est cur calor intensior appareat, eo quòd ad extra magis moueatur post manus perseuerantiam, quàm priusquam manus applica-

retur. Probatur efficaciter, quia manus compressio vias coarctat ex se; ergo si ad cutis aut pororum apertionem conducit, maximè quia manus Medici est calidior cute febrientis, quod in omni tempore febris est apertè falsum, cùm in augmento, vigore, & declinationibus sit febriens non dubiè calidior. Signum verò adductum verum est in omni tempore febris, cùm authores excipiant nullum. Si dicas manus Medici esse humidiores, & inde laxata cute extra moueri fuligines, minus id admittetur, cùm quotidiana oppressi, crudorum, & humidorum copia obruantur, quod & Galenus notauit *loco citato* dicendo: *Nam quadam fumosa caliditas cum multo vapore commixta exire videbitur*; & negari non potest cùm succi crudi abundent & humidissimi: Putandum ergo est calorem quotidianæ primo manus occursu & applicatione remitti, quia est manus frigidior, durante verò applicatione vincitur manus frigiditas, quia compressa cute detinentur nimis fuligines, quia sunt crassissimæ, & sic vri, & acrimoniam post percipit Medicus; calor enim quotidianæ remissus cùm sit, statim à prima manus applicatione remittitur, & inde non satis statim alterat, vt calor molestus, cum acrimonia sentiatur, donec detenta copia fuliginum ob manus compressionem alteratur vehementius. Nullam itaque rationem inuenio, ob quam applicatio manus sit causa, vt extra exeat fuligo, quæ sine illa applicatione non exiret, cùm calidior, melior, humidiorque esse possit, & sit reuera cutis febrientis quàm Medici. Vnde si accedat noua compressio, & infrigidatio per manus contactum, non datur occasio noua, vt magis modò quàm ante manus admotionem exspirent fuligines; prouenit ergo ea dicta causa, & quia cùm remissum sit agens, vt eam intensionem inducentem molestiam, & acrimoniam producat, tempus maius requirit, quod in aliis febribus non datur necessariò.

Notat deinde, quod calor quotidianæ non est æqualiter dispersus per tactum Medici, quia non applicatur æqualiter, ita vt in vno loco inueniat asperitatem, & in loco alio lenitatem, & etiam est quasi caliditas coletur per rem cribellatam: rationem reddit, quia pituita viscosa est, & dum calefit in quibusdam locis disrumpitur, in aliis verò non; vnde per partes disruptas calor, seu fuligo manui efficacius & magis communicatur, per eas verò quæ disrumpi non possunt cohibetur, & ita parti correspondenti non communicatur fuligo, nec tam violenter alteratur; quam doctrinam ante Auicennam Rasis, & Galenus tradiderunt, quod signum & eius perceptio summam diligentiam antiquorum circa inuestigationem signorum ostendit, quando signum hoc quod metaphysicum potius quàm physicum est ab omnibus notetur, sine quo essentia quotidianæ satis perspicua est.

Subdit, quod caliditas quotidianæ minor est quàm vt inflammet, & angustiam faciat, & magnificet desiderium aëris frigidi, & aquæ frigidæ, & inspirationis, & rarefactionis, & magni anhelitus, & exsufflantis. Ratio omnium est, quia humor pituitosus parum est inflammabilis, & inde nec magnum potus desiderium, nec aëris frigidi inducit, nec minus eget corporis inspiratione cutis, vt in ardentibus solet esse necessitas, quando ob incendium diaphoretici sudores euenire solent; nec minus rarefactionis necessitatem inducit, idest, non disperguntur ægrotantium membra vt frigidum locum & nouum ob molestiam caloris requirant, vt in tertianis, & aliis ardentibus febribus. Quam doctrinam desumpsit ex Galeno 2. *de crisibus, capite quinto*, dicente: *Sed nec desunt laborantes, nec denudare corpora & pallia iactare cogunt, nec multum aut frequenter respirare, ac velut flammam ex ore efflare, frigidumque potum expetere, verùm cum isti febricitant, minimè sitiunt, &c.* Quæ omnia intelligenda sunt de quotidiana exquisita; nam quæ à pituita salsa creatur, siticulosa esse potest, & ob acrimoniam molesta.

Sed dices nullam febrem tam vehementem & grandem exsufflationem inducturam, vt quotidiana potest, quia exsufflatio est thoracis vehemens, & magna compressio ad expellendas fuligines suffocantes; nullus verò humor plures, & crassiores fuligines quàm pituita eleuat, cùm lignis viridibus à Galeno dum accenduntur passim assimiletur: constat verò ligna viridia multum & corpulentum fumum exspirare, aërem nebulosum satis reddentem: ergo similiter pituita accensa maiorem, & corpulentiorem fuliginem exspirabit, calorem vitalem suffocantem, & inde ad exsufflationem magis quàm alij humores accensi conducet. Respondetur esse diuersam rationem ob duo, quia exsufflatio magnam copiam breuiter collectam requirit, in tempore nimirum dilatationis vnius; tam magna verò copia non eleuatur nisi à magno calore, & intenso in tempore tam breui, quam in pituitosis succis inuenies nunquam. Secundò, quia exsufflatio non solùm fit ob copiam, sed etiam ob molestiam, & acrimoniam caloris, qua pituitæ fuligo priuatur, quæ duo cùm in bile, aut sanguine quando accenditur, inueniantur, exsufflare cogunt interdum.

Aliud signum notandum tradit dicendo: Et multoties quidem accidit caliditati eius, vt sedetur tempore quod habet quantitatem vnius horæ, aut duarum horarum; quare existimatur quod ipsa adhuc sit in augmento: videbis enim eam iam incipere, & augmentari, & similiter sunt ei in declinatione stationes, & vt est inæqualis ferè semper in crassitie & lentore causa quotidianæ, sic calor accessionis vniformis non est, inæqualitas verò ex duobus dependet, & quia pars tenuior facilius inflammatur, & ita citius ad statum peruenit accessio secundum hanc portionem: quia verò hæc sola accessionem non causat, sed aliæ etiam crassiores, inde quando summè accensa fuit pars tenuior, potest alia accensa non esse, quia crassior & frigidior; durabit igitur sub eodem calore absque aliqua insigni, aut sensibili mutatione temporis, necessariò vt alia portio inflammetur; & esse poterit vnius, aut duarum horarum, putabitque Medicus iam esse in vigore accessionem, cùm tamen absolutè non sit, sed secundum quandam portionem, & in augmento respectu totius materiæ. Secundò hæc diuersitas nascitur ex inæquali transmissione ad focum, facilius enim & prius tenuius, & minus lentum detruditur, corpulentius verò & lentum tardius & pigrius. Ex quo fit vt quando portio primò rapulsa iam concipit putredinem, & est in vigore sui, quia summè accensa, mittat rursus natura de nouo aliam portionem crassiorem, quæ incendium attemperet, & moderetur, non solùm frigore, quia non est tam calida vt summè accensa, sed etiam suffocatione, vt videatur de nouo tepescere corpus, & nouam accessionem incipere; cùm tamen sit vna, sed inæqualis ob difformem materiam. Fuit hæc doctrina Rasis *capite proprio* dicentis: *Quinimo corporis calefactio in hac febre cum prolixitate & labore accedit, & plerumque calefit, & iterum infrigidatur, & post etiam calefit, sed postquam multoties factum fuerit, manifestatur calor, & erit in toto corpore æqualis, post laborem tamen: eodem modo* (inquit) *erunt in declinatione stationes, quoniam cùm declinatio pendeat ex materiæ resolutione, & expulsione extra corpus, sæpe contingit quod portio expellenda immediatè post aliam, vt assiduè continua febris declinet, resistat expulsioni ob lentorem, aut crassitiem, aut quia non est à calore febrili tam extenuata, vt in fuligines verti possit, & sic stabit declinatio in eodem tenore, donec illa portio resistens vincatur, & foras pellatur.*

Aliud signum ad curationem etiam conducens tradit dicẽdo: *Et febres quidẽ phlegmatis sunt multa oppilationes*

propter

propter multitudinem humiditatis, & vaporis sui, pauci sudoris propter viscositatem humoris, & cum sudore faciei, est res non exuberans, & de proprioribus significationibus eius est paucitas sudoris, & priuatio eius. Melius diceret author, quod in hac febre dantur multę oppilationes ob eandem rationem ob quam sudores non sunt, aut paucissimi, nimirum quia lenta est, & multa materia, & sic agglutina obstruit: estque doctrina Galeni 2. *de differentiis febrium, cap.* 4. dicentis: *Quoniam humor ex quo constituitur frigidus est, & humidus in temperatura, lentus autem, ac tenax in consistentia, idcirco ęgrè accenditur, ac tardè mouetur, sępiusque in foraminibus retinetur*; & 1. *ad Glauconem, cap.* 7. dixit: *Non tamen harum febrium declinationes quemadmodum tertianarum, & quartanarum sudoribus determinantur; quare nec ad integram quietem manifestè perueniunt (paucis exceptis) lentor verò materiæ sudorem tollit, quia quod in sudorem mutandum est, diuidi in vapores tenuissimos, & extenuari debet; lentum vero diuisionem non admittit facilè, sed continuitatem tota materia seruans, per poros, & angustos canales exire non potest, & sic nec in sudorem mutari, & inde fit quod ita affecti intumescant, & inflentur, quia lenta materia à calore extenditur, non tamen omnino resoluitur, nec diuiditur, & sic inflat, & turgidum corpus reddit: ob quam etiam rationem violentos dolores quando in flatus crassos, & lentos mutatur, efficiet; est enim flatus ex materia lenta eleuatus multæ extensionis, ob quam per communes poros exhalari non potest, & sic violenter partes dilacerans acerbè excruciat.* Illud verò quod de sudoris defectu author docet, est intelligendum in principio mali, non verò postea, quod Galenus 2. *de crisibus, cap.* 5. notauit dicendo: *Atque in primis diebus minimè sudent, sed progrediente tempore hoc etiam illis aduenit.*

Dicit deinde, quod in hac febre non datur sitis notabilis, nisi quia detur salsedo, aut vehementia putredinis, ob quam exsiccata pituita, & nitrosa facta humidum nostrum absumat, semper tamen est minor sitis quàm in aliis febribus; multiplicatur tamen (inquit) inflatio laterum, & quandoque accidit cutis lateris, vt subtilietur cum tensione. Inflatio laterum pendet ex causa iam tradita, flatu scilicet crasso, & nimis extenso, cuius exitum non solùm extensio eius, sed etiam obstructiones multæ retardant & impediunt; quod verò fiat lateris tensio cum cutis subtilitate nimia, potest pendere ex nimia tensione, ob quam quod antea erat velut profundum & corpulentum, iam velut in superficiem vertitur nimis & violenter distentum; potest etiam, & certius tendi cutis cum subtilitate, quia extenuatur venter inferior ob mali diuturnitatem, malè & diminutè nutritus, & inde quando tenditur cutis, apparet subtilis: in principio tamen mali proprium est, quod tensio sine subtilitate fiat, quia nondum musculi abdominis, nec aliæ ventris partes contabuerunt, & ipsa corpulentia obstat ne ita tendantur vt cutis subtilis appareat.

Subdit, quod color patientium hanc febrem est decliuis ad viriditatem, & citrinitatem currentes in albedinem, ita vt sit illud quod aggregatum est sicut color plumbi vsque in statum. Quæ sententia apertè docet quod non semper color viridis à calore prouenit, sed interdum à frigiditate calorem natiuum extinguente, quod etiam docuit Hippocrates 1. *prognosticorum* signa faciei pessimæ tradens. Quod verò cum viriditate ab extinctione orta pallor copuletur à calore pendens, mirum non est si cum tali extinctione febris non implicat biliosum aliquod excrementum generans; permiscentur verò cum albedine quadam, quia pituita non admittit proprium colorem, sed reliquos suæ frigiditati debitos generans, in externo sanguine proprium tuetur, estque in colorum mutationibus magna varietas, Galenus vero 2. *de crif. capite* 5. dixit; *Color iis cum palliditate albus etiam cùm accessio in suo vigore consistit*; permistiones verò diuersas respiciens author noster dicit: *ita vt sit illud quod aggregatum est sicut color plumbi vsque ad statum*; in quo etsi calor sit maior quàm esse potest, raro rubrum, colorem inducit in facie, vt in aliis febribus dum vigent, contingit.

Signa pulsus tradendo dicit: *Pulsus verò eius est paruus, submissus, debilis, rarus in primis, deinde fit frequens in fine.* Illud *in primis* significat accessionis principium, in quo ob crassitiem pituitæ, lentorem, & frigiditatem ob suffocationem, & pituitæ natiuam, paruus, & oppressus, & debilis, rarusque esse debet, sunt enim huiusmodi differentiæ virtute diminuto, & instrumento oppresso debitæ: nondum enim pituita quando ad focum mouetur, incensa est, vt eius calor plus possit quàm suffocatio ad infrigidandum, & dum in foco calefieri incipit, totum illud quod ex ipsa eleuatur, nondum habens calorem in facto reducitur postea, & partes infrigidat, quod præcipuè in ipsa motione ad focum contingit, sicque totum corpus opprimitur, & calor suffocatur; ęgrè enim dixit Galenus 2. *de differentiis febrium, cap.* 4. *Pituitosus humor accenditur, & tardè mouetur, sępiusque in foraminibus retinetur; opprimit autem atque grauat virtutem, hinc (inquit) inęquales ac debiles magis, paruosque efficit pulsus, & in inuasionibus, & in primis incrementorum partibus, inflammata vero iam pituita creber pulsus redditur, quia vsus augetur.*

Subdit: *Et frequentia quidem eius, & eius paruitas vehementior est quam frequentia quartanæ, & tertianæ, & eius paruitas.* Rationem reddit, quia cùm sit pulsus quotidianæ summè paruus, necessariò erit summè creber, vt sic crebritate suppleat quod de magnitudine deficit: cum hoc tamen (inquit) non est velocior pulsu quartanæ, & quandoque est tardior, aut similis ei in primis. Ratio verò cur aliquando sit tardior, est quia non tantum arteriæ plus grauantur à pituita, sed etiam ob frigiditatem facultas debilior redditur; requiritur verò certa virtus vt pulsus velox fiat, est verò maius in quartana & instrumentum minus vitiatū; hinc fit, quod in quotidiana maior inæqualitas detur, & maior quàm in quartana, & tertiana, quia plus debilitatur facultas, & instrumentum vitiatur magis. Illud tamen notabitis diligenter, quod nunquam syncopis timenda magis sit quàm quando in accessionum initio cum paruitate pulsus nimia raritas copulatur, magnam quippe caloris vitalis suffocationem & cordis extremum refrigerium innuit raritas nimia, si paruitatem sociam habeat, vt iam instare syncopen verè dicas. Et si rationem adductam ob quam pulsus quotidianæ est aliquando tardior, rectè perpendas, facilè deduces frequentius ita euenire, & non aliquando: ob quod cautè intelligendus est author, & multò magis Galenus 1. *ad Glauconem, capite* 7. dicens, quod tarditas in quotidiana, & quartana est similis, & eodem modo se habet. Sed difficilia quæ in doctrina Auicennæ includuntur, latissimè exposuit Gentilis, & partim tetigit Iacobus, quæ à nobis *capite de quartana* exponentur.

Signa verò ex vrina desumpta sic tradit: *Vrina autem eius in primis quidem est alba, subtilis propter multitudinem oppilationum, & frigoris; deinde fit rubea propter putredinem, & conturbatur propter malitiam digestionis.* Galenus 1. *ad Glauconem citato* sic loquitur. *Nam in quotidianis vel albæ sunt, & tenues, vel crassæ, & turbidæ.* Alba & subtilis potest esse vrina sine obstructionibus, si iecur infrigidatum ob pituitæ copiam non generet tantam copiam bilis, vt naturaliter solebat. Vnde duplex occasio vrinæ albæ, & tenuis, & bilis defectus, & multa aquositas à pituitæ multitudine emanans: & cùm necessarium non sit quod in quotidiana oppressis obstruantur vrinæ itinera, sic nec propter obstructiones, albas & tenues vrinas habere,

& iode author posuit merito præter obstructiones multitudinem frigoris. Est tamen rationi consentaneum, & obstructiones, & frigus in principio febrium pituitosarum coniungi ad talium vrinarum creationem, verùm vnica causa satis esse potest.

Addit tamen quod deinde fit rubea propter putredinem; quod transtulit Atheniensis 1. *ad Glauconem citato* dicendo: *Quin & rubræ etiam*; nam crassum hoc quod fuit obstructum, omnino à putredine, quæ in se ipso erat, exustum fuit: & Auicenna *inferius* dicit: *Et aqua* (id est vrina) *est alba hora oppilationum, deinde quando putrefit plurima res post illud in stomacho & expellitur, & aperit oppilationes, rubet, vsquequo veniat super oppilationes quod oppilet eas vice alia de illo eodem humore.* Quorum authorum doctrina videtur difficilis, quoniam si putredo pituitæ reddit ipsam rubram, cùm semper febrem faciat media putredine, non erit vrina alba, sed rubra: & vrget hoc placitum salsa pituita, quæ putredine, & vstione nimia generatur, & nullo modo ruborem contrahit, nec in exteris si pituita vstionem patiatur, rubet; deinde ruber color coctione acquiritur à iecore facta, quando pituita in sanguinem vertitur; est verò putredo coctioni omnino opposita: ergo rubrum colorem inducere nequibit. Gentilis non dicit quod sit necessariò rubra, sed quod coloratior reddatur ablatis obstructionibus aliquibus, & remisso frigore ob calorem putredinis: est tamen expositio violenta, cùm Auicenna & Galenus expressè doceant rubras esse aliquando. Mihi videtur duobus modis posse intelligi quod per putredinem fiat vrina rubrior, aut rubra, quæ antea talis non fuisset: primò emendato & remisso nimio frigore pituitæ, ratione cuius coctioni resistebat, & mutationi in sanguinem, ita vt color ruber verè coctione acquiritur; & quia sanguis abundat, de nouo redditur vrina rubra, quæ propriè debetur sanguini pituitoso & malè concocto, quia cùm benè coagmentatus, & concoctus non sit, in seri eius secretione aliquæ partes sanguinis delabuntur, & ruborem vrina contrahit, ob quod 2. *prognosticorum* 27. ex vrina subrubra, & subrubro sedimento longitudinem febris præsagit Hippocrates. Galenus verò *in com.* sanguinem non probè confectum significare dicit: itaque indispositio vt in sanguinem verteretur pituita, à calore febris aliquando tollitur, & coctio fit à natura, qua media in sanguinem vertitur, sicque rubra incipit vrina apparere; quam permutationem Mercatus sperat, vt securius in pituitosis febribus vena secetur, quia & sanguis abundat magis, & frigus massæ sanguinariæ emendatum iam est; quod præceptum contemnendum non est. Si verò non intelligatur verus color ruber, facilius explicatur euentus, sæpe enim pituita hærens exsiccatur nimis diuturnitate passionis ab incendio febrili, post verò humor adustus sero vrinæ permistus, colorem quendam igneum in liquore contrahi cogit; eodemque modo resultat quo ex aqua è cineribus rubedinem in lixiuio apparentem contrahi experimur, quæ non est vera rubedo, sed flauus color in materia opaca ob reuerberium rubri coloris æmulus, quia præcipuè contingit, quando quod vstum est, in magna copia cum moderato liquore miscetur: & hoc est quod dicit Auicenna, quod *quando putrefit plurima res in stomacho, & expellitur, & aperit oppilationes, rubet*: quem etiam colorem in febribus ardentioribus, & vstiuis, si cum bile vsta misceatur aliquid pituitosi & crassi, passim experimur, præsertim quando iecur, aut renes phlogosi laborant, à qua crassum pituitosum vritur, & pituita cum bile incineratur, sicque splendor rerum vstarum in materia crassa & opaca reuerberans colorem rubrum vt dixi æmulatur, vt in nubibus etiam apparere solet. Est tamen notanda diligenter vrinarum varietas ab authore proposita, secundum quod humores obstruentes dimouentur, & redeunt ad loca obstructa, vt modò alba

A apparear, modò tenuis, modò perspicua, postea turbida, vt Iacobus notat: excrementa etiam ob pituitæ lentorem, & obstructiones nimis detenta, varias permutationes patiuntur, à quibus etiam magna vrinarum varietas emergit: quod etiam in tertianis nothis ob crassæ, & lentæ pituitæ mistionem nos obseruauimus. Leges circa hoc quæ in curatione huius febris exponendo Gentilem adducentur.

Subdit author: *Et de eis quæ significant quod febris est phlegmatica, est vt sit paroxysmus eius 18. horis, & dimissio eius sex horis, & non est dimissio eius munda, quoniam materia cum grossitudine, & viscositate est multa.* Duratio adusta perpetua esse non potest, cùm ex innumeris causis variari possit, virtute nimirum fortiori, aut
B collapsa, corpore densiori, aut perspirabili, lentore, & crassitie, aut oppositis materiæ conditionibus, & aliis: credendum tamen est adductam durationem esse frequentiorem, & experimento confirmatam, vt quod diaria non extendatur vltra diem; quod verò intermissio munda non sit, pendet inquit author ex grossitudine materiæ & viscositate. Galenus 2. *de differentiis febrium capite* 4. sic loquitur. *At pituitosi humoris caliditatem igni fumido in lignis viridibus accenso non malè assimilaueris; idcirco parue in eo vacuationes, & accessionis spatium longius producitur, neque intermissionis tempus est adeò vt in tertiana syncerum, sed humoris putrefacti semper in calore, & pulsibus seruat indicium.*

Tandem dicit, quod cognitio eius est venanda ex ætate, consuetudine, tempore, & regione, & cibo,
C ex colore, & forma faciei, & eius inflatione, ex tactus mollitie, stomachi debilitate, & inappetentia, & quod interdum in hac febre splen magnificatur, & turget, & ructus acidi crebrò molestare solent, quæ facillima sunt, si quod de inappetentia docuit explicetur. Nam cùm frigidus ventriculus appetere nimis debeat, & sub quotidiana infrigidetur, non est vnde inappetens reddatur. Respondet Magister quod tantum potest esse frigus vt sensum diminuat, & sic famem tollat: addit quod pituita putrida esse potest, & sic appetentiam tollere. Ego aliter iudico, nimirum ab humiditate, & mollitie pendere; nil enim corrugationi ab inanitione oriundæ vi sensus suctus fiat plus obstat quàm laxitas, & mollitudo quæ à pituita, & crudis succis vehementer inducuntur, præsertim quando putridi sunt, quoniam &
D moderato illo calore, & humiditate madefacti ventriculi tunicæ extremam laxitatem inducunt. Sed etsi non putrescant, experimento constat plus in pituita valere humiditatem ad laxandum quàm frigus ad constringendum, vt in ædemate constat, nisi frigus intensum nimis sit, & humiditas non tanta, vt in acida pituita, quę homines famelicos reddit, ad quem effectum acor pituitæ efficacissimus est: quomodo verò si pituita facilius quàm bilis inflammatur, quotidie tepeat, bilis verò per tertios, & faciat longiores accessiones quàm bilis, vt hic docet Auicenna, *tract. de circuitibus febrium* exponitur. Quod autem lien obstruatur in quotidiana, est velut superueniens malum ob frigiditatem affectionis, qua debilitatur, & quia obstruitur etiam à pituita, & succis
E crudis. Galenus verò 2. *de cris. cap.* 5. iecur etiam in quotidiana affici, sic dixit. *Ac perrarum est, quin & os ventriculi, & hepar in ipsis malè afficiatur.* Ex quibus constat quanto studio huic malo sit occurrendum, cùm tam facilè viscera dicta in consensum trahat, & in cachexiam permutetur, quod Galenus etiam notauit *lib. de typis, cap.* 4. dicendo: *Quotidianam consequitur habitus humiditas, vomitus pituitosus, sitis non intensa, totius corporis grauitas, somnus comatosus, & cataphoricus, pulsus magnus, rarus, ac laxus, facies sublinida, ac laxa, flaccida, multamque materiæ cachexiam, ac versionem præferens. Lienis etiam durities in hoc typo subsequetur: quod si ipse perseuerauerit, tremula, veternosæque cataphoræ insequentur, thoracis rheumatismi, & superfusiones hydropi-*

ca

re constituuntur, aut ob stomachum malè se habentem, &c. quæ si attendantur, facillima erit quotidianæ cognitio. Addit Galenus 2. *de cris. citato*, quod accessiones sub vespere incipiant: quod *cap. de febre diurna, & nocturna*, explicatum est.

CAPVT XLIX.

De signis inseparabilis febris phlegmatica: & est illa qua nominatur latica.

IN *hoc cap.* quod alioqui est difficillimum, tradit breuissimè author signa febris quotidianæ continuæ. Totum caput sequentibus verbis continetur: *Et sunt reliqua signa febris phlegmatica prater eradicationem, & quod similatur eradicationi, & apud inceptionem fiunt rigor, & frigus, & horripilatio, & est res magis similis hectica, & fit illic vehemens rigor sex horis, aut tantum superans illum qui fit in periodica; nam periodica iterum non euacuatur à residuo, veruntamen est occultum non apparens:* hæc in tota litera.

Tot ferè difficultates quot literas verba relata includunt, vt ingeniorum cruciatus potius quàm documentum esse videantur. Dicit ergo primò, quod signa febris quotidianæ inseparabilis (id est continuæ) sunt sicut reliqua signa febris phlegmaticæ iam tradita, vnum si excipias; nimirum quod in illa iam adducta, erat intermissio, aut quod intermissioni assimilabatur, in febre verò de qua modò disputat, non est intermissio, nec aliquid ei simile, cùm reuera continua sit. Signa verò adducta sunt omnia à pituita febrem pendere significantia, quæ rursus repetere nefas esset.

Quod verò apud inceptionem fiant rigor, & frigus, & horripilatio, maximè dubium videtur, si febris continua est, cùm nihil sit magis celebre in doctrina Galeni quàm continuas febres, nec à rigore, nec frigore, nec horrore incipere. Sed hoc dubium in mea opinione leue est; cùm putem subintrantes esse continuas, nec posse esse contra naturam continuarum, quod à rigore, aut frigore, aut horrore accessiones incipiant, licet sit contrarium frequentius: sic sentiunt in huius loci expositione Gentilis, & Iacobus; & cùm ex natura rei non implicet, quod continua febris sit, etiamsi materia extra vasa putrescat, ita non implicat quod cum rigore, aut horrore aliquo incipiat continua. Est præter dicta modus probabilissimus, quo frigus aut horror in quotidiana continua appareant, etiamsi intra vasa humor putrescat, & hoc præcipuè eueniet si à pituita vitrea, aut acida quotidiana creetur, quia cùm synceri tales humores moueantur ad vasorum extremitates, nec in parua copia cùm febrem continuam causent, facillimè partes sentientes infrigidant, & frigore horrorem, aut rigorem efficient: non loquor de horrore, & rigore ab humore moto per partes sentientes, sed à solo frigore molestante causatis: nam vt frigus externum horrere, & concuti membra cogit, quin per illa aliquod corpus moueatur, sic frigus nimirum pituitæ si partes sentientes molestet, concussionem causabit, idemque in magno timore experimur infrigidato corporis ambitu ob spirituum, & sanguinis ad interna retrocessum. Vbi notabitis, quod humoris motio ad rigorem solùm requiritur vt partibus diuersis subitò applicetur obiectum molestans, vt sic plures irritatæ concutiantur, & corpus horreat, aut tremat: id autem quod facit humoris motio, facit non dubiè agens quodlibet

A quod violenter alterare potest, & successiuè, etsi quietum maneat; mordacitas enim humoris cùm non sit productiua sui, nec nisi à parte cui obiectum mordax applicatum est, possit sentiri, necesse est vt corpus moueatur, & breuiter, vt pluribus partibus molestiam inferre possit: agens verò quod alteratione continua; & successiua breuiter potest alterare, non eget motione vt membra concutiantur, si violenter illa alterando, & molestè immutet, quippe idem efficiet successiua alterationis molestia, quod obiecti irritantis motio, vt est euidens. Et inde mihi videtur probabilissimum, verum rigorem à simplici qualitate causari posse, etsi nullum corpus per partes sentientes moueatur, si rigor consistit in concussione sola ob molestiam causâta; rectè ergo
B pituita vitrea, & acida, quæ frigidissimæ sunt, ad ambitum corporis accedentes, quando ad vasorum extrema pelluntur, membra rigere, horrereque facient, vt facit frigus externum, nam infrigidare quis negabit? Quod si multa sit pituita, mota non solùm alteratione infrigidat, sed etiam suffocando, & extinguendo vitales spiritus: & si hoc faciat, constat quod frigus non solùm à pituita producatur, sed etiam à forma viuentis, & sic ambitum corporis algidum reddi & nimis molestari, vt à nimio rigore externo affligitur, & tremore concutitur. Doctissimè igitur Auicenna notauit in quotidiana continua, non eo ipso continuam non esse putandam, quòd aliquo ex dictis accidentibus in inuasionibus ægri premantur, sed tantùm differre, quod continua non atadicetur, alia verò intermit-
C tat; & hoc animaduertit, quia cum eis incipere febri pituitosæ quàm cæteris proprius conuenit, quia à frigidiori causa creatur, videbimusque *cap. de hemitriteo* esse Galeni doctrinæ consonum, quod quotidiana continua cum frigore, & horrore incipere possit.

Ex dictis exponitur alia sententia huius capitis, quæ expositorum ingenia malè torsit. Verba sunt: *Et fit illic vehemens rigor in sex horis, aut tantum superans illum, qui fit in periodica.* Quasi diceret; si quotidiana continua à rigore, aut horrore, vel frigore incipiat, maiora erunt quàm in periodica, seu intermittente, quia ex multa copia, & maiori multò quam interpellata generatur, sicque & plus durat transmissio, & vehementius etiam natura patitur, tum à frigore pituitæ, tum etiam à ma-
D iori caloris extinctione, & suffocatione. Vnde quamuis periodica non euacuetur à residuo, id est non euacuetur à frigore, est tamen occultum non apparens, id est minus multò, & remissius quàm in continua: quam expositionem ex Dino adducit Gentilis, eámque satis leuiter, ne dicam inaniter impugnat, aliam adducens ipse minus probabilem, & violentius textum exponentem, & meo iudicio totus est Auicenna *in hoc cap.* circa explicationem adductæ differentiæ; nimirum quod etsi continuis febribus minus competat à rigore, aut horrore, vel frigore incipere, pituitosis tamen continuis principaliter competit, quia ex multa & frigidissima materia oriuntur aliquando, & inde quando materia mouetur ad extremitates vasorum, si cum aliquo
E ex dictis accidentibus incipiat, erunt non dubiè maiora, & longiora, quia multa est materia, & sic positiuè nimis infrigidat, multum suffocat, & extinguit influentem calorem, vt tardissimè interdum ægri recalefiant, & hæc tarditas, & maior extensio frigoris in accessionum initiis conducit non parum ad continuitatem, vt constat, quia vt tardius incipit inflammari materia, tardius etiam resoluitur, vt alia materiæ portio de nouo accumulatur, antequam prior sit resoluta.

SECTIO I.

An sit danda febris latica distincta à quotidiana continua.

DVo inueniuntur *in adducto cap.* difficilia: primum quod quotidianam continuam appellet Auicenna laticam in titulo capitis. Secundum quod dicat quod hæc febris est magis similis cum hectica, ob quæ Ludouicus Mercatus putauit laticam febrem esse omnino distinctam à quotidiana continua, & de illa prout condistincta sermonem *in hoc cap.* author instituit, & nullo modo agere de quotidiana continua de qua communiter authores reliqui disputant: supponit ad eius placiti probationem *lib. 6. de febre citato, de quotidiana febre*, febrem laticam de pituitosarum genere esse, & intra genus continuæ contineri: continuarum verò duplicem naturam constituit, vnam quæ citra illam accessionem, aut notationem molestat, sed in eodem tenore videtur manere, vt propriùs dicamus continentem æmulari in eodem tenore semper permanentem; alia est quotidiana continua cum notationibus & nouis inuasionibus, à quibus (vt reliquæ febres continuæ repetentes) augmentum nouum, & vigor eueniunt, inter quas fortes est hoc discrimen, quod ea quæ annotationibus caret, causatur ab humore pituitoso intra vasa putrescente; ea verò, quæ annotationibus incipit ex pituitosis humiditatibus nascitur, extrema vasorum & poros carnis inundantibus, ob quod primam vocat simpliciter continuam quotidianam; secundam verò laticam vocat, aut spuriam pituitosam. Spuria verò dicitur, & propter locum in quo humor continetur, & propter modum, & differentiam humoris; excitatur (inquit) ex tenuiori & non ita frigido, & in locis intra quos continetur iam dictis incalescit humor ad resolutionem potius, quam putrescat ad corruptionem. Ex quibus infert, quod latica continua inuadit cum oscitatione & pandiculatione ac leui refrigeratione intermittentes æmulando: quæ inuasio seu incrementi principium sex horis terminatur, cum tam leui tamen calore quod naturalem potius æmuletur & ob remissionem videatur intermittere: post spatium verò prædictum, leuiter calor augetur, duratque decem & octo horis, licet aliquando iterum refrigeretur, & incalescat more etiam intermittentium, à quibus differt quod hæ intermittunt sex horis, & iterum cum manifesta refrigeratione incalescunt decem & octo horarum spatio: Latica verò refrigerationem illam habet cum moderatissimo calore, ita vt æger non sentiat molestiam nec à refrigeratione, nec à coniuncto sibi calore, quia ex complexa causa contrariorum, medius ille resultat effectus similis colori natiuo, quem sequitur incalescentia simillima calori exercitij sine vlla accidentium molestia, ob quæ Auicenna & Barbari ferè omnes, laticam febrem mediam esse inter putridas & hecticas dixerunt; est enim humoralis, vt omnes febres putridæ, & hecticam æmulatur, quia in partibus carnosis, & tertia regione residet. Differt tamen à putridis, quia latica pendet solùm à tenuibus, & pituitosis humiditatibus succensis, seu incalescentibus, & non ex vera putredine vt humorales; ab hectica verò differt, quia hæc ex succensione & consumptione propriæ & natiuæ humiditatis generatur; latica verò ex succensione, & consumptione alienæ extraneæ ac superabundantia in eisdem partibus, & sic est media inter putridas verè, & hecticas, quia in quibusdam rebus est similis, & in aliis discriminatur, vt ex dictis constat.

Hinc infert, laticam febrem esse diuturnissimam, seu exteosam, idque duplici significatione; altera ob temporis diuturnitatem, reliqua verò quia eius calor latè, & ferè æqualiter se extendit per omnes corporis partes, magis tamen & proprius per tertiam regionem, à qua more hecticarum ad cor peruenit, contra ac putridæ à visceribus (vbi obstructio viget) ad tertiam regionem, quæ rarò purgationibus iuuatur; & ob id etiam à putridis febribus in curatione differt, hæ enim euacuationibus plerumque curantur, latica verò refectione per nouam humiditatem vt hecticæ, licet etiam frictionibus, & resolutoriis curari desideret. Ita continetur placitum Ludouici Mercati, quod etiam confirmat denuo *lib. consult. consultatione* 22. & in gallico morbo infectis inueniri docet, cuius causa est humor viscidus in vasorum extremitatibus collectus, & hæreus, & in poros carnium etiam more humiditatis naturalis distributus, ob quod duo mala perpetrat, & efficit: alterum est incalescere, & febriculam illam citra putredinem succendit, à modo seu naturalitate caloris exercitij non multum dissidentem, quod putes calorem esse naturalissimum, mansuetum, & mulcebrem, licet parùm adauctum; cuius ratio est, quia non concepit putredinem, sed incalescentiam cum sufficiente ventilatione ob viciniam ambientis; non tamen quæ prædictam incalescentiam impediat. Secundum malum quod infert, est atrophia, seu tabitudo; quia cùm succi illi sint alitioni inepti ob vitiosam naturam, corpus non alitur, sed indies contabescit, talisque naturæ (inquit) sunt febres gallica macie, aut hectica laborantium, quo fit vt sæpissimè sudoribus, inunctionibus, & cæteris præsidiis, quæ humiditatem illam gallicam carnibus immersam, quantumvis febricitent, consumant, & sanitati restituti facilè impinguentur ægroti.

Magister noster *lib. de feb. à folio* 117. opinionem Mercati referens, chimæricam, & imaginariam iudicat, & præcipuè quatenus docet quod Auicenna *cap. adducto* non de quotidiana continua, quæ propriè sit talia, sed de latica à Mercato explicata sermonem instituat, putatque Magister laticam febrem apud Auicennam non esse peculiarem speciem continuæ pituitosæ, sed omnem continuam ex pituita pendentem ita appellasse, nec hoc putat sub dubio cadere posse: Vnde docet, quod etsi humor pituitosus in poris carnis putrefieri possit, & febrem causare, non erit alterius naturæ ab alia pituitosa continua propter aliquem modum afficiendi, aut symptoma, nec habet peculiarem modum generationis.

Ego verò etsi in multis diuersus sim à doctrina Mercati, quorũ aliqua Magister adduxit in eius refutatione, ex parte tamen Mercati doctrinam veneror, quod magnum quid doceat, & tradat, dari nimirum febres quasdam lenes, continuò tamen absque vlla annotatione, quæ ordine repetat, affligentes: quin potius in eodem tenore manentes in cessanter molestant, non vehementia caloris, sed fixione, diuturnitate, & lentè, occultéque (quia sine graui aliquo accidente) ad tabem deducant, esseque velut symptomaticas febres ex pertinacibus obstructionibus per ambitum corporis disseminatis, vt febris non ita pendeat ex obstruentibus humoribus putridis, vt ex fuliginibus, quæ continuò ex partium nutritione eleuantur, absque vlla putredine, & quia morbus obstructionis stabilis est, & insignem mutationem per certas periodos non recipit, eandem stabilitatem, & vniformem modum febres participent, esseque potius diarias natura, & non constitutione, saltem plus de diariis quàm de putridis participes esse: quia etsi aliqua portio humiditatum putrescat, non pendet continuitas ex hac incerta putredine, sed ex necessaria fuliginum, incessantéque eleuatione, quæ cùm liberum exitum non habeant ob stabiles inconcussasque obstructiones, cor, & totum calefaciunt, febresque suaues non incensiuas, sine inuasionibusque & certis incrementis creant. Fatetur quidem Galenus *lib.* 11. *methodi cap.* 4.

cap. 4. transpirationes per totum animal sisti posse finibus vasorum stipatis, vel tota cute; ergo si vasorum omnium fines obstrui non repugnat, & à pertinacibus, lentis, glutinosisque succis, erunt tales obstructiones stabiles, & inconcussæ: quibus si addas hoc idem vitium carnea viscerum obsidere posse, iecur præsertim, quod facillimè obstrui Galenus notauit *de constitutione artis medicæ*, facillimè inuenies quàm periculosa esse possit huiusmodi constitutio, si ob humorum lentitiam, & viscositatem non tantùm fines vasorum, sed viscera interna obstruantur: totum enim corpus fuliginum copia calefactum febricitabit assiduè, more hecticorum, absque vllo nouo accessionum aduentu, increscetque calor, non quidem duabus horis ab assumpto cibo, sed statim quod obstructio, aut saltem mala, improsperaque corporis ventilatio à cibo crescat, non solùm compressione viarum ab alimento distendente de nouo facta, sed etiam quia vapor crudus ex coctione eleuatus, cùm peruium & transpirabile corpus non inueniat, non facilè exhalat, nec transpirat, & sic obstruit de nouo in principio præsertim coctionis, quando & maior, & crassior, corpulentiorque fuliginum copia eleuatur, quod planè indicat à cibo somni propensio.

Potest etiam latica dici febris illa lenta à Fernelio relata *lib. 4. de febribus, cap. 8 Oritur* (inquit) *non è visceris, partisve cuiusquam inflammatione, sed ex latente obstructione, & putredine, quæ visceri contumaciter adhærescit, impactaque est adeò vt & ipsa visceris substantia plerumque labefactetur*; & notas eius referens dicit. *Distinguitur autem quod omnium est putridarum mitissima, æger nullo graui symptomate premitur, sæpe nec se ægrotare putat; putredinis tamen notæ interdum elucens in vrinis, pulsus frequens, celer, & inæqualis, non tamen magnus, aut vehemens: vires imbecillæ, & languida collabuntur, vt ne progredi quidem æger possit, corporis moles etiamsi alimentum sumitur, sensim liquescit, diuturna hæc febris est, quæ reliquarum continuarum terminos prætergreditur, neque vigesimo, nec interdum quadragesimo soluta: huius cum suspicio est, fomes quærendus, omnesque corporis partes animo, sensuque lustranda sunt, dum signis conspicuum sit, in quanam parte consistat, sæpe in ventriculo, aut in iecore, interdum in liene, aut mesenterio, nonnunquam in pulmonibus cuiusvis humoris semimala putredo cumulata hanc excitat. Sedulo igitur obseruanda sunt hypochondria, & hypogastrium, num in iis tumoris cuiusdam insit sensus, sæpe etiam vel in cachexia, vel in fœdis virginum coloribus serosa pituita in corpus effusa putredo lenis illam protulit: & hæc* (inquit) *lenta simplex appelletur.* Hactenus Fernelius. Vt igitur admittit ille lentam febrem ex putredine serosæ, & tenuis pituitæ per ambitum corporis disseminatæ in cachecticis, & decoloratis virginibus, sic admittenda censeo ex lenta, & viscida pituita eandem regionem obsidente, quo aut putrescens calidos vapores disseminet, aut obstruens transpirationem fuliginum remoretur, & pertinaciter, vt eius causa hæreat, indéque molestissima diuturnitate sit, & ad tabem sensim inclinet, deducátque corpus, latétque imperitos corporis marcor, quod interdum corpus turgidum, inflatumque appareat, quia ob lentitiam, & crassitiem, pertinacésque obstructiones corpus non dissipetur: cùm tamen quia malè nutritur, ac debilissimè, & quod ex carnibus resoluitur ac liquescit, intus conclusum inflat, debita carnis ac pinguedinis restauratione priuatur, vt in malo corporis habitu, aut hydrope anasarca quotidie cernimus. Censeo verò contra Fernelium quod febris illa ex lenta aut tenui pituita putrescente, non sit in rigore symptomatica, ipsa enim substantia quæ obstruit, putrescit etiam, & febrem generat, & hæ sunt febres quæ hecticis nimis similes sunt, quod lentæ sint, & sine annotationibus, non enim humorum affluxu violento, celeriterque facto, sed sine mutatione humorum obstruentium creantur, & si aliquam muta-

A tionem patiuntur, sensim fit, eo modo quo naturalis alimenti distributio: quod si imbecilitas coctricis & expultricis totum corporis ambitum lædat, vt congerantur excrementa multa, & obstruentia ex alimento ad partium nutritionem distributo, facilius quod diximus eueniet sine aliqua annotatione sensibili, & facilius multò si alimentum attractum crassum, lentum, viscosumque sit; quod si in corporis ambitu eam dispositionem acquisierit sanguis, aut nutrimentum; viscera verò saniora sint, & calor abundet in eis, magna erit febris occasio, quia fuligines ex visceribus eleuatæ erunt calidiores, & sic detentæ calefacient intensiùs.

Et in hoc mihi Mercatus displicet, nam cùm constituat speciem particularem febris laticæ à communi quo-
B tidiana diuersæ, nulla potiori iure latica vocanda erit, quàm quæ continuò molestans, inuasionibus, annotationibusque caret; hæc enim hecticæ similior est non dubiè, & inde latica, occultaque meritò vocatur: quæ verò cum annotationibus manifestis molestat, ita ab hectica per illa signa distinguitur & seipsam ostentat, quod nullo modo eam proprietate latica dici possit, si latica dicitur quòd lateat; quod ego intelligo de natura eius, eo quòd hecticæ similis ita sit vt non facilè ab ea statim distinguatur, quod propriè febribus continuis, lentis, sine refrigeratione, horrore, aut rigore, vel manifestis incrementis molestantibus conuenit. Neque obstat quod Auicenna quotidianam cum dictis signis inuadentem hecticæ similem esse dicat, cùm similior sit non dubiè, quæ à nobis adducta est, si in causa stabili, & dif-
C ficilè mobili sit more hecticarum, cuius conditionis esse putat Platerius febrem illam, quæ cachexiam comitari solet, & interdum corpus gracilescit, lenta quippe est, & caloris adeò mitis vt eum vix ægri deprehendant, hecticæ febris calori non absimilem. *Vnde* (inquit) *& vulgus eas hecticas quoque vocat, hasque febres infantibus & virginibus in primis antequam menses erumpant familiares, ex cita respiratione, accedente marcore corporis quem ex ossis Xiphoides prominentia, & costarum, & scapularum eminentiis colligunt*, &c. & Inferiùs dicit: *Quæ febres diuturnæ quoque admodum sunt, & nonnunquam in veras hecticas degenerant, aliàs verò morbo vnde prodeunt sanato iterum abolentur.* Eiusdem naturæ mihi esse videntur, vt notauit Mercatus febres laborantium gallico morbo,
D sunt enim sæpe continuæ absque vlla exacerbatione, mites, nec singultuosæ; solent tamen interdum nimiè extenuare corpora ipsorum, aliquando verò diutius molestantes tabificæ non fiunt. Discrimen pendet ex maiori, aut minori resistentia ad resolutionem, & quia partes principes affectæ non sint, ita vt nutritio labefactetur, aut è contra. Constat verò huiusmodi febres ab ipsa materia gallica oriri, siue quia putrida sit, siue quia hæreat & obstruat tenaciter, & dum hecticam impressionem non fecere eisdem auxiliis quibus gallicum vitium abolentur, ipsæ etiam eradicantur.

Inde constat non rectè dixisse Magistrum, quod si humor pituitosus in poris carnis putrescat, & febrem causet, non erit alterius naturæ ab alia pituitosa continua, propter aliquem modum afficiendi, aut aliquod
E symptoma, nec habet aliquem peculiarem modum generationis. Contra est, quod si eo quo diximus modo humor pituitosus putredinem in poris carnium concipiat, febricitabit æger continuè, sine vllis exacerbationibus, & quotidianis repetentiis, sine vomitibus, & aliis accidentibus in ipsa febrium circuitione, & succorum noua motione molestantibus, ob quorum priuationem latica dicitur febris, quia hecticæ naturam æmulatur, præcipuè verò deficient pulsuum inæqualitates, quæ febrium nouas inuasiones, comitari solent ex humorum affluxu ad partes determinatas & putredinis focum, in quorum collectione euaporatio copiosa eleuata quando putrescunt, arteriæ opprimuntur, & inæqualiter mouentur, quod in latica nunquam reperies.

SECTIO

SECTIO II.

Notabile circa Literam textus.

QVæ diximus circa Literam intelligenda sunt, si textus legatur vt legit Gentilis. Verùm Andreas Alpagus Bellunensis diuersam multò translationem dedit, & fortè veriorem, quam etiam sequutus fuit Benedictus Rinius. Sic habet: *Sunt sicut reliqua signa febris phlegmaticæ, præter eradicationem, & quod similatur eradicationi, & præter inceptionem cum rigore, & frigore, horripilatione, & est res magis similis hecticæ, & est illic tepor in sex horis, & simile ei supra illum qui fit in continua, quoniam periodica etiam non euacuatur à tepore, qui tamen est occultus, non apparens.*

Quæ lectio verior mihi videtur, & sic explicatur. Continua quæ latica dicitur, habet signa similia quæ in intermittenti antea relata sunt, quia cùm quælibet à pituita creetur, necesse est quod in qualibet dentur signa pituitæ debita, nam vt in causa conueniunt, sic in accidentibus causæ debitis. Verùm quia differunt vt intermittens, & continua, necesse etiam est quod dentur signa quibus distinguantur, ad quorum explicationem addit sequentia verba. *Præter eradicationem, & quod assimilatur eradicationi, & præter inceptionem cum rigore & frigore, & horripilatione, & est res magis similis hecticæ*: hoc est, continua phlegmatica quamuis habeat signa pituitosæ intermittentis, quia à pituita vt illa dependet, verùm differt continua in multis, quia non eradicatur, id est non intermittit, nec habet signum simile intermittentiæ, sed semper sensibiliter affligit, & differt etiam quia in continua non datur rigor, refrigeratio sensibilis, aut horror, quia in hoc signo præter dictum præcipuè solent continuæ ab intermittentibus differre, nempe, quod accessiones incipiant sine rigore, horrore, aut sensibili refrigeratione, & inde prouenit quod phlegmatica continua sit res magis similis hecticæ, quia non intermittit, lenta febris est, & sine rigore, horrore, aut frigore molestat, quæ omnia clarissima sunt, & verissima simul.

Addit: *Et est illic tepor in sex horis, & simile ei supra illum qui fit in continua, quoniam periodica etiam non euacuatur à tepore, qui tamen est occultus, non apparens:* quasi diceret, vt in intermittente diximus, quod intermissio illius ad horas sex extendebatur, quia accessio decem & octo durabat; sic continua remittitur per alias sex horas, quamuis non intermittat, quia in prioribus tribus temporibus decem & octo horas paroxysmus absumit. Verùm hic tepor qui est in continua est supra illum qui fit in periodica seu intermittente, quia reuera est intensior, quia est verè febris & manifesta satis; at tepor intermittentis est occultus non apparens, hoc est non est febris manifesta & perspicua, sed potius reliquiæ febris esse videntur, quia vt *in fine capitis* de signis dixit: *Quæ significant quod febris est phlegmatica, est vt sit paroxysmus eius decem & octo horis, & dimissio eius sex horis, & non est dimissio eius munda, quoniam materia cum grossitudine & viscositate est multa.* Quod etiam Galenus docuit 2. *de differentiis febrium cap. proprio* dicendo. *In die ergo efficitur & intermissio multò deterior, & secundæ accessionis maturius principium.* Hæc expositio probabilior mihi videtur, & est non dubiè: textus enim tam pessimè translatus est, & tam variè, quod probabilem sensum sine multo labore adducere sit impossibile. Non possum tamen non mirari quàm oscitanter à Magistro meo lectus, & expositus fuerit; nam etsi verborum illorum, *& præter inceptionem cum rigore & frigore, & horripilatione*, vt Bellunensis scripserit, sensum non calluit, sed multa contra Gentilem, & Iacobum aliam lectionem sequutos obiecit, & fortè non

A vera; idoneum tamen sensum verborum Auicennæ conticuit, non exponendo qualiter intelligenda forent, neque diuersitatem, & repugnantiam translationis notauit. Et tandem censeo in relata translatione Bellunensis & Rinij, vbi legitur, *& simile ei supra illum qui fit in continua*, esse legendum *supra illum qui fit in periodica*; significat enim quod tepor, idest calor remissionis accessionum, sit intensior quàm inuenitus in intermissione periodicæ, quoniam periodica etiam non euacuatur à tepore; est tamen remissior multò, quàm in latica, quia reliqua potius febris in periodica quam vera febris est, hoc est, est minus pura intermissio; sic enim translatio Bellunensis emendata omnino est, idoneum seosum significans, & antea dictis conueniens.

B

Capita L. vsque ad LIV. inclusiuè perlustrantur in parte secunda post Tractatum de Coctione & putredine.

CAPVT LV.

De cura febris amphemerinæ, seu quotidianæ interpolatæ.

C HVtus febris medelam confusè satis author noster disponit, & multa ex aliis locis petenda repetit: cùm verò supposuerit antea causarum diuersitatem ex diuersis speciebus pituitæ desumptam, notat primò, quod varietatem etiam curatio quotidianæ admittit, vt ab hac, aut illa specie pituitosi succi quotidiana creatur, nam acida & vitrea pituita frigidiores multò sunt dulci aut salsa, & salsa acrimoniam quandam ob salsedinem habet, ob quam & siticulosior, & calidior, & siccior reliquis est, coquuntur difficilius acida, & vitrea, deinde salsa, dulcis verò coctioni resistit minus, licet cibi abominationem, aut inappetentiam præ D cæteris excitet, vt acida è contra famelicos reddit; siccior præ reliquis salsa est, quando salsedo sine terreo vsto creari non potest, ob quod ægrè resoluitur, & ad naturam melancholiæ nonnihil accedit, acrimonia lancinat, salsedine sitim non facilè placabilem suscitat, deinde cibi appetitum diminuit, rarò enim sitim magnam excitantia cibi abominationem non afferunt.

Verùm quod in initio curationis huiusmodi accuratè notandum est, pendet ex solerti inuestigatione dispositionis ventriculi, & primæ regionis, quoniam si verè Galenus dixit, rarò dari quotidianam absque ventriculi vitio, vt ipse ferè semper pars creans huius febris materiam putetur, rarissimum erit in quotidianis febribus primam regionem crudis repletam non esse, cui ante sectionem venæ (nisi ægros perdere velimus) E occurrere debet Medicus, in quo duplex animaduersio occurrit. Prima si ventriculus non solùm crudos humores generet, sed etiam in prima regione semper comprehensi absque vitio secundæ quotidiana creetur: secunda consideratio erit, si crudi humores à ventriculo geniti ad vasa distributi, ibi putrescant, & in secunda regione materia febris immediata contineatur, cum quo etiam alia consideratio occurrit, si simul cum tali materia in vasis secundæ regionis contenta, detur in prima regione crudorum copia, tanquam materia remota, aut tanquam conditio sine qua non, auferenda priusquam vena secetur.

Hoc considerato, indubitatum est, quod sectio venæ perniciosa sit, si crudis excrementis ventriculus, aut

aut regio prima scateant, ob inconuenientia sæpius adducta de intromissione crudorum ad partes internas, augmento obstructionum, difficultate maiori correctionis crudorum primæ regionis, & insigni ventriculi languore, nam & in ipsa actuali missione sanguinis ob illius consensum periculoso animi deliquio opprimuntur, quando cruditate laborat, aut sine illa ventriculus debilis est, vt in hac febrium sorte esse consueuit. Hanc ventriculi dispositionem velut perpetuam Author considerans dixit, quod omnes species quotidianæ communicant in hora principij in tribus, in necessitate lenificationis æqualis, aut vomitus, & in necessitate subtiliantium, & incidentium diureticorum, & quod hoc tertium non fiat antequam dies tres præterierint; lenitio ergo ventris, & clysteribus, & leniente medicamento, aut vomitus prouocatione, est primum quod in hac febre ob crudas materias primæ regionis imperandum est, in quo exequendo duo animaduertes. Primum, quod sæpe materia cruda tam impacta in ventriculo est, aut tam adhærens, quod non deceat leniens medicamentum propinare, iam crassa enim, & tenax materia tam leui medicamento non cedit, & quod mobilius est ad ventriculum ex aliis partibus trahitur, & obstructio, & cacochymia primæ regionis augentur, & inde febris. Secundum est, quod vomitus etiam potest excrementa primæ regionis, & partium proximarum ad ventriculum conuocare, & summè lædere, ob quod si sarcina crudorum molestet, tutius est clysteribus assiduis, detergentibus, & incisoriis intus assumptis, & concoctoriis exterius applicitis sarcinam deponere, & robur ventriculo conciliare, quo facto leniens medicamentum securè concedetur, aut quod leniter cruda educat; & si constet totam materiam antecedentem, & coniunctam in prima regione, & ventriculo stabulari, nunquam sanguis mittitur. Idemque obseruabitur, si simul cum materia intra vasa secundæ regionis, quæ author sit febris, cruda excrementa primæ inueniantur, sunt enim hæc deponenda prius, tanquam conditio sine qua non: post verò si expediat secabitur vena; nam in primo casu nunquam licebit, vt constat, sed erit certum exitium, tota enim curatio clysteribus expurgantibus, & internis incisoriis, concoctoriis, & extergentibus, & reperitis expurgationibus, primam solam regionem mundantibus, & non ex toto trahentibus, & ventriculo roborato absoluenda est, aut vomitoriis, si eis sit opus, de quorum indicationibus postea.

Igitur si causa quotidianæ in secunda regione sit, & prima absque suspicione crudorum, non leuis discordia est si vena secanda sit. Galenus enim 1. *ad Glauconem, cap.* 22. etsi vomitum, expurgationem, & diuretica consulat, sectionis venæ non recordatur. Nec mihi placet solutio Magistri mei, nempe quod cùm Galenus compendiosè solùm ad *Glauconem* scripserit, omisit multa ex aliis locis accipienda: est enim solutio inanis, quando tam celebre auxilium, & primum pro eradicandis febribus obliuioni tradendum non erat, præsertim cùm de illo in aliis febribus eodem libro determinata præcepta tradiderit, vt ex *cap. de curatione tertianæ nothæ, quartanæ, & febris continuæ* constat. Sensit ergo secandam venam non esse, tum etiam quia vbi os ventriculi læsum supponitur, sectionem venæ strenuè dehortatur; nihil enim Galenum ad imperandum huiusmodi auxilium plus perterruit, quàm ventriculi debilitas, præcipuè quando distemperies debilitans frigida, & humida est, & succos frigidos creat; eam verò læsionem Galenus supposuit *eodem capite*, cum doceat, quod circa statum morbi sit habenda magna ventriculi solicitudo, præsertim de eius ore, & *cap.* 14. *eiusdem libri*, etiamsi plethoram cum febre admittat, non admittit sectionem venæ, quandiu ventriculi os offensum conspiciatur, vt constat ex doctrina *initio capitis* tradita, cuius praua in-

A tellectio mortis plurimorum fuit occasio. Hanc partem tenet Auerr. 7. *collectaneorum, cap.* 13. In phlegmatica (inquit) mihi videtur, quod cum timore maximo phlebotomia facienda sit, quia in ea multa quantitas crudorum humorum reperitur. Idem Paulus, Aëtius, & Trallianus sensere, & cùm Trallianus Galeni errores nunquam siluerit, & *in hoc capite* illum reprehendat, quia determinata incisoria non docuerit, taceret minus venæ sectionis omissionem, si eam conuenientem putaret.

Oppositum tenet tota ferè recentiorum schola, noster verò Author cum distinctione loqui videtur, solùm enim tale auxilium consulit, quando vrina rubicundior, & grossa apparuerit. *Et quoties* (inquit) *videris vrinam* B *grossiorem, & rubicundiorem, non erit malum si phlebotomaueris*. Ex quibus patet, non tradere vniuersalem doctrinam, sed limitatam. Magister meus *lib. de febrib, fol.* 1057. vniuersaliter docet hoc auxilium conuenire, tum ex communi methodo, & doctrina à Galeno tradita *lib.* 11. *methodi, cap.* 15. dicente, salubertimum esse non in continentibus modò, verùm etiam in aliis omnibus febribus, quas putrescens humor concitat, venam incidere. Ratio a priori videtur sibi efficax, nimirum quod in quotidiana adsunt scopi necessarij, morbi scilicet magnitudo, & virium robus; nec potest aliquis mente concipere aliquid prohibens, iuxta Hippocratis, & Galeni doctrinam. Verùm illa ratio inanis est, cùm dentur innumeri morbi magni cum virium robore, sanguinis missionem nullatenus indicantes, imò auer- C santes omninò. Melius probari poterat ex alia Galeni doctrina *lib. de venæ sectione, cap.* 8. asserentis, quod præsentibus copiis, nulla datur tanta copia crudorum, quæ sanguinis missionem prohibeat, & si aliquid in quotidiana obstaret, aliud esse non posset, nisi copia crudorum, eam verò tantam non esse, ex virium constantia constat. Est ergo vena secanda ob multas commoditates in communi methodo adductis, & à simili suadetur; nam in anasarca (frigida alioqui passione, & à maiori multò copia crudorum quàm quotidiana pendente) sanguinis missionem Galenus consulit 4. *de victu acutor. text*..... securius ergo multò in quotidiana secabitur vena, cùm sit passio calida, & copia crudorum sit minor multò, vt comparari nequeat cum illa. Quæ D doctrina probabilior mihi apparet: loquor verò de quotidiana à pituita orta, nam cùm in mea opinione, & à bile, & quouis alio humore fieri quotidiana possit, extra controuersiam huius capitis est.

Est tamen notabilis censura Gentilis circa distinctionem vrinæ rubicondæ, & grossæ: putat enim non semper cum tali vrina secandam esse venam, imò perniciosum auxilium esse. *Caue* (inquit) *ne talis tinctura sit propter profunditatem putredinis ad partem phlegmatis, & aliquam choleræ excitationem; nos enim vidimus, quòd qui talibus vrinis apparentibus in phlegmatica phlebotomarunt, & extracto sanguine, cuius retentio erat necessaria, subtiliatæ sunt vrinæ defectu subito caloris naturalis, & actualis cum eo, de quo gloriati sunt Medici ignari, & peruentum est ex hoc ad mortem, vel prauitatem ægritudinis*. Et exageran- E do tantum præceptum dicit: *Scias hoc*. Quam doctrinam etiam sequitur Herculanus, sed hanc limitationem Magister meus impugnat, quia non explicatur commodè, quid repugnans ad secandam venam ponatur ob profundam pituitæ putredinem, aut bilis permistionem, quia ob dicta, nec deficit virtus, nec morbi magnitudo, nec timendus est caloris naturalis defectus absolutè pro tota morbi constitutione; sed Gentilis experimento arguit, non esse fidendum tali colori, cui non satisfacit Magister, & si ille color ob permistionem multæ bilis cum pituita suscitari potest, potuit non dubiè esse incommoda venæ sectio, est enim magna cacochymia ob excessum duorum humorum creata, in qua sanguis in debita quantitate esse repugnat, vt vena secetur.

Verùm

Verùm videamus si color rubicundus magnæ cruditatis signum esse possit, ita vt insignem debilitatem coctricis ventriculi significet, nam si hoc videatur probabile, erit etiam probabilissimum quod interdum cum tali colore sit perniciosum venam secare: Doctissimus Sennertus hanc opinionem, & ratione, & experimentis suadet, *lib. 3. practica, p. 8. sect. 2. cap. 7.* putat enim colorem vrinæ non solùm à bile aureo colore tingi, sed etiam à sale russo, sicut lixiuium à sale impuro cinerum tingi videmus; dantur enim in cibis partes quædam sulphureæ, & tartareæ, ac salinosæ, quæ per coctionem ventriculi separari debent, & per secessum emitti, ob hæc enim alui excrementa tam calida, & resolutoria, detergentia, exsiccantiáque euadunt, & ab iis etiam salsa vrina tam manifestè percipitur: non enim omnes partes possunt à ventriculo secerni, sed à iecore etiam separantur. Sic Hippocrates *lib. de veteri Medicina* dixit: *Inest enim in homine, & amarum, & salsum, & dulce, & acidum, & acerbum, & fluidum, & alia infinita omnigenas facultates habentia, copiamque, ac robur.* Quem locum aureum (oraculum dicerem melius) quia plerique, ne dicam ferè omnes ignorant, ignorant etiam plurimorum morborum causas, & curationem idoneam; aliud enim vt causas morborum, nisi quatuor humores non proponunt, in quibus solùm considerant calorem, aut frigus, humorem, aut siccitatem, cùm dentur in eis amarum, salsum, dulce, & acerbum, & alia innumera accidentia, quibus nos vehementer, & morbosè satis afficiunt. Hippocrates quidem *eodem libro* sic loquitur: *Frigiditatem autem, & caliditatem, ego omnium facultatum minimè potentes esse in corpore existimo:* & paulò antea: *Non enim calidum est, quod magnam vim habet, sed ipsum acerbum, & fluidum, & alia quæ à me relata sunt, tum in homine, tum extra hominem,* &c.

Redeuntes igitur ad propositum argumentum, sentit cum Dodoneo Sennertus, quod vrinæ rubræ non solùm in morbis calidis, vt ardentibus febribus, tertianis, & partium internarum inflammationibus, sed non rarò etiam in ventriculo, & iecore per diuturnos morbos cum refrigeratione debilitatis inueniantur; & exemplis confirmat. Nos etiam, & Practici omnes in hydrope vrinas præter modum incensas, & rubras quotidie experimur, & mirum quam stupidè multi de causa earum philosophentur, vt fecit Claudinus *consultatione 9. fol. 429.* Ergo (inquit) Sennertus, quod si ventriculo debili offeratur cibus, quem coquere benè & elaborare non possit, non fit rectè partium excrementitiarum in ventriculo separatio, sed chylus impuros, & fæculentus generatur, qui ad iecur delatus multa talia excrementa suppeditat, quæ vbi à sanguine separantur, & ad renes feruntur, vrinam tali colore rosso tingunt: imò in scorbuticis vrina sæpè non solùm rubra est, & splendet, verùm etiam vbi turbatur, rubrum sedimentum est pulueri laterum simile quod subsidet: tale ergo si quid in vrinis appareat, non statim calor iecoris, vel febris aliqua accusanda, sed diligenter omnia perpendenda, & si nulla caloris vel febris adsint indicia, ad ventriculum respiciendum, & an is sit debilis, vel cibus coctu difficilis assumptus sit, considerandum, ac si tale quid animaduertatur, ventriculus calefaciendus, cibusque, & potus frigidus cum calido permutandus, & pro ceruisia vinum bibendum.

Sic ergo euenire poterit, vbi succi crudi abundantes quotidianam generant, esse nempe ventriculum debilem satis, & ob defectum separationis salitrosæ partis & russæ, quæ multis alimentis potest inesse, vrinam russam intensè apparere; non enim (vt rectè notat Sennertus) cruentus propriè color est, sed talis qualis in febribus ardentibus apparere solet, nec tamen à bile quæ in passionibus crudis nunquam abundat, sed potius à crasso, & crudo humore prouenit. Galenus 1. *ad Glauconem, cap. 7.* ex vrina rubida, non minus quàm ex aquosa, tenui, aut crassa, & turbulenta, quotidianam agnoscere docet. Verba sunt: *Quæ autem in principiis videntur, febris etiam speciem induerunt, nam in quotidianis, vel albæ sunt, & tenues, vel crassæ, & turbulentæ, vel rubidæ;* loquitur verò statim in principio, quod Auicenna *cap. 15.* non admittit, sed ita loquitur: *Vrina in principio est alba, subtilis, propter multitudinem oppilationum, & frigoris, deinde fit rubea propter putredinem.* Vbi Gentilis dicit; *Putredo enim profundata in phlegmate immiscet vapores grossus eius, & partes aliquas resoluedit cum vrina.* Ego intelligo per profundatam putredinem quod à calore putredinali terreum etiam pituitæ aduratur, & incineretur, ex cuius permistione cum aquosa vrinæ parte, seu sero, color ruber resultet, vt in aqua, & cineribus à calore agitatis, & postea liquor percolatus colorem rubeum in lixiuio ostentat; fortassis verò quando tam profunda datur putredo, calor natiuus sanguinis missionem non sustinet, vt expertus fuit Gentilis, aut longum tempus ad eius emendationem requirit, quod non metientes bene qui venam secarunt in quotidiana, in mortem, aut grauius periculum ægros deduxere. Hæc proposita sunt, vt speculatio altior circa illa versetur, & quæ rarò contingunt, aut possibilia sunt, arcana tamen, memoriæ mandentur, & non semper vrina rubea, ad mittendum sanguinem (vt omnes ferè censent) omnes seducat. At Stephanus *in scholio cap. 7.* docet, quod vrina rubea in quotidianis detur, quoniam crassum quod fuit obstructum, exustum omninò fuit à putredine quæ erat in ipso, sed hoc in principio febris dari non potest, de quo fuit loquutus Galenus.

Est ergo sententia nostra, quod venæ sectio in quotidianis pituitosis rarò conueniat, quia rarò fomes ipsarum ventriculus læsus non est, & vitiosi succi, & multæ cruditates in prima regione tenaciter hæreant, & quæ non hærent secta vena intro trahantur, & sanguis vitietur, & non vitiosus educatur: minus verò multò conuenit hoc auxilium si pituita vitrea sit, ob summam frigiditatem, & crassitiem; acida etiam hoc auxilium ob eandem causam recusat, deinde dulcis, minus verò quòd salsa putatur; nam si hæc ardentem febrem efficit, calidior, inflammabiliorque est, debéque constare de ventriculi firmitudine ante venæ sectionem, & vt hæc febris vomitibus exstirpatur, & nullum auxilium efficacius agnoscitur, hoc idem sectionem venæ dehortatur, quia non aliter tam vtile est quàm violenta concussione crudos succos in prima regione, & ventriculo infarctos radicitus tollens. Rasis 17. *continentis, cap. 1.* sic loquitur: *Si declinat ad quotidianam, seu crudam, quæ est prolixa. & lenis abundantis humiditatis, in qua color corporis est albus, & citrinus, vbi est ponderositas, noli minuere.* De significationibus vrinæ rubeæ lege Auicennam *fen. 2. lib. 1. doctr. 3. cap. 2.*

SECTIO I.

De serapiis deobstruentibus.

SAnguine misso iam, si expediat, aut leniente medicamento imperato, incidendi, attenuandi, coquendi, detergendique sunt crudi succi, & interim roborandus ventriculus exterius appositis. De serapiis interius sumendis loquitur Auicenna dicendo; *Et conuenientiores medicinæ, quæ administrantur in principio, sunt genelisbin vsque ad diem septimum, & non est malum vt administrentur iterum aqua fæniculi, & endiuiæ, & apij cum genelisbin secundum necessitatem, & syrupus acetosus est vehementis necessitatis iterum, & aqua mellis cum hyssopo: iis addenda sunt serapia adianti, oxymel simplex, quod nomine*

syrupi

syrupi acetosi potest intelligi, aut si debilitas ventriculi vrgeat, syrupus de corticibus citri, aut de absinthio miscebitur, aut mina eidoniorum aromatica, aut syrupus de menta, qui etiam cardiaci sunt, verùm tam calidi syrupi rarò cum sectione venæ conueniunt, quia solum possunt imperari vbi languet nimis ventriculus, & præ imbibitione, & madefactione pituita laxatur, & inappetens redditur, in quo casu ex frusto carnis semiassata cum pulueribus aromaticis rosf. & vino irrorata languori tanto succurrimus, aut in aqua napha spica nardi, absinthij coma, mentha, rosa hispanica, & mastix incoquuntur, & decocto calido fouetur ventriculus, & post superponitur caro, aut vnguentum roborans ventriculum, & si os eius obstructum, & tensum percipiatur, mastix pinguis in oleo spica dissoluitur; additur puluis diambra, & cum emplastro meliloti loco ceræ stomachicum optimum paratur, quod semper adhærens magni solet esse momenti.

In syruporum exhibitione notandum, quod si ventriculus crudis infarctus percipiatur, absque aquarum miscela imperentur, vt diutius detenti, & maiori corpulentia efficacius operentur; si verò intra vasa coquendi, dispunendique sint, aquis idoneis diluentur, vt apij, feniculi, adianti, hyssopi, & absinthij, quæ nunquam non danda est ob ventriculi familiaritatem, & indigentiam: & vt author aquam mellis cum hyssopo commendat, laudanda etiam multa in qua absinthij turiones virides maduerint, est enim vtilissima, vt in cura de tertiana notha latissimè docui.

Est etiam ex communi methodo sciendum, quod deobstruentia concedenda non sint ante totius euacuationem, vt 8. *method. cap.* 4. Galenus docuit. Per euacuationem verò totius non est intelligendum, quod vasa secundæ regionis euacuari debeant; nam si tota materia pituitosa in prima regione contineretur, vt potest, quin obstrueret, & firmiter, vt solet, non esset necessaria euacuatio secundæ regionis, sed primæ, nec hæc sine vsu deobstruentium commodè liberari poterat: ergo vt in secunda non imperantur deobstruentia methodicè ante euacuationem vniuersalem, sic nec in prima quando multa materia supponitur: ne copia crudorum attenuata feratur intus, & secundam regionem vitiet, & obstruat, & si Galenus deobstruentia ante totius euacuationes vituperat, melius non dubiè diuretica propria damnabit, cùm magis commoueant, & humores præcipitando in vias angustas impingant, obstruentes magis, & cum periculo, ne ischuria causetur, aut interna inflammatio, vel alius periculosus decubitus.

Sed veget tunc quomodo prima regio ante deobstruentia inanienda sit, nam sanguinis missio perniciosa est, expurgatio verò conueniens minus videtur, quia cruda euacuantur, contra Hippocratem cocta solùm medicari imperantem; verùm illud oraculum de excrementis, aut humoribus primæ regionis intellexit nemo, illi enim separati à reliquis sunt, nec sanguini admisti, & in via communi stabulantur, nec ex eorum motione inconuenientia, seu incommoda, quæ in putridis humoribus, quando crudi in secunda regione purgantur, in casu nostro sequuntur; nec existimo de his humoribus loquutum fuisse Doctorem Sernam *lib.6. cap.6. fol.* 433. Fernelium sugillantem, sed de illis qui intra vasa ventriculi per quæ alimentum suscipit, continentur: illa verò vt *tractatu de coctione* docui, non constituunt primam regionem, sed secundam, & inde quæstio huius Doctoris est de subiecto non supponente, & tam certam censeo doctrinam nostram, quod nimirum excrementa in communi cauitate primæ regionis contenta sint statim educenda, etsi putrida sint, quod opinio contraria improbabilis omninò à nobis putetur; sed hoc latius *tractatu de expurgatione*, disputatur. Quis enim putridam bilem in ventriculi cauitate cardialgias excitantem, aut in fundo anxietatem

A intolerabilem, ibi manere permitteret, donec coqueretur, cùm prius homo deficeret.

Quis alimentum corruptum statim leniente non euacuat? aut quod alimentum non corrumpetur, si humores vitiosi in communi cauitate stabulentur? legatur verò curatio nostra de febre assode, & de cardialgia in febribus, vbi clara testimonia Galeni, & aliorum traduntur. Facta igitur idonea præparatione crudorum cum incisoriis, & detergentibus, si ipsa opus sit, expurgatio imperabitur, ex toto vt dixi non trahens, sed primam regionem tantum inaniendo, reiterata purgatione si opus videatur, quod felicissimè succedere quotidie experimur: nec extenuantia, & abstersoria, & concoquentia insignem læsionem inferre possunt quando in prima regione excrementa præ-

B parantur, nam quicquid attenuatur, per secessum emittitur, nec ad iecur deriuatur, quod clarè constat ex curatione febris syncopalis humorosæ à Galeno adducta *lib. 12. method.* vbi incidentia, & attenuantia cum copia crudorum in prima regione præscribit: ne tamen ignores quod Chrystalli ex tartaro sunt singulare remedium ad detergendas & expurgandas cruditates primæ regionis.

SECTIO II.

De occasione purgandi, & modo.

C NOn desunt putantes quod coctio expectanda non sit, vt pituitosi succi expurgentur. Sic sentit Ludouicus Mercado; censet enim periculosam huiusmodi febrem fieri ob copiam crudorum, vnde (inquit) facta leui præparatione, purgationem iuxta mentem Arabum in ipso principio imperandam esse. Huius doctrinæ Author fuit Rasis, vt tradit Iacobus in *huius cap. expositione, lib.* 10. *ad Almansorem*, & eius sequaces, quorum opinionis mentionem facit Auicenna, dicendo: Et multi quidem homines dant in potu in principio, quod est sicut medicina de turbith, in omni nocte, & sicut pilulæ de mastiche in hebdomada bis: prima medicina datur ad minorationem materiæ, vt docet Gentilis, & ideo qualibet nocte: secunda ve-

D rò ad conciliandum robur ventriculo, & ideo bis solum in septimana, propter illud (inquit) quod habent de stiptico. Sed notat Auicenna, quod medicina de turbith solùm conceditur quando aluus inferior non respondet, nam si responderit bis in die, non indiget hoc. Sententiam Rasis videtur planè sequutus noster Princeps, non solùm quia eius doctrinam directè non reprehendit, sed quia inferius sic scripsit; *Et multoties quidem conceditur euacuatio phlegmatis, & humoris crudi in hac hora*: Et antea dixerat; *Ego verò non diligo expectationem digestionis & lenificationis in iis quæ diximus prius, imò oportet, vt euacuetur ex ea aliquid, & expectetur in reliquo vsquequo digeratur, &c.* Quasi diceret, euacuetur aliquid crudæ materiæ,

E & expectetur postea digestio, seu coctio; eam enim expectare debemus si in principio potio euacuetur; euacuatur verò ob timorem victoriæ causæ ob multitudinem eius. & hoc est quod timuit Mercatus, & illum ad expurgandum cruda coëgit Arabes sequutum.

Magister meus meritò Mercatum sugillat, quod censeat perpetuam esse in quotidianis crudorum tantam copiam, vt necessarium sit ante coctionem minorare materiam, hoc enim nec perpetuum est, nec potest probari, & ideo coctio expectari potest, quando ob copiam incoctibilitas non timetur: si verò tanta appareat, quod probabilissimè periculum vitæ timeatur, & sanguinem amplius mitti non liceat, ne ad cruditatem desperatam omninò æger

peruueatur, videtur mihi rationi consentaneum expurgandum esse, etsi nondum euidens coctio appareat. Ratio est, quia totum fundamentum contrariæ opinionis est falsissimum, supponit enim totam materiam crudam à natura detineri, vt coquatur, & per coctionem separari, quod expurgandum est: ego verò non loquor de expurgatione materiæ putridæ, sed de expurgatione materiæ antecedentis; cuius copia tanta iam genita supponitur, quod si tota per accessiones absumenda foret, deficeret prius æger, hæc enim cur non expurgabitur, cùm coctio vt commodè educatur, non desideretur, nam pituita naturalis abundans nullo modo concoquitur, nec potest: illa enim, aut in membra mutatur si nutrire potest, aut sub forma pituitæ semper manet. Quod verò dicunt contrarij, Galenum non intelligentes, expurgari nimirum non posse, quia detinetur à natura, & inde eam adminiculantem non habemus, falsissimum censeo, nec Galenus audiendus, si hoc intellexit; constat enim, quod cùm accessiones quotidiè fiant, & illæ creentur, quia natura materiam antecedentem ad focum quotidie expellit, implicat quòd materia antecedens detineatur, vt coquatur, alioqui quomodo quotidie à parte in partem expellitur. Imò vt in communi methodo docui, nunquam natura minus quieta concipitur, quàm in febribus accessionalibus, quia perpetuò in focum putredinis reiicit excrementa, aut materiam antecedentem, quod indicant plenè accessiones repetentes: & si hæc antecedens materia nequit ferri a natura, sed pellitur, detinebitur multò minus quæ in foco putredinem concepit, cùm sit malignior, & dissimilior naturæ, eamque plus irritet, & constat euidenter, quod non detineatur actione positiua à natura, quia si decumbit in foco (vt Galenus censet) quia pars illa est debilis, iam non manet, quia detineatur, sed quia pelli non potest; nam si omnes partes essent æquè fortes, vt pellit in aliam, sic secunda pelleret in tertiam, & sic esset perpetua turgentia, donec extra corpus reiiceretur, aut mutua attritione, & calefactione resolueretur, vt per rigores euenit: ergo vt optimè docet Galenus, pars quæ recipit, & focus putredinis est, recipit quia debilis, & non potest præ debilitate expultricis in aliam partem materiam expellere: retinetur ergo ibi, non positiuè, sed quia expelli non potest; retentio verò quia expelli non potest, non potest obstare tractioni medicamenti, quin potius probabile est, quod adiuta natura à medicamento trahente, pellat tunc, quin onus per medicamenti tractionem subleuatur non dubiè, & sic pellet modò natura, quod antea non poterat. Dices, ad felicem expurgationem non esse satis quod non retineatur materia, sed requiratur etiam, quod actu expellat natura, ob quod in turgentia sola expurgare statim consulitur, quia actu expellens inuenitur. Sed hoc falsum esse constat, quia alioqui non liceret expurgare nisi quando turgentia adest, aut datur motio particularis humorum, quod est planè absurdum.

Est ergo sententia nostra, quod quando materia antecedens tam superans agnoscitur, vt probabilissimè vitæ periculum instet ob copiam illius, sit statim expurganda, quia illa non retinetur, & cadit sub obiecto expurgationis, nec est cruda vt constat, & inde coctionem non requirit, vt possit educi, sed solam præparationem ab arte sperat, sentioque diuersissimè de minoratione materiæ iam putridæ; hæc enim quando putrida, & multa simul est, expurgatur periculosissimè si ante coctionem expurgetur, non quidem quia retineatur à natura, vt vulgus Medicorum putat, sed ob allatas rationes in texto nostro de maligna febre. Nec vales si dicas, quod quando materia antecedens minoratur, non possumus pericula effugere minorationis materiæ iam putridæ: bene dicis, verùm potest esse periculum euidens ob copiam antecedentis materiæ, & dubium quod ob coniunctam timetur, in quo euentu antecedens educenda est. Et hoc fuit quod nostrum Vallesium contra placitum omnium Medicorum coegit; vt magnum Regem Philippum in principio expurgaret, mouebatur enim febris illa per pares, quod euenire non potest, nisi magna copia materiæ antecedentis actu iam genita supponatur, quæ accessionum tam grauium coniuncta erat futura, & quia cognouit tantam oppressionem, & accessionum longitudinem à natura insuperabilem fore, nisi causa earum minueretur, inuitis, & repugnantibus sociis sine signis coctionis expurgationem consuluit: fuit ipsi Regi publicata discordia, & authoritati, & sapientiæ tanti Medici plus fidei, quàm aliis attribuit, & expurgatus conualuit, quando reliqui certum exitium futurum viua voce clamarunt.

Sic censeo, quod si natura ante coctionem materiæ putridæ, antecedentem materiam euacuaret, nullo modo dissolueretur, sed semper iuuaretur, secus contingit quando corruptam materiam intempestiuè reiicit, & fortassis quando benè iudicat, non euacuat aliud, quàm antecedentem materiam; nam in communissima doctrina, materia quæ computruit, & accessiones fecit, non manet, & si aliquid manet, & coquitur, non cadit sub obiecto expurgationis, quia tota in sedimentum mutatur, aut pus, neutrum verò horum expellunt per secessum, aut sudores, aut vomitum, aut sanguinis fluxum, aut ad partes in quibus abscessus fiunt, neque à medicamento expurgante trahi potest sedimentum, aut pus: ergo in mea opinione, ideo post coctionem natura felicissimè euacuat, quia euacuat solam antecedentem materiam, & simul cum illa euacuatur quæ eam accessionem creabat.

Quando verò non solùm antecedentem materiam euacuat, sed simul etiam corruptam ex accessionibus prægressis remanentem, indifferens est iudicium; interdum enim saluatur ægrotus, perit interdum, sed saluatur frequentius. Si verò corruptam solùm materiam ante coctionem natura reiiciat, raro fit ad salutem iudicium, quia ex antecedente materia euacuat nihil, ab euacuatione verò humoris noxij plus damni, quàm commodi lucratur. De iis euacuationibus intelligitur Galenus 4. *aphorism.* 22. dicendo. Quando aliquis incipit morbus, si quid excernitur, nihil tunc excernitur naturæ ratione, sed omnia sunt symptomata earum, quæ præter naturam sunt in corpore dispositionum; quo enim tempore à causis morbum facientibus natura grauatur, & adest cruditas humorum, tunc aliquid vtiliter euacuari est impossibile, siquidem oportet coctionem præire, subsequi verò discretionem, & postea euacuationem, vt bona sit crisis, siue iudicium: hæc enim sententia de materia antecedente intelligi nequit, vt est euidens, quia hæc nec est cruda, nec coctione indiget, neque morbum facit, sed factura est si non excernatur, & sic vtilissimè ex parte sui semper euacuatur. Quæ verò cruda est, nunquam euacuatur commodè, si est impossibile quod quando cruda euacuatur, euacuatur vtiliter, vt Galenus dicebat.

Miraberis, & meritò, cur si natura putrida euacuat, & maligna, periclitetur æger, & non quando materiam antecedentem, sine putredine tamen, & malignitate reiicit? certius enim salutem polliceri poterat Medicus, quando maligna euacuabatur, contrarium tamen contingit, neque mirum, quia malignorum euacuatio, & vt signum, & vt causa est pessima, & inde nunquam ad bonum terminatur; materia verò antecedens si euacuatur, etsi vt signum bona non sit, non tamen vt causa est mala, sed optima, & insigni malitia à priori superatur, vt superatur quod vt multum pellitur, ab eo quod vt malignum; nam quod tale

est

est, in ipsa motione, & expulsione naturam destruit, quod non facit si euacuetur solum vt multum. Rursus quando natura euacuat solùm materiam corruptam, & non antecedentem, morbum iudicare non potest, quia antecedens materia est postea expellenda ad focum, & morbum continuat, & cùm ab expulsione corruptæ, & non emendatæ destruatur, prauior morbus necessariò redditur, quia debiliorem naturam inuenit, & vt ipsa debilior redditur, prauior necessariò putredo resultat, & magis extensa: sic pereunt quos natura intempestiuè liberare procurat, vt solùm robustissimi, & quorum materia corrupta paura est, per symptomaticas euacuationes periculum mortis effugiant.

Ex dictis intelliges duo pulcherrima, & noua. Primum, quod quando natura cum signis cruditatis euacuat solum antecedentem materiam, non euacuat symptomaticè, sed tempestiuè, & vt decet, quia talem materiam nunquam malè euacuare potest, sed semper in naturæ commodum, quia euacuat quod quantitate peccat; & quod sic peccat, non habet tempus determinatum in quo euacuari desideret, vt euacuetur benè; at verò materia corrupta si euacuetur sine correctione, cum magno periculo eiicitur, quia tota ratio periculi stat in eo, quod sine emendatione pellatur, & sic symptomaticè pellitur quando truditur cruda, tempestiuè verò quando emendata. Ex quibus deduces, quòd si materia antecedens sit etiam maligna, euacuetur cum grandi periculo, vt si sit antecedens atrabilis, aut bilis æruginosa, aut porracea; vnde *aphorism.22. lib.4.* intelligitur, quem meo iudicio Galenus non intellexit; dixit quidem Hippocrates, morbis quibuslibet incipientibus, si atrabilis vel supernè, vel infernè exierit, lethale. Galenus verò dictum Hippocratis ad morbos febriles solùm extendit, cùm sit omnibus morbis commune, cùm dicat, *morbis quibuslibet incipientibus*; vt mirum sit id non fuisse à tanto authore notatum, atra enim bilis etiam absque putredine aliqua est (vt ego loquor) toto genere praua, quia erodens, & insuperabilis ferè coctione naturæ: vnde quæcumque passio ab ea originem ducens, desperata est, non quidem quia cruda euacuetur, sed quia à tam maligno, & toto genere præter naturam succo creetur, in quem sensum dixit idem Hippocrates *4 aphor. 24. dysenteria si ab atra bile inceperit, lethalis est.* Quem aphorismum melius Galenus exposuit, etiamsi planè fallatur dicendo, quod talis dysenteria nihil differat à cancro vlcerato, nisi in ordine ad causam solam intelligat; dysenteria enim tumor non est, sed vlcus tantummodo.

Secundum est, quod opinantes materiam crudam euacuandam expurgatione non esse, quia à natura vt coquatur, retinetur, debent conuinci pessimam causam tradere, & omninò improbabilem, in quo etiam planè Galenus exponendo *aphorismum* 22. *lib.1.* peccauit. Constat planè ex eo quòd neque natura potest vtiliter euacuare materiam crudam, sed semper ferè exitiosè, & incommodè semper; ergo non pendet expurgationis periculum, & obstaculum in principiis, ex eo quod natura materiam expurgandam detineat, si quando ipsa non detinet, & materiam prauam selectissimè euacuat, tentat euacuationem cum tanto periculo: aliud igitur tradendum est, ob quod materiam crudam euacuare non liceat. Et confirmatur vrgentissimè à simili; nam materiam turgentem euacuare præcipiunt authores, quia actu pellitur à natura, & eam expulsioni adminiculantem habemus: sed hoc idem contingit, quando actu per aluum euacuat: ergo omnis euacuatio symptomatica statim iuuari deberet, si diminuta conciperetur, quod nemo consulet absque certa pernicie, si ipsa natura, quæ selectissimè euacuat, tentat, vt dixi, tam periculosè materiæ crudæ expulsionem. Nec valet si dicas, quod in turgentia expurgamus, quia timetur ne humor in

A partem principem decumbat: dicis quidem malè, quia sequeretur quod quando mittit in partem principem, sit expurgandum statim, vt incipiente pleuritide, pulmonia, phrenitide & aliis, quod est absurdum, & perniciosa praxis. Patet, quia natura non retinet, sed actu pellit, & pellit ad partem principem: cur ergo non expurgas vt in turgentia: ergo in hac expurgas, quia natura actu pellit, & non pellit in partem determinatam.

Nec inuenio modum quo materia intra vasa contenta detineri a natura peculiari ratione aut modo debeat; nullus enim negare poterit, quod humores intra vasa mobiles semper manent, nisi ob plenitudinem tendantur, aut lentore, & crassitie occupentur, & hæreant; B nullum verò istorum ad retentionem potest naturam determinare, nec putridi humores semper lenti, aut crassi sunt: ergo quandiu intra vasa manent, & sanguini sunt permisti, tam mobiles vt sanguis manebunt: quomodo igitur detinentur si sanguis totus mobilis est? Et constat planè, quia omnes secta vena liberè exeunt, & regio secunda non est à natura instituta, vt in ea humores immobiles sint, sed potius vt mobiles, vt possint sic per totum distribui, & alimentum commune fieri; quod mihi tam indubitatum videtur, vt sine nota proteruiæ oppositum doceri non possit, imò tota salutis custodia in ipsa sanguinis mobilitate intra vasa consistit, vt ventilari, & expurgari possit, & aërem intra omnia concipere, cuius signum euidens est, quod C si obstruantur vasa, vt sanguis vndique moueri, & ventilari non possit, putrescat statim, & febris emanet. Accedit etiam, quod si humor, quia multus, non potest detineri, sed naturam ad expulsionem stimulat, quia grauat, detinebitur minus si putrefiat, quia iam duabus rationibus naturam molestat, copia nimirum, & qualitate; ergo si modò multa bilis dabatur, & post putrefiat, non detinebitur; sed si non expellitur, est quia natura retinere non valet, non verò quia detineat; imò si bilis naturalis intra vasa manendo non detinetur, sed fluit cum sanguine, detinetur minus si corrumpatur. Constat, quia corruptiò ad expulsionem, non ad retentionem determinat. vt est concors omnium doctrina; & confirmatur à simili efficaciter, quia humor, qui mouetur ad focum, irritabat partem mittentem: ergo à foco detineri non potest, cum ibi putrefiat, & dissi- D milior reddatur; ergo non pelli prouenit ob debilitatem, non quia retineatur.

Ex dictis constat, quod minoratio materiæ antecedentis, quando ob copiam æger periclitatur, rationabilis fieri potest, vt si aliquis ictericus in febrem putridam, biliosam, & acutam incideret, temerarium esset desperatum illum relinquere, sed statim expurgandus erit, quia sanguinis missio cum tanta cacochymia, & supernatantia perniciosa foret: vnde si expurgatione non minueretur materia, statim tota spes sanationis deficiet; à quo enim auxilio tanta antecedens materia posset diminui? & hoc citius faciendum si statim agnoscatur, quod febris incipiens ex acutis appareat; hic enim non habet locum quod cruda pas- E sio non cedit, quia materia antecedens (vt docui, & tenent omnes) cruda non est, nec minus quod coctio materiæ crudæ impeditur, quia in principio primo nondum putredo materiam inuasit, sed illam solam portionem quæ primam accessionem creauit: nec commotio materiæ malignæ in primo principio damnum considerabile potest afferre, quia paucissima est, & nondum dantur humores firmati: Quid enim, si sola illa portio primæ accessionis comprimit? Imò si hic casus rectè perpendatur, expurgatio statim facta, vt postea vena possit vtiliter secari, disponit, quia quò minor est cacochymia, secatur securius; quod magnæ considerationis est, vt febri incipienti, quæ sub tanta cacochymia biliosa timeri periculosissima,

& breuissima debet, tanto auxillo, vt est venæ sectio, & sine quo magnæ febres nesciunt sedari, possimus occurrere. Ex quibus colliges quod si antecedens materia ob copiam expurganda veniat, quò citius id fiat, fiet securius, quia minorem portionem putredo inuasit, cuius eductio periculosissima est, si quantitas materiæ putridæ considerabilis sit, quæ si supponatur, etsi materia antecedens sit etiam multa, expurgationem dimitterem, quia expurgatio multæ materiæ putridæ, & non emendatæ, periculosissimè agitur.

Nec obstat locus Galeni à nobis adductus *lib. aduersus Iulianum, cap. 7.* Verba sunt: *Enimvero quemadmodum cùm bilis multa in corpore continetur, sæpius facile sit, dum febris absit, eam ipsam euacuare, sic cum ante acuta correptus febre homo fuerit, difficillimum id redditur, nec enim licuerit absque periculo purganti tunc vti medicamento.* En qualiter Galenus multam materiam antecedentem supponit, quam si febris iam sit, sine periculo expurgare non liceat. Respondeo quod Galenus non loquitur de qualibet febre, sed sigillatim de acuta, & sic non omninò doctrina nostra subuertitur, quia non in omni febre. Dico secundò, quod nunquam in acutis sine periculo expurgatur, præsertim Galeni tempore periculosius erat, ob vehementiam, & caliditatem medicamentorum illius æui: pericula verò pendent ex multis ad idoneam expurgationem requisitis, quæ à Galeno adducta fuere 2. *de victu acut. text.* 11. & *com.* 1. *libelli de humoribus, text.* 21. Quæ omnia adesse debent, si expurgatio in acutis nocitura non est, & si adsint, deturque nimia copia antecedentis materiæ, putridæ verò pauca, vtilissimè expurgatio imperabitur, quia vtilitas multò maior est, quàm noxa ex commotione paucæ materiæ putridæ: illud verò in quotidiana ad expurgandam crudam materiam commodum inuenitur, quod nunquam febris potest esse intensa, vt ratione illius expurgatio impediatur: quod potest obstare, est crassities, & lentor materiæ, & inde sine idonea præparatione expurgatio non fiet. Constat verò quod cùm imperetur ob copiam materiæ, erit rarissimum quod quotidiana continua non sit, in qua prædicta vrgantia inueniatur. Hanc praxim sequuntur innumeri cum nostro Vallesio, & nouiter ac latissimè, & doctè Ioannes Freitagius *lib.* 2. *per multa capita*: & sic *cap.* 27. dixit: *Permittere vt humores causam antecedentem constituentes, in continentem, & proximam degenerent, à ratione alienum est.* Sed diligenter notabitis, quod non est idem dari multam bilem, aut alium humorem excedere, & ob talem excessum, incoctilem necessariò reddi; nos verò non docemus, quod in omni copia, aut excessu sit expurgandum cum cruditate, sed solùm id debere fieri quando excessus est tantus, quod in febre quam suscitat, Medicus timeat non posse à natura coqui: nec Galenus *lib. aduersus Iulianum*, de hoc excessu loquitur, sed de illo quem in omni febre antequam illa incipiat, Galenus supponit. Notabis etiam quod Galenus *aphor.* 22. *lib.* 4. dixit: *Quo enim tempore à causis morbum facientibus natura grauatur, & adest cruditas humorum, tunc aliquid euacuari vtiliter est impossibile*: loquitur de materia coniuncta, non de antecedente, nam hæc non facit morbum, sed factura est.

Multa verò sunt aduertenda. Primum, Tralianus docet *lib.* 12. *cap.* 7. *fol.* 759. Laborandum (inquit) est, vt humores ad concoctionem perueniant, nec in vetustatem venire sinendi, sed purgandi; cùm enim in corpore diutius insident, magis adhuc ab omnibus præsidiis, quæ calefaciunt, videnturque extenuare, crassi fiunt, vt non amplius, ne medicamentis quidem ad purgandum efficacibus promptè cedant, cum difficiles ad motum, & terrestres magis ab ipsis euaserint.

Quæ doctrina obscura satis est, & relicto sensu rigoroso, alium admittere videntur relata verba, nimirum quod sæpe diuturnitate morbi, & assiduo vsu calefacientium, & extenuantium pituita exsiccatur, tophaceaque, & terrestris redditur, & inde immobilis, & incoctilis etiam, quia exsiccata coqui non possunt, quæ cùm tenaciter hæreat, & obstruat, nunquam permittit humorum coctionem, sed continuatur putredo in eis, vt durat causa tam obstruens, & firma. In quo euentu mihi non est dubium, quod expurgatio conueniat ad eductionem humorum, qui iam incoctiles sunt ob dictam rationem & morbum diuturnissimum reddunt, & ferè desperatum; quod præceptum, si sic intelligi potest, ad omnes longas febres magni momenti mihi videtur, & sæpe mihi feliciter contingit; putabam enim ob diuturnitatem caloris exsuccos & incoctiles redditos humores iam esse, & dato medicamento pituitam crassam, & melancholiam ducente, melioris conditionis deinceps febrem se ostendere, breui coctiones succedere, & eradicari omnino: Imò cum quædam nobilis quinquagenaria, duplici tertiana, & notha laborasset, statimac horrere leuiter incipiebat, sudore copioso per totam accessionem inundabatur, sicque triginta diebus in eodem tenore molestata, nunquam coctionis notæ apparebant, nec maiores, nec minores erant, quàm in principio accessiones: vnde coniectaui obstructiones vasorum pertinacissimas esse, & causam earum irresolubilem, inconcussam, & incoctilem, & cùm tam longo tempore præparatio diligentissima præcessisset, medicamentum crassos expurgans in potu dedi, cum tanta tamen felicitate, vt ea die eradicaretur omninò febris, & amplius non rediit, & hoc videtur consulere Tralianus *loco citato*, quando dicit, non esse permittendum vt humores crassi vetusti fiant, quia tophacei, & terrei fiunt, & ferè immobiles, incoctilesque per consequens, & in mea opinione hecticarum febrium sunt potissima causa, aut quotidianæ, & tertianæ nothæ, postquam diuturnitate corpus colligarunt, in periculosam quartanam, aut longissimam permutantur. Non itaque Medicus doctus regulas artis tam religiosè suspicere debet, quod censeat nullam fallibilitatem admittere posse; dantur enim in arte medica tam innumeri effectus secundarij, & per accidens, & interdum alij tam abditi, quod soli magni Philosophi rationem eorum idoneam reddere possint, & ad immediatas, & certas indicationes venire, ad quas inueniendas, vt secta empyrica inanis est, ita rationalis fœcunda, & illa sola capax.

Quod verò humores crassi vnica purgatione euacuari non debent, sed reiteratis, & Auicenna *in hoc cap.* & Tralianus *loco citato* docuerunt. Vniuersam purgationem (inquit hic author) adhibere non conuenit, sed per vices, & interualla; ita namque accommodari debet morbis, qui ex crassioribus humoribus generantur, ac sensim extenuare, & leuiter purgare materiæ copiam oportet, quoad satis esse videbitur; nam si æger sumat medicamentum quod copiosius, & fortius purget, magnam corpori intemperiem conciliat, & potius nocet, quàm iuuat. Auicenna sic loquitur: *Et expectetur in reliquo vsque quo digeratur, & fiat illud cum facultate, paulatim absque superfluitate.* Et addit: *Et similiter abhorreo quod est simile aquæ prunorum, & tamarindorum, & similium, de iis, quæ debilitant, & soluunt subtile.* Ratio est, quia lenientia, vt talia ventriculum, & intestina debilitant, quia laxando expurgant, perniciosum quidem auxilium in morbo, cuius maior occasio languor ventriculi solet esse, nec inde colligas, si hoc ita est, male vituperari, quia soluant subtile, nam quæ crassiora sunt, ponderant magis, & debilitata retinente à laxantibus expurgabuntur melius; ita esset non dubiè, si pituita lenta non esset, contra cuius adhærentiam tractio medicamenti pugnare debet, & sic laxantia lentos succos educere nequeunt: est etiam in ipsis si attrahunt debilissima attractio, verùm, etsi fortiora videatur Auicenna consulere, notabitis si

ventriculi

ventriculi ostium, aut ille obstructione aliqoa, aut distensione occupantur; idem de meſereo cenſeo. Quod si ita sir, à leuioribus ſeligentibus incipiendum, ne ex toto craſſa excrementa trahantur, & obstroctiones augeantur, aut inflammatio alicuius partis exciterur. Laudat Sennertus agaricum, mechoacannan, hæc enim commodiſſima eſt, quia non ſolùm piruitæ adlectoria eſt, ſed reſolnit, ſiccat, calefacit ventriculum moderatè, & roborat: eſt enim vt putant multi, rhabarbarum album, inter omnia expurgantia ſi ſint legitima innoeentiſſimum, nulli ætati non conueniens, & hydropicorum ex aqua antipharmacum, ſerum enim cum craſſa piruita educit: ſunt vtiliſſimæ pilulæ de biera cum agarico, aut de agarico, & pro robuſtioribus electuarium indum minus, diaphænicum, eſtque mihi in vſu quando obstructiones ventriculi moleſtant pro prima purgatione, ſerapium de endiuia compoſitum cum duplicato rhabarbaro, & decocto pugini cum ſpeciebns propinare; ſic enim ſola viſcera citra tractionem totius prius mundantur, & ſecentiſſimè, vt poſtea vaſa maiora ſecutè expurgari queant.

SECTIO III.

De vomitu.

VOmitos magni vſus eſſe ſoler in pertinacibus febribus, eo quòd tardò tam longè moleſtent, niſi ob prauam coctionem alimentorum in prima regione, ob quam excrementa ſebres fouentia creantur aſſiduè, intemperantur verò partes illæ ab excrementis ibi infarctis, & hærentibus tenaciter, quorum euacuationem ſola violenta vomitus concuſſio interdum facere, poteſt, ob quod in notis tertianis à Galeno extollitur, *& in præſenti cap.* à noſtro Principe iis verbis: *Et vomitus quidem cum eo quod eſt in eo de debilitate ſtomachi, eſt vehementis iuuamenti valdè, & eſt vltimus huic ægritudini*; addit tamen: *Oportet ergo vt expectetur in eo ſeptimus, vt non accidat ex eo in principio debilitas ſtomachum apoſtemans.* Vomendi duplex eſt occaſio. Prima in qualiber acceſſione quando in principiis earum moueri ſolet materia, hæc autem ſponte fit, aut leui eget auxilio, quia natura omni conatu materiam motam, & acceſſionem facturam extra corpus reiicere procurat. De hoc vomitu non loquitur modò author, cùm in prima acceſſione iuuari à Medico poſſit leuioribus auxiliis: ſecunda occaſio eſt, quando medio vomitu morbum finire deſideramus, aut inſignem ſaltem vtilitatem afferre, ad quam ſeptimum diem expectare præcipit. Iacobus cenſet, quod eam diem ſperat, quia cùm debilitet vomitus, non licet in morbi principio ventriculum effeminate, ne apoſtema fiat; quia ſi in illum in acceſſionum initiis præcipitat natura noxiam materiam, & in initio morbi ſit multa, timendum meritò, ne tanta copia trahatur, vt apoſtema fiat, hoc enim eſt, quod author vitare tentat. Gentilis dicit, quod ſeptima expectabitur, ſi fortioribus auxiliis ciere vomitum velimus, vt agarico, & aliis; requirunt enim talia aliquam materiæ coctionem, & inde ſeptima deſideratur, iuxta cuius authoris mentem, ſi in ſeptima aliqua coctio non appareat, expectanda erit alia dies. Hi authores verum docent, ſed neuter, quod verba Principis arcanum continent, tetigit; nam cùm acceſſiones huius febris quotidie fiant, cur magis in ſeptima, quàm in octaua, vomitus moueri debeat, inquirendum erat? Cenſeo igitur, quod quia dies critici naturæ, & Medico fauent, debeat imperari vomitus in die critica, quando febrem eradicare, aut magnopere minuere cupimus, quia ſi quando natura ſponte iudicia morborum tentat, nunquam operatur felicius quàm in diebus criticis, vt infinities Hippocrates docuit, ſic nunquam melius quàm in eiſdem diebus finire morbos Medicus poterit, ob auxilium ea parte ſonæ criſibus tam neceſſarium, quod ſi ſine illo indicia celebrentur, recidiuam Hippocrates timet, & paſſim præſagat.

A

Quod verò ad tales vomitus mouendos concoctio expectanda ſit, videtur ex Galeno colligi 1. *ad Glauconem, capite duodecimo*, vbi non ante ſtatum vomere conſuluit. Sic loquitur: *Circa ſtatum verò de ventriculo eſt habenda ſolicitudo, ac de eius ore præſertim, deinceps iubendum, vt poſt radiculas, & cibos aſſumptos euomant.* De quo argumenento latè in cura tertianæ nothæ ſcripſimus, & auxilia retulimus; illud verò ex Cardano tanquam ſtrenuum auxilium ad detergendum cruda ventriculo hærentia accipito: Eſt verò radicula

B

infuſa in oxymelite, cuius vſus prior erit, vt vomitus felicius ſuccedat; deſumpſit fortaſsè ex noſtro authore in hoc textu raphanum in ſyrupo acetoſo infundente. Iacobus ſyrupi acetoſi ℔. 3. ſumit, in quam vnciam vnam radicis raphani minutim inciſæ tribus horis infundit, poſt coquit leuiter, & colatura datur tota ſemel; ego quidem antequam tantum vomitorium imperetur, præberem loco ſyrupi ſummo mane illius oxymelis cum infuſione raphani ℥. ij. cum decocto origani, & radicum apij, & ſeminis fœniculi, & poſt relatam præparationem, vomitum citarem poſt aſſumptos cibos, vt dicit Iacobus. Galenus verò poſt radiculas, & cibos, vomere præcepit, non quia prius radiculæ deglutiendæ ſint, iam enim diximus in cura

C

tertianæ, quòd alimenti ſumptio ſit etiam præparatio quædam, non ſolùm vt facilius euomatur, ſed vt extrahantur commodius cruditates ipſi alimento agglutinatæ, præterquam quod os ventriculi ſit, quod præcipuè offenſum in quotidianis putatur, ſi in raphani ſemine, aut ipſo, virtus eductiua pituitæ inuenitur, ſumetur rectius poſt cibum, vt os ventriculi proximè tangat, & cruda ab illo extrahat. Non me latet contrarium fieri poſſe, & ſic Galenum Acachia interpretatur, prius radiculas, vt alimentum ſubleuent co.. ſulendo: melius cenſet Mercatus eſſe alimentum præparationem quandam, vt per vomitum cruda melius expellantur. Dioſcorides verò *libro 2. cap. 106.* ante cibum ſumendum eſſe docet, quia habet vim ſubleuandi cibos.

D

Duo notanda: primum, quòd vomentes difficilè non ſunt cogendi ad vomitum, vt hic dicit Princeps, ne vas aliquod recludatur, aut inſignis languor eueniat, cui quando ſuccedit ob nimiam anxietatem, optimè ſuccurrit author ſyrupo de mentha, & mixta cidoneorum aromatica. Secundum eſt, quòd præparatio noſtra oxymelite cum radicula infuſa, naturam ægroti ad vomendum, aut ſecus optimè arguet; mirum enim erit, ſi poſt vſum illius, vomitus leuis non ſuccedat, aut nauſea; in fœminis etiam menſtruationi tempus proximum tanquam nocentiſſimum ad vomendum cauebitur, nedum ſi iam inſtet: nec ægri ad vomendum ſtatim à medicamenti potione monendi ſunt, ſed ſpectanda motio medicamenti, & mox

E

iuuanda digitis immiſſis, aut penna oleo madida, vt docent omnes.

SECTIO IV.

De fricatione, & inunctionibus.

SVbdit Author: *Et ſcias quod fricatio eſt de curationibus iuuantibus eos, & quanta fuerit phlegma magis viſcoſum, & groſſiſcerum, fricatio erit magis conferens*, &c.

Incommoda, & vtilitates fricationum; & Hippo-

crates, & Galenus doctissimè retulerunt: est quædam species exercitij, tribuit insigne partibus externis concilians, quia & excrementa resoluit, calorem glitecere facit, humiditates absumit, & carnes ob dicta, & attractu alimento impinguat. Lege Hippocratem 2. *de dieta, numer.* 29. *& lib.* 3. *num.* 17. vbi fricationes tanquam magnum auxilium contra malè alimenta coquentes, & cæliacos commendat, quod incommodum quotidiana oppressi experiri non rarò solent ob frigus partium naturalium, & humiditatem superfluam. Constat verò, quod hîc loquatur Author de fricatione resoluente, & exsiccante, vt rubor floridus per cutim totam diffundatur, & perspirabilior corporis ambitus fiat, & fortior, duriorque esse debet, si pituitosa materia viscosa nimis, & crassa sit: communissimè cum oleo camemelino, amydg. amararum, & irino imperari solet, & interdum vbi plus abstergere, & resoluere cupimus, nitrum vstum miscemus, ab inunctione fricatio succedet, vt oleum detergatur, ne corporatora obstruat: commendat author oleum in quo tela araneæ cocta fuerit, vt valdè iuuatiuum, ex aliorum mente, de quo agemus nos, vbi singulariter auxilia extrinseca febres exstirpantia enarrabimus. Et idem Auicenna *libro secundo, tract.* 2. *capite* 62. retulit; constat verò quod huiusmodi auxilium ante totius euacuationem imperandum non sit, ne tutà cuti obiiciatur attractis excrementis, & occasio maior cocta iam materia insurgit. Galenus verò 12. *meth.* medelam syncopalis humorosæ frictionibus plurimis, euacuationem expurgantium, & sectionis venæ supplere contendit, ex quo deduces non leuem vim euacuandi frictionum; quam respiciens idem Galenus 2. *aphor.* 16. quod multa frictio media imperanda non sit, admonuit: at 3. *de tuenda sanitate, cap.* 6. docuit, quod plus frictionum adhibebitur in iis, qui in cute, & sub cute excrementorum collecta vim habent, nam si sub musculis collectio illa stabilietur, impotens frictio ad eorum resolutionem à Galeno ibi putatur.

Non scripsit author partes fricandas, & mihi semper placuit modus à Galeno traditus 12. *method.* in cura syncopalis humorosæ, qui præcipuè obseruabitur, quando nondum exquisitè corpus inanitum est, tunc enim confert trahere prius ad crura, & brachia, deinceps deorsum fricare, vt cor, & pulmo securiora sint, semper tamen partes affectæ dolore, aut obstructionibus, quæ membra fortius, & plus fricanda sint indicabunt, & modum etiam fricandi, vt ab eis reuellamus, & deriuemus; nunquam verò hypochondria fricanda sunt, vt constat, sed partes solùm extremæ, & dorsum, cauendo ne corpus infrigidetur, & sic in magnis frigoribus, aut non discooperiendum corpus, aut ambiens calidissimus parandus; nec putandum, quod fricationes conferant solùm vt resoluunt, & corpus perspirabilius reddunt, sed etiam quia coctioni crudorum auxiliantur ob caloris viuificationem; verùm quando coctionem præcipuè intendimus, moderatiores imperabuntur, fortiores enim & longiores, vt corpus plus rarefaciunt, coctiones magis impediunt, quia calor vitalis exhalat, & aluum inferiorem pigrissimam reddunt, quia humorem ad cutem conuocant. Sic Hippocrates 6. *epidem. sect.* 3. *text.* 1. dixit: cutis raritas, alui densitas: id est, raritas cutis densitatem alui affert. Aliud verò docuit eodem libro, *sect.* 2. *text.* 24. dicendo: *Quæcunque concoqui oportet, occludi conuenit, contraria autem siccari, & aperire.* Quod præceptum (vt rectè Vallesius) etiam ad febres putridas potest extendi; in febribus (inquit) & aliis cacochymiis inungendum, & pannis contegendum, & abstinendum ab euacuationibus; nihil enim deterius quàm aperire, quando concoquere oportet, velut si crudum tuberculum seces, aut in febre, aut alia cacochymia, cùm foret coquendum, euacues. Hoc vltimum accuratè nota, vt magnum præceptum practicum, & contra Medicos in curationibus nescientes quiescere, sed mouendo semper, hoc, aut illo modo naturam turbant, effeminant, & succos exagitant, incoctiles assiduis motionibus reddendo.

Est aliud lucrum in frictionibus, & inunctionibus dictis, quod nimirum corpus ad sudores præparetur, quos Author noster, vt idoneos ad eradicandam quotidianam commendat iis verbis: *Et si non suffert corpus solutionem ventris, perueniatur ad diuretica, & subtiliatiua, & sudorem facientia*; addo ego, quod etiamsi expurgationem sustinere possit, contingit non rarò sine sudore non eradicari: quod præcipuè imperatur quando totum inflatur, tumet corporis ambitus, & iam cachexia apparere incipit, cruda enim excrementa & humida distemperies, & frigida carnium, sine sudoribus eradicari nesciunt, quia expurgantia nequeunt excrementitiam substantiam per ambitum imbibitam ob longitudinem, & disseminationem per cauitates arctas, & poros attrahere, aut si possint, non potest febricitans vehementiam eorum perferre. Notat Sennertus, quod fortiora sudorifera tam in hac quàm in aliis febribus conueniant ex fœniculo, cardui benedicto, smilace aspera, ligno sancto, sasaffras, theriaca, sale cardui benedicti, & ebuli, de quo auxilio proprio cap. de auxiliis internis febrium agemus.

SECTIO V.

De auxiliis hypochondriorum.

ET quando incipit ægritudo augmentari, & post illud, tunc sit solicitudo tua de ore stomachi, & quod ipsum confortat, &c. Consilium celebre talibus verbis Author tradit, desumpsit ex Galeno *capite* 12. *ad Glauconem*, dicente: *Circa statum verò de ventriculo est habenda solicitudo, de eius ore præsertim.* Sed cur non in principio? nam roborare ventriculum nunquam non conuenit, præsertim in hac febre, cuius origo collapsio illius esse solet. Sennertus putat, quod non conueniant roborantia statim, quia cùm spes curationis in vomitu præcipuè collocetur, huic obstat maximè robur illius, cùm nihil plus quàm debilitas ad vomendum conferat, retentricis intellige: adde quod roborantia non aliter id faciunt, quàm astringendo: astringere verò impactas cruditates, absurdum est, & magis si obstructus ventriculus sit, quoniam astringentibus siccantur impacta excrementa, & schirrhosa redduntur.

Considerabis si cruditates in eo primariæ sint, aut aliunde recipiat: si primum, astrigendum non est ob dicta, nisi insigniter collapsus percipiatur; hoc enim curationem ad se conuertit, quia alimentum deprauat, viuens tabescit; si verò aliunde recipiat, quod rarius iudico, non tamen impossibile, robur conciliabitur, si ad extra accessionem præcipuè facias; nam in principio melius est non astringere, præcipuè si facile, aut multum euomat; nam si in initio accessionum anxius sit præter modum, & nimis debilitetur, parum ante illas roborandus est; contingit enim deorsum commota præcipitari, si per communes vias humores deriuentur: si verò per vias alimenti, impediendum astringentibus est, ne tumor, vt solet, aut insignis obstructio ventriculum, aut os eius infestet, cauendum omninò in principio à relaxantibus, ne tota excrementorum sarcina ad loca obstructa, aut tumida, calore, & laxitate præcipitetur, quod iis verbis Author docet: *Et non oportet vt fiat inunctio cum vnguentis resolutiuis, & non fiat embrocatio cum embrocis subtiliatiuis, cùm ægritudo est in principio, & humor est in corpore ambulans.*

Notat etiam quod lien læsus solet esse in hac febre, cui idoneis auxiliis occurrit, & nos *cap. de tertiana notha,*

notha, pro obstructionibus viscerum partis naturalis idonea auxilia retulimus: inter auxilia hypochondriorum expurgantia leuiter, sed reiterata numerari debent, & diuretica etiam; tota enim medela in fomentis, vnguentis, expurgatione reiterata, & diureticis stabilitur.

Sit primum præceptum, quod obstructa, & tumida hypochondria sint expurganda leuiter, ne succi conuocati ex vniuerso corpore, in viscera obstructa impingantur, pro quorum expurgatione multa medicamenta Auicenna enumerat, inter quæ primas tenet agaricum, iis verbis: *Commendatum & agaricum, cum de eo sumitur in puluere ex drachma vna vsque ad ʒ. i. ß. & tertiam diebus continuis prohibet elongari ægritudinem; sumatur ergo puluis ex eo, aut misceatur cum melle, & bibatur.* Quod extollit Gentilis in expositione, quia non solùm pituitam euacuat, sed etiam digerit: est quidem celebre auxilium, quia crassam pituitam, deinde bilem vtramque ex ventriculo præcipue, & mesenterio, & consequenter iecore, liene, & renibus extrahit, & omnibus morbis succurrit ex obstructione viscerum ortis, quia succorum crassitiem attenuat, incidit, & simul euacuat, proinde & neruis obstructis strenuè confert, & est thoracis pituitosi antipharmacum: minus verò efficacem ipsum vt reor experimur, quia infusum solum, & expressus præbetur, & non in substantia, vt hîc Princeps imperat. Quem errorem inter alios Augerius Ferrerius non siluit, & sic censeo in pituitosis febribus, vt & in anasarca, propinari debere; & cùm tardæ operationis sit, tota substantia indiget, vt mucilaginosam, tenacemque pituitam educere queat, & cùm alioqui vomitum non segniter exciet, expleat quicquid quotidiana requirit, est tamen sine correctione exhibendum si vomitum citare velimus: vt expurget verò sine correctione non admittitur, & sic trochiscatus impetrabitur, & cum mulsa, vt docet Princeps, sumetur; errauit enim Iacobus puluerem solum concedens. Sic Fallopius dispensat, agarici drachmam vnam & dimidiam, salis gemmæ (est enim agarici correctiuum) scrupulum vnum, cum decocto cordiali, & rosaceo melle exhibeatur, vbi languor ventriculi agnoscitur, cum pilulis de agarico, & alephanginis expurgatio fiet, aut cum pilulis de hiera cum agarico, & vbi corpus cachecticum vt solet iam fit, pilulæ de ammoniaco sunt mirabiles; sic parantur. Aloës præparatæ ℥. ß. pulueris rhabarbari ʒ. ij. Agarici ʒ. j. ammoniaci selectissimi ℈. iiij. ß. croci ℈. ii. ß. myrrhæ ℈. iiij. cum serapio de absinthio, fiat massa.

Diuretica etiam obstructionibus succorum crudorum mirè succurrunt, & febres chronicas eradicant: tanquam singulare extollit Author vrticæ semen dicendo: *Et semen vrticæ post digestionem est mirabile valdè sumptum in puluere, aut cum melle, verùm si acciderit ei modus aliquis solutionis ventris, oportebit vt addatur cum eo propter debilitatem hepatis, semen cuscutæ, & propter debilitatem stomaci, mastix, & anisum, & propter debilitatem splenis, & grossitudinem eius, radix apij, & scolopendra*; nam multoties associatur huic ægritudini splen, & oportet vt addantur propter ipsum cyperi, & grana de been, & fœnugræcum; semen vrticæ seorsim datum non probo, irritat enim strenuè, & tussim molestissimam suscitat, asperam arteriam lancinando, & exsiccatione aspera, & inæquali, & punctione, ob id in tenuissimum puluerem redigi debet, & exsiccatione aspera, & inæquali, & punctione, ob id in tenuissimum puluerem redigi debet, & cum aliis idoneis miscebitur, vt decocto liquiritiæ, graminis, & lupulorum, aut cum mulsa, aut cum seminibus citoneorum, quæ sunt vrticæ alexipharmacum: habet vim mirabilem, & abstersoriam, & tam validam vt huic soli alui solutio tribuatur, & non attractioni eius, vt proprio *cap. de vrtica*, Auicenna tradit, & ante illum Galenus: est thoracis

A anhelosi ob crudos succos magnum auxilium, si puluis seminis serapiis idoneis misceatur. Magnam differentiam in lectione Auicennæ inuenio. Gentilis, Iacobus, & Herculanus legunt, vt à nobis scriptus est hic textus, iungendo medicinas relatas semini vrticæ: Bellunensis verò non semini vrticæ, sed medicinis expurgantibus ob dictas indicationes diuersa simplicia miscens, sic legit: Et semen vrticæ post digestionem est mirabile valdè sumptum in modum pulueris, aut cum melle, verùm si voluerit pilulas solutiuas, oportebit vt addat in eis propter debilitatem hepatis, rhabarbarum, & semen cuscutæ, & propter debilitatem stomachi, mastix, & anisum, &c. Quæ lectio verior non dubiè est, cùm Auicennas vrticam non admittat

B solutiuam per se, licet melius Cardanus putet esse in foliis vim pituitæ eductiuam, licet minorē quàm in cnico; quia verò compositio adducta à Iacobo optima apparet, potest vt ille præcipit dispensari, seminis vrticæ ℥. ß. seminis cuscutæ, mastiches, anisi, radicum apij, scolopendriæ ana ʒ. j radicum cyperi, granorum de been, & fænugræci, ana ℈. iiij. terantur, & incorporentur cum quarta vna mellis cocti, & fiat conditum, de quo detur omni mane cochlear vnum.

SECTIO. VI.

De cibo, & potu, & reliquis auxiliis.

C IN morbis longis non est parui momenti dexter vsus alimentorum, & potus; nam cùm debeat esse in qualitatibus causæ morbi repugnans, magnam vim ad eradicandam febrem sortitur. Dicit ergo Author: *Cibi autem eorum sint subtiles, sicut acetum, & oleum, & quandoque ponitur in eis parum vini, & propriè in fine eius, illi autem qui sunt fortiores, sunt Alteleigi, & pulli, & Alcobugi, & iis similia post declinationem, &c.* Iis verbis alimenta partium tenuiorum, & incisoria commendat, & quæ si fieri possit, oleosa, & pingui natura materiam velut frigore congelatam emolliant, liquent, & concoquant, quod præcipuè obseruandum, si acida, aut vitrea pituita febris sit author; incisoria alimenta, & attenuantia nomine aceti: pinguia, oleosa, concoquentia, liquantia, nomine olei explicuit. Sic authorem expono, licet authores intelligant, quod alimen-

D tum detur sobtile, id est tenuiter sit cibandum, vt exponit Gentilis: alij quod alimenta sint incisoria, & roborantia, vt Iacobus alimenta incisoria aceto, roborantia oleo explicuit, seu comprehendit: Iacobus vinum intellexit.

Verùm in nulla alia translatione legitur vinum, sed loco vini, aut dictionis illud significantis, legitur almuri. Gentilis, mori: significat verò genus quoddam salsamenti ex pisciculis, aut placentulis hordei cum sale, vim magnam alimenti, vt initio dicere cœpi, suadet Tralianus *lib. 12. cap. 7. tit. quando salsis vtendum in quotidianis*, vbi solis alimentis extenuantibus, & vino aquoso, febrem eradicasse refert: ex quo multa, quæ

E in *præsenti cap.* Auicenna tradit, transcripsit; modestius tamen quàm Tralianus.

Igitur si quod in principio cibandum tenuiter sit, textus prima pars significat, constat ideo imperari, quia supponitur magna copia crudorum, copiam maiorem alimenti supplens, aut si virtus constet, tarda concoctio crudorum id requirit, vt *cap. de curatione tertianæ notha* cum Galeno docuimus, quod respiciens velut communius dicit Auicenna; *Verùm cura conueniens eget vt subtilietur regimen in primis*, &c. Cum quo stat vt semper debeat esse incisorium, & extenuans, & moderatè calefaciens, in quibus qualitatibus non leue discrimen admittitur, vt frigidior, aut secus pituita fuerit; idem de lentore, crassitie, & copia intellige, quæ fuit censura Traliani

contra Galenum, inanis tamen, quia Galenus de quotidiana exquisitissima loquebatur ex naturali pituita tantum possibili, & sic vnicum modum solùm præscripsit debitum determinatæ speciei pituitosi humoris, multaque semper in illo libro ex communi methodo Galenus supponit non ignoranda: illud verò in confirmationem meæ doctrinæ notabitis, quod Auicenna, & Tralianus, & omnes expositores quotidianam ex salsa pituita admittunt, cui diuersam multò medelam dicatunt, & cùm idem humor causum, seu febrem ardentem per tertios repetentem generet, vt cum Hippocrate docent omnes *de victu acut.* & Galenus etiam, constat planè, quòd idem humor in specie infima, & quotidianam, & causum creare potest, & sic quotidie, & per tertios repetere.

Iura igitur parabuntur cum ciceribus, petroselino, mentha, cariophillis, croco, quæ & salubertima, & grata simul sunt, & si caput vt solet opprimatur vaporum crudorum copiâ, folia saluiæ viridia ad finem decoctionis carpium iniecta gratissimum ius, & capiti onusto occurrentis efficiunt. Est mihi familiare talia iura præbere, & carnes assas, non elixas, vt exsiccatio maior excrementorum humidorum fiat, & absumantur etiam, de quo Tralianus multa, & doctè scripsit: cœna aut non admittanda, aut leuissima, ex solis capparibus, cum oleo, aceto, saccharo, & foliis petroselini viridibus, sunt verò coquendæ accuratè, quia nec extra, neque intra coquuntur facilè. Beta etiam incocta vtilis est eodem modo præparata, aut ouorum vitelli cum saccharo, & aqua naphæ, & cinnamomo parata (vulgo mejidos) columbarum siluestrium pulli optimi sunt, quia nimis nitrosi, vt dicas propriè esse carnes cum salsamento naturali conditas: caro etiam perdicum est optima, inter salsamenta nostra præcipua sunt, quæ ex petroselino, mica panis, aceto albo acerrimo imbuta, cum alij tantillo, aut ex sinapi, & melle parantur, dummodo pituita salsa non sit, hæc enim humectantia potius desiderat, & inde ptisana est huic speciei optimum alimentum cum prædicto iure parata, aut lacte amygd. dulc. & saccharo; si verò à crudiori pituita hæc febris oriatur, suspecta ptisana est, pulli verò vituperantur ab authore, non quia frigidi, vt vulgus putat, sed quia in principio victum tenuem desiderat, dixerat enim antea; *& fortasse est contentus aqua hordei in primis tribus diebus:* caro verò pullorum crassior victus est, præsertim si apud Arabes, vt putat Gentilis, quando pullorum absoluta fit mentio, intelligendum est columbarum, qui sunt crassiores multo, ob quod nisi in declinatione, aut casu virtutis non admittuntur.

Sed nota quòd Princeps putat securius, quod circa statum victus augeatur, quàm in principio, quod ob tenuem victum principij, quia status distat, cadit virtus. Verba sunt: *Verùm cura conueniens eget, vt regimem subtilietur in primis, si autem status apparet longinquus, possibile est vt illi succurratur cum ingrossatione regiminis, deinde gradetur vsque ad horam status, quoniam tempus est differens hoc in hac ægritudine, non sufferens in acuta;* id est quia status quotidianæ longior est, potest in eo resarciri, quod in principio ob victum tenuem deperditum fuit; in acutis verò non potest ob breuitatem, quia in vnica accessione comprehendi solet, & rarò duas, aut tres accessiones occupat, vt 1. *de crif.* Galenus testatur: nec putes eo ipso fore securius in acutis debilitari ægrum in statu ob errorem victus in principio, quia debilis virtus breuem morbum ferre poterit, longum non poterit; benè arguis, sed magnum quod sententia Principis includit, ignoras. Est verò, quod cùm ob debilem virtutem cogamur in statu plenius cibare, coctio necessariò impeditur, & inde crisis; impedita verò coctione, morbus aut redditur mortalis, aut prauior multò, quia motus naturæ morbum emendans necessariò impeditur; impetus verò naturæ impeditus, necessariò

A in alium prorumpit, aut tentando crisim non cocto morbo, quod est in acutis perniciosum, & sæpe interficit, aut reddito morbo crudiori cum simili acutie, aut quod certius est, cum maiori: fit etiam longior, & per consequens periculosior: pendent verò omnia ex celeri morbi ratione, & assiduis accidentibus, & grauibus, quibus naturam ad expellendum incitat. In hoc enim tota ratio periculi in acutis consistit, quòd sit nimirum irritatio tanta vt ante coctionem tentetur iudicium, & crisis à natura, aut errata cum simili acutie, aut maiori, coctionem tardantia, reddant morbum longiorem, quia eo ipso lethalior efficitur, & quia grauior, & quia longior.

Quæ inconuenientia in quotidiana non sunt, quia
B cùm status sit longior, & morbus non acutus, non mouet natura celeriter, & inde incommoda melius sustinet. Quæ doctrina magna est, siue de vrgentia cibandi in statu, aut circa illum intelligatur; inde intelligetis, quod lectio Bellunensis est melior quàm Gentilis, in hoc enim scribitur: *quoniam tempus est sufficiens in hac ægritudine.* Bellunensis verò legit, *quoniam tempus est sufferens hoc, in hac ægritudine, non sufferens in acuta,* quasi diceret, errores absque vitæ discrimine affectio acuta non sustinet, benè tamen chronica, quam veritatem Gentilis non calluit, olfecit Iacobus, siluit omninò noster Magister, Herculanus verò, etsi *suffert* legerit, crassissimè & oscitanter Principem exposuit, nec potuit plus quàm Gentilis, quoniam vt eius simia semper se offert.

De potu non leuis alteratio etiam est, est tamen extra
C controuersiam, quod aqua simplex non conueniat, quia frigida, & humida, & ventriculo debili inimicissima, & si cum niue infrigidetur, certa erit pernicies; cocta verò cum cinnamomo, aniso, fæniculo, radice chinæ, aut sasafrassæ indicæ, aut saccharo in principio commendatur, in quo vinum suspectum est, quia crudam materiam commouet, & apostema creabitur. Ratio quidem infirma, vinum enim vt decet aqua dilutum, quid cum alimento sumptum commouere potest, & est non dubiè vtilitas maior ex crudorum coctione, robore ventriculi, spirituum copia regenerata, & comparata, quàm incommodum, si aliquod datur, nullum enim inuenio, & hoc præcipuè obseruandum in assuetis tali potioni, quorum ventriculus sine vino non concoquit, vt sunt
D agricolæ: mirum enim est quàm exanimes orbati reddantur, vt millies in acutis obseruaui, nulla quidem euacuatio, etsi insignis, sic eos effeminat, vt aquæ solius potio. Et est expressa doctrina Rasis 27. *continentis*, quem sequitur Iacobus; album eligendum, & cùm quotidiana exquisita moderatissimum potum desideret, minus periculi potio vini secum affert, diluetur verò aqua decocta cum antea relatis, quibus addes cum corticibus citri, aut cariophillis parata: sunt quidem mirabiles, & plus immutant, quàm reliquæ, quia minus assuetæ, sed gratæ magis: id enim obseruandum, vt alimenta, & potiones gratissimæ condiantur, sic enim coquuntur optimè, quod impediunt ingrata, vt Galenus 5. *aphor.* 38. doctissimè docuit, & nihil mihi magis abominabile quàm cum alimentis medicamenta ingrata miscere, in
E quo Dionysius Brudus passim errat, cibos nauseabundos, & tetri odoris, & labore inutili satis compositos consulens.

Si sola mulsa pro cibo, & potu sufficeret, magnum foret remedium quandiu in prima regione copia crudorum agnoscitur: dicebat enim Rasis 17. *continentis*: *Aqua mellis euacuat vehementer superfluitatem, quæ est in primis venis & in venis descendentibus ab hepate ad intestina.*

Horam cibandi exposuit author iis verbis; *Et hora cibi est post teporem paroxysmi, & eradicationem eius, & ante proxysmum quatuor horis.* Primum patet, quia in intermissionibus est calor naturalis temperatior, cùm in reliquis temporibus calor febrilis: est mihi consuetum, si post eradicationem alendus est æger, debilitatem

contra

contractam in paroxysmis notare, si considerabilis sit, non permitto statim integrum prandium, sed solùm leuissimum cibum, & statim somnum impero, vt virtus instauretur, & integram cibationem idoneè commutare possit; est enim amethodum aliter cibare, quia ex prægressa accessione fatigata, & debilis natura improspere cibos concoquit, & materia febris perenniter fouetur; si verò ante accessionem cibandus est æger, monet author quod ad minus quatuor horis ante accessionem cibetur, vnde si in quotidiana (vt docet ipse) durat paroxysmus decem & octo horas, & intermissio sex solum, videtur quod semel tantum cibandus sit æger, si virtus aliud non indicet, & sic opinor esse faciendum: si verò virtus non constet satis, cibabitur, vt dixi, leuiter statim à paroxysmi fine, & post duas horas cibus plenior sumetur, estque hoc præceptum celebre, obseruando semper accuratissimè quod inedia in pituitosis morbis, si virtus constet, magnam vim habet ad salutem, vt docuit Rasis 17. *continentis*: si verò succi crudi incoctiles sint, inediam ferre ægri nequeunt, vt notauit Auerroës 7. *collectan*, *cap*. 13. quinimò vel facilè in inedia animo linquuntur ob spirituum extinctionem à frigore pituitæ, & incapacitatem materiæ, vt ex ipsa generari possint.

De somno, & vigilia sic scribit: *Mensura autem somni eorum est, vt sit æqualis vigiliis, vt sit digestio materiei ad somnum, & resolutio ad vigilias.* Quod coctio per somnos felicior fiat, resolutio verò per vigilias, publicum est, etsi contrarium Iobertus conetur suadere; dubium tamen satis videtur quod horis duodecim sit æger permittendus dormire, & aliis duodecim vigilare, etsi consilium traditum certo ab omnibus admitti. Ratio dubij est, quia in accessionibus dormire præcipuè in phlegmaticis, longissimas illas reddit, eo quòd intrò per somnum humor accessionum detinetur, viscera incenduntur, & grauantur; opprimi verò à nullo magis, quàm ab humore pituitoso patiuntur, quia crassus, & plus quia lentus, ob quæ intermissio, vt sæpe author notat cum Galeno, minus pura in quotidianis, quàm in aliis quibusuis febribus est: necesse verò est, quod si accessio quotidianæ durat decem & octo horas, quod debeat æger dormire sex in qualibet accessione, quod summè perniciosum videtur. Secundò, vigilia vt resoluit, sic calefacit, & calor vigilantiæ totum euacuat, & siccat rissime, quia teste Hippocrate, *vigilia est edax*, quod non eueniret, si ab internis non euacuaret, & morbos pituitosos, calefacientibus, siccantibus, & resoluentibus, & extenuantibus, vt sudore, & immoderato exercitio extirpant Medici, quibus somnus obstat vehementer, quia semper humectat, & ventilationem tollit: quod si vigilia æstati, somnus hyemi comparari debet, vt æstas morbos omnes contrahit, hyems producit; sic vigilia maior ob ingentem resolutionem morbos longos breuiare debet, somnus producere. Deinde si febris sanat conuulsionem priorem, quia calore extenuat, & cruda resoluit, ac concoquit, cur vigilia maior, quæ initium febris putatur, pituitosæ febri non conueniet. Hippocrates etiam 6. *epid. sect.* 5. *text.* 22. scripsit: *Venus in morbis a pituita vtilis*, & 7. *aphor. Carnes humidas habentibus, famem adhibere conuenit*, quia fames corpora siccat. Nunquam itaque in morbis pituitosis quietem, aut somnum consulit, sed exercitari, calefieri, & siccari, quæ per somnum non assequuntur ægroti. Non igitur longior somnus quàm per bonam valetudinem in morbis pituitosis conueniet, quibus accedit promptitudo magna incidendi in cataphoram, quando pituita abundantior euaporat, vt per febres pituitosas semper timemus: nec dubito quod si Medicus tam longum somnum consuleret, & in aliquo accessionis tempore dormire cogeret, putaretur à vulgo imperitus. Neque obstat si dicas, quod somnus plus quàm vigilia concoquit; nam hoc non concedent omnes si Iobertum sequantur, & in morbis

A pituitosis vel facilè negari summa ratione poterit; nam calefactio, & attenuatio maior quàm à calore naturali fieri potest, vt eradicentur pituitosi morbi, à Medicis consuluntur, vt dixi, & quod plus vrget Auicennam, est quod quæ resoluuntur, non egent coctione, nec alio auxilio, quæ coquuntur maximè, præsertim si crassa sint, vt pituitosa; nam æstas sic morbos febriles breuiat, nimirum quia vehementer resoluit, & totum euacuat, quod etiam vigilia longior præstat.

Censeo suspectam Auicennæ doctrinam, & vt in plurimum improbabilem, ob adductas rationes plus momenti habentes quàm ratio de coctione ab eo tradita; & quia quotidiana rarò non pendet ex multa copia obstruentium viscera, quæ suffocantur potius plurimo somno; at vigilia dummodo sensibiliter non lædat, vti-B lissima est ob dicta. Si itaque quotidiana laboras, vt per bonam valetudinem dormias, id vt salubertimum eligendum; si verò doctrina Auicennæ sequatur, constat quod somnus semper à declinatione incipere debeat, & permitti, quia in hoc tempore manifestam vtilitatem omnes somni afferre tenentur, si Galeno credendum 2. *aph. com.* 1. quam si non afferant, exitiosus est casus: in statu verò quotidianæ suspectus nimis esse debet, quia humores crassitudine, & lentore, occasione leui intus cohibentur, & nouum incrementum, aut longior multò status succedet; ob quod censeo quod & declinatio longior non dubiè in somno reddetur, quia humoris natura ob lentorem, & crassitiem, totum possibilem perspiratum liberum, & nihil interius detinens, vt expelli possint, requirunt, cum constet ex-C perimento tam impuram esse ob dicta declinationem huius febris.

Auxilia multa refert author quibus diuersis accidentibus doctissimè occurrit, & satis perspicua sunt, nunquam tamen obliuiscor tradendum conciliare robur ventriculo, vt hic notat author, cum oleo camemelino, nardino, & fortius illo (inquit) est alracechi, seu altacathi, quod significat iuxta Bellunensem, & Iulium Palamedem, oleum liliorum alborum. Gentilis legit Almagothi, & exponit quod sit gummi in fructo pini insertum, & iuxta Azarabium, est oleum iasminorum, D quod mihi magis probatur, quia calidum, roborans, & aromaticum, & loco gummi à Gentile traditi, vtilissimè ori ventriculi apponitur mastix pinguissima oleo nardino liquata, cum puluere diambræ; & si durum os ventriculi percipiatur, ponatur loco dolenti emplastrum meliloti, non ignorans quod mastix, & eius oleum præter robur, quod afferunt, sunt gratissima stomacho, & iuxta Galenum emolliunt etiam duritiem illius, mastix enim calore ventriculi actuata naturalissimum calorem cum pinguedine suscitat coctioni vtilissimum, vt calor puerorum.

Quod verò vsus assiduus cœnematum expurgantium pituitam sit magni momenti, referre non licet. Est mihi communissimum in iure carnium incoquere chamemali flores, anethum, anisum, fœniculi semen, & flores centaureæ minoris, & duo folia lauri viridia, post E excolatur, & idoneæ quantitati additur mellis selectissimi aut rosacei ℥ ij. electuarij indi, & benedicti sna ʒ. iv. serapij solut. ℥. ij. ß. salis parum, fiat cœnema, interdum semina cartami contusa, & mercurialis coquuntur, & quando deobstruere ventriculum, aut aliquod viscus naturale opus est, & simul paulatim pituitam extergere, & citra turbationem purgare, perficitur optimè, si mercurialium folia iure coquantur: sumitur ius in prima mensa, non folia cum saccharo, & mitè prodesse solent; si semina cum foliis coquantur, felicius expurgatio succedet, ducunt enim citra turbationem crassam pituitam cum bile; & cùm aromaticum quid semina exspirent, sunt ventriculo amica, cum hoc quod deobstruunt ob partium tenuitatem toti etiam plantæ natiuam, cum vi expurgatoria simul, & leniente; cruda

etiam

A etiam Mercurialis inter acetaria in cœnæ initio præſtat, ſimili commodo cum oleo, aceto, & ſaccharo : ſic melius expurgat, & lenit, quàm ſi in aqua decocta ſumatur.

Tandem dicit Auicenna: *Et ſi ceciderit appetitus, tunc melius eſt, vt non adminiſtretur vinum ſolum, imo in quo decocta ſint camomilla, & dactili, & melilotum, & abſinthium.* Gentilis putat, quod vinum prohibeatur, quia eliquat materias crudas, & ſic appetitum deſtruit: Solutio falſa, quia ſic omne calidum vitaretur, & multò magis camemalum & melilotum ad vomitum præter liquationem inclinantia. Simili errore culpandus Iacobus, qui addit vinum caſui appetitus nocere, quia ſatiat ſuis vaporibus, & ſic ad auferendam famem caninam ab Hippocrate conſulitur 2. *aphor.* 21. dicendo: B *Famem vini potio ſoluit.* Expoſitio etiam inanis, & contra Galenum, qui exponendo aphoriſmum dixit, quod vinum non tollit quemcumque appetitum, nec enim excitatum ab inedia, vel alui profluuio aut ſanguinis fluxu; imò ſi vinum ſanat caninum appetitum, quia pituitam acidam reſoluit, ſanare poterit inappetentiam à pituita dulci, & ventriculum laxante orram; quia vt illa acore, & frigore inſatiabilem ægrum reddit, ſic dulcis, & putrida humore nimio, & calore repido ventriculum laxando inappetentem reddit, quam exſiccando, & reſoluendo appetitum reſtituit. Probabilius videtur, quòd loquatur de vino exterius appoſito, in quo idonea ſimplicia ſolent concoqui pro ventriculi robore: & præcipit, quod ſi æger inappetens ſit, C nullo modo roborantia vino incoquantur: tum quia odor eius quando calefit eſt, ingratiſſimus, vt experimento conſtat, & nauſeam mouet; & ſic Bellunenſis notat, quod loco (vini) ponatur (almibachtegi) hoc eſt ſapa in quo dicta ſimplicia coquantur, & ventriculo applicentur exterius; eſt enim ſapa quia maioris molis quàm vinum, ad emplaſtra commodior, plus virtus ſimplicium durat ob lentorem illius, & quia plus quàm vinum aſtringit, commodius etiam eſt, & cum hoc pituitam imbibitam in ventriculi tunicis felicius concoquit ob maiorem emplaſticam vim; fortaſſis etiam tempore Auicennæ erat conſultum debilem ſolo vino fouere, cuius vis cito reſoluitur, & ſic infrigidatur vt ſolet, quia aqueum remanet, D euaporato vinoſo, & ventriculum lædit: ſapa verò ob dictas proprietates vtilius in prædicto ſymptomate cenſetur. Quod vinum in quo abſinthium viride maduerit, interius ſumptum, appetentiam non ſegniter ſuſcitet, publicum eſt, & Herculanus experimentis ſuadet, & præter hoc eſt etiam huic febri conuenientiſſimum ob multa, *cap. de cura tertiana* à nobis tradita: quod verò vinum bibitum, interdum appetentiam excitet, quando nimirum natura vt condimentum illud amplectitur, Valleſius noſter tradit.

SECTIO VII.

E *De curatione febris continuæ phlegmaticæ, quæ nominatur latica.*

CVrationem huius ad ea quæ in medela præcedentis adduxit, reducit, quia ab eadem cauſa pendent: diſcrimen eſt, quod continua calidior eſt, quia continua, & quia à maiori cauſa creatur, & cordi proximiori, quia continua eſt extenſiuè calidior, quia à cauſa maiori, & cordi magis propinqua intenſiuè. Vnde infert Auicenna, quod adminiſtratio calidorum (ea nimirum quæ contra cauſam, & obſtructiones imperatur) ſit cum facilitate, ideſt non ſint tam calida, vt in quotidiana intermittente. Quæ doctrina abſolutè mihi non probatur, quia continuitas ex maiori cauſa antecedente pendere poteſt, tam calida auxilia vt intermittens requirente, imò interdum maiora, quod euidenter patet in ſyncopali humoroſa, cuius cauſa antecedens præ copia ſuffocans, inciſoria magis, & calidiora quàm intermittens indicat; & auxilia vltima ab authore adducta ſatis calida ſunt, & intermittenti congrua ſatis, & adæquata. Quæ auxilia tenacior conditio obſtructionum, & copia maior in continuis, quod magna ſint ſæpe requirunt, & trochiſci quos de decem appellat, ſuntque optimi, efficaciſſimi, & calidiſſimi ſunt, & cuicumque intermittenti ſatis adæquari, & calidis, & deobſtruentibus poteſt auferri.

Petit ergo continuitas vt celerius occurras omni auxiliorum genere, quia plus natura patitur, non in conſtitutione, quæ breuior eſt, ſed in tempore conſtitutionis ſuæ, nec eſſet omninò à ratione alienum, quod occurrere cum facilitate, non ſit occurrere cum remiſſioribus, ſed largiori manu, & crebriori repetitione, quia celerius continua quàm intermittens mouetur; neque continuitas te decipiat, vt celerius, & plus venam ſeces, vt imperitos facere video; nam ſi hæc ex copia maiori cruditatum creatur, & ſit in prima regione, venam ſecabis cautiosè, & ſi ſtatim, & magis, ſtatim etiam, & certius occides: ergo celerius, & crebrius, & maiora eſſe debent remedia in continuis; quæ verò ſic in ſpecie applicanda ſint, ex dictis in medela intermittentia iam conſtat. Quia verò compoſitio trochiſcorum de decem mirabilis eſt, eam inuenies *lib. 5. ſumma* 1. *tractatu* 8. & ſunt penultimi eius, quos auferre quartanam tradit, vt conſtet tam efficaces eſſe vt intermittentem quotidianam eradicare poſſint, & nihilominus continuæ accommodat; ſic habent. Aniſi ʒ.iiij. & folij indi, abſinthij & ſeminis apij, & ſpicæ, & amygd. amararum excorticat. & maſtiches ana ʒ.j. aloës ʒ.ij. ſucci eupatorij ʒ.iiij. tere, & confice cum ſucco abſinthij, & forma trochiſcos drachmeos, & da in potu cum aqua tepida, intellige vnum ſummo mane, ſi occaſio non deficiat ob acceſſionis horam, ſin minus in declinatione, cocta iam materia, vt docet Auicenna, & repetit Gentilis, qui *in fine expoſitionis*, vt expertum laudat ſyrupum ex ſucco apij cum ſaccharo, aut melle, doſis ℥.1.ß. cuius vſu quotidianam intermittentem ſex menſium eradicauit, quod remedium mihi maximè probatur. Laudat Auicenna trochiſcos de abſinthio, & in tranſlatione Gentilis abſinthium in eorum compoſitionem non intrat, at in Bellunenſis tranſlatione cum abſinthio componuntur hoc modo. Abſinthij, aſari, ſeminis apij, aniſi, amygd. amarum, ſuchacha, id eſt ſpinæ ægyptiæ, bedegard, id eſt, ſpinæ albæ, ſucci eupatorij, ſpicæ maſtichea, ana ʒ. ij. contundantur, & cribellentur, & malaxentur, & fiant trochiſci, qui dantur vt priores.

SECTIO VIII.

De cura Laticæ Mercati.

OPinio Ludouici Mercati plauſibilior quàm Magiſtri mei nobis apparuit, aliquid enim continet (vt probabimus) ad praxim veram, & quod poteſt contingere, pertinens. Docet ille *lib.* 1. *de recto vſu præſidiorum*, nec venam ſecare, nec expurgare licere; nam cùm humor ille per tertiam regionem cum rore naturali, & per minima diſperſus ſit, quocumque auxilio ex dictis extrahitur vtile, & quod morbum creat, manet vt antea; cùm verò neceſſe ſit, naturam per auxilia maiora effeminari, manet morbus ſuperior, & iugulatur æger; ergo tota medendi ratio in reſolutione humiditatum dictarum conſiſtit, & in creatione ſolidioris ſubſtantiæ putredini, & corruptioni reſiſtentis, in hoc enim hecticis ſimilatur.

Danda

Danda igitur alimenta assa potius, quàm elixa, duplex enim indicatio complenda est, & quod crudi, & crassi humores absumantur, & quod corpus exsiccatum iam, quia malè nutritur, optimo, & instaurante alimento humescat, non quidem humiditate aquea, sed pingui, & nutritoria, aquea enim inundatur potius æger per omnes porositates: carnes ergo assæ vtrumque perficiunt, humiditatem enim aqueam absumunt, & nutritioni, & tabi reparandæ eximiè conferunt, absumunt quidem, quia assata patiuntur insignem resolutionem humidi aquei; hoc enim ab igne facillimè absumitur, & humidum pingue coagmentatur prius quàm resoluatur, & crassum, lentum, pingueque manet à crusta rei assæ cohibitum, quod optimè nutrit, & substantificè corpus humectat; crusta igitur siccat aqueum humorem, & agendo, & imbibendo in se, velut absorbendo illum, quod est commune omnibus siccis; & cum alio qui succum humidum aqueum non præbeant, magnum auxilium sunt contra illud: at humido pingui, & lento, & non ita euaporabili omnia ante assata pinguefaciunt corpora, & tabem destruunt, est enim pinguis pars putredini minus commoda, quia optimè cocta fuit, & coagmentata, & humidi aquei expers, seruatur potius in internis partibus rei assæ; nam teste Aristotele 1. *meth. cap.* 3. partes externæ assatarum carnium sicciores sunt, & crustosæ, in intimis succosæ satis, & humido pingui imbutæ, vt Aristoteles docuit 1. *sect. problematis* 53. quo nutritioni aptissimæ factæ tabem emendant, & vt melius id præstent, crusta semper abiicienda, nisi excrementosa cruda ventriculi ea indigeant, id habent incommodi, quod non commutentur tam facile, vt carnes rectè elixatæ, quo fit, vt ventriculi robur non leue requirant, & quod simul sint tenerrimæ, vulgo *manidas*; nam etsi sic initium quoddam putredinis habent, quia humidum internum ob defectum caloris in cadauere quolibet exorbitat, & initium putredinis præbet: hoc ipsum tenerrimas reddit, & molliores, & eliquationi ventriculi aptissimas, & succum robustum præbent: quod respiciens Iobertus putauit facilius concoqui elixis; hæ enim quia humidum pingue, & alibile paucissimum habent, (illud enim per elixationem in iuribus deposuerunt) superest in ipsis, quod terreum, fibrosumque est, & malè eliquabile, sicque difficilius coquuntur. Ratio quidem apparens, sed inualida; nam carnea assæ idem terreum, & fibrosum participant, habent alioqui multum commutabile, & totum hoc sub modo substantiæ crassiori, & magis compacto, & plus coctioni resistente, vt experientia testatur. & cùm carnea elixæ habeant parum commutabile: citius extrahitur, & quod fibrosum terreumque est, reiicitur.

Ex quibus constat modus nutriendi hecticos, sunt enim iura propinanda, & carnes assæ, aut succus earum expressus, si partes ob siccitatem densantur, vt possit distribui; succus enim ille iuri optimo miscetur, & leuiter coquitur, nunquam enim hectici crustra carnis assæ indigent, vt nec aliquo alio exsiccante; at in febre latica egemus exsiccatione, & tenuitritione simul, si causa à Mercato adducta admittenda est; in tali enim infelix nutritio datur, quia serosus humor alimento per minima miscetur, & agglutinatio debita impeditur, vt dicas verè, esse habitus corporis cachexiam quandam, ob alimenti cruditatem, & nimium humorem: in hecticis verò sanguis potius exsiccatos, & exsuccis est; & idoneo lentore orbatos ob siccitatis excessum, & defectum humidi idonei, quo fit vt sanguis ex porcellis paruis distillatus magnum sit auxilium, si aqua stillata sumatur, aut seorsim cum iure leniter cocta, & sacchato: est verò distinctio facillima; hectici enim plus calent, & firmius, & siccitas statim se ostentat, aut quia pulsus durior apparet, aut caro asperior, & minus mollis, & simul cum extenuatione, quæ quotidie insigniter crescit cum colliquationibus, repræsentatur excellentius in

A facie. At in latica, etsi nutritio improspera fiat, carnes, & pulsus molliores apparent: carnes semper, pulsus etiam nisi insignis obstructio viscerum detur: hectici sudant nunquam, latici verò frequenter inundati sudoribus solent, inter dormiendum præcipuè, febris remissior multò solet esse, & calor non mordax, & quod plus talem febrem, & certius significat, est quod cum extenuatione sensibili datur immixta quædam faciei inflatio ob humiditatis excessum: plusquam hectici dormiunt, sitiunt minus, & lotium minus incensum emittunt.

Sic in medela variant, frictionibus vterque eget, sed hecticus mollissimas, & impinguantes desiderat, quia solum eget alimenti tractione: at laticus paulò fortioribus, quia non solùm alimenti distributione, sed resoB lutione aliqua humiditatum imbibitarum in carnibus; aqueæ enim quàm nutritoriæ discutiuntur multò facilius, & calor tepescens ob aquosum humorem, frictionibus gliscit, & suscitatur intensior, sicque partes præ madore debilissimè attrahentes, exsiccatæ, & calefactæ trahunt auidius; vinum in latica conuenit, hecticæ aduersum, nisi illud vitium collapsio requirat: decoctum etiam radicis chinæ laticæ conuenit, quod nutriat, vt putant multi, & impinguet, & humorem superfluum sudore, aut insensibiliter dissipet; hoc vltimum hecticus recusat, quod cùm sit certum, & quod impinguet ex se decoctum chinæ sit dubium, nescio quàm assertiue multi doceant per se impinguare; nam ex accidenti mihi non est dubium, quod fortassis C illos decepit; decoctum verò chinæ, aut smilacis asperæ ad leniter ciendum sudorem in latica, maximè mihi probatur, eo modo quo in hæmitriteo docuimus. Sic iura parata cum resoluentibus, & deobstruentibus, & tantisper siccantibus vtiliter imperantur, & in hecticis interdum conueniunt, tunc nempe quando obstructiones tenaces viscerum, stabilem, & tabidam febrem creant, siue quarum ablatione curatio talis in casum adhibetur. Illud verò accuratè notabis, quod si obstructiones ex terreis iam factis humoribus pendeant, admisceantur semper cum omnibus auxiliis deobstruentibus aliqua emollientia, vt putes iam initium schirrosæ dispositionis viscus affectum cõtraxisse, & eo modo eradicandam esse, vt schirrhi auferuntur, mitioribus tamen.

Inuentum hoc de latica febre fuit vt reor Dionysij Brudi Lusitani, *lib.* 3. *de victus ratione*, *cap.* 1. ex quo D omnia ferè Mercatus desumpsit; vterque allium conuenientissimum putat, si in sorbitionibus, vt simul bulliat imperetur, potest etiam salsamentum ex ipso cum petroselino parari, absumit enim humiditates putridas, & quod putridum non resoluit, coërcet, ad ambitum ex centro pellit, & omnes potentias firmat, vt dicas esse velut ignem expurgans, & putridum absumens, & destruens, cuius vsus intensione febris impeditur, & nimia siti. Præter allium laudat Brudus cauliculos altilis cardui, quem Hispani vulgariter *cardo* appellant, quo vbique locorum ad finem mensæ vtimur; coquuntur in iure simul cum radicibus cichoriæ, petroselini, passulis, & tenerrimis lupulorum cymis & corticibus citri cum carE nibus idoneis, vt perdicis, phasiani, aut hœdi; has enim laudat; aut si tales haberi non possint, cum pulla, aut capone coquãtur dicti cauliculi, quia carduus ille madefactionem, & laxitatem corporis remouet, membra laxa indurat absque natiui humidi consumptione, deobstruit, lotium pronocat, & in altum penetrat, quod ad huius febris sanationem expetendum est; quia humor per minimas particulas corporis dispersus est, vnde inquit vrinam crassam, copiosamque, & sudorem esse duo remedia magna contra huiusmodi febrem: censeo hanc herbam non esse, cuius vsus in Hispania magnus est incipiente vere, & cum carnibus coquitur, & non *cardo*, sed *cardillos* dicitur, solumque durat eius vsus duobus mensibus, quia transacto hoc tempore durior

reddi

A redditur, & ingratus, quando si in rigore verba Brudi sumantur, significant potius aliud genus cardui, quo sola hyeme vtimur in fine mensæ, & in cœna sola, & crudus editur, licet iam in aqua, & sale coctus acetarij loco initio cœnæ sumatur, cum oleo, aceto, & pipere, éstque gratus satis palato, & tenerrimus redditur, hic siccat magis, & roborat, quàm alter, coquitúrque sub terra, & coctus sole vtilis redditur. Sic nomen altilis, huic soli propriè conuenit, quia in proprijs domibus, & coltura esui aptus redditur, sine qua durissimus, & amarus ex sua natura est, & nullo modo mensis apponitur, sed iumentorum est cibus, & in vltimis cibis sumitur, quia roborat non leui astrictione, ob quam suspectus in putrida febre, præsertim si viscera obstructa sint, videri poterat. Verùm non ita est, sed etsi B astringat, habet nihilominus insignem vim deobstruendi viscera, renes, & vesicam, vnde non mirum quod laticæ febri vtilissimus sit, quia astrictione partes omnes mucidas stabilit, & partibus tenuibus vias omnes recludit, & mirè deobstruit: nec minus conueniens mihi videtur, si conex exterior raphanorum iuribus incoquatur; mirè enim crudam materiam extenuat, putridam dissipat, & à centro ad ambitum potenter mouet, & lotium non minori vi prouocat, sensúsque acuit, si Dioscoridi fides adhibenda. Illud verò non te lateat, nimirum quod vt in hecticis viæ distributionis alimentorum ob siccitatem densantem occluduntur, cui balneis occurrimus: contraria ratione occluduntur in latica; humore nempe nimio madidæ partes firmitudinem amittunt, & concidunt in sese, ob C quod deobstruentibus, siccantibus, & partium tenuiorum laticæ succurritur, vt & frictionibus paulò quàm in hecticis fortioribus, & sudorificis, & consumpta humiditate superflua, partes firmentur, & pori non occludantur.

Quod obiicit Magister meus contra Mercatum in cura huius mali, parui momenti est. Mercatus enim ob cruditatem materiæ putat, quod alimentum vitietur, & nutriatur bene febricitans, & cùm sit tam permixta cum alimentitio succo, & per minima, nec potest à natura separari, nec à medicamento trahente sine magno naturæ detrimento, eò quod multum vtile simul extrahi debeat: maius tamen dubium contra Mercatum superest, quia non docet ex qua corporis parte materia illa D cruda moueatur, aut disseminetur per corporis poros cum alimentitio succo: nam si ex iecore, aut ventriculo, vel venoso genere moueri putas, & simul cum sanguine per poros disseminatur, constat euidenter quod & sanguinem mittere, & expurgare sit licitum, ne materia illa ad ambitum distribuatur. Vnde meo iudicio ad rigorosam constitutionem laticæ febris, cui, & venam secare, & expurgare nullo modo conueniat, dicendum est quod materia illa cruda in poris imbibita, creetur in ipsis, vt carnium distemperies sit radix totius morbi: & prima sic defendi potest, quod nullum auxilium ex dictis conueniat, quia intra vasa nihil vitiosum continetur, sed totum cum rore permixtum, & cum secundis humiditatibus, & sic curatio relata conuenire E videtur; ita verò esse indicabit vrina inculpata, aut à naturali statu leuiter distans, hypocondriorum mollities sine aliquo ardore, & in corporis ambitu color albicans, carnium mollitudo, & laxitas cum impotentia ad motum, & sudor leuis inter dormiendum, & inflatio faciei, & pulsus mollis.

Nec vos lateat quod carduus ille magnum auxilium contra gonorrheas virulentas, & gallicas sit, vt ex Langio tradit Mizaldus, præsertim radix eius commendatur, quia siccat magis & roborat, hæc enim si vino coquatur, & bibatur, vrinam strenuè prouocat, graueolentemque proiicit, vt ob id alarum, & totius tædiosum hircosúmque odorem obscuret, tetram illam humiditatem per lotium deriuando; hunc carduum cum

A Cinara Mizaldus identificat, Laguna verò distinctos esse docet, vt Cinara sit carduus ille fructum echinatum (vulgo Arcachofas) ferens, prauum succum generantem, & cum hoc antipathiam insignem cum perfectissima substantia, semine scilicet, publicat, eo quòd inter alimenta nullum tam ferociter ad Venerem incitans inueniatur. Paulus *lib. 15. tit. 5.* sic scripsit. *Scolymon, seu carduus calefacit, siccatque ordine secundo: radix eius cum vino decocta, vrinas fœtidi odoris liberaliter educit, & alarum, totiusque corporis graueolentias corrigit.*

SECTIO IX.

B *De febre diurna, & nocturna ex plegmaticis humoribus.*

De iis febribus egit Princeps *f. 1 lib 4 text. 2. cap. 53.* in translatione Gentilis, est verò 54. in translatione Bellunensis: constat verò ex ipso textu capitis, quod non loquatur de qualibet febre diurna, & nocturna, sed solùm de pituitosa, ob quod & nos post tractationem de quotidiana continua, & intermittente, & de latica, de diurna, & nocturna sermonem instituimus, quatenus frequentius hæc diuisio pituitosis febribus conuenit, quia crebrius ab hoc humore dependent: non enim negare licet, quod quælibet febris potest esse diurna, & nocturna; nulla enim cer-C tam horam repetitionis obseruat, sed in qualibet hora diei & noctis incipere eius accessio potest, constátque continentibus, aut diariis hanc diuisionem adaptari non posse, vt modò leges.

Dicit Auicenna. *Diurna est cuius paroxysmi accidunt in die, & eius tepor in nocte, & nocturna è conuerso, & vtraque sunt malæ.* Ex quibus constat cur continentes, & diariæ nocturnæ, aut diurnæ dici non possint, cùm careant repetitionibus, per quas definiuntur. Constat etiam euidenter ex definitione quod cuicumque febri possit competere ratio diurnæ & nocturnæ, quia quælibet potest habere paroxysmos in die, & teporem in nocte, & ècontra. Dicit verò Princeps, quod vtræque D sunt malæ, non quidem quatenus febres, sed quatenus diurnæ aut nocturnæ, & sic comparando eas dicit, quod diurna est longior, & deterior. Ratio est, quia diurna, aut nocturna dicitur febris, eo quòd diurna habeat semper paroxysmos in die, & teporem in nocte, nocturna veròècontra, illa verò perseuerantia in hora repetitionis paroxysmorum arguit semper causæ citcuitionis stabilitatem magnam, & inde nulla potest esse breuis, ac per consequens, ob prolixitatem quælibet est mala, sed diurna deterior. Vbi notabis, quod diuturnitati omnibus pituitosis febribus communi, additur alia causa longitudinis, nempe repetitionis stabilitas; nam si hæc quamlibet febrem longam significat, etiamsi febris ex propria natura, seu ex parte causæ deberet esse breuis, vt si sit biliosa, aut sanguinea, longissimam E significabit non dubiè, si inconcussæ repetitioni addatur ex parte causæ noua contumacia, cruditas nempe, & crassities humoris: quod verò inceptio paroxysmorum immutata, longum morbum innuat, clarè dixit Hippocrates *4. aphor. text. 3.* dicendo: *Quibuscumque accessiones fiunt, quacumque hora febres dimiserit, si eadem cras occupauerit, indicium habent difficile:* quod Galenus de omni repetente febre fuit interpretatus dicendo: *Siue quotidie, siue tertio quoque, siue quarto quoque ægrotus habeat accessionem eadem hora, difficulter solubilis est modus huiusmodi, siue multas, siue paucas horas accessio occupet.*

Ex quibus patet, quod febris diurna, & nocturna eo dicuntur tales, quòd eadem hora diei diurna incipiat,

piat, taliter tamen quod teporem habeat in nocte, & alia tempora interdiu; nocturna è contra. Et si altius loqui velis, triplex causa diuturnitatis in dictis febribus notabitur. Prima quod pendeant à pituitoso succo; secunda, quod eum seruent ordinem, vt diurna habeat principium, augmentum, & statum accessionum in die, declinationem in nocte, nocturna verò tria priora tempora in nocte, teporem in die: tertia quod eadem hora ferè incipiant accessiones; nam hoc euenire necessarium ferè videtur, si declinatio diurnæ in nocte, & nocturnæ in die necessariò molestare debet, quia hic ordo non erit inconcussus, nisi inceptio paroxysmorum stabilis, & firma planè sit, quoniam si anticipet, aut postponatur accessionis initium, mutabitur necessariò declinationis tempus, & sic quotidiana anticipata quæ tria tempora habuit in die, habebit omnia tempora in die: aut incipiens in noctis fine, habebit in die declinationem cum augmento, & vigore, aut duo priora tempora in nocte, & alia duo in die, quod non constituat nocturnam exquisitè, vt constat ex definitione Principis volentis, quod vt febris dicatur diurna, debeat habere paroxysmos in die, teporem solùm in nocte. Est verò paroxysmus siue accessio, deterior pars totius circuitus, seu deterius tempus, quod est à primo accessionis insultu, vsque ad tempus consistendi inclusiuè, vt 1. *aphor.* 12. Galenus docuit, & inde nocturna tria tempora in nocte absoluere debet, & in die declinare, diurna è contra, tria tempora in die, & declinationem in nocte, quod non ita religiosè intelliges, sed quantum est ex parte inceptionis accessionum. Nam sicut quotidiana intermittens decima hora noctis inciperet ad finem Iunij, implicaret quod tria tempora haberet in sola nocte, ob noctium illius temporis breuitatem, & nihilominus appellanda nocturna foret, quia ex modo inceptionis si nox longior esset, tria priora tempora in nocte foret habitura.

Sed dices, contrarium colligi ex explicatione Auicennæ; nam reddendo rationem prauitatis, & longitudinis diurnæ, dicit: *Et si ipsa non esset sana, non accideret in hora apertionis pororum, & resolutionis vaporum.* Vnde infertur, quod quavis hora diei in quo resolutio vaporum efficienda proprius est, accessiones incipiant, erit febris illa diurna, siue in die habeat tria tempora, siue non. Constat planè, quia nunquam copia maior pituitæ, nec maior prauitas argui potest, quàm si in hora diei, in qua resolutio humorum plus viget, accessiones incipiant, & inde diurna dicetur proprius, quæ in meridie semper incipiat, & nocturna è contra, quæ duodecima hora noctis.

Et vrgeo, quia si tota ratio prauitatis diurnæ est, quia tempore maioris resolutionis molestare incipit, constatque lege contrariorum, non potest esse nocturna mala, sed in genere suo lenior omnibus, & magis secura, quia arguit minorem causam, & minus prauam, quia incipere in hora in qua corpus præ frigore noctis maioris, & præ tenebris grauatur plus, non potest non significare minoritatem causæ; si multitudinem eius significat, quod incipiat accessio in hora diei in qua corpus ventilatur, & resoluitur magis: non ergo erit quotidiana mala, quia nocturna, sed diurna est mala, quia diurna. Et confirmatur, quia motus pituitæ, vt mox videbitur, est à nocte media: ergo nocturna vt talis naturalissima est: ergo vt nocturna non est mala, sed quia morbus.

Deinde videtur quod nulla quotidiana sit dabilis, quæ diurna, aut nocturna non sit, quia nulla datur quæ non incipiat, aut nocte, aut diu: oportebat igitur reddere aliud membrum quotidianæ, quod nec diurnum, nec nocturnum dici posset.

Rursus videtur quod nocturna sit deterior ob duo. Primò, quia si febris est morbus calidus, est necessariò minus congruens nocti, quàm diei, si nox est frigida, dies verò calidus: ergo morbus dissimilis, ac per consequens in eo plus periculi, quàm si diu opprimeret, hic enim etiam est verus aphorismus 34. *lib.* 2. *In morbis minus periclitantur, quorum naturæ, aut ætati, aut consuetudini, aut anni tempori magis congruit morbus, quam vbi nulli istorum congruit:* ergo inflammari pituitam, quando frigiditas aëris cor, & humores magis attemperat, fortiorem causam quam si diu inflammaretur, arguit; nullus etiam dubitabit, quod linguæ asperitas, & implacabilis sitis sit signum exitiosius si nocte, quàm si die excruciat. Et confirmatur quia dies correspondet æstati, nox hyemi: ergo morbus diurnus mitior nocturno, iuxta *aphor.* 25. *lib.* 2. dicentem: *Æstiuæ quartanæ breues, autumnales verò longæ, & maximè quæ hyemem attingunt.* Tandem quia cæteris paribus ex parte humorum nocturnus videtur deterior multò, quia tempora tria quæ sunt deterior pars accessionis, non possunt non esse longiora, & intensiora quam si die affligerent, quia quando corpus est minus transpirabile, implicat quod resolutio tardior non fiat, & vaporibus obruatur; erit ergo nocturna intensior, quia minus corpus transpirat, & longior etiam ob eandem rationem.

Rursus ratio Auicennæ ob quam grauiorem diurnam putat, milita efficacius contra nocturnam, quia dormire in accessionibus pessimum est, & vituperatur tam quam perniciosum ab omnibus, quia intus putrida detinentur, at in declinationibus dormire vetuit nullus; ergo si nocturna habet in nocte tria tempora somnum prohibentia, & diurna declinationem in qua dormire præcipitur, commodior erit diurna. Nec ratio Auicennæ videtur satis idonea, dicit enim: *Et est necessarium cum hoc quod patientes eam cibentur in nocte, & non permittantur dormire super repletionem stomachi, & præcipitantur vigiliæ, & est ex eis quæ faciunt cadere virtutem, tolerantia febris in calore diei, & vigiliæ in frigore noctis sunt ex eis magis dignæ quæ faciunt cadere in hecticam.* Sed totum hoc videtur improbabile, quia supponit rem falsissimam, nimirum quod à cibi sumptione dormire non liceat, cùm nihil magis naturale, quàm à cœna dormire, & hoc antiquis temporibus erat magis consuetum, quia nocte prandebant, & mox dormiebant: & dubitabit nemo (si vnum excipias Iobertum) quod per somnum alimentum melius superetur, si melius superatur per hyemem, quia calidum influens per somnum, & hyemem interius cohibitum, cibos validius alterat, & malè dicit, quod stomachus per febres repleatur, cùm cibus in tam moderata quantitate detur, & quis dubitabit esse contra tam naturalissimam consuetudinem noctem totam sine somno transigere, vt ignorem si aliquod tam præternaturale, & tam molestum ægris accidere possit, quàm tota nocte vigiles esse, quod experimento constat summa violentia perferre.

Audiamus Galenum 1. *de morb. vulgar. sect.* 8. *text.* 6. putat enim, quod diurna sit longior, & prauior ob rationem adductam à Principe, quia nimirum accessio occupat corpus per diem, quando rarius & perspirabilius est: & si tunc (inquit Galenus) conspissetur, erit febris inuadens malignior, partim etiam quod tempus habet incommodum auxiliis, quia sunt celebranda in nocte, quando quiescere, & dormire erat opus, & causa est cur temporis diuturnitate marcescant, quia vigilant quando debebant dormire: quam rationem Vallesius etiam tradit dicendo: *Quia minus opportuna est curationi diurna, quàm nocturna, quia tempus diurnum occupat paroxysmus, nocturnum solum superest cibis, & medicamentis, quare nullum quieti, & somno, & auocantur ægroti multum à communi hominum consuetudine laborandi, & capiendi cibos interdiu.* Galenus rursus sic expositionem claudit: *Quæ causa est cur temporis diuturnitate marcescant, tabescantque propter alterutrum, si cubent interdiu, somni defectu; si non cubent, quod vespertilionis, non hominis vitam agant.* Addit Vallesius aliud, quod est

maioris momenti, febres nempe diurnas minus venire ad tufebricitationem, quia earum inclinatio incidit in vesperam, qua hora morbi omnes exacerbantur.

Sed rationes adductæ parui mouentis esse videntur, quia in declinatione quodlibet auxilium exequi, & breuiter potest, siue mittere sanguinem, siue œnema iniicere oporteat, & mox comedere, postea dormire, vt ridicula videatur Vallesij expositio, quod nimirum tota nox vigilando debeat occupari ob medicamenta, & cibos, cur enim tanto tempore est opus? Et supponit doctrina Galeni, & Vallesij, quod totus dies debeat in paroxysmo consumi, ita vt ante illum nullum auxilium exequi possit, cum hoc necessarium non sit; nam Auicenna non dixit, quod totus dies occupari debeat in diurna, sed quod paroxysmus in die fit, tepor in nocte, & ante illum Galenus in citat. expositione etiam docet. Poterit ergo antequam accessio incipiat cibari æger commodissimè, ita vt nocte paucissimo cibo indigeat. Idem de sanguinis missione, clystere, inunctionibus intellige, ita vt quando declinat, sumpto leuissimo cibo somnum conciliet: & ratio Vallesij quam maioris momenti censet, est non dubiè fallacior; nam si malum censet quod declinatio sit longior, aut minus pura, ob frigus iam vespere adueniens, & corpus condensans, tenetur necessariò concedere, quod nocturna sit pessima, quia tria tempora accessionis grauiora reddit ex propria hora inuasionis grauissima, quia per noctem corpus densatur magis, quia magis frigida. Est verò deterius quod tempora deteriora reddantur grauiora, quàm id, quod leue iam est (vt est declinatio) quia labor additus, quando natura magis opprimitur, debilitat plus, quàm quando minus grauatur, aut læditur; ergo grauius lædit nocturna ob duo, & quia tempus illud longius multò est, quia tria tempora comprehendit: declinatio verò non nisi vnum in febre diurna, idest, principium, augmentum, & vigorem breuiat, etiamsi declinatio longior quàm in nocturna sit; at verò nocturna priora tria tempora producit, & intensiora reddit, etiamsi declinatio breuior, & purior sit; sed hoc minus bonum est, si tria priora, & grauiora tempora reddit grauiora, quia magis intensa, & longiora quàm diurna facit.

Nec ratio Auicennæ videtur sufficiens; nam eo indicat quod diurna ad hecticam magis disponat, quia calor febrilis iuuatur à calore diei vt corpus hecticam facilius contrahat. Sed contra est, quia calor diei tempora paroxysmi breuiat, vt docui, & rarefaciendo magis corpus, ventilatur perfectius, vt inde febris mitior per diem esse debeat, quia attemperationis nulla occasio maior, quàm quod agens calefacturum corpus, breui detineatur facillimè: hoc autem euenit per diem rarefacta cute: & constat, quia nullus hactenus negauit quod cutis rarefactio sit magni momenti ad non cadendum in febrem: ergo etiam vt ab ea liberentur facilius, quia excrementa putrida euacuantur commodius vigilia, & calore diei. Rursus si in diurna priuatur æger somni commoditate, quia in nocte declinat, & à repletione stomachi dormire non licet, idem argumentũ in nocturna habet vim; nam in accessionibus dormire non licet, & sic nec in nocte nocturnæ, & cùm declinet in die, & pòst æger cibandus sit, non erit licitum à cibo per diem dormire, & inde nunquam, & si per diem licet post cibum, melius in nocte, & vtilius, quia assuetum.

Tandem iis vrgetur opinio nostri Principis, Galeni, & omnium Medicorum, contra quos sentit Pereyra *cap.45.* non esse intelligendum Hippocratem, vt illi interpretantur, sed potius quòd febris nocturna sit malignior, & longior quàm diurna. Verba Hippocratis sunt: *Nocturna non admodum lethalis, longa tamen est, diurna longior: sunt quibus ad tabem vergat.* Putat ille, quod nomen *diurna* sit in casu ablatiuo, & non in nominatiuo, vt sensus sit, nocturna non admodum lethalis, longa tamen, & longior quàm diurna, & quod interdum

A aliquos ad tabem perducat. Suadet suam opinionem, quod proprium sit morborum pendentium à crassis & viscosis humoribus noctu, non diu affligere, vt in doloribus gallicis, scabie, & ventris torminibus experimur; vnde vigiles, & lancinati tota nocte sunt, & doloribus per noctem reiteratis extenuari, & marcescere, & quosdam defunctos fuisse docet; & tam pessimè de sensu à Galeno tradito sentit: quod iudicet solum delirantem docere potuisse, quod diurna febris sit longior, & malignior quàm nocturna. Et in gratiam Pereyræ vrgeo Galenum; nam si nocturna est leuior, erit grauior diurna; ergo cùm de nocturna dicatur ab Hippocrate, quod non sit admodum lethalis, erit necessariò lethalis admodum diurna: at Hippocrates de diurna non dixit quod sit lethalis, quod debebat facere quando compa- B rationem inter illas in eo textu adducebat; & constat, quia continuatò sermone de reliquis febribus, in omnibus nominatim periculum, aut securitatem exposuit dicendo: *Septimana longa est, verùm non lethalis, nonana hac longior etiam, at non lethalis, tertiana pessima est omnium, etenim & ante tabem, & iam tabidis superueniens, perimit.* Vnde patet, quod omnia attributa illius dictionis sint nocturnæ dicanda, nempe quòd sit non admodum lethalis, sed longa, & longior quàm diurna, & quod aliquos ob diuturnitatem ad tabem trahat.

Mihi videtur ob modum loquendi Hippocratis modo traditum probabilissima opinio Pereyræ, & quia rationes adductæ efficaciores apparent, quàm adductæ à C Galeno, & Principe nostro, estque non dubiè maioris detrimenti quòd æger totam noctem insomnis transigat, & interdiu cogatur dormire, & quod incrementa febrium debeant esse maiora, & intensiora ratione noctis, quàm quod accessiones diei pendeant à maiori copia, hoc enim euitabilius auxiliis est; ineuitabile verò, quod æger in nocturna possit dormire, quòd incrementa maiora non sint, & grauiora etiam: & experimento constat, quod omnes affectiones noctu tantum excruciantes, sint diuturnissimæ, & auxilia efficacissima requirant, vt eradicari possint, estque non dubiè nocturna febris dissimiliter morbus, vt causam putrefacientem efficaciorem arguat, & maiorem naturæ languorem, quia interdum dum vigilabat æger, & calore luminis roborabatur, resistebat putredini, refrigerato verò corpore ob solis defectum, accessio incipit. Et contra rationem Auicennæ D dicerem ego, quod nocturna febris arguit maiorem causam, quia si per diem fit resolutio maior, non deberet statim in nocte inuadere accessio, quia supponit ipsa inuasio non potuisse calorem diei resoluere quod crudum colligebatur, & sic crassiorem, & abundantiorem esse materiam in febre nocturna; at quia per noctem corpus densatur, & minus resoluitur, remanet copia vt inde accessiones incipiant; & ad hominem vrgeo Galenum, & Auicennam, putant enim, quod in intermittentibus febribus quando accessio fit, mouentur humores ad corporis ambitum; constat verò quod per noctem mouentur ad centrum tenebra & frigore: ergo vrgetur magis natura à causa febris per noctem quàm E interdiu, supposito quod contra motum humoris ad intra ratione noctis tam egregiè pugnat, vt contrarium motum omninò celebret. Peccat etiam ratio Auicennæ & Galeni, quia inuasio per noctem arguit, per diem collectam fuisse materiam, & per consequens tantam esse frigiditatem succorum, & partis illos creantis, vt à calore vigiliæ, & diei emendari non potuerit, nec facta fuit resolutio considerabilis, quin potius magna collectio crudorum, quæ solum sperabat retrocessum ad intra vi noctis, vt grauatis visceribus inciperent pellere ad extra, & accessionem mouere.

Vt plenius quæ in huius capitis expositione sunt tradita, intelligantur, notandum venit antiquum Astrologorum & Medicorum dogma: censent enim quod humores

humores quatuor habeant determinatam proportionem cum quatuor partibus diei, quia illis assimilantur in temperamento, indeque nasci, quod quilibet humor propriam periodum in parte diei sibi proportionata suscitet; sic bili correspondent sex horæ, à fine nimirum duodecimæ meridianæ vsque ad finem sextæ vespertinæ, quia hoc tempus est in die quolibet cæteris calidius & siccius, vt bilis inter humores: à fine verò sextæ horæ vespertinæ, vsque ad finem duodecimæ mediæ noctis, correspondet melancholiæ; quia vt hæc est frigida sicca, sic tempus illud: à fine duodecimæ horæ mediæ noctis, vsque ad finem sextæ matutinæ correspondet pituitæ, quia diei nulla pars est frigidior, & humidior, & à fine sextæ horæ matutinæ, vsque ad finem duodecimæ meridianæ correspondet sanguini, quia nulla pars diei est humidior, & calidior temperatè, in quibus non potest seruari tam exquisita proportio, vt seruant homores, quia cùm quatuor partium diei constitutio diuersa pendeat ex motu solis, & hic nunquam consistat, quia successiuus, inde semper mutatur temperies diei, quia semper accedit magis aut recedit à nobis; at quatuor humorum temperies cùm dependeat à forma, quæ stabilis est, potest etiam stare, & esse in in eadem intensione.

Hæ quatuor partes diei habent etiam analogiam, & proportionem cum quatuor partibus anni, & sicut hilis abundat æstate, pituita hyeme, sanguis tempore verno, & melancholia autumno, sic excedunt iidem humores in partibus diei sibi correspondentibus, & putant Astrologi tunc præcipuè moueri, & Medici etiam ex hora motus humoris, naturam causæ morbi inuestigare tentant, vt si dolor aliquis exacerbetur mane, creatur à sanguine; a meridie vsque ad vesperam, à bile pendet, si à vespere vsque ad noctem mediam eius author est melancholia, si à nocte media vsque ad horam sextam matutinam, est pituita eius causa; vnde meridies æstati respondet, quia per meridiem, & æstatem Sol nos directius respicit, & accedit ad nos; nox media hyemi correspondet, quia nunquam Sol plus à nobis recedit, quàm per hyemem, & mediam noctem, horæ verò circa solis occasum correspondent autumno, & circa Solis ortum veri, quia per horas matutinas incipit Sol accedere ad nos, vt facit in veris initio; & autumno incipit recedere, vt facit vespere, vt inde intelligas, quod morbi æstiui exacerbari soleant meridie, autumnales vespere, hyemales nocte media, & verni à Solis ortu vsque ad meridiem; verùm vt contingit frequenter dari morbos tempori anni dissimiles, sic horæ, aut quadræ diei; nam tertiana exquisita nocte inuadere solet, quotidiana verò per diem. Quod verò relati quatuor humores in hora diei sibi proportionata magis exerueient, & ob id etiam in ea soleant moueri, verissimum est, si irritatio, & molestia est occasio motionis: irritant verò magis in tempore sibi proportionato diei, non quia tunc generantur magis; nam iecur non generat plus pituitæ nocte media, si tunc coctiones perfectius celebrat ob somnum, & maiorem caloris vitalis retrocessum; sed quia aëris frigidioris inspiratio, & alteratio in nobis tunc viget, sicque minus pituita contemperatur, & inde molestat plus: sic per meridiem exasperatur bilis, quia aërem calidissimum inspiramus, vespere verò exasperatur melancholicus humor, quia nunquam sicciores sumus per diem quàm vespere, quia ab ortu Solis incipimus resolui, & quia tam longum tempus resolutionis præcessit, præualet tunc siccitas cum moderatiori multò calore, quod melancholiæ siccitatem exasperat, aut vt melius loquamur, resistimus minus siccitati eius, quia minus humidi sumus, & quia per noctem, somnum, & quietem corpora humectantur, & hoc substantificè ob vberiores coctiones, incipit sanguis prædominari ab ortu Solis vsque ad meridiem, quia calor illius partis diei moderatior cum humiditate est, & (vt dixi) copia maior sanguinis fuit genita somno & tenebris, & defectu motionis, & vigiliæ, minus corpus resoluitur.

Si verò putes diei temperiem conducere posse, vt iecur plus illius humoris generet, cui est proportionatus, intellige non posse contingere statim quod incipit hora diei, sed quando iam corpus sensibiliter alterauit, vt pituita non generatur statim quod incipit hyems, nec bilis mox ac incipit æstas, sed quando iam dies præcesserunt alterantes corpus, ita vt per diuersas horas diei non possit se reducere, hoc est, ita æstas nimio calore, & siccitate iam disposuit corpora, vt partes temperatiores diei non possint intemperiem contractam omninò tollere: quod non contingit in partibus diei seorsim consideratis; quia cùm sit tam inconstans temperies diei, & breui tempore durent eius partes, non sic mutat corpora, vt ad vberiorem generationem alicuius humoris conducere possit, & si conducit, non est nisi quatenus sub vniuersaliori tempore continetur quilibet dies, sub æstate nimirum, aut hyeme, & idè molestia cuiusvis humoris in partibus diei sibi analogis non pendet ex maiori copia illius humoris de nouo in ea parte diei geniti; sed vt dixi, quia humor ille propria temperie efficacius agit, quia minus à contrario repatitur, vt antea explicui: omnia dicta intelliges, si teneas quod dies æstiuales semper in omnibus partibus suis sunt tam distemperati calore, & siccitate, vt ad nullum alium humorem ex se nisi ad bilem disponant; nam frigus manè, & noctis per æstatem nunquam est tantum, vt pituitam generet vberiorem, nec calor meridiei per hyemem tam intensus est vt ad bilem disponat, sed tam remissus semper, vt ad maiorem pituitæ prouentum potius conducat, quia sub hyeme velut pars eius continetur, vt verè dicas, totus dies hyemis est pituitosus, totus æstiualis biliosus, sed minus est pituitosus per meridiem, vt æstiualis biliosior eadem hora, & totus autumnalis melancholicus, sed magis ad vesperam, minus ab ortu ad meridiem.

SECTIO X.

De regimine febris nocturnæ, & diurnæ febris phlegmaticæ.

HÆc solum Anthor tradit: regimen earum ambarum est regimen phlegmaticarum, neque est diuersitas in eis; & nullius expositor addidit quod notari debeat: Pereyra verò quæ animaduertit, leuissima sunt, nec Magistro indigent.

Cap. LVI. LVII. & LXI. Auicen. perlustrantur ab Authore in istis decem sectionibus antecedentibus. Cap. verò LVIII. LIX. & LX. in sequent. post Tractatum de Coctione & putredine perlustrantur.

CAPVT LXII.

De Febre quartana periodica.

DIuisio capitulorum in translatione Bellunensis, & aliorum, diuersa multò quàm in Gentile apparet, in hoc enim est caput quinquagesimum-nonum, in alia sexagesimum-primum: Gentilis essentiam, signa, & curam simul coniungit; alij in tria capita diuiserunt, vt debebat fieri.

Dicit primò Auicenna, quod vt in plutimum quartana est periodica, & ratò est contiuua, per periodicam intelligit intermittentem; nam continua, si est quartana, periodicar, & pet quartos repetit: ratio est quia melancholia est frigida, & sicca, & ideo difficillimè putrescit; datur etiam huius humoris quantitas minor naturaliter, quæ duo conducunt, vt intermittat febria, & quod plua conducit, est puritas declinationis, aut vt loquamur proprius, est quod vt testa accenditur, vt dicebat Galenus, & quod fumidum eleuatur, resoluitur etiam facilè, & cineritium fit paucum, & inde reditus alteriua accessionis tardior esse debet, vt maturior est quotidiana ob impuritatem declinationis, & intermissionia, vt Galenus docuit 2. *de differentiis febr. cap.5. & 4. de vtraque febre*: ergo quod facit ad tarditatem reditus, conducit necessariò ad intetmissionem, quia prior portio accessionis absumitur prius quàm alia de nouo accendatur, melancholia etiam, quia crassa, lentè mouetur ad focum, & pars ipsam generans, si siccitate alterante tenetur eam producere, producet tardissimè, quia lentæ actionia est siccitas, vt sint quinque causæ tarditatia typi quartani, & intermissionis eius, resistentia ad putredinem, paucitaa humoris, puritas intermissionis, seu cineritium paucum, crassities melancholiæ, ob quam lentè mouetur, & quod pars generans operetur media siccitate, quam cùm tam intensam melancholia requirat, vt terræ correspondeat, tatdissimè producitur. Inde constat quàm ratum sit quartanam esse continuam, si ex sola melancholia otigineiur; sunt enim vincendæ tot causæ: & si lien sit pars expellens, vt est frequentissimè, alia causa vincenda superest, debilitas nimirum expellentis lienis, nullum enim membrum laxum pellit nisi debiliter. Constat etiam quàm graue sit, & exitiosum quartanam continuari, vt experimentum quotidianum noa docet, quia nisi insuperabile ferè damnum quod non intermittat febris ex sola melancholia, author esse potest; notanter dixi ex sola melancholia, quia si pituira sit quartanæ spuriæ concausa, minus exitiosum censebitur, quia humor benignior, & in magna copia nobis naturaliter competens, vt excessua illius sit à naturali statu minor recessus, solius verò melancholiæ insupetabilis ferè, vt in præsagiis dicemus.

Deinde tecenset species melancholici humoris, quartanam potentes crearr. Verba sunt: *Et sciuisti, quod melancholia alia est, qua est fax sanguinis, & alia qua est adustio eius, & cinis humerum: & sciuisti, quod de illa est sanguinea, & de illa est phlegmatica, & de illa est cholerica, & de illa est adustio ipsius melancholia naturalis.* Quibus verbis quinque materiaa distinctaa quartanæ enumerat: primam melancholiam naturalem, secundam partem sanguinia crassam adustam, tertiam bilem adustam, quartam pituitam vstione exsiccatam, vltimam ipsam melancholiam naturalem in cinerea versam, ita vt residuum vstionis eius sit materia quartanæ; vt enim in aliis humoribus cinis eorum vt materia quartanæ admittitur, sic in melancholia negari non debet; imò nulli magis incineratio conuenit ob terream naturam, vnde ex melancholia naturali bifariam quartana creari potest: primò sine incineratione, quando nimirum putredo illam prehendit: secundò, quando ex prægressis accessionibus cinia melancholiæ remanet, qui si tam siccua non sit, vt flammam concipere nequeat, poterit rursua putrescere, & febrem create: crediderim tamen cinerem ex melancholia manentem, post eius putredinem, aut vstionem febrem facientem, non posse inflammari modo ad febrem requisito, ob id quod auaporabilia iam non est, ob terream, & exsuccem proprietatem; verùm quia melancholia naturalia potest, aut per leuem vstionem, ant alimenta ficciora fieri præternaturalia, & velut cinia, non tamen tam siccua vt euaporabilis non sit, potest notham quartanam cinia melancholiæ create, quæ & longior erit, & prauioria naturæ: omne enim prius vstum, si post rursus viatur, aut putrescat, ad febrem creandam perniciosum est, ob acrem, & excedentem naturam, & quia difficillimè suppuratur, aut coquitur, & vt postea docebo, cinia melancholiæ vstæ, & febrem creantis, erit materia quintanæ perniciosæ, si potest flammam concipere noua vstione, aut putredine. Impugnat obiter, putantea quod à melancholia naturali quartana repugnet, quia repugnat melancholiæ putredo ob siccam, & frigidam temperiem, quia hoc non arguit impossibilitatem, sed difficultatem, quia de proprietate omnis humiditatia est, vt putrefiat, quamvis id ratum sit ob præparationem, id est temperiem illam repugnantem, non tamen omninò; quod fuit Aristotelia placitum 4. *method. capite* 10. dicentia: omnia excepto igne putrescere posse, & putrediuem esse passionem mixtorum.

Dicit secundò: *Et plurimum quidem euenit in successione agritudinum diuersarum, & successione febrium putridarum, propter diuersitatem humorum ex quibus generantur, & ex horum putredine; nam cùm adunantur, & non euacuantur, multiplicatur melancholia, deinde cum putrefit, est quartana.* Ratio pendet ex prius dictia; nam si quilibet humor cinerem post accessionem relinquere potest, vbi multæ ægritudinea incinerate potentea, aut diuersæ febres longius molestauerint, poterit remanere cinerum magna copia, & esse author quartanæ, quia omue incineratum, terreum, crassum, & siccum, vt melancholia est, & quando putrescit, per quartos repetere solet, vt ipsa. Hæc fuit Galeni doctrina 1. *ad Glanconem, cap.6.* vbi inter causas quartanæ posuit, quod febris sine ordine antecesserit: & docuit ante omnes Hippocrates 3. *prognost. text.* 27. dicendu: *In quartanam verò discessuram esse, quoties intermittat, prehendatque errabilem modum, atque ita agendo autumno appropinquet.* In cuius loci expositione totam Auicennæ doctrinam præsenti textu adductam Galenus retulit, etsi quàm par esset, obscurius. Summa est, quod pet continuam febrem, quæ vigesimum superauit, si in intermittentem erraticam permutetur, tandem quartana timebitur, quia erraticæ intermittentes dependent ex varietate excrementorum vstorum ex prægressa febre, & varia cineritia, inæqualiaque remanent, & quia variæ febres arguunt, non vnicum humorem aduri, tandem multa superest melancholia ex incineratione plurium humorum, quæ cessantibus prioribus febribus, & inordinatia, stabilem quartanam creat: nam, etsi vnica solum febria præcesserit, varias tamen sordes excrementorum generat, quia plures sunt humores parati ad vstionem, hanc verò permutationem continua febris citiua suscitat, tardiua verò intermittena; & ob eandem causam, si per æstatem, aut ad finem eius (quod frequentius est) à primo insultu erraticæ febrea adueniant, quartana timebitur, quia quod calor febris continuæ, aut intermittentia diu durantis efficere solet diuersos humores vrendo, facit etiam calor æstatis, vbi nimia aptitudo in humoribua vt vrantur, & melancholici fiant, inuenitur, & sic interdum experimur, molestati prius infirmoa erraticia febribus, & mox quartana stabili affligi. In quibus verissima apparet Hippocratis doctrina ex 4. *acut.* quod inconstantes febres non sint curandæ, donec constent, quia cùm debeant in quartanam mutari, & in hac non conueniat semper venam secare, aut expurgare in principio, oportet spetare permutationem quartanæ, & mox videre, quæ sit imperanda medela. Illud verò non te lateat; quod dum molestant erraticæ febrea, reducuntur varia cineritia, à quibus illæ emanant ad vnicam naturam, & sic postea stabilis, & certa periodua in febre inuenitur.

Subdir Auicenna: *Et multoties quidem accedit successio splenis, & cum hoc ipsa secundùm plurimum non*

euacua

euacuatur ex dolore splenis, aut duritie eius. Hæc est doctrina Galeni 1. *ad Glauconem*, vbi docuit, raro dari quartanam absque morbo lienis, quia cùm viscus hoc sit à natura dicatum expurgationi melancholici succi, si munus hoc non ad impleat, redundat statim melancholia, & putrescens quartanam generat, & inde infert Auicenna, quod raro non dolet, aut durus lien apparet.

Præsagia tradit dicendo: *Et saluior quartana est illa, qua non accidit ab apostemate splenis, aut aliis, aut cum qua non est apostema splenis; nam que ab apostemate euenit in splene, aut cum est apostema eius, multoties perducit ad hydropisim, & perniciem.* Nemo quem legerim huuc textum exposuit idoneè: ergo inflammatio lienis acutus morbus est, & cor in consensum per magnas & multas arterias, quibus ambæ partes communicant, trahitor facillimè: requirit ergo euacuationem per missionem sanguinis celerrimam, præsertim quando debilis lien agnoscitur, quod non solùm humores inflammantes recipiat, sed etiam fit author quartanæ: natura etiam ab inflammatione, & quartana simul potenter opprimitur, quo fit, vt periclitetur; aut si ob auxilia maiora, & crebrò reiterata inflammatio sedetur, manet æger necessariò debilissimus, vt post omnes acutas passiones manere solet; & cùm quartana consistat, aut intermittitur ab ea, aut ob debilitatem nutritoriæ virtutis, & depravationem, materiam hydropis creat, & sic interficit: præterquàm quod inflammatio ex sanguine melancholico difficillimè coquitur, & sic diutius natura patitur, & repellentia, quæ inflammatio in principio desiderat, duritiem, & obstructiones lienis tophaceas reddit, & facilè mutat in schirrhum, à quo, & hydrops, & mors incuitabiliter euenire solent. Galenus 3. *epid. sect. 3. textu 4.* sic loquitur: *Quandoquidem ex liene sæpenumero grauiter vidimus laborasse homines quartana, ac deinde collecta aqua inter cutem, esse defunctos.*

Si verò quartana sola consistat, salua est, inquit Auicenna, *secundum plurimum, & libera ab ægritudinibus malis melancholicis, scilicet melancholia, & epilepsia, & à spasmo, quoniam humor est siccus, & sic error non accidit, vltra annum non durat, & quandoque, per annos duodecim molestat: & quæ est longa, perducit ad hydropisim, & autumnus est intricius quartana.* Primum docuit Hippocrates 1. *epid. sect. 3. text. 4.* dicendo: *At verò omnium est quartana securissima, facillima, longissima*; hæc enim non est ipsa quidem tantum per se talis, sed etiam à magnis aliis vindicat morbis; securitas pendet ex multa intermissione, in qua natura instauratur: & vt inquit Galenus *in com.* licet in diebus intermissionis prodire, & nonnunquam solita muniaobire: facillima est, vt putat Vallesius, quia curatur facillimè, ets vulgus incurabilem censeat, verùm non est breui curabilis, sed curatur facilè, quia sola debita victus ratione, & rarissimis euacuationibus; est enim diuersissimum esse curationem facilem, & breuiorem; nam curatio anginæ aut apoplexiæ breuissima est, verùm difficillima, quia magnis auxiliis, & crebrò applicitis tentatur, & sæpe angustia intermit, apoplexia verò furtis semper, lenis non facilè curatur, vt Hippocrates *in aphor.* docuit: Sic curatio quartanæ longissima est, vt illa, sed facillima modo tam dicto, quia leuibus auxiliis, & interdum nullo, salus semper consequitur, aut rarissimè occidit. Sed Galenus facillimam esse quartanam non interpretatur in ordine ad curationem, sed in ordine ad leuitatem, velut longam intermissionem eontinuitati febrium opponens, vt nulla febris continua leuis merito dici debeat, quia nullam habet vsque ad iudicationem remissionem molestiarum, sed perpetuò infestant, & sic meritò (inquit Galenus) grauea dicuntur, & sunt. Est melior explicatio Vallesij, quia aliquid addit supra securitatem; Galeni verò expositio nihil: Hippocratea enim ve diuersa posuit securitatem, & facilitatem, reliqua in capite adducta expositione non egent.

D. Petr. M. de Heredia de Febribus.

A Hic venit refellendus Brauo 3. *prognost. comment* 18. censet enim quod à melancholia genita ex bilis vstione quartana non creetur, quia non esset secura, & facilis, vt dictum est, nullus enim morbus ab atra bile creatus securus esse potest, vt *lib. proprio, cap.* 3: Galenus docet: est verò atra bilis genita ex bilis vstione, perniciosissima omnium specie eius, nec Galenus talis causæ vnquam mentionem fecit. Contrarium docet hic noster author, & Tralianus *lib.* 12. *cap.* 8. & Galenus 3. *aphorism.* 22. dicendo: *Quin etiam eo tempore quartanas febres fieri* (inquit) *quia scilicet ex atra bile ortum habent, quæ duplicem habeant generationem, alteram quidem ex flaua bile superassata, alteram verò ex sanguine crasso.* Idem docet 6. *epid. sect.* 2. *text.* 21. & *lib.* 3. *de humor.*
B *comm.* 11. & 3. *prognost. text.* 3.

Nec obstat quod non esset secura, nec facillima, quia authores loquuntur de quartana ex iusta, est verò spuria ab atra bile creata, & exitialis fere, vt recte Phrygius docet *fol.* 57. nec ob id falsus est *aphorism.* 43. *lib.* 4. dicentis, quod febres quomodocumque intermiserint, significant abesse periculum; nam aphoristicæ sententiæ, vt in plurimum sunt accipiendæ, non tanquam perpetuæ veritatis Præterquam quod intelligi potest aphorismus ille de febribus solis, quæ prius erant continuæ, & postea in intermittentes mutantur: quod verò Galenus oscitanter aphorismum illum exposuerit, constat, quia ex intermissione infert, quod neque sit maligna humorum putredo, nec pendeat ex
C inflammatione, quasi omnia pericula in febribus pendeant ex illis duobus principiis, cùm sint alia multa periculum afferentia, vt multa humoris copia, motus humoris ad partem principem, depravata humorum proprietas, vt quæ naturaliter inest bili atræ: & omnis ferè morbus potest esse mortalis, si cum viribus debilioribus conferatur, *vt textu de temporibus* docui: quod docuc etiam maligna tertiana intermittens, quia malignè materia potrefiat, iam cum Mercato recipiunt omnes, & testari possum me semel illud vidisse.

De pituita vsta dicendum est non esse necessarium, quod per vstionem mutet formam, & melancholiæ formam acquirat; nam consumpto sero siccior redditur, & crassior, & putredini magis resistens, sicque tardiua putrescit, & moueri poterit, ad quod faciet etiam actio tarda partis illam creantis, & debilitas expultricis: in
D quo peccauit Mercatus, non sapiens quod absque mutatione formæ in melancholiam, possit generare quartanam: & cùm sibi obiicit argumentum de gypsea pituita, quæ vstione generatur, & tamen melancholia non fit, nequissimè respondet, quod calor generans illam agit lentè, & tempore longo, nec multùm à naturali calore discedit, & solum absumit partes humidas: remanent verò siccæ, vt propriæ mistioni conueniebant; at quando in melancholiam vertitur, est calor vrentior, citius agit, & positiuam siccitatem inducit citra resolutionem totius humiditatis, vt resoluitur in gypseam; introducit itaque calor ille calorem siccantem moderatius, vt sit siccitas debita melancholiæ. Quæ verba pugnantia sunt, si à calore vrentiori, & validius
E agente minorem siccitatem admittit per resolutionem humidarum partium, quia calor alio modo non siccat, & si siccitatem producit per se (quod est contra omnem veram philosophiam) siccabit plus calor valentior, vt est in eius doctrina calor mutans pituitam in melancholiam, neque potest hic author docere, si siccatur magis à calore pituita gypsea, cur non fit prius melancholia; hoc enim erat necessarium si remisior siccitas à calore introducta ad melancholiam disponit: semel verò introducta forma melancholiæ, non potest per maiorem vstionem in pituitam gypseam conuerti, sed in bilem atram.

Quod verò pituita gypsea causa quartanæ esse non possit, certum est, quia solùm in articulis generatur,

& in quauis parte generatur, tophus fit, caosatque tumotem schirrhosum, non febrem, quia non putrescit ob nimiam siccitatem; & si putrescat, febrem non caussat, quia non est euaporabilis satis, vt cor in consensum trahat; est itaque immobilis, & sic per circuitus affligere nequit, etiamsi admittatur putrida, & quamuis aqua vti non possit, aquea tamen mixta vstionem patiuntur, quia constant partibus humidis resolubilibus, & terreis quæ possunt manere.

Addit Auicenna, quod autumnus est inimicus quartanæ, quod bifariam contingit; primò quia est quartanarum feracissimus ob copiam melancholiæ in ipso vigentis, vt 22. *aphor. lib.* 3. Hippocrates docuit; viget verò melancholia in autumno ob duo, & quia à calore æstatis præcedentis vsto sanguine copia melancholiæ creatur, & autumno incipiente, incipit illa vigere, & quia ipse est melancholiæ ferax ob frigidam, & siccam intemperaturam. Hanc duplicem caussam innuit Hippocrates 1. *aphor.* 25. dicendo: *Æstiuæ quartanæ breues, autumnales vero longæ, & maxime quæ hyemem attingunt*; fiunt enim æstiuæ ex vstione sanguinis, autumnales ab hac etiam causa, & à melancholia eo tempore genita, quà perpetuo fouentur: & æstiuæ non solùm sunt breues ob rationem adductam à Galeno de resolutione immoderata temporis, sed etiam & longis, quia humor æstate genitus tenuior est multò, quam melancholia naturalis, & faciliùs resoluitur; est etiam paucus, quia æstas non est generatiua melancholiæ de se, sed bilis, & inde nunquam materia multa in æstate ad quartanas creatur: nec ratio cur hyeme sint longæ, idonea videtur, quando nulla maior periculi ratio, quam intus manere causas morbificas: & sicut debiles in æstate pereunt (etiamsi humores morbifici resoluantur,) quia simul cum humoribus spiritus euolant, sic debiles per hyemem perire, sed contraria ratione deberent, quia nimirum excrementa intus cohibita morbum grauiorem reddant, & virtus debilis resistere nequit, vnde perire deberent, aut in acutos morbos transire, vt *in Coacis* Hippocrates *in fine numeri* 1. iis verbis; *hyberna quartanæ leuiter in acutos morbos transeunt.*

CAPVT LXIII.

De Signis Quartanæ.

MAGNI Nominis apud vulgus Medicus erit, si in prima quartanæ inuasione, quid sit inuasio quartanæ præsagauerit, de quo Galenus gloriatur 1. *aphor.* 12. *Nos quidem* (inquit,) *cum statim prima die febrium quartanarum initia sæpe cognouissemus non expectata secunda accessione, &c.* & 2. *de cris. cap.* 2. sic loquitur: *Simplicem itaque dispositionem nemo qui perspicaci sit intelligentia in primo die ignorabit, habet enim propria indicia*: & tam magnificè de arte medica sentit, quod absurdum, & maximè turpe censeat, simplicem febrem non agnoscere statim, & id rursus repetit eodem 2. *de cris. cap.* 4.

Dicit ergo Auicenna. *Signa sunt, quod quartana incipit in primis cum frigore paruo, deinde additur, postea minoratur parum apud statum, sicut in phlegmate.* Verba quidem obscora satis, si de frigore accessionis particularis omnia intelligantur, cùm intelligi nequeat qua ratione apud statum rigoris frigus mitescat. Propterea Gentilis, & Herculanus censent, quod sint intelligenda relata verba, de ipso rigore principij comparato ad alia tempora vniuersalia, vt in principio vniuersali sit leuius, quia crassities materiæ obstat motui celeri per partes sentientes: non potest verò esse rigor, seu con-

A cussio membrorum, magnus, & vehemens, sine celeri motione humoris; in augmento verò quia magis iam attenuata est materia, & calidior, velocius mouetur, & rigores maiores fiunt: in statu verò quia maiores etiam sunt rigores, sed minor multò est, & magis cocta, & emendata materia in declinatione, & ita apud statum, id est post statum, minor rigor apparet. Galenus 2. *de cris. cap.* 3. discriminans rigorem tertianæ, & quartanæ, sic loquitur: *Quartana autem febris, non primo statim die cum rigore inuadit vehementi, nam progrediente ipsa, atque aucta, vnà etiam rigor augetur*: quo loco loquitur de rigoribus diuersis temporibus succedentibus, non verò de eodem rigore vnius accessionis; quem modum loquendi Galenus ex Hippocrate sequitur B *6. epid. sect.* 1. *text.* 12. dicendo; *Qui in rigores validos tendunt, non admodum mitigantur, sed prope statum.* Et clarius recentiores scribentes ita: *Rigores validi existentes non admodum mitigantur, sed prope statum*, vbi Galenus iuxta mentem diuersorum interpretum dicit, quod per statum potest intelligi status particularis accessionis, & status vniuersalis morbi, & si vniuersalis intelligatur, magis (inquit Galenus) in quartanis febribus sermo ille vtilis fuerit; nam si cum validis rigoribus accessiones inuadant, si nihil remittantur rigores, non potest fieri, vt ad statum morbus perueneniat, quin etiam multò minus huiusce quartanæ declinationem fore sperandum est, priusquam rigor sedatus fuerit: quare sermo prognosticus est de febribus ad rigores vehementes ascendentibus, quæ priusquàm rigor sedatus sit, discuti nequeunt, id autem propè statum ef- C ficitur; hæc Galenus. Quæ non dubiè Auicenna dicto iam signo tradidit, & planè erroris Gentilem, & Herculanum accusant, cùm Galenus expresè doceat, rigores quartanæ in principio vniuersali esse leuiores, mox vehementiores fieri, & fieri non posse quod morbus ad statum vniuersalem perueniat, quin prius rigores mitescant, & hoc est quod Princeps etiam putauit dicendo; *Postea minoratur parum apud statum*, hoc est, quando augmentum finitur, & vigor incipit, & fuit etiam doctrina Galeni 1. *ad Glauconem, cap.* 5. dicentis. *Quartanam verò non vidimus cum vehementi rigore incipientem, sed post tempus magnitudo illi superuenit.*

Est verò magna difficultas, qua ratione in quartana id eueniat; nullum legi id exquisitè explicantem, censeo verò sic fieri, quia Galenus putat rigorem quartanæ D generari propter frigus melancholiæ, vt duplex caussa frigiditatis in externis detur, vna succos melancholicus frigidus, & siccus; alia, occasio naturalis, reuocatio nempè influentis caloris ad interna. Sic Galenus 2. *de different. febr. cap.* 5. scripsit: *Idcirco & in eis talis est rigor, qualis iis qui vehementi gelu frigescunt, nequaquam eis similis, qui a Sole perustis, aut lassis, aut ex medicaminibus aliquando calidis, &c.* Fit ergo, quod quando quartana ad vigorem accedit, iam fit melancholia concocta magis, & temperatior, & minus frigida, ac per consequens ex hac parte minus irritans, & inde minus rigeat æger. Nec obstat, quod si hoc esset verum, nunquam daretur rigor maior quàm statim in E primis accessionibus, quia nunquam minus emendata melancholia. Sed non obstat, quia rigoris maioris non solùm est causa molestia frigoris, sed etiam motio celerior per partes sentientes: hæc autem conditio in primis accessionibus deficit, ob crassitiem melancholiæ maiorem, & quia corpus obstructum est magis; sentiunt itaque frigus, sed non rigent magis, quia lentè melancholia mouetur. Nec inde infertur, quod per augmentum non deberet esse rigor maior, quia frigus moderatum iam est; nam si ob id circa statum rigor mitescit, etiam in augmento: nam etsi hoc admittatur, superest notare quod in augmento considerantur principium eius, augmentum etiam, & vltima pars: in prioribus partibus dantur ingentes rigores, & maiores in prima, quia multa

copia

copia melancholiæ adhuc superest, quæ validè infrigidet quando mouetur, & quia iam extenuata magis est, & corpus minus obstructum, mouetur impetuosius, & & rigorem vehementiorem causat: at quando iam augmentum vniuersale finitur, est minor humorum copia, & magis emendata, & resolubilior, vnde minus rigent ægroti, quia qualitates præternaturales melancholiæ, quibus naturam molestare potest, minores multò sunt quam in augmento; & quia expulsio celerior pendet ex irritatione, si hæc est minor, etiam & rigor: & quia eadem ratio in pituita inuenitur, dixit Auicenna in sextu, *sicut in phlegmate*, nam pituita frigore etiam rigorem promouet, & easdem conditiones cum melancholia sortitur: quod etiam Galenus *loco epid. citato* tradidit.

Sed dices; melancholia, quæ rigorem iam excitat, mouetur iam putrida: ergo non rigent ob frigus, sed ob calorem, & mordacitatem putredine acquisitam. Respondetur negando antecedens in opinione Galeni, vt constat ex loco allegato, & de pituita docuit expressè Auicenna *cap.47. de signis quotidianæ*. Verba sunt: In illa quidem, in qua causa est phlegma vitreum, aut acetosum, frigus multiplicatur valde, & rigor in vitreo est vehementior: quæ vera esse non possunt, si calore putredinali rigorem mouerent, nam pituita vitrea frigidior est acidâ, & sic minus putresceret; & clarius docuit *inferius* dicendo: *fit ergo frigus propter illud quod non putruit, & horripilatio propter illud quod iam computruit*: quod & Galenus notauit 2. *de different. febr. capit. 6. ad finem.*

Sed vrget non leuiter expositionem nostram, quod *cap. de signis phlegmaticæ* Princeps docet dicendo; *Et maius eius frigus, & ipsius rigor sunt in periodis statu.* Quem locum omnes expositores intelligunt, quod in statu quotidianæ rigores sint vehementiores, quia materia est magis subtiliata, & velocius mouetur. Est quidem locus difficilis, si cum doctrina Galeni ex 6. *epid. sect.2. text.citato*, conferenda sit; vbi planè docet, quod si in quartanis rigores non sedentur, fieri non potest, vt ad statum vniuersalem perueniant. Iudicium meum est, quod hic locus Galeni, & ab Auicenna, *cap. de quartana*, idem intendant; loquuntur verò de quartanis validos rigores mouentibus, non de quartanis in communi, nam nec textus Hippocratis de aliis instituitur, vt ex ipso liquet, quorum causa sola magna frigiditas esse potest, vt ex Galeno constat, sic scribente. Ad id genus rigores ex frigidissima pituita vitrea nominata, aut ex atræ bilis succo proueniunt, verùm ex prægelida pituita rigor fit non vehemens, sed ægrè incalescens; ex succo autem melancholico nonnunquam vtroque modo, nonnunquam alterutro. Ex quibus deduco, quod si materia antecedens sit frigidissima, nunquam ad statum vniuersalem tales febres perducentur, si prius non mitescant rigores; quia algor nimius, crassities, & cruditas, per coctionem contemperari debent, vt ad statum deueniatur; & quia talis contemperatio sensibilis satis ad finem augmenti acquiritur, inde moderantur rigores, vt dixit in textu Hippocrates propè statum. Princeps verò *cap. de signis quotidianæ* intelligendus est de pituita dulci, quæ non frigore, sed putredine rigorem leuem inducere consueuit, & quia putredo maior est in statu in communi doctrina, & in mea caliditas maior, est simul materia tenuior, & mobilior, rectè euenire potest in statu maior vehementia rigoris, quod est commune omnibus causis, quæ calore, & mordacitate rigores suscitant. Constat verò, quod in quotidianis à pituita dulci, aut insipida excitatis, frigus maius in statu concessum à Principe, non pendet ex maiori frigiditate à pituitoso succo producta, sed à retrocessu maiori caloris ad intra ob maiorem irritationem, & molestiam inductam. Hæc sunt, quæ in re tam difficili non sine magno labore, & longa inuestigatione deducere potui, meritóque culpandus

A Auicenna, quòd doctrinam Galeni, & Hippocratis ex 6. *epid.* adductam, vt particularem traditam, velut vniuersalem adduxerit: nec Galenus criminis, quod sæpe committit, excusari potest, res arduas, vt experimento cognitas, sine ratione earum sæpe tradens, aliorum labori relinquens, quod ipse vt expositor adducere tenebatur, tam obscurum Hippocratis locum relinquens velut si non fuisset expositus, & Magister meus multa Medicorum placita referendo, proprium subticuit etiam. Lege illum in hoc textu, *cap. de quartana super artem curatiuam ad Glauconem.*

Aliud signum est, quod quando incipit caliditas, non est vehemens, licet sit maior quàm in quotidiana. Ratio est, quia est humor non multum inflammabilis ob B terream naturam, sicut ligna grossa & terrea nunquam multam flammam concipiunt, & quia talis proprietatis est, nec inflammatur æqualiter, sed simul cum calore incipiente: horripilatio etiam molestat, quia crassa corpora vt melancholica, nequeunt simul tota accendi; & addit, quod cum molestia frigoris, est etiam aliquid ex dolore, quasi frangantur ossa, quod signum velut maximè proprium quartanæ concipiendum est, quia solus melancholicus humor est talis modi dolendi author: & illud desumpsit ex Galeno dicente 2. *de crisibus, cap.3. Sensusque ægrotantibus adest non quasi pungantur, sed refringerentur, & velut contundantur vsque ad ossa, nam eos ita audire licet dicentes, quod videantur ostocopo, idest ossium lassitudine detineri, & carnem habere constrictam imaginentur: quod signum nascitur ex gra-* C *uitate nimia, humoris siccitate, & astringente natura, grauitate quidem terrea carnem commouit, dum per sentientes partes motus rigorem excitat, velut si lapis moueretur, siccitate, & astrictione, seu acerbitate comprimit etiam partes, & molestiam auget.* Vnde constat, non fuisse assequutum idoneam causam huius symptomatis Gentilem, illud in vapores melancholicos reducentem; vapor enim nullus ponderat, quia lenis est, sed distendit solum ob hanc maiorem molestiam; dentium stridor est maior in quartana, quàm in quotidiana, & quia acerbitate, & siccitate densantibus velut conuelluntur musculi mandibularum, & etiam influxus ad motum diminuitur, sicque tremor quidam cum concussione copulatur, & maior molestia: interdum verò velut obcæcantur, D quia vapor ater, & opacus oculis anteponitur, & visus obtenebratur; quæ accidentia apud digestionem (inquit) leniuntur, quoniam malitia minoratur per coctionem, quatenus est reductio ad mediocre temperamentum.

Deinde author tradit signa ex dolore splenis, aut eius affectionibus, quia rarò datur quartana absque detrimento eius, vt Galenus notauit 1. *ad Glauconem, cap. 5.* docet etiam esse considerandum temperamentum, tempus, colorem, ætatem, & victus rationem, & consuetudinem; nam hæc omnia si melancholiæ consentiant, timenda quartana est.

Docet deinde quod periodus quartanæ durat integrum diem, horas scilicet quatuor & viginti, & quod sæpe febris tertiana in æstate mutatur in hyeme in quar- E tanam, repetitque quod antea exposuimus, nempè, quod febres erraticæ soleant in quartanam terminari. Verba sunt: *Et multoties perducunt febres diuersæ ad febres permixtas, in quibus non est ordo propter diuersitatem residui humorum remanentium post febres*: cum ergo confirmatur secundum quartanam, confirmatur super incinerationem, quod iam explicuimus; lege Galenum 3 *prognost. text.27.* vbi ratio horum traditur.

Comparat rursus Auicenna durationem accessionum secundum diuersitatem causarum, & dicit, quod quartana ex phlegmate adusto proueniens, habet paroxysmos longiores, & frigus eorum est magis continuum. Ratio primi est, quia pituita adusta est etiam lenta aliquo modo, & sic resoluitur difficilè, & etiam difficul-

ter accenditur, ob quod frigus illius minus intermittit, & rursus accenditur, quia cum accendatur difficilius, durat plus continuum frigus, quod in aliis non contingit, quia cùm inflammentur facilius, solet aliqua portio succi inflammari, & febricula apparere sine frigiditate, post verò redit frigiditas, quia fit noua expulsio per partes sentientes, & sudor inquit est tardior. Rationem reddit Iacobus, quia serum est velut cohibitum cum partibus mucilaginosis, & sic difficile separatur; in melancholia verò minimè id contingit ob terream naturam, quia serum velut separatur ab illa, & sic calore in vapores conuersum sudorem creat. Est etiam pituita plus obstruens, quia glutinosa, & frigida, & crassa, & sic sudori repugnat poros occludens, vt verè dicas quod vapor ex pituita eleuatus defert secum aliquid humoris lenti, in quo imbibitum est, sicque per poros non facilè exit, vt illud tardare intelligatur, non in accessionibus, in quarum fine sudor eiici solet; nam si iam explicuerat, quod accessiones sunt longiores, clarum erat quod declinatio in qua sudor moueri solet, tardius erat ventura, ergo illud tardare est, quod in prioribus paroxysmis sudor non detur, aut leuissimus, vt *cap. de quotidiana* Galenus docuit.

Et est (inquit) vrina grossior, hoc est plus perturbata in toto liquore, quia pituita calore liquatur, & funditur ob naturam mucilaginosam, vt mel, & cum liquore exquisitius quàm melancholia miscetur, sicque in fundum tota non decidit: at melancholia, quia terrea, non funditur, sed si cum sero eiicitur, fundum petit, & liquor tenuior, limpidiorque apparet, & durities (inquit) venarum est minor, quàm in melancholia, quia mollior, & humidior est pituita, neque acerba, nec siccans, vt melancholia, & fit etiam vt plurimum successione febrium phlegmaticarum, quod postea putrescens quartanam generat.

Et illam quæ est à sanguine adusto antecedunt signa sanguinis, & febris eius, & rubedo vrinæ, & significant ipsa forma, & tempus, & æstas, & fortasse erit post febres sanguineas, quæ omnia expositione non egent.

Et in illa quæ est à cholera adusta, est pulsus vehementioris velocitatis, & frequentiæ, & incipit cum horripilatione, & frigore in carne, & siti, & sudore, & quandoque fit ira, & furor, & inflammatio, & significat ipsam forma, & tempus, & ætas, & quandoque significat ipsam, quod ipsa fit successione febrium cholericarum.

Illud notabis in signo pulsus, dum dicit quod est vehementioris velocitatis, non esse intelligendum, quod velocitas iungatur vehementiæ, ita vt in cholera adusta sit pulsus vehementior, & celerior, quoniam vehementior erit non dubiè in melancholia sanguinea; erit ergo pulsus in cholera adusta celerior quàm in omnibus aliis, quia nulla quartana erit calidior, & plus arteriam irritabit, quæ faciunt ad celerrimum, & creberrimum pulsum, præsertim quando virtus nimiè constare non potest, vt reuera non constat, vbi bilis adusta abundat ob siccitatem materiæ, & igneam naturam creationi spirituum ineptissimam, & inde procedit nimia celeritas, vt frequentia insignis

Ex dictis duo deduces. Primum, quantum Principi nostro debeamus, tam distinctè adducenti causas diuersas quartanæ, ex quarum accurata distinctione omnis indicatio rationalis curatiua desumenda est, si rectè debemus cuicumque auxiliari. Laborabat Princeps quidam quartana atrabiliaria, & à Medicis curabatur velut si à melancholia naturali penderet; vocatus alter in consultationem, sitim, linguæ asperitatem, lotium incensum, inquietudinem, rigoris vehementiam & accessionum implaciditatem sine longitudine, pulsum qualem cum ætate depinxit Auicenna ad finem æstatis

A conspicatus, calidis auxiliis reiectis, & frigidis applicitis, breui salutem æger, & Medicus honorem lucrati fuere, non sine aliorum contemptu.

Secundum est, quod in causis quartanæ diuersis elucent signa similia, quæ in ipsis causis antecedentibus, ex quibus melancholia creata fuit, vt verè dicere possis, hæc quartana est biliosa, hæc sanguinea, hæc melancholica, hæc pituitosa; quod non contingeret si in vere melancholicam mutarentur, sed sola inducta maiori crassitie ob seri consumptionem absque mutatione formæ quartani circuitus celebrantur, quod (vt reor) *cap. de tertiana notha* contra Gentilem, & Magistrum meum suasi efficaciter: in hoc enim casu, eodemdem modo philosophandum est, vt in humoribus ipsis naturalissimis, quando seorsim consistunt: nemo B dicet quod pituita secreta ab aliorum consortio mutat formam, nec bilis quando segregatur, & nihilominus vehementer quilibet humor suo modo lædit hominem, eo solùm quòd ab aliis humoribus diuortium admiserit, vt Hippocrates *libr. de veteri medicina* doctissimè admonuit; sic eodem modo humor quilibet naturaliter suo sero, & cum aliis humoribus debet misceri, & contemperari, & si serum deperdat, & absumatur, manet nihilominus sub eadem humoris forma, sed vehementer præternaturalis factus, & lædens, sicque & periodum mutat, vt in multis aliis proprietatibus etiam euariat; proprietates dico, non formæ specificæ debitas, sed communes formæ, prout hoc, aut illo modo disponitur, aut miscetur; bilis enim sero naturali constans non erodit, quo si priuetur, lancinat, & exulC cerat.

De pulsibus sic scribit: *Et pulsus in quartana est decliuis ad duritiem propter siccitatem humoris*: adde, & propter frigus & astrictionem eius, ob quæ intus arteria retrahitur, velut in senibus, *& ad æqualitatem* (inquit) *dum non mouetur*: hoc est, quando humor accessionem non facit; nam si moueatur, & accessio fit, redditur valdè inæqualis propter crassitiem humoris arterias grauantis, & fit mundificatio eius apparens apud teporem, & est significatio completa super quartanam, hoc est in die intermissionis (quem per teporem omnes intelligunt) redit ad tam naturalem statum pulsus, quod inde liceat quartanam pertimescere. Et est Galeni D doctrina 2. *de differentiis febr. cap.* 5. dicentis; Vbi verò aliqua ex eo flamma fuerit accensa, nihil fumidum, aut semicombustum in accessione relinquit, atque idcirco in hoc humore copiosiores fiunt euacuationes quàm in pituita, atque intermissio exquisitè pura videtur, quoniam & hic quicquid atræ bilis accensum fuerit, exhauritur, atque dispergitur.

Sed Belluocensis, & Palamedes non legunt, mundificatio, sed raritas, quos etiam sequitur Magister meus *fol.* 192. Sic legunt: *Et fit raritas eius apparens apud teporem, & est significatio completa super quartanam*: idest, tempore intermissionis raritas in quartana inuenitur, quæ pulsus differentia est signum velut completum quartanæ, quia in nulla alia febre tam rarus quando intermittit inuenitur; & hæc differentia pendet ex eodem E principio, ex quo puritas intermissionis, quia nimirum exhauritur, atque dispergitur quicquid atræ bilis accensum fuerit; nam cùm causa quartanæ frigida sit, tempore intermissionis frigiditas viget, & vsus diminuitur satis, cui raritas non dubiè debetur; nec obstat quod causa quotidianæ intermittentis frigidior sit, & inde in ista rarior pulsus inuenitur: obstat enim intermissionis impuritas, & quia semper putrida fuligo molestat, nunquam tam rarus vt in quartana pulsus inuenitur.

Dices, in tertiana exquisita purior non dubiè erit intermissio, quia quod eleuatur ex bile, & minus, & tenuius est, quod indicat breuitas accessionis, si cum quartanæ accessione conferatur; illa enim vltra horas duodecim

decim non extenditur, hæc verò integrum diem occupat; quod Galenus apertè docuit 2. *de differentiis febr. cap. 30.* dicendo: *Tempus intermissionis in hac febre nullum habet humoris putrescentis ex pulsu perceptibile indicium in die, aut nocte, quæ consequitur accessionem, &c.* Verùm etsi hoc ita sit, non probat contradicta, nam raritas quartanæ in nulla alia intermissione inuenta, non pendet solùm ex puritate intermissionis, sed etiam ex dispositione præternaturali corporis, ratione materiæ antecedentis, & distemperiei illam accumulantis, & quia in tertiana exquisita calidior humor, & causa illius est, inde repugnat quod vsus sit diminutus intermissionis temperie: at in quartana è contra, & sic pulsus rarus apparet. Et est doctrina Galeni 1. *ad Glauconem, cap. 6. ad finem dicentis: At cùm febris cessauerit, si adhuc signum febris remanserit, pulsusque iis qui secundum naturam rariores, ac tardiores fuerint, quartana proculdubio erit huiuscemodi febris:* & in accessionum initio idem Galenus notauit 2. *de crisi.* dicendo: *Si enim cognoueris pulsum naturalem ægrotantis, vel in altero ipsius morbo per initia accessionis affueris, nihil amplius expectabis, quin febrem inuadentem quartanam esse pronuncies; nam eximia quædam ad tarditatem, ac raritatem conuersio fit,* &c.

Sed contra dicta vrget doctrina Galeni 1. *ad Glauconem, cap.6.* dicentis: *Et ipsius vnius motus inæqualitas, in quartana febre eius formam ostendit, nam quæ omnibus communis est febribus, in vno pulsu arteriæ inæqualitatem in hac manifestissimè licet comprehendere, multò enim velocius principium, finemque motus inuenies quàm Medium, &c.* Igitur si iam manifesta est febrilis inæqualitas, & principium, & finis sunt celeriora quàm medium, repugnare omnino videtur, quod pulsus in intermissione sit rarior, & tardior quàm secundùm naturam, vt *in fine capitis* scriptum reliquit: hæc enim pugnantia manifestè sunt. Dices quod etiamsi pulsus sit tardior quàm per naturam, potest nihilominus rectè intelligi dicta inæqualitas, quia principium motionis, etsi sit tardius quàm per naturam, erit minus tardum, quàm medium, & sic dicetur celerius, quia minus tardum: tardius tamen erit quàm principium motus naturalis status; eodemque modo de fine philosophandum est. Sed contra est, quia febrilis inæqualitas non potest intelligi cum maiori raritate & tarditate, quàm secundum naturam, quia duo dicit, & quod sit inæqualis, & quod talis inæqualitas pendeat à causa febris: hæc verò nequit refrigerare, sed calefacere, quia causa antecedens sine permutatione ad causandam febrem, nunquam inæqualitatem febrilem causat, & inde implicat, quod cum pulsu tardiori, quàm sit naturalis, detur inæqualitas febrilis, quia hæc, vt dicit febrem, sic etiam celeriorem pulsum naturali; & ratio est, quia inæqualitas febrilis causatur à copia fuliginum à putredine succorum elauata, aut quia maior copia ratione caloris febrilis eleuatur, etiamsi succi non putrescant, vt in opinione dicentium, quod etiam diariis exquisitis est communis talis inæqualitas. Quolibet modo philosophetur, constat ex communi doctrina, quod prima pars dilatationis celerior fit, quia vrget attemperationis finis, & sic citius insurgit à quiete interna, quàm per naturam, & celerius mouetur, vt attemperet, & quia in fine dilatationis iam incipit vrgere compressionis finis, celerius dilatatur, & citius comprimit, hoc est vltimam partem dilatationis celeriter finit, vt compleat breuius dilatationis finem, & incipit breuius motu compressionis satisfacere expulsioni fuliginum, & sic quietem externam breuiat, & primam partem compressionis accelerat magis, & vltimam etiam, quia iam incendium in illa vrgere incipit, vt Stephanus Atheniensis 1. *ad Glauconem in Scholio text.45.* exponit. Ex quo fit quod nunquam febrilis inæqualitas cum pulsu tardiori quàm per naturam sit possibilis, quia fuliginum calidarum

A copia maior, semper vsum vtrumque auget, cui tarditas, & raritas omnino repugnant, si constat facultas, vt in quartanis constat satis.

Ego quidem sic censeo, & inde inæqualitatem febrilem dari non posse pulsu tardiori, & rariori, si constat facultas: quod verò constet, constat ex eo quod pulsus continuus dispar sensibilis, necessariò debet esse magnus, quia dissecari debet in tres partes sensibiles Medico, vt de caprizante ob eandem rationem Galenus docuit. Hæc videtur expressa Galeni doctrina 1. *ad Glauconem, cap.2.* Verba sunt: Cùm in nulla alia febre ad naturalem habitum reuertatur, nec si multum temporis inter primæ accessionis finem, & secundæ principium intercidat, quemadmodum in tertianis atque quartanis, in illis enim febris remanet signum, in ephemeris au-
B tem in totum abolетur, accessione cessante: cur verò ad habitum naturalem non reuertatur, pendet vt docent omnes, quia datur calor præter naturam in foco humores ad nouam accessionem disponens, & putrefaciens, ex quo vestigium, aut signum febris in pulsu remanet, calori verò maiori quam naturali repugnat pulsus rarior, & tardior, & quia hic calor semper durat, etiam tempore intermissionis, putauit Vallesius 2. *de differentiis febr. cap.* 4. quod febris intermittens sit vnicus morbus, & continuus in sua essentia, cui Magister meus opponitur, non quia calor præter naturam tempore intermissionis non detur, sed quia morbosus tempore illo non sit, sed neutra solùm dispositio, quia non lædit actiones sensibiliter, vt ad morbi essentiam
C Galenus requirit. Vnde si Galenus commodè potest exponi, intelligendus est, quòd in diuerso tempore detur pulsus rarior, & tardior, & in alio inæqualitas febrilis; est enim probabile, quod si accessio quartanæ sudore finiatur, non detur statim à sudore vestigium febrile, quia totum quod computruit, fuit resolutum, & non potest dari tunc genita tanta copia fuliginum de nouo, quæ ad febrilem inæqualitatem sit satis, vt à medico possit per pulsum sentiri: nam Argenterius locum ex 1. *ad Glauconem* exponendo apertè Galeno refragatur; putat enim quod si quartanæ accessio cum plurimo sudore terminetur, manebit æger absque aliquo signo venturam rursus febrem significante. Postea verò mihi non est dubium, quod etit satis perspicuum, si humores incipiunt accendi intra vasa ad nouam ac-
D cessionem, vt Auicenna docet, & magister meus *fol.624.* cum quo stat, vt rigor in quartana, & quotidiana oriatur ab humoribus, vt infrigidant, quia initium putredinis non constituit calorem in facto, nec à prædominio, & sic quando separantur à causa calefaciente, & pelluntur per partes sentientes, reducunt se, donec aut concussione calefacti resoluantur, aut si pelluntur, quia copia irritant, pelluntur frigidi vt sunt, & reducunt se etiam à calore, quem à sanguine & spiritibus acceperunt, dum erant intra vasa.

Magister meus *fol.1094.* adductam dubitationem tetigit, sed tam mendosè scripta inuenitur, quod mens authoris concipi nequeat, imò pugnantia contineat; admittit enim, quod detur febrilis inæqualitas cum
E pulsu rariori, & tardiori. Verba sunt: *Cognoscitur verò ex inæqualitate febrili prædicta, & celeritate contractionis, mordacitate caloris, illas differentias verè procedere ex diminuto calore à frigiditate humoris.* Si verò dicas fuligines ob quas contractio fit celerior, producere calorem in corde, ergo vsus erit auctus, respondet cor non calefieri, quia impeditur calefactio à causa potentiori frigefaciente: & sibi obiiciens, quod in quotidianæ intermissione deberet esse pulsus rarior, & tardior, quam in quartana, quia pituita frigidior est, quàm melancholia, id negat, quia in quotidiana fuligines sunt plures & calidiores, & ita vsum dilatationis plus augent. Hæc Magister, quæ si accuratè considerentur, pugnantia sunt. Est quæstio si cum pulsu rariori, & tardiori, est possi-
bilis

bilis inæqualitas febrilis, & respondet quod ex ipsa inæqualitate, & mordacitate caloris cognoscitur, quod illæ differentiæ à frigiditate procedant; rursus si datur caloris mordacitas in intermissione, vnde constat quod sit frigida distemperies; & si hæc datur, vnde mordacitas caloris oritur: quod verò in quotidiana sit maior copia fuliginum, verum est, sed quod sint calidiores est absurdum, nam quartana calidior est febre pituitosa, vnde Argenterius *in expositione Galeni*, per signum febris non intellexit inæqualitatem febrilem, sed alia signa. Reliqua, quæ de pulsibus Princeps tradit, facilia sunt; illud verò notabitis, quod in translatione Gentilis legitur ita; *Et apud inceptionem paroxysmi additur tarditas sua, & frequentia, &c.* Est verò legendum, *& raritas eius*, loco *frequentia*, vt constat ex dictis, & est doctrina Galeni 2. *de cris. cap.* 4. & sic transtulerunt Bellunensis, & Musa, & Benedictus.

De signis ex vrina sic loquitur author: *Et vrina in quartana est similium horarum in priuatione digestionis, propter frigus materiei, & grossitudinis eius, nisi apud statum bonum, verùm dispositiones eius, & colores eius diuersificantur, & illud ideo, quoniam melancholia generatur ex humoribus diuersis.*

Est similium horarum, id est cruditas est similis in principio, & augmento, non quidem in simili cruditate, hoc enim implicat, cùm augmentum vniuersale per coctionem manifestam constituatur; principium verò per nullam, aut obscuram; est ergo similis in perseuerantia cuicumque tempori debita, id est non mutatur, quia materia terrea est, stabilis & frigida, quæ perseuerantis non inuenitur tam stabilis in vigore, quia cum iam materia coquatur perfectius, & viæ sint magis apertæ, naturáque minus retineat, expellere incipit, & sic mutatio maior in statu inuenitur, quàm in duobus prioribus temporibus, tum in sedimento, tum etiam in ipso liquore, quia cùm expellat natura, quæ concoxit, mutat etiam omnibus modis lotium; quod maximè notabitis, ne quod expulsioni criticæ, aut parti materiæ coctæ debetur, nouæ corruptioni cum malo præsagio tribuatur: id autem indicabunt omnia signa, quæ in crisi, aut parte materiæ coctæ expulsa inueniuntur, erit quippe melior pulsus in omnibus differentiis, & febris minuetur, omniáque in melius mutabuntur.

Vnde quando dicit, quod dispositiones vrinæ, & colores diuersificantur, non est intelligendus in eadem quartana; sed in diuersis, prout procedunt à diuersis humoribus: nam nec color, nec liquor in quartana phlegmatica erunt vt in quartana atrabiliaria ex bilis vstione, & sic de reliquis.

Docuit tamen Galenus 2. *de cris. cap.* 4. quod vrinæ tenues, albæ, & aquosæ in quartana inueniuntur, quod etiam Aëtius tradidit: loquitur de quartana exquisita à succo melancholico orta, de illa enim loquebatur, & tradunt omnes authores, & Princeps in *hoc capite* sic loquitur. *Vrina autem in principio est alba, ad viriditatem declinis, cruda, cui non est digestio.* Videtur autem difficile, quòd vrina in quartana debeat esse cruda, vt authores docent; constat, quia humor melancholicus naturalis in opinione Galeni generatur à calore maiori moderato, & cùm rursus vt febrem causet, debeat putrefieri, calefiet etiam præter naturam: non ergo datur occasio ob quam vrina alba esse debeat, nec aquosa, & si serum cuiusvis humoris naturam eius cuius est, æmulatur, & melancholia atro colore tingitur, videtur omninò repugnare, quod alba debeat esse; cur enim si febris ex pituita, bile, aut sanguine, lotium trahit ad naturam causarum, & ex ipsa vrina iuxta ideam causæ mutatur, & ex mutatione causam febris venantur Medici; cur, inquam, idem in quartana non eueniet, & erit vrina atra, aut ad illum colorem accedet plus? Respondet Magister meus *fol.* 1096. Galenum sequutus 5. *de vsu partium, cap.* 6. quod melancholicum excrementum est paucissimum, biliosum maius, pituitosum verò hæc duo excedit, & inde serum non tingitur atro colore, quia reliquorum est magna copia, quam serum melancholiæ ad sui naturam trahere non potest; vnde infert quod nisi detur grandis excessus melancholiæ, non tingetur lotium atro colore. Sed hæc solutio non soluit dubium propositum adæquatè, nam etsi constet ex ea, cur in quartanis vrina nigra non detur, non tamen constat cur debeat esse aquosa, & cruda, & alba, vt cum Galeno docent authores: & si verum tenendum est, non capio quomodo possit admitti talis doctrina, præcipuè cùm nunquam Medici putent dari febrem humoralem sine maiori copia humoris à quo dependeat, quàm statui naturali debeatur, nisi reducatur talis vrina in causas à Principe adductas antea, frigiditatem scilicet nimiam, & humoris crassitiem: illa crudum semper creat, hæc verò obstruit corpus, lienem præsertim, quæ ad cruditatem conducunt satis, frigiditas præsertim, & siccitas melancholiæ, quæ qualitates sic vitæ, & actionibus omnibus opponuntur, vt nulla coagmentatio succorum prosperè fieri possit, & omnis coctio vitietur, & cum hoc corpora frigida, & sicca resoluuntur difficilè; densantur enim, & calor absumens deficit, sicque multum serum abundat, & lotium crudum tenue, & albicans redditur, & inde fuor omnes melancholici salinosi, & sudoribus inundari solent; loquor de copia melancholiæ naturalis, quæ si per crisim excernatur, nigram vrinam reddet, aut si nimis abundet, ob quod dixit author, quod apud declinationem nigra apparere solet, & quia melancholici serosi sunt (vt diximus) quando calefiunt, sudare solent, & accessiones quartanæ sudore finiuntur, vt hic docet Princeps dicendo: *Et sudor in quartanis est plurimus*, per comparationem ad phlegmaticam: *non multiplicatur*, per comparationem ad alias: cruditates etiam, *& copia seri sitim impediunt*, vt ob id dicat author; *& sitis minoratur in hac febre nisi sit melancholia cholerica.*

CAPVT LXIV.

De curatione quartanæ.

IN Gentilis translatione essentia, signa, & curatio quartanæ eodem capite comprehenduntur; Bellunensis verò, & alij in tria capita diuiserunt, & medelam continens est sexagesimum tertium. Dicit primò Author: *Consideretur an sit melancholia phlegmatica, aut sanguinea, aut cholerica, aut melancholia, vt cuique regimen sibi debitum accommodetur*, vt tradetur inferius.

Dicit secundò, *quod omnibus speciebus sunt indicia, in quibus communicant; nam omnes in principio minuuntur:* quare necesse est, vt attendatur an sit sanguis dominans in ea, & propriè quando quartana est à melancholia sanguinea, tunc enim phlebotometur secundum necessitatem, & fortasse exigit multitudo eius, & spissitudo, seu fæcalitas eius, vt extrahatur de sanguine res plurima. Galenus 1. *ad Glauconem, cap.* 11. scripsit: *Quas ab initio mediocriter, & leniter tractare oportet, nullum forte medicamen, aut euacuationem exhibentes, nisi fortè sanguis vehementer superabundans appareat, & si vena incisa, is qui fluit niger videatur, ac crassus (præcipuè verò in iis qui liene laborant huiuscemodi visitur) audaciùs mittendus est: quod si flauus, aut tenuis apparuerit, statim supprimendus.*

Duo Galenus ad secandam venam requirit. Primum quod

quod sanguis vehementer abundet: Secundum quod admissa tanta abundantia, si extrahatur, & appareat sanguis, qui exit, niger, & crassus, permittatur vt exeat, si verò flauus, aut tenuis appareat, supprimatur statim. Sententia quidem difficilis, & tam clarè scripta, vt nullam interpretationem admittat. Est quidem difficilis, quia non solùm abundantiam requirit, sed vehementem, vt vena secetur; quis verò non videat tantam plenitudinem esse impertinentem, vt pro curatione quartanæ sanguis extrahatur, cùm in ea similes indicationes inueniantur, quas in omnibus aliis putridis ad secandam venam Galenus inuenit *lib. 11. meth.* In eis verò plenitudinem absolutè non exposcit, nedum vehementem vt vena secetur, cur ergo in quartana tam vehementem eam requirit, vt tale auxilium celebretur? Et mihi videtur omninò impertinens tanta plenitudo, quicquid Galenus doceat, estque temeraria doctrina, si vt iacet, & in rigore scripta intelligitur, cuius rigor iam perspicuus est, vt interpretari non possit, nec expositionem admittat, & multò minus si translationem Stephani sequamur dicentem, nisi fortè vehementer admodum abundare sanguis videatur. Sed non videtur minus difficile, quod vena secari non debeat, sed statim supprimatur si niger sanguis exiens non sit; nam si semel Medicus, quod melancholia sanguini sit admista assequatur, frustra sistetur, eo quòd niger non appareat, cum sequantur in hoc malo commoda omnia in aliis febribus speranda, si vena secetur, quod minuatur materia, ventiletur corpus, & melius transpiret, refrigeretur, & reuellatur à putredinis foco, & quod supererit, facilius superetur. Vrget etiam Galeni doctrinam, quòd eo ipso quod sanguis niger, & crassus appareat, sit minus audacter extrahendus. Patet, quia si in quartana sic secare venam exhorrescit, vt nisi sanguis vehementer abundet, secanda non sit, tantò minus audacter extrahendus est, quantò nigrior, & crassior apparuerit, quia tantò maior melancholiæ abundantia agnoscitur, quantò nigrior, & crassior concipiatur, & tantò minus sanguinis abundantis concipitur, quantò nigrior, & crassior sanguis emanet. Est ergo plus melancholiæ, & sanguinis minus, si niger & crassus percipiatur, plus verò melancholiæ, & sanguinis minus, implicat quod euacuationem secta vena indicare possint vrgentius, immò tale auxilium dehortantur, quia cacochymia maior, & sanguinis minor copia expurgationem potius, quàm venæ sectionem indicant; ergo si detur virium robur, & constet morbi materiam intra vasa cum sanguine contineri, secanda vena est, quamuis niger non exeat, & quò nigrior, tantò minus educetur, quia plus sanguinis ad melancholiæ correctionem indigemus, & est melancholiæ plurimùm emendatione, & correctione indigens. Quod verò crassities sanguinis plus extrahendum esse indicare non possit, non eget probatione, quia si crassities sanguinis secare venam non indicat, quia sectio venæ crassitiem non moderatur, repugnat quod crassities plus extrahendum hortetur. Non me latet quod crassities vt obstruit, euacuationem exposcit, quia tollendo crassum humorem, & sanguinem, deobstruitur corpus, & perspirabilius redditur. Sed hoc non satisfacit, quia crassities causa extra naturam sanguinis, longitudinem morbi pollicetur, cui copiosa euacuatione non succurritur, cùm vires tanto tempore, si in principio effœminentur, permanere non possint: ergo in mea opinione, nec nigrities, nec crassities audacter secare venam hortantur, vt Galenus docet, sed moderandam potius esse euacuationem suadent, quia præter morbi diuturnitatem, cacochymiam melancholicam innuunt, ne dicam supernatantiam, non sectionem venæ, sed expurgationem potius consulentem, vt Hippocrates, & Galenus consulunt *de natura humana textu 22.*

In quo etiam planè Stephanus in expositione Galeni

A fuit lapsus dicendo: *Si enim sanguis qui vacuatur, fuerit niger, audacter, intrepidéque copiosius est euacuandus:* ergo niger, & crassus, vt indicat melancholiam sanguini admistam esse, indubitatum remedium relinquit, quod verò copiosius ob id, absurdum censeo: vnde si quod Galenus dixit (audacter) significat idem quod securè, verissimum præceptum censeo; si multum, admittendum non est, nisi illud multum, reiteratis pluribus sectionibus intelligatur, sed per longiora interualla, renuntiendo interdum; sic enim probabilius docebitur, & interpretandus est Auicenna copiosam euacuationem consulens, quod & Galenus docuit 3. *de locis affectis* in melancholiæ medela largiter euacuando.

Addit Galenus, *quod si flauus, aut tenuis apparuerit,* B *supprimatur statim:* disiunctiuè loquitur, & inde cum magno periculo; nam sanguinis tenuitas non obstat euacuationi, quia ichorosus sanguis (vt est melancholicus) tenuis esse debet, & talis præcipuè apparebit in ipsa actuali extractione, quando rerum à sero nondum separatum est, nec concrescit, vt postea, nec tenuitas absolutè sanguinis eductionem recusat; melius ergo legit Stephanus copulatiuè, si flauus, & tenuis, eodemque modo Akakia transtulit. Verùm Stephani ratio inualida est; metus (inquit) est, ne eo euacuato vires dissoluerentur, velut si esset sanguinis euacuatio aliqua non dissoluens vires. Ackakia supprimendum esse docet, quia huiusmodi succus inutilis non est, sed crassum, ac frigidum humorem, tum sua substantia, tum qualitate emendat; ratio etiam inanis, quia C quilibet sanguis naturalis melancholiam emendat, quia ea diametro calore, & humiditate melancholiæ opponitur, etiamsi fateamur, quòd flauus, & tenuis opponitur plus.

Melius Eustachius putanit, quod sanguis tenuis, & flauus melancholiam in secunda regione non contineri significat, ac per consequens perniciosum esse venam secare, quia sanguis purissimus, & defæcatus extrahitur, contra melancholiam egregiè pugnans, & qualitatibus, & idonea materia spirituum, quibus melancholici extremè indigent.

Si verò inquitas quid faciendum si in dicto casu detur plethora optimi sanguinis, & exeat tenuis, & flauus? videtur enim non esse cessandum à missione D sanguinis, quia & plethora illam seorsim indicat, nedum si febri adiungatur, & metus est ne corrumpatur, vt poterit, & malignè etiam. Mihi quidem ita videtur, sed ob hoc non celebratur ad curationem quartanæ, sed ob metum corruptionis, aut periculosi decubitus, nec in tanta plethora retractionem ad intra succi melancholici timere licet, nam vasa distenta præter naturam sanguine extracto concidunt, & vacuum implent, & nihil notabile trahitur intro; vnde quando Galenus docet, quòd si flauus, & tenuis exeat, sit supprimendus statim, loquitur sumpta indicatione à methodo curatiua quartanæ, non verò si aliud complicetur. Vnde censendum est, quod quando ea hypothesi vehementem superabundantiam sanguinis ad eius retractionem requirit, sit intelligendus de superabundantia sanguinis E melancholici, non verò de optimo, nam si bonus sit absque plethora, & constat bonitas ex tenuitate & flauitie, extrahendus est.

Addit Author: *Et quando non est necessaria phlebotomia, est nociua in quantum debilitat, & in quantum educit contrarium melancholiæ, & in quantum mouet humores ad exteriora.* Triplex inconueniens exponit, si secetur vena quando non oportet, non oportet verò in casu nuper adducto, quando scilicet sanguis exit tenuis, & flauus, nam in hoc solo casu triplex illud inconueniens adueniet; debilitat enim vt constat, & quia omnis sanguinis euacuatio etiam debilitat, quamuis conueniat, deficit vbi non conuenit commodum quod adest dum conuenit, velut si diceret, debilitat sine vtilitate aliqua,

&

& tota nociua non solùm ob hoc, sed quia humorem melancholiæ oppositum extrahit, vt nuper dicebamus. Sed cur mouere humores ad exteriora inconueniens putetur, dubitatur meritò? cum nil desiderari plus debeat in affectibus internis, quàm foccos intus molestantes rettahere exterius, & à corde separari. Mulsa Expositores inculcant, vt verum suum Patronum inuenianr, facile tamen intelligitur inconueniens adductum in nostro casu: nam quia venæ sectio mouet ad locum sectum humores, quando in locis distantibus nimis sunt, trahuntur intro gratia vacui; qua ratione ergo sectio venæ nociua putatur, si exerementa primam regionem obsideant, quia intrò trahuntur quando sanguinem mouet ad extra, sic in quartana, quia melancholia, quæ in prima regione, & circa lienem stabulabatur, trahitur intus, attrahitur verò quia mouet ad exteriora, & quia antequam ad locum sectum perueniant, cessas necessariò sanguinis euacuatio, relinquuntur intus excrementa, quæ vi sectionis extra inclinabantur, & sic lædit non leuiter. De quo euentu singularis doctrina a Galeno traditur 4. *de tuenda sanitate, capite 10. circa finem*, vbi sanguinis missionē in ea latitudinis phlegmonosæ repetit, vt succi attracti ex corporis ambitu ad vasa euacuentur, non enim permittere licet vt vitiosa excrementa ad vasa remigrantia, in ipsis permaneant, ne totus sanguis contaminetur.

Præter hoc inconueniens aliud sequitur, nimirum quod melancholia ad loca ex quibus difficilius educitur, secta vena transfertur, primam enim regionem habitabat, ex qua in ventrem vel facilè deriuabatur, modo verò intus retracta, difficilius educitur: & hac considerattione authorem Gentilis exposuit, intelligendo per mouere ad exteriora, mouere humores in venis lienis, & iecoris impactos, seu in vasis internis ipsorum existentes ad vasa secundæ regionis, quæ translatio pessima est, vt mouere ad exteriora, sit humores mouere extra iecur, & lienem.

Quæ vena secanda sit, non docet author: Galenus verò 1. *ad Glauconem, c. 13.* internam, aut mediam, secare consulit, sed interna semper, si appareat secanda est, si non, communis secabitur. Docet verò Galenus, quod secetur in brachio sinistro, quod est intelligendum si peculiaris affectus ostendat lienem pati, & esse in eius regione melancholicam abundantiam, alioqui ex vtroque latere educetur, præsertim si constet in toto corpore abundare, vt planè abundat, quando ob debilem attrahentem lienis per corpus distribuitur, aut quando ob melancholica alimenta copia maior quàm per naturam datur; nam cùm in iecore generetur copia maior quàm liē possit attrahere, redundat in toto æquabiliter. Idem continget in marasmis suppressis, corpus melancholia implentibus, quando inculpatus omninò lien esse potest; quinimo debilitas lienis occasio esse potest vt in iecore sanguis melancholicus redundet, vt liceat ob id dextrā basilicam prius, & pluries quàm sinistram secare. Constat authoritate Galeni 4. *aphor.* 21. sic scribentis, *Si quando igitur nec splen bene expurgauerit, & qui in hepate continetur, sanguis multum huius limosæ superfluitatis habuerit, accrescere visceri debilitas, &c.* Et quamuis ibi Galenus doceat ex hac causa nigras deiectiones fieri, id tamen perpetuum esse non potest, vt est euidens, cùm nec quando in liene abundat, tales deiectiones necessariò superueniant. Constat verò, quod si in hoc casu secanda est, supponitur iam melancholia per totum distributa, sed cum particulari etiam plenitudine iecoris, & venarum circa illud existentium, vt liceat ob id prius, & pluries (vt dixi) dextram internam secare, nec solùm ob debilem lienis attrahentem melancholia circa iecur, & in illo superfluet, sed certius, & magis ob debilem expultricem iecinoris; debet enim reiicere à se sanguinem pro sotios nutritione ab ipso confectum, vt Galenus docet, quem si melancholicum genetet, ipso re-

A plebitur, vt loca sibi proxima. Ex quibus planè constat, quam periculosè interdum sequatur Galenus, & quod ante sectionem venæ, læsionem dictorum viscerum sacto, & accuratè debeat Medicus explorare, vt absque detrimento, & pernicie relatum auxilium imperet; nam si attrahentis debilitas lienis occasio quartanæ sit, nec tumor, nec durities, aut tensio lienem molestabunt, nec in eius regione melancholia superfluet, sed alibi redundabit, quod etiam Argenterius *in commentariis ad Glauconem cap. 5. fol. 2459.* notauit. Est locus difficilis Auicennæ *in hoc cap.* vbi dicit: *Cùm ergo ægritudo est digesta, tunc bonum est phlebotomare ex basilica*: sed expositores intelligunt per digestionem esse intelligendam permixtionem melancholiæ cum sanguine, non verò co-

B ctionem materiæ.

Quantitas sanguinis ex copia, tempetie, virtute, & causa definienda est, quam in melancholia sanguinea plus extrahitur, in biliosa minus, in melancholica minus, & minus in pituitosa: sic per æstatem plus extrahetur, quia iuxta Hippocratem Quattanæ æstiuales sunt breuiores; per autumnum verò minus educetur, quia tardè in ea soluuntur, sed vet expectamus; in hyeme enim, & ab aëre, & melancholia infrigidatur corpus satis notabiliter. Si verò alia infrigidatio per euacuationem dictis addatur, casus virtutis meritò timebitur, & accessiones maiores, cum longissimo & molestissimo frigore, & rigore superuenient, nunquam enim melancholici morbi cum copia spirituū dantur, sed omnes ob eorum defectum infeliciter concoquunt, cruda accumulantes,

C falsiosi sunt, vt flatuosi, quæ sanguinis eductionem dehortantur. Hoc tamen animaduertes, quod si quartana intermittens sit, & nullo accidente, aut plenitudine molestet, securius est nullam medelam tentare per auxilia maiora: ratio est, quia cùm sit securus, & longissimus morbus, sola idonea victus ratione, & propri a longitudine absoluitur; si verò per auxilia maiora statim in principio imperata longitudo aoferri non potest, quia propriam constitutionem nulla auxilia permutare queunt notabilites, constat nihil aliud lucrari, nisi debilitatem auxiliis inductā, manente morbo sub eadem diuturnitate, & molestia; & fortasse longior reddetur, quia non imminuto morbo, & collapsis viribus, nouas vires contra naturam assumet, fortior que redde-

D tur; inde accuratè corporis dispositio explorabitur, antequam suscipias, & plenitudo, aut alia symptomata, aut accessionum longitudo curationem suscipere cogant, prædices ob id fieri, ne corrupta plenitudine grauior morbus compliceetur, aut in continuam intermittens quartana degeneret, aut ob accidentia, & accessionum longitudinem vita periclitetur, non verò vt finiatur quartana, cùm tam tarum sit diuturnum morbum non esse, & tam difficile cedat auxiliis.

SECTIO VNICA.

De Hyrudinibus.

E Vacuato corpore missione sanguinis, multi faciunt authores hyrudinum applicationem venis hemorrhoïdalibus; euacuant enim egregiè humorem melancholicum, lienem, iecur, & mesenterium obsidentem, quod præcipuè imperamus, quando in continuam, quartanam, aut febrem acutam (vt solet) intermittens degenerat, & non sine ingenti periculo, neque ad huius auxilij executionem necessarium est, quod æger tumidas aut expurgantes hemorrhoidas habuerit, vt Magister meus aduertit. Vt enim morbis melancholicis tumentes hemorrhoïdes succurrunt, sic hyrudines eisdem venis affixæ, naturam vt ioeas se exoneret incitant, hoc habent celebre, vt sine notabili virium dispendio retentaræ,

ratæ, præstent quod sectio venæ efficeret si virtus pro illa constaret, lente enim fugunt, vt in ipso spatio suctionis possit natura spiritus instaurare tenui sumpto alimento, aut vini modico, & optimis odoribus, quod sectio venæ ob breuitatem extractionis, & maiorem, celeriorem que spirituum effusionem vnà cum sanguine non permittit, & in eadem quantitate sanguinis suctu hyrudinum extracta, non solùm ob dicta virtus minus collabitur, sed etiam quod sanguinem tardidiorem & minus spirituosum effundant, vt lædendo minus, plus prosint, & careant periculo, quod sectio venæ effugere nequit, punctura nimirum, aut ancurismæ, estque ridicula obiectio, quod dicti auxilij Antiqui pro quartanæ medela non meminerint, velut si omnia à quolibet impetari deberent, & ars genio posteriorum nouo nitore plus splendere nequeat, & pulchrior nouis inuentis euadere, aut ea antiquis præceptis de nouo aliquid exhaurire non possit.

Hoc auxilium celebrarunt non pauci, & experimento stabiliuit vt celebre in sua empyrica Fauentinus, sic scribens: *Scire debes quod si apparuerint signa permistionis sanguinis cum melancholia, non denegabimus sanguinis missionem primò ex basilica sinistra, secundò vero post tres dies saluatella sinistra phlebotomiæ; hæ enim sanguinis missiones humores adustos euacuant, præsertim cum multi fuerint in corpore, euacuantque principaliter a receptaculo humoris melancholici, videlicet a splene, & attende, quod iis peractis phlebotomiis, vidi ex experientia, quod si post sex dies apponantur hyrudines hemorrhoidibus, ægrum liberant a quartana.* Curatio quidem secura satis vt constat, & si post primam hyrudinum applicationem non ex toto quartana eradicetur, mutetur tamen in melius, reiteranda erit meo iudicio applicatio ipsarum, & integra salus sperabitur probabilissimè, præsertim si constet lienem affectum esse, & in prima regione melancholicum sanguinem stabulari, iis enim affectis hyrudines, vt spontaneæ hemorrhoides mire succurrunt, & illis etiam Fauentini medela præcipuè adaptatur, præsertim si hemorrhoidarum suppressione ortum morbus traxerit, aut si menstrua defecerint, in quo casu venæ in crutibus prius secabuntur, mox si plenitudo sit circa lienem, ea basilica sinistra, aut saluatella; deinde hyrudines affigentur, nisi ob collectionem multæ melancholiæ circa lienem, præparata longiusculè melancholia vt petit, partim euacuetur, & mox hyrudines applicentur; quod mihi magis probatur, dummodo medicamentum melancholiæ eductorium ea moderatissimis sit, etiam si reiterari sit opus, ne commotio in toto corpore fiat, sed sensim & absque turbatione melancholia euacuetur.

Sed hic pulchrum dubium suscitatur contra Galenum, & communem praxim authorum docentium, quod si secando basilicam, aut communem sinistram sanguis tenuis, & flauus appareat, sit supprimendus statim; videtur enim quod in venis meseraicis, & lienis, copia sanguinis melancholici accumulari possit, & non esse venas supernas infectas, ac per consequens etiamsi per venas brachiorum flauus, & tenuis extrahatur, poterit vtilissimè vena in talo secari: nam si Gentilis probabile putat, quod adhuc in internis vasis secundæ regionis potest esse pars sanguinis optima, quæ prius exeat, & non ob id esse statim supprimendus, sed permittendus exire, quia melancholicus sanguis in imis partibus reconditus est, multò probabilius apparet, quod in venis meseraicis & lienis copia sanguinis melancholici contineri possit, qui secta vena in talo vtilissimè, & facillimè educetur. Quod si dicas id repugnare, quia si sanguis generatur à iecore, non poterit esse optimus secundam regionem habitans, & culpabilis, qui lienem, & meseraeum occupat, tota enim massa sanguinaria vniformis à iecore gignitur, & inde diuersus in secunda regione à contento in venis meseraicis esse non

A potest. Sed argumentum retorqueo in solutionem datam, & contra opinionem contrariam, hæc enim admittit sanguinem purissimum, & defæcatum in secunda regione, vitiosum verò, & melancholicum alibi: ergo casus à me positus possibilis est, etiam in contraria opinione. Si adhuc dicas, quod opinio alia non admittit sanguinem melancholicum in vna regione, & inculpatum in secunda, sed melancholicum humorem à sanguine separatum, ob quod sectio venæ nullo modo admittitur, & Fauentinus dicebat, quod si signa sanguinis non apparuerint, nec permistionis sanguinis cum melancholia, blasphemanda est sanguinis missio: contra est, quia assetendum, insinuandumque erat, vbi melancholia secreta tam à sanguine contineretur;

B nam si extra vasa manet, aut facit tumorem præter naturam, quod est absurdum, aut manent in aliqua inanitate incarcerata, quod etiam est falsum, quia in accessionibus mouetur à parte in partem, & in opinione Galeni per ambitum corporis, quod non eueniet si in inanitatibus conclusa manetet.

Si verò dicas, quod continetur in vasis primæ regionis vbi manent cruda excrementa, in venis nimirum lacteis, sequeretur quod neque esse posset quartana morbus tam chronicus, cùm tam breuiter excrementa ibidem contenta expellantur; & rursus quod statim debeeet expurgari seligente, aut leniente medicamento, quia humores ibi manentes, nec coctione egent, sed præparatione sola vt expurgari debeant: & in opinione

C communi, nec præparatione opus est, quando in viis tam amplis, & eductioni tam proximis materia morbi habitat; venæ enim mesaraicæ è porta vena nascentes, in ventriculum & intestina deriuantur, intra quas si secreta fuisset melancholia, aut vomitu, aut delectione, vel facilè truderetur, & nunquam alui excrementa sine atro colore apparerent, quod contra experimentum in quartanis est. Vrget etiam, quod cùm quartana periodica putetur putrida febris, & tam diuturna, sitque morbus magnus, vt ad secandam venam requiritur, non obstat quod sanguis tenuis, & flauus appareat, vt inde ab auxilio tam necessario pro putrida febre cessemus, sed si ea supernis vasis non liceat educere, conuenit ex inferis, aut indicationes ad hoc auxilium non sumuntur adæquatæ ex morbi magnitudine, & virium robore, vt Galenus putat: & quic-

D quid addideris (vt addunt multi) inuenies etiam in medela quartanæ, vt nulla excusatio tibi sit satis, cur sanguis extrahendus non sit, etiamsi sanguis tenuis, & flauus emanet, vt ea alia parte mitti non debeat: nam vt morbi magnitudo ad venæ sectionem requiritur, sic locus causæ venam determinat, quia cum illa communionem habere possit, potest verò vena inferior communionem talem sortiri cum loco causam continente, & sanguis niger, & crassus educetur, quando si superior vena secaretur, flauus, & tenuis appareret.

Mihi quidem videtur quod ad cessandum omninò à missione sanguinis, non sufficiat quod ex venis supernis purus educatur, sed posse, (vt dictum est) ea infe-

E rioribus commodissimè secari, & cum magno commodo, quia in venis, & arteriis mesenterij, melancholicus sanguis, & plurimus contineri poterit, cuius extractio per venas tali vtiliter fiat, & nemo erit qui si quartana ex suppressis hemorrhoidibus, aut menstruis oriatur, non mittat statim sanguinem ex talo, vnde iudicium nostrum est, quod si ea dictis suppressionibus quartana non eueniat, & secetur vena superior, flauusque sanguis purissimus, sit accuratè corporis status inquirendus, & si accessiones vrgeant, aut aliqua accidentia, constetque à crudiatibus primæ regionis liberum ægrum esse, secandæ sunt venæ in talo, quia copia sanguinis melancholici à grauitate accessionum, & symptomatum complicatorum detegitur euacuatione requisitâ,

A & extractio sanguinis optimi ex venis supernis, apertè declarat, quod illa copia infra iecur existat, & venam tali aperiendam demonstrat; à quibus sectionibus in dicto casu cum magno commodo hyrudines affigentur, vt Fauentinus docuit, erit tamen docti Medici plenitudinem sanguinis melancholici infra iecur existentem agnoscere, ne incassum, & cum iæsiune vena superior secetur, quod iuxta mentem Galeni facilè non apparet, quando venam secat vbi non conuenit, & statim suppressionem consuluit, quod tanto Medico indignum videtur, & forrasse breuius curabitur quartana, si inferiores venæ secentur. Helmont enim methodum medendi Galeni irridet, exemplo quartanæ per duos dies intermittentis, & tam diuturna est, vt per annum, & annos fatiget.

B Sed quomodo dices id agnoscemus? certè si Galenus plenitudinem vehementem sanguinis, vt vena secetur requirit, non potest non habere sua signa si in toto sit, sensum nimium grauitatis cum tensione, & lassitudine, aut cum sensu vlceroso, aut phlegmonodes; plenitudo verò melancholici sanguinis, ponderis, & tensionis sensum insignem præbebit, quia nullus ponderat magis: pulsus etiam oppressus percipietur & inæqualis, vt cuique plenitudini debetur, color atet totum, & faciem inficiet, nec sub tanta plenitudine melancholica quartanam præcedente, insignis tristitia, & lassitudo insolita deficere potest, verùm quia tristitia commune accidens est abundantiæ melancholiæ, vbicumque sit, alia signa attendenda sunt: si verò in regione in-

C ferior plenitudo molestet, sentietur in illa similis grauitas vbi sit, & venter inferior, totaque hypochondriorum regio accuratè tactu exploratur; erit enim dolor de nouo, si non lenitet, paulatim tamen comprimatur, & tensio manifesta percipietur: semper tales anhelosè respirant quando mouentur, ob septi compressionem, & quia venter inferior, aut hypochondria repleta difficilè attolluntur ob pondus alienum, & quia minus tensioni obediunt, à cibi sumptione implacidi sunt, & fastidiosi, quia ventriculus tensus ob copiam, non astringitur tam commodè & bene, vt per naturam: sicque alimentum non compressum vt debet, ponderat plus, & grauitat magis, deorsùmque velut pondus alienum ferri videtur, solétque communissimè plenitudo in naturali regione residere, quando menstrua re-

D currunt, aut hemorrhoides supprimuntur, aut distemperies sicca, & calida hypochondrij, aut meserei sanguinem per eam regionem distributum vrit, & melancholicum reddit, vt in melancholia hypochondriaca quotidie contingit: lotium, si secunda regio infecta sit, erit etiam magis infectum, & præternaturalius, si verò in prima melancholicus sanguis contineatur, minus non dubiè vitiosum apparebit, aut non multum à naturali discedet. Quæ omnia, & alia si teneas, attentè contemplabuntur, vt vena conueniens secetur, ne vulgus, aut te, aut artem velut diminutam accuset, si semel secta vena, sanguinem statim (velut malè imperatum remedium) supprimere iubeas.

In hoc argumento habet locum opinio Sennerti, ni-

E mirum quod lien sanguificet, non minus quàm iecur, licet non tam perfectè; generat enim melancholicum & crassum sanguinem, pro nutritione partium naturalis regionis; vnde sectio tali potest esse vtilissima, quando si venæ superiores secantur, sanguinem inculpatum concedunt: culpabilis tamen nimis à venis tali concessus, & experimento hæc praxis confirmata iam est in puero quartanario, cui secta vena superiori sanguis inculpatus exiit, & secta in talo tantæ efficaciæ fuit, vt illa sola eradicata fuerit quartana. Et cùm nullus neget esse vtilissimas hyrudines pro quartanæ medela, eo ipso deducitur frequentiorem causam in venis meserai esse.

CAPVT XLV.

De Expurgatione in Quartana.

DVPLEX dubium discutiendum est; primum si coctio expectanda sit, vt expurgatio impetretur, & qualis: secundum in quo die auxilium hoc celebrandum sit. Est in primis communis consensus, quod nunquam potest eradicari tota materia vnica purgatione, est enim humor crassissimus, & si totus simul educeretur, opus esset vehementi medicamento turbantem agitationem inferente, & inde reiteratis expurgationibus medela finienda: adde quod humor tam crassus & multus, nequit simul concoqui, sed per partes; si verò totius coctio expectaretur, putresceret rursus, quod prius concoctum fuit: oportet ergo expurgationem reiterare. Quod verò coctio ad expurgandum speranda sit, est communissima doctrina, quam in longis morbis Galenus sæpè proposuit, & in curatione huius morbi vtrumque præceptum complexus fuit sequentibus verbis. *Et si coctionis morbi indicia apparuerint, tunc purgare oportet iis quæ humores atros exinaniendi vim habent, non semel tantum, sed & sæpius, si fuerit necessarium.* Ratio à priori est, quia nulla occasio in quartana inuenitur, ob quam regularis curatio peruertenda sit, quia nec malignitas, nec tanta copia humoris est, quæ incoctilem morbum reddat, quod indicat longitudo intermissionum, in qua & virtus instauratur, & constat satis ad morbi diuturnitatem sustinendam, quando Galenus in diebus intermediis consueta munera ægros exercere consulit; est ergo expectanda coctio iuxta *aphor. 22. cocta medicari oportet, &c.*

Verùm quia tempore eius Medici imperiti experimento suadebant eradicari interdum quartanas dato in vniuersali principio forti medicamento expurgante, respondet, imitandos non esse, & fuisse rectum ab errore; vnde constat intellectio verborum Auicennæ, paulò antea dicentis: *Et si oportet, euacuetur à principio de humore faciente febrem aliquid, propter alleuationem, non propter mundificationem, vel eradicationem, illud enim apud digestionem fit, secundum quod innuam ad ipsum*; verbum enim illud (à principio) non significat principiũ vniuersale, sed comprehendit etiam augmentum, vt notat Gentilis, aut principiũ augmenti, quem sequitur etiam Magister meus *fol.* 112. in cuius etiã dubij resolutione docet: quod coctio manifesta sit satis ad expurgandum partem iam coctam, vt ex doctrina Auicennæ patet dicentis: quod à principio euacuetur aliquid de humore faciente febrem propter alleuationem, non propter eradicationem, quia hæc solùm in statu contingit, quando summa coctio inducta est; at verò alleuatio, seu minoratio materiæ non debet fieri concocta omninò materia, sed apud digestionem, id est quando iam coquitur manifestè, nondum tamen omninò cocta est.

Sed mihi videtur hæc Auicennæ expositio contra mentem eius, quia si regularis curatio quartanæ petit, quod non expurgetur tota materia simul, quia nec tota simul coquitur, nec tam forte medicamentum natura sustinere poterit, quale requiritur ad eradicandam semel quartanam, non rectè diceret author: *Et si oportet, euacuetur à principio, &c.* nam expurgare cum signis coctionis non est conditionatum præceptum, sed absolutum, & dicendum erat absolutè, oportet vt euacuetur à principio aliquid de humore faciente febrem, si id principium significat non tempus cruditatis, sed illud in in quo coctio manifesta inuenitur, vt Gentilis, & Magister censent: tum etiam quia expurgare materiam

in

in longis morbis, quando iam adsunt signa coctionis manifestæ, non est minorare materiam in rigore medico, sed partialiter eradicare, quia incipit tunc ex radice morbi aliquid auferri; minorare enim medicè dicimus, quando cruda omninò existente causa, expurgatio imperatur ob aliquid vrgens, & methodus communis peruertitur, quòd cruda nimirum expurgantur. Dicit verò Princeps, quod expurgatio in principio fiat si oportet propter alleuiationem, non verò propter mundificationem, seu eradicationem; ergo non requirit author coctionem vt in principio fiat, quia hoc iam esset partim eradicare, quia euacuatur cocta materia; & cùm dicat expressè, quod in principio fiat si oportet, eur debet intelligi in rigorosa significatione principij, quatenus cruditatem significat. Sinistrè tamen meo iudicio interpretatur Auicenna à Magistro & à Gentile dum docent, quod quando dicit (illud enim apud digestionem fit) sit intelligendus quod minoratio materiæ imperata in principio ad alleuiandum debeat apud digestionem celebrari, id est incocta materia: ego enim oppositum censeo, nimirum quod sit intelligendus, ita vt mundificatio, seu eradicatio materiæ contingat solum, aut fieri debeat apud digestionem vt ipse dicet postea: illud verò dixit Galenum tradens iis verbis: Inquit Galenus, sanaui gentem plurimam à quartana ita; Dedi eis in potu post digestionem solutiuum, deinde succum absinthij, deinde theriacam: locus Galeni est *lib. de theriaca ad Pison. capite 15. in fine*, vbi Galenus non dicit, quod illa auxilia post digestionem, seu coctionem imperauit, sed quod danda sit theriaca secundum artis præcepta: verùm quod dixit Auicenna traditur à Galeno 1. *ad Glauconem, cap. 11.* vbi theriacam post vigorem, & expurgato corpore solùm concedit, & hoc intellexit *lib. de theriaca*, quando secundùm artis præcepta propinata, tot laborantes sanauit.

Propterea mihi videtur probabilius cum Herculano, quod relata doctrina tradatur de expurgatione crudæ materiæ, ob aliquod vrgens, posuit verò triplicem occasionem, multitudinem nempe melancholiæ, aut malignitatem eius, aut quod sit propinqua membro principali, & vltimum bifariam intelligo, aut quod in initio accessionum moueatur ad partem principem portio aliqua eius insigniter lædens, aut quod focus putredinis sit parti principi proximus, quod est perniciosissimum, & grauius quàm primum; nam in illo transacta accessione instaurator æger, & satis bene cùm tam longum sit intermissionis tempus; at quando focus proximus est, cùm semper sit præsens vitium illius, non permittit idoneam reductionem, sed semper in consensum trahitur ob propinquitatem, quod cognosces ex duratione accidentium cuicumque parti debitorum, apparentium tunc. Sit exẽplum, si cordi sit proximus focus, inuenies non dubiè in diebus intermediis, quod pulsus nõ reddatur fortior, aut non tam validus, vt tantæ intermissioni debebatur cum maiori inæqualitate, & omnium virium similem languorem inuenies, licèt non tantam vt in pulsu, & sic de reliquis partibus discurres. Est etiam hic casus difficilioris curationis, quàm primus, quia translatio humoris à parte in partem impeditur facilius, quàm dispositio foci putredinis, hæc enim per totum morbum ineuitabilis est: sed hi casus perito Medico egent, vt omnia requisita accuratè perpendendo, securiùs indicet artis communia præcepta peruertere, quàm in tanto periculo ægrum versari, & vbi alia spes sanationis non datur, tentare quod iuxta artis præcepta remedium efficax esse potest. Magistro meo quidam quartanarius erat commissus, periculosissima quartana intermittente, & simplici oppressus, ex liene enim accessionis tempore mittebatur in cor humoris melancholici portio, putabat verò doctissimus vir sola expurgatione tantum periculum moderari posse, viribus tamen parum constantibus nunquam fidebat, erat æger iuuenis, & cùm vltimum timorem mihi proponeret, dixi, si aliud sanitatis recuperandæ auxilium, nisi sola expurgatio inuentum non est, etsi vires non constent tam claræ, auderem nihilominus ob ætatem, intermissionem longam, & reductionem ad meliorem statum euacuatis prauis humoribus, medicamentum propinare, alioqui desperatus relinquetur; me ob consilium sugillat, medicamentum non præbuit, & in secunda accessione post consultationem syncope oppressus animam egit; hic si expurgaretur, & reuelleretur humor ad infectas partes, liberari fortè poterat, præsertim si melancholia a sanguine secreta erat, & eductio tam commoda, quia circa lienem habitabat, & sic faciendum esse censeo in dicto casu si vires constent.

Quod verò si ob multitudinem materiæ antecedentis periculum immineat, ante coctionem materiæ sit probabilissimum expurgare, iam ni fallor efficaciter probaui, quia materia antecedens cruda non est, sed sola eget præparatione, quia nondum computruit: timendum enim est ne quartana continua reddatur, à qua pauci euadunt, semper tamen accuratè notabitur si obstructa sint hypochondria, vt prius huic vitio occurramos, deinde expurgetur solum quod obstruit, deinde verò vasa maiora, si in eis humor abundet: tutius semper erit mediocria medicamenta imperare; nam quæ nimis exagitant, periculosissima sunt si copia crassorum abundet, quia insignes obstructiones de nouo creare solent impetu delationis crassorum per vias tam arctas, in quas tenaciter solent impingi: id autem fiet, si virius constet satis, quia cùm multitudo melancholiæ diuturnum semper morbum promittat, non decet sine virium constantia expurgationem tentare; felix tamen euentus sperabitur, si in regione prima, aut circa lienem melancholia abundet, aut à sanguine separata in aliqua insanitate conspiciatur; id enim tanquam firmum, & notandum præceptum seruabis, quod in continuis, & acutis febribus non sine pernicie crudo existente morbo purgatio imperatur; quia vt *tractatu de maligna febre* retuli, feruor assiduus praua, & puttida excrementa sanguini admiscet, & nequit malum sine bono secerni, & miasmata, seu putredinis seminaria intimius ob commotionem sanguini admiscentur: sic contraria ratione in intermittentibus quando copia materiæ antecedentis creata supponitur, securius multò expurgatio exercetur, quia etsi in foco nunquam feruor deficiat, in vasis maioribus vbi antecedens materia supponitur, feruor non datur expurgationem impediens; & cùm materia non sit putrida, nec in minima diuisa, commodissimè educitur, & morbus contrahitur, & leuior non dubiè redditur, dummodo selectissima præparatio, & viarum lenitio, apertioque fiat, quod quia pauci obseruant, pauci sunt felices in medela quartanæ nouas obstructiones creando, ob defectum idoneæ præparationis.

SECTIO VNICA.

An liceat in die paroxysmi quartana expurgare.

MIror certè quòd in nulla alia febre si intermittat, dubium propositum exagitetur, cùm in quintanis, nonanis, & aliis longioribus circuitibus similis quæstio occurrat, cùm ab eadem causa dependeant; & in tertiana notha simplici eundem locum quæstio sortitur, si notha sit ob permixtionem melancholiæ, & tamen nullus in ea id in controuersiam posuit, & vt ego censeo, si notha fuisset, ob pituitæ admistionem, eundem locum quæstio haberet, quia pituita ob lentorem quem nunquam amittere potest, vt constat planè in excreta, difficilius quàm melancholia educitur.

Ergo in quartana discordes sunt scriptores. Quidam censent in die paroxysmi dandum esse medicamentum

expurgans; hos refert Magister meus *fol.* 1113. citatque Conciliatorem *differ.* 163. & Hippocratem *lib. de internis affectionibus*, sed non est nisi *in lib. de affectionibus, n.* 19. dicentem: *Si verò quartana apprehenderit, si quidem impurgatus fueris, primùm caput purgato, & interpositis tribus, aut quatuor diebus pharmacum sursum versus purgans dato in ipsa apprehensione; & interpositis diebus, rursum aliud deorsum purgans dato in ipsa apprehensione*; per quam non nisi paroxysmum intelligere potest, quod præceptum sequitur Aëtius *tetrab.* 1. *serm.* 3. *capite* 125. dicens: *In quartanis verò, & intestinis fluxione vexatis, in ipsis accessionibus*; loquebatur verò de vehementi medicamento, veratro scilicet: sic noster Princeps ad moderandum vehementem rigorem in quartana inuentum, agaricum, pillulas fœtidas, & alia expurgantia commendat. *fen.* 1. *libro* 4. *tract.* 2. *capite* 12. quem sequitur Herculanus, cuius etiam opinionis fuit defensor acerrimus Amatus Lusitanus *cent.* 1. *cur.* 5. & affirmat fuisse communissimam praxim sui Magistri in Salmanticensi Academia. Idem tenet noster Vallesius *in arte medicinali*, etiamsi aduertat non esse id temerè agendum; sed negotio bene considerato, ratio Amati, & Vallesij est, quia cùm humor melancholicus, crassus, & terreus sit, non mouetur nisi summa difficultate, & inde opus expurgationem moliri in die paroxysmi, quia tunc à natura expellitur, & in motu existit. Quod fundamentum tam validum est apud nullus, vt non solùm in die accessionis, vt præpositum est, expurgent, sed etiam ad eradicandas quartanas sectionem venæ admittunt, quidam ex saluatella sinistra, alij ex basilica. Sic Leonellus Fauentinus *fol. mihi* 711. scripsit: *Et modus in curando quartanam post euacuationem, & expertus sum pluries, est facere phlebotomiam hora reuolutionis de basilica brachy laui, &c.* & quod nullum periculum timendum sit, suadetur efficaciter in expurgatione tertianæ duplicis, aut quotidianæ, celebratur enim in diebus accessionis, & nullum periculum hactenus experti sunt Medici ob expurgationem in diebus accessionis, imò ægri liberantur tali remedio: ergo in quartana nullum erit incommodum in die resolutionis expurgare. Si dicas esse rationem disparem, quia in quotidiana, aut tertiana duplici non datur dies intermissionis, & sic cogimur expurgare in die accessionis; at in quartana cùm detur dies in quo æger non opprimitur, & natura minus patitur, non licet in die afflictionis aliam nouam ratione medicamenti addere. Sed hoc, etsi verum sit, non tollit quod ratio opposita tradit; nam si ex expurgatione in die accessionis in aliis febribus non sunt experti Medici incommodum aliquod, aut periculum determinatum, & ex alia parte in die accessionis habemus naturam velut turgentem, quia actu humores commouet, & focum mittit, & sic expellet ad aluum si à medicamento determinetur; sequetur probabilissimè quod accessio non veniat, & sic eradicabitur morbus, quia mittetur per aluum quod ad focum erat expellendum, estque hæc praxis communis, & celebratissima apud Medicos Germanicos, & Gallicos: vnde Rulandus in die accessionis sex horis ante illam medicamentum præbet, & doctissimus Quercetanus in pharmacopæa restituta, *cap.* 8. decoctum expurgans non leuiter ante horam accessionis præbere præcipit.

Hanc praxim vt non securam Magister meus condemnat, ita vt oppositam veram & sequendam teneat, probat primò ex doctrina Hippocratis 1. *aphor.* dicentis: *In accessionibus abstinere oportet*, &c. Sed hoc testimonium non videtur ad rem, quia loquitur de cibi exhibitione, non de medicamentis. Sed contra (inquit) Magister, quia si alimentum non datur sine incommodo, dabitur non dubiè cum maiori medicamentum expurgans, quia maior molestia naturæ infertur à medicamento, quàm ab alimento; sed est inanis A hæc ratio, quia alimentum non potest esse vtile, sed nocentissimum in accessionibus; at medicamentum expurgans, si accessionem tollit, & quartanam exstirpat, vt experimento constat, rectè dari potest, præterquam quod si datur sex horis ante accessionem, non datur in accessionibus.

Galenus *lib. de expurgatione* sic loquitur: *Accessiones quoque, quomodo euacuandum sit, docent; nam dum accessio infestabit, a superioribus educes; vbi destiterit, quod intermissionem dicimus, ab inferioribus trahes*; & probat experimento à spontaneis euacuationibus sumpto; nam *multis* (inquit) *per accessiones vomitus excitatur, & sanguis è naribus erumpit, non paucis intermissione facta, lotium, & aluus fluit*: & Princeps noster *cap. de intentionibus vni-* B *uersalibus ad medelam febrium putridarum*, adductam curationem perspicuè tenet dicendo: *Et non moueas in die paroxysmi aliquid quantum possibile est, neque cures febrem.*

Ratio a priori (quam apertam Magister putat) est, quia Medicus aut intendit materiam antecedentem, aut coniunctam euacuare: non primam, quia materia tunc non mouetur, sed quieta est, vnde propter motum tunc existentem expurgari non debet magis quàm in alia die: nec propter materiam coniunctam, quia hæc in opinione Galeni mouetur ad corporis ambitum: at medicamentum ab ambitu ad centrum, & intestina; sic contrarium motum naturæ tentamus, nec possumus in hoc tempore naturam adminiculantem habere, & quamvis non sit perpetuum ad ambitum pellere, sed interdum ad primam regionem reiiciat, non licet adhuc in hoc casu expurgationem tentare, quia materia quæ mouetur, est C accessionem factura, hæc verò in ipsa accessione resoluitur, vnde propter ablationem accessionis non deceret tam periculosum remedium tentare; & cùm in accessionibus non leuis molestia naturæ inferatur, non conuenit medicamento expurgante molestias, & anxietates augere, aut duplicare, sed dies intermissionis expectandi sunt.

Verùm quia Amatus Lusitanus *cent.* x. *cur.* 8. censet dandum esse medicamentum quatuor horis ante accessionem, & inde nec permisceri humorem bonum cum malo, neque datur motus naturæ oppositus, quia tunc actu non mouet, & vtilitas magna sequitur, quia non solùm materia coniuncta, sed etiam antecedens educitur, ac per consequens vtilissimè tunc expurgatur. Contra (inquit) Magister, quia si quatuor horis ante paroxys- D mum est materia quieta, non est maior commoditas tunc quàm alio die, vt diximus; si verò datur medicamentum vt expurgatio incipiat, quando paroxysmus incipere debebat, & sic natura inclinetur, vt per aluum materiam expellat, & cesset accessio, contra est, quia respectu materiæ antecedentis non potest ita contingere, quia hæc non mouetur in eo paroxysmo, in quo expurgamus, vt constat, sed in aliis venturis; & si hæc materia antecedens cocta iam est, cùm habeamus naturam adminiculantem in quolibet die respectu materiæ iam coctæ, non est ratio cur dies quietis speranda non sit. Et quia contra experimentum ab aduersariis adductum ratio valida dari non potest, respondet Magister, fuisse re- E ctum ab errore, quod dato medicamento in die accessionis eradicetur quartana, & imitandum præceptum eorum non est.

Mihi videtur probabilissima Amati doctrina, quia & probabili ratione fulcita, & quod plus ponderat, experimento, & nostri Vallesij authoritas est mihi magni momenti, & ratio adducta de expurgatione in duplici tertiana, & quotidiana, efficaciter probat non dari determinatum inconueniens, nec hactenus cognitum, eo quòd in die accessionis expurgatio celebretur, & si est probabile, quod cineritium ex antecedente accessione derelictum, est occasio nouæ repetitionis, si per expurgationem tollitur accessio ventura, eradicabitur omninò quartana; nec obstat, quod idem

sequetur

si quærat si in die intermissionis expurgetur æger; nam id negat opinio contraria ob tenacem & rebellem naturam humoris melancholici, & inde in die accessionis imperanda est expurgatio: erit tamen tutum consilium in die quietis expurgationem tentare, & si nihil proficere videatur, imperabitur in die accessionis. Quia verò Vallesius notauit id esse summa considerationе agendum, ratio verò considerationes, sciendum est, quod licet (vt docuit) tentare prius in die quietis eradicare quartanam, & si in casum expurgatio impetretur, reiterabitur in die accessionis, si cõlet etiam virtus, quia cùm non sit euidens defectoram quartanam, cadet virtus nimis, si debilitari ab expurgatione addatur noua; sit etiam corpus cum succis præparatissimum, obstructiones ablatæ, signa coctionis appareant, aluus sit lubrica, & æger ad expurgandum non sit difficilis, & meo iudicio dandum est medicamentum, quod simul vomitum, & aluum solicitet; nam si vomitus ad eradicandam quartanam ab omnibus & Galeno imperatur, magni momenti erit illum, & aluum mouere: sic Mathiolus decoctum ellebori nigri post longam præparationem parauit, quo adhuc in media hyeme vsus, omnes vnica, sola, vel altera sumptione à tam diuturno malo liberauit, habet decoctum *lib. 3. epist.* laus, & experimentum, *lib. 4. cap. 146.* Ioannes Freitagius *lib. 1. cap. 27.* sic fatit, Non semel in curatione empiricorum obseruaui, quartanarios ab aliis derelictos, & multis mensibus febrem contumacem, & quasi incurabilem possidentes, vel ipso antimonio vitrificato, vel eodem cum nitro calcinato, & in paroxysmorum initiis, vel paulò ante eorum insultum exhibito, quàm feliciter, & celeriter à tædiosa, pertinaci, & chronico affectu liberatos esse.

Auicennæ verò testimonium in contrarium adductum docet, quod in die paroxysmi, nec moueamus, nec curemus febrem si possibile fuerit; at in quartana dicent aduersarij ob tenacem causæ conditionem non esse possibile omnino febrem eradicare vnica expurgatione, nisi in die accessionis expurgatio imperetur; neque obstat quod multæ quartanæ absque expurgatione vlla deficiant, & per consequens non erit opus expurgatione in die paroxysmi; nos enim non dicimus aliter sanari non posse, sed quod datur interdum tam stabilea quartanæ ob causæ firmitudinem, quod expurgatione, & in die accessionis indigeant, certiusque eradicari eo die expurgatione imperata, intenduntque hi motem accessionem facturum educere; nam si accessio deficiat, deficiet etiam cineritium nouam accessionem creaturum, Zacutus *lib. 4. de febrib. fol. 535.* sic loquitur: *Longitudo totius febris ex alio principio prouenit, nempe ex portione humoris relicti in foco putredinis, qui nouam conciiat accessionem, quousque attenuatus integrè expurgetur: & quoniam inter humores omnes melancholia ob crassitiem summam longiori tempore indiget, plus durat in dicta minera, neque habemus repugnantem naturam, quia quando expurgatio imperatur, nondum motionem suam incepit, cùm moueat solum quando rigor incipit, aut horror, ad corporis ambitum, & cùm ad expellendum cogatur natura, quia opprimitur copia, aut qualitate, & ambæ molestant plus, quò accessio plus approximatur, est iam natura velut turgens, & ad expellendum incitata, & dato medicamento dirigitur, vt per aluum, quod per ambitum corporis expellenda erat, deriuet, & cum pars transmittens calefacta tunc magis sit, & magis reclusa, & quod in illa tenaciter imbibebatur, eratque primus focus, mobilius sit redditum, extrahitur totum dato medicamento accessione iam proxima, quæ commoda in die quietis non dantur; nam cùm iam fluor succorum cessauerit, deficiunt omnia ad mobilitatem conducentia, & non eradicatur febris.* Eadem methodo spurias tertianas eradicare Amatus procurat, qui non sequitur Hippocratis doctrinam imperantis, quod detur medicamentum expurgans in ipsa apprehensione, sed horis quatuor ante illam: parui tamen fecit adductum

D. Petr. M. de Heredia, de Febribus.

testimonium Magister, quia liber *de affectionibus* non Hippocratis, sed Polybi à Galeno censetur; quod parum obstat, si vera, & experimentis firmata scripsit, suitque Polybus doctissimus vir: videbitur tamen oscitanter à Magistro meo lectum illud testimonium fuisse, cùm doceat de solo medicamento vomitum citante agere, non per aluum inferiam mouente, cuius oppositum ex ipsa lectione constat. Hanc praxim sequitur etiam Zacutus *lib. 3. de praxi admittenda, obseruatione 32.* vbi docet, quod quando quartana aliis auxiliis non cedit, sectio ea basilica, aut saluatella sinistra in plenilunio, aut minuit morbum, aut omninò tollit, quia ob lunæ vim maiorẽ in illo humor terreus ebullit fluxi iocis, & prôptius sic extrahitur, & id experimentis suadet.

CAPVT LXVI.

De victus ratione, & cur sæpè alimentum desideratum, etsi deterius, quartanam eradicet.

IN morbo tam diuturno nulla commodior medela, quàm selectissima victus ratio, nam cùm sit teste Hippocrate curationis fulcimen, pondus curationis in victus ratione præcipue constitit, quando nullo imperato remedio cessare sæpissimè quartanæ solent, ob quod facillima ab Hippocrate quartana appellatur, etsi longissima sit, apoplexia verò à sinistris, etsi breuissimè terminetur, quia magnis, & plurimis auxiliis, vt auferatur, eget.

Est ergo primum Auicennæ præceptum, quod in die paroxysmi inedia impetretur. Verba sunt: *Et oportet, vt prohibeatur in die proxysmi à comestione, & præcipiatur ieiunium, & prohibeatur ab aqua frigida illa die, &c.* Accessio quartanæ longa esse solet, & ad diem integrum fere extenditur; vnde si in accessionibus oportet abstinere, constat per diem accessionis nihil dandum esse. & cùm rursus nihil sit perniciosius, quàm quod accessio ventrem vacuum non inueniet, necesse est quod si aliquid sumendum sit, debeat propinari multò antequam ingruat accessio, vt forte horis sex, quas si cum duratione accessionis supputes, integrum diem implebunt; quando verò dicit, quod prohibeatur à comestione, & impetretur ieiunium, est intelligendus in die accessionis, vt imperium ieiunij in reuera inutilis repetitio eiusdẽ præcepti, quando in morbo tam cronico irrationabile fuisset ieiunium commendare: habet hic locum doctrina Galeni 1. *ad Glauconem*, in medela tertianæ illegitimæ dicentis: *Inedia quidem in valentioribus audacius viaris viribus, & morbo coctu difficili; longiori autem cibo, vbi vires sunt debiliores, nec morbus admodum concoqui contumax,* & addit: *Hæc quidem & in omnibus aliis morbis considerare oportet.* Vnde liquet, quod quartanarius si robustus sit, debeat inedia macerari, quia morbus est cõtumax. Auic. verò *in hoc cap.* partim inediam imperat, partim incrassat; nam in primis quatuor periodis auiculas paruas cõmendat, deinde pullos, quia in principio plenitudo maior supponitur, & multa cruditas, quas victu restrictiori moderatur, post verò crassius tantisper cibat, vt distantiæ longioris status succurrat, nam vt optimè Gentilis, quãdo status distat nimis, possumus incipere per aliquos dies subtiliando, vt contumacia materiæ à natura vincatur, deinde plus dare, ne in tam longa pugna virtus labescat, quod etiam reiterari potest, quia rarò in quartana non datur cruditorum magna copia, quæ inedia absumenda sit; quia etsi externum alimentum non offeratur, datur tamen internum in crudis inclusum, si Galeno credendum est, nec censeo aliud præceptum celebrius pro

contrahenda quartana posse contuli, quàm moderato vti cibo, & sicci optimi, & tenuis, caloris tamen moderati cum pingui humiditate aerea, iis enim duabus qualitatibus conditio terrestris melancholiæ reprimitur: aereâ fit quod liquatur ac funditur, vt possit resolui, quod iis verbis Auicenna nos docuit: *Cibi quoque calidi cum æqualitate & cum additione humiditatis, sunt iuuantes valde, & propriè cum volunt æquationem caliditatis eorum*, vbi non dirigitur, vt per ea fiat iuuamentum ad digestionem cum frigidis, & humidis, sicut comestio ficuum cum endiuia, hoc est, cibi sint caliditatis temperatissimæ; nam intensior siccaret, & intemperiem siccam melancholiæ intenderent, quam temperatam caliditatem velut fouet humiditas pinguis, & aerea, & in opere iuuat ne siccet; nam aquea humiditas frigori semper adiungitur, & calorem temperatum reprimit; siccitas verò semper calorem acuit, & ambo siccatur, melancholicia summè aduersum: terrei enim sunt tales, & exsiccei, quibus calor, & humiditas pinguis summo auxilio sunt, ob quod ficus, & rapi commendantur, estque apud Cratonem raporum decoctum pro quartana abigenda, quod & Sennertus *proprio cap.* tradit. Hinc Princeps *in præsenti cap.* dicit: *Et allenietur omne frigidum, & siccum*, quod ante illum t. *ad Glauconem* Galenus præceperat dicendo: *Arcendi sunt autem a carnibus porcorum, atque ab omnibus eduliis, quæ tenacia sunt, & tardum habent exitum, ac quæ refrigerant, exsiccantque corpus*: constat verò, vel me tacente, quod cùm tot species melancholiæ Auic. admiserit, non est per consequens varietas alimentorum excusabilis, quæ conditiones causarum expugnet, oppressus enim à iecoris incendio sanguinem adurente, humidis, & frigidis iuuabitur, lædetur verò commendatis à Galeno medicamentis, & cibis.

Illud verò memoriæ mandandum, quod quartanarij implexis indicationibus ferè semper curantur: quia & melancholia frigida, & sicca, & cruditatibus, & obstructionibus molestantur, quibus occurrere debes, si quartanam contrahere intendis; tanto tamen artificio, vt si ab vstione crassities inducta fuerit, & calor visceris duret, calida, & sicca extenuantia recuses, multa enim sunt frigida, & extenuatoria, vt succus limonum, arantiorum, citrorum, decoctum radicum endiuiæ, graminis, foliorum fragorum, & radicis eorum, & pentaphili, radices etiam borraginis, & buglossæ, floresque virtusque: & si tam frigidæ non sint vt pro vstione requiritur, humiditate mulcebri, & calore moderato mirabiles sunt, vt radix condrillæ hispanicæ. Iam vidi quartanarios, quibus communis potus niue infrigidatus mirè profuit. Est tamen contemnendum præceptum, nunquam licere aliquid propinare, siue cibus sit, siue potus, in quo virtus extenuans, & incisoria non detur, quia nulla melancholia absque crassitie inuenitur, quæ & vias occludit, obstruit validissimè, & contrariu concoquenti strenuè resistit: quod respiciens author, dicit: *Et scias, quod quando incipit quartana in æstate, aut hyeme, tunc oportet, vt in potu detur in primis de aqua hordei, & secaniabin, vt aperiat vias oppilatas & propter prouocationem, & vt consumatur velociter, & illud post periodum antecedentem tribus horis, aut quatuor.* Est secaniabin syrupus acetosus, qui & cum saccharo solo, & solo melle in officinis paratur, saccharinus appellatur, acetosus simplex, mellinus oxymel, illo vtendum æstate, hoc hyeme, quia calidior, & magis deobstruens incisoriusque est, nec acetum in melancholicis Author pertimescit, quod Hippocrates 3. *de vict. acut. cap.* 3. dehortatur, sic enim *text.* 18. reliquit scriptum. Vt autem in summa dicatur, quæ ab aceto est acredo, pichrocolis magis quàm melancholicis prodest: nec intelligas, quod quia dicit, quod magis biliosis prodest, non prosit etiam melancholicis, sed minus, & inde dari acida posse; nam teste Galeno in *expositione*, est acetum

A melancholicis aduersissimum, & *in textu* Hippocrates dixit: *Nigra autem fermentantur, attolluntur, & multiplicantur, nempe nigra educit acetum.* Sed Hippocrates acetum damnat pro communi potu vsurpatum, & in maxima copia; at quod in syrupis conceditur, aqua, melle, aut saccharo, & rursus aqua hordei dilutum, leuissimam noxam, si cum vtilitate comparetur, inducit; acredinis enim, & siccitatis, & frigoris multum deposuit, quibus melancholicis nocet. Est alius scrupulus de permixtione aquæ hordei cum acidis, quam ipse author condemnat, quia acorem statim contrahit, eodem tamen modo scrupulus ille diluitur, vt dilutum acetum, & in parua copia, non potest aquam hordei acidam reddere.

Est in Auicenna caput proprium de cibatione patien- B tium quartanam, perspicuum satis, & doctum, nec expositione indigens, semper tamen vires accuratè considerabuntur; nam in tam diuturno modo victus tenuis timebitur, licet extenuans requiratur semper.

Cur verò alimentum desideratum quartanam eradicet, etiamsi prauæ naturæ sit, ingenia multorum non leuiter solicitauit, nec solùm si ingenter desideretur hoc contingit, sed etiam si casu sumatur. De primo certum esse debet, quod sæpè natura appetit, quæ directè, & omninò causæ morborum opponuntur, & quando desiderium in rem omninò oppositam, & adæquatam victoriæ morbi terminatur, mirabile non est si morbus eradicetur, neque aliter sanatio contingit: notanter dixi, si res expetita adæquata sit causæ morborum; nam sæpe natura appetit quod vni qualitati opponitur, & ex alia parte aliud virium causarum morbi intendit, C tuncque res desiderata, tantum abest quod prosit, quod soleat morbum grauiorem, & interdum lethalem reddere, vt qui inextinguibili siti frigidam ad satietatem ingessit, erat tamen cruda materia cum viscerum obstructionibus, aut cruda phlegmona cum aqua frigida intrepidè, ebibita, venenum simul ingessit, quia causa ardoris (cruda nempe materia, obstructiones stabilea, & non cocta inflammatio) exasperatur, & ad peiuius mutatur, vt dicebat Galenus *lib.9 method. cap.5.* Ad præsens quidem non paruum affert leuamen, propterea quod iam accensam febrem extinguit, verùm cùm causa eius adhuc perstet, aliam denuo accendi est necesse, atque eâ quæ præcessit, nonnunquam difficiliorem, propterea quod densatum ex frigida corpus sit. Hoc sedulò Medicus attendet, si fortè in consultatione alimentum concupitum vehementer vt conueniens proponatur, D non ita ad prauum, aut bonum succum præstaturum attendens, vt ad qualitates medicinales illius, quas si idoneas inueniat, permittet, & si non sit optimi succi, nunquam potest, quia cupidè sumptum retineatur etiam auidè, coquaturque melius; nam quod prauum est, etsi benè coquatur, nunquam præcisè consideretur, quia quatenus tale in substantiam nostram mutator, nihilque sic ad ablationem quartanæ conducit, quia ablatio operatio quædam est, qua alimentum vt tale caret omninò: superest solum quod coctio optima eius conducere queat, vt est spirituum materia, ex quorum copia causa morbi coquatur, quod est omninò ridiculum, quia prauum alimentum non potest esse idonea spirituum materia, eo ipso quòd prauum, nec si innumera copia spirituum crearetur, sufficiens esset, vt tam breuiter E melancholicos succos concoquatur; & constat planè, quia si idem alimentum à robusto quartanario sumatur, qui non dubiè melius illud concoquet, si illius abominationem non habeat, non sanabitur, vt fumitur passim à multis, & deteriùs postea se habent.

Vrget etiam quod quartanarius robustus alimenta optima, & auidè per totam morbi constitutionem deuorat, & non sanatur etiamsi facultas spirituum generatiua plus constet, & alimentum optimum, & cupidè sumptum commodior sit spirituum materia: id rectè probauit

benit Pereyra *cap.* 38. per primam methodum, neque enim robustissimus homo intra hebdomadam melancholiam concoquet, sed tempore eget longiori; quia sic petit humoris conditio, vt nec triticum in fertilissimo agro intra mensem coquetur, & maturabitur; sic sentio de alimento desiderato si praui sit succi, si autem bonum succum præbeat, & iam sit proximus finis quartanæ, probabilis est ratio adducta de perfectiori coctione, ob exquisitum complexum, coquitur enim felicius, & robur nonum acquirit natura, quo coctionem excrementorum finit, aut humorem in foco detentum resoluit, aut non generatur excrementum de nouo, à quo quartana foueatur, & sic cessat, siue quia absolutè generetur ex alimenti sumptione tota materia accessionem factura, siue ex excrementis antea genitis, & de nouo productis, integra causa coalescat; deficiet verò complementum si ex nouo alimento desiderato, & cocto perfectiùs excrementum non fiat melancholicum, cuius concursus ad creationem paroxysmi necessarius simpliciter est, & qui sic liberantur, recidiuant facillimè, si in victu, vel leuiter peccent, quia accedit concausa ad nouam accessionem creandam.

Sed cur alimentum desideratum coquatur perfectius, non videtur ratio probabilis, quia retentio alimenti, & concoctio sunt actiones merè naturales, vnde videtur quod actio appetitus locum in eis habere non possit, alioqui deuorato alimento coquendum foret, iuxta actum appetitus, quod est planè absurdum. Magister meus *fol.* 1118. Galeni doctrinam derelinquens sic loquitur: *Existimo tamen faciliorem coctionem reducendam esse ad familiaritatem, & similitudinem inter alimentum, & quod nutritur, cuius familiaritatis suauitas est indicium. At vero certum est, iam prauum posse esse alimentum, vt cum suauitate non vincatur dissimilitudo.* Quæ doctrina pugnantia planè tracta, & simul absurda. Falsum plane est, quod suauitas sit indicium similitudinis, cùm innumera alimenta cum indicibili suauitate deuorentur, & nocentissima sint, quo fit vt similitudo per suauitatem deduci non possit; & hoc falsum tradit Magistri doctrina, pugnat verò cum eo quod sit alimentum suaue, & nihilominus dissimilitudo tanta, vt superari non possit; nam si suauitas est similitudinis signum, nunquam alimentum suaue insuperabile erit, & si est insuperabile cum suauitate, vnde constat, quod suauitas sit indicium similitudinis, & familiaritatis, est enim catapotia suauis satia, & est nobis venenum, & edoctorium formidabile.

Galenus 2. *aphor. com.* 38. sic loquitur: *Quæcumque cum voluptate assumuntur, ista ventriculus amplexatur, & facilius concoquit, sicut illa quæ displicent, refugit, vnde & flatus, & fluctuationes subsequuntur, &c.* Quibus planè docet, retentricem ventriculi amplexu operantem (alia enim est sine amplexu retinens) subordinatam in opere esse appetitui, & suauitati ciborum, amplexatur enim, & vndique circundat suaues, insipidos verò & implacidos abominatur, sicque non retinens benè, quia non amplexatur vndique, fluctuant, & malè coquuntur, quia per non strictum amplexum distat ab eis, & distantia agentis cum passo actionem diminuit, vt etiam floctuatio, quæ alimentum dimouens distare etiam facit assiduè alimentum à ventriculo concoquente, per hanc aut illam partem illud separando ipsa fluctuatione, & spiritus etiam.

Ex dictis intelliges quod Magister meus meo iudicio non calluit, nempe quod alimentum, etsi prauum sit, dummodo sit vehementer concupitum, possit concedi; nam tale ad eradicandam quartanam non datur vt alimentum, sed vt medicamentum, & inde parum obstat, quod sit praui succi, vt quando nuera, aut sardinæ, aut alij pisces saliti, aut melongenæ, aut caseus, & alij cibi appetuntur, quod efficaciter antea probaui, nec aphorismus 38. *libri* 2. in sui fauorem aliquid

A facit. Dicebat Hippocrates; *Parum deterior cibus, aut potus, suauior autem melioribus, sed minus suauibus præferendus est*; nam hic aphorismus non traditur de alimento, vt medicamentoso, sed vt est præcisè alimentum: & quod sub hac ratione conceditur, non debet esse praui succi, quia datur solùm vt virtus instauretur, & hoc cibus prauus non faciet, & sic fine frustrabimur, & prauus succus addetur; at quando pro quartanæ eradicatione conceditur, non datur semper vt alimentum, sed rarissimè; sed vt habet insignes qualitates, quibus contra causam febris egregiè pugnat, & eam destruit, & potest ipsa natura petere anxiè contrarium a quo morbus ipse destruendus est.

His prælibatis in medium propones causas ob quas
B cibi in febribus dentur. Est prima humor expultricem irritans qualitate, & quantitate, in febribus enim hæ duæ causæ necessariò inueniuntur, vnde (si vt dixi nuper) ex alimento ingesto debeat creari materia, sine qua repetitio non fieret, & in alimento non detur materia, ex qua ea portio generetur; deficiet quartana. Rursus, si quia certum alimentum, quod antea sumebatur, non benè commutabatur ob defectum appetitus, & suauitatis, & detur aliud suauius, & desideratum, quod melancholiæ creandæ non sit aptius priore, occasio erit vt quartana deficiat, quia coquetur melius, & minus excrementi relinquet, sine quo quartana non repetit: sic si humor author illius acrimonia molestet, sine qua expultrix ad focum non pellet, & alimentum ingeratur mulcebrem humorem reddens, &
C acrimoniam obtundens, cessabit quartana, eodemque modo eueniet si sensus partium narcoticis torpidus fiat; nam quod non sentitur, non pellitur, quia non irritat: sic si putredo causetur ob superfluam humiditatem, non erit mirum si alimenta sint exsiccantia nimia, quartanam deficere, quia impeditur excrementorum putredo, sine qua febrem creari repugnat; si verò incendium alicuius partis sanguinem melancholicum trahat, & creet quartanam, quæ vehementer instigidant, si eam partem attemperent, aut in contrariam distemperiem permutent, febrem omninò eradicabunt. Sic vidi sæpè, quod qui frigidam copiosè bibunt, in cachexiam mutentur cessante quartana, quia frigus à succis crudis proueniens, calorem foci non solùm remittit, sed destruit omninò,
D & totum corpus in contrarium habitum, pituitosum nimirum mutatur, cum insigni periculo hydropis. Sic in prauo alimento vis loci prouocatiua, aut deobstruens, & detersoria esse potest, quæ cruda obstruentia detergens, & crassa incidens, putredinis radicem destruit, & inde quartanam; qua ratione esus sardinarum contulit sæpè, ob detersoriam, & resolutoriam virtutem.

Sic animi passiones vehementes bifariam febrem eradicare solent, & quia animi distractione sensum vt narcotica impediunt, quod tradunt omnes, & minus mihi probatur, quia subitus timor, aut ingens gaudium, etsi paucissimum durent, eundem effectum præstare solent, longius tamen multò tempus in rigore quartanæ absumendum erat; vnde nisi humor dissipe-
E tur, aut ad alium locum transferatur, sedata iam passione vt redit sensus, & mens, redibit etiam accessio, vt redit dolor si maneat obiectum quod præ animi turbatione non sentiebatur; ergo animi passiones, quia causam resoluunt, aut ad aliam partem mutant, febrem exstirpant. Sic magnus timor ingenti caloris retrocessu humorem resoluere potest, aut commotione insigni, & tremulo motu totius, causam febris à foco separare, & non putrefiet: qua ratione medetur singultui, aut impediet motione, & vibratione inæquali, quod ad focum mittatur: sic gaudium magnum, quia extra corpus impetuosè mouet humores, quartanæ medetur, extra enim pelluntur, quæ ad focum transmittenda erant; ita verò calore, & inæquali motione ad extra præ-

cipuè eundem præstat effectum, quia partim resoluit, partim commouet, & ad diuersa trahit. Lege Hippocratem 2. *epid. sect.* 4. *text.* 1. in quo motiones ex animi passionibus oriundas, ad morborum sanationes commendat, & Vallesium doctissimè, vt solet, illum declarantem, & Petrum Estebe Valentinum non minori doctrina, & elegantia ornatum.

SECTIO I.

De Potu in quartana.

RAro priuilegio in principio quartanæ vinum concedunt, cùm in aliis febribus, aut non conceditur, aut non nisi concocta iam materia: sic Galenus 1. *ad Glauconem*, & Princeps *in hoc cap.* dixit: *Et vinum clarum, subtile, album, est iuuatiuum:* & meritò pro medela quartanæ ex melancholia naturali extollitur, quia calidum, & humidum cùm sit, frigus, & siccitatem melancholiæ corrigit, & cùm melancholici vitali calore depauperati agnoscantur, & sint, & nihil spirituosius vino generoso agnoscant, summum remedium eorum est, detergit etiam, lotium prouocat, & cruditates emendat, somnumque conciliat, & quia tam spirituosum est, cor vna exhilarat, vt vere dicas vinum generosum & album, antidotum stomacum esse melancholicorum, & laborantium quartanis, quod etiam sacra pagina testatur, dum mœrentibus syceram, & vinum iis qui amaro sunt animo præbere consulit. Vnde constat aduersissimam ei esse aquam frigidam, quod etiam in *hoc cap.* Auicenna testatur dicendo; *Et prohibeatur ab aqua frigida illa die:* loquebatur verò de die paroxysmi, in quo si frigida danda non est, minus in aliis diebus concedetur, cùm calor non sit præter naturam corrigendus, vel sitim, vt in die paroxysmi excitans, & cùm lien sit viscus, quod in quartana patitur, & obstruitur, debilisque sit, magnum detrimentum aqua frigida afferet, quoniam lien vsu illius effeminatur, obstruitur, & scirrhoso reddito à frigore aquæ congelante, in hydropem desperatam quartana mutari solet.

Idem consilium pro quartana pituitosa tenendum. Quæ verò ab atra bile originem duxit, ex bilis vstione vinum reformidat, & potu aquæ frigidæ sanatur, vt nos non semel vidimus; iecur enim calidum & siccum sanguinem vrens, & melancholicum reddens, vino excandescit, & sanguinem vstum feruere cogit. Vidi semel quartanarium tam desperata siti in ipso rigore oppressum, quòd cum siti ardentissimæ febris comparari non posset, in quo tam graue symptoma iecur, & ventriculum vri, totumque sanguinem atrabiliarium vstione esse redditum planè ostendebat, & in ipso rigore intus retractus tam clamosam sitim causabat, vt nisi tunc potus concederetur, velut rabie percitus animo linquebatur: iis aquæ potus vtiliter datur, constatque experimento eos sanari, & nos etiam vidimus.

Si verò vinum bibere formident vt solent plurimi ex propria natura abstemij, aut fœminæ vinum velut turpissimum potum, & publicum dedecus effugientes, coquenda aqua est floribus borraginis, & cinnamomo, aut condrilla, & cariophylis, aut corticibus citri, aniso, fœniculo, aut apij radice & ligno aloës si ventriculus langueat, & obstructiones fatigent; quia verò lien obstructus, & debilis malum hoc diuturnissimum cum hydropis periculo reddere solet, aqua decocta asplenio, aut myrica cum cinnamomo, aut cariophylis, velut antidotus habetur. Sunt qui aquam exquisitè chalybeatam & cum carne passularum decoctam pro liene indurato & obstructo extollant, aut cum corticibus myricæ, & passulis sine granis, imò ex ligno tamarisci vasa efformant, in quibus communis potus multò ante pastum infusus detinetur, vt ex ligno virtutem mendicans lienem

A absumat. Quam praxim Pereyra condemnat *fol.* 750. eò quod in myrica virtus astrictoria à Dioscoride, & omnibus admittatur, aduersa omninò curationi huius febris, & deobstruentia requirentis; & cùm lienem absumere Dioscorides, & omnes cum experimento suadeant, putat ille non aliter hunc effectum præstare, quàm immoderata astrictione melancholicum succum impactum in liene exprimendo, velut si spongiam aqua plenam comprimeres, eodemque modo lieni obstructo aquam chalybeatam succurre.

Huius authoris censura admittenda non est; absurdum quidem est quod tamarix, aut aqua chalybeata exprimendo excrementa imbibita lienem deobstruant, cùm idem quæcumque astringentia operarentur, quod est tam falsum, quàm quod falsissimum, imò lien obB strictus vsu astringentium tantummodo tophaceus fit, & immedicabilem duritiem contrahit, nec in aqua decocta tamarisco tanta vis astrictoria elucet, vt expressione excrementa inhibita trudat, alioqui si manu vehementer comprimeretur, liberaretur lien ab infarctu crassorum, cùm multò efficacior compressio quàm aqua illa, aut chalybeata efficeretur: & cùm durissimus lien, & tensus sæpè percipiatur; quomodo compressione tam leui crassos succos exprimeret, quando tensione propria impellenti manui vehementer etiam resistat, & in se non contrahatur; esset etiam perniciosus vsus talium auxiliorum, si tam efficaciter comprimunt, quia omnia vasa obstruerent, aut oscula eorum, & ventilatione prohibita febres excitarent, anaC stomosimque prohiberent. Ignorauit multa ille author; primum quod humores iam in liene impacti durum illum reddentes, & schirrhosum, liquidi non sunt, nec mobiles compressione: secundum, quod tamarix, & partium tenuitate, & quod certius est, nitrosa natura lienem deobstruit, vt aqua chalybeata sulphurea virtute in aqua derelicta: tertium quod astrictio moderata operationem quamlibet iuuat, & vim deobstruentem intra partes plus recondere facit, vt de astrictione olei rosacei Galenus docuit, & cùm robur visceribus moderata astrictio conciliet, id habet tamarix insigne, quod deobstruendo, & sic ex accidenti laxando, & extenuando per se, laxitati, & raritati debilitantibus viscera, moderata sua astrictione opponatur. Experimento constat carnes cuniculorum habitantium D in locis tamarisco ornatis, sapidissimas, & salubriores esse, quia salsuginem tamarisci assiduè cuniculi lambunt: horum esum in suo theoremate practico Mena noster extollit, cui fido minus; quoniam vt rectè Cardanus, melancholici sunt, quia ad leporum naturam proximè accedunt, quod si non credas, quia tam facilè à morte putrilaginem, eamque abominabilem contrahant, id ipsum reprobat satis eorum esum, cùm sanguinem tam malignæ corruptioni paratum necessariò præbeant, si nata proprietates à quibus nascuntur æmulantur, vt omnes Philosophi cum Galeno tenent.

E

SECTIO II.

De duplici occasione curationis quartanæ.

PRinceps noster postquam in principio capitis sanguinem mittendi præcepta retulerit, rursus ad medium capitis sic fatur; *Cùm ægritudo digesta est, tunc bonum est phlebotomare è basilica.* Quem locum Magister meus cum aliis exposuit, non de vera coctione, sed de permixtione humoris melancholici cum sanguine, sine qua in principio diximus sectionem venæ non leuiter læsuram. Vt enim in aliis putridis febribus coctio materiæ ad secandam venam non expectatur, non est ratio peculiaris, in quartana esse sperandam suadens; ego verò censeo textum allatum de coctione esse intelligendum,

quia digestio in doctrina Auicennæ coctionem propriè A significat, tum etiam quia verba authoris apertè reclamant; dicit enim, *tum ergo ægritudo digesta est, &c.* digestio verò ægritudinis de causæ permixtione dici non potest, sed de coctione vera, in quo sensu innumeræ sententiæ Galeni inueniuntur morbum coctum esse dicentes: quod etiam constat, quia in principio capitis longè explicuerat inconuenientia sectionis venæ, quando non conuenit, & qua ratione sectio imperanda sit, & de vera coctione intelligit Auicennam Iacobus: & constat clarè, quia post huiuscemodi auxilium consequenter medicamenta fortiora expurgantia proponat, quæ nec materiæ cruditate imperari possent, vt ipse in principio capitis rectissimè docuit, & vomitum etiam cum validioribus consulit ad eradicandam quartanam, B & mihi videtur præceptum considerabile, & imitandum.

Ergo in mea doctrina duplex in quartana secandi venam occasio inuenitur. Prima in principio vniuersali, iuxta omnium putridarum communem methodum, obseruando præcepta à nobis tradita, quo auxilio plenitudinem tollimus, vt obstemus, ne febris aliqui secura in aliam deteriorem moueatur, corrupta plenitudine à calore febrili, aut quartana ipsa duplex, aut triplex fiat, & etiam vt ipsa simplex permanendo, lenioribus accessionibus, & breuiori constitutione molestet. Quia verò præ diuturnitate redditur fastidiosissima, & omnia tempora longissima offert, occasio secundæ curationis est, quando coctionis signa manifestari incipiunt euidenter; sic enim augmentum, in quo iam est, vigor, C & declinatio breuiantur, si tunc vena secetur, coquantur humores perfectè, & fortioribus medicamentis melancholia educatur, vt tandem theriaca, absinthij succo, aut cyreniaco, aliisque innumeris eradicetur omninò: extra me hodum enim mihi videtur, quod etiamsi in initio vena secta fuisset, & per totam hyemem quartana molestaret, & in fine hyemis cocta appareret materia manifestè, expectaretur sine venæ sectione reiterata tunc coctio perfecta, & medicamenta expurgantia fortiora impetarentur, nam cùm coctio iam lentè in hac febre procedat, & ineunte vere crassa, & cruda excrementa liquari incipiant, & liquatione nouiter vasa repleant, ventilationemque minuant, & nouæ putrescentiæ occasionem concilient, irrationabile censeo rursus non secare venam, & radicalem D medelam consequenter perficere; & hoc est præceptum nostri Principis sectionem venæ laudantis, quando ægritudo digesta est, cum aliis auxiliis ab eo relatis, vt tam contumax affectio dometur.

Illud verò è memoria non excidat, sæpe contingere, quod in quartanæ initio magna cibi abominatio infestet, vt exemplo Ortianactidis 7. *epid. text.* 40. ostendit Hippocrates; est verò indicium malignæ putrescentiæ excrementorum primæ regionis illud symptoma, quod comitari solent nausea, vomitus, & anxietas, & summa extenuatio per consequens superuenit, quæ turbatio, si immodica sit, inedia, vomitibus, & concussione inanis nauseæ materia tota commouetur, & expurgatur, & absumitur, & (vt notat Vallesius) quinque aut septem circuitibus exacta liberantur omninò; liberantur verò quia tota excrementorum colluuies priorem regionem solùm occupabat, & in cauitatibus communibus, atque inanitatibus, non intra vasa stabulabatur, nec potuit infectio primæ regionis sanguinem vasorum contaminare. Sic etiam Brassauolus 2. *aphorism. com.* 32. experimento agnouit, quod quartanarij in initio cibos abominantes citius conualescebant quàm benè appetentes, etsi hoc aliam causam habere potest, inedia nimirum concoqui, & resolui superflua. Alij verò qui contagium vasorum effugere non potuerunt, post tantam abominationem ciborum expurgata modo dicto prima regione, cibos ap- A petere incipiunt, & quartana per totam hyemem protrahitur, estque mihi obseruatissimum, statim vt Sol incipit ad nos accedere, in melius appetentiam mutari, & leuius accessiones affligere; Sol enim quartanas, & morbos chronicos indicat, vt Luna acutos. Hoc dixi vt si tale fastidium cum nausea, vomitibus, & anxietatibus in initio quartanæ appareat, secanda vena non sit, sed vomitus iuuandus, & clysteribus tum leuioribus, tum etiam fortioribus eductio excrementorum primæ regionis solicitetur, & si opus videatur, etiam leniente medicamento, & si lurium inculpatum appareat, breui soluendam esse quartanam sperandum est, innuit enim sanguinem inculpatum esse, & corruptioni resistere: medicamenta melancholiam præparantia, & educentia innumera sunt, vt vsque ad libidinem authores scripserunt, quos consule, quando tam longa morbi B constitutio tempus idoneum vt omnes consulas, offeret tibi.

Quod vero controuersum video apud authores, est si sectio venæ internæ, aut saluatellæ sinistræ in die accessionis imperanda sit; vidimus enim ex Leonelli Fauentini experimento probatam, & stabilitam esse ad eradicandas quartanas, & quod magis est, absque signo coctionis; *modus (* inquit *) in curando quartanam est post euacuationem (* vt expertus sum pluries *) facere phlebotomiam hora reuolutionis de basilica leui brachij.* Hieronymus Montuus *tractatu de febrib. lib.* 4. *cap.* 9. euentum mirans scripsit: *Petenda ratio est, cur saluatella sinistræ manus vena sectio in hora paroxysmi facta, multos à quar-* C *tana liberauit, cuius euentus testes sunt Doctores non ignobiles Galeatius, & Valescus.* Valescus verò *lib.* 1. *cap.* 12. sic scriptum reliquit: *Phlebotomia de saluatella sinistra manus in hora accessionis curauit multos me vidente, quamuis sit contra regulas artis.* Quam praxim Mercatus sequitur *lib.* 6. *cap. proprio*; dicit enim quod secanda vena saluatella est pridie ante accessionem, vel in ipsa lunæ coniunctione, vt docent aliqui, vel in principio accessionis, vt Philonius testatur, qui plurimos ab importunis quartanis tali remedio liberatos vidit; fuit Cardanus qui hora coitus lunæ eam venam secabat, & multis prodesse vidit, vt constat ex *arte parua* ab eo scripta. Quinimò, non solùm in quartana, sed in omni alia febre periodica in die paroxysmi secare venam, velut expertissimū, & à multis obseruatum Otheos tra- D dit in propriis obseruationibus, & talem praxim suadet, quia contra experimenta ratio nulla in contrarium valida esse potest, sed ex ignorantia causarum, ob quas tam admirandi effectus eueniunt, opinio contraria stabilitur, seducti opinantes, quòd quando morbus minus opprimit, & natura patitur minus, sint celebranda remedia, vnde Otheus tum experimentis propriis, tum Arnoldi authoritate, id se vidisse sæpius feliciter affirmantis ita loquitur: *Si itaque vires constent, etiam die paroxysmi sanguis educi potest, & fortè vtilius, quia natura tunc iuuamen in expellendo, & secernendo vitioso sanguine Medicum habeat*; ex quo intelligitur, non omnino ratione carere, quod multi in die paroxysmi phlebotomia iuuentur, materia enim febrem promouens faciliùs mota, quàm non mota educitur.

E Mihi videtur id esse rationi consonum in ægris robustis post totius euacuationem, & si fieri possit expurgato iam corpore, quando coniectura probabilis est, accessiones repetere potius materia genita de nouo, & ex paroxysmis immediatis cineritium derelictum esse occasionem noui paroxysmi, ita vt si antecedens paroxysmus impediatur omninò, eradicetur etiam totaliter morbus, quia si materia antecedens genita supponatur pro aliis, & multis accessionibus, extra methodum censeo hora paroxysmi venam secare, quia etsi ille impediri, aut minui multum possit illo remedio, non deficiet antecedens materia morbum deinceps reiterans. Ratio à priori est, quia materia tota, quam natura ad

focum

focum erat expulsura, extrahitur secta vena, & reuulsio magna tunc fit quando natura ad focum humorem vitiosum iam mittere determinabatur, & vi talis auxilij ad contrarium trahentis, & cogentis naturam ne ad partem consuetam mittat, impeditur paroxysmus, & ex consequenti quartana, quia eius pertinacia ex cinericio derelicto ex antecedente accessione continuabatur non secus ac contingit sanguinis profluuium secta vena velut miraculosè, & inopinatò cessare ob retractionem in contrariam partem efficacia remedij; & hoc est quod dicebat doctissimus Montanus, nimirum, quod per missionem sanguinis expultrix facultas à suo munere, & officio auersa fuit, & non reiecit ad focum; vnde videtur probabile, quod Nicolaus Nicolus docuit, nempe quod sectio venæ fit de saluatella sinistra, aut ambabus, aut saphænis, nam ratio ex reuulsione & distractione naturæ in omnibus currit; verùm si pars affecta agnoscatur, certior erit effectus, si ex vena locum affectum, & transmittentem respiciente sanguis mittatur, quia maior copia succi transmittendi attrahitur, ob quod in quartana sinistra saluatella secatur, aut vt Leonellus, interna sinistra, quia semper ferè lien obstructus in ea inuenitur. Constat verò ad huiusmodi remedium parum interesse, quod signa coctionis appareant, quia nec illud, nec reuulsoria retractio coctionem requirunt, & si lien obstructus, & tensus sanguinis missione deobstruitur, & laxatur sine coctione materiæ, impertinens esse videtur: quod verò laxari sine coctione possit, constat planè ex curatione iecoris inflammati, aut pleuritidis, quam missione sanguinis vsque ad mutationem coloris Hippocrates curat, & omninò delet extrahendo materiam in partibus impactam. Eandem sectionem parum ante horam accessionis celebratam Pereyra commendat, dummodo obseruetur, quod nedum frigus, aut rigor quando vena secatur instet, aut in alio tempore, quam hyemis fine, aut vere fiat: addere debuisset, & si quartana æstiualis fuerit, auxilium imperabitur ante hyemem.

Maxima cura lienis, & ventriculi habenda, hic roborabitur, ille deobstruetur, aluus lubrica magni momenti est, ne crudirates melancholicis tam inseparabiles ad vasa distributæ perniciem afferant, hyrudines hemorrhoïdibus applicatæ ab omnibus extolluntur, vnde *in sua empyrica* Fauentinus *fol.* 480. sic loquitur. *Et attende quod iis peractis phlebotomiis, vidi ex experientia, quod si post sex dies apponantur hyrudines hemorrhoidibus ægrum liberari à quartana.* Et hoc auxilium meo iudicio in die accessionis imperari deberet ob dictas nuper rationes; & quia minus quàm venæ sectio debilitat, & si hanc praxim secandi venam in die accessionis imperaueris in ægris (vt dixi) robustis, vt eradicetur quartana, largior erit euacuatio, & postea medicamentum aliquod propinabis, quod à proprietate vt dicunt quartanas exstirpet. Est verò proprietas certior narcotica, nam cùm natura accessionem non excitet, nisi prius irritetur, stupore inducto cessat expulsio ad focum, & consequenter paroxysmus, & morbus: nec censeas (vt putant ferè omnes) quod virtus narcotica in nimio frigore consistat, est enim res diuersissima, & in multis rebus calidis satis inuenitur; quis enim nisi stolidus credat, quod grana duo laudani opiati tam validè faciant dormire, quia ex ventriculo vsque ad cerebrum tam intensum frigus producant, vt omnes sensus torpore hebetescant; horum auxiliorum multa retulimus in propria quæstione omnium febrium remedia continente, ad quam recurres si aliquod experiri velis.

Verùm quia innumeris experimentis constat per magnum timorem intempestiuè, & præter spem inductum eradicari quartanas, consultissimum fore censeo, si non semel, sed pluries id procuretur, estque consilium Hippocratis 2. *epid. sect.* 4. *text.* 8. dicentis: *Curandum iram inferre, & reuocandi caloris causa, & effusionis suc-*

A *corum, & lætitiam, & timorem, & huiusmodi: atque si aliud corpus simul ægrotet, simul curare; si autem non, hoc.* Constat verò id tentandum esse, quando proxima iam operatur accessio, nulla enim melior occasio potest offerri. Et miror certè, quod auxilium tam securum, & facile non imperetur, & repetatur sæpius, in singultu quidem tam violento, & assiduo quod per diem integrum loquelam omninò destruxit, vt nisi per signa ægrotus mentem, & peccata exponeret: ex multis auxiliis pro tam desperato symptomate nullum ita profuit, vt timor magnus ex igne accenso; quo æger putauit se cum domo periclitaturum si celerrimè non effugeret, sic fecit, in ipsa violenta, & impetuosa fuga integram fere salutem restaurans.

Notabis verò quod Hippocrates bifariam censet animi
B passiones morbos auferre, & reuocatione caloris, & effusione succorum, quibus etiam modis vomitus quartanas rebelles mirè eradicare solet; nam & calorem excitat, & excrementa tenaciter hærentia commouet, effundit, & educit, estque sæpius potentior quolibet alio auxilio, & ita Galenus *de theriaca ad Pisonem*, vomitu à cœna, succo absinthij, & theriaca quartanas exstirpat: sine ratione que Pereira *methodo* 14. minus quàm Galenus theriacæ tribuit, quia narcotica partim est ratione opij, decipitur enim (vt decepti sunt hactenus multi) putans opium frigidum esse, & frigore somnum conciliare, quod falsum est, cùm sit calidum, & virtus narcotica (vt nuper dixi) à frigore diuersissima sit, vt in myrrha, styrace, thure, laudano, & aliis innumeris calidissimis inuenitur. Et ratio vera ob quam
C theriaca paroxysmos abigit, est vis illa narcotica, quia sensum molestiæ expultricis obtundit; alia quia melancholiam ex liene expurgat, vt *eodem libro* Galenus docet; alia quia mouet ad cutem, & sic humores accessiones facturos à foco distrahit, & ad diuersam partem inclinat, & est theriaca velut ignis corpus expurgans, & defæcans humorum resolutione, naturam mitè roborat, vt opus quodlibet sibi conueniens felicius perficiat, freque quartanas diuturnas superat, & ceruicosas domat, si sit vt decet præparata, ob cuius defectum, & non fuit in cassum sæpe adhibetur, nisi debita occasio à Medico ignoretur.

D

* *Cap. LXVII. Auicenna includitur in antecedentibus de Quartana.*

CAPVT LXVIII.

De febre quintena, sextena, septena, & similibus illis.

E DE his febribus per rariores periodos repetentibus agit in *hoc cap.* author, quia contradictionem inter Hippocratem, & Galenum inuenit. Hippocrates enim 1. *epid. sectione* 3. *textu* 7. sic scripsit. *Septimana longa est, non lethalis, nonana hac longior, etiam non lethalis*; & *text.* 9. dixit. *Quintana pessima est omnium, etenim, & ante tabem, & iam tabidis superueniens perimit.* In expositione prioris loci Galenos putat probabilius, quod septimana, & nonana, & si qui sint alij circuitus rariores, non pendeant ab alia causa, quàm à vitio regiminis, & quia vitium illud potest esse vniforme, accumulatur etiam determinato tempore excrementum accessionem facturum, & sic 5. 6. 7. & 9. ordine certo repetere; vulgus verò quia vniformem repetentiam considerat, putat ab

humo

humoribus eos circuitus pendere, à quibus quotidiani, tertiani, aut quartani, cùm tamen sine illis humoribus possint euenire ob congestionem excrementorum ex improspera coctione modo nuper dicto. Et quantum ex lectione Galeni potest deduci, hos circuitus non fuit expertus, & numerando diuersas periodos dicit, quod eodem modo de quartanis intelligenda sit eius doctrina, etiamsi fateatur 1. *epid. sectione* 3. *textu* 2. se vidisse circuitus quintanos, obscuros tamen, nec ita perspicuos, vt quotidianos, tertianos, & quartanos; cur verò dicantur obscuri à Galeno docuit Gentilis, quia nimirum, quartanæ quædam postponebantur vsque ad finem quartæ diei, & quia accessio extendebatur vsque ad diem quintam, videbatur quintana etiam, si reuera principium accessionis intra quartum daretur.

Verùm quæstio non est de possibilitate horum circuituum, nam eam fatentur omnes, & Galenus ipse *text.* 7. *citato*. Sed dubium est, si tales circuitus tardantes vltra quartanum, oriantur ab eisdem humoribus, à quibus quotidiani, tertiani, aut quartani creantur: Galenus dubius est, & partem negantem vt probabiliorem insinuat; sed omnes pendere ex excrementis ob improsperam coctionem accumulatis, & quia talis aggregatio vniformis esse potest, si seruetur idem modus cibandi, inde & repetitio certa esse potest per quintos, octauos, aut nonos. Dubitat tamen Gentilis, an hæc materia ex infelici coctione accumulata, sit quid diuersum à melancholia, pituita, aut bile, & in solutione tam obscurè loquitur, vt ipse Galenus *in com. text.* 7. *citati*. Dicit Gentilis, quod hæ febres periodicæ sunt ex motibus humorum, quia sunt sub formis humoralibus, & mouentur in certa periodo ex natura humorum & determinata dispositione corporis omni circumscripto ad extra in tempore harum febrium, sicut apparet in habente tertianam, cuius paroxysmus omni die tertia conuertitur, etiamsi perfectissimè regatur à Medico: & concludit, quod Galenus non admittit quintanas, aut longiores repetitiones sine occasione regiminis, idest siue creatione noua excrementi inter vnam, & aliam repetitionem, caussata ex alimento de nouo assumpto, quod est dicere, si aliquis in sextanam incideret, quia materiam eius, & occasionem ex praua cibatione contraxit, & per totos sex dies non ederet, cessaret omninò sextana, quia cessauit occasio prauæ cibationis: idemque censeo venturum, si cibatio mutaretur in quantitate, & qualitate ciborum: saltem erat necessarium quod circuitus diem mutaret, quia creatio excrementi non potuit non esse diuersa & varia in quantitate, & qualitate, si in illis duabus mutatio in alimentis præcessit, & sic etiam videtur intelligere Galenum Auicenna in *hoc cap.* dicendo; *Et cùm reiteratur* (regimen videlicet) *facit necessariò in huiusmodi hora illam febrem, & si dimitteretur, & rectificaretur, non faceret.* Et quia verbis adductis obscura satis doctrina Gentilis apparebat, explicant illam sequenti exemplo: *Aliquis conualescens ab vna longa febre omni mane comedit ficus, accidit, quod omni septima die ex mala illarum digestione, & lacticinio, aggregatur aliquid circa mesaraicas, vel alias partes, quod non habet veram formam humorum, & illud corruptum facit febrem omni septima die, & si illud haberet veram formam humoris alicuius, non faceret septenam febrem, sed si esset cholera faceret tertianam, & sic de aliis, & hæc fuit intentio Galeni sine dubio in epidemiis, &c.* Ex quibus patet, quod circuitus longiores quartana, non fiunt ab aliquo humore ex naturalibus, sed ab aliis excrementis omninò ab humoribus diuersis; & ratio à priori est, quia humores naturales quando putrescunt, aut vruntur, nequeunt vltra quartum diem suas periodos differre, sed pituita quotidie, bilis per tertios, melancholia per quartos repetit, & inde longiores circuitus aliam radicem, diuersosque humores requirunt.

A Sed noster Princeps aperrè contra Galenum sentit, quod non sit necessarium ad tales circuitus longiores quartana, vt prauum regimen præcedat, nec vitium aliquod in coctrice facultate, quod materiam distinctam ab humoribus naturalibus, aut præternaturalibus generet, vt tales circuitus longiores eueniant, sed omni bono, & exquisito regimine concesso, nulloque vitio in coctrice admisso, quintanam creari posse. Ratio Principis est, quia materia quartanæ ob maiorem vstionem crassior reddi potest, & potest simul esse in minori quantitate, eò quòd euacuationes plurimæ, aut frequentes fiunt, tuncque & ratione crassitiei, & ratione minoris quantitatis tardius quàm per quartos repetet; nam crassities ob duo paroxysmum remoratur, & quia resistit magis qualitati inducendæ à contrario

B humores ad paroxysmum corrumpente, & quia quod crassius est, mouetur necessariò tardius ad focum; & hæc duo sunt euidentia in Philosophia: ergo absque vitio coctricis, aut praua victus ratione, potest quintana fieri, quia ex pauciori materia tardius accumulatur quantitas ad accessionem necessaria, & si sit crassior, tardius quàm antea corrumpitur, & pigrius etiam ad focum mouetur, ergo tardius repetet: imo respectu humorum naturalium potest non leue argumentum confici, nam si circuitus illi longiores à Galeno admittuntur ob congestionem certi excrementi ex praua victus ratione, concedendi etiam sunt ex humoribus naturalibus. Patet, quia nulla repugnantia potest adduci, ob quam implicet eodem tempore, in quo error in victu illa excrementa accumulat, accumulari melancholiam, aut pituitam; & sicut illa putrescunt, quando iam sunt

C accumulata in certa quantitate, ita melancholia, aut pituita putrescent, & excitabitur paroxysmus tardior, quia tarditas eius dependet in doctrina Galeni, ex tarditate congestionis, ob vitiatum modum cibandi; ergo si detur idem vitium in distemperie, plus melancholiæ, aut pituitæ, quàm naturaliter conuenit generante, resultabit eodem tempore paroxysmus ex naturalibus humoribus. Rursus idem vitium quod in ficubus Gentilis admittit, ex quo excrementum illud ab humoribus distinctum generatur, & septenam fecit, potest non dubiè dari in alimento maiorem copiam melancholiæ, aut pituitæ ex se præbente, quomodocumque coctrix se habeat; ergo non repugnabit, quod ex tali alimento congeratur intra septem dies copia requisita pro febra

D eo die inducenda, seruando vniformem modum in cibo, vt in sua opinione Galenus concedit.

Nec obstat si dicas negari non posse, quod argumentum intendit de congestione vniformi melancholiæ, aut pituitæ; verùm non probat de productione qualitatis putredinalis in tali materia; illa enim certum tempus requirit, vt introducatur, & sic in excremento diuerso tempus diuersum requiret, eritque excrementum, quod septem dies requirat, vt quod facit septenam, & sic de aliis: & cùm melancholia per quartos, pituita quotidie, bilis per tertios repetat, implicabit ab iis tardiores circuitus creari, quia etsi congestio fieri possit diuersis diebus, tamen putredo, aut vstio inducenda ad caussandam febrem fiet in pituita quotidie, & in bile per tertios, & in melancholia per quartos. Hæc sola

E fuga in opinione contraria, meo iudicio inueniri potest, quæ sequenti doctrina planè conuincitur ad probandam possibilitatem tardiorum circuituum ex humoribus naturalibus, quod sic probo. Pituita intra diem putrescit, bilis per tertios; ergo si in quatuor diebus accumuletur quantitas pituitæ, vt mittatur ad focum, repetet die quinto, & si bilis intra diem tertium accumuletur, repetet etiam quinto; & idem in melancholia continget, si in duobus diebus idonea quantitas colligatur, & aliis duobus indiget, vt concipiat putredinem: & quodcumque tempus pro concipienda putredine assignes cuilibet humori, idem argumentum conficietur,

&

& habet eandem vim; quia collectio excrementorum insignem variationem admittit, vt est quantitas alimentorum diuersa, & in eis datur maior dispositio materialis, vt ex illis copia maior huius, aut illius excrementi creetur. Et in mea doctrina docente quod quilibet humor potest repetere vario tempore, negari non potest, quod ex quolibet humore quilibet circuitus excitari possit, & de melancholico humore asseuerante nostram sententiam tenet Vallesius 5. *controuers. cap.* 25. docendo, quod quintanam, & alios circuitus tardiores efficere possit, ex bile verò, & pituita esse possibile negat: quia (inquit) si bilis in tam pauca copia colligatur, & non valeat tertio quoque die irritare, discutietur tota, aut per iudicium vacuabitur, ita vt nulla febris repetat, aut calore membrorum in aliam speciem humoris mutabitur, idémque de pituita docet; doctrina quidem ad respondendum parata, sed minimè probabilis, tum ob argumentum à me adductum: tum etiam, quia non probat, quod pauca pituita, quæ intra diem collecta non potest ob paucitatem febrem excitare, debeat necessariò resolui, aut vacuari per iudicium; vnde enim id deducitur, si expultrix sit debilis, corpus obstructum, aut calor partis intra quem colligitur, remissus satis, ita vt resolui, aut expelli non possit: manebit ergo tunc intra partem, donec sequenti die accumulentur noua portio, quę antecedenti adiuncta accessionem excitare possit per tertios; nec aliter repetit in tertiana notha, vt contra Gentilem, & Magistrum meum efficaciter docui: tum etiam quia remissus calor partis, aut naturalia, non mutat humorem naturalem in alios, & quando aliquis humor intra vasa colligitur, aut accumulatur, implicat quod in alium à calore vasorum mutetur, quia in illis non continetur, vt in loco in quo à temperie eorum corrumpi possit, sed vt maneat cum sanguine admistus, vt est euidens; ergo rectè intra vasa paulatim congeri, & accumulari pituita potest, vt non quolibet die detur congesta sufficiens quantitas ad excitandam accessionem, & in illis non mutabitur in alium humorem, nec resoluetur, quia alioqui non poterit paulatim congeri humor, qui in die congestus morbum aliquem creet, quia aut mutabitur in alium humorem, aut a calore resoluetur, quod est planè falsum, cùm videamus crebrò anasarcam paulatim creari, & ictericiam, & elephantiasim, malancholismque morbum, & omnes tumores præter naturam paulatim à congestione creari posse, concors est Galeni, & chirurgicorum doctrina.

Et argumentum quod contra Hippocratem Galenus conficit, potest in Galenum efficaciter retorqueri. Dicit Galenus, si tales circuitus darentur ex naturalibus humoribus, apparerent frequentiores, & omnibus essent notissimi, quia non minus quàm reliqui circuitus apparerent, si dependent ex similibus humoribus. Idem ego contra causam Galeni infero. Ipse putat, quod ex malo regimine, seu deprauata victus ratione tales circuitus originantur; sed hæc causa tam frequens est, vt nulla possit esse frequentior, vt ipse mille in locis testatur: quomodo ergo tam infrequentes sunt circuitus illi, nescio quid respondere posset. Rursus nulla occasio maior morborum febrilium, quàm praua victus ratio à nobis quotidie visitur; & nihilominus in tertianas, quartanas, & malignas alias continuas febres, atque quotidianas ex tali causa passim homines incidunt. Ergo praua victus ratio communis est omni generi circuituum, & sicut ex illa in quotidianam, tertianam, & quartanam incidimus, quia certis temporibus excrementa, aut humores generantur, & accumulantur, sic in longiores circuitus incidere possumus, quicquid fuerit, quod præter naturam ex praua victus ratione emanauerit. Ego quidem Parochum vidi, qui ex longo icterico morbo in quintanam vltra annum durantem incidit, præcepti medicorum obseruantissimum, à

A qua tamen extinctus fuit, erat enim senex, & nihil tam religiose vt victus rationem obseruauit; in illa enim totam salutis spem collocauerat, quoniam auxilia reliqua abominabatur, & nulla capiebat; & Pater meus ex paralysi dimidij corporis, & linguæ post longam medelam à medicis extenuatus, in quintanam incidit, & vt fuit mihi relatum tertia quintana illum interfecit præter medicorum spem. Alium vidi quintana à primo insultu oppressum, ex pituita vt per signa constabat pendente, à qua sine medico auxilio breuiter fuit liberatus. Putandum ergo est concursum causarum ad perseuerantiam circuituum tam longorum rarò copulari posse, & sic rarissimè contingere, & à quolibet humore causari posse, frequentius tamen à melancholico, &
B pituitoso, & ita Princeps noster *in hoc capite* hanc duplicem causam enumerat, dicendo; *ista generantur ex materia homogenea materiei quartanæ, sed est minor, & grossior, & plurimum quidem fiunt ex melancholia phlegmatica.* Hæc dicta sunt contra explicationem Gentilis putantis quod Galenus docuit huiusmodi longiores circuitus non posse fieri ab aliquo ex humoribus naturalibus, sed esse alia excrementa omnino distincta.

Melior mihi videtur explicatio Iacobi; putat enim mentem Galeni fuisse, quod tales circuitus creentur solùm ex praua victus ratione, taliter quod tota materia genita in corpore absumatur in quolibet paroxysmo, ita vt si deinceps æger cibum non caperet, non superueniret nouus paroxysmus, quia si melancholia, aut pituita, aut bilis in copia sufficiente pro generatione
C plurium accessionum præsupponeretur, non efficerent accessiones tam tardas, sed pituita quotidiè, bilis per tertios, & melancholia per quartos repeteret; at in aliis longioribus circuitibus tota materia in quolibet (vt dixi) consumitur, vt contingit in accessionibus epilepticis, per tam longa interualla repetentibus, quas à pituitoso humore, aut melancholico pendere, Galenus docuit, & etiam à bile. Vnde constat planè, quod ex longitudine repetitionum malè deducitur, quòd sint causæ earum distinctæ ab humoribus naturalibus, vt Gentilis putauit; sed ideo tam tardiùs repetere, quòd excrementorum, aut humorum quantitas necessaria pro illo paroxysmo, non fuit antea aggregata. Quæ explicatio & doctrina vera est in quantum causam probabi-
D lem talium circuituum proponit; verùm si vt sola, & absoluta tradatur, admittenda opinio non est iuxta mentem nostri Principis putantis, quod per incinerationem certam humorum, pituitæ, & melancholiæ præcipuè, generetur materia eorum, etiamsi exquisita ratio victus seruetur. Et ratio est, quia praua corporis dispositio potest humores ita corrumpere, aut alio modo substantiæ disponere, vt tardius quàm per quartos repetant, ad quam circuitionem concurrent omnes causæ ex propria natura repetitionem remorantes, vt crassities materiæ, remissio agentis putredinalis, viæ densæ aut obstructæ, expultrix debilis, sensus obtusus, & resistentia magna, aut incapacitas, vt non nisi longo tempore qualitas expultricem irritatura introducatur. Vnde quod Princeps docet de paucitate materiæ,
E respectu materiæ quartanæ, aut tertianæ, mihi non probatur tanquam perpetuum, imò si occasio tarditatis ex sensu partis obtuso sumatur, maior quantitas erit necessaria, quia vt facultas sentiens obtusius percipit, quantitas, & acrimonia obiecti sentiendi debet esse maior, & supplere debet efficacia irritationis debilitatem sensus, qui sola obiecta vehementissima percipit: quod in Philosophia est euidens, vt apoplecticus non sentit obiecta communia, sed vehementissima.

Sed quod Hippocrates de quintana docuit, ingenia authorum ita sollicitauit, & torquet adhuc, vt non sit facile quid tenendum sit. Dixit itaque 1. *epid. citat. sect.* 3. *text.* 9. *Quintana pessima est omnium, etenim & ante tabem, & iam tabidis superueniens perimit.* Quam sen-

tentiam

tentiam Galenus fine explicatione reliquit, cuius rationem reddit Magister meus, quia Galenus putauit Hippocratis non fuisse, ob quod illam contempsit. Solutio quidem friuola, cùm vbique Galenus non ex alio principio illegitimas esse sententias suadeat, nisi ex earum falsitate, nunquamque in scriptis Hippocr. tractatum, aut sententiam, aut dictionem, seu verbum tanto authori in doctrina, aut grauitate loquendi non respondentia inuenit, quod statim ob summi Dictatoris honorem, errorem, aut falsitatem non notet, & nobis ante oculos ponat Hippocratis esse non posse. Vallesius in eiusdem sententiæ expositione causam tacuisse Galenum censet, quia fortasse talem febrem non viderat, quare omnium quorum rationem tradere expositor tenebatur, experientia præcedere deberet, aut causæ inuentio, & explicatio ab experimentis capienda foret, & ob eandem rationem poterat ipse Vallesius tacere, cùm fateatur se nunquam quintanam manifestò vidisse: putarem potius rei difficultate perterritum obmutuisse, vt in multis difficillimis explicandis consueuit. Vallesius verò, etsi sententiæ Hippocratis difficultatem non ignorauit, plus sibi quàm Galeno tribuens dicit: *Tentabo nihilominus dicere causam, quam esse suspicor probabilissimam, longo tempore inuestigatam. Hippocrates non dicit simpliciter, quintanas esse pessimas, sed eas quæ tabescentibus, aut iam in tabem casuris contingunt: non sunt autem, arbitror, tales, quæ à principio hominem antea sanum inuadunt, sed vbi quis quartana prius, aut longissima tertiana debilitatus est, & minorem iam materiæ copiam planè non valet pellere (hoc est extra corpus vno, aut alio modo, & sic ad focum minorem illam materiam pellendo quintanam facit) in quintanam incidit, atque eadem causa, quia cum esset indicandus, quintana corripitur, tabescit, ob habitualem scilicet facultatum debilitatem.*

Primum quod Vallesius dicit de quintana iam tabidis, aut tabi proximis superueniente, desumpsit ex Auicenna *in præsenti cap.* qui sententiam Hippocratis non posse intelligi de quintana in communi, sed de determinata specie docet. Verba sunt: *Quintana est subiectum propositionis indefinitæ, non significantis communitatem*: Quasi dicat, quod de quintana est vna species deterior febrium, quoniam ipsa est ante hecticam, & post eam, &c. Ratio verò adducta à Vallesio non videtur multo tempore inuestigata, in primis non explicat sententiam Hippocratis vt loquitur, nam loquitur non dubiè de omnibus febribus illis vt sunt causæ mortis, aut securæ omninò: & de quintana dicit, quod est pessima omnium, quia ante tabem, & post tabem interimit: præsagit ergo Hippocrates mortem inductam positiuè à quintana, quis si tantùm vt signum mortis putasetur, non diceret, interimit, sed mortem significat, vt consueuit in omnibus rebus tanquam signum bonum, aut malum ab eo in præsagiis adductis. Vallesius verò Hippocratem interpretatur, vt quintana habeat solùm rationem signi, quatenus significat languorem facultatum, quia iam tabidis superuenit, aut debilibus nimis, & nimio languore minorem materiæ copiam planè non valet pellere, & sic in quintanam incidunt; estque hæc ratio communis omni febri ante tabem, & iam tabidis superuenientem, & non peculiaris febri quintanæ, vt docuit Hippocrates de illa sola loquendo, docendo, quod ante tabem, & iam tabidis superueniens occidit. Secundò vrget doctrinam Vallesij argumentum quod ipse obfecit, & quia contra eum validissimum erat, tacuit illud; solutionem verò adduxit improbabilissimam, & tanto authore indignam. Argumentum est, quod sextana, & nonana essent deteriores; constat, quia quò

A longior datur repetitio, arguit maiorem expultricis debilitatem: ergo mortem certiùs, & validius significabunt: huic argumento tacitè respondet, sextana verò, aut septimana, aut etiam rariores febres, affligunt iam vt vitia potius naturalia, quàm vt morbi, atque adeò qui illis laborant, videntur esse homines aliqui sani gaudentes ea febre, vt euacuatione consueta. Quæ solutio verbum non habet probabile, nam vitium morbosum (febres inquam) appellat naturale, quod apertè repugnat, quia omnis febris est morbus, & hic affectus contra naturam; quod verò laborantes sextana sint aliqui homines sani, etiam est absurdum, quia semper habent semen internum morbosum, vt Galenus dicebat *loco epid. citat. text. 7.* ratione cuius reperit illa febris, B & in mea opinione laborant febre partiali in foco, & in omni opinione laborare debent calida distemperie morbosa in ipso foco, cùm humores ibi accumulati putrescant, & febrem totius causent: & hoc vitium est quod Galenus semen appellat. Rursus quod gaudium sic affectos afficere debet, vt iis febribus gaudeant tanquam euacuationibus consuetis, si verè febricitant, & actiones eorum læduntur sensibiliter, & semper sint in periculo permutationis in prauiorem dispositionem? & si adductam solutionem Vallesij tradit respectu sextanæ, aut alterius longioris circuitus tabidis iam, aut tabi proximis superuenientis, vt superuenit quintana; lethales erunt non dubiè, & fortasse magis quàm quintana, ob rationem adductam de maiori debilitate C per longiorem repetitionem significata. Minus idoneè loquutus fuit Vallesius 4. *aphor. com. 43. in fine* vbi dixit, quod quintana non est febris per se lethalis, sed intermittentibus deterior: tacuit verò rationem maioris periculi, quia idoneam reddere non potuit, si ibi idem iudicium habuit, quod in epidemiis; nam longiores circuitus quintana vitia naturalia censet, quod est absurdum, breuiores verò vt quartana, & quotidiana deteriores necessariò erunt, si iam tabidis aut proximè emaciandis superueniat.

Est non dubiè sententia Hippocratis vt iacet, est difficillimæ explicationis, & in primis certum est, quod cùm quintana dicatur lethalior reliquis enumeratis, non possit intelligi si omnes, & quintana D ab eodem principio, aut causa oriantur, quia & quotidiana, & tertiana, & quartana occiderent citius, quia breuius repetunt, neque sunt remissiores, nec breuiorum accessiunum. Putandum ergo est, quod dictum Hippocratis experimento fuit stabilitum, quia nimirum nunquam inuenit cum passione tabida febrem quartanam, aut aliam ex ibi enumeratis longioribus à tabe prouenientibus, quæ tam lethalis vt quintana sit. Loquitur itaque Hippocrates de quintana orta à causis iam deducentibus corpus ad hecticam, aut iam hecticam introductam habentibus, ob id enim dixit, quod ante tabem, & post tabem interimit; illa verò quintana ex vstione pendens causam habet perniciosam magis, quàm tertianæ, aut quartanæ, sc. eadem E causa vrente creatæ, & sic est deterior illis. Ratio est, quia vstio causans tertianam subiectatur in bile, quæ ob innatam temperiem facilius vritur, & cùm sit humor resolubilior, & motus velocioris, facilius ab ea liberantur, aut periclitantur minus; si verò vstio in melancholia fiat, inducetur quartana, quæ à minori vstione, quàm quintana causatur, & inde minus periculosa: at quintana vstionem maiorem in ipsa melancholia significat, quia cinis ex quartana remanens, & non expurgatus, vritur magis, aut de nouo, & quia tenuior pars melancholiæ in circuitibus quartanis fuit resoluta, non manet in corpore idonea materia vt quartana fiat, quia hæc requirit copiam maiorem, & magis inflammabi-

lem quàm quintana; quæ duo ob accessiones prægressas quartanæ deficiunt, & sic in quintanam mutatur, quia aut manet cinis ex accessionibus quartanæ vlterius putrescibilis, aut melancholia quæ superest, siccior multò, & exassior est, quia humiditas eius à quartana fuit ferè tota consumpta: huic verò crassæ melancholiæ, & vri incipienti accedere debet alia vstio de nouo vt quintana excitetur, ad focum enim mittenda est, vt accessiones causet, in quo magis vritur. Quintana ergo ex maiori vstione pendet necessariò quam quartana, & per consequens malignior est, vt vere dicas ab atra bile exquisita pendere, quæ semper fuit funestissima, & exitialis, & multò magis, si corpori iam hectico, aut hecticæ proximo superueniat, de qua solùm præsagium Hippocrates retulit. Est ergo causa quintanæ mordacior, quia acerrima, & exulcerans, & quia crassissima, & humore orbata, incoctilis; tetrea enim si à calore alterentur non coquuntur, sed siccantur, & maligniora fiunt, estque in partibus, in quibus residet focus cancrosa dispositio, & desperata, vt in externis apparet, nec interimit citius quàm quartana, quia fit intensior, sed quia in corpore, in quo atra bilis abundat, siccitas nimia inuenitur, & sanguis ineptissimus est, vt generentur spiritus, sicque resoluuntur inopinatè, quando accessiones adueniunt, sensumque molestissimum tam acres fuliginea inuehunt, vt summa inquietudine ægroti velut compuncti, aut lancinati intereant.

Sed hanc explicationem vrget, quod contra Vallesium adduximus, erit enim sextana, aut nonana deterior, quia cùm tardius repetant, erit causa earum crassior, & mordacior non dubiè, quia circa causam vtentem detinentur plus temporis, & sic vrentur magis, & maligniores erunt naturæ: hoc verò Hippocrati refragatur dicenti, quintanam esse prauiorem illis.

Ad hoc respondet Gentilis, quod vstio quæ quintanam creauit, non derelinquit materiam iam inflammabilem, sed cineritium tam friabile, & sine humore remanet, quod flammam concipere nequeat, vt cinis externus ob eandem causam inflammari non potest, vt inde repugnet ex tam vsta materia tardiorea circuitus generari, ac per consequens hectica dispositio ad quintanam humores adurens, aut quæcumque alia causa incinerans excrementa, aut humores ad eundem quintanum circuitum, sic disponit illos, vt quod superest ex quintana febrem de nouo creare non possit, ob quod Hippocrates nullam febrem desperatam magis quàm quintanam in tabidis fuit expertus, & adductum præsagium memoriæ mandauit. Nec intelligas quod exsiccatio maior in illo residuo quintanæ fieri non possit, neque magis aduri, potest enim aduri, & exsiccari magis, sed non potest flammam concipere, aut in fuligines verti, quia ad hoc certa humiditatis copia requiritur, vt ob illam in vapores, & fuligines humor resoluatur, & totum corpus calefiat, qua deficiente, etsi cinis ex quintana derelictus plus calefiat, nihil notatu dignum ex se euaporat, & sic nec febris inducitur.

Notabis etiam quod Hippocrates apertè doceat, quod quintana de qua loquebatur, semper copulabatur cum hectica febre, aut cum siccitate immoderata à febribus quintanam præcedentibus orta: erat itaque tabidum corpus quod sine siccitate morbosa fieri nequit. Vnde si quintana hecticam sequitur, ita vt calor hecticus melancholiam, aut sanguinem crassum vrat, perniciosa est, quia vt inquit Auicenna in hoc capite, est mala ex hoc quod ipsa est signum adustionis humoris, de quo non remansit nisi parum, & est adustum purum, & ex hoc quod ipsa est causa additionis febris, & duplationis eius; si verò quintana hecticam propriè præcedat, est etiam vt signum, quia significat semper puram adustionem, & est mala vt

A causa, quia hecticam introducit, ad quam corpus proximè dispositum est. Sedulò nota doctrinam Auicennæ dicentis, quod quintana est signum adustionis humoris, de quo non remansit nisi parum, & est adustum purum, quod est vltimum in gradu vstionis potentis inducere febrem, & quia tanta vstio inducta est in materia quintanæ, necesse est quod materia sit pauca, quia ante tantam vstionem tota fere humiditas humorum depopulata est, vt non remaneat post illam nisi pauca materia, & non multum inflammabilis, vt post vltimam vstionem lignorum remanet paucus cinis, si cum quantitate lignorum vstorum conferatur.

Et indè intelligas probabilitatem nostræ doctrinæ & explicationis loci tam difficilis, & quod quintana sit deterior omni alia febre ex ibi adductis, si in proxi-
B mè tabidis, aut iam verè tabidis inueniatur, dummodo ex vstione dependeat; nam ex alio principio securior esse poterit quàm quartanæ, aut tertianæ, ab vsta materia ortæ: Quintana verò ex incineratione humorum orta, est vltima in malitia, & vltima, quæ ex vstione creari potest, quia adustio pura à qua nascitur, seu vstio vltimata, non relinquit materiam aptam, vt ex illa rursus accendatur febris, quia dispositio hectica humorem siccat, & vt dicit Auicenna, incinerat purè, aut eundem effectum in humoribus causat calor ad hecticam corpus præparans, & prius materiam pro quintana disponit, quàm hecticam introducat: quando verò quintana ab vstione vltimata, aut (vt dicebat Princeps) pura non creatur, affirmat ille quod vt in plurimum sit à melancholia phlegmatica, siue & aliæ febres tardioris resolutionis, quia tam tardæ, & morosæ
C repetitiones requirunt, & quod materia multa non sit, & quod tardè qualitatem putredinalem acquirat, lentè, que moueatur; hæc participat melancholia phlegmatica, non enim exsiccata tam validè pituita abundare in corpore potest, nec breui tam acris reddi potest, vt expultricem stimulet; crassa enim est facta, ob quod tardissimè penetratur, seu alteratur, & vincitur tota, lentéque mouetur, & sic tam tardè repetit. Si verò ex vstione quintana creetur, ob quam videatur breuius repetitura, quia magis molestat, tam longè nihilominus distat repetitio, quia cinis ex quo pendet, longum tempus exposcit, vt in quantitate idonea ad causandam accessionem accumuletur, quia non nisi ex multa materia prius vsta creatur cineritium ex quo quintana ex-
D citetur.

Magister meus tam confusè (vt solet in aliis) naturam harum febrium exposuit, vt difficillimè quid senserit verè percipere possimus; videtur tamen cum Galeno istos longiores circuitus non admittere, eò quòd *3. epid. sect. 3. textu* 64. Hippocrates illos non enumerauit, vnde Galenus suspicatur spuria & addita esse *in 2. lib. epid.* verba omnia quintanarum, & longiorum repetitionum memoriam facientia. Sed hæc censura floccipendenda est, quia suspicio potius, quàm certa assertio videtur, & nobis prohabilissimum apparet, quod in eo textu comprehensi possunt esse longiores circuitus sub nomine inconstantium febrium vltimo loco enumeratarum. Nam *initio huius cap.* Princeps notat, quod
E tales febres longiores appellantur Arabicè Phithamos, quod nomen idem significat, quod latinè erraticum, seu erratica; quia etsi seruent certam diem repetitionis, dicuntur nihilominus tales, quia aberrant in repetitione, à famosioribus circuitibus, aut quia sunt effectus erraticarum, hoc est fiunt post illas. Bellunensis verò non legit Phithamos, sed Phithanos. Legite Zacutum *lib.* 1. *quæst.* 2. *& obseruat.* 12. vbi varios circuitus enumerat, ex quibus legitimam esse sententiam Hippocratis contra nostrum Vegam, & Brauum Salmanticensem apertè docet.

CAPVT

✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠

CAPVT LXIX.

De cura specierum huius febris.

MEOLAM harum febrium ad curationem quartanæ phlegmaticæ Princeps reducit, at Mag ster m us silet, quia planè fatetur se non admittere huiusceinodi circuitus, vt illos Princeps admittit; nobis verò quibus oppositum apparet probabilius, huiusmodi laborem effugere non possumus. Dicit primò, quod ita affecti, B indigent ieiunio superfluo, & subtilitatione cibi, & regiminis, & somno digerente vt resoluatur per illum materia grossa, & digeratur. Ratio est, quia in eius doctrina est author harum febrium pituita crassa exsiccata præter naturam, & reddita melancholica per adustionem; talis verò difficilè resoluitur, & coquitur, & corpus etiam vehementer obstruitur in parte in qua abundat, & non resoluitur, sicque non indiget plurimo cibo, & ex alia parte inedia strenuè vtitur, vt tam contumax causa coquatur, & digeratur. Iacobus intelligit, quod imperetur ieiunium in die paroxysmi, & in immediato ante illum; in reliquis verò crassius cibetur, quia cùm morbus chronicus sit ieiunium assiduum nequibit tanto tempore virtutem fir- C mam seruare. Sed sensus verborum Auicennæ suadent potius, quod ex mente Gentilis in cura quartanæ retulimus, nimirum quod in morbis tam longis permitti potest per aliquod tempus seruare victum tenuem, vt materia tam indomita alteretur continuò, & coquatur facilius, quod fuit præceptum Galeni in medela tertianæ spuriæ inediam imperantis, si morbus contumax fuerit, vt constat; quæ si ob illam labascat, crassior tantisper cibus imperabitur; id enim tam longa morbi constitutio permittit, & petit. Verba Auicennæ sunt; *Et iterum indiget ingrossatione regiminis, vt non destruatur in eo virtus & sunt ista duo contraria;* & rationem reddit ob quam ieiunium conueniat, quia febres illæ non faciunt accidere læsionem virtutis; *non curamus* (inquit) *si regimen subtiliemus, & faciamus* D *egrum vti ieiunio, vno tempore, & succurrimus illi, sicut ostendimus, ita vt cibemus cum eo, cuius est bonum nutrimentum, & velox fit, & multiplicatur, & in quo non est ingrossatio materiei, nec additio in ea.* Hæc Princeps, planè docens, quod per aliquod tempus cibemus crassius, per aliud verò tenuius; & quod si virtus ob cibi parsimoniam labatur, detur alimentum virtutem instaurans, succi laudabilis materiam tam crassam extenuans, & omnis crassitiei expers. Constat verò esse incipiendum ab extenuante materiam, si virtus consistat, & quandiu firma inueniatur, in ea victus tenuitate perseuerate, conducet enim multum ad materiæ coctionem, vt somnus prolixior, quod intelliges, si in vasis internis cruda excrementa habitant; nam si E habitus exterior crudis abundans tam longæ repetitionis accusetur, vt potest, vigilia conducet longior, & somnus moderatior, quia interna per somnum calefiunt, externa tepescunt, & èconerra per vigilias extrinseca calent plus quàm per somnos; quod Hippocrates sequentibus verbis tradidit; *manifestè qui vigilat, est extrinsecus calidior, internè frigidior, dormiens èconera.*

Subdit Auicenna. *Et de curationibus magis conferentibus ad illud est vomitus cum ellebero, & semine raphani, & raphano, in quo sit virtus ellebori, & nuce vomica, & euacuatio cum hiera.* Ratio est quia prior crudorum officina ventriculus est, in quo cruditates infarctæ il- A lum distemperant, & crudorum excrementorum, & pituitosorum feracissimum reddunt: vt verò ex eo abigantur, nullum validius auxilium quàm vomitus, qui celebrandus est post longam præparationem; nam quæ tenaciter hærent, nisi rectè detersa, extenuata, & incisa educi recusant, & loco extractionis eorum totius saburra in ventriculum trahitur, & summe læditur, quæ præparatio minus excusabilis est, si elleboro ciendus est motus, quia vomitum, & turbationem validissimè concitat; est verò accipiendus elleborus albus, nulli in ciendo vomitu secundus: sic Iacobus dispensat, seminis raphani ℥.j. ellebori albi ℈.j. conquassentur leuiter, & coquantur cum vnciis sex aquæ fontis, & vncia aceti, & dimidia mellis, deinde colentur, & detur colatura post esum alicuius rei pin- B guis: aliter sic disponit, radicum raphani ℥ ß. cui infigantur spicula ellebori albi, in quantitate drachmæ dimidiæ, coquantur in aqua mellis, aut in aqua caponis, donec radix raphani decocta fuerit, tunc ab hac extrahe totum elleborum, & radicem exprime in vnciis sex aquæ, in qua cocta fuit, & da ægro bibere: ego hanc secundam mistutam exprimerem, ne corporatura raphani degluriatur, quæ molesta necessariò erit, & virtus vomitiua in succo continetur, non in fibris, aut carne eius. Alia vomitoria *cap. de curatione tertianæ nothæ* reperies: constat verò, vel me tacente, danda esse tepida, ius verò pingue à Iacobo commendatum ante sumptionem ellebori, bifariam confert; & quia vomitorium est, ob pinguium C quæ & supernatat, vt oleosa, & fibras retinentes laxando debilitat, sicque vomitum mouet: obstat etiam strenuè siccitati, & erosioni ellebori, quibus ventriculum conuellere potest.

Expurgatio per hieras deinde commendatur, quia tam tenax & crassa materia leniora auxilia contemnit, est verò prius exquisitè præparanda oxymelite, serapiis de duabus aut quinque radicibus, bisantino, de corticibus citri, fumatiæ, saboris regij, & thimij, semper enim miscenda sunt quæ pituitam, & melancholiam respiciant, diluentur verò decocto radicum apij, petroselini, borraginis, lupulorum, adianti, eringij corticum citri, seminis fœniculi, anisi, origani, & aliorum eiusdem naturæ, notando sedulò si obstructus sit ventriculus, lien; aut mesereum, aut iecur, D quibus obstructis idoneis inunctionibus, & fomentis occurres, non quidem statim in morbi initio, sed quando inedia, clysteribus acutioribus, & repetentia accessionum inanium iam satis corpus videatur; nam sanguinem mittere in eis passionibus verissimè conuenit ob crassitiem, & cruditatem pituitæ, aut melancholiæ, præsertim quando tarò longiores ij circuitus primo insultu offendunt, sed post alias diuturnas passiones, & febres; errauit enim Mercur alis *lib. 5. de febribus ad finem, cap.* 11. putantis, quod huiuscemodi longiores circuitus tam breui tempore finiuntur, & durant, vt non possit vlla certa obseruatio haberi, dicente Hippocrate, septimanam, & nonanam esse longæ constitutionis, & quò longius repetit, est etiam longioris naturæ, quia tanto causa E crassior arguitur, & obstructiones sunt difficiliores, ob quod vt nuper ex Auicenna retulimus, cibatio in tenuem, & crassiorem permutari potest, tam crassèque de existentia harum febrium *eodem cap.* agit, quod metaphysicas potiùs, quàm reales febres inuenit; tam raræ (inquit) sunt, vt non mereantur connumerari inter res verè existentes; erunt ergo per intellectum, & entia rationis, & nihilominus cum nostro Principe longum ieiunium, & quod in die accessionis nihil capiatur, longius suporentur, aut dormiant, quia ex pituita vt quotidiana originem trahunt, consulit; vsus hierarum temporibus nostris obliteratus est, quia & corpus vehementer commouent, & gustui sunt abo-

minabiles, ob insignem amarorem, loco quarum alia innumera medicamenta sunt melancholiam, & pituitam e ducentia. Illud verò accuratè obseruetur, quod cùm causa harum febrium tam crassa putetur, si sint obstructa hypochondria; non liceat ex toto trahere, sed imbibita, & obstruentia è primis visceribus prius educere, & tandem si opus sit vasa expurgare, alioqui in partes obstructas excrementa ex toto detracta impingentur, & inflammatio, aut maior obstructio obstructo visceri superueniet.

Deinde commendatur vsus theriacæ vt in quartana præcipitur, & aliorum etiam vim habentium resoluendi humorum reliquias: *Et confert etiam* (inquit) *sudatio cum medicinis, & cum balneo calido absque administratione aquæ, & absque administratione humectantium*: Omnia præcepta perspicua sunt, & optimè a Iacobo exponuntur, & nos *cap. de cura quotidiana* docuimus; ad mouendum sudorem per assumpta præter decoctum smilacis asperæ stillatitiè paratum aut cardui benedicti, est optima aqua stillatitia ex floribus chamæmali, quæ ad eradicandas febres antipharmacum est: serapium etiam ex floribus centauræ minoris paratum est mirabile quando viscera tenaciter obstruuntur cum decocto diuretico propinatum, nec in his febribus tam diuturnus vsus chalybis, aut medicamentorum ex ipso extra methodum imperabitur, si exerceri possint tutissimè; nam succorum tenacitas id planè suadet, quam pertimescens author balneum aëreum commendat absque aquæ contactu, & rerum humectantium; nam aqua, etsi actuali calore idonea esse possit, verùm quod in corpore imbibitur, vt notat Iacobus, ad antiquam naturam reducitur, & infrigidat atque obstruit. At meo iudicio si melancholia vsta harum febrium causa sit, magnam opem æger sentiet vsu balnei aquæ calidæ, in qua flores chamæmali, melilotus, folia maluarum, violariæ, & ipsæ violæ, radices ebisci, & cyperi incoxerint; siccitas enim melancholiæ, & astrictio, acerbaque natura, calore balnei, & laxitate, emollitioneque quam optimè moderantur, & plurimum resoluitur: totúmque corpus perspirabilius redditur, vt in diuturna febre, cocta iam materia, nuper expertus sum cum magno ægrotantis commodo; erat enim corporis densi, & vt dicebat Hippocrates, *lib. de alimento*, difficillimè transpirabat, & per consequens tardissimè conualescere poterat, & ad hecticam in mea opinione erat dispositus, ob carnium, & viscerum densitatem: mirum quam facilè cessante omninò febre recidiuabat, inculpata omninò victus ratione, balneis verò magnum sentiebat solatium, & tam temperatus erat à balneo, vt nulla febris perciperetur: transacto verò tempore octo aut decem horarum febrile incipiebat hectico modo in vniformitate caloris, vt verè diceres hecticam fuisse febrem, quæ duos fere annos illum oppressit, inopinatis, & temeratis recidiuis: nunc verò sanus perfectè viuit, non magna mea solicitudine.

In his tenacibus febribus ad tabem tamen non perducentibus, sed permanente ægro absque insigni corporis, & carnium diminutione, magnum auxilium est oleum vitrioli in aqua cardui benedicti bibitum: B sint aquæ vnciæ quinque, olei vitrioli ℈. ß. mirè obstructa aperiuntur, crassa dissecantur, & lenta absterguntur virtute vitrioli, aqua verò cardui benedicti extenuat etiam, & per halitum extenuata digerit, quam si cum aqua stillatitia ex radice gentianæ miscueris, vt sint vtriusque vnciæ quinque, aut sex, efficacius redderetur auxilium, & certius si diuturnitas à crassis, lentis, & crudis emanauerit; non enim ignorare decet, quod in iis febribus calor leuissimè indicat, causæ verò stabilitas, & crassitudo, inconcussæque obstructiones ad se medelam conuertunt, quia non calore, sed diuturnitate fatigant cum metu incidendi in hecticam, solicitudo etiam occurrendi obstructionibus viscerum, & debilitati eorum nunquam deficiet.

Curatio quintanæ cum hectica interimentis ab au-
C thore non traditur, aut quia desperata res est, aut quia diuersam curationem a tabe non petit, nisi cum artemperatione deobstruas, & si constet virtus vstos humores manna, aut serapio ex pluribus infusionibus violatum blande educas, aut sero lactis cum serapio solutiuo regio, nisi extractionem eorum per lac asininum procures, vt tabi simul, & euacuationi vstorum occurras, aut cremore hordei, & decocto radicum graminis, tunicis fragariæ, & foliorum eius per vrinam deriues, aut emulsionibus seminum frigidorum cum eodem decocto, aut sero lactis idem intendas; in quo infortunio balneum aquæ dulcis magni vsus est, vt omnia substantificè humectantia, & siccationem impedientia.

TRACTA

TRACTATVS
DE NATVRA, CAVSIS, PRÆSAGIIS, & curatione Febrium Hecticarum.

PROOEMIVM.

Arduam tractationem pro vestro commodo præsenti anno disputandam suscepi, explicare nimirum naturam, causas, præsagia, & curationes febrium hecticarum, & etiam quæ in hecticas degenerare consueuerunt: quod argumentum eo ipso libenter explanandum suscipio, quòd omnes qui nostrum opinandi modum de calore in facto legerunt, putant esse difficillimum, iuxta illam opinionem posse explanari consentaneè doctrinæ Galeni, & antiquorum essentiam febris hecticæ. Proponam igitur prius modum, quo calor in facto constituitur, vt possit esse causa febris: quæstio quidem celebris, passim per medicas quæstiones occurrens, & arcanâ Philosophiâ imbuta, ex cuius resolutione, quid de hectica febre tenendum sit, pendet.

CAPVT I.

Quomodo calor in facto constituatur.

IN *quæst.* 12. *Disputationum nostrarum de essentia febris*, cum Galeno, & communi Medicorum placito docui, calorem in facto esse requisitum, vt causa aliqua possit producere febrem. Appellatur autem calor in facto, esse in aliquo subiecto, quando illi inhæret, vt nequeat ab interno principio illum calorem reiicere. Vnde calor in aqua, etsi reuera productus sit, non appellatur à Medicis in facto, quia si separetur agens, quod aqua calefacit, statim incipit ab interno principio calorem sibi violentum corrumpere, vt tandem omnem calorem depellens totum etiam frigus sibi naturale acquirat. Vt si aqua calefacta in facto constitueretur, frigiditatem summam ab interno principio compararet. Hæc igitur caloris existentia in aliquo subiecto, quia non tollit reductionem caloris producti, appellatur calor in fieri à Medicis. Si autem caliditas tam tenaciter hæreat, vt nullo modo subiectum affectum calorem destruere possit, etsi agens, quod illud alterauit, deficiat, tunc appellatur calor in facto, seu per modum habitus; & primum modum existentiæ caloris in subiecto appellauit Galenus locis infinitis, præcipuè *lib. de diariis febrib. cap.* 1 *incalescere*; secundum verò modum existentiæ, *incaluisse*, & hunc secundum modum semper Galenus requirit in omni subiecto, si calor ab eo productus in partibus viuentis febris appellandus sit; vnde neque calor iræ, aut exercitij, seu laboris, quamuis intensissimus sit, & pulsus magis quàm febris ardens permutet, febris appellatur, donec in spiritibus, aut sanguine ita accensus sit, quòd etsi passio sedetur, aut homo quiescat ab exercitio, aut labore, à calore iam concepto se reducere non possit, & hoc est *incaluisse*, & esse calorem in facto, vt quod illum obtinet, febrem producere posset. Est autem magna controuersia inter Medicos, qua ratione calor ille subiectum afficiat, ita quòd reductionem adquirere, & ab eo calore, qui primo insultu violentus erat, necessariò nequeat se liberare. Constat verò ex ipsa quæstione, omnes tanquam certum supponere, quòd nullo modo forma ita calefacta mutetur, vt quando bilis putrida tertianam causat sub forma bilis manendo, causa febris putatur. Inquirimus ergo, quæ permutatio in bile facta sit, ratione putredinis, aut vstionis, ratione cuius vis actiua formæ nequeat illum calorem corrumpere, etiamsi agens putrefaciens iam omninò defecerit.

Vt controuersia proposita discutiatur, commune placitum Medicorum est, quòd talis permutatio in humoribus, spiritibus, aut partibus solidis per putredinem, aut vstionem fieri solùm possit, ratione cuius nequeant substantiæ relatæ calorem violentum expellere: bifariam itaque à calore externo tales substantiæ alterantur. Primò taliter, quòd nullo modo mutatio aliqua in modo substantiæ ipsarum fiat, sed solo calore violento alterentur; & tunc si agens calefaciens separetur, ad antiquum statum reducuntur, quia absque permutatione in modo substantiæ non fit tanta caloris impressio, vt eum corrumpere nequeant. Si autem secundo modo alterentur, ita vt in modo substantiæ permutatio fiat, vt verè vrantur, ac putrescant, incapaces fiunt reductionis ad naturalem statum. Si autem inquiratis, quòd obstet naturali reductioni; respondent Authores huius sententiæ, quòd per vstionem, aut putredinem quædam secundæ qualitates producuntur, determinantes subiectum vt ab interno principio calor intensior producatur, aut saltem conseruetur, si illum iam productum inuenerint, & inde quando Galenus dixit, calorem illum independentem esse, non est intelligendus, quod à forma subiecti, in quo vstio aut putredo fit, non dependeat, sed quod non dependeat in conseruari ab eo agente externo, quod putredinem, aut vstionem produxit; tantum itaque abest, quod ab eo calore se possent reducere, quod potius eius conseruationem procurent impetu interno formæ.

In quo discursu notabitis, quòd omnia putre-

scentia, aut vsta contineant necessariò eminenter intensiorem calorem, quàm habeant formaliter. Constat, quia nihil effectiuè conseruat, quod non potest producere. Vnde si calor productus ab agente putrefaciente conseruatur postea à re putrida, aut vsta, constat habere vim producendi eundem calorem, quia alioqui concursum effectiuum circa illum haberi non posset. Vnde fit, quòd si Deus absque caloris antecedentis productione produceret illas dispositiones, aut secundas qualitates, ad quas putredo, aut vstio terminantur, emanaret ab interno principio calor intensior, proportionatus tamen dispositionibus illis; in rebus igitur vstis, aut putridis, aut concoctis intensior quam anteà conseruatur, quia ratione dispositionum per eas actiones productarum, forma mixti cogitur aut conseruare calorem ab agente externo productum, aut illum etiam intendere; vtrumque enim vt probabile admittunt. Coguntur autem sic philosophari, quia aliter iuxta Galeni dogmata naturam hecticæ febris exponere nesciunt: docuit enim per loca infinita calorem hecticum à causa illum in partibus solidis producente non pendere: vnde quando nō datur causa externa, partes viuentis, & calor hecticus tam firmiter hærent, vt viuens ab eo liberari non possit, nec videtur alius modus in Philosophia probabilis, nisi quòd ratione dispositionum putredinalium ita partes viuentis disponantur, quòd forma ipsarum cogatur calorem productum conseruare, & aliquando intendere: ex qua resolutione putant, eodem modo contingere in humoribus, & spiritibus, quando putridam, aut diariam febrem causant, nempe quòd sine mutatione formæ calor putredinalis conseruetur, quis eodem modo afficiuntur ratione putredinis, aut vstionis. Duo autem ex hac opinione deducenda sunt. Primum, quòd ratione determinatarum dispositionum receptarum ab externo agente possit ab interno principio rei alteratæ emanare maior calor, quàm esset in illo anteà formaliter. Secundum est, quòd etiamsi videatur talis calor quodam modo violentus subiecto putrescenti, aut vsto, aut cocto, conseruetur ab eis nihilominus.

Et quòd primum sit probabilissimum, suadetur primò ex calore de nouo producto per localem motum, qui producendo in mobili raritatem, & tenuitatem, cogit illud, vt ab interno principio sui tantus calor oriatur, vt sæpè in ignem mutetur, qui calor & violentus est, quia in ignem subiectum mutat, & conseruatur, produciturque ab interno principio.

Probatur secundò ex actuatione medicamentorum calidorum, quæ dicuntur potentia à Galeno: hæc enim accipiendo ab externo determinatam dispositionem ita incalescunt, quòd nos vrant, vt constat in pipere deglutito, & multò clarius in medicamentis causticis: ergo vt in his tam perspicuè calor augetur ab interno eorum principio præsupposita dispositione, seu actuatione producenda in eis à nobis; ita non est mirum, per putredinem, aut vstionem sic disponi subiectum, vt ab eius propria forma calor intensior pullulet, aut productus prius ab agente extrinseco conseruetur.

Tertiò efficacius suadetur in viuentibus: sed in hoc magis, cuius forma indiuisibilis cùm sit, continet omnia temperamenta eminenter partibus diuersis debita, & indè necesse est, quòd determinetur per dispositiones antecedentes partium, vt in vna calorem magnum conseruet, & producat, & in alia frigiditatem prædominantem, in alia humiditatem, & in alia siccitatem. Hæc autem determinatio alia esse non potest, nisi temperies cum modo substantiæ antecedentis, ratione cuius non potest totum quod continet, in quauis parte producere formaliter: vnde si talis temperies peruertatur, quæ in certa parte maiori siccitati, aut humiditati, calori, aut frigori obstabat, pullulabit statim ab interno principio totum, quod illa dispositio antecedens impediebat. Sic similiter per dispositiones putredinales, aut vstiuas tollitur quod emanationem caloris maioris impediebat, vt ab interno principio producatur, & conseruetur, quandiu illæ dispositiones durant.

Quarto, etiam probatur exemplo qualitatis, quæ per influxum producitur à corde in arteriis, & à cerebro in neruis. Anima enim arterias informans non producit in illis, nec potest, qualitatem illam motui & sensui necessariam: sed in cerebro illam producit; à quo posteà in neruos deriuatur; quod contingere non potest, nisi quia nerui respectu animæ habent incapacitatem ob dispositiones materiales, & cerebrum minimè. Quod etiam suadetur ætatum successione; anima enim omnia ætatum temperamenta continet eminenter, & non potest determinari ad productionem ætatum certo ordine, nisi ratione dispositionis materialis determinantis animam, vt priùs temperiem pueritiæ, secundò adolescentiæ, & sic reliquarum producat. Dantur ergo in materia dispositiones certæ determinantes formam ad productionem determinati temperamenti, & impedientem simul, ne totum, quod eminenter continet, producat, vt in pueritia non producit tantam siccitatem, quantam continet, neque in senectute tantum calorem, quantum continet: sic similiter interni sensus cum hoc temperamento debitè operantur, quod si mutetur, deprauantur omninò, & interdum delirant, aut erroneas actiones eliciunt. Quibus fundamentis conantur suadere Authores huius placiti, quod productiones qualitatum contentarum eminenter in aliquo principio, possint per materiales dispositiones impediri.

Quod autem à propria forma possit conseruari, quod est præter naturam, ostendit primò, quia aliquæ ætates præter naturam esse videntur, & nihilominus à forma conseruantur, vt ætas consistens, & senectus; per eas enim tendit viuens in mortem naturalem, & cùm omnis rei desitio sit præter naturam, quidquid ad illam disponit, erit etiam præter naturam: senectutem verò ad mortem disponere, non eget probatione, cùm definiatur via ad naturalem interitum; tum etiam, quià quidquid mutatur à termino naturali, tendit in violentum, aut præter naturam: est enim homo in adolescentia in statu naturalissimo, quippe in ea omnes operationes sibi debitas habet collectiuè perfectiores: ergo mutatio quælibet ab ea ætate erit in terminum præternaturalem, & etiam à forma conseruatur, quia ab eo nequit reduci. Idem confirmatur in monstri productione, cuius deprauata dispositio à forma conseruatur: tum etiam constat in sexto digito, aut in carne in vlcere supercrescente, & qualitates in sedimento, aut pure inuentæ sunt ei præternaturales, & ab eis reduci non potest Sed clariùs id probatur in hectica febre, in qua in opinione communi Medicorum calor febrilis ita partibus firmiter inhæret, vt ab eo viuens nequeat liberari, etiamsi iuxta Galeni placitum hecticum calorem nulla causa accendat, & quamuis hecticus infrigidetur, reducit se ad calorem febrilem, quod non contingeret, nisi à propria forma viuentis conseruaretur. Eodem modo iuxta doctrinam Philosophi: *Omnia, quæ coquuntur, calidiora redduntur*; & ab eo calore extrinsecus accepto nunquam potest se liberare. Vbi notabitis, quod quamuis terminus putredinis, aut vstionis non contineatur in forma rei putridæ, aut vstæ, quia ei est omninò repugnans, non potest tamen ab eo reduci, quia cùm terminus ille producatur à calore extrinsecus accepto, & talis calor posteà ab interno principio conseruetur, seruatur etiam consequenter terminus putredinis, aut vstionis.

Hic

Hic philosophandi modus nunquam mihi placuit, quoniam supponit multa improbabilia. Nam iuxta illud est necessariò affirmandum, quòd omnia corpora mixta maiorem calorem eminenter contineant, quàm habeant formaliter, cuius continentiæ nullus finis naturæ, nec ratio adduci potest, præsertim in mixtis frigidis à prædominio. Vnde cùm omnia mixta putrefieri, & vri possint, & per consequens reddantur calidiora: alia ratio huius communis caliditatis auctæ adducenda est, & assignanda etiam ratio, ob quam ab eo calore reduci non possint. Secundò, aut illa dispositio se tenet ex parte materiæ, aut ex parte principij operatiui; non ex parte materiæ, quia primæ qualitates cùm sint ordine naturali causæ secundarum, non possunt secundas præsupponere antecedenter in subiecto, vt primæ recipiantur. Neque obstat, quòd quamuis hoc sit verum absolutè, tamen ad certam intensionem benè potest requiri determinata dispositio: sed contra est, quia forma in specie infima semper requirit eandem dispositionem, si illa eget, vt recipiatur in materia. Vnde fit, quòd si aliquis gradus caloris potest in subiecto recipi, in quo illius dispositionis nullus gradus datur, constat euidenter, nullum caloris gradum illam dispositionem requirere, vt si aliquis gradus lucis in perfectè opaco recipi posset, non esset requisita in subiecto diaphaneitas, vt lumen reciperetur. Ex qua doctrina efficax argumentum desumitur contra sententiam positam, quia mixta omnia tam diuersos modos substantiæ in secundis qualitatibus sortiuntur, vt planè inter se opponantur. Vnde si talis modus substantiæ in hoc mixto erat indispositio ad maiorem calorem, in mixto habente oppositum modum substantiæ esse non potuit: sed mixtum hoc, quod habet oppositum modum substantiæ, putrescere potest, & fieri per consequens calidius: ergo in illo alia ratio tradenda est, cur tantus calor non esset actu, si in forma continebatur. Quod argumentum, si benè intelligatur, efficacissimum est ad probandum, quòd neque ex parte agentis detur etiam illa indispositio, cùm mixta omnia eundem modum substantiæ habere non possint impedientem illam caloris emanationem, quia vt antea insinuaui respectu eiusdem effectus in specie infima idem impedimentum semper debet esse in specie. Illud autem in omnibus mixtis concedere, in quibus tam opposita natura inuenitur in substantiæ modis, falsitatem huius sententiæ satis perspicuè ostendit. Explicatur discursus, in quo contra sententiam adductam magnum fundamentum traditur: mixti perfecti forma genericè includit in omni materia dispositionem quatuor primarum qualitatum, & vt tale mixtum, moderationem earum determinatam; vnde sicut repugnat, quòd mixti forma nisi in materia disposita per primas quatuor qualitates recipiatur, ita si calor requirit, vt recipiatur, etiam secundam qualitatem, aut determinatum modum substantiæ in nullo subiecto, in quo talis dispositio non sit, recipere poterit: sed talis modus substantiæ in omnibus mixtis non datur: ergo in quibus deficit, nullus calor recipi poterit, quod est contra propriam naturam mixti perfecti; nulla ergo secunda qualitas datur, quæ ordine naturæ requiratur necessariò ad caloris introductionem, vt materialis dispositio, & similis diuersitas, & optimo in diuersis mixtis inuenta apertè docet, quòd neque ex parte agentis illa requiratur, cùm omnia mixta simpliciter alterata violenter statim se reducant à calore præternaturali: quod planè indicat ad caloris productionem ex parte formæ, aut agentis non requiri determinatam dispositionem, alioqui in omnibus deberet dari, quia est necessaria simpliciter.

Tertiò vrgenter argumentor, quia in adducta sententia calor fit independens per putredinem, per vstionem, & per coctionem, quod etiam testatur Philosophus. Constat autem per istas mutationes tam diuersas produci non posse eandem secundam qualitatem, neque eundem modum substantiæ in specie; imò cùm coctio, & putredo opponantur contrariè, aut saltem, quod omnes fatentur, termini ipsarum sint incompossibiles; repugnat, quòd per tam oppositas mutationes ponatur in passo similis dispositio in specie ad eundem effectum in specie infima, quod etiam est verum, siue ex parte passi, siue ex parte agentis talis dispositio requiratur.

Quartò ex adducta sententia sequeretur, putredinem posse fieri ab interno principio, quod expressè contra definitionem putredinis adductam ab Aristot. probatur. Calor externus inducebat putredinem, & si ab externo agente intenderetur, cresceret etiam putredo: ergo si calor externus potest intendi de nouo, iuxta hanc sententiam à propria forma ratione dispositionis putredinalis antecedentis, necessariò etiam intendetur putredo. Constat, quia calor remissior, quia erat contra naturam vnius subiecti, putredinem induxit: erat autem contra naturam, quia improportionatus mixtioni illius mixti: ergo si intendatur quomodocumque, erit magis improportionatus, & magis putrefaciet. Cùm ergo ab interno principio intendi possit in hac opinione, etiam per consequens putredo; non esse autem contra naturam præcisè, quia ab agente externo producatur, sed quia improportionatus naturæ mixti, euidens est, quia frigus productum in aqua calida ab agente externo, non est contra naturam aquæ, sed naturale, quia illud requirit, & calorem sibi violentum destruit: sic eodem modo calor ab interno principio ratione putredinis ortus erit contra naturam, quia magis putrefaciet, & corrumpet frigua tali mixto naturali, & mixti desitionem machinatur; vt sit necessariò fatendum, rem ipsam se ab interno principio interimere, quod Philosophi non admittunt.

Quintò ex adducta sententia sequitur, omne mixtum esse potentia calidum, & ad actum reduci per putredinis, vstionis, aut coctionis terminum. Patet, quia per illud tollitur, quod maiori caloris emanationi obstabat, & ab interno principio calor intenditur; vnde sicut reliqua medicamenta calida iam actuata, si deficiat agens extrinsecum, quod illa ad actum reduxit, statim redeunt ad antiquam temperiem calorem illum corrumpendo; ita humores putridi, vsti, aut cocti, si quod eas mutationes induxit, deficiat, reducent se ab eo violento, aut præternaturali calore; quod est contra naturam causæ febris requirentis calorem, à quo reduci non possit. Ratio à simili efficax videtur; quia vt putredo in hac opinione excitat vim formæ, vt producat, quando eminenter continebat; sic temperies in pipere producta excitat illud, vt tam intensum calorem producere possit: ergo sicut piper reducitur, si ab agente, quod illud alterauit, separetur, sic humor putridus reducet se à calore putredinali, si quod illum produxit non sit. Est etenim par ratio, aut est adducendum discrimen, cur piper actuatum iam se reducat, & humor putridus nequeat, cùm in quolibet impedimentum ablatum sit per actuationem, & ergo forma ob dispositiones prædictas calorem intensiorem in ea contentum producere.

Dices improbabilem esse eam reductionem, quia calor productus ab externo agente produxit, & conseruat modum substantiæ, & cùm calor ille rursus à forma conseruetur, quia illum intendit, hinc est, quòd reductio improbabilis sit: sed idem inuenies in pipere: Calor enim à ventriculo in ipso productus producit modum certum, quem etiam calor conseruat, & cùm post calefiat amplius ab interno principio, conseruabitur calor primò productus, & per consequens etiam

modua ſubſtantiæ; & nihilominus experimur, quòd ſi piper euomatur, ſtatim ſe reducat: ergo idem eueniet in humore puttido, aut viſto, ſi agens extrinſecum ſeparetur, quod puttedinem induxit. Idem planè conſtat in ſubiecto calefacto per motum inducentem raritatem, & tenuitatem: ſi calor increſcat ab interno principio, ſtatim ac motus ceſſat, infrigidari incipit: deberet autem eſſe perpetuus calor iuxta modum philoſophandi adductum: quare calor de nouo productus ad tenuitatem, & hæ diſpoſitiones ad nuuum, & maiorem calorem cogunt, nunquam ergo reduceretur ſubiectum ſic calefactum, quod eſt planè contra experimentum.

Sextò, ex relata opinione conſeqoeretur, quòd detur bilis infrigidans præter naturam, vt datur pituita calefaciens, quod nullus hactenus ſomniauit. Patet, quia in contrariis cauſis ſemper dantur contrarij effectus; ergo ſient calor, & humiditas putrefaciendo, & mutando ſubſtantiæ modum ad maiorem colorem diſponunt; ſic ſiccitas, & frigus contrarium modum ſubſtantiæ inducendo ad contrarias qualitates diſponent. Vnde bilis à prædominio erit frigida præternaturalis, ſicut pituita eſt calida; non enim habet minorem repugnantiam frigidus humor, vt præter naturaliter alteratus morbum calidum ſine formæ mutatione producat, quàm quod calidus humor frigiditate diſtemperet, eſſétque per conſequen morbus frigidus à bile, vt eſt calidus à pituita. Omnia à paritate rationis perſpicua ſunt, & lege contrariorum probata: Et ſimiliter quælibet diſtemperies à quovis humore præter naturam alterato cauſari poterit, quare non eſt maior ratio vnius, quàm alterius; vndè non ſolùm morbus frigidus à bile, ſed & humidus eueniet, quod nemo hactenus tradidit.

Septimò, quia ſi primæ qualitates indigent ſecundis determinatis, vt formæ ſubſtantiales producerent primas, nunquam darentur mixta æquè calida cum oppoſitis modis ſubſtantiæ, & contrariis ſecundis qualitatibus, ſicut in exemplo adducto de luce, quæ cùm diaphaneitatem, vt recipiatur, requirat, nunquam niſi in diaphano ſuſcipitur: ergo ſi calor, aut quævis alia prima qualitas determinatas ſecundas expoſceret, vt reciperetur, nunquam ſine illis eſſet, quod eſt commune omni formæ diſpoſitiones determinatas petenti. At contrarium experimento docemur, dari nempe ſiccitatem, humiditatem, frigus, & calorem cum oppoſitis ſecundis, vt calor in ferro cum ſumma denſitate, & alia diuerſis in alio ſubiecto inuentis: ergo non requirit, vt recipiat determinatas ſecundas: ſic ſiccitas in igne cum ſumma tenuitate, & raritate naturaliter datur, & non minus in terra cum ſumma denſitate, & craſſitie, quod cùm euidens ſit, non videtur probabile, quod per modum aliquem ſubſtantiæ impediatur emanatio caloris, ſi in forma eminenter continetur, quia determinatè nullus requiritur, vt recipiatur. Attende hoc argumentum, quod probat etiam non dari medicamenta potentia calida, ſed in illis eſſe partes diuerſæ temperiei, & ad inuicem impediuntur, quando ſunt vnitæ, diſtractæ verò, quælibet reducitur; ſed contra, quod per trituratiouem idem contingeret, nempe quod actuarentur medicamenta calida, & non minus etiam frigida.

Tandem, quia quidquid ab interno principio producitur, eſt conforme naturæ principium operantis, cùm habeat impetum internum, & naturalem vim productiuam illius: hoc verò non poteſt diſponi per violentas qualitates, vt recipiatur, aut producatur. Conſtat verò, calorem productum in humore, aut alia re putreſcente ab agente externo violentum eſſe omninò, quia ab eo ſe reducit, & eſt contra internum impetum & inclinationem naturalem. Implicat ergo, quòd per inſtrumentum violentum, aut violentam A diſpoſitionem diſponat illud ſubiectum, aut agens, vt in ſe producat, quod naturaliter continet, aut conſeruare poteſt. Fatendum ergo eſt, aut calorem putrefacientem, & putredinis terminum non eſſe violentos rei putreſcenti, quod eſt planè falſum; aut affirmandum, quòd medio violento inſtrumento effectus naturalis producatur, quod non eſt in phyſicia minus abſurdum, cùm ſemper violenta omnia aliquid naturale auferant.

Hunc dicendi modum circa permanentiam caloris olim ſuſtinuit in publicis lectionibus Magiſter noſter, & tanquam proprium publicat *libr. de febrib. fol.* 260. *quæſt.* 5 in qua illum expreſsè refellit, & anteà refellerat *in parte naturali*, *fol.* 526. *à* §. *illo*, qui incipit: *Alter modus eſt*, &c. Verùm in *quæſt* 5. *citata*, mutata B opinione, quam iam refero ſequitur.

C A P V T II.

In quo opinio noua Magiſtri de independentia caloris exponitur.

NOuum ergo modum philoſophandi ſequutos Magiſter *quæſtione illa* 5. *fol.* 272. *in fine quæſtionis* ſic loquitur: *Sed alter modus occurrit, vt calor ſit independens ſine concurſu formæ ſubſtantialis, propter terminum putredinis, cui adeò coniunctus eſt calor, & vnitus, vt* C *toto tempore, quo ille durat, calor etiam perſeueret.* Terminus autem durat etiam ablato putrefaciente, & ita conducit ad caloris conſeruationem in genere cauſæ materialis: Quod verò terminus putredinis deficere non poſſit, probat; quia non defectu ſubiecti, cùm maneat idem, neque defectu termini, vt in relatiuis, neque defectu conſeruantis efficientur, quia ab illo non pendet, vt videmus perſeuerare rem cum ſua putrida qualitate etiamſi ab alio refrigeretur: neque à contrario, quia ſi aliquod contrarium eſſet, maximè terminus coctionis corrumpens per incompoſſibilitatem formalem. *Probabo autem* (inquit) *infrà verè, & propriè contraria non eſſe.*

Sed obiicit ſibi Magiſter, quia licet terminus pu- D tredinis non deficiat, nec poſſit, ſaltem poterit res putrida producere frigiditatem illam, quam per actionem agentis calidi deperdidit, & inde quamvis non auferatur putredinis terminus, deſtrueretur tamen calor ab agente putrefaciente productus per frigus, quod forma ab interno principio producere poteſt. Reſpondet, quòd non corrumpitur calor, quia putredinis terminus impedit frigoris emanationem, quia ſicut impeditur, quando agens calidum eſt præſens, ita impeditur ratione diſpoſitionis materialis. *Neque obſtat* (inquit) *quòd videar iam incidere in opinionem à me anteà negatam, nimirum non eſſe dandam diſpoſitionem materialem ad productionem primarum qualitatum intenſiorum.* Reſpondet enim ſe illud non negare quomodocunque, ſed negauit ſolùm, quòd intenſior calor quàm ſit E naturalis, non procedat ab interno principio ratione diſpoſitionis putredinalis: benè tamen poteſt impedire illa diſpoſitio putredinalis emanationem naturalis frigoris.

Hic nouus opinandi modus videtur mihi tam improbabilis, vt primus ab eodem Magiſtro refutatus: eius autem falſitas ſatis conſtat, quòd nullo fundamento Philoſophiæ nedum apparenti ſtabiliatur, ſed tota doctrina ad libitum adducta eſt, & ſolùm ad reſpondendum parata. Non enim explicat, quæ coniunctio ſit illa, quæ inter calorem intenſiorem naturali, & putredinis terminum ab eo admittitur, quia ſi terminus ille calorem, à quo emanauit, conſeruare efficienter non poteſt, vt eſt euidens, quia non poteſt producere

calo

calorem, nulla coniunctio datur, vt calor cum illo termino duret. Quod autem dicit de dispositione materiali, nempe quod conducat ad caloris conseruationem in genere causæ materialis, improbabile est, vt aurà monstrauimus, quoniam si calor in tota sua latitudine putredinis terminum requirit, vt recipiatur in subiecto, quod euidenter constat in igne, in nullo subiecto ab ea dispositione pendebit, sed omninò disparate se habebit respectu caloris conseruationis; nam conseruare in genere causæ materialis, est esse requisitum quod conseruat, vt materia eum calorem recipiat; calor verò recipitur ante productionem illius termini putredinis, & ita non potest esse dispositio ad calorem in genere causæ materialis. Imò si dispositionem, quam in subiecto putredo inducit consideremus, potius est ad non resistendum agenti contrario, quia subiectum putridum, mollius, laxius, rariusque reddit, & nimis patibile à causis extrinsecis, cùm omne putridum facillimè in vapores abeat, & à quouis leuissimo impetu dissoluatur. Quòd si alia coniunctio tam firmum, & stabilem calorem redderet, vt forma propria contra illum pugnare non posset, similis resistentia respectu agentium externorum in putridis daretur, quod non est verum, imò si humor putridus euomatur, statim infrigidatur. Et ratio à priori est, quia omnis forma, quæ ob coniunctionem cum alia plus resistit, solùm id sortitur, quia potest ab alia effectiuè conseruari, aut quia ratione illius, cum quo coniungitur, ponatur in materia conditio aliqua, vt plus resistat, vt de densitate, & crassitie Philosophi affirmant. Terminus autem putredinis calorem efficienter conseruare non potest, quia nec producere. Dispositio verò in materia derelicta, quæ sensibus patet, est potius ad facilius patiendum, vt diximus. Vnde ergo Magistro constare potest, quòd calor ille tam potenter frigori à forma producendo ratione illius termini resistat.

Secundò argumentor, quia in opinione Magistri, si per simplicem alterationem quævis res putrida refrigeraretur, cessaret febris ab illa producenda, & maneret terminus putredinis sine calore à quo productus fuit. Probatur clarè, quia calor non potest redire de nouo, cùm à forma rei putridæ non sit producibilis, neque ab illo conseruetur, vt putat Magister, neque à putredinis termino de nouo produci potest, cùm sit effectus æquiuocus caloris, & per consequens minus principalis: vnde quilibet humor putridus per simplicem refrigerationem maneret temperatus, quia nullus gradus violenti caloris semel corruptus potest redire, neque in Magistri opinione esset hectica febris, quia facillimè non sanaretur, cùm aliud non exposceret, quàm refrigerationem; statim enim omnis calor hecticus cessaret, quia semel infrigidato corpore, non datur in illo principium aliquod caloris febrilis productiuum: quod quàm falsum sit, experimentum docet.

Plurima etiam Magister dicit difficillima. Primum, quòd terminus putridinis non pendeat in conseruati à qualitatibus illum producentibus; id enim non probat; est tamen improbabile, quòd putredinis terminus non possit desinere nisi per subiecti corruptionem: hoc planè repugnat secundis qualitatibus, quæ ad modos substantiæ reducuntur, cùm omnes mutentur, si corpus violenter alteretur, vt in metallis liquatis experimur: duritiem enim, consistentiam, crassitiem, & soliditatem, concretionem, & firmam partium vnionem violentia caloris deperdunt, & nouos modos acquirunt, vt mirum sit, quod cum ea violenta mutatione in primis, & secundis qualitatibus antiquam metallorum formam retineant. Et ratio Philosophica, & efficax contra Magistrum est, quòd in contrariis agentibus semper datur virtus contraria ad oppositos

A effectus producendos: vnde qualitates oppositæ eis, quæ induxerunt terminum putredinis, necessariò producent modos substantiæ, & qualitates secundas putredini oppositas, & per consequens deficiet terminus eius, quamvis non deficiat subiectum; sicut apertè deficiunt modi substantiæ naturaliter mixto corpori competentes per eductum termini putredinis: vnde quòd per coctionis terminum non corrumpatur putredinis terminus, mihi improbabile apparet, quia si putredo partium consistentiam, duritiem, vnionem, odorem, saporem, & alios modos substantiæ per coctionem acquisitos demolitur, cùm sit putredo mutatio totius substantiæ putrescentis in corruptelam, planè constat, quod terminus putredinis habeat incompossibilitatem cum perfectione, & qualitatibus per co-

B ctionem acquisitis; & vt hæ qualitates mutantur adueniente putredinis termino; sic quæ ab hoc inductæ fuerunt, per coctionis terminum mutabuntur, quod planè sensus assequitur in sedimento, & parte ex materia putrida factis, cùm tam diuersæ qualitates in putrido humore, & sedimento perfectè cocto inueniantur: neque hactenus aliquis negauit, vitia, & incommoda putredinis non emendari coctione; & expressè Galenus explicans coctionis naturam dixit, esse mutationem facientem cessare putredinem; quod nisi per realem incompossibilitatem inter terminos, & causas eorum productiuas fieri non potest.

Tertiò vrgentes argumentor contra Magistrum. Om-

C nis dispositio materialis ad conseruationem alicuius formæ conducens confert æqualiter cuicunque gradui eiusdem qualitatis, vt densitas quemcunque gradum qualitatis actiuum reddit, & raritas quælibet effæminat: ergo si terminus putredinis ob coniunctionem illam à Magistro machinatam cum calore, reddit calorem ita resistentem, vt minus à contrariis vincatur, hoc etiam erit verum respectu cuiusvis gradus caloris. Vnde si febricitans hecticè ab agente externo alteraretur, hecticum calorem intendens, tam difficulter ab hoc calore de nouo suscepto se liberaret sicut à calore hectico. Patet, quia est in subiecto dispositio putredinalis, quæ ob coniunctionem illam, quam cum calore sortitur, calorem vigorat, & plus resistentem

D facit. Illud autem esse falsum, experimento constat, si hecticus irascatur, aut exerceatur; statim enim ab eo calore de nouo acquisito reducitur, & nullo modo ab hectico, cùm contrarium deberet contingere; quia cum dispositione calorem roborante datur minus frigoris, quo forma possit iuuari.

Tandem, quia ponere conditionem materialem, quæ ita calorem confortet, & omnem actiuitatem agentis naturalis contrarij destruat; est omninò chimæricum, & sine fundamento physico dictum: vnde sicut humor putridus à quovis agente frigido extrinsecus applicato reuera alteratur, & reparatur aliquid, sic à propria forma, quæ agens æquiuocum est, & tam potens sicut agentia extrinseca, potest reparari calor frigoris productione, & tandem omnis entitas putrida

E se ipsam omninò reducet; quod argumentum demonstratio mihi apparet, quippe si agens frigidum, vt dico, humori putrido applicetur, aliquid caloris ab eo deobstruet: ergo cùm forma rei putridæ habeat vim producendi frigiditatem vt duo, & vt tria, quia habet vim producendi eminenter totum, quod formaliter frigiditatis habebat, & fit applicatio maior respectu passi, quàm in externo agente, & sit penetrata cum illo, non est probabilis opinio Magistri, quod tota actiuitas formæ tam imbecillis sit reddita, quod nihil agere possit. Et hoc efficaciùs probatur, quia virtualis continentia semper producit magis quàm formalis, quia hæc in passo totum quod potest, ob distantiam non producit; formæ verò non distat, totusque con-

cursus

cursus formæ applicatur sine aliqua virtutis repassione, quia entitas formæ immutabilis est, quod in qualitate formaliter agente non datur, cùm ad pensum repassionis, vt aliquid entitatis deperdit, actiuitatem etiam simul amittit: tota ergo opinio Magistri claudicans cernitur, nec rem idoneam reddit, cur forma rei putridæ actiuitatem amiserit, & calorem violentum corrumpere nequeat. Nec minus improbabilis est eius doctrina, quod amittat eam dispositionem materialem ad id quod præcedit totaliter eam dispositionem, cùm totus calor sit prius in subiecto, quàm terminus putredinis producatur. Vnde implicat, quòd terminus ille in genere causæ materialis sit conseruatiuus caloris, cùm iste sit ante illud, & illius causa.

CAPVT III.

In quo propria sententia de calore independenti exponitur.

SEntentia nostra affirmat nullam qualitatem ex primis immutabilem à primo principio fieri posse in subiecto, cui violenta sit sine causa extrinsece conseruante; & si hæc deficiat, statim se reducere ad antiquam temperiem, & per consequens quidquid non reducitur ex eo esse, quia iam per alterationis vehementiam in nouam aliam substãtiam fuit permutatum, cui ea qualitas naturalis sit, & ita nullam febris causam dari per putredinem, aut vstionem sine formæ mutatione, & aduentu nouæ, cui calor ille naturalis sit, & inde reduci non posse, quia eum calorem petit. Hanc sententiam in prælectionibus *de febris essentia, quæst.* 12. latè explicuimus, in qua persistimus modò, quoniam tantis philosophicis difficultatibus, vt reliqui modi dicendi, implicata non est. Veritas huius assertionis ex duobus pendet. Primum est, quod in externis experimur quidquid forma non mutauit, etsi vehementer alteretur, vt mutatio fiat, non solùm in primis qualitatibus, sed etiam in secundis, & modo substantiæ, statim ac agens iam vehementer alterans euanuit, aut separatum fuit, se reducere in antiquam, & sibi naturalem temperiem, probauimus metallorum exemplo, in quibus iam violenta alteratio fit, vt etiamsi omnem substantiæ modum amiserit, quia tamen tam præternaturalis alteratio formam ipsorum non potuit corrumpere, separato igne ab interno principio deperditas qualitates recuperat cum antiquo modo substantiæ; non potest verò (vt antea retulimus) maior immutatio fieri quàm metalla tam solida liquari, tam dura emolliri, tam consistentia efferuescere, & quæ indiuisibilia sunt, & tam tenaci vnitate continua seruabantur, tam violenter disponi, vt quolibet impetu vnitatem partium deperdant, & quæ ex propria natura frigida sunt, ita vehementer feruere & vri, quæ omnia naturæ incommoda forma perseuerans emendat, & superat. Vnde ergo si putredo, aut vstio formam non mutauerit, cui tantus calor debeatur, sic viribus naturalibus formæ, quibus semper totam naturam tuetur, & instaurare procurat, obstabunt, ne aliquid caloris separato iam agente alterante corrumpere possit. Ego quidem, vt omnis actio formæ in hac opinione euanuit, sic & corrupiam formam esse infero, cùm nullum agens naturale vim innatam agendi sensibilem habens, ab omni actione per præsentiam contrarij destruatur: vt ergo implicat, quòd vnicus caloris gradus ab omni actione priuetur, etiamsi summum frigus ei approximetur: sic repugnat, quòd forma agentium naturalium (si manet) non producat aliquid separato iam agente extrinseco, ra-

A tione cuius debitam sibi temperiem restaurare incipiat: quod si facere non valet est, quia ratione putredinis, aut actionis mixtum nouum, cui tantus calor debeatur, gignitur,

Secundum principium ad nostræ sententiæ confirmationem sumitur, quod nunquam os, aut carnem, aut quamlibet aliam partem corporis putridam esse percipiamus, cui vita iam non defecerit, & ab aliis separetur, ne reliquas sanas inficiat: quæ est expressa Galeni sententia per loca infinita, vbi ab humoribus putridis in facto nullum commodum, neque emendationem sperat, sed statim reiiciendos esse docat, quia ad suam naturam restitui non possunt, neque vt nutriant apti sunt; qui verò in via sunt ad putredinem, refrigera-

B tione, exsiccatione, & ventilatione emendari tentat, vt antiquam bonitatem recuperent, & vtiles fiant naturæ. Sic *Aphor.* 17. *comment.* reliquit scriptum. Verba Galeni sunt: *Hoc quidem in sanguine euenit, nam & ipse vbi magna in eos sit facta corruptio, non redit amplius ad habitum naturalem: si vero parua fiat, vbi id, quod superfluum est, fuerit euacuatum quod residuum existit, ad suam naturam restituetur, &c.* Cùm ergo nulla corruptio maior in humoribus quàm putridos esse detur, constat verè corrumpi substantialiter, quando iam ad habitum naturalem restitui non possunt: non possunt verò omnes qui sunt causa veræ febris putridæ in omni opinione, quia iam habent calorem in habitu, seu in facto, & non in sedimentum, aut pus permutari secundùm partes crassiores possunt: secundùm

C tenues verò in fuligines abeunt. Sic Galen. 11. *Meth. cap.* 9. dixit: *Ergo a corporibus, quæ sic afficiuntur, expellenda, quæ putruerunt per vrinas, & aluum, & sudorem,* &c. Quia verò coctionem etiam vt putredini aduersam sæpè Galen. enumerat, & id experimento constat ex ipsa coctione, efficax argumentũ contra Magistrum conficio ad probandum, quòd partes solidæ, & viuentes se reducant necessariò à calore putredinis violento, si non mutarunt formam. Probatur: si humor putridus sanis applicetur, coquitur à partibus, & in pus, aut sedimentum mutatur. Deinde euidens est, quòd forma viuentis producit, & conseruat temperiem sibi debitam: ergo cùm illa producat totam temperiem, tantam vim habet sicut temperies ipsa, quia est eius effectus: ergo sicut temperies naturalis corrumpere po-

D tuit calorem humoris, etiamsi magnam illam vnionem cum termino putredinis haberet, potest non minus forma partium calorem putredine acquisitum frigoris productione corrumpere. Patet quia forma est agens tam validum, sicut temperies ab ea producta: sed hæc calorem humoris putridi corrumpere potuit: ergo & forma calorem ipsum putredine inductum destruet, & id multò efficaciùs operabitur, quia temperies partis non potest totam intensionem in humore producere, quia distat, neque tam potenter operatur ob eandem distantiam: forma autem cum materia, in qua operatura est (sicut penetrata) non habet, à quo ratione distantiæ actio diminuatur, vt habet temperies, & per consequens natura ipsa efficaciùs

E multò calorem violentum destruet, cùm possit alioqui forma ipsa habere vim producendi frigiditatem intensiorem, quam habeat formaliter, erit euidens, efficaciorem esse ad producendam qualitatem sibi debitam, quàm sit temperamentum formale. Ratio à priori nostræ conclusionis est, quòd ad inueniendam distinctionem specificam formarum non datur aliud maius indicium, quàm in hoc subiecto dari modò temperamentum diuersum, quod in eo duret, neque ab interno principio permutetur, aut ab illo reducatur: hoc autem in rebus putridis habentibus calorem in facto manifestè inuenitur; nam præterquam quod sunt à prædominio calida, cùm priùs essent à prædominio frigida, & talem calorem conseruant, habent etiam omnem

omnem modum substantiæ peruersum, cum insigni fœtore, qui anteà non erat; quæ permutatio in omnibus dictis qualitatibus durat, etiamsi agens putrefaciens non sit: signum ergo est, nouam formam introductam fuisse, cui calor excessiuus debeatur, & tot permutationes in aliis qualitatibus; & inde procedit, quod vsta, putrida, & cocta reddantur calidiora & in facto, quia illæ permutationes à calore fiunt cum mutatione formarum, quibus maior calor, & aliæ qualitates debentur. Constat autem vt priùs diximus, quòd cùm qualitates per putredinem, vstionem, & coctionem productæ sint tam distinctæ, nequeant idem impedimentum reductioni ponere, neque conferre ad conseruationem, aut emendationem eiusdem qualitatis in specie infima. Hanc doctrinam tradit planè Galenus 2. *Prorrhet. text.* 17. ex vstione lignorum dicendo: *Simile enim quippiam contingit, sicut in lignis euenit, quæ proximè mollem ignem sunt applicata; calefiunt siquidem valdè, sed nondum inuruntur. Quæ si prius ab igne separaueris, quàm inuri incipiant, celeriter contractam caliditatem deponunt. Si vero tantam in se exceperint, vt inuri incipiant, etiamsi ab igne tollantur, nihilominus inuruntur: quod si lignum humidum in ignem eundem coniiciatur, non protinus accenditur, vt si vel stupam, vel calamum siccum, vel ely-bnium conieceris; & si post paulò lignum huiusmodi sustinueris, breui post interuallo deponet eam, quam ab igne contraxerat, alterationem.* Quibus clarè dicit Galenus, quòd alterata esse corpora, & in facto, non euenit, quousque mutata sit forma ligni in igneam, propter vstionem, & si vstio facta non sit, reducit se lignum statim ac separatur ab igne calefaciente, & hoc appellat Galenus alterari; vstione verò alteratum esse lignum.

Opinio nostra de calore hectico, quòd à causa dependeat, colligitur clarè ex mente Hippocr. *lib. de veteri medicina*, vbi probat, quod distemperies simpliciter sine materia statim ac causa defecit, deficiunt etiam, ita vt calor non lædat præcisè, non solùm quia calor, sed quia in materia acerba, aut dulci, aut acida, aut salsa subiectetur. Verba sunt: *Non enim calidum est, quod magnam per se vim habet, sed si simul fuerit vel acerbum, vel insipidum, vel alia ex iis, quas retuli, qualitatibus imbutum, tum in homine tum extra hominem.* Et paulò post sic loquitur: *Eo igitur tempore si aliquando frigidum intus generetur, & hominem primum corripiat, propter hoc ipsum statim adest calidum, ex ipsomet homine, nullo alio auxilio, neque præparatione opus habens.* Quod de calido etiam inferius eodem modo docet, nempe quòd ab ipso homine frigus emanet calorem illum destruens; & id probat multis exemplis. Et inferius posito argumento contra suam doctrinam, quomodo laborantes febre ardente, aut pulmonia, & aliis vehementibus morbis, non statim, ac citò à calore liberantur: nec frigiditas ab interno principio contra calorem febrilem insurgit? Respondet: *Atqui ego hoc maximum signum esse puto, quod non propter calidum simpliciter homines febricitent, nec hoc simpliciter affectionis causa, sed idem est simul amarum, & calidum, & acidum, aut salsum, & calidum, & alia infinita: eodemque modo frigidum cum aliis facultatibus coniunctum: hæc itaque sunt quæ lædunt, quibus omnibus adest calidum, robore quidem præditum in deducendo, & incitando, & augendo communi cum illis, peculiarem verò nullam aliam vim maiorem, quam conueniat, habens, atque hæc quidem in se habere ex hisce signis primum manifestissimè constabit, quorum omnes iam sæpè experientiam sumpsimus.* Legantur exempla immediatè posita in huius rei confirmationem.

Quam doctrinam exponens doctissimus Zuingerius *fol.* 44. docet, causas febrium mediatas tradens, vt proinde causa continens materialis ipsius febris sit flatus à materia qualicumque excitatus, formaliter ipsa caloris concentratio, & dispersio: antecedens verò cau-

A sa sit ea, à qua flatus iste sui motus, vel materiam, vel motum obtinuit; ita quidem vt continens immutetur, & exprimat naturam causæ antecedentis, à qua excitatur substantia vel aërea, seu spiritus inflammabilis, vt in Ephemeria, vel aquea, seu humor vapidus, aut vapor humidus, vt in putridis, vel terrea cineris, aut calcis instar, vt in hecticis: ergo respectu vtriusque causæ febrium difficilè assignari posse videtur, nimirum quoniã per calorem à materia fæculenta sponte naturæ irritatum causa febris antecedens, vel absque intermissione, vel absque materia manifesta: sic in hectica solidæ partes igne febrili semel concepto perpetuam incalefactionem cordi quoque communicant, & calcis instar alimento irrigatæ à cibo euaporant, vt hinc calor videatur intendi hecticæ, proinde à materia terrea, & sal-
B sa calci quid simile habenti excitantur; quæ materia solidis infixa iugi euaporatione cordi communicatur. Hæc Zuingerius. Putat ergo Hippocr. omnem calorem febrilem à causa pendere, aut salsa, aut acerba, aut acida, aut dulci, aut amara, &c. & optimè exemplis explicuit: & non minus aptè Zuingerius, qui materiam salsam, terream, & calcinatam vt hecticarum causam retulit, & sic explicatur optimè siccitas hecticarum, quam in primis diebus Galenus inquirit, & quomodo humectantibus, & renutritione, & balneis curari debeat.

Notandum rursus, quòd in mea opinione de incalescentia maiori à cibo omnis hectica in rigore non fit nisi ab hac materia calcinata, quæ ab humiditate
C cibi adducitur, aut calx: aut est necessariò admittenda siccitas densans interna viscera, intra quæ conclusa maneat substantia fuliginosa febrem creans; reliquæ verò species, aut reliqui modi, quibus habitualem calorem exposuimus, impropriè hectica erunt, & illud signum incalescentiæ à cibo deficiet.

Verùm quia nostra sententia omnibus noua apparuit, cùm nullus hactenus eam adduxerit, in ipsa nouitate statim falsitatem includi putarunt, & contra eam sequentia difficilia adduxerunt. Primum est, quòd cùm omnis putredo calorem in facto constituat, & non quælibet putredo formam præexistentem destruat, sit necessarium fateri febrem sine mutatione formali. Patet, quia cùm terminus putredinis magis & minus sus-
D cipiat, & forma non desinat esse, per quemlibet gradum contrariæ dispositionis detur necessariò remissa putredo, sub qua forma præexistens durare potest, & cum illa putredine febrem causari.

Secundum est suo videri efficax, eo quòd Medici naturam cuiusque febris putridæ agnoscunt per signa humoribus naturalibus debita, & quòd febris sit biliosa ex colore pallido, aut flauo, amarore, siccitate, mordacitate, & vomitibus, aut deiectionibus bilem naturalem ostendentibus: ergo sine mutatione formæ humor, qui reuera est causa febris, eam induxit, cùm portio manens interius eiusdem naturæ sit cum humore expulso; hic autem sæpè naturalis ostenditur.

Tertiò, quia calor hecticus ex affectu partium viuentium oritur absque aliqua causa extra illas: vnde
E partes viuentes cùm habeant calorem in facto, erunt in mea opinione cadauerosæ, cùm mutationem formæ semper supponant ad calorem in facto. Hoc autem quàm absurdum sit, experimento constat, & hoc est argumentum contra meam opinionem aduersariorum Achilleum; etiam sequererur, dicunt, quòd hectica febris duplici indicatione esset curanda, quia cùm à parte cadauerosa dependeat, & hæc sit reiicienda, est duplex indicatio, vna à causa, & altera à febre, quod apertè Gal. refragatur, nullam indicationẽ à causa aliqua in hecticis sumenti; rursus esset iam calor hecticus dependens, quia calor, qui rationem febris participat, cùm sit morbus, in parte viuenti debet subiectari: at verò partes in facto calorem habentes, si formam mutarunt, vt opinor, mortuæ

mortuæ iam ſunt, neceſſariò ab eis calor febrilis he- A ćticus pendebit, quod etiam Galeno vbique aduerſatur.

Ad primum reſpoudeo facillimè, quod non omnia putredo cauſat febrem, quia non quælibet calorem in facto conſtituit, ſed illa ſolùm, quæ ad formæ mutationem coëgit, quia ſi forma mutata non fuit, reſtituet ſe in naturalem temperiem ablato alterante, & hæc fuit doctrina Galeni adducta ex *Aphor.* 17. *ſect.*2. vbi eodem modo in humorum putredine, atque in vino, quando in acetum mutatur, fuit philoſophatus. *Vbi enim*, inquit, *ex toto vina acida facta ſunt, non redeunt rurſus ad vini naturam, paruo autem in ipſis facto momento, ita quod acidum quidem habeant ſaporem, nondum tamen acetum ſint, multa ſæpius priſti-* B *nam naturam recuperarunt: hoc quidem* (inquit) *in ſanguine euenit; nam & ipſe vbi magna in eo ſit facta corruptio, non redit ampliùs ad habitum naturalem: ſi verò pauca fiat, vbi id, quod eſt ſuperfluum, fuerit euacuatum, ad ſuam naturam reſtituitur, & quidem conſuetum eſt huiuſmodi diſpoſitionem, non corruptionem, ſed multitudinem nominare, illa ſola vocata corruptione, quæ tam magnam habet eam, quæ contra naturam eſt, conuerſionem, vt non poſſit iterum per naturæ coctionem ad primam humoris bonitatem redire.* Hactenus Galenus. Ex quo noſtræ opinionis probabilitas facilè elicitur, nimirum quòd omnia humor febrem faciens iam mutauit formam, & qui eam non deperdidit, priſtinam temperiem recuperat. Conſtat hoc vltimum, quia Galenus dicit, quòd id C quod in ſanguine leuiter per putredinem fuit permutatum, poteſt ad primam bonitatem redire, & propterea non dicit corruptionem, ſed multitudinem: ergo non omne putridum in opinione Galeni eſt incapax reductionis, id autem quod capax eſt, non habet in facto calorem, quia ſe reducit, ſi agens ipſum alterans ſeparetur, & inde etſi corpus calefaciat, febrem non inducit, quia calor nundum eſt vltimatus, vt Auicen. de calore exercitij, aut iræ in febris definitione tradidit: eſt enim illud incaleſcere, non incaluiſſe, quod ad febrem eſſe neceſſarium Galen. tradit expreſsè 1. *de diariis febr. cap.*1.

Quando verò humor iam incaluit, & eſt cauſa febris, corruptus eſt, & formam primam amiſit, cùm Medici omnes fateantur, non poſſe nutrire, ſed in pus, aut in ſedimentum, aut in fuligines commutandum D eſſe: ergo vt Galenus diſtinxit, incaleſcere, & incaluiſſe, & primum non eſſe ſatis ad febrem docet, ſecundum autem requirit; eodem modo in termino putredinis philoſophandum eſt; aliud enim eſt putreſcere, aliud iam putridum: primum non eſt ſatis ad febrem inducendam, quia non deſtruxit formam, & ſic ab ea præternaturalitate ſe reduxit: ſecundum verò, nempe putruiſſe, eſt neceſſarium, vt calor in facto ſit, quia formæ de nouo introductæ debetur, & ita durat, & febrem generat. Vnde & falsò ſupponit opinio contraria, quòd quælibet putredo calorem in facto conſtituat, cùm id ſolùm putredini mutanti formam conueniat, vt calor laboris, aut iræ, & ſi ſanguinem, & ſpiritus calefaciat, eoſque extenuet, rarefaciat, & E efferueſcere cogat, & cor ſatis intensè ſuccendatur, non inducit febrem, quia forma ipſorum mutata non fuit, ob quod ſedata paſſione, aut homine quieſcente ſtatim ab interno principio attemperari incipit.

Argumentum ſecundum nihil probat, quia de accidentibus communibus procedit, tum etiam quia non conſtat euacuari materiam putridam in acceſſionum principiis, ſed quæ ad focum mittenda erat, vt in illo concepta putredine acceſſionem efficiat, præterquam quod in eadem humoris portione quædam partes breui corrumpi poſſunt: aliæ autem minimè, quia neque omnes ſunt vniformes, neque agens omnibus partibus humoris æqualiter applicari poteſt, & ita in humoribus expulſis quamplurimæ partes non mutatæ in accidentibus humori debitis naturaliter apparebunt; nemo dubitat, ſuccum crudum à pituita naturali ſpecie differre, cùm hæc per coctionem à iecore fiat, illa verò in ventriculo ex parte inepta, vt nutriat, creatur: & tamen in accidentibus tam vniformia ſunt, vt ſenſibus diſtingui, quando febrem producunt, difficillimum ſit. Ratio à priori eſt, quia in mixtis diuerſæ ſpeciei non dantur paſſiones propriæ, quibus vnum ab alio diſtinguatur, ſed temperies primarum qualitatum ſecundum magis, & minus variata ad diuerſas formas ſpecie diſponit: vnde ex eo quòd hic humor amarus ſit, hic mordax, calidus, & tenuis, rectè intelligitur, quòd ad bilioſum genus pertineat, non tamen quòd ſit bilis naturalis, ſed ſpecie ab ea differre poteſt, & per conſequens noſtra doctrina ex hoc facilius ſuadetur, quia cùm non dentur accidentia propria cum ſpecie conuertibilia in mixtis inanimatis, nullum argumentum efficacius datur ad ſuadendam diuerſitatem ſpecificam, quàm quòd pituita putrida ſit calida à prædominio, cùm eſſet naturaliter frigidiſſima eorum, quæ in corpore dantur, & ab eo calore per putredinem concepto nequeat ſe reducere, & ſic de reliquis accidentibus philoſophandum eſt, quando de nouo habitualiter in ſubiecto inueniuntur.

Reliqua argumenta proprium locum inferius obtinebunt, vbi diſcutietur, ſi in hecticis eodem modo ſit philoſophandum.

CAPVT IV.

In quo fundamenta contraria diluuntur.

PRimum argumentum erat de motu locali calorem cauſante, ratione cuius ponebatur raritas, quæ ad caloris nouam emanationem conducebat, quatenus denſitas poteſt eſſe impedimentum, ne ab interno principio tantus calor oriatur: hoc autem argumentum nihil probat, quia etſi illud fundamentum concedatur, non poteſt omnibus mixtis conuenire, quia D non omnia intenſiorem calorem continent eminenter, quàm habent formaliter; & inde quamvis rareſiant per motum, aut impulſum, non orietur nouus calor, neque per putredinem, aut vſtionem: qua ſolutione confirmatio de medicamentis in potentia calidis ſoluitur, quoniam cùm omnia mixta non ſint potentiâ calida, non pullulabit ab interno principio calor intenſior, etiamſi vrantur, aut putreſiant, quod eſt contra communem doctrinam Medicorum dicentium cum Ariſtotele: *Omnia putrida calidiora eſſe.* Illud tamen notare oportet, quod medicamentum in potentia calidum, quando actuatur, poteſt corpus noſtrum calefacere, & non calefacere ſeipſum, eo quòd potentia illa media, qua calefacit, operatur ex propria natura tranſeunte E actione, & per conſequens ſemper operatur extra ſubiectum, cui ineſt; quod cum ſit probabile, argumentum adductum de calefactione interna à talibus medicamentis nihil probat, quia ſupponit falſum principium, & id indicat piper vomitu reiectum, quod interiora nos vrit, & ſi ſtatim quod vomitu reiicitur, tangatur, non calefacit manum moleſtè, quia in ſe non eſt calidius formaliter, quàm eſſet ante actuationem. Qua doctrina confici poteſt argumentum ad probandum contra communem conſenſum Philoſophorum, quòd penetratio agentis cum paſſo tollit omninò phyſicam actionem, quia calor ex propria natura operatur tranſeunter, & ita ſemper extra ſubiectum, cui ineſt, ita vt actio tranſiens ſit ex propria natura actio ſitualis,

ita

ita vt in eo situ, aut loco, in quo agens calidum est, nequeat operari, & cùm passum penetratum in eodem loco, & situ collocetur cum agente, eo ipso quòd agens debet extra se agere, repugnat, quòd passum intra se contentum alterer, quia non minus est extra propriam sphæram per penetrationem, quàm per magnam distantiam, quia est in loco non debito & actioni transeunti improportionato, ita vt actio transiens non solùm dicat productionem in externum subiectum, sed etiam in situm, & locum ab agente diuersum, vt actio immanens non tantùm dicit operari in eodem subiecto, sed necessariò etiam in eodem loco: & à simili deducitur, quia nihil communius in Philosophia, quàm per densitatem agentia efficacius operari; & tamen si ita densentur, vt ad punctum reducantur, nequeunt operari, quia tollitur commoda extensio localis: agentia verò corpora absque extensione aliqua operari nesciunt.

Tertium argumentum est præ cæteris difficillimum, si communis doctrina Philosophorum sequatur de vnitate animæ; est autem communis solutio, quòd anima producat tam diuersa temperamenta in partibus corporis propter diuersum modum informandi, à quo quasi determinatur, ne in osse aliud quàm frigiditatem, & siccitatem à prædominio producat: quam solutionem Magister noster in suis operibus semper reperit, est tamen doctrina difficilis vt non intelligatur facilè, quid sit diuerso modo informare; omnis enim informatio non est aliud, quàm formam proprium esse communicare subiecto, aut materiæ, quod æqualiter in omnibus partibus exequitur forma, cùm tota vinculo intimo cuicumque parti vniatur, & cum omnibus penetretur. Potest tamen dici modos informationis differre partialiter specificè, vt ipsæ partes in anima habente illas eodem modo differunt, & ab hac diuersitate determinari: neque animæ debetur alius concursus à Deo, pro vt eos informat, nisi ad siccitatem, & frigus à prædominio: si autem hoc dicatur, & talis modus informationis inuariabilis est, vt est reuerà, nunquam ab interno principio animæ aliud temperamentum procedet, cùm determinatio ad illud semper sit eadem: differre autem partes diuersas viuentis specificè partialiter, iam est communior doctrina, quam doctissimè exagitat P. Hurtado de Mendoza *disp. 2. de anima, sect. 5. fol. 501. p. 171.* & vt pars animæ, quæ carnem constituit, differt substantialiter à parte ossis, ita petit diuersam temperiem, eamque conseruat; sic anima indiuisibilis; vt rationalis, nihil aliud est vt est forma corporis viuentis, quàm ordo ad partes diuersas, & inde informationi eius prout in esse non debetur alius concursus, quàm ad ossis temperiem, & idem de aliis partibus intelligendum est. Est tamen hoc discrimen inter animam diuisibilem, & rationalem: quòd hæc solùm petit distinctionem in extensione informatiua, cùm in hac sola eueniat; animæ verò diuisibiles in ipsis partibus substantialibus substantialem etiam distinctionem patiuntur.

Ad quartum respondetur, non esse omninò certum, quòd influxus cerebri in neruos, & cordis in arterias oriatur immediatè ab anima: concedentes enim diuersas potentias, & ab anima distinctas realiter, dicent, illam qualitatem à determinata facultate produci, & non ab anima: & illa facultas datur in cerebro, & non in neruis. Opinantes verò non dari potentias ab anima distinctas realiter, dicent, quòd non sit capacitas in neruo, vt ab anima illum informante ea qualitas producatur; esse verò in cerebro, & eandem in arteriis non dari, esse autem in corde, & hoc pendere ex determinata temperie, & modo informationis diuerso: & vt in his distinguantur cor, & arteriæ, & cerebrum & nerui, sic in corde potest esse

A dispositio, vt in eo producatur illa qualitas ab anima, & non in arteriis, idémque de cerebro, & neruis dicendum est. Est verò intelligenda solutio, quòd dispositio illa se teneat ex parte agentis, & non ex parte passi: neque aliquid probat, quod de ætatibus ponebatur; quoniam hæ aut petuntur ab anima determinata successione, vt fuit opinatus Magister in parte naturali, aut aliud principium habent omninò extrinsecum, consumptionem nimirum humidi radicalis; & si primum dicatur, constat non esse parem rationem, quia illa ætatum coordinatio non pendet ex dispositione aliqua, aut aliquo determinante, sed ex propria animæ conditione eum certo ordine ætatum temperamenta producentis: in alia autem opinione non habet locum argumentum, & sic neque solutione
B na eget. Delirantes autem certum est, quòd causam violentam ab extrinseco productam habent, à qua ea intemperies producitur, & ita nihil ex hoc producitur ad probandum illud placitum.

Argumenta verò contraria probare contendentia, quod id, quod est contra naturam, à propria forma conseruetur, nullius sunt momenti: de ætatibus iam diximus, quòd competunt animæ naturaliter, & nulla est violenta, aut præter naturam, sed mouetur viuens à naturali termino in alium naturalem, quia in nulla ætate est præter naturam, quoniam omnes petit: moueri verò à naturali termino in præternaturalem, competit solùm corporibus determinatam positionem, aut temperiem requirentibus, à quibus, si
C discedant, præternaturalizantur, si cælestia corpora mouentur, & nunquam præter naturam, quia etsi locum mutent, tendunt etiam in locum naturalem, quando circulariter agitantur.

Difficilius videtur quod de monstris dicebatur: ad quod dicimus, quòd non est contra naturam formæ productæ illa dispositio monstruosa, sed contra naturam agentis particularis, & ita temperies illa, aut conformatio ab interno principio conseruatur: sic eodem modo non est contra naturam formæ, quòd informet sex digitos, aut carnem superexcrescentem informet, aut conseruet; habet enim internam capacitatem anima, vt sex digitos, aut plures informare possit, & carnem etiam plusquam per naturam excrescentem; & similiter habet capacitatem ad informan-
D dum membrum huius, aut illius figuræ, quia licet in statu perfecto determinatam positionem, numerum, & figuram requirat, non tamen absolutè; & sic non est contra conditionem, & naturam animæ absolutam, sed contra perfectam: & quia hanc perfectam naturam Medici tanquam mensuram considerant, quidquid ab ea deuiat, morbosum, & præternaturale appellant, quando actionum læsio subsequitur; physicè tamen contra naturam animæ non est, quia ad totum illum informandum se extendit, & ita illud efficienter conseruat.

Quod autem de sedimento, & pure ponebatur, falsum est, quia illæ qualitates sunt naturales formæ ipsorum. De hecticis autem erit propria quæstio; quæ autem coquuntur, si formam non mutarunt, & agens
E coquens separetur, statim se reducunt, vt proprio tractatu probaui; si autem noua forma introducatur, debentur illi tales dispositiones, & sic non se reducit.

CAPVT V.

An hectica febris ex causa pendeat.

EX resolutione de modo, quo calor in facto producitur, in præcedentibus lectionibus relato, videtur quæstionis propositæ resolutio satis perspicua, quia si calor in facto constitui non potest sine mutatione formæ nouæ, cui tantus calor debeatur, ne-

cesse est, quòd causa cuiuslibet febris vita priuetur, nam febris vt talis in viuente debet subiectari, causam tamen viuere repugnat, quia si in partibus viuentibus putredo fiat, vt calor in facto sit, formam mutare tenentur: ergo necessariò asserendum est, quòd omnis hectica febris à causa dependeat, quæ diuersum mixtum omninò à viuente sit. Idem planè constat, si ex putredine totis hectica causetur: vnde cùm Medici alias mutationes, quibus calor in facto, ad febris constitutionem, nisi putredinem, aut vstionem inuenerint, & istæ mutationes calorem in facto sine mutatione formæ non inducant, certum in nostra opinione videtur, quòd omnis hectica causam distinctam à partibus viuentibus sortiatur, & per consequens, quòd hectica omnis à causa dependeat: hoc autem asserere tam dissonum Galeni, & antiquorum decretis videtur, quòd nihil absurdius dici possit; nunquam enim antiquitas in hecticis causam inuenit, neque aliquam indicationem à causa hecticæ sumpserunt, estque sententia expressa Galeni 7. *Meth. cap. vltim.*

Vallesius noster circa independentiam caloris in hecticis particularem modum adduxit, vt sine mutatione formæ calor hecticis producatur, & à propris viuentis forma seruetur: sic enim *lib. de inæquali intemperie in schol. cap.* 1. reliquit scriptum: *Si facta est* (loquitur de distempetie) *non est in corpore, quia fit à causa aliqua; sed illam per se corpus retinet; hoc verò nunquam fit hucusque, dum temperies membrorum, quæ non in proportione qualitatum modò, sed etiam in proportione substantiarum elementalium, scilicet calidi innati, & humidi radicalis, & naturalis frigidi, & sicci permutata radicitus est ad calidius, si talis est facta intemperies, aut ad frigidius, si hæc, aut aridius, aut humidius, aut horum duo secundùm coniugationem; nam dum hoc non est factum, necesse est, intemperiem præter naturam corrumpi sublata causa efficiente citius, aut tardius, vt intemperiem naturalem plus, aut minus læserit, nam insitum est rebus omnibus, dum retinent suas naturas, cùm in affectum præter naturam sunt lapsæ, se ipsas ad naturalem reducere: ergo cum iam ad eum statum deuentum est, vt sublata omninò causa affectus non remittat, constat, naturalem temperiem euersam esse, & eam, quæ est præter naturam, cum naturali conspirasse.* Ex *lib. de febrib. cap.* 2. *initio* sic loquitur: *Tunc ergo febrilem habitum iam habet homo, cùm eius calor nullius causæ præsentia conseruatur, cuius sublatione extingui possit, sed ita est firmatus per se in partibus, vt omninò extingui non possit, aut certè contrariam alterationem desideret*, &c. Verum est mirabile, quod *inferius* Vallesius dicit his verbis: *Quare nulla hectica facilè curabilis; quædam verò omninò incurabiles, quibus scilicet tam naturalis factus est calor, vt in ipsam corporis naturam migrauerit, vt fortasse iam nec morbus quidem sit, sed facta corporis natura, corrupta priori.* Cuius Auctoris doctrinam in codicibus manuscriptis *sup. lib.* 10. *Meth.* Magister noster sequutus fuit, quia non inuenimt solutionem commodam ad dubium de impossibilitatu raductionis, quando quod alteratum est violenter non mutauit formam, & eam alterans iam euanuit. Qui Authores non exposuerunt, quomodo aa multitudo partium elementis calidis correspondentium fiat, vt ratione ipsarum calor hecticus oriatur. Videtur autem ex verbis Vallesij deduci, quòd per nutritionem adquirantur, aliter enim, qua ratione alia noua natura resultare posset corrupta priore, & quia partes nutritione acquisitæ informantur viuentis forma, & hæc temperiem partium conseruat: hinc est, quòd calor hecticus à causa externa viuens non pendeat, sed virtute formæ conseruetur.

Hæc doctrina ingentes difficultates patitur. Sit prima, quòd tantum calorem eminentem in forma viuentis admittat, quòd ipsa sola sit principium adæquatum febris, nullus enim huius communis assignari potest, propter quem tantum calorem eminenter contineat, quo ab interno principio sit peritura, & per consequens supponit hæc opinio non solùm principium probandum, sed etiam falsum. Secunda, quia aut illæ partes calidis elementis correspondentes, & de nouo adquisitæ informantur viuentis forma, aut non? Primum habet difficultatem iam positam, nempè quòd ab interno principio viuens se interimat, & per consequens eius desitionem non esse violentam: si autem non informatur viuentis forma, iam calor hecticus dependens à causa externa viuens non est, quod opinio horum Authorum non admittit, sed quòd non debeant informari viuentis forma, nec possint probo efficaciter: Eodem modo viuentes partes possunt putrescere, quo reliqui humores: sed humores ita putredinem concipiunt, quod per illam non adquirant nouas partes calidis elementis correspondentes: ergo eodem modo membra putrefieri poterunt, sine eo quòd partes viuentes de nouo acquirant. Minor est certa: quia sanguis generatur coctione, & in opinione probabili per actionem vitalem: at putredo est omninò coctioni opposita, aut saltem diuersissima actio: ergo per putredinem nequeunt nouæ partes sanguinis creari calidis elementis correspondentes, & per consequens neque per putredinem nouæ partes viuentis eisdem elementis correspondentes adquiri possunt: prætérquam quod absurdum est, putredine, aut vstione nouas partes viuentis creari, cùm nihil magis ortui viuentium opponatur, quàm putredo, vt docuit Philosophus 4. *Meth. cap.* 1. Est etiam satis dubius modus penetrationis istarum partium, quia quando febris ardens hecticam producit, & causat, omnes viuentis partes calore illo vstiuo alterantur: aut omnes mutantur in calidas, aut nullæ. Patet, quia calor disponens ad hecticam omnes indifferenter disponit: ergo si mutantur in calidiores calidis alimentis correspondentes, ratione dispositionis necesse est, quòd omnes permutentur, & per consequens quòd nullæ partes dentur frigidæ in illa permutatione, quod est contra propriam doctrinam, in quolibet mixto partes omnibus elementis correspondentes admittentem. Si autem dicat ratione caloris violenti omnes partes nutriri, & alimentum disponi cum tanto calore vt ille à forma conseruetur, quia cum tanto fuit introducta, constat id esse falsum, tum ob dicta, quia nulla pars frigida à prædominio daretur: tum etiam quia reductionem tollit à qualitate omninò violenta, quia in materia antecedente præexistebat, quod est contra omnem Philosophiam, cùm nulla forma vniuoca detur, quæ cum dispositionibus sibi omninò indebitis generetur, & quidquid defecit, post generationem producit corrumpendo contrarium, quod in materia necessariò præcessit. Quæ doctrina euidens est in opinione affirmantium, quòd accidentia in materia prima subiectentur: Si autem non subiectentur in illa, sed in composito, non producet forma genita nisi calorem sibi debitum, quia febrilis est contra eiusdem naturam; & totum, quod hanc rationem in materiæ dispositione participat, non disponit ad viuens, vt malè in argumento probabat, & ita non est ratio physica, cur in forma de nouo adueniente conseruari, aut produci debeat: non datur ergo modus probabilis, quo per vstionem, aut putredinem nouæ partes viuentes calidiores ipsi viuenti accrescant, & si quæ accrescunt, non viuunt, cùm istæ febrem producant, iam calor hecticus, vt antea notaui, à causa dependet omninò à viuente distincta, quod est contra propriam doctrinam.

Tertiò, quia sequeretur, quòd si viuens alimentis

tis calidis diutius nutriretur, incideret eo ipso in hecticam febrem. Patet, quia augerentur partes correspondentes elementis calidi, summum frigidas exsuperantes, essetque velut noua natura, calida introducta, vt Vallesius dicebat: hoc est autem contra communem Medicorum placitum non admittentium alias causas febrium, nisi putredinem, aut vstionem. Veiga *lib. 1. de diariis febribus, sect. 4. fol. 660.* explicando, qua ratione distemperies facta detur, duos modos adducit: primus est, si partes humidæ non resoluantur, quæ caloris vim, & actiuitatem euitabant, & inde defectu prohibentis actiuiores fiunt, qui modus omninò improbabilis est, quoniam neque humiditas calorem diminuit, neque si hæc deficiat, intendi potest calor, vt naturalem modum excedat. Secundus modus ad nostrum propositum pertinens admittit reuera, quòd per nutritioné partes calidæ accrescere possint, vt ratione incrementi ipsarum distemperies facta, & morbosa creetur. Verba sunt: *Tum quia vniuntur partes aliquæ fixæ etiam minimè in corpore à valido calefaciente; nam si etiam lapides, & metalla licet plurimum calori fixo renitantur, propter siccitatem immodicam calcinantur, quod est recipere calorem factum, multò magis animalia, quæ multo humore participant. Neque oportet, inquit, quòd corrumpantur formæ, vel putreant; nam per assuefactionem cibi, vel aeris calidi idem animal concipit intemperiem calidam factam, quod eo argumento colligitur, quod illo aere, vel alimento velut contrario ægrotat,* &c.

Sed hæc doctrina etiam est falsa, quia admittit febrem sine putredine, aut vstione, vt opinio præcedens à nobis refutata; est etiam impossibilis acquisitio partium calidarum per nutrionem, ex quibus tantus calor resultet, vt hectica fiat. Constat primò ex Galeno dicente: *Omnia à medio calore naturali coquenda esse*, & per consequens nullum alimentum hoc calidius coctionem admittere potest: quod etiam Magister *proprio tractatu de coctione* fatetur, ita vt quidquid est hoc calidius, non alimenti, sed medicamenti rationem sortiatur. Necesse ergo, quòd calor alimenti calorem partis coquentis nunquam excedat, & ita nunquam in alimento concocto maior caloris intensio, quàm in viuente naturaliter dabitur; quod mihi planum videtur, si à calore viuentis omnem alimenti coctionem celebrandam esse cum Galeno fateamur. Si autem dicas, quòd coctio à toto temperamento fit, & alimentum calidius viuenti à frigore alterari, & concoqui; manet etiam hic modus dicendi improbabilis, quia non explicatur commodè, cur natura ab eo calore maiori, quo non indiget, & est contra eius naturam, corrupto alimento non possit se reducere, vt vitales spiritus in communi opinione, quòd sint calidiores corde, calorem, quem à corde susceperunt, postea intendunt, & per consequens frigus sibi violentum corrumpunt: prætérquam quod hic dicendi modus non potest defendi in opinione dicentium, quòd accidentia in toto composito subiectentur; quia cùm omnia præexistentia ante generationem corrumpantur defectu subiecti, & solùm producantur, quæ formæ genitæ debentur, si hæc non requirit determinatum calorem, aut certam temperiem; hoc solùm producit, & non calorem febrilem, vt putat contraria opinio.

Rursus, quia sequeretur esse admittendam febrem humoralem sine vstione, aut putredine. Patet, quia partes viuentis è calidiori sanguine reparatæ non aliter febrem generant, nisi quia ex alimento nimis calido fuerunt productæ; debet ergo febris humoralis esse absque vlla putredine, aut vstione, quia calor nimius, qui in partibus viuentibus datur, pendet

A ex nimio alimentorum calore, & est absque dubio intensior, quàm qui datur in viuente secundum naturam: ergo siue alimentum alteretur à frigore, quia sit calidius viuente, siue à calore; quia non fuit alimentum tam calidum, vt est viuens; repugnat, quòd substantia genita tam calida sit, vt febrem efficiat, quia si alteratur alimentum à frigore viuentis, corrigitur necessariò alimenti calor: si autem à calore coquente alteretur, iam calor alimenti non erat tantus, vt calorem viuentis excederet, & cùm calor viuentis sit intra limites naturales, nunquam pars genita tam intensi caloris erit, vt febrem faciat: quòd si dicas, quòd quando alimentum à frigore alteratur, potest remanere tantus calor in alimento, vt substantia ex illo reparata calorem febrilem, & B hecticum habeat. Contra est, quia iam sequeretur, quòd daretur febris ex illo alimento, antequam commutaretur; quod est apertè falsum, & semper vt contigerit, complicaretur febris humoralis cum hectica, cùm sit calor maior in alimento, quàm in viuentis partibus, quando à frigore alimentum alteratur.

Dices, non ita esse intelligendam sententiam adductam, sed quòd partes calidæ viuentis per assiduam nutritionem ex alimentis calidis abundent nimis, & per consequens deficerent partes frigidæ, à quibus temperari deberent, & ita ab interno principio partium calidarum remoto prohibente, tantus calor resultat, quòd faciat febrem in homine; sed C hoc iam est impugnatum sufficienter, quia supponit vnum improbabile, nempe, quòd in viuentis forma tantus calor eminenter contineatur, vt seipsum interficiat. Est etiam solutio contra commune Galeni, & Medicorum placitum, quando de partium temperamentis loquuntur; non enim efficiunt eorum graduationem iuxta id, quod per accessum aliarum remittitur, sed iuxta id, quod ex propria natura exposcunt, & seorsum naturaliter habere debent: nullus autem dixit, carnem ex propria natura anima rationali informatam tam calidam esse, quòd suæ naturæ relicta se ipsam vreret, aut colliquaret, vt facit calor hecticus, & per consequens nunquam in partibus calidis viuentium, quamuis nul- D læ darentur frigidæ, tantus calor admittendus est, vt hectici febriant: & arguo contra dictam opinionem, quia in marasmo torrido partes quæ remanent, sunt ossa, cutes, nerui, tendones, ligamenta & cartilagines, omneque genus fibrosum, quæ cùm sint frigidæ ex propria natura, potiùs in eo statu calidas partes deberent attemperare, & frigidum esse viuens. Si autem dicas, etiam huiusmodi partes, quia ex alimento calido nutritæ fuerunt, esse tam calidas; vide qua ratione qui sanus modò erat, & ab ira, & solis vstione, vel immoderato labore statim in hecticam ante aliam febrem incidit, tam breuiter per nutritionem tot partes, & tam calidas acquisiuit, vt corporis habitus propter earum copiam hecticè breuiter febricitet. Hæc autem opinio improbabilis omni- E nò videtur, quia sequeretur humanam formam tam calidam eminenter esse, quòd proprium corpus colliquaret; & viuens interficeret: tum etiam quia non implicat modus probabilis, quòd per nutritionem partes tam calidæ comparentur, præsertim quando calor colliquans, vt est hecticus, ex diametro introductioni opponitur; quod cùm omninò destruat, cùm partes liquabiles deperdantur, & quæ sensibiliter liquari non possunt, per halitum digerat, in vaporem, aut fuliginem permutari possunt, vt *libr. 10. meth. capit. vltim.* Galenus testatur: potiùs ergo destructionem omnium partium calor hecticus machinatur, quàm calidarum

restaurationem; & si calidæ in tanta copia essent, vt contraria opinio putat, nunquam viuens tantopere extenuarent, cùm omnes reparatæ manere deberent, cuius contrarium experimento constat; cùm tandem in hecticis solùm maneant, quæ propter crassitiem, & terream naturam in halitum, aut fuliginem permutari repugnat, & si calor hecticus nutritionem non auferret, cùm sit tam actiuus, maiorem alimenti copiam quamuis in partes calidas hecticus commutaret, quod experimento repugnat.

Accedit etiam, quod Galen. *lib.3. de præsag. ex pulsib. cap.1. & 2.* hecticam planè admittit ex cordis putredine, cuius doctrina cum opinione Vallesij stare non potest. Dixit etiam Galen. *lib. de aliment. comm 3.* sciendum esse, quòd nulla particula statim immoderatè sicca, aut humida redditur, benè tamen frigida, aut calida: hoc autem vllimum euenire non posset, si non aliter quàm per nutritionem partium calidarum distemperies calida sine materia posset creari: hæc sunt opinionem Vallesij vrgentia, tum etiam quia in partibus calidis de nouo adquisitis, & magis quàm per naturam abundantibus non datur maior caloris intensio, quàm in partibus calidis, quæ in statu naturali erant, quippe in sola maiori quantitate partium calidarum, subuersionem naturalis temperamenti Vallesius collocauit: hæc autem maior copia non arguit, nec potest calorem febrilem, sed solùm maiorem calorem intra limites naturales, quoniam intensio partium semper intra limites naturales consistit: & ratio physica est, quòd magna copia agentis calidi vt quatuor producit plus quàm si in minori quantitate esset; nunquam tamen gradum quartum excedere potest.

Sed opinionis Vallesij probabilitatem aliquam, & efficaciam suadere videtur: Primùm quod de siccitate in tabidis omnes Medici publicè fatentur, nimirum, quod ab interno principio siccitas crescat, & intendatur ad proportionem quod humidæ partes deficiunt; sicque experimur, partes conuelli, & tam periculosè, quòd nullo auxilio siccitas morbosa, & conuulsio ab illa creata possint auferri; proptereàque mortalis traditur ab Hippocrate conuulsio illa *lib. 5. aphor. text. 1.* ergo vt ad defectum humidæ substantiæ tanta siccitas ab interno principio emanat, quòd viuens ipsum pereat, potest etiam ad defectum substantiæ frigidæ ita calor intendi, quòd febris ab interno principio fiat. Secundò quia assidua nutritione ex alimentis calidis partes calidæ nimis abundant, & per consequens eodem modo ab interno principio deficientibus frigidis tenebantur contemperati calidæ, si tantus calor oritur ab interno principio, sicut siccitas emanabit deficientibus humidis: tum etiam suadetur efficaciter in febre lypiria, in qua propter caloris retrocessum ad interna tam frigidæ partes externæ percipiuntur, quòd aliquando non distent à gelu. Fatentur tamen Medici, tam intensæ frigiditatis aliud principium non dari nisi propriam formam viuentis, quoniam etiamsi in calido ambiente æger maneret, tam frigidus perciperetur: ergo vt tam intensum frigus ab interno principio oritur, ita ad defectum frigoris calor tam intensus pullulabit, quòd morbosus sit, vt est morbosum frigus in lypiriciis. Deinde vrget doctrina Galeni *lib 5. de caus. symptom. cap. 2.* vbi expressè docet, quòd omnis caro alimentis, ex quibus nutritur, similis euadat. Verba sunt: *Ergo cum caro longo tempore pituitoso simul ac glutinoso sanguine nutritur, caro quidem adhuc manet; mutatur tamen eius forma, & in alteram speciem vertitur, &c.* Eadem ergo ratione, si alimentis calidis nimiè nutriatur, euadit calida, & sicca caro, & vt in carne ex pituitoso sanguine genita, tanta mollities, laxitas, albedoque percipiantur, & locustarum,

A & polipotum caro nostræ assimiletur: sic si ex alimentis calidissimis fiat, tam calida manere potest vt febrem efficiat, quia vt laxitas illa & mollities morbosæ sunt, & per consequens etiam humiditas, à quibus creantur, morbosa erit, sic calor morbosus esse potest, & ab interno principio pendere. Idem confirmatur in elephantiasi Græcorum, in qua carnes tam crassæ, nigræ, duræque sunt, vt inter morbos perniciosos enumeretur: fiunt tamen tales ita affecti, quia ex melancholico, & atrabiliario sanguine carnes genitæ sunt: suitque expressa sententia Hippocr. *lib. de aliment.* non longè à principio dicentis: *Destruit autem vtrumque in tempore, & post tempus id quod extrinsecus assiduè ingressum est, & per multum tempus solidè implicatum est, & propriam quidem formam produ-*
B *cit, priorem autem, aut etiam priores destruit.* Quem locum Vallesius noster exponens dicit: *Membra omnia fiunt talia vsu nimio alicuius cibi, qualis ipse cibus est; ita membra lactantium molliora, & albidiora sunt, referentia nempe naturam lactis; adultorum, quibus cibus est solidior, solidiora.* Ita si quis piscibus multo tempore viuat, tandem euadit tota caro carni piscis similis, & quicumque cibus nimia quantitate ingeratur, quia non satis vincitur, manet semicommutatus; quo fit, vt partes nutriendæ illius formam aliquatenus accipiant. Et Galenus *lib. 5. de causis symptom. cap. 2.* idem tradit dicendo: *Ergo lenis, & maximus quidem alteratricis virtutis error est, parui autem alia quamplures sunt, carne scilicet in humore, siccitate, frigore,*
C *& calore mutata.* Et inferiùs scripsit: *Quàm magnam verò vim habeat nutrimentum ad carnis mutationem, etiam ab Aristotele est traditum.* Idem constat ex communi Medicorum placito, distemperiem quamlibet morbosam sine materia concedentium; ergo & febris sine materia dabitur. Non est autem alius modus, quo reductio impediri possit ab ea distemperie morbosa, nisi quando per nutritionem vitiosi alimenti partes ex eo reparatæ simile vitium contraxêre, & quia ab anima informantur, ab ea tale vitium tuetur.

Ad primum respondeo, nunquam in mea opinione esse concedendum, quòd aliquid morbosum ab interno principio producatur, & ab eo conseruetur; id enim absque vlla ratione physica diceretur; neque id
D probat, quod de siccitate tabidorum dicebatur; non enim ab interno principio ortum traxit, vt in argumento dicebatur, sed semper à causis corpus exsiccantibus producuntur sicca excrementa præternaturalia, quibus talis morbosa siccitas in membris producitur. Ratio est, quia in neruo, ex. g. non debet produci ab anima maior siccitas, quando caro, aut pinguedo neruo proximo defecerunt, quàm erat humiditas in neruo ipso, à prædictis humidis substantiis producta; & cùm illa tam remissa sit, vt fatentur omnes, nec poterat esse morbosa, vt est euidens; implicat, quòd siccitas orta ab interno principio nerui morbosa sibi esse possit: quòd autem humiditas illa à corporibus circumiacentibus in neruo producta morbosa esse non possit, non eget probatione, quia
E semper corpus morbosum partium contra operantium existeret, quod nullus somniauit: ergo si siccitas ab interno principio oriunda debet esse proportionata humiditati productæ à partibus humidis neruo proximis, non erit morbosa, neque membrum (neruum inquam) conuellet, & id experimento probatur: videmus enim quotidiè multos nimis extenuatos & tabidos, vt laborantes marasmo, in quibus nulla conuulsio, aut retractio membrorum datur: alios autem nimis tabidos, vehementer tamen conuulsos. Si autem siccitas ab interno principio oriunda necessariò esset, propter defectum partium humidarum, nulli magis quàm marasmo torrido affecti conuelli deberent,

rent, cùm tantam inanitionem humidæ ſubſtantiæ eum vſtiuo, colliquantéque calore pariantur: non ergo conuelluntur, quia non dantur in illis excrementa neruos, & muſculos exſiccantia, & contrahentia: & quia forma viuentis non continet eminenter niſi ſiccitatem ſibi debitam, eam quæ conuellat, non producit, nec poteſt, & inde partes, aut membra non ſemper conuelluntur, quòd viuens extremam inanitionem patitur: vnde fit, quòd nerui denudati omni carne in vlceribus ſæpiùs videantur abſque illo affici conuulſorio, quia viuentis forma in neruo aliam temperiem, quàm neruo debitam non poteſt producere, & contrarium ſine fundamento diceretur, cùm propter defectum alicuius partis non debeat morbum ab interno principio producere in aliis, & inde quamuis omnia oſſa, aut aliæ partes frigidæ deficerent, non produceret natura in carnibus niſi temperiem carnibus debitam intra latitudinem ſanitatis: & quamuis calidæ ob nimium vſum alimentorum fierent plures, nunquam calor ita intenderetur, quòd morboſus fieret; quia non datur in viuente virtus productiua alicuius morbi in parte determinata propter augmentum partium ſimilium, aut defectum contrariorum, vt dicemus inferius.

Ad ſecundum argumentum de lypiriis, dico, quòd quando tam frigidi ſentiuntur in partibus externis, vt frigus ſit morboſum, non producitur ab interno principio formæ, ſed ab externis frigidis per ambitum corporis determinatis, vt in exquiſita lypiride contingit. Si autem dicas, idem accidens moleſtare, quando ab interna inflammatione lypiria cauſatur, id nego, ſi non ſit, vt dixi, aliquod agens extriſecum, quod tam validè corporis ambitum refrigeret, tantum enim producetur a forma frigus illud, quod per calorem vitalium ſpirituum amiſit, vltrà verò minimè; illud autem frigus morboſum eſſe nequit. Idem affirmandum eſt de cerebro, quod etiamſi ob defectum vitalis ſpiritus frigidum ſit, frigus tamen illud morboſum eſſe non poteſt, nec lædere actiones, ſed læduntur reuera propter defectum idonei caloris: ita vt ſi frigiditas illa ab interno principio non emanaret, quando deficiunt vitales ſpiritus, læderentur actiones eodem modo, & hoc aſſero contra communem modum loquendi noſtræ ſcholæ; eſtque intelligendum de calore elementali, nam de vitali calore alia eſt ratio, hic enim non calor, ſed diſtincta omninò qualitas ab illo eſt.

Ad ſecundum reſpondeo, quòd caro genita ex pituitoſo ſanguine, & crudo, ſi mollior, laxior, & frigidior percipitur, vt Galenus dicebat, eſt quia impeditur ab excretis imbibitis productio debiti temperamenti: nulla enim pars viuentis tam ſimplex eſt, quod totum, quod in ea continetur eadem viuentis forma informetur, quin potiùs corpora plurima diſtincta interius latitant, quæ aut exuſta, aut primi humores, aut ſecundæ humiditates ſunt, quæ ſemper æmulantur naturam alimenti, ex quo genita fuerunt. Cuius eſt ſignum euidens, quòd in omni coctione excrementa diuerſa ſemper ſeparentur, multáque per conſequens in omni alimento corpuſcula includantur, quæ eandem commutationem cum parte alimentoſa recipere repugnent: hæc igitur obſtant animæ, & cuiuis alij formæ, ne totum, quod poteſt, producat, & inde manet caro mollior, laxior, & humidior, quia eiuſdem naturæ ſunt excreta in alimentis frigidis, & humidis incluſa: idemque dicendum eſt de calidis; quæ excreta ſi penitus deficerent, produceretur ab interno principio temperies partibus omnibus debita. Neque aliud probant Hippocratis & Galeni teſtimonia. Notabitis tamen quod locus Hippocratis ex *lib. de alimentis* traditus, diuersè multò à Galeno quàm à Valleſio explicatus.

Quod autem de diſtemperie ſine materia dicebatur, eodem modo intelligendum, ſi de morboſo ſit ſermo; omnis enim talis à cauſa aliqua conſeruari debet, ex. grat. Aliquis ſoli exponitur, ſi ſolis incendium alterauit producendo ſolùm calorem ſine corruptione alicuius ſubſtantiæ, cui maior calor, quàm præter naturam debeatur, ſtatim ſe reducit quidquid ab eo alteratum fuerit: ſi autem tam magnam impreſſionem fecit, quod corrupta aliqua ſubſtantia maiorem calorem, quæ fuit de nouo genita, expoſcat, durabit diſtemperies illa quandiu ſubſtantia genita ſubſiſtat; ſæpè autem diſtemperies partium, etſi facta non ſit, eſt occaſio, cur ab ea diſtemperie pars affecta reduci non poſſit, quia intenſiori illa diſtemperie alimentum alterat, à quo ſuſcitantur excreta calidiora, quàm per naturam, quibus calor intenſior naturali debetur, quia eſt formæ ipſorum conſentaneus, quo rurſus partes ipſam plus calefaciunt, ſicque datur circulatio, & mutuum caloris præternaturalis augmentum, à quo pars nequit reduci, quia excreta ſemper ſuperexcreſcentia, & intra partem incluſa, impediunt reductionem, vt in communi exemplo de calore maiore cordis à vitali ſpiritu accepto manifeſtè patet, à quo cor reduci non poteſt, quamdiu ſpiritus præſentes ſunt: ita quòd ſi calor totus cordis ab extrinſeco agente productus fuiſſet, nequiret ab eo ſe liberare, ſi ratione illius vitales ſpiritus corde calidiores perenniter crearentur.

Illud autem notabitis, quòd quamuis concederetur, quod de ſiccitate putabat contraria opinio, nempe quòd ab interno principio in tanta intenſione emanarit, vt morboſè poſſet conuellere, id non ſequeretur de calore hectico. Ratio differentiæ eſt, quia partes humidæ reſoluuntur facillimè, frigidæ autem minimè, & inde ſemper abundant in omni reſolutione, aut colliquatione; oſſa enim, nerui, cartilagines, ligamenta, membranæ, tendones, & omne genus fibroſum nunquam liquantur, neque reſoluuntur, vt naturaliter non ſit poſſibilis ſtatus, in quo propter defectum partium frigidarum calor febrilis ab interno principio emanare poſſit. Si tandem inquiratis, cur naturà, ſi deficiat calor vitalis, totum corpus ab interno principio infrigidetur? nam ſi frigus illud non neceſſarium corrumpatur à calore ſpirituum, qui naturalis omninò eſt; non videtur neceſſarium, quòd quando deficiunt ſpiritus, producatur frigus à principio extrinſeco. Reſpondeo, produci conſtare experimento: & hoc eſt argumentum non leue ad probandum, quòd omnia mixta perfecta requirant totam latitudinem contrariorum adimpletam, quod mihi ſemper fuit viſum probabilius, quidquid Magiſter noſter in parte naturali cùm Conimbricenſibus teneat, de quo modò agere locus non eſt.

CAPVT VI.

In quo propria ſententia traditur.

POſtquam annis elapſis calorem in facto conſtitui non poſſe ſine formæ mutatione publicè legi, & ſingularis videtur noſter modus philoſophandi ob difficultatem explicandi iuxta illum hecticæ febris naturam, etſi ſummo, & indefeſſo labore aliquam rationem probabilem inuenire contenderim, qua ſuſtineretur, qualitates violentas poſſe durare in extraneo ſubiecto habente vim producendi contraria, nullam commodam, & intellectui vacantem inuenire potui: ob quod in eadem opinione perſiſtens, ſuſtineo, omnem calorem febrilem à cauſa produci, cui talis calor naturalis ſit, ſuppoſito communi cum Galeno omnium

Medicorum consensu, calorem in facto debere esse in subiecto, in qoo causa febris existit, ita quod ab illo ab interno principio nequeat reduci; & per consequens assero, calorem hecticum semper habere aliquam causam conseruantem, distinctam omninò à viuente, implicaréque omni bonæ Philosophiæ, quòd viuens ab eo se nequeat liberare, si omnis causa conseruatiua iam euanuit, & per consequens talem calorem non so,um viuens non petit, sed est ei omninò, & propriè violentus.

Traditæ fuerunt rationes in illa quæstione, & vt existimo, satis efficaces ad prædictam assertionem stabiliendam, quas modo referre non licet; existimoque nostram doctrinam securiorem omnibus hactenus adductis, quoniam medicos magis cautos reddit in he- B cticorum medela, quæ etsi aliquid agat, non opponitor, neque aduersatur curationi Galeni; & quamuis modus explicandi calorem in facto à nullo hactenus adductus fuerit, tamen quòd calor hecticus dependens sit, nouum dogma non est, vt refert Vega *loco postcà citando*, & acriter contra Galenum Pereyra disputauit, quem multis verbis, potiùs quàm rationibus alicuius momenti suggillant. Ratio à priori nostræ conclusionis est, quia in Philosophia non datur principium aliquod, vt dixi, ex quo deducere possimus qualitatem violentam, subiecto habenti vim producendi contrariam, ita ablato iam producente posse hærere, vt omnino reductionem ad statum naturalem impedire possit. Vnde si aliqua pars viuens putrescens causa fe- C bris sit, nunquam admitto, quòd sub forma viuentis durans habeat calorem in facto, sed quando iam putredine, aut carie emortua est, idemque in omni causa cuinsque febris tenendum est. Hic modus philosophandi saltem in humoribus à Socio nostro doctissimo libenter admittitur tanquam probabilis satis; in partibus tamen solidis, seu viuentibus expressè tenet admittendum non esse, quatenus hecticæ febris causa sunt. Inconueniens autem, quod deducit, est quia sequeretur, plurimas partes esse cadauerosas in omni hectico, & non continuari cum aliis, neque elicere viæ operationes, neque tandem posse hecticum calorem curari nisi separatione partium solidarum, & earum abscissione, vt contingit in sphacelo, seu gangrena: Cùm tamen (inquit) videamus eodem modo partes intra continuari, sicuti antequàm calor hecticus induceretur, D & in omnibus partibus experiamur antiquas operationes sensibiles, & vitales, & tandem nullam scissionem fieri in hectica febre, propter quæ omninò impossibilis ei semper iam visus fuit hic modus philosophnadi in partibus solidis.

Sed libenter ab eo interrogarem, quas differuit hecticas, quarum origo partium solidarum putredo extiterit, vt inde manifestè colligeret, quæ contra nostram opinionem adduxit: & ex eo quòd partes viuentes continuæ videantur, infero ego non fieri hecticam ex putredine, aut vstione ipsarum, vt docet antiquitas, cùm euidenter constet in externis rebus putrescentibus discontinuationnem dari partium putrescentium à sanis, & si in humoribus nostram opinio- E nem probabilem putat, cur non in solidis: & mirandum certè est, quòd in nostram opinionem incautè incidat, quod euidenter inferiùs probabo: & totum, quod deducit contra nostram sententiam, libenter concedo, si vt hectica fiat, solidarum partium putredo, aut vstio necessaria putetur, & esse quidem partes habentes calorem in facto, & mortuas iam, & etiam discontinuatas quantum ad formas, & si ad sensum continuæ videantur, neque hecticum sanari posse, nisi illæ partes resoluantur; falsum tamen est, quòd partes calidæ in facto operentur vitaliter. Quia verò existimo notissimum esse, quòd cor vstionem, aut putredinem patiatur, vt his mutationibus mediis hecticam creet, fore- A que omninò insanabiles eas cordis mutationes, ideo nulla hectica primæ, aut secundæ speciei, quatenus curabilis à Galeno putatur, ex calore facto in corde pendet, & inde non est necessarium, quòd in hectica calor in facto sit in corde, nisi sit hectica pestilens. Quomodo autem hectica fiat, inferiùs docebo, si priùs vos doceam, quomodo nostram opinionem confutantes, in eam incautè venerint; neque aliter argumentum commune de impossibilitate reductioois soluere potuerunt.

Est ergo istius doctissimi viri opinio, in rebus omnibus putrescentibus aut vstis esse determinatam dispositionem, ratione cuius tali modo disponuntur, vt ex ipsis magna fuliginum copia eleuetur, hasque perpetuò eleuari, maneteque inclusas in re putrida, aut B vsta: & quia fuligines sunt corpora, quibus tantus calor naturaliter debetur, & inde res putrida, aut vsta ad antiquam temperiem reduci nequit, quia à fuliginibus inclusis reductio impeditur, quæ si deficerent, reduceretur non dubiè. Indè infert omnem rem putridam esse aggregatum quoddam per accidens ex rebus diuersis, quia omnis res putrescens habet imbibitam humiditatem extraneam. In rebus ignitis, inquit, id etiam videmus, sunt enim intra carbones portiunculæ quædam ignitæ, & splendentes, quando carbonis substantia nondum ignitionem experta est, cuius signum est manifestum, quia carbo manet, quando partes ignitæ, & splendentes euacuarunt. Eodem (inquit) modo philosophandum est de substantiis, quæ à Me- C dicis vstæ, aut putridæ dicuntur, quòd habent nimirum intra se portiunculas quasdam distinctas à propriis substantiis, quæ calorem magnum & sibi naturalem contineant, & tales sunt impedimentum ratione cuius humor reduci non potest, eò quòd omnis putredo ex calore fuliginum semper suscitatur. Vnde cùm in partibus solidis, aut humoribus putridis magna aptitudo detur, vt in fuligines permutentur; inde perpetua fit fuliginum eleuatio, & sic nunquam deficit calor præter naturam. Quæ opinio, si rectè intelligatur, nihil, aut paucissimum à nostra discrepat.

Patet efficaciter, quia in opinione Galeni, & omnium Medicorum portio humoris, qui ad faciendam accessionem ad focum mouetur, tota in febribus intermittentibus resoluitur, aut quia efferuescens in fu- D ligines, aut vapores putridos conuertitur: ergo fuligo tota, quæ causa febris putatur, & per totum distribuitur, erat non dubiè pars humoris putrescentis: ergo totus humor non propriè habet calorem in facto, quia pars eius in fuligines versa mutauit iam formam, cui tantus calor debetur, & est impedimentum, ne humor reducatur. Constat clarè, quia si humoris aliqua portio in fuligines mutata non fuisset, & separaretur agens, quod humorem calefacere cœpit, statim ab eo calore reduceretur, quia nondum ex humore eleuatæ fuerunt fuligines impedientes reductionem: habet enim humor calorem in fieri priusquàm aliqua portio propter violentam alterationem in fuligines sit commutata: ergo vsque ad formæ mutationem non- E dum dicimus calorem in facto esse, & in aqua videtur explicari in opinione affirmantium, quòd vapores ab ea differant specie, qooniam si à calefaciente extrinseco eatenus solùm esset calefacta, vt nondum in vapores aliqua portio permutata fuisset, tota aqua statim reduceretur. Si autem iam intra illam geniti sint vapores eam calefacere potentes, non reduceretur, donec vapores geniti, aut resoluti sint, aut perierint; ita eodem modo in omni re putrescente quæ calorem in facto habet, philosophandum est, vt caro, aut os, aut quæuis alia pars solida non dicatur calorem in facto habere, donec ex ipsis eleuentur fuligines, quæ intra illa corpora inclusæ, & ipsa calefaciant præter naturam, & obstaculum sint, ne reduci possint. Si ergo

omnis

omnis fuligo eleuatur ex re putrescente, aut vsta, & fuit etiam pars eius, dicendum est necessariò, quòd si hectica ex putredine, aut vstione solidarum partium oriatur, pereat ex partibus solidis totum id, quod fuit in fuligines versum: quod planè in cadaueribus experimur, cùm tota ipsorum caro, & socci concipientes putredinem in halitus permutentur, & euanescant. Rectè ergo hactenus à nobis probatum videtur, quòd nunquam detur calor in facto, & independens sine formæ mutatione: vnde in mea opinione, quando caro putrescit, id solùm quod in fuligines, aut vapores fuit permutatum, rationem causæ hecticæ febris participat, aut si in prædictas substantias permutari non possit, saltem noua forma adueniat, cui calor intensior debeatur potens inducere febrem: calor autem, qui in partibus viuentis est solus, est appellandus febris: in humoribus autem eodem modo solùm quod mutauit formam, calorem in facto concipit, & est vera causa febris. Quod autem adhuc sub forma humoris seruatur, quamvis calidum præter naturam sit, causa febris non est, quia calorem vltimatum, vt dicebat Auicenna, seu independentem non habet, sed à fuliginibus solùm productum, & à quo se reduceret, si illæ deficerent.

Ex his deducetis, quòd & nos essentiam febrium in communi exponentes docuimus, nimirum nullum calorem factum posse esse febrem, quia nullus in partibus actu viuentibus datur; est autem viuens necessarium febris subiectum, & per consequens omnem febrem consistere non posse, nisi causam conseruantem calorem illum præternaturalem obtineat, & causam esse non posse causam actu viuentem, quia non datur febris aliqua ab interno principio viuentis producta, quia omnis causa febris calore sibi naturali constat; est autem quælibet febris calor præter naturam, & violentus, quia ab extrinseco principio passo reluctante.

Tandem notabitis, quòd non est necessarium simpliciter, vt in humore, aut parte solida putrescente detur impedimentum resolutionem fuliginum tollens, vt detur febris, vt opinio contraria existimat, licet maximè conferat, si detur. Ratio est, quia cùm omnia putrida calore, & humiditate disponantur, & istæ qualitates rarefaciant, emolliant, & laxent subiectum, quod alterant, & totum alteratum in mixtum aëreum permutent; non est rationi consonum dari aliquod obstaculum, vt tales fuligines exire non possint, quia potiùs e contra tanta est promptitudo, vt in halitus, & vapores mutentur, tam celeriterque effumet, quòd non possit expultrix naturalis, & cordis, arteriarumque contractiones propriis motibus, & actionibus tam celeri vaporum euaporationi sufficere, & propterea febris durat; quinimò si vt totum calore præternaturali afficiatur, necesse est, quòd fuligo per totum sit distributa, potiùs videtur conducere vt non febriat, quod intra proprium humorem maneat omnis fuligo inclusa.

CAPVT VII.

Quomodo Hectica fiat, & constituatur, vt ab aliis febribus discrepet?

SVpposito, quòd omnis febris sit calor in fieri, & habeat necessariò dependentiam à causa conseruante extra viuens, magna difficultas in nostra opinione insurgit, quæ sit causa, à qua creetur, & qua ratione à causis aliarum febrium distinguatur. Et respondeo facillimè, distingui quia causa hecticæ febris talis naturæ esse debet, quòd nec multum sit euaporabilis, firma tamen, stabilisque sit, vt nec moueri, nec discuti facilè possit; cum tali tamen proprietate coniungi debet, vt corpus extenuet: hæc enim essentiam hecticæ adintegrant, quod Galenus docuit *cap.* 8. dicendo: *Exquisitè autem hectica est, quæ nullum particularis accessionis, aut principium, aut incrementum, aut vigorem, aut denique remissionem habeat.* Sic existimo causam frequentissimam hecticarum esse roris, & secundarum humiditatum putredinem, aut vstionem: & vt similis occasio in humore determinato datur, vt ille solus putrescat, & sit causa determinatæ febris: sic in rore dispositio fit vt putredinem, aut vstionem ille solus concipiat, ratione cuius in nouam formam, caloris intensiorem maiorem potentem mutetur, à qua putredo in alias partes roris serpat: sicque qui de nouo generatur, simili labe infectus ad concipiendam facilè putredinem disponatur, duretque febris, donec dispositio illa antecedens tollatur, aut causa potens putredinem inducere deficiat; potest autem vitium illud contrahere, aut in iecore, aut in loco, in quo sanguis in rorem permutatur; vitium enim in carnibus contractum optimè inducere potest, vt res corrumpatur, etsi caro nullam corruptionem experta sit? multò enim difficiliùs caro rore putrescit. Vbi notabitis, quòd etsi putredo rorem afficiat, siccabitur nihilominus corpus, etiamsi ab humiditate putredo oriatur, quoniam quod putret, resoluitur, & cùm alimentum deficit, necessariò membra siccantur, quia resoluitur humida pars, & non instauratur, calor etiam resoluendo partes ipsas humidas siccat. Neque quod Vallesius dicit *lib. de febrib. cap.* 2. perpetuò verum est, si de calore in facto intelligatur: *Rores* (inquit) *proprij partium non possunt ita calere, quin cum his partium substantia facta sit calidior*; quare ad dicta genera pertinebit illa febris. Quæ doctrina vera esse non potest, si de calore facto perpetuo intelligatur: hanc hecticæ febrem ex parte causæ omnes ferè admittunt, & Galenus 1. *de diar. febrib. cap.* 9. primum genus hecticæ ex roris feruore tradit. Et ratio à priori est, quia ratione putrescentiæ etiamsi in corde nulla sit putredo, aut vstio, non potest alia febris, quàm hectica esse: conueniunt enim ei omnia hecticarum signa, esse nimirum calorem stabilem nullo incremento sensibili corpus afficientem, nullaque inæqualitate, sed corpus vniformiter alteratur, siccitatemque tabidam, quæ alimentum partium destruit, perpetuò machinatur, nullaque alia curatio huic sorti febris debetur, quàm hecticæ à Galeno dicata: & si aliqua hecticarum species facilè curatur, est hæc adducta, quia nondum cordis substantia putredinem aliquam, aut vstionem senserit, & inter humiditates secundas nulla quàm hæc faciliùs restauratur. Vnde constat, calorem omnem ex roris putredine hecticum esse, & dependentem in corde & in partibus solidis à causa in conseruari.

Alius modus hecticæ est mihi probabilissimus, ex densitate viscerum principalium, aut vasorum eorundem, ratione cuius nec benè ventilantur, manentque fuligines eorum perpetuò inclusæ in maiori copia, quàm statui naturali conueniat, possuntque fuligines esse calidissimæ, quia ex materia calida, & sicca eleuantur, præsertim si distemperies corporis calida, & sicca etiam sit; corpora enim sic distemperata, & ex parte sui, & humorum sunt, quæ à causa externa absque vlla febre antecedente hectico calore vstiuo indurata ventilantur pessimè, & acres, calidissimæque fuligines intra viscera, & partes internas ratione densitatis cohibitæ calorem stabilem, vniformemque producunt, simulque efficitur, ne alimentum commodè trahatur, & paulatim tabidi fiunt, fiunt enim omnes passiones ex modo substantiæ vehementer mutato firmissimæ, & tenaces, quod indicauit Aëtius *tetrab.* 1. *cap.* 91. dicendo

dicendo: *Cum verò, aut ex laſſitudinibus, aut ira, aut vigilia, aut ex triſtitia, aut ex omnibus ſimul commiſſis corpora vehementer reſiccata febris inuaſerit, ſqualidam habent cutem, ardentem autem caliditatem; timor profectò eſt, talem hominem febre habituali corripiendum eſſe, & præſertim in æſtate, & calida, & ſicca conſtitutione, &c.* Docuit enim Glenus *lib. de alimentis, cap. 3.* explicando ſententiam Hipp. incipientem: *Morborum differentia in alimenta, &c. Et ſciendū eſt, quod nulla particula ſtatim immoderatè ſicca, aut humida redditur; bene tamen frigida, aut calida.* Si ergo non ſtatim immoderatè ſicca fi, minus ſtatim denſa reddetur propter ſiccitatem, ſed longo tempore, vt in denſitatem contra naturam incidat, egebit; & vt eſt difficilis morboſæ ſiccitatis ſanatio, multò difficilior erit denſitatis medela, quia ex ſanatione ſiccitatis dependet, & eſt prætereà noua repugnantia cum denſitate vincenda, quæ cùm includat certam partium poſitionem, non poteſt ſemper inducta prima qualitas modum illum ſubſtantiæ, & partium poſitionē auferre, vt plumbum liquatum, etſi ad frigus antiquum ſe redueat, non poteſt tamen ad antiquam partium poſitionem; neque aqua in gelu ſemel mutata, etſi poſteà liqueſcat, tantam tenuitatem, quantam priùs obtinuerit, adquirit; ob quod peſſima putator aqua, quæ ex gelu, aut niue emanauit. Eodem modo quamvis viuens denſatum, & ſiccum humidis auxiliis ſæpè reiteratis alteretur, non ſtatim denſitatem amittit, donec nouæ partes per nutritionem acquiſitæ modum ſubſtantiæ conuenientem conſtituant, & facto corpore perſpirabiliori calorem febrilem deponant.

Hinc intelligetur, quàm difficilis ſit tabidarum curatio, quando calor firmatus in ſolidis partibus propter ſiccitatem, viſcera, & corporis habitum denſat, ſolidiuſque reddit; non enim ſolùm quia virtutem eoctricem effemiuat, & vias alimento occludit, ſed etiam quia vſta fuligo interiùs cohibita ſiccitatem tabidam auget bifariam, & ſiccando poſitiuè, & humidam ſubſtantiam depopulando, hic locum habet Hippoct. doctrina *lib. de alimento. Denſitas corporis ad tranſpirationem, quibus minus auſertur, morboſum.* Et inferiùs: *Qui malè perſpirant, priuſquam ægrotent, robuſtiores ſunt. Cùm vero in morbum inciderint, difficiliùs ſaneſcunt; hæc autem & toti, & parti.* Galen. antem camment. 4. *illius libri ſentent. 2. & 3.* dixit: *Corpora laxa, & rara ab externis cauſis magis offendi, denſa verò ab internis, quia excrementa quorum eſt perennis generatio, intus cohibita lædunt.* Vnde *ſent. 3.* dixit: *Quidam verò ſic ab initio ſunt malè conſtituti, vt ſemper ægrotent, nec poſſint valere, etiamſi eis ipſum Apollinem præſigat; hocque non modo in toto corpore; ſed etiam in ſingulis particulis viſuntur. In cauſa,* inquit, *ſunt excrementa, quæ per halitum non extruduntur.* Finge ergo corpus præter naturam denſari, & propter calorem, & ſiccitatem, calidas nimis, & acres fuligines, ſuſcitare, & propter denſitatem ſtabilem commodè expelli non poſſe; febricitabit ille non dubiè, neque alio modo quàm hectico, quoniam & calor erit vniformis in partibus omnibus abſque vllo incremento, niſi quod per alimentum ſuſcepit, eritque calor firmus, & ſtabilis, vt talis eſt denſitas tranſpirationem impediens; & tam incurabilis poteſt eſſe hæc paſſio per denſitatem morboſam contracta, vt ſi per naturam fuiſſet producta, vt ſemper homo ægrotet, nec poſſit valere, etiamſi ab Apolline curaretur; petiret etiam ita affectus febre lenta, continua, tabida, & ad ſummam ſiccitatem cum calore morboſo productus: neque eſſet aliquod ſignū maraſmo torrido dicatum, quod in ſic affecto inueniū non ſit: datur ergo hectica febris abſque vlla cordis, aut ſolidorum putreſcentia à cauſa extra cor illam conſeruante, & tabe interficiens. Si autem dicas, tranſpirationem tanto tempore impeditam eſſe non poſſe ſine acceſſu putredinis in humoribus, id facilè negatur, quoniam putreſcentiæ maior cauſa eſt febris ipſa hectica, cùm ſit efficacior fuliginibus, quam tantum admittit, & admittunt omnes per multum tempus ſeorſim conſiſtentem: ergo vt humores corrumpuntur, perpetuò ad præſentiam hecticæ longiſſimæ, ſic inculpabiles cum calore fuliginum manere poterunt.

Neque rectè dices, adductam febrem ad diarias eſſe reducendam, quia in mea opinione à fuliginibus pendet, quæ febrem diariam conſtituunt, quando ex humorum putredine non eleuantur; nam hoc omnibus febribus commune eſſe poteſt: diſtinctio autem medica præcipuè attenditur iuxta diſpoſitionem rei ſecundum omnes conſiderationes, omniaque ſigna; nullus autem dixit, febrem tenacem, & ex vitio ſtabili partium ſolidarum creatam, ad tabemque perducentem, ex genere diariarū eſſe poſſe, vt neque humor putridus intra bubonem putrefactum, humoralem, aut putridam febrem cauſat, in communi Medicorum placito, etiamſi humor ſit putridus, quia omnia ſigna in hoc humore ſic putrido inuenta, febri diariæ verè correſpondent, iuxta Hippocr. aphoriſm. *Ex inguinum tumoribus febres omnes malæ præter diarias.* Sic eodem modo lenta febris ſtabilis abſque vllo incremento, aut ſenſibili inæqualitate, & diuturnitate marcorem inducens, ex paſſione partiū ſolidarum alia quàm hectica eſſe non poteſt, quia nulla ſigna niſi hecticæ febri conuenientia inducit.

Dices fortaſsè, fuliginibus naturalibus tantum calorem ineſſe non poſſe, quòd ſine potredine febrem produeant: ſed id apertè eſt falſum, quia cùm non ſic aliud calidius in corpore in doctrina Galeni, non eſt à quo poſſint putreſcere: nec ob id intelligas me aſſerere omne vaporoſum, & fuliginoſum febris productiuum fore, ſed illud ſolùm eam vim habet, quod acre, mordaxque factit. Eſt enim maximè notanda Galeni doctiina *de diar. febr. cap. 3. claſſ. 3.* vbi dixit: *Ex cutis conſtipatione nonnunquam fieri plethoricam diſpoſitionem, nonnunquam verò febrem. Plethora fit, quando vaporoſum, & optimum fuerit, quod effluxit. Febris verò, inquit, cùm nimirum acre, mordaxque fuerit, &c.* Et 10. *Meth. cap. 4.* eandem doctrinam tradit; conſtat verò in natura calida & ſicca, mordax & calidum fore, quod continuò eleuatur, vt ob id ab inedia ſtatim febricitent, ſitque alimentum, & potus contra febrilem calorem magnum auxilium, de quo 10. *meth.* doctè ſatis agit Galenus, vbi *in cap. 2.* ſic ſcripſit: *Vſio præterea nonnunquam corporis habitum conſtipat, &c.* Quæ verba diligentiſſimè expendenda ſunt, quia ad noſtram ſententiam ſtabiliendam magni ſunt momenti, quippè vſtio aliter conſtipare non poteſt, quàm ſiccitate denſando; quod inferius dixit Galenos ita. *Sanè denſitudo ipſa alias ex ſiccitate prouenit, &c.* Quod vitium ſi partes ſolidas obſideat, & firmitet, vbi acria excrementa ventilari prohibent, febrem hecticam non dubiè creabit. Nec poterit Medicus alia ſigna quàm hecticæ inuenire, præcipuè ſi cor denſitate afficiat. Et quamvis Galenus 10. *meth.* diarias ſolùm in calida, & ſicca natura proponat ab inedia creatas, quando acre, & fuliginoſum eſt, quod retinetur; tamen ſemper niſi cibentur, adhuc dum febris incipit, hecticam, & marcorem in dictis naturis pollicetur, & timet, vt conſtat ex *hiſtoria capitis 3.* Non puto verò aliter in hecticam caſuros, ſi non cibentur, niſi quia denſitate ob maiorem ſiccitatem formata, & aeriori reddita, quod diſſlandum erat, firmior redditur febris, ſquallidúmque, & tabidum corpus apparet; occultè enim, & vehementer colliquatur, viteſque ocyſſimè deficiunt, & ex iuuenis illius hiſtoria perſpicuum eſt; nec alia eſſe poteſt diſtemperies, quam in omnibus partibus vnicam, conſentientémque Galenus appellat, vel de inæquali intemperie *cap. 6.* niſi quæ ex denſitate ob denſitatem totius naſcitur, cùm ridiculum ſit putare, quòd omnes partes putreſieri, aut vri præter naturam debeant, vt hectica fiat, & æqualis ſit calor: ſed de hac hecticæ ſpecie hactenus.

Alio

Alio modo cum lenta febre hectico modo, qui ex internis inflammationibus non omnino liberat, vstus humor, aut sanguis atrabiliarius redditur, ita tamen impactus in loco inflammato, vt velut scirrhosa & cancrosa affectio tenacissima maneat: à qua & continuò febricitant, & sensim tabescunt cum magna siti, siccitate, & pulsus duritie. Quam tabidam dispositionem noster Vallesius notauit *lib. 7. epidem.* in histor. filij Herotalai, loquendo de pulsatione violenta hypochondrij. *Aliquando*, inquit, *etiam mansi post acutos morbos bile vsta collecta in hypochondrium, fitque affectio eo loco cancrosa, ex qua perpauci euadunt, plerique contabescunt*, &c. Vt verò hunc in ea regione tam pessima passio tabidum reddit, ita in alia interna parte similis dispositio sensim marcore ægrotos conficere poterit lenta febricula, & pertinaci, cùm passio si consideretur, tenacissima sit, & cancrosa, à qua velut à re iam omni fæce & humore depopulata locus affectus erodatur, exulceretur, vt in cancro maligno fit, eritque passio indolens, quia iam non corrumpitur natura; eruntque non dubiè signa omnia hecticam febrem comitantia; neque ob id quòd talis affectio interdum cognosci possit, rectè dicis, febrem hecticam non esse, quia præterquam quod satis difficulter cognosci potest, vt sæpe ignoratur febris putridæ, & ardentis focus, in quo si progressa iam febre putrida per accessiones priùs molestante (vt potest) cancrosa dispositio leui febricula, siccitate, vlcusculis, & impedito alimenti transitu, eleuatáque non multa, verùm vsta fuligine, marcorem inducens appareat, non solùm hectica affectum hominem dices, verùm iurabis, si opus fuerit, quia ignorato putredinis foco, & reliqua signa non ignorando, tabidum esse ægrum dubitauit nemo. Quid ergo obstat, vt simili passione molestari dicas, etiamsi cancrosa illa dispositio non ignoretur? An morbus naturam mutauit, quod à Medico ignoretur causa, & locus affectus, vel cognoscentur? Minime: ergo vt quando ignorabatur, asseueranter dicebas, tabida febre hominem absumi, idem ergo simili tenacitate dicam, etiamsi à me prædicta passio agnoscatur, in quam velut in causam & febria, & marcor reduci queant, quia aliud hecticam esse non puto, quàm calorem præter naturam firmum, & stabilem absque annotationibus ad marcorem deducentem, siue pendeat à causa extra cor, siue non, neque alias esse puto hecticas febres à Galeno relatas 10. *meth. cap.* 8. dum dixit: *Porrò vtendum maximè huiusmodi aëre in his hecticis, quibus primum quod afficitur, ipsum est cor. In septo transuerso marasmum non vidi, hecticam sanè febrem vidi, & hanc semel planè quidem absolutam, sæpè verò citius interimentem, quàm planè esset completa.* Rationem verò reddendo cur nunquam marasmus ex septo sit visus; dicit: *Huiusmodi namque affectum, & spirandi difficultas, & delirium excipere solet, ex quibus magna ex parte priùs moriuntur, quàm hectica prorsus sit perfecta.* Qui locus maximè notandus est pro confirmatione nostræ sententiæ, quippè illa accidentia, delirium nempe, & difficultas respirandi, & alia, quæ inferius Galenus retulit, simplicem septi distemperiem, & sine materia sequi repugnant, sed atrabiliarios succos ex inflammatione septi remanentes, impactosque validissimè, vt dixi: nam si inflammatio mortalis esset, antequam hectica fiat, interficeret non dubiè, cùm acuta sit passio: curata igitur, vt sic dicam, acutie, & protracto periculo permutatur in cancrosam passionem sanguine vsto, & impedita aliquo modo respiratione à duro tumore, & siccitate simul, à quibus etiam pulsus durus insigniter ostenditur, & hypochondrium retrahitur.

Idemque intelligendum est de ventriculo, mesareo, intestinis, vtero, & renibus, nimirum hectica laborare, ob impactos succos, tenaciterque atrabiliarij sint, & habitualem, cancrosamque affectionem, & insupera-

A bilem generent, cuius diuturnitate cor exsiccatur, & tabidus homo fit. Ridiculum enim puto, ventriculum hecticum fieri, quia putrescat, cùm nullus hactenus eius putredinem sine accessionibus, aut vlceribus expertus sit. Sed Galenus ipse 1. *de diar. febr. capite* 9. non longè ad finem nostram sententiam clarissimè tradidit dicendo: *Aduenit autem ipsi cordi hac passio; nonnunquam quidem ex se ipso, sicuti in excandescentiis, vehementibusque tristitiis, ac diuturnis, nonnunquam vero ex ardentibus febribus, aliquando verò ex thoracis, ac pulmonis affectibus, ac præsertim ex suppurationibus, phthisi; sicut autem ex his, ita & ex hepate, aut ventriculo, atque vt simpliciter dicamus, & omnibus diuturnis inflammationibus qua nobiliores partes occupauerint, adiuncta totius animalis, ac præsertim cordis siccitate.* Hæc Galenus: Qui locus satis perspicuè

B alium ex 10. *method.* exponit, & nostram sententiam confirmat, nullam nempe hecticæ febris causam frequentiorem dari, quàm internorum viscerum obstructiones, & tumores ex succis adustis tenaciter impactis ortos, derelictasve ex affectibus inflammatoriis, aut in foco febrium ardentium. & opus non esse, quòd putridum, aut vstum cor in facto detur ad hecticam, eodem loco deducitur, cùm dicat: *Adiuncta totius animalis, ac præsertim cordis siccitate*, non enim dixit; putredine, aut vstione adiuncta, sed siccitate. Vnde quando paulò inferius dicit: *Et vt simpliciter dicam, quando præexsiccatum cordis corpus febrilem caliditatem; qua cum difficultate amouetur, acceperit*; non est intelligendus ita vt cor eam mutationem in se suscipere debeat, putredinem nempe, aut vstionem, ratione cuius diffi-

C cilis sit caloris ablatio; sed loquitur iuxta suum morem, nempe quòd nulla caliditas sit dicenda febris, nisi cordis corpus obsederit: *Vnde tabidæ febres, vt fiant*, inquit, *requiritur quod & calor difficilè mobilis cordi communicetur, & siccitas.* Constat verò, quòd vt cor habitualiter patiatur, non sit necessarium, quòd habeat in se eam mutationem, ratione cuius calor difficilè separetur, sed satis est, quòd causa eur alterans stabilis, firmaque sit. Galen. etiam *lib. de marcore, capite* 8. *in fine* sic loquitur. *Si quando tamen breuissimum incrementum aliquod, vel inuasio intercedit, considerare oportet, an aliqua adsit humoris putredo; an verò locus primus affectus alius sit à corde, qui & ipse nec simplicem, nec hecticam affectionem habeat, sed vel phlegmonosam quampiam, vel erysipelatosam*, &c. Has omnes febres hecti-

D cas impropriè Galenus nominat *libr. de marcor. cap.* 8. dicendo: *Illud verò non est ignorandum, nunquam posse febrem exquisitè hecticam esse, vbi eiusmodi quapiam affectio affuerit; exquisitè autem hectica est; qua nullum partialis accessionis, aut incrementum, aut vigorem, aut denique declinationem habeat.* Quæ verba sic intelligo, nempe quòd ab erysipelate, aut alia interna inflammatione dupliciter febris excitari potest, aut eodem tenore durans, aut cum aliqua temporum variatione, quarum illa est hectica propriè, quæ omnium mutatione temporum caret. Si verò mutatio aliqua detur, hectica propriè non est, quia hæc omnem mutationem temporum excludit, si propriè sit talis.

Ad hoc genus hecticæ febris reducitur etiam series

E illa febrium, quæ symptomatica dicitur ex obstructionibus partium principalium, pertinacibus quidem, & sensim corpus in tabem deducentibus, quæ frequentissimæ sunt, & cum periculo corruptionis partis internæ affectæ molestant, de quibus Fernelius *lib. de febr. cap.* 8. & Sennertus *lib.* 2. *cap.* 16. Quòd si pars obstructa cordi proxima fuerit, ad tabem citiùs perducit.

Tertius modus. Quando autem membra viuentis putredo inuasit, non cadit sub dubio hecticam febrem oriri, etsi Fernelius putridam esse [illegible] et, quoniam vapor putridus ex membro corrupto eleuatus cor calefaciat. Ego verò distinctione vtendum esse existimo; nunquam enim hectica admittenda est sine inductione

ficca

ficcitatis, si commuui consensui Medicorum assentire velimus: quippe etsi diutissimè aliquis febre continua, & lenta affectus extenuationem cum siccitate nondum susceperit, hecticus nullatenus in rigore dicetur, nec talem vulgus Medicorum appellat; dicitur ergo esse in hecticia talis proprietas, quod à febre lenta, & diuturna, & stabili futura marcor, & siccitas statim appareant; quod clarè Galenus insinuauit 1. *de different. febr.* estque eius sententia maximè notanda. Verba sunt, loquendo de hectica febre à causa externa primò incipiente. *Et si hec vera esse inueniantur, febris autem ad diem sequentem extendatur, neque ad quietem declinans, neque magis inualescens, ariditatem autem maiorem in corpore represente, talem hecticam fore suspicandum*, &c. Quam doctrinam iterum paulò inferius repetit, quâ constat perspicuè talem debere esse proprietatem caloris hecticam constituentis, quod & in dies multos debeat extendi, si pestilentes hecticas excipias, & statim siccitatem inducat, cùm in die secunda hecticæ febris primariò incipientis maiorem ariditatem Galenus requirat ad hecticæ iudicium: erat ergo aliqua siccitas in primo die, si maiorem in secundo inuestigat, vt hectica sit. Vnde non quævis putrescentia partium solidarum hecticam creat, si rigidè cum Galeno loqui velimus, cùm absque extenuatione totius inueniatur, quando externa putrescentia fuerit: loquor autem de extenuatione, & siccitate totius. Si verò ad hecticam reducere velitis, hectica partialis appellenda est, quia causa caloris est in solidis; & cùm omnis membrorum putrescentia hecticam causans, includat eorum corruptionem, necesse est, quòd fit etiam extenuatio partialis, cùm tota substantia in facto putrefacta emnetna iam sit, quod in nostra opinione necessarium est, vt calida in facto dicatur.

Ex dictis constat, omnem hecticam febrem à causa perpetuò pendere, vt nullus calor febrilis admittendus sit ab interno viuentis principio effectiuè procedens; & certè si experimentis standum est, id planè ostendunt. Nihil enim communius in doctrina Galeni, & Medicorum, quàm phthisicos, & suppuratos tabidos fieri, & hectica laborare, iuxta communem omnium consensum. Videmus tamen, quòd si vlcus pulmonis auferatur, liber statim à febre æger percipiatur: si verò vlcus perduret, febricitat perpetuò. Si autem hectica, vt Galenus putat, & ad eius mentem vulgus Medicorum calorem habitualem, & factum in corde requireret, duraret febris, etiamsi vlcus sanaretur, quia hectica in eorum opinione nullo modo potest esse symptomatica, & hoc est, quod meo iudicio doctissimè contra Galenum Pereira notauit, qui experientia nixus calorem hecticum à causa aliqua dependentem semper indicat. Quod etiam de duabus primis speciebus hecticæ tradidit Lemosius *lib. 10. meth. disputat.* a. & Vega ex aliorum mente *loco* iam *citato*: quorum doctrina, & probabilior, & securior mihi videtur: probabilior, quia contra se nullam insignem difficultatem habet, cùm opinio Galeni insolubilibus difficultatibus inuoluta, irretitaque fit: est etiam securior, quia cùm non opponantur methodo curatiuæ Galeni, addit suæ methodo nouam indicationem à causa sumendam, cuius inquisitionis diligentissimus Medicus esse debet, si hecticis, vt decet, auxiliari tentat, cùm sæpe sit necessarium tenaces obstructiones, & cancrosas viscerum dispositiones, vlceraque interna, vt liberentur, auferre, & corpus etiam densatum habitualiter laxare, & vlceribus internis succurrere. Vnde melius Galenus probat *lib. de marcore, cap.* 7. vbi planè in omnibus hecticis incipientibus focum admittit, supra quem refugerat extrinsecus applicare, & statim præcipit, vt illius incendium extinguatur. Et inferiùs sic loquitur: *Plerumque igitur hectica febris ex reliquis visceribus cum bilioso succo solet consistere, vbi is in ventriculum patientis*

A *imbibitus fuerit.* Et ob id Philippus marcescentium febrium plurimis erysipelatosam affectionem genitam esse in ventriculo arbitratur. Circa quod notanda est doctrina Galeni *lib. 10. meth. cap* 8. in quo adustarum fuliginum in hecticis meminit, quarum detentionem, si ab aëre frigido cutis denseturr, meritò timet. Verba sunt: *Qui verò frigidissimus est vtique, quatenus respirando attrahitur, admittendus est, vt qui calorem, qui est in corde, admodum refrigeret; non tamen quatenus extrinsecus ægrum contingit, quippe densat, cogitque cutem, ac putredinosorum humorum effluxum transpirare prohibet.* Antiqui verò codices, *eorum, qui comburuntur, effluxum transpirare prohibet*, legunt. Quibus verbia satis clarè docet, aliam in hecticia indicationem notandam inueniri.

B Et Lemosius in eius capitis expositione ex dictis verbis intulit, hecticam neque æqualem distemperiem, neque sine dolore esse, vt Galenus putat: in hanc nostram sententiam incautè incidit Sotus *lib. de loc. in hom. ad finem text.* 73. Verba sunt: *In quibus autem vlcus pulmonis mendosè curatur, crusta aliqua vlceri obducta, febris hectica per multum tempus semouetur, & obscuratur, quæ postea redit crusta deposita*, &c. Qui euentus repugnaret, si calor hecticus independens esset: cur enim cessaret, quando siccato vlceri, & crusta obducto non generatur pus? aut cur redit hectica, si crusta deponatur, nisi quia verè dependet à noua puris generatione. Nec aliter tabidos esse censeo, nisi dependeant à causa, quos retulit cum febre tabidus perisse 4. *de loc. affect. cap. vlt. class.* 4.

C Alio modo hectica laborare quis potest, simillimo quodam modo adducto à Vallesio, etiamsi in solidis partibus calor febrilis ab interno principio non sit, quoniam tantus non admittitur in virtute formæ; distemperiem tamen calidam, & siccam in partibus negare non possumus, sicut admittitur frigida, & humida à Galeno 6. *Aphor. comm.* 1. *& lib.* 2. *de caus. sympt. cap.* x. Eodem igitur modo si sanguis calidior, & siccior sit, & diu viuens ex ipso nutriatur, partes recuperatæ loco deperditarum calidiores, sicciores que erunt, vt differat partes à partibus eo modo, quòd alimenta, ex quibus sint, nequeant per alterationem viuentia à suis accidentibus vt excrementis omninò denudari, vt fatetur Galenus, sanguinem ex melle, aut pipere factum esse calidiorem, & sicciorem genito ex lactucis: necesse ergo est, vt id, quod eleuatur ex partium alteratione, &

D necessariò intra partes excrementosum includitur, calidissimum sit, & acre, vt Galen. 1. *de diar. febr. cap.* 5. dicebat; habeatque ex propria natura vim producendi febrem lentam, etiamsi corpus constipatum non sit. Quoniam sicut fuligines in corpore temperato in opinione Galeni, & omnium Medicorum, calorem cordis perpetuò intendunt, ad cuius attemperationem respiratione, & pulsu egemus, sic fuligo ex distemperato corpore creata, quod ipsum, & sanguis, ex quo nutritur, sint calidissima, & sicciora, tantum calorem continere potest, vt febrem lentam producat; cui causæ tam probabili, si adiungas sicca corpora ob densitatem minus esse perspirabilia, & ob actiuitatem caloris sicci

E partium solidarum in maiori copia fuligines eleuari, quàm statui naturali conueniat, & corpori temperato, percipies quàm facile sit corpus ipsum lentè calefieri, & exuri, esseque in omnibus partibus æqualitatem caloris, estque perniciosa huiusmodi complicatio, quoniam mutuò se augent febricitandi principia, quoniam distemperies calida, & sicca, partium excrementa fuliginosa calidissima, vt exsiccantia creat: hæc autem, quia partium distemperiem rursus intendunt, eas ad prædictum effectum maligius disponunt, egetque vt emendari possit adductum vitium longissimo tempore, quia nisi diuturna nutritione, & quasi totali totius permutatione corrigi potest, per nutritionem nempe diuturnam; neque existimo esse alium modum probabiliorem

rem ad defendendam doctrinam Galeni de hecticæ natura, quòd in sola distemperie consistat, & à causa nulla indicatio sumatur, quia excrementum febrem producens naturale quasi est, neque aliquam indicationem præbet; sed tota curatio in distemperiem partium solidarum dirigitur, & huic sorti febris rectissimè accommodatur, quod habitus sit, & difficillimè aufertatur; quoniam distemperies partium calida, & sicca ab excrementis impactis quasi naturaliter, & necessario modo imbibitis pendet, & hæc excrementa calidiora creans, febris quasi in habitu producerunt; quoniam excrementa illa semper præsentia sunt, & ex quavis nutritione resultant, donec temporis diuturnitate partes genitæ resoluantur, & aliæ temperationes adquirantur de nouo per nutritionem ex alimentis temperatioribus: & ita nunquam dicendum est, quòd calor hecticus à causa non dependeat, cùm reuera fuligo sit eius causa, & origo fuliginis calidioris, distemperies partium ab excrementis imbibitis. Quem modum opinandi ex ipso Galeno deducere possumus, qui *lib.* 19. *meth.* tradens vtilitates primæ partis balnei, dicit: *Ergo calidis his, siccique affectibus, de quibus, agebamus, emissio mordentium est salubris; fusio enim eorum est citra periculum*, &c. Admittit ergo Galenus in his calidis, & siccis affectibus causam exurentem, & acrem, & vacuatione egentem per balneum; in quem sensum paulò antea dixerat; ac euacuatio quidem excrementorum omni febri est vtilissima: loquebatur verò de euacuatione hecticorum per primam partem balnei efficienda.

CAPVT VIII.

De signis febris hecticæ.

QVamvis hecticæ febris plures gradus tradantur, de quibus posteà, in hoc capite trademus solùm signa hecticam incipientem ostendentia, & quæ cuicumque gradui hecticæ sunt inseparabilia, postea verò determinatum gradum significantia exponemus, si priùs crassum errorem Duncani *lib.* 1. *de febr. cap.* 11. adductum explicemus: dicit enim, omnibus hectica febre laborantibus, sicut etiam ephemera, & synocho, commune est, quòd calorem à principio vsque ad finem similem habeant; id enim falsissimum est in diariis, & synocho, cùm habeant non dubie sua quatuor tempora suam accessionem constituentia; principium scilicet, & augmentum, statum, & declinationem, quando salubres sunt; crescere verò diarias, & synochales, extra dubium est, quod hecticis & Galenus & omnes negant. Galen. *lib.* 1. *de diariis febribus, cap.* 9. hecticam primò incipientem his verbis significat: *Appareantque*, inquit, *in ipsa prima die omnia febrium ephemerarum indicia, febris autem ad diem sequentem extendatur, neque ad quietem declinans, neque magis inualescens; ariditatem autem maiorem in corpore repræsentet, talem hecticam fore suspicandum.* Loquitur Galenus iuxta eius placitum; putauit enim hecticam esse distemperiem sine materia: vnde quando sola incipit, pulsum mutat vt diaria, in magnitudinem scilicet, & celeritatem, & est contractio pulsus minor, & tardior dilatatione cum libero arteriarum motu, quia neque horror, neque rigor, neque frigus, neque humorum oppressio aliqua arterias grauat, & inde vt diaria exquisita, omnis hectica primò incipiens a causa externa pulsum permutat, quia spiritus in diaria accensi instrumentum non vitiat. Vnde si calor febrilis diem secundum iam attingat, neque diminutus, neque auctus, & siccitas totius maior appareat, hecticam febrem esse suspicandum est, quia præter dicta signa diariæ, quæ

A hecticæ primò incipienti conueniunt, non datur in hectica seorsim consistente vitium aliquod euacuatis. Ratio est, quia diaria exquisita intra diem naturalem iudicatur, quem si calor pertranseat, neque imminutus, neque auctus, constat iam limites diariæ excedere, quia tum secundum pertingit, & quia nullo modo remittitur, neque augetur, quod diariis conuenire non potest, quia quamvis non impleat diem secundum tantisper attingere, non tamen, nisi iam satis remissa: ergo non remitti, non esse diariam, suspicionem facit: & cum nouum incrementum non susceperit, stabilis iam calor, & fixus timetur.

Addit Galenus: *Si autem vsque ad tertium diem sine cibo permanserit, dum tertianæ accessionis suspectas præ-* B *terit horas, nihilque effatu dignum priori accesserit febri, aut fuerit diminutum, sed quædam primæ febris exiguæ reliquiæ tantummodò præcedant, atque permaneant cum ariditate corporis, & caliditate, quæ primo tactu mitis percipiatur; in processu verò temporis acris, mordax, atque arida manus se offerat, huiusmodi febrem hecticam esse est existimandam.* Hanc doctrinam citat Galen. *lib. de marcor. cap.* 7 *class.* 3.

Statim contra Galenum duo se offerunt difficilia. Primum est, quòd in eius opinione hectica febris semper in eodem tenore manere debet; diaria autem quatuor tempora necessariò habet, principium, augmentum, vigorem, & declinationem; ergo ex hoc discrimine satis constabit, quòd hectica sit febris, quæ C incipit, aut non; quippe si tempora particularia habeat primo die, euidenter constabit hecticam esse non posse. Malè ergo Galenus ad eius exquisitam cognitionem diem secundum expectat, cùm statim ex permanentia sine mutatione temporum satis distingui possit.

Secundum, quia videtur ridiculum tertium diem expectare, vt Medicus assequatur, si secunda accessio tertiana fuerit, quoniam tantum discrimen ignorare posset: est enim tertianæ accessio vehementissima, & in pulsibus magnam permutationem, & inæqualitatem iuxta temporum diuersitatem inducens. Quibus omnibus caret hectica incipiens: non ergo ad earum distinctionem tertia dies expectanda est, sed statim primo insultu à medico etiam triuiali cognosci debet, quia vt idem Galenus docuit *lib. de marcor. ad fin.* 8. *capit.* *Exquisitè hectica ea est, quæ nullum particularis accessionis,* D *aut principium, aut incrementum, aut vigorem; aut denique remissionem habeat.* Et mihi quidem videtur in opinione Galeni esse dicendum, hecticam eo modo, quo hectica esse incipit, mutationem ad nouum incrementum non habere, vt constat ex verbis Galeni *cap.* 9. *cit.* dicentis: *Esse signum hecticæ, quod nihil effatu dignum priori accesserit febri, aut fuerit imminutum.* Vnde euidenter constat, quòd eo ipso, quòd diaria exquisita sine temporibus distinctis non conceditur, distinguatur plane ab hectica, vt *eodem capite* inferius Galenus his verbis dixit: *Commune itaque est omnibus hecticis febribus, quod pusillæ, ac semper à principio vsque ad extremum finem sunt æquales; & multò maior distinctio est, satisque perspicua, si cum accessione* E *tertianæ conferatur, ob febris magnitudinem, & temporum accessionis distincta, & in pulsibus magnam inæqualitatem; præterquam quòd tertianam diem tertiam attingere sine remissione est impossibile:* & ita satis difficile videtur, quod in adducta doctrina Galenus tradit: quòd verò hectica incrementum habere non possit iuxta Galeni dogmata, inferiùs probabo.

Aliud signum adduxit Galenus dicendo: *Maximum verò, atque indubitatum hoc esse eius naturæ indicium, si cibum homini obtuleris eo tempore, quo maximè omnes horas suspectas subterfugisse videtur: statim enim hora vna, aut duabus post assumptum cibum quicumque ægrotantem tetigerint, alteram febris accessionem adesse opinabuntur.* Et inferiùs sic loquitur: *Omnibus siquidem*

dem hecticis febribus hoc primum, & inseparabile est indicium, allato cibo quidem caliditatem accendi, ac pulsum ad magnitudinem, & celeritatem augeri. Quod inferiùs rursus explicat affirmando hecticis idem contingere ab assumpto cibo, quod calci, ac lapidibus calefactis: si enim aquam frigidissimam infuderis, multò calidiores sentiuntur, renitente, vt videtur in ipsis, humida substantia augeri aridam caliditatem.

Hoc signum hecticam febrem significat, quatenus caloris nouum incrementum nunquam in hecticis datur, nisi vna, aut duabus horis post alimenti sumptionem; ita quòd si alimentum non sumatur, nullum caloris incrementum in hecticis detur, & quocumque tempore hecticus cibetur, intra dictum spatium semper calor eius augebitur.

Est autem magnum dubium, qua ratione hæc caloris auctio post alimentum fiat. Quidam putant, quòd cùm alimentum coquatur medio calore, & per consequens calefiat, & calor ad nouam materiam extendatur, esse hoc augmentum extensiuum tantum, & nullo modo respectu viuentis intensiuum. Ratio efficax est pro eorum placito; quia si alimentum à viuente coquente calefit, implicat, quòd viuens rursus ab alimento calefiat? Tantum igitur extensiuè calidius redditur, non autem intensiuè. Fatentur tamen quòd hæc caloris extensio communis sit omnibus febribus, quia omnibus conuenit, quòd calor ipsarum post alimentum assumptum ad nouam materiam extendatur; & hæc videtur esse expressa Auerroïs sententia *lib. 3. coll. cap. 33.* & Traliani *lib. 12. cap. 4.* dicentis: *Maxima vero nota est hecticarum, quod a cibo caloris incrementum fieri videatur: non est autem* (inquit) *incrementum, sed caliditatis in alto celata, occultaque argumentum.*

Neque obstat, dicunt Authores huius sententiæ, quòd pulsus in magnitudinem, & celeritatem maiorem mutetur, vt Galenus docet: nam illæ duæ, dicunt, non sunt necessariò signa nouæ intensionis caloris, sed ex aliis causis euenire possunt, manente calore immutato: causa verò est, quod in hecticis facultas vitalis est debilis, & instrumentum durum; vnde per alimentum reparata virtute, & humectatis arteriis crescit magnitudo cum celeritate, non verò quia calor de nouo intensior sit in partibus viuentibus, ratione cuius talea diariæ puniantur.

Hæc opinio mihi videtur falsa, quia Authores cum Galeno contrarium planè sentire videntur, ita vt reuera calor hecticorum intensior quàm antea sit. Galenus ita scripsit: *Auctum reuera apparere, ita vt quicumque ægrotantem tetigerint, alteram febris accessionem adesse opinabuntur:* quod non foret possibile ita apparere, si calor hecticorum non intenderetur. Et inferiùs sic loquitur: *Omnibus siquidem hecticis febribus hoc perspicuum, & inseparabile adest indicium, allato cibo quidem caliditatem accendi, & pulsum ad magnitudinem, & velocitatem augeri, ita vt incompressa annotatio videatur facta.* Quod clarè docuit *lib. de marcor. cap. 8. ad finem*, dicendo: *Iam verò in lib. de febr. diff. diximus, tum multa alia, tum quòd à cibo solo hecticæ febres efferuescant, veluti calx inspersa aqua, quo incremento ablato æquales semper manent.* En quàm perspicuè Galenus nouam intensionem fateatur in ipsa febre hectica, & contra illos stat in primis, quòd putent siccitatem non dari in prima specie febris, ratione cuius arteriæ motionibus inobedientes sint: & similiter clarè Galeno opponuntur, qui, vt posteà videbimus, facultatem robustam admittit in principio hecticarum, *lib. de proprio marcore*: estque sententia expressa Galeni eodem *cap. 9. citat.* vbi sic loquitur: *Decipit autem eos, qui circa huiusmodi non sunt exercitati ob caliditatis multitudinem, ob magnitudinem pulsus, & velocitatem.* Quòd autem multitudo illa intensio vera sit in partibus viuentis, clarè docet inferiùs dicendo: *Nam quæcumque conspectui sunt obuia, eo vsque manifestè alterata apparebunt, donec ex cibo digesto, aut apposito cordis siccitatem humectauerit, deinceps ad pristinum habitum reuertentur, in quo, antequam cibus sumeretur, conspiciebantur.* Et inferiùs scripsit: *Id enim eis contingere videtur, quod in calce, & lapidibus calefactis; si eis aquam frigidissimam infuderis, multò calidiores sentiuntur.* Ergo vt calx, & lapides verè sunt in se quàm anteà calidiores, ita & hecticorum corpora post alimentum assumptum calidiora erunt quàm anteà. Vnde Valles. noster *1. lib. de differ. febr. cap. 13.* dixit, temerariè Auerroëm, vt aliàs sæpè Galenum irridere, quia docuerit hecticos intensius calere à cibo, vt calx adfusa aqua: & improbando Auerr. doctrinam dixit, ex illa non colligi, cur membra facta sint calidiora, aut cur ab alimentis, quæ non sunt facta calidiora quàm membra, calor illorum auctus videatur. Et noster Vega *2. lib. progn. comm. 60.* dixit; quod solus temerarius Auerroës negare poterat, quòd membra hecticorũ per alimentum calidiora non fiant, estque tam expressa doctrina Galeni *in eiusdem prognostici expositione*, vt in dubium verti non debeat, sensibile, quòd calor partium verè intensior fiat. Et ipse Hippoc. *in text. de febr. supp.* loquens, quam hecticam *in comment.* fatetur Galenus, dixit: *Quòd febris non dimittit, sed interdiu tenuior, noctu vehementior apparet, &c.* Vnde Galenus eandem doctrinam de calore reperit, & dicit: *perspicue enim apparet incidere calorem febriculosum simul cum tempore alimenti, statimque adhibito cibo augeri, & quàm maximè vehementem per deductionem illius apparere.* Nota, quod hoc loco clarè dicit, quòd calor febrilis incidat simul cum tempore cibi.

At contra sic opinantes est argumentum efficax, quia hecticus totum corpus occupat, & afficit, & in eorum opinione independens: ergo quantum ad partes viuentes attinet, est impossibile, quòd extensio noua fiat sine noua intensione, quia cùm intensio productionem præsupponat, fieri nequit sine eo quòd calor præexistens de nouo intendatur: ea autem extensio, quæ in alimento de nouo digesto fit, implicat à Medico, aut ab ægrotante sentiri, quia tutus manet; od id enim certum spatium requiritur: si autem ex sola cibi excalefactione penderet, statim ac sumitur, calor perciperetur, cùm statim ad nouam materiam extendatur: vnde à Medico, quod internè continetur, non potest sentiri, neque ab ægroto, si eius calor de nouo non intenditur. Et contra opinionem prædictam est, quòd calor hecticus deberet à cibo remitti, quia est minus calidus; & sicut calefit cibus à viuente, debet viuens necessariò ab eo infrigidari. Est etiam necessarium, quòd si calor non intendatur, si crescit magnitudo pulsus, minuantur celeritas, & crebritas. Admittit etiam hæc opinio siccitatem in hectica, quia dicit, quod pulsus fit maior, quàm sit instrumentum obediens.

Dicendum ergo est cum Galeno, calorem hecticorum intendi in pluribus partibus corporis, & hoc augmentum occasionem ab alimenti humiditate suscipere: uam si Galenus rectè legatur, nunquam hoc signum contingit, nisi quando siccitas occasio est, ne per totum distribuatur quidquid exuritur, & in acrem fuliginem vertitur. Est autem talis occasio siccitas, quando partes iam densat, & distributionem per totum impedit: vnde illud, quod exustum propter siccitatem minus transpirat, quasi incarceratum, mouetur foras libetiùs ratione humiditatis alimenti viis laxatis: vnde necesse est, quòd partes omnes, quibus de nouo vsta fuligo applicatur, calidiores multò quàm anteà reddantur, non secùs quàm aqua calida, si moueatur, plus calefacit, quia per agitationem, quod illud magis in ea includitur, mouetur extra, & tactui magis, in maiorique copia applicatur. Hoc clarè insinuauit Galenus *cap. 3.* iam *citato* dicendo: *Nam quæcumque conspectui sunt obuia, eo vsque manifestè alterata apparebunt, donec digestio, atque appositio ex cibo*

cordis

cordis ſiccitatem humectauerit, deinceps ad priſtinum habitum reuertentur, in quo, antequam cibus aſſumeretur, conſpiciebantur. Quaſi diceret, partes omnes, quæ à cibo calidiores percipiuntur, in calore illo permanebunt, quamdiù cibus cordis ſiccitatem reprimat, quia eius humectatione viæ laxantur, vt quidquid internè exuritur, in corde præcipuè, poſſit extra propelli. Finita verò humectatione alimenti, rurſus cor ſiccatur, & ob viſcera etiam interna denſata, præter naturam magis quàm anteà incipit interiùs detineri, quod eleuatur exuſtum: & ſic partes, quæ & tactui, & viſui calidiores apparebant, incipiunt ſe reducere, & infrigidari ab interno principio: propereà noſter Vega, & Brauo Salmanticenſis putarunt, hoc ſignum non dari niſi in iam tabidis; primæ autem ſpeciei hecticæ in qua morboſam ſiccitatem non admittunt, conuenire non poſſe. Nec aliter intelligi poſſunt verba illa: *Nam quacumque conſpectui ſunt obuia, eouſque manifeſtè alterata apparebunt*, &c.

Eſt autem locus hic Galeni noſtræ opinioni plurimum fauens, poſſe nempe dari hecticam diſpoſitionem ob præternaturalem denſitatem, id quod exuritur diſſlari impedientem; eſt enim calor ſiccitati coniunctus vſtiuus, & veluti colliquans, etiamſi febrilis non ſit: vnde, quod eleuat, acre, malignum, ſatiſque calidum eſt; quod detentum febrem, vt dixi, habitualem creat, quia nimia ſiccitas conducit ad prædictum euentum: ob id enim Galenus à cauſa externa febrem hecticam primò incipientem non admittit, niſi in corporibus ſiccis, & calidis. Verba ſunt *cap. 9. citato*: *Siccam verò in hecticis febribus eſſe caliditatem, quam tabes conſequitur, hoc argumento conſtat; nullus enim ex iis qui habitu corporis præditi ſunt humidiore, ſtatim ab initio huiuſmodi febre correptus fuit, ſed quicunque ſunt natura ſicciores, & præſertim ſi calidam habuerint temperaturam, vitamque degerint in laboribus, vigiliis, ac curis, victuque pauco; hos ſtatim ab initio ſolet hectica febris inuadere ex ira, vel triſtitia, ac magis æſtate, ſtatuque temporis calido & ſicco, ac loco præterea conſimili; terminus autem earum principij eſt, quando eo tempore, quo ſolent ephemeræ febres in integram febrem deſinere, præterquam quod illis nil tale euenit, ſiccitas iam manifeſtè intenditur: tunc enim primum febrem euadens ephemeram, tranſcendit ad hecticam; alter verò cuiuſdam veluti ipſius augmenti, atque integræ perfectionis terminus eſt tertia diei acceſſio. Si enim, vt paulò anteà dicebamus, neque altera acceſſio ſuperuenerit, neque ægrotus ſine febre fuerit, adaucta inſuper ſiccitate, tunc procul dubio hic hectica febre laborat, quæ progreſſu temporis citò ad tabem conuertetur, niſi benè curetur; terminus autem permutationis eius ad tabem eſt, quando primum pulſus debilis ſimul ac durus fiat, ſtatim verò & paruus neceſſariò hic idem eſt, & frequens; non autem præterea febris eſt tabida; ſed ob id potiùs, quoniam debilis, & durus exiſtit; debilitas ſiquidem vehementem ſequitur cordis intemperiem, durities autem ſiccitatem. Si igitur huiuſcemodi effectus cor occupauerit, hinc febre tabida neceſſe eſt animal laborare.* Hactenus Galenus. Quo loco apertè dicit, quòd hectica non generatur, niſi ab vſtione propriè dicta, quia ſemper ſiccitatem Galenus requirit, vt à cauſa externa febris hectica primò inducatur, & ita quando à putredine hecticas admittit, impropriè videtur locutus, per putredinem intelligendo vſtionem: nam ſi ſola putredo ſufficeret: malè humidam naturam excluderet, vt primo inſultu febricitaret. Verba libenter ad vnguem tranſtuli, vt conſtaret, nullam hecticam in opinione dari ſine ſiccitate: nam ſi cauſa externa hecticam primò inferre non poteſt, ſi in corpore ſiccitas præter naturam non ſit, ita nulla alia cauſa interna hecticam inducat, niſi aut ſiccum corpus præſupponatur, vel ab eadem

A cauſa exſiccetur, quales ſunt ardentes febres colliquatiuæ, & nimis diuturnæ: ad eam verò ſiccationem neceſſariò ſubſequitur denſitas præter naturam, & excrementorum aduſtorum cohibitio, febriſque habitualis, modo iam relato: ſic vlcera pulmonis, & empyema, ſi corpus exſiccauerint, hecticam febrem creant, etiamſi viſcera exſiccata perſpirabilia ſatis ſint; nam febris illa ab excrementis vlceris cauſata, & à pulmonis putredine, aut puris exhalationibus, ſi iam corpus exſiccatum ſit, hectica eſt, quidquid alij dicant, requirentes ad hecticam, quòd in partibus ſolidis ſit diſpoſitio, ratione cuius etſi vlcus pulmonis, aut empyema ſanaretur, maneret nihilominus hecticus calor. Contra quos ſtat experimentum, quòd B ſi vlcus, aut empyema ſanetur, ſtatim febris ceſſat omninò, & hoc fuit fundamentum præcipuum, quod iam Authores contra Galenum de caloris independentia diſſentire de hecticis coëgit.

Ex dictis conſtat, in mea opinione, in rigore loquendo, nullam febrem hecticam admittendam eſſe ſine ſiccitate morboſa, neque eſſe doctrinæ Galeni conſentaneum aliter opinari, cùm *cap. 9.* ſæpiùs citato, in die ſecundo maiorem ſiccitatem requirat in febre hectica à cauſa externa originem ſuſcipiente, quod omninò eſſet irrationale, ſi in die prima ſiccitatem non requireret. Hinc expendendus Galeni locus *1. de diar. febr. capite 12.* vbi dicit, quod nullus humido corpore præditus ſtatim ab initio hectica corC ripitur, quæ danda vera eſſe non poteſt, ſi non eſſet ſiccitas ad hecticam requiſita. Patet, quia corpus humidius eſt ad putredinem paratiſſimum: ergo poterit à cauſa externa putredo in corde priùs produci, & ſic primò hectica induci, ſi putredo cordis hecticam poteſt creare. Vt inde colligaris, omnem hecticum plus, aut minus tabidum eſſe, vt quaſi ab occulto marcore, quæuis hectica incipiens in deſperatum, ſi ſtatim non ceſſet, terminetur. Vnde vt marcor confirmatus paſſio compoſita à Galeno cenſetur, ex ſiccitate morboſa & calore præternaturali, eandem compoſitionem in rigore quæuis hectica requirit, & propterea rectè Galenus omnium febrium hecticarum, vt ſignum inſeparabile, & proprium à cibo incaleſcere putat, quod ſine ſiccitate morboſa in eius opinione dari non poteſt, & illud ſignum in hectica D primò incipiente à cauſa extrinſeca ſtatim requirit, & ſæpè confirmauit experimento diuerſis temporibus ægros cibando, vt diſcipulis tam celebre ſignum oſtenderet, vt clarè *2. Prognoſt. text. 60.* retulit, vbi ſic ſcripſit: *Per febres hecticas partes ipſa corporis ſolidiores ignita euadunt: ob id igitur aſſiduè febris in ſeipſa ſimilis manet, calorem obtinens, perinde vt calx debilem contingentibus.* Quibus clarè dicit, partes ſolidas ignitas eſſe vt calcem; hoc verò ſine ſiccitate non fit.

Nec obſtat locus ex *lib. de marcore, cap. 1.* vbi dicit Galenus: *Atqui adiunctam habet caliditatem, in aliquibus febribus hecticis fieri conſpicitur.* Ergo ſi in aliquibus hecticis inuenitur marcor cum caE lore, non inuenitur in omnibus. Reſpondetur eſſe intelligendum de marcore conſummato, aut ſatis ſenſibili, nam in primo inſultu hecticæ, quando ſola incipit, ſenſibilis marcor, & ad ſenſum non datur, quatenus marcor ſenſibilem extenuationem ſignificat; non tamen quatenus quemlibet gradum ſiccitatis, hic enim præcedit ſemper ſenſibilem extenuationem. Eodem modo eſt intelligendus *1. de diar. febr. capit. 9.* ob quod Galen. *in ſynopſ. de pulſib. cap. 20.* dixit; quòd *pulſus durus efficitur ob validam refrigerationem, aut ſiccitatem.* Quod etiam difficultas ſanationis cuiuſque gradus hecticæ perſpicuè oſtendit, quæ ex nullo principio magis

depender, quàm ex ficcitate ad hecticam necessariò requisites, cnius ablarionem difficilem semper esse millies Galenus testatur, vt *7. Meth. cap. 5.* docuit, & *propriè lib. de marcore*; habet enim siccitas quid malignum, quòd non solùm coctionem alimentorum valenter destruat, cùm omnis coctio calore, & humiditate præcipuè celebretur, vt indicant pueri; sed etiam quia densando corpus alimenti distributionem potenter impedit, & inde sanationis difficilis est omnis hectica, quamuis primus gradus facilè sanari à Medicis dicatur. Quod intelligendum est comparatiuè ad tabidam febrem consummatam, aut ad mediam, non tamen absolutè: multi autem siccitatem morbosam negarunt, quod Galenus prædicauerit durum pulsum nulli febri necessariò tanquam essentiale signum competere, quasi quælibet morbosa siccitas ad durum pulsum sufficeret: requiritur enim magna, & in corpore arteriæ inducta ad durum pulsum efficiendum; quorum duorum non est necessaria copula ad hecticam febrem. Constat ex Galeno *cap. 9.* dicente: *Terminus autem permutationis eius ad tabem est, quando primum pulsus debilis simul ac durus fiat.* Et inferiùs scripsit: *Sed ob id potius quando durus, debilisque existit, tabida dicitur.* Anteà verò idem Author ex morbosa siccitate hecticam primò incipientem venari docuerat, & non ex pulsus duritie, hæc enim non hecticam absolutè, sed marcorem ostendit; plus enim siccitatis requiritur ad durum pulsum creandum, quàm ad siccitatem morbosam: hanc verò omni hecticæ inesse perspicuè curatio indicat, quæ etiam in primo insultu febris balneis aquæ dulcis, & humidis inunctionibus, & refectoria nutritione per humida alimenta celebratur, & ab his auxiliis cuiusque hecticæ medela incipit; omnis ergo siccitatem includit, & hoc magis in opinione Galeni, qui præcautionem in hecticæ curatione excludit in ordine ad causam aliquem, ita vt auxilia, quæ statim imperat, præsenti affectui dicauerit; imperat verò humida: quod etiam confirmat planè ratio Galeni tradentis causam incalescentiæ maioris à cibo, *2. prognost. text. 60.* Dicit enim: *Perspicuè enim apparet incidere calorem febriculosum simul cum tempore alimenti, statimque cibo adhibito augeri, & quàm maximè vehementem per deductionem illius apparere.* Expendo verba illa vltima: *Et quam maximè vehementem*, &c. quæ propriè significant ad extra calorem ab internis euocari, & per partes diuersas distribui, hoc enim propriè *deduco* significat. Hoc autem contingere nequit, nisi humiditate laxando vias, quæ siccitate erant occlusæ; & propterea dixit *cap. 9.* iam *citato*, quòd ea deductio durat, donec digestio, & appositio cibi siccitatem cordis humectauerit; constátque ex dictis læsio inducta à siccitate, est enim principalissima; nam coctionem alimenti impedit, & rursus eius distributionem tardam, difficilemque reddit. Primum vt morbus intemperiei causat. Secundum quatenus morbus confirmationis inducit: & certè in opinione Galeni, primus gradus hecticæ statim data frigida aqua deberet auferri, si non esset inducta siccitas, ratione cuius calor hecticus aliquo modo foueretur: docuit enim ipse *lib. 7. meth. cap. 4.* calidam distemperiem facilè sanari, & hic modus opinandi communis iam est, & traditur ab Eustachio *cap. proprio de hectica, lib. 3. de febribus.* Ita sentit Duncan. *lib. 1. de febrib. cap. 10.* *Est* (inquit) *hectica febris intemperies calida, sicca.* Et inferius: *Siccam autem caliditatem in hectica esse 1. feb. cap. 9. demonstrat Galenus.* Et confirmatur, quia si primus gradus hecticæ potest esse sine siccitate, ita & omnes, quia putredo extendi potest, & defectu nutritionis absumentur partes omnes ad marco-

A rem requisitæ. Earum verò defectus non inducit siccitatem morbosam positiuam, quia hæc non includitur in forma viuentis, vt anteà notauimus. Vnde sicut hectica durans marcorem inducit per continuationem, si per eandem compositam distemperiem incepit, quis motus eiusdem speciei est, qui à principio ad finem, etsi agens primum gradum producens nullam siccitatem induxit; sic durans non introducit illam, &c.

Aliud signum hecticæ in communi est, quòd arteriæ sentiantur calidiores partibus circumstantibus, & hoc maximum est indicium hecticarum, vt Galenus testatur *cap. 9. citato*: quia in nulla alia febre ea maior caliditas arteriis aduenit. Quod accidens, inquit Galenus, manifestius percipitur post balneum,

B aut aliam quamcunque corporis laxationem, ratione cuius aliqua profluat humiditas, ac caliditas efflet: tunc enim in aliis partibus omnibus calor mudersius percipitur, vbi calor ita exspirauerit; qui autem in arteriis existit, nihilo minor quàm antecedens sentitur: est autem manifestus eius sensus, cùm se pulsus attollunt, qui neque in talibus perspirationibus permutantur, sed continuè in eodem statu perseuerant. De hoc signo est inter Vegam, & Vallesium nostrum discordia. Ille enim tabidis solùm conuenire docet: Vallesius verò omnibus speciebus hecticæ. Huius placitum videtur mihi Galeno magis consentaneum, quia illud in communi tradit; & quia vt ex Galeno probauimus, quæuis hectica siccitatem morbosam

C includit; est autem causa huius signi arteriarum densitas, quæ non permittit in balneo ita laxari, vt calidus vapor, aut vsta fuligo sensibiliter resoluatur, secus atque in carnibus contingit: vnde post balneum temperatissimæ carnes appareant: loca verò arteriarum tam calida vt anteà ferè sentiuntur, & cùm arteriarum densitas naturalis magnis numeris densitatem carnis excedat, non est opus ad huiusmodi signum, quòd febris tabida sit, vt malè Vega putauit, cùm sequatur potiùs naturalem partium proprietatem, quàm occasionem morbosam.

Neque inde colligitur, idem signum omnibus febribus debere competere, si naturalem partium proprietatem sequitur, vt diximus; nam in putridis

D tanta est copia vaporum, & fuliginum per omnes partes corporis disseminata, vt magna differentia inter partes non sit, præsertim quia balneum non præcessit: at in hectica paucissimum est, quod exustum euaporari desiderat, & ita à balneo caro temperatissima percipitur: sine illa verò multò etiam minus calidior arteriis, quia quod eleuatur in ipsis, & in maiori copia est, & multò minus transpirat. Neque obstat, quod arteriæ ad expulsionem huius fuliginosi excrementi assiduè comprimantur, vt meliùs multò quàm carnes ab eo excremento se liberent: quoniam etsi hoc ita sit, est hecticorum contractio parua, & debilis, & quantitas excrementi magnopere, vt dixi, in eis carnium excrementorum excedit.

E Addit Galenus, quòd calor hecticorum non sentiatur ab ipsis, & quòd sit æqualis absque vllo dolore: ita docet *lib. de inæquali intemperie, cap. 6.* dicendo: *Cùm verò omnes corporis particulæ prorsus excalefactæ fuerint, eiusmodi febris hectica vocatur.* Hæc (paulò inferiùs inquit) *doloris expers est, putantque qui ita febricitant, omninò se carere febre, neque enim eius calorem sentiunt, omnibus scilicet eorum partibus æquè excalefactis.* Quòd inferiùs repetit dicendo: *Quocirca etiam omnes febres hecticæ tum sine dolore sunt; tum ab his, qui ipsis laborant, prorsus non sentiuntur; non enim ex eorum partibus hæc agit; hæc verò patitur, cùm omnes inter se tam similes*

sint

sint reddita, ac vnicam habeant, consentientemque temperiem.

Tota hæc doctrina quantum ad æqualitatem caloris in partibus omnibus, & quòd omninò non sentiatur, parum probabilis est, neque omninò tuta: non enim videtur credibile, quòd qui ab ira in hecticam cadit, omnes partes æqualiter calidas in facto habeat; cùm sit euidens, calorem ab ira excitatum à corde incipere, cùm in illo per talem passionem sanguis effervescat. Vnde sicut est irrationabile tantum feruorem in extremis partibus esse, vt in corde, ita quando ab ira homo fit hecticus, improbabile est, quòd omnes partes solidæ æqualitatem caloris contrahant, & ipsum in omnibus partibus independentem esse; id enim neque Galenus probauit, nec potuit, neque aliquis expositorum eius explicuit, quia potiùs ipse Galenus *cap.8. eiusdem libri*, inter causas inæqualis intemperiei & iram, & immoderata exercitia, & solis vstionem enumerat, à quibus interdum hecticas primo insultu fieri docuit. Implicat ergo naturali ratione, quòd si causæ hecticam inducturæ sunt inæquales in alteratione, quòd effectus ipsarum eandem inæqualitatem non æmulentur. Vnde dispositio hectica inducta inæqualis non dubiè erit, quando imò probabile omninò est, quòd omnes partes solidæ eadem numero causa, eodemque tempore durante, debeant eandem dispositionem accipere, vt æqualem calorem contrahant habitualem: nam vel ipsa partium diuersa temperatura clarè facit esse impossibile, quod Galenus docet: quod ex ipsius doctrina iam ostendo. Docuit enim *cap. 8. citato*, inæqualem intemperiem produci detentis fuliginosis vaporibus: nulla autem hectica esse potest, in qua vsta fuligo non eleuetur, siue ex rore putrido, siue ex carnis, aut solidorum vstione febris hectica oriatur; nam & in ipsa tabida febre, quæ præ cæteris hecticis æqualis putatur à Galeno, id quod colliquatur, in modum fuliginis pelli insensibiliter ipse Galenus 10. *meth. cap. vlt.* sequentibus verbis fatetur: *Sanè sunt, & quas marasmodes febres vocant, vniuersæ ex earum genere, quæ colliquant; sed in eo differunt, quod quæ portio carnis in his liquatur, ea semper vaporis vice digeritur, in illis defluit in ventrem, &c.* Vnde fit, quòd sicut illud vaporosum, aut fuliginosum, quod ex humoribus putrescentibus eleuatur, est calidius, & febrem facit, ita quod exustum ex carnibus, aut partibus aliis solidis propter vstionem, aut putredinem colliquatur, & in fuliginem vertitur, calidius carne remanente erit. Vnde implicabit, corpora hectica non alterari perpetuò, & inæqualiter, vt in putridis, & diariis febribus, & id euidentius confirmatur in hectica per consensum. Quis enim credet, quando septum transuersum, aut iecur inflammatum, & exustum ad hecticam disponit, non alterari magis partes loco inflammato proximas, quàm corporis extrema; estque tam impossibile, quòd partes omnes à iecore inflammato ad hecticam disponantur æqualiter, sicut repugnat, quòd agens naturale partes sibi proximas, & nimis distantes æqualiter alteret. Ex æqualitate ergo materiali deducentur hecticorum indolentia, & sensationis caloris defectus. Quod etiam confirmat quotidianum experimentum, esse inæqualitatem in aliis febribus, & nihilominus neque ægros dolere, neque calorem febrilem semper percipere, vt in fœminis obstructis passim experimur, & in declinationibus putridarum non minus: non enim qualibet caliditas continuum subitò soluit, neque tantus excessus est inter partes, vt species tangibilis caloris idonea sit propter remissionem ad fœcundam potentiam, & sic nec dolent, neque ex defectu caloris, aut sensationis hecticæ rectè redarguitur, neque ex eo quod doleant, aut sentiant calorem, quòd hectica non sit, rectè probatur; estque tam commune omnibus febribus, quòd calor ipsarum tantus non sit, vt soluat continuitatem, quod dolere ratione caloris sit rarissimum, & non nisi ad plenitudinem totius, aut partis, dolor commodè possit reduci: estque expressa sententia Galeni *lib. 9. de præsag. ex puls. capit. 4.* dicentis: *Non est magna febris hectica vlla, maximè si paucum caloris visens habeat: qui igitur calor in vniuersum corpus deriuatur ex corde, hic sensum solùm inducit ipsius inæqualitatis fastidiosæ, quamobrem balnea desiderant, vt alij omnes fastidiosi, &c.* Qui locus celebris est, & quia calorem dependentem in hecticis fatetur, & per consequens inæqualem, & quia molestum etiam esse dicit hecticorum calorem.

Pulsum hecticum est satis difficile explicari, quòd varius Galenus percipiatur, quem si attentè legas *lib. 3. de præsagiis ex puls. cap. 3. circa finem*, inuenies clarè pulsus hecticorum omnium debere esse languidos, paruos, celeres, & crebros: Sic enim scripsit: *siquidem qui intemperiei comites sunt corporis, & ipsius cordis, imbecilles sunt omnes.* Vnde deducitur, quòd quando auctus sit vsus, & facultas debilis, quòd debeat esse pulsus languidus, paruus, celer, & creber; sunt enim tales differentiæ vsui aucto, & facultati debili debitæ, si nimis languida facultas non sit, quod in principio hecticarum necessariò non est. Constat autem loco iam citato, esse intelligendum Galenum de intemperie facta in corde; nam cum sicuti distemperie, etsi sit intensissima, validam facultatem admittit, & inde cum pulsu magno, vehementi, celerrimo, & creberrimo ægros inueniri posse, vt clarè docet *cap. 2. eiusdem lib.* vbi dubium, à quo fortassis non benè se expediuit, suscitauit contra se. Quomodo, inquam, si omnis magna intemperies virtutem deiicit, potest cum magno cordis incendio constare facultas? Est autem eius solutio, fientes distemperies, etsi magnas, virtutem non deiicere: quæ autem factæ sunt, maximè. Itaque ex Galeno, cum facta, seu habituali intemperie virtus constare non potest, quam cùm omnes hecticæ participent, aut, vt melius cum Galeno loquamur, in ea consistant, erunt per consequens hecticorum omnium pulsus parui, debiles, celeres, & crebri. Quam doctrinam difficilem omninò Galenus ipse reddit *lib. proprio de marcore, cap. 7.* sequentibus verbis: *Ac cùm primum cognita fuerint, aqua frigida sibi ipsis danda est, quippe eo tempore est tutissima, cùm & virtus sit valida, & sanguis in corpore copiosus contineatur: nam vbi febres moram traxerint, tunc & vires redduntur imbecilles, & sanguis fit paucus, &c.* Quam doctrinam sequutus *lib. de diar. febrib. cap. 9.* scripsit ita: *Terminus autem permutationis eius ad tabem est, quando primum pulsus debilis simul, ac durus fiat, statim verò, & paruus hic idem est, & frequens, non tamen propterea febris est tabida, sed ob id potiùs, quòd debilis, ac durus existit; debilitas siquidem vehementem sequitur cordis intemperiem, durities autem siccitatem.* Exponendus itaque est Galenus, quòd non omnes factæ distemperies lapsum facultatis vitalis inducant, nisi sit maxima: & propterea non implicare, quòd hecticæ primò incipientes cum virtute valida dentur, vt dantur diariæ, alioqui per debilitatem statim inductam possent hecticæ à diariis rectè distingui primo die: quod Galenus non facit, eò potiùs, quia hecticæ primò incipientes in omnibus assimilantur diariis; propterea primo insultu distinctionem earum difficillimam esse putat. Quod clariùs docuit *eod. 3. de præsag. ex puls.*

cap. 7. vbi in similes differentias becticorum pulsus mutari, & laborantium diaria febre expressè docet, solúmqua esse discrimen, quòd hecticorum pulsus celeriores aliquo modo sunt. Vnde mirandum est, quòd multi scriptores id non notauerint, quorum gloria alia non est, nisi quod Galenum assiduè legant; quòd si fecerunt, videtur ex eorum scriptia aut nos fallere, aut oculis conniuentibus, oscitantérque tantum authorem, Galenum inquam, legisse, cùm indistinctè dicant, pulsus hecticorum debilis est, quia in hac febre temperamentum valde subuersum est, cum quo virtus constare non potest; quod nos vt frequentius accipimus, quia rarum est, hecticam post morbos perniciosos, aut longos non euenire: non tamen est perpetuum, si Galeno credendum est, febres hecticas primò incipientes, & robustam virtutem in eis publicè admittenti. Vnde & 3. *de præsag. ex puls. cap.* 4. *ad finem*, fatetur rursus ex pulsibus distinctionem sumi non posse inter diarias febres, & hecticas. Eodem modo noster Vallesius fallitur, cùm absolutè dicat *libello de febr. capite* 6. *in principio*, constare esse primam becticæ speciem ex acri, & atido calore, nondum tamen multo: ex summo atido tertiam; ex mediocriter tali secundam; pulsus verò celer, creber, & exiguus tantùm primam, durus iam manifestè secundam, summè iam creber, & conuulsiuus cum exiguitate tertiam indicat, &c. Non enim est Galeno, nequ rationi consentaneum, in hecticis incipientibus paruum pulsum necessariò fore; in quem errorem lapsus etiam fuit Augenius *lib.* 3. *de febr. cap.* 18 dicendo: *Pulsum habent omnes paruum, celerem, crebrum, & debilem*. Vnde Haliabas *cap.* 26. de cura hecticæ loquendo dixit: *In morbi autem principio, dum adhuc virtus valida est*, &c.

De vrina hecticorum controuersia est, si in ea dari aliquod signum possit illam ostendens: & mihi videtur probabilior opinio asserentium, nullum signum dari hecticæ proprium, aut inseparabile, & de hecticis primò incipientibus: est ergo Galeno consentaneum, cùm in primo die omnia signa diariæ admittat, vt certò si diaria, aut hectica febris inuaserit, agnosci non possit. Si autem aliquod signum præternaturale daretur, hecticam statim ostenderet, cùm in diariis vrina cocta perfectè detur. Et ratio à priori ex eius doctrina *libello de marcore* deducitur, constat enim virtus in primò incipientibus, *vt capite* 7. docuit, & causa earum in opinione Galeni non est humorum putredo, & inde neque propter defectum coctionis, neque propter vitiatos humores lotium mutabitur, vt verius sicut in diariis, dicas esse signum hecticarum incipientium vrinam perfectè coctam.

Si autem in secunda specie colliquatio ad mittenda sit, vt signum inseparabile, discordia est inter Authores. Nam Donat. 1. *part. de febr. cap.* 11. in nulla specie hecticarum sensibilem colliquationem admittit: sed quia calor hecticus, inquit, remissus est, nunquam simul tantum colliquat, vt in vrina aliquid oleosum supernatet, sed insensibiliter in modum vaporis, aut fuliginis, quidquid liquatur, resoluit. Augenius autem in tertia specie hecticæ, quam in consumptione pinguedinis, & carnis collocat, dari necessariò supernatantem in vrina pinguedinem putat, quam colliquationem in prima specie non admittit; eam enim in rore constituit; non est autem tam corpulentus ros, vt sublimamentum ex eo fieri, formarique possit, sed à calore ros ipse in vapores abit: in cuius Authoris opinione semper quando in vrina colliquata pinguedo apparet, est iam æger in secunda specie hecticarum, quia neque in prima, neque in tertia sensibilem liquationem admittit. Verba Authoris sunt: *Itaque si quando huiusce modi colliquatio contigerit, suspicari oportet ordinis secundi febrem in habitu adesse.*

Sed neuter istorum probat, quod intendit, futilibusque satis rationibus quilibet suum intentum stabilit: nam quod dicit Donatus, in nulla specie hecticarum sensibilem colliquationem dari posse, quia calor earum remissus est adeò, vt simultaneam, & confertam pinguedinis, & carnis liquationem, quæ sublimamentum faciat, liquare non possit, non probat; imò efficaciter potest redargui, ne dicam euidenter, quoniam calor hecticus partes viuentis benè absumit, & tam breuiter, quòd statim in die secunda siccitas inducta per consumptionem humiditatum à Galeno inquiratur, vt inde constet hecticam esse: ergo si verè colliquat, quia absumit, & alioqui calorem esse remissum fatetur Donatus, fateatur etiam necesse est, quod liquatur, resolui non posse; est enim necessarius calor intensior multò ad resolutionem, quàm ad liquationem, vt in cera, & adipe constat, si igni liquanti exponantur: ergo cùm experimento constet, hecticam incipientem post primos tres dies iam siccitatem morbosam induxisse, aut fatendum est, quòd calor hecticus sit efficacior ad resolutionem, & liquationem, quàm calor aliarum febrium colliquantium, quod nullus dixit: aut asserendum est, quòd manare possit ex pinguedine & carne liquatis sufficiens quantitas ad pingue sublimamentum in vrina; & in hecticis omnem manifestam liquationem negare temerariè dicitur, & tollit signum, quod conuenientissimum est, & ad cognitionem, & ad præsagium. Sic Princeps noster Auicenna de signis hecticæ loquendo dicit: *Et additio in arefactione, & extenuatione secundùm illud, quod necessarium fecit illa ægritudo, & vnctuositas in vrina, & egestio est, &c.* Absque fundamento igitur Donatus tenet, quòd calor hecticorum tantam liquationem efficere nequeat, vt in lotio ipsorum innatans pinguedo inueniatur, cùm Auicenna non solùm in illo, sed in alui excrementis illam liquationem admittat: & vrget magis Auicennæ doctrina, quod illud signum colliquationis tradit ad ostendendum complicationem hecticæ cum putrida febre, vt inde constet proprius hecticis, quàm putridis colliquare sensibiliter competere. Auerroës etiam *capite* 8. *de signis hectica in fine* dicit: *Et vrina est oleaginea*; in qua Galeno apertè refragatur, quatenus eam colliquationem in hecticam etiam tertiæ speciei concedit. Serap. etiam *cap.* 11. idem docuit dicendo: *Et eorum vrina est oleagina, in qua apparent quædam similia laminis, seu squammis propter liquationem membrorum.* Idem tradit Gordonius *capite* 9. & Arnaldus *cap.* 3. in omni specie hecticæ manifestam colliquationem admittit. Et Sauonarola *tractatu de hecticis febribus*, *rubric.* 1. Gildebertus *lib.* 1. *à fol.* 69. *ad* 70. latissimè docuit, & Valescus de Telanta in primis duabus speciebus, *cap.* 14. cum quibus Authoribus videtur mihi proteruum esse negare, quòd colliquatio omnibus hecticis repugnet, vt censet Donatus, neque alias febres propriùs colliquantes, quàm becticas agnosco; nam si tertia species carnem occultè colliquat in sententia Galeni, multò facilius ros, & pinguedo in aliis duabus speciebus colliquabuntur, cùm minus resistant ros, & pinguedo colliquationi, & calor tertiæ speciei non sit maior necessariò quàm fuit in primis duabus. Idem enim gradus, si diutiùs duret, totum corpus colliquat, & tabe conficit: neque enim tam remissus est calor hecticorum, vt liquari non possit, quando calor naturalis, si sanguis pinguedine abundet, in vrina naturali pingui sublimamento liquationem ostendat, vt 4. *lib. de sanit. tuenda* Galen. docuit. Est etiam argumentum efficax ex pestilentibus febribus, quibus familiarissima est colliquatio, vt *lib. de præsag. ex puls. cap.* 4. Galenus tradit, vbi hecticis etiam colliquantes vrinas

vrinas accommodat, & experimento probatas tradit. Constat verò pestilentes putridas esse plerumque hecticis remissiores, satisque sinistre Galenum Donatus interpretatur dicendo, id non conuenire hecticis pestilentibus, quatenus hecticæ sunt, sed quatenus pestilentes, quasi liquatio ab alia causa in febre pestilenti, quàm in reliquis non pestilentibus fieri possit, cùm in omnibus à calore fiat; neque enim maligna qualitas si à primis diuersa conceditur, ad colliquationem efficienter conducit; liquatio igitur cuius speciei competere potest, non tamen necessariò, quia vt in vrina appareat, non sufficit liquari, sed quòd per eius vias liquatum deriuetur, quod necessarium non est, potestque iam siccus esse, qui hectica corripitur, vt tantam liquationem, vt in vrinis sensibilis sit, pati non possit, vt de apris Galenus docuit; & proptereà colliquatio sensibilis in vrina non potest esse signum essentiale alicuius speciei; potest tamen in primis speciebus dari, & consumptionem, vt *in prognostic.* dixit Hippoc. significat. Neque putes me dicere, quòd in omnibus speciebus hecticæ pingue liquari possit sensibiliter; id enim tertiæ speciei repugnat, quia in illa iam non datur pinguedo: potest tamen dari colliquatio vasorum, & partium solidarum, quæ per contenta depranata aluminca, aut sulphurea in virtute demonstretur.

Neque id Galeno repugnat 10. *lib. Meth. cap. vltimo* dicenti: *Sanè sunt, & quas marasmodes febres vocant, & vniuersè ex earum genere, quæ colliquant; sed in eo differunt, quod quæ pertio carnis in his colliquatur, ea semper vaporis vsio digeritur*, &c. Non enim Galenus negat nisi sedimentum ex carnibus liquatis, quia in marasmo iam siccæ iam sunt, & duræ, quòd non nisi in fuliginem verti possint: de aliis autem partibus id non dixit. Neque valet, si obiicias, quòd cùm vasa sint sicciora carnibus, minus poterit ex vasorum tabe sedimentum coneinnari, nam & duities, & consistentia maior vasorum obstant, quòd in fuliginem tota possit mutari, & sic quædam partes schirrhosæ, & mortuæ decidunt; non enim ossa in vaporem tota permutabis, etiamsi valido igni exponantur, sed cineres fient calcinata, vt lapides, & calx.

Quòd autem docet Augenius, non dari colliquantem febrem sine hectica, est planè absurdum, & contra ipsum proprio tractatu probabo; colliquatio enim non dependet ex eo quòd calor habitualis sit, aut siccus, sed ex certa intensione eum dispositione in passo, vt curatio apertè ostendit, quæ in colliquantibus breuiter fit, & omnes pestilentes febres, quæ colliquant, hecticas efficere, est planè contra rationem, & experimentum.

Adducta signa iuxta opinionem Galeni sunt tradita: Quia autem nos putamus aliis diuersis modis hecticas fieri posse, præsertim ex obstructionibus, & contumacibus, aut cancrosis viscerum dispositionibus, aut vasorum, aut ex intemperie calida, & sicca carnium, & viscerum alia signa ostendentia primam radicem febris, & quasi focum, memoriæ mandanda sunt, quod ex ardore partis determinatæ, extensione, & pulsus duritie, & siccitate maiori, quàm hecticis incipientibus conuenire possint, venandum est. Præcipuè verò timendus focus hecticæ, quando aliæ febres præcesserint, præsertim vltimæ, & colliquantes: tales enim, quod in foco ipsarum remanet, acre, exustum, atrabiliariumque reddunt; quòd si non auferatur, curatio febris, & hecticæ frustra suscipitur: vt enim impliceat tabi mederi, si vlcus pulmonis non sanetur, sic nisi auferatur, quod in foco ardentium fuit derelictum, hectica sanari non potest. Circa quod notanda est diligenter doctrina Galeni *lib. de marcor. cap.* 7. vbi focum in hecticis omnibus sequentibus verbis admittit: *Sed & quo tempore prima hecticarum febrium indicia manifesta fuerint, eodem etiam vtilitet fini adhibeuntur refrigerantia medicamenta, si imponantur super ipsum fœtis focum*, &c. Inferius verò dicit: *Focum febris autem animalis particulam, quæ suis ipsius solidis partibus immodicè fuerit calefacta.* Ergo si in parte determinata præcipuè infrigidantia à Galeno applicantur, aliquod vitium determinatum in ea datur, quod in aliis partibus non inuenitur, quo ablato, medela hecticæ perficitur, quia calor aliarum partium ab alio vitio partis determinatæ tanquam à foco promanat. Vnde planè deducitur, calorem dependentem esse à vitio particulæ primò affectæ; alioqui nullus esset focus, si omnes partes hectici independentem calorem in se haberent, quia etsi illa prima pars sanaretur, maneret nihilominus calor in aliis sicut antea, quia in eis independens est à qualibet causa, iuxta communem doctrinam Galeni, & ipsum sequentium: *Plerumque igitur hectica febris ex reliquis visceribus cum biliosa suco solet consistere; vbi is in patientis ventriculum fuerit imbibitus.* Et meo iudicio diceret melius: *Vbi is ipsis visceribus imbibitus fuerit*, vt inferius docet. Itaque in mea opinione huic Galeni loco refragando, hic est hecticarum frequentior euentus, & generationis ipsarum occasio celerior; quod & ante Galenum Philippus notauerat. Saltem ex hac authoritate Galeni liquidò constat, esse sæpiùs inquirendam partem erysipelatosam, aut cancrosam, aut habentem intra se aliquod vitium humorale tenaciter affixum, ratione cuius pars illa sit hecticæ verus focus; quod vitium si tollas diligenter, etiam febrem auferes absque aliquo alio præsidio, licet vt æger impinguetur, aliis auxiliis indigeat.

CAPVT IX.

Quomodo hectica cum putridis complicata sit cognoscenda.

Methodum cognoscendi hecticam cum putrida complicatam adducit Galenus 2. *lib. de diar. febr. cap.* 10. breuius tamen, & remissius, quàm rei difficultas expostulat. Improbat primò Medicos putantes, quòd vbi dantur accessiones febriles, hectica febris esse non possit. Latebat, inquit, tabida febris Medicos omnes, quibus eiusdem curatio commissa fuerat, vt qui arbitrarentur, neque principium aliquod sensibile febribus hecticis inesse oportere, neque incrementum, neque consistentiam: quod iudicium est tam crassum, quòd non nisi ignorantiæ nomen mereatur, cùm tam possibilis, ac frequens sit febrium complicatio: vnde si hectica putridæ implicetur, poterunt esse inuasiones, & reliqua tempora putridarum, & dari nihilominus hecticam complicatam, cuius cognitio per copulam cum putrida obscurabitur: non est tamen impossibilis eius cognitio, vt ipse Galenus in historia illius mulieris retulit.

Est autem primum iudicium, naturam febris accessiones facientis diligenter inuestigare, quæ si intermittens ex propria idea appareat, eò quòd cum rigore, horrore, aut frigore incipiat, putandum est, ratione eius non posse ægrum continua febri molestari, ac per consequens si continua cum illa febre intermittente febricitet, iam hecticæ suspicio esse potest cum putrida complicatæ; quia verò hæc continuitas ex aliis causis, quàm ex

ex hectica originari potest, distinguendum id est, proposita semper idea hecticæ febris, & si tempore continuitatis febris, quæ intermittenti non debebatur, idea, & modus hecticus detur, complicatio hecticæ meritò timebitur: idea autem hecticæ iam est exposita signis adductis anteà, quæ non dubiè apparebunt tempore illo, in quo intermittens febris esse non poterat. Inde Galenus *loca citata* hecticam complicatam agnouit, etiamsi eodem die duplici accessione mulier illa molestaretur, quia quælibet febris habens accessiones breues partes cuiusvis accessionis faciebat, ita vt continuè febricitare per illas non posset. *Et sæpius* (inquit Galenus) *cum rore aliquo, aut transpiratione vaporosa ita manifestè soluebatur febris, vt corpus quasi in temperie positum tangentibus appareret. Signa tamen* (inquit Galenus) *ex arteriis accepta semper remanebant, quia non eadem modo vt aliæ partes refrigerabantur, neque celeritatem, aut frequentiam motus amittebant.* Fuit itaque argumentum Galeni, accessiones putridarum febrium naturam intermittentium æmulabantur, tum quia breuissimæ, tum etiam quia madore soluebantur, à quo tam temperatum exteriùs, & per carnes corpus apparebat, vt a sano nihil ferè differret; loca tamen arteriarum calidiora multò percipiebantur, eratque pulsus celer, ac frequens, quæ sunt signa hecticarum: erat ergo hectica intermittentibus duabus implicata, quod etiam noster Auicenna tradidit sequentibus verbis: *Et de significationibus compositionis hecticæ cum febribus putridis est remansio caliditatis siccæ post finem declinationis, & post sudorem exuberantem.* Nota, quòd dicit, *Caliditatem siccam*, quia talis est idea hecticarum. Addit Auicenna, id etiam esse cognoscendum, quia corpus extenuatur magis quàm ratione febrium putridarum deberet, & quia est vnctuositas in vrina, & egestione. Quæ maximè notanda sunt, quia sunt signa magna ad ostendendum hecticam etiam esse, quippe per febres putridas, etsi æger extenuetur, non tamen cum ea proprietate hecticis debita; hectici enim extenuantur inducta statim siccitate insolita, & magna cum cutis asperitate, & inæqualitate, & maiori virium languore. Erit etiam pulsus debilior, quàm remissior putridarum debeatur, & paruior per consequens, & multò crebrior in interna quiete: quod maximè notabitis, quoniam febres putridæ cùm semper fuliginosa excrementa, & plurima expirent, contractio maior, & celerior est, quàm in hecticis, & in interna quiete plus arteriæ detinentur, cùm sint quietes ob eosdem fines, propter quos sunt motus. At in hecticis erit contractio minor multò, & tardior, sed dilatatio celerior, & quies externa maior multò, quàm interna, quia semper viget in hecticis finis temperationis per aërem attractum. Est autem quam minimum fuliginosum expellendum, & in quiete interna minus multò, quàm in putridis detinentur arteriæ, neque est contractio tam celeris: quòd si cum his, quæ necessariò debent adesse, colliquatio aliqua in vrina, & multò magis si in deiectionibus appareat: magnum argumentum tum hecticæ erit, quia colliquare est hecticarum propriissimum, vt ex Authoribus vidimus.

Circa quod duo sunt notanda. Primum, quod extenuatio maior, quàm febri conueniat, potest ex propria ægri debilitate pendere, quin hecticus sit; vnde in febribus subintrantibus cùm nunquam intermittant, suspicio hecticæ esse poterit propter maiorem inductam debilitatem, quàm ideæ morbi conueniat. Dixit enim Hippocrat. 5. *libr. aphorism. text.* 28. *Febricitantium non omninò leuiter, corpus permanere, & nihil minui, vel etiam plusquam ratio postulat, contabescere, malum: illud enim morbi longitudinem, hoc verò imbecillitatem significat.* Secundum est, quòd in tertianis subintrantibus, in quibus obstructiones multæ esse solent, sæpè contingit accessionem finiri sudore, aut madore, nunquam tamen ægrum sine febre percipi, quia obstructum corpus non permittit fuliginibus liberum exitum, vt verè iudicandum sit esse complicatam aliam febrem cum putrida intermittente, in cuius fine colliquationem satis conspicuam in vrina conspeximus, vt meritò aliqui complicationem hecticæ ob continuitatem, & colliquamenta pertimescerent. Sed non erat ita, quia & pulsus mollities, & robur, aliaque multa signa hecticam non esse ostendebant; habere tamen eam continuitatem aliud principium, obstructiones nempe stabiles, & copiam crudorum, à quibus perfecta ventilatio impediebatur; & euentus id posteà ostendit, cessauit enim omninò tertiana febris, mansit tamen febris continua, & lenta, sine incrementis omninò per aliquos dies, quæ posteà leuioribus deobstructionibus cessauit: magnum tamen fuit inter nos de causa colliquationis dissidium, cùm in declinatione tertiana apparere incepisset, animum autem dubitantis, & hecticam timentis propter continuitatem, & colliquationem, adducta doctrina Galeni firmauit *lib.* 3. *de vulgar. morb. section.* 3. *in expositione ægroti primi*, vbi de vrina oleosa loquendo dixit: *Equidem talem sæpe vrinam nullo ægri detrimento redditam conspexi, imò verà interim planè è contrario ex morbi concoctione.* Cùm enim quando materia coquitur; febris augeatur, rectè contingere potest, quòd tunc aliquid pinguedinis colliquetur, & posteà excernatur: quòd si non repugnat, vt in morborum declinationibus facultas coctrix valida sit, nam in vigoribus morborum salubrium coquentem facultatem maximè fortem Galenus admittit 2. *lib. aphorism. text.* 29. *in fine*, ex propria sanguinis concoctione pingue supernatare poterit, vt 4. *libr. de tuenda sanit. cap.* 4. Galenus tradit; eritque salutis magnum indicium; in nostro autem ægroto copia pinguedinis maior multò erat, quàm coctioni sanguinis deberetur: vnde ex accessionum incendio, rerumque calore, quòd tanta esset colliquatio, probabilius videbatur, vt ad eorum vitium potiùs quàm ad totius affectionem reducenda esset, & inde periculum hecticæ non polliceri, iuxta *Aphor.* 35. *sectionis* 2. dicentem: *Quibus insidens pingue, ac simul totum, his renum vitium acutum significatur.* Oportet ergo, vt Galenus dicebat 2. *lib. de crisib. cap.* 8. *&* 9. *simplicium morborum characteres, & ideas tenaciter memoriæ mandare; sic enim complicationes faciliùs agnoscuntur.* Nam tempore illo, in quo seorsim simplex affectio molestat, signa illius solùm inuenientur, vt si cum febre intermittente hectica copuletur tempore, quo debebat intermittere, erunt hecticæ signa omnia, & fortasse clariora, quàm si putridæ complicata non fuissent; erit debilior, tabitudo maior, & languor facultatum omnium insignis, quia hecticæ debilitatem, & marcorem ex se inducenti implicata est alia febris in eadem mala conspirans; quod maximè notandum est, quando continua putrida cum hectica complicatur, quia cùm putrida continua in omni tempore intensior quàm hectica esse possit, nunquam ex remissa febri, & æquali hecticam agnoscere poteris. Erunt ergo inquirenda alia signa hecticæ debita, vt colliquatio in excrementis, in carnibus defectus cum asperitate, in facie extenuatio magna, in pulsu maior durities, & loca arteriarum calidiora multò quàm reliquæ partes; & si in declinatione putridæ cibetur, nouum incrementum febris post duas, aut tres horas eueniet sine annotatione aliqua; illud verò incrementum statim deficiet, ac cordis madefactio ab alimento inducta euanuerit, quoniam iam est alimentum consumptum, cuius fuit occasione suscitatum. Hæc autem præcipuè à me notantur propter complicationem hecticæ

cticæ in primo gradu, aut initio secundi; nam tertia species, aut gradus tam clarè percipitur, vt solo visu possit agnosci; quem tam doctè, & perspicuè Galenus depinxit *lib. 1. de diar. febr. cap. 9.* quòd nostro labore non egeat. Constat autem, quòd si hectica præcedat, & alia febris complicetur, non sit opus præceptore ad earum agnitionem simultaneam, sed tota difficultas consistit, quando febres putridæ, continuæque præcesserunt; intermittentes enim rarò in hecticam transeunt, si subintrantes excipias, quæ in mea opinione continuæ etiam sunt. Galenus autem *lib. 2. c. 9. & 10. meth.* modum cognoscendi febrium complexum, confusionémque doctissimè tradit. Vnum tamen notabilis dignum consideratione, nempe quòd in hecticis febribus, crises etsi improprias, admittit. Verba sunt *in fine cap. 11. Ephemera verò, & hectica febres, & sine magna perturbatione, & minima subitate faciunt permutationes, &c.* Quæ doctrina nisi causam aliquam, & hanc mutabilem, à qua dependeant hecticæ, admittat, improbabilis est: quæ enim perturbatio spectabitur, aut quæ permutatio critica, & subita, si calor hecticus stabilis est, & hic in eius opinione à nulla causa extra viuens admittitur? Putandum ergo est, dari causam aliquam mutabilem, ex cuius variatione mutatio illa subita in hecticis fieri possit.

Tandem notabilis, mihi videri inopinabile, & falsum, quod quidam recentior scripsit, posse nimirum hecticam ab interna causa ante alias febres dari. Probatur efficaciter huius dogmatis falsitas, quoniam causa interna habet calorem sibi proprium, & in facto, quando est causa febris hecticæ: sed ante hanc hecticam necessariò debet aliam producere: ergo hæc necessariò præcedet. Minor constat, quia calor hecticus, antequam in partibus solidis independens fiat, erit à causa dependens; illa, inquam, quæ externè supponitur ad hecticæ creationem: ergo si erat humor putridus, necessariò præcedet putrida, & si fuligo, aut spiritus, erit diaria. Vnde sicut implicat, quòd humor sit in facto calidus, nisi præcedat calor in fieri in ipso, ita implicat, quòd calor in partibus solidis in facto sit aliqua causa interna, quin illum in fieri priùs producat; tunc autem necessariò dabitur febris alterius generis, cùm hectica esse non possit, quia in illo priori est calor omnino dependens: est intelligendum hoc physicè; nam medicè non repugnat, quia tempus breue esse potest, vt non sit perceptibile à Medico ob magnam solidorum dispositionem ad putredinem. Et ratio est, quia mutatio in modo substantiæ est multò posterior, quàm alteratio in primis qualitatibus, & cùm modus substantiæ debeat mutari, cum calor præter naturam in facto redditur, necesse est, quòd calor, à quo vstio, aut putredo inducenda est, præcedat à causa vstionis, aut putredinis, & per consequens constat euidenter, tanto tempore aliam febrem debere esse ante hecticæ generationem, quanto opus est vt calor, & humiditas solida putrefaciant, aut calor, & siccitas vrant. Neque mirandum est, quòd Author ille pro sua opinione stabilienda nullum rationum inuenerit, cùm sit improbabilis. Sed hoc intelligendum est, dummodo sit sermo de causa per calorem tantum disponente; nam si alia dispositio attendatur, benè potest sine aliqua alia febre hecticam primò producere, vt si mutetur pars solida in aliud mixtum calidius, cuius formæ debeatur calor intensus, etiamsi calor antecedens remissus sit, vt febrem non faciat.

Sed non est silentio innoluenda alia complicatio cum hectica, quando scilicet distillatio à capite in thoracem molestat, cuius causa non est copia succorum crudorum, vt in aliis distillationibus: sed vt putant Medici, causa est colliquatio humiditatum naturalium, cùm omnis hectica colliquans tandem fiat: alij autem vapores ex iisdem humiditatibus colliquatis suscitatos, vt causam distillationis tradunt, eo quòd in cerebro concrescentes deorsum præcipitantur. Vnde curatio distillationis istius alia non est ab ea, quæ per refrigerantia, aut humectantia auxilia calori hectico, & colliquanti debetur.

CAPVT X.

Vtrum hectica in species, & quot diuidenda sit?

NOn est quæstio de veris, & propriis speciebus metaphysicis, cùm calor hecticus per differentias veras contrahi nequeat: vnde Medici propriùs gradus hecticæ appellant, non species: ex eorum autem diuersitate leuiùs, aut grauiùs febrire præsagiunt: & cùm omnis ratio periculi in tabe inducta à calore substantias humidas depopulante consistat; inde per consumptionem humoris, aut alterius humiditatis diuersos gradus enumerant, quia marcor grauior, & periculosior ex diuersa humiditate consumpta resultat. Est autem controuersia de secundis humiditatibus; primæ enim in omni consensu quamvis absumantur, hecticos gradus nullo modo constituunt; ex siccitate verò sola esse desumendam graduum distinctionem, ex eo deducitur plane, quòd in ea solum remissio, & augmentum manifestè inueniantur, quoniam calor hecticus sub eadem intensione molestans, marcorem vltimum, & torridum inducere fatentur omnes, vt quævis alia febris putrida, quamvis æqualibus accessionibus afficiat, si duret multum, omnes humiditates absumere solet. Vnde fit, quòd ex sola variatione siccitatis gradus hectici à Medicis distinguantur.

Ab hac controuersia facilè me expediam, tum quòd tanta sit inter Medicos discordia circa numerum humiditatum secundarum, vt tempus, si omnes opiniones recensendæ, & refellendæ forent, deficeret: tum præcipuè, quia cùm sentiamus quemlibet gradum hecticæ aliquid marcoris includere, erunt omnes hecticæ plus, minusvè tabidæ: in hac verò consumptione ab hectica inseparabili videtur Galeno magis consentaneum tres gradus esse distinguendos; ipse enim apertè fatetur, semper quod de hectica loquitur, esse quandam hecticam præ cæteris facilè curabilem, aliam omninò incurabilem, aliam medio modo se habentem, & in hac media magnum dari discrimen, prout magis ad primam facilè curabilem, aut ad tertiam incurabilem accesserit. Ea igitur, quæ faciliùs curatur, primum gradum constituit; quæ autem difficilius, ista sensibiliter secundum constituit; quæ autem omninò incurabilis est, & torridus marasmus appellatur, tertium gradum constituit; & vt in secundo gradu magna secundum magis & minus variatio à Galeno admittitur, eadem in omnibus admittenda est, quoniam in indiuisibili consistere non possunt.

Istos gradus ex nullo melius quàm ex consumptione, & siccitate morbosa inducta, pulsuque indurante, & virtutis constantia, aut languore Medicus distinguet, & rursus ex colliquationibus, si appareant. Verba Galeni 1. *de diar. febr. cap. 9.* sunt: *Est quidem omnium hecticarum febrium dispositio difficilis, vbi iam principij tempus praterierit: de termino autem principium sumitur, non dierum aut horarum numero, sicut neque in aliis morborum generibus, sed ipsa dispositionis qualitate. Cùm enim naturalis cordis temperies primùm euerti incoeperit, natiua humiditas nec protinus abolita est, neque virtus plurimum laborat, sed primò fit velut quadam efferuescentia humiditatis, in quo tempore facillimum est huiusmodi febrem sanare tanquam nihil adhuc virtute perpessa; deinceps autem consumptio quadam efferuescentiam sequitur, hacque in longum iam protracta ipsa simi-*

lares particula quæ ſunt velut cordis elementa, ſicciores redduntur, atque inopia alimenti tenuiores; ac tantum virtus laborat, quantum ſiccitas, atque caliditas in ipſo corde inualuerit, quando earum altera exſuperans virtutem debiliorem reddere potuit. Huiuſcemodi febris iam quodammodo ad vtramque partem declinat ac medium obtinet locum inter eam tabidam febrem, quæ penitus curam non admittit, atque illam, de qua paulo antea diximus, quæ facillimè in principio curari poteſt: eſt verò & in hac latitudo multa, quoniam & diſpoſitiones ipſius multæ, in eo quòd magis, & minus diuerſitatis; quæ igitur æqualiter diſtat ab vtraque febre, eſt ea ſcilicet, quæ exquiſitè tabida exiſtit, atque illa, in qua nihil eſt adhuc tale, medio quo quodammodo ſe habet ad curationem, dubio ad partes ambas inclinans momento: quæ autem tabidæ proximior exiſtit, eſt etiam periculo vicinior, cùm quæ alteri primæ magis adhæret, non paruam ſalutis ſpeciem habeat. Hactenus Galenus, qui dilucidè ſatis tres gradus hecticæ inſinuat, & exponit: & ſi ſigna maraſmi attentè meditatus fueris, & hecticæ incipientis à cauſa externa, quæ paulò inferiùs in *eodem cap.* Galenus retulit, ſicut & ſigna maraſmi incipientis, facillimè gradum quemlibet percipies, etſi magis ad tabidum vltimum, quàm ad primum accedat, vt inde periculum prædicere non ſit difficile.

Duo autem ex loco allegato deduco, noſtrsm ſententiam confirmantia, de ſiccitate neceſſariò ad hecticam requiſita, & de virtutis conſtantis in primo hecticæ gradu. Primum ſignificant hæc verba Galeni: *Cùm enim naturalis cordis temperies primum euerti inceperis, natiua humiditas nec protinus abolita eſt.* Vnde ſi non eſt protinus abolita, aliquam neceſſariò ſiccitatem, à qua conſtituatur, includit, & admittit Galenus, cùm aliqua portio eius abolita ſupponatur, in quo primo gradu Aëtius putat, carnem, & pinguedinem liquari, & ſorreri, & noſter Vega ex mente eius idem ſequitur. Repugnat, quòd ros, aut cordis humiditas effetueſcat, & caro, & pinguedo liqueſiant abſque aliqua morboſa ſiccitate. Verba Aëtij ſunt *tract. 2. ſer. 1. cap. 92. Primum igitur calor præternaturalis eliquat, & reſiccat, ac conſumit eſſentiam in partibus velut ex humore concretam, qualis eſt pinguedo, & caro.* Secundum autem, quod deduximus confirmari à Galeno, eſt de virtutis conſtantia, quam etiam tradit *lib. de marcore, cap. 7.* Propterea enim facilem eſſe curationem primi gradus docet, quia nihil debilitatis in eo gradu virtus perpeſſa eſt.

Primum ergo gradum virtutis vitalis conſtantia perſpicuè oſtendit, in quo intra ſiccitatis morboſæ latitudinem nulla minor eſt, & eandem paruam mutationem in calore liuido, in extenuatione, omnibuſque aliis actibus inuenies, ſicut etiam in exeretis; pulſus tamen morboſus durus non eſt ſi ætatem excipias, cui debitus eſſe poteſt. Errauit enim planè Bauderonius, inter ſigna primi gradus pulſum durum ennmerans; eodem enim tempore hectici duo nobis commiſſi fuerunt abſque alia prægreſſa febra, primum gradum hecticæ hshentes, in quibus manifeſta erat pulſus duritiea, ſed quia ſenes erant, durities illa tam manifeſta ætati potius, quàm hecticæ meritò attributa, & vt Galenus putat, leuibus auxiliis vterque ſanationem ſuſcepit.

Secundum gradum oſtendunt omnium dictorum nocumenta manifeſta, virtus vitalis debilior, vt iam duritiem contrahere incipiat, extenuatio totius ſatis manifeſta erit, vox gracileſcet cum impotentia maiori ad motum; oculi mediocriter caui apparebunt, velut intrò reconditi, quod iam languente virtute, & ligamentis reſiccatis intro, & ad proprium principium recurrant, & quia liquefactæ pinguedinis, & locum carnis internum replere incipiunt, & minus extra ob earum defectum impellantur. Nec te fallat oculorum

A turgor; ſunt enim nimis ſpiritnoſi ob proprium munus, quod ſine magna copia ſpiritnum celebrare ignorant, & ita partium extenuatarum eorum concidentia ob affluente ſpiritu ad videndum delato quodammodo impeditur; quinimò ſæpè experimur in magna totius corporis extenuatione oculorum antiquam molem ferè ſeruari, quia etſi, vt aliæ partes, ſuo modo tabeſcant, eo ipſo quia & acuti ſpirituum capaciores redduntur, à quibus ſeria turgidi, & extendentes apparent, vt vulgo aliquando terrori ſint, vt quod tam extenuatis corporibus tantam oculorum molem, & ſplendorem conſpiciant; in hoc gradu hecticæ vrinæ, & excrementa attentè perſcrutanda, etſi colliquationem oſtendant, quia nulli propriùs conuenit carnis, & pinguedinis colliquatio, quæ ſoli tertio gradui abſque
B ratione à Bauderonio dicatur.

In hoc ſecundo gradu laxitas cutis manifeſta inuenitur, quod nimirum videbitur, ſi ſiccitas, & tabes incrementum ſuſceperunt. Eſt tamen expreſſa Hippocratis doctrina, *lib. 6. de vulg. morbis, ſect. 3. text. 20.* & in diuiſione Valleſij *text. 25.* Verba Hippoc. ſunt: *Omnis extenuatio laxat cutem, deinde refectio contraria facit, cutis corrugatio concidentis extenſio refecta,* &c. Quæ ſi vera ſunt, ex cutis laxitate, & concidentia, hectica primi, & ſecundi gradus melius agnoſcuntur, quàm ex ſiccitate, vt Galenus fecit in die ſecundo, maiorem ſiccitatem requirens. Reſpondetur, quòd id quod eſt ſiccius, quàm anteà, poteſt concidere,
C quando ſubiecta corpora, à quibus diſtendebatur, colliquantur, aut alio modo deficiunt; nam tenſio ab eis inducta poteſt eſſe multò maior, quàm quæ à ſiccitate producitur: ſic enim conſtat, in extrema ſenectute cutem, etſi duriorem, eſſe nihilominus rugis plicatam, etſi reuera in ſe ſiccior ſit, vt vndique trahitur, quamvis intrinſecè magis conſiſtens ſit, quàm anteà, quia per ſiccitatem illam ſenectutis non fuit tam violenter condenſata, quòd cedere nequeat, & partes eius proprio pondere decidere, & quaſi vniri ad replendum locum à corporibus ſubiectis, extendentibus cutem derelictam, propter quod rugas facit, & plicatur: poſteà verò in extremum aucta ſiccitate vnitur inter ſe per denſitatem, quod anteà rugabatur, & quod plicabatur, diſtenditur. Legite Galen. in expoſitione huius loci, qui etſi obſcurè, doctiſſimè tamen philoſophatur.

D Tertium gradum, quem incurabilem Galenus recenſet, elegantiſſimè ipſe depinxit, ac delineauit *lib. 1. de differentiis febrium, cap. 9.* dicendo: *Hectica quidem, quæ cum tabe incidit, febris cognitu frequentiſſima, atque facillima exiſtit; nam priùs quàm pulſum, atque calorem tactu perpendas, videbis oculos immodicè concauos veluti quibuſdam quaſi foueis reconditos, exhauſto iam vniuerſo in ipſis liquore, ita vt oſſa, quibus palpebræ cohærent, in ipſis ſicca appareant, & quædam veluti ſqualida diſpoſitio, qualis maximè ineſt his, qui toto die ſub ſolis ardore iter longum per puluerem egerunt. Eſt etiam flos vitalis coloris extinctus: hoc quidem tota patitur facies, atque in tota cute, quæ faciem obducit, ac frontem, præſertim ſqualor immoderatus conſpicitur, adeò vt ex ſicci-*
E *tate dureſcat, & circumtendatur, non tamen plurimum poſſunt producere palpebras dormitantibus ſimiles, & quidem ſæpius cohibent dormitantium more: non eſt autem paſſio eorum ſomnus, ſed vigilandi impotentia. Contabuere etiam carnes, quæ in temporibus ſunt, vt collapſæ videantur, & concaua ſpatia, & nihil aliud omninò ſint, quàm oſſa, atque cutis, adeò vt ſi nudato corpore partes ad ventrem attinentes aſpicias, neque ex inteſtinis, aut viſceribus aliquod ſupereſſe cenſueris, aut præcordia vehementer contracta verſus thoracem videantur. Quòd ſi eos tangere libeat, cutis quidem apprimè eſt arida, quam ſi digitis apprehendens extenderis, inſtar pellis conſiſtit; pulſus autem tenuis, durus, debilis, & frequens; caliditas autem, cùm* primum

primum manus admonetur, debilis est; paulò post verò acreditem, atque erosionem quandam ostendit, ac magis cùm plus tangendo immoraberis. Hactenus Galenus. Quibus verbis marasmodes dicta satis doctè exponitur, quam etiam 19. *meth. cap. vltimo*, vt anteà retulimus, inter colliquantes febres reposoit, cùm tamen carnem insensibiliter solùm lliquare permittat; at vasorum partes posse in eo gradu sensibiliter liquari, iam supra ex mente aliorum docuimus, vt furfuracea sedimenta, & laminea possint apparere.

In hoe tertio gtsdu putat Galenus, & cum eo omnes Mediei, quòd ioternum bumidum, quo pattes in vnione seruantur, absumatur, cùm vel vt cinis, aut vt propriùs loquamut, calcinata sint membta piæ nimia exustione. Veiba Galeni sunt *cap. 8. lib. 1. de diariis febribus*: *Atque ex ipsis ad marasmum, id est, tabem peruenerunt ex inscitia Medicorum, quibus eorum fuit cura demandata; vbi iam exquisitæ consistunt, & iam dudum inceperum, non modo est easdem curare difficile, sed etiam impossibile, earum siquidem natura calida est, & sicca, cùm tabe alioqui cor patiatur quale lucerna fomes, cùm fuit plurimum exustus; nam qui ita torrefactus est, frangitur, atque dissoluitur, atque ex aciditate continuitatem amittit, adeò vt neque si magnam olei copiam superinfundas flamma abundantior possit accendi: semper enim pauca, & debilis in ipso palpitat flamma, ac continuè fit minor, donec ex toto extinguatur: talis quidem est febris, quæ omninò marasmodes, id est, tabida existit*, &c.

Hane ergo mortis Imaginem, quæ extrema tabitudo cum vita consistens est, præ oculis habena Medicus, & aliud etiam extremum primum gradum constituens contemplando, facillimum erit periculum, aut spem polliceri, vt plus ad vnum, aut alium gradum corporis tabes accesserit: nulla tamen hectiea dispositio breni sanatur, etsi sit, quæ primum gradum constituit, & huic proxima sanationis facilis, sicut extrema tabes est omninò insanabilis, & per consequens summa difficultate, & longissimo tempore dispositio sanabitur tertio gradui maximè affinia.

Sed est magnum dubium, cut manente vita, si partea solidæ exsiccatæ omninò iam sint ab affectu, præter natoram sit omninò desperata illa affectio. Galenus hoc testatur 10. *meth. cap. vltimo*, his verbis: *At si quis talium est eleuatus, huic carnosam portionem marasmus occupauerat; ipsis verò solidis siccatis fieri nequit, vt hoc prorsus persanetur, sed omninò vel statim eum febris ipsa ingulauerit, vel postquam in eum affectum est translata, quam senium ex morbo vocamus; nam primum einsmodi febris propriam partium humiditatem, ex qua nutriuntur, depascitur. Hinc verò ad carnosum genus transit, quod iuxta tum fibrosas, tum membranosas partes solidorum corporum haberet; ita deinde ipsius solidas populatur, siquidem in singulis simplicium ac primarum partium, quas vocant, vt in dissectionibus es contemplatur; alia portio substantiæ eorum est veluti fibrosa, alia membranosa, alia carnosa, sicut, ex. g. cùm vena vnicam tunicam habeat, & eam tenuem, licet fibras in ea inuenire multas, quæ sint araneosis quibusdam intersitis contexta, quibus vtrisque ipsa propria vena substantia agnoscitur; hæc alia in aliis partibus habetur, neque vnum commune nomen est nacta; cæterùm docendi causa nihil vetat eam carnosam substantiam, voces, vel certa huius particulæ quandam carnem, quæ in ventriculo quidem sit, alia in iecore, alia similiter in arteria, & musculo*, &c. His verbis admittit Galenus in patiibus omnibus simplicibus, ac primis, quandsm carnis speciem, qoæ necessariò diuersa esse debet in partibus omnibus, sicut quælibet pars simplex est omninò ab aliis distincta, & habet ratione illius distinctam omninò ab aliis actionem, in hac enim carnia diuersitate actiones partium diuersarum collocantur, docétque Galenus ex

A huius carois consumptione marasmum fieri, sed non omninò plaoè desperatum. *Si quis*, inquit, *talium est seruatus, huic carnosam portionem marasmus occupauerat*; non tamen intelligere oportet, quod caro partium omninò consumpta sit, sed quòd circa illam coosumptio versetur, quoniam vt est impossibile; quòd homo sina artetiis, & venis, ventriculoque consistat, sic implicat, omnem portionem cuiusvia partis coosumptam esse: vnde deducitur, quòd quando Galenus statim docet; *ipsis verò solidis siccatis fieri nequit, vt homo prorsus præsanetur*, sumit ibi strictiùs nomen pattium solidarum quàm communiter solet, quaodo solidum appellat omne, quod neque humor, neque spirituosum est, vt solidum largè sumptum sit idem, quod continentiam Hipp. appellauit: pressius, & rigorosius sumi- B tut pro fibris, & membtanis, villorumque genere, quæ sunt quasi prima vitæ fundamenta, quatenus illis partium omnium caro obnascitur, & quando inter illa intertexitur, vt consistere, & esse possit, vt cordis caro non generaretur, neqoe consisteret, nisi priùs quasi fulcrum, & fundamentum fibræ diuersæ quibus adnascitur caro, & in quibus stabilitur, fierent: estque expressa Galeni sententia 7. *meth. in fine capitis* 5. dicendo: *Est autem prorsus consummata siccitas, vbi solida siccarum partium substantia reddita est siccior*; post quam consumptionem vt minorem, tradit carnis, & pinguedinis colliquationem, & tanquam distinctam enumerat è consumptione partium solidarum. Quando ergo hecticus calor has partes rigorosè solidas di- C ctas siccauit, docet Galenus, quod est iam torridius marasmus coofirmatus, & sine remedio, quod de omni siccitate præternaturali intelligi est impossibile quod repugnet, vbi tanta copia totis carnis pinguosæ, & carnis propriæ cuiusque partis consumpta est, omnem exsiccationem genus illud membranosum, & fibrosum effugisse, supposito quòd exsiccabile à Galeoo admittitur. Putaodum ergo est, ad eam deficcationem partes solidas accessisse per marasmum torridum, ad qoam extrema senectus deducit, & sicut inemendabilis est, & breuiter vitam finit, eodem modo nec dissimili periculo confirmata tabes interficit, non ratione quidem caloris, sed siccitatis: quippe vt Galenus docet loco citato, pereunt non minus, quamvis tardiùs, qoando partes in frigidum marasmum tradu- D cantur. Verba Galeni sunt: *Sed omnino vel statim cum febris ipsa ingulauerit, vel postquam in eum affectum est translata, quam senium ex morbo vocamus.*

His prælibatis, non est in tabidis, seu vltimo gradu hecticæ distincta mortis occasio, nisi in extrema senectute, quoniam sanationis impossibilitas ab eisdem principiis emanat; eam verò facit exsiccatio solidorum propriè dictorum in doctrina Galeni. Argenterius autem *in art. medic. comment. 2. de signis in expositione, cap. 60.* in duobus Galeno refragatur. Primum est, quòd in partibus simplicibus talem carnis speciem sibi propriam noo admittit: Secundum est, quòd per totius solius coosumptionem omoes gradus hecticæ coostituit, vt primus sit saoabilis, quia parum nostri humoris in ea sit consumptum, vt in eo, qui superest, calor E febrilis extinguatur, calor naturalis remanens vegetus resideat, atque ita ex alimento, quod consumptum est, restituere possit; in hectica verò secuodi gradus maior est difficultas, maxima verò in tertio, quæ sibi subiicit ferè integram pinguis, & proprij nostri humoris consumptionem, ex quo calor eonsurgere oon potest, vt spiritus gignat, & materiam suppeditet influenti calore, atque ita ex communi coniunctione nutritio perfici possit, quæ tantam consumptionem restituat. Sed Argenterius certè nullo fundamento contra Gal. ostendit, nec probat, quòd caro illa in partibus omnibus non detur sibi propria: & cum Galenus affirmet ex anatome id constare, ait huic experimento

mento adhibita fides, quod etiam tradit Andreas Laurentius *lib. 5. cap. 5.* quod non est intelligendum de ossibus; hæc enim oppositam omninò carni naturam participant, verùm in reliquis partibus admittenda est. Peccat etiam Argenterius in tradenda ratione, cur inducta siccitas in solidis absque remedio sit; nam ros, ex cuius consumptione rationem tradit, neque ad vitalis spiritus generationem vt materia, aut tanquam agens conducit, cùm in opinione Galeni, ex aëre inspirato, & sanguinis pinguis vapore, seu parte eiusdem spirituosa, tanquam ex materia fiant, & à cordis temperie vt ab efficiente.

Nihil autem mihi placet, nisi per euidentissimas causas traditum, & ita probabilius videtur ex siccitate pendere reductionis impossibilitatem, & tandem ex defectu vitalis caloris; nam siccitas potentissimè nutritioni obstat, aut quia non actiua, aut quia saltem remissè, tardéque operatur, vt eius actio sit omninò resolutioni naturali improportionata: intelligo autem resolutionem, non solùm substantiæ, sed etiam vitalis spiritus, vnde nullo modo ad coctionem est vtilis: tum quia dispositioni necessariæ alimentorum, lenitati inquam, & naturæ glutinosæ vehementer obstat, quando nimia est, potenter etiam alimentis viam occludit densando, vt distribui non possint, nec minus attractioni ipsi opponitur, quia cùm tractio sine contractione fibrarum fieri non possit, & contractioni durities opponatur, hinc fit, quòd si ea, quam siccitas nimia causat, compleatur, omnium facultatum naturalium vim exsoluit, quia nec tractio, neque retentio, neque excrementorum expulsio absque fibrarum contractione celebrari possunt, quam vehementer siccitas destruit. Quod Gal. clarè fatetur *lib. de marcore, cap. 9.* dicendo: *At vero in marcoribus hæ ipsæ sunt, ac præ siccitate ad attrahendum infirmæ.* Loquebatur de partibus omnibus, & quando pori, per quos alimentum attrahendum est, patent. Vnde nihil magis aduersum hecticis quàm alui fluor, quia tanquam signum nec distribui, nec commutari alimentum significat, & tanquam causa est exitiosius, quia tabem cum virtutis collapsu vehementer auget. Neque obstat, quòd corpora sicca humidum auidissimè trahant; nam hoc nec de quouis humido est verum, sed de aquoso, & tenui: quando autem lentum, crassum, & corpulentius esse debet, vt est quod viuens requirit, neque per vias nimis occlusas permeare potest, neque commodè per totum distribui, neque nisi iniqua partium organizatarum motione, quibusdam nimirum quod in se redundat exprimentibus, & quæ alimento egent, motione fibrarum rectarum illud ad se allicient; præterquam quod Galenus *lib. de marcore, cap. 9.* attrahentem debilem fatetur in tabidis præ nimia siccitate: vnde *7. meth. cap. 7.* doctissimè ita scripsit: *Scire autem licet solidorum corporum siccitatibus, si perdurent, succedere necessariò frigiditatem, quippe permanere siccitas ipsa per se non mutata oppositione, quæ ex calido, & frigido consistit, non potest.* Et rationem reddendo dicit: *Celerrimè enim ex nutriendi defectu refrigerantur partes, propterea scilicet, quòd ex calido succo sanguinis partes nutriuntur.* Vbi clarè supponit, siccitatem nutritioni maximè aduersam esse, & consequenter corpus infrigidari: est autem intelligendus de frigore positiuo, si non sit alia causa præter naturam calorem inducens, vt in hecticis, in quibus si vstio, aut putredo non esset, foret non dubiè intemperies frigida, & sic priuatiuum saltem habent naturalem defectum, nempe sanguinis, & vitalis caloris, quod debilitas extrema in pulsu satis indicat, & hoc est, quod diximus, hecticos præcipuè ex siccitate periclitari, quia & calor vitalis, & natiuus langueant: causa debilitatis eorum est siccitas, quæ vt diximus, corpus totum densando, alimentum non trahit, nec spiritus vitales partes penetrare pos-

A sunt, & sic vitali calore destitutæ, omnes actiones deperdunt. Hinc ergo pendet, quòd quando siccitas solidam substantiam similarium prehendit, insanabilis sit, quia quando illæ partes tam validè exsiccantur, iam est in carnibus aliis pinguedine & rore consummata consumptio: vnde viæ tam arctæ ob densitatem sunt, quòd incapaces alimenti reddantur, neque est in corpore humiditas media, qua alimentum succosum, pingue, & lentum fiat, & idoneum nutritioni: sanguis etiam ob eandem rationem pinguedine carens, & partibus aëreis, est incommodus generationi vitalis spiritus, fiunt enim ex sanguinis vapore pingui, & aëreo optimè elaborato; in cuius defectu omnes facultates collabi, non eget probatione, ab his
B alimentum non vincitur, vt tandem incommutatum leuitatem intestinorum causet, aut alio modo indicibili excrementosum fiat, & viuens non reparetur, sicque pereat ex defectu spirituum, & nutritionis, & vt Galenus putat *lib. de marcore, siccitas consummata cordis motionem tollit.* Sic enim *cap. 5. in principio* loquitur: *Cuius quidem scopus est obsistere, prohiberéque, prout fieri potest, ne corpus cordis adeò exsiccetur, vt tandem aliquando agere desistat; nam is est vitæ finis, ipsa nimirum cordis ab actione cessatio; quandiu enim cor secundum propriam sui ipsius actionem mouetur, fieri nequit, vt animal moriatur.* Est etiam notandus error crassus Eustachij, *libro tertio, capite de hectic.* putat enim, quòd cùm partes omnes constent ex parte quadam solida, vt ex alia carnosa, & adipo-
C sa, & ex alia rorida, quæ spirituosa etiam vocari solet, eo quòd in ea multa copia spirituum vitalium inuoluta sit, vt in spermate hæc pars rorida sit alimentum carnosæ, & adiposæ, & carnosa, & adiposa alimentum fibrosæ, & membranosæ; hoc enim vltimum insomnium merum est; nam carnosa, & adiposa pars sunt verè pars viuentis, vnde implicat, quòd vna possit esse alimentum alterius; omnes itaque partes ex rore nutriuntur, vt iam est concors opinio.

CAPVT XI.

De Hectica curatione.

D AVicenna *fen. 1. lib. 4. tractat. 3. capite 3. & sequentibus*, curationem hecticæ integrè absoluit. Dicit primò, quòd intentio in curatione febris hecticæ est infrigidatio, & humectatio: notat tamen, quòd quandoque infrigidatio exsiccat, sicut quando trochisci de camphora propinantur, aut qui spodio parantur: & similiter, inquit, humectatio est aliquando causa calefactionis, vt contingit, quando vinum ad humectandum conceditur, hoc enim calefacit, quamuis humectet: vnde docet, quando vrgentia infrigidandi tanta est, quòd absque exsiccatione fieri nequeat, debere Medicum, aut antea, aut simul, aut postea
E aliquid humectans propinare: & similiter quando vocat necessitas ad fortem humectationem, & velocem, sicut aqua carnis, & vinum, oportet vt adiungatur ei, aut antecedat, aut sequatur aliquid infrigidans, vt si ex causa propter animi deliquium cogatur Medicus vinum calidum propinare, vt in syncoposo marcore Galenus præcipit *lib. proprio, cap. vltim.* statim à virtutis restauratione dandum est aliquando auxilium vini incendium remittens; est enim quædam species marcoris syncopos, de qua Galenus *lib. de marcore, cap. 6.* egit: tota verò schola Medicorum, vbi hectica sola molestat, infrigidantibus, & humectantibus ei occurrit, quia nullam causam inuenit euacuationem aliquam indicans, & cùm sit omnis hectica passio calida

lida & ſicca, aut actu, aut potentia, humidis & frigidis curatio celebratur. Contra quam notanda eſt doctrina Galeni *lib. 7. meth. cap. 5.* dicentis: *Ac tempus quidem caloris, frigoriſquè reparandi par quodammodo eſt, ſecuritas tamen impar; niſi enim cuncta ei qui curatur, iucunda ſunt, & aliàs corpora valdè plena ſint, metus eſt, ne ab his, quæ refrigerant, noxam trahant non leuem:* quod præceptum in hecticis præcipuè obſeruandum venit, eſt enim calor vitalis eorum puſillus, & ſic facilè extingui poteſt à frigidis, quibus ſi alui fluxus ſuperueniat, ruinoſus caſus eſt; eſtque intelligendum præceptum præcipuè de his, quæ actu frigida applicantur; hæc enim primo occurſu vitalem extinguere poſſunt, & præter dictum periculum extinctionis aliud damnum referunt actu frigida, vias nempe denſare, quarum apertionem omni ingenio in hecticis tentare conuenit, vt alimentum per totum poſſit diſtribui.

Circa attemperationem iamdictam Galen. *lib. de marcore, cap. 7.* hecticas primò incipientes aquæ frigidæ potu extinguere tentat, vt quando ex nimio labore, aut ira, aut alia de cauſa externa membra ſolida incendium habituale contrahere, tunc enim vſtio illa incipiens frigido potu ſedatur; non enim putreſcentia eſſe poteſt, quia vt ipſe docuit, ſola natura calida, & ſicca à cauſa extrinſeca primo inſultu hecticè febricitat; vſtioni enim nihil magis quàm aqua frigida opponitur, ita vt attemperatio, non concoctio vſtionis remedium ſit, vt in curatione febris ardentis retulimus. Rationem auxilij Galenus reddit dicendo: *Quippe eo tempore eſt tutiſſima, cùm & virtus ſit valida, & ſanguis in corpore copioſius continetur,* de quo auxilio inferiùs incidet ſermo. Balneum etiam aquæ dulciſſimæ vtiliſſimum fore, in hoc caſu extra controuerſiam eſſe debet; cùm nihil ſalubrius, & iucundius calidis, & ſiccis naturis imperari poſſit, præſertim quando iam membra ſolida violenter æſtuare incipiunt, omnibúſque hecticis ſtrenuum auxilium eſſe contra Philippum egregiè Galenus probat *lib. de marcore, cap. 6. & 7.* vbi dixit: *Et ſane nos pleroſque, quibus marcor aduertebatur imminere, ipſis præſidiis curamus, potu ſcilicet frigida, & balneis:* docet tamen, quòd ſi in frigidæ potu aberretur, cum magno detrimento fiat, balnei verò vſus in hecticis periculo vacat, niſi ſit virium debilitas.

Eſt deinde notandum, quòd cum periculum hecticarum in ſiccitate morboſa præcipuè conſiſtat, & eius emendatio difficillima ſit, authore Galen. *7. meth. cap. 5.* ſitque curatio per humida ſecuriſſima, quæ autem frigidis agitur, periculoſa; hinc ſubſtantificæ humectationi magis incumbendum: agitur autem propinato alimento humectante, ſed moderatiore frigido, eſtque conuenientiſſimum, vt anteà notaui, vias corporis recludere, vt alimentum commodè poſſit diſtribui, quia totum corpus à ſiccitate morboſa ſemper præter naturam denſatur. Confert etiam, vt celeriter alimentum diſtribuatur, blanda, & moderatiſſima frictio; hanc enim corpora impinguare Hippocr. docuit, quæ commoda balneum etiam præſtat, quia & extra mouet, & vias omnes humectando emollit, caloreque tepido dilatat. Notat tamen Ludouicus Mercatus *lib. 5. de febribus*, in curatione huius febris diuerſo modo cibandos eſſe febrientes hecticè, quàm ex humorum putredine: nam in iſtis plus alimenti in principio concedimus, minus in augmento, & minus adhuc in vigore morbi, & facit præceptum Hippocr. 1. *aphoriſm.* dicendo: *Quando morbus in ſuo vigore conſtiterit, tunc victu tenuiſſimo vtendum eſt*, vt clariùs docuit vtrumque *aphor.* 10 *eiuſdem lib.* dicendo: *Quibus igitur ſtatim morbus conſiſtit, his ſtatim tenuis victus adhibendus eſt; quibus verò poſteriùs debet conſiſtere, his & in ipſo conſiſtendi tempore, & parum ante illud cibus ſubtrahen-*

A *dus, priùs verò vberius agendum, vt æger ſuſcipiat.* At in hecticis contrarius cibandi modus conſeruatur, quia cùm repoſitio debeat eſſe æqualis reſolutioni, vt in principio hecticæ minus eſt reſolutum, ſic minus alimenti dandum: poſteà verò quia inanitio creuit, plus alimenti propinandum, & in tabe extrema plus etiam; quia remedium debet eſſe morbo proportionatum: eſt autem morbus quantitatis diminutæ in ſuo vigore quando datur tabes extrema; remiſſus, aut minor, quando incipit tabes.

In morbis autem, ſeu febribus à materia pendentibus putrida contrario modo cibandum eſt, plus in principio febrium propinando, minus in augmento, & minus adhuc in vigore, vt *locus citatis* Hippocrat. docuit; rationem reddit Mercatus, quia in putridis

B febribus natura ſemper contra morbi materiam operatur, & quia in principio minus agit, pluribus eget, & plura poteſt conferre: quando verò plus agit concoquendo, & expellendo materiam morbi, minus alimentis diſtrahenda eſt ab eo opere: & quia in vigore ſummo plus concoquit, & criſim factura eſt, inde tenuiſſimum alimentum dandum.

Ego autem ſi coctionis neceſſitatem conſidero, contrarium cenſeo rationi conſonum contra Mercatum. Ratio eſt, quia nunquam materia morbi ferocior eſt, & naturæ magis oppoſita, quam quando eſt omninò cruda; eſt autem in principio vniuerſali, quia nondum in illo manifeſta coctionis ſigna apparuerunt; vnde ſi per alimentum natura diſtrahitur, nunquam

C minus quàm in principio vniuerſali dandum eſt, quia nunquam eget maiori virtute, quia contrarium, quod vincere tenetur, nunquam fortiùs, quàm vbi eſt crudũ extremè & principiũ vniuerſale conſtituens inuenitur; in vigore autem, quia iam victoria naturę perſpicua eſt, & materia perfectè coquitur, debiliſſima coctio eſt ſatis vt vincatur omninò. Eſt enim in Philoſophia certum, quòd paſſum plus reſiſtens, vt vincatur, agens rigoroſius requirat, & ipſo valentiùs, plus autem reſiſtit, quod contrarij motus aliquid nondum ſuſcepit, vt eſt materia in vniuerſali principio: ergo ſi per alimentum natura à coctione diſtrahitur, nunquam minus quàm in principio dandum, quia nunquam paſſum, in quod operatura eſt, diſſimilius per morbum datur: cui rationi ſi addas in principiis corpus eſſe magis plethoricum, & per conſequens eſſe plus, quod ad focum

D moueri poteſt, & ea ipſa putredine tum inualeſcente apertè conſtat, corpus magis obſtructum eſſe, & minus ventilari, conſtabit planè in principio vniuerſali minus alimenti dandum eſſe. Certum ergo debet eſſe, quòd non ob rationes Mercati dandum ſit plus in vniuerſali principio febrium, ſed quia virtus durare non poterit vſque ad morbi vigorem, & totalem materiæ coctionem, & hoc eſt, quod dixit Hippocr. *aphor. eo citato. Prius ergo vberius agendum, vt æger ſuſcipiat;* quia verò coctiones iudicij celeritatem ſignificant, vt 1. *epid. ſect.* 2. Hippocr. docuit, & non licet plus alimentum dare, quàm virtus requirat vſque ad morbi vigorem, eo quòd alimentum ſemper morbi materiam auget, & neceſſariò coctioni obſtat, ideo in vigore

E ſummo tenuiſſimè cibare conuenit, quia breui morbus ſoluetur.

Eſt etiam falſum, quod dicit Mercatus, nempe quòd minus natura operetur in principio vniuerſali circa materiam morbi, & ideò plus alimenti poſſe commutare; eſt enim euidens, quòd agens naturale ſpirat ſemper in quantum poteſt, & per conſequens in quovis tempore totum conatum ſibi poſſibilem applicat. Quòd autem in principio vniuerſali coctio non appareat, non eſt quia non operetur, quantum poteſt natura, ſed quia alteratio inducta à cauſa putrefaciente in materia morbi coctricem excedit, neque eſt minus dubium, quòd coctrix facultas in vniuerſali

princi-

principio fortior ſit,quàm in vigore ſummo,vt Mercatus putat; contrarium enim apertè deducitur, quia in principio non coquit,ſed in augmento,& vigore; vnde Gal. 2. *aphor.textu* 39. *in fine* dixit,quòd coctrix facultas in vigoribus robuſtiſſima eſt;in principio enim vniuerſali calor vitalis à copia ſuccorum, & obſtructionũ multitudine obrutus ſuffocatur,& inde nec coquit,nec poteſt; depoſita verò copia, & corpore facto perſpirabiliori,in morbis ſalubribus concoquere incipit: certum tamen eſt, quòd alimentum in omni tempore morbi coctionem impedit, nec magis in vno, quàm in alio, cæteris paribus, cuius rationem communi methodo curatiua febrium adduximus.

Hinc Mercatus intulit, in principio hecticæ minus eſſe dandum minus, quia minor eſt inanitio; in ſecundo gradu dandum plus, & in tertio magis quàm in reliquis, quia morbus in inanitione maior multò eſt: verùm quia robur coquentis facultatis, quando morbus plus indicat, minus conſtat, crebriùs quàm in principio reiterandum eſt alimentum,vt crebritate cibationis quod plus à morbo indicatur, & minus natura ferre poteſt, ſuppleatur,vt neceſſe ſit ter, & quater in die cibare in vltimo gradu hecticæ; in primo autem, quia virtus magis conſtat, & plus conficere poteſt, bis in die alimentum propinare ſufficit.

Nos autem aliter philoſophamur, aliud enim eſt dare quod actu morbus indicat, aliud verò quid faciendum ſit,vt non ſolùm morbus auferatur,ſed etiam quod futurum eſt,præcaueamus. Quod autẽ morbus in ſumma tabe plus indicet, indubitatum eſt; an verò quod quia in principio minus indicat, minus etiam ſit dandum, ſatis dubium eſt, vt ego putem eſſe in hecticæ principio dandum tantum, quantum virtus conficere poteſt, ita vt ſi poſſit magis conficere,quàm ſit quod in ſumma tabe indicatur, dandum ſit totum illud, quia in hecticæ principio non ſolùm quod eſt inanitum,inſtaurare oportet, ſed etiam præcauere, ne in tabem æger deducatur; præcautio autem tabis futuræ nulla alia commodior eſſe poteſt,quàm multum humidæ, & ſolidioris ſubſtantiæ reponere. Et ratio eſt efficax,quia in aliis morbis ſi auxilium eorum correctiuum intenſius quàm morbus ſit, producit morbum contrarium, & ſic lædit: at hecticus etſi carnis,& pinguedinis,roriſque maiorem copiam per vberiorem nutritionem acquirat,quàm dum ſanus erat,nullum erit inconueniens. Itaque tantum cibi in principio hecticæ dandum eſſe opinor, quantum virtus commutare poſſit,nullo habito reſpectu ad id quod conſumptum eſt, quia marcor exitialis imminens magnam præcautionem ſtatim indicat,quam niſi copioſa ſubſtantifica humectatione efficere poſſumus: neque aliquod poteſt eſſe incõueniens, vt quantum cibi virtus commutare poteſt,propinetur, quia in opinione Galeni, in materialem morbum hecticam efficientem nullum inconueniens excogitabile eſt. Vt enim in morbis ſalubribus, paruis tamen, & ſecuriſſimis magna ſæpè imperamus auxilia, quia quod à paruis morbis imminet, magnum timetur,& eſſe poteſt. Eodem modo in morbis extremam tabem machinantibus, abundanter nutrire decet, ſi virtus conficere poteſt,vt ſic contrarium robuſtius nimiæ extenuationi timendæ opponamus; nullus tamen hecticus meo iudicio commodè cibatur, ſi bis tantùm in eodem die cibetur: calor enim ſiccus, & mordax, carnes, & pinguedinem vehementer exurit, & colliquat,corpuſque nimiè diſſipat,vt crebriùs cibare ſit opus,& quia virtus non conſtat, vt magna quantitas dari poſſit, plurima egemus nutritione; fuitque noſtri Auicennæ conſilium dicentis: *famem, & ſitim longas eſſe prohibendas*; & rurſus *in fine, cap.2.* dicit: *Et vt non inferatur ei violentia in fame, aut ſiti:* Eſſet autem regula ſatis idonea ad petendum cibum, quando iam ceſſauit omninò incaleſcentia ratione prioris cibi acquiſita, quia ſignificat

A iam eſſe conſumptam humiditatem alimenti, & ad ſuccum craſſiorem redactam fuiſſe,ſicque non euaporare, ſi verum eſt, quod Galenus dixit 1. *de diariis febribus, cap.9.* his verbis: *Nam quæcumque conſpectui ſunt obuia, eo vſque manifeſtè alterata apparebunt, donec ex cibo digeſto, atque appoſito cordis ſiccitatem humectauerit.* Amatus Luſitanus noſtrum conſilium ſequens *cent.3. curat.1.* ſingulis quatuor horis cibat, eſtque rationabile nunquam ſemel multum alimenti propinare. Pro noſtra ſententia eſt audiendus Celſus *lib.1. cap.3.* dicens: *Implet corpus cibus, & frequentior, & quantum pleniſſimus poteſt concoqui.* Galen. verò 7. *meth. cap.6.* nimia extenuatis ter quolibet die cibat: *Atque hac de cauſa* (inquit) *ter eos cibare ſum ſolitus; verùm quando*
B *iam manifeſtè facti apparent, bis nutriuiſſe ſit ſatis.*

CAPVT XII.

De Alimentis hecticorum.

MVlta alimentorum genera pro hecticis traduntur. Eſt autem principaliſſimum, & celebre alimentum lac humanum. Secundo loco aſininum. Tertio,quod ex capra ſuſcipitur,vt noſter Princeps *fen.1.4. tr.3. cap.5.* docet,quod à principio hecticæ vſque ad finem imperat, & deſumpſit ex Gal. *lib.de marcore, c.9.* dicente: *Mihi porrò nihil ad hæc omnia lacte videtur eſſe*
C *præſtantius, præcipuè quidem ſi quis muliebrem mammam ore apprehendens, id ipſum mulgere toleret, ſin minus, at ſaltem aſininum adhuc calidum aſſumat, quod breuiſſimo temporis ſpatio ambienti aëri fuerit expoſitum.* Quia verò lac facillimè corrumpitur,vt Gal.teſtatur *5.aph.com.64.* à quantitate ſatis parua eius propinatio incipit. Sic Auicen. *cap.5.* loquitur: *Et melius quidem eſt, vt incipias à pondere drachmarum decem vſque ad 3. & quod eſt ſupra eas, ſi fuerit adiuuans virtus.* Experimentum itaque ſi benè commutatur,vt non à minima quantitate ſumatur, & ſi benè coquatur, paulatim augeatur doſis vſque ad drachmas 30. Et ſi virtus conſtet,etiam ſupra eas dari poteſt. Quæ Auicen. doctrina noſtram confirmat, docentem dandum eſſe quantum alimenti commutari poſſit. Galenus autem 10. *meth. cap.11.* dicit:
D *Dandum itaque eſt à principio aſinini lactis non plus ciathi, veluti à me datum vidiſti*; eſt autem ciathus idem quod ſextuncia, quæ drachmas duodecim capit,quæ ſi probè coquatur, dimidius ciathus augeatur,ac deinde rurſus alium dimidium adiicias, ſicque ſenſim vſque ad mediocrem menſuram addas: eſt autem mediocris menſura pondus ſex, aut ſeptem vnciarum, vt *lib. 7. meth.* Fabius Pacius docet. Amatus Luſitanus *loco iam citato* libram vnam lactis cum vnica ſacchari præbet: ego autem nunquam à tam parua quantitate, vt Galenus putat, ſemper inciperem; ſtat enim ob paucitatem poſſe corrumpi, quod in maiori quantitate non corrumperetur, & ad commutandum tres lactis vncias quælibet virtus, etſi debilis ſatis eſſe poteſt; ex pulſu ergo robur virtutis coniectandum, & ad eius tenorem
E lac propinabitur. Et ſi virtus conſtet, impertinens eſt ciathum ſolùm præbere, cùm magna lactis pars in vapores abeat, & ſero non nutriat, vt ſit poſſibile, quòd robur, quod notatur, dignum ſit ob alimenti inopiam non accedere, vt putes ex corruptione pendere, quod ab alimenti paruitate emanabit: rectè itaque tres vnciæ, aut quatuor dabuntur, ſi mediocris ſit virtus, quas ſi non ſuperet, ſed lac corrumpatur, non ita accuſanda virtus, ſicut indiuidui proprietas; ſcimus enim per bonam valetudinem quoſdam nunquam lac benè commutaſſe, alios verò à magna copia nullum incommodum ſenſiſſe, etiamſi cum aliis alimentis fuiſſet ingeſtum, quod Galenus docuit *lib. 5. de tuenda*

ſani

sanitate, cap. 7. Notandum ergo diligenter, ne lactis corruptio ab aliquo prauo excreto ventriculi fiat; nam cùm lactis vsus assiduus tam necessarius hecticis sit, omnes malæ commutationes exquisitè inueniendæ, vt eis occurrendo tanto auxilio non priuentur.

Est autem magnum dubium contra Galen. quòd nullo modo lac pro hecticis vtile esse videatur; nam cùm *aphor.* 64. 4. *lib.* exponeret, sic reliquit scriptum; *quòd lac facilè alteretur, & quod duplicem habeat alterationem, quando in multo versatur calore, statim in nidorem abiens; quando autem in pauco citò accedens, sibi licet prolicere, &c.* Inferiùs verò in sanis idem confirmans, inquit: *Sic autem & in sanis, si non benè coquatur, in calidis verò nidorulentus euadit.* Ex quibus deduco: Cùm ergo omnia hecticus magis caleat per omnes partes, quàm homo sanus, quia nullus benè valens, etsi calidissimi sit ventriculi, habet in ventriculo febrem, corrumpet necessariò omnis hecticus lac, & nidorulentum faciet: constat planè, quia passum est idem, & agens calidius, vnde si ventriculus frigidus lac acidum reddens, plus infrigidaretur, acorem necessariò produceret; sic ventriculus calidus nidorem inducens, si calidior fiat, certius, ac melius multum lac nidorulentum reddit: ergo si in sanis intemperiem ad nullum extremum habentibus, vt benè commutetur, requirit, nunquam hecticis commodum erit, cùm nunquam temperati esse possint: & vrget etiam, quòd neque tabidis sine febre sit imperandum, vt Galenus putat, quoniam tales necessariò sunt frigidi, laborant enim senio morbo ex se frigido, vt anteà ex Galeno docuimus *lib.* 7. *meth.* siccitati necessariò frigiditatem superuenire: ergo in eis acidum fiet, quoniam distemperie frigida cum sicca laborant.

Secundò, quod de lactis substitutione Galenus docet, non videtur omninò verum. Primo loco humanum commendat, secundo asininum: vnde relinquitur, quòd si neutrum istorum sit propinandum, caprinum sit dandum, vt Auicen. docet, quia habet naturam mediam inter illa duo. Quod si ita est, non ex defectu vnius, aut alterius lactis electio efficienda est, sed potiùs ex corporis dispositione; non enim rectè valet, lac humorum melius concoquitur: ergo primo loco dandum est, si affectui non sit magis commodum; alimentum enim substantiæ resolutæ debet proportionari: ergo cùm per diuersos gradus hecticæ substantiæ diuersæ resoluantur, videtur, quòd lac asininum primo sit dandum, quia præ reliquis lactis generibus tenuius est, vt 6. *lib. de tuenda sanitate* Galen. docet. Secundo loco humanum: tertio caprinum, quia primo loco, aut in primo gradu ros absumitur, in secundo caro, & pinguedo, in tertio humidum partium solidarum: vnde primo loco lac tenuius dandum videtur, vt est asininum, secundo humanum, tertio autem caprinum, quia crassius cæteris. Neque Galenus sibi constans est, quando 7. *meth.* statim asininum commendat, & ipse præbuit post balneum siccitati ventriculi auxiliando; tenebatur autem iuxta propria præcepta humano priùs vti, si cæteris in bonitate præstat. Tertiò, quia in iam tabidis non videtur lac magis idoneum ouillo, aut bubulo, quod testatur crassioris substantiæ deperditæ indicat; sunt enim illa duo lactis genera pinguioris, & crassioris substantiæ, & inde ad instaurationem crassæ substantiæ commodiora; asininum verò, cùm sit tam serosum, incommodum videtur, quia ob tenuitatem minus nutrit, vt dicebat Galenus 3. *de alim. fac. cap.* 15. & quò tenuius est, distat magis à natura crassi, & inde robustam coctricem, vt ad crassum succum redigi queat, requirit, qua hectici priuati manent. Est etiam magnus timor, ne à lacte asinino aluus fluida reddatur propter nimiam seri

A copiam, qua abundat, ob quam eo Hippocrat. vtitur ad expurgandum in ardenti febre, 4. *lib. de vict. rat. in acutis*; non ergo in tabidis confirmatis idoneum esse potest, quibus tam familiaris, & certo periculo vitæ aluus lubrica esse solet, pereuntque ita affecti alimentum crassius, quoniam substantiæ crassioris, & & solidioris inanitionem patiuntur. Est etiam dubium, qua ratione vlceribus asperæ arteriæ lac vtile esse possit, vt 5. *meth. cap.* 12. Galen. tradit. Vlcera enim siccantia auxilia exposcunt, & moderatè adstringentia: vnde si vt siccans, & adstringens auxilium lac medetur vlceribus, tabidos in perniciem necessariò tradet, cùm humida tantopere desiderent, & quæ nullatenus adstringant. Vrget quod Hippocr. *aphor.* 64. *lib.* 4. pugnantia dicere videtur; lac enim
B tabidis non valdè multum febrientibus, & febribus longis, & prauis conuenire docet; fatetur tamen noxium esse quibus sanguinis multi deiectio facta est. Constat autem tabidos omnes sanguine depauperatos esse; idem autem est incommodum, quòd sanguinis defectus hac, aut illa causa eueniat, quippe damnum ex lacte prouenit ex dispositione in corpore derelicta ob sanguinis defectum, quinimò absque vlla ratione lac denegatur, quando defectu sanguinis, aut alterius humiditatis naturalis tabem, & siccitatem induxit, cùm nihil huic affectui magis quàm lac opponatur. Et mirandum certè est, quod exclusiuam Hippoc. in qua quibus sanguinis multi deiectio facta est, lac denegat, sine expositione aliqua Galenus præterierit; &
C contra illum tandem dubitatur, qua ratione extremæ senectuti lac vtile esse possit? Et 5. *de tuenda sanitat.* tradit sic; *Si frigidis, & exsanguibus naturis noxium putatur*, exsangues in Aphor. iam tradito Hippocrat. frigidos in eius expositione Galenus exclusit, quia in acidum ipsum conuertunt; vtrumque verò senes participant.

Verùm nihilominus indubitatum debet esse, quòd lactis vsus sit pro hecticis celebre auxilium, eò quòd in eius recto vsu ferè tota sanè sanatio sit collocanda: est concors omnium Medicorum opinio ex Hippocr. desumpta 5. *Aphor.* 64 vbi dixit: *Conuenit tabidis dare, qui non multum valdè febricitant, & in febribus longis, & prauis, & præter rationem consumptis.* Ratio est, quia in eo inueniuntur omnia ab hecticis in-
D dicata; est enim optimi succi, vt Galenus millies testatur, & temperatum sanguinem creat ad frigidum tantisper inclinantem; est etiam coctionis facilis; & per totum facilè distribuitur, quo hectici præcipuè iuuantur, ob quod Galenus *in expositione Aphor. cit.* dixit: *Commune autem in omnibus, qui lacte indigent est, quod cibus bonum generans succum, qui citò per venas distribuatur, illis est necessarius; lac enim somnum conciliat, sitim extinguit, squalorem, & acrimoniam contemperat & iucundissimè sumitur ob mulcebrem naturam, & dulcedinem moderatam*; & eum succi bonitate multum nutrire Galenus docet 3. *de aliment. facult. capite* 15. hoc habet insigne, quòd cibus, & potus vnà sit, ita à natura partes eius permixtæ, & in debita
E mensura contemperatæ, quod vitium vnius ab alia moderetur: seri igitur occasione per totum distribuitur, & quod ex parte pingui, seu butyrosa partes siccitate densas emollit, & recludit, sero refrigerat, humectat, & quibusdam partibus acribus intra ipsum imbibitis detergit, deobstruit, & aluum solicitat, partis butyrosæ, & pinguis fastidium tollit, & ne in bilem mutetur, obstat. Est enim butyrum lactis calidior pars, & pinguissima, quæ si sola consistat, vt oleum inflammatur, si non corrumpatur, optimum alimentum, multum leue, attemperatum, minimè putredini obnoxium, est, que satis consistens alimentum: hæc pinguis pars caseosam emendat, quæ sicca, adstringens, perfrigida, terrestrisque est, & inde coctioni difficilis, quibus

ex diametro pars pinguis, & butyrosa opponitur, vt mixtione naturali (vt dixi, tam celebre alimentum à natura paretur, quod ipsum solum ad corporis augmentum sufficiat; quod indicant pueri, qui solo lacte tam magnum incrementum suscipiunt, fiuntque solidiores, nec minus qui à tabe instaurantur; habent enim ex quibus pars tenuis, mediocris, & crassa reparetur, ex sero, spuma, butyro, ex parte caseosa.

Desiderat tamen Galenus, si fieri possit, quòd ex mammis sugatur, sic enim cum principio coctionis, & nutritionis suscipitur, vitalem spiritum dico, cuius exhalatio, & corruptio imperceptibilis est; quod si impossibile est, statim sine motu deuorandum, ne alteretur: quinimo sola spiritus resolutio alteratio quædam est, cùm ob eius defectum internè infrigidetur, vt non solùm principium coctionis deficiat, sed commutationi tardius reddatur, quia frigidius, estque ipsorum spirituum defectus coagulationis initium, si frigore coagulatur, vt est euidens, & serum à reliquis partibus separari immisso vase aquæ frigidissimæ in lac efferuescens, Galenus docuit: Nec mihi probatur Mercati consilium auferentis à lacte partem butyrosam; quippe si caseosa detur, difficiliùs multò coquetur, quàm si cum butyrosa propinetur, cùm pars caseosa terrestrior, adstringens, & crassos humores generans à Galeno putetur 3. *de aliment. facult. cap.* 15. vnde & obstruere iecur syrphiasin facere docuit; nec alia pars plusquam butyrosa desideratur, cùm nulla sit nobis familiarior moderato calore, & humiditate, & quæ ad lentum succum possit reduci, & omnia viscera siccitate exasperata, & dura leuigat, & emollit, & lentorem pinguem, quem membra ob siccitatem inducere non possunt, secum defert, quæ quidem conditio ad nutritionem maximè necessaria est.

Nec minus falsum videtur, quòd somnus conducat vna, aut duabus horis à lactis sumptione, vt meliùs distribuatur, cùm sit publicum sanguinem in somno intro fugere, vt docuit Hippocrates: diceret melius Mercatus dormiendum esse, ne tam celeris dissipatio fieret, cùm vigilia vehementer resoluat, & siccet, somnus autem post alimentum humectet, & interius alimentum detineat; sic enim viscera melius humectabuntur: somnus enim in hecticis, iuxta doctrinam Galeni, nullum prauum succum intrò reuocat, à quo viscera calefieri possint; calor autem naturalis interius detentus coctionem perficit, & viscera vberiore nutritione instaurat. Notanda tamen est doctrina Hippocratis *lib. de veter. medecina*, vbi dicit, quod caseus extenuatos impinguat, & Auicenna *fen.* 4. *tract.* 3. *cap.* 6. dicit: *Et quando sentit rectificatum, tunc est malum cibare ipsum caseo humido, non salito.* Iacobus dicit, quòd licèt sit cibus crassus, & difficilis coctionis, potest dari hectico iam conualescenti, & sentienti rectificationem suæ ægritudinis, quia multum nutrit, & resistit fortiter resolutioni, de quo dixit Auicenna, quòd est frigidus, & humidus in 3.

Si lac non commutetur, necesse est, aut quòd fiat nidorosum, aut acidum, aut coaguletur quasi factum caseosum; nidorem calor, acorem frigus, coagulationem vtriusque qualitatis virium intensius efficit; coagulantur enim omnia, aut quia frigore concretio fit, & sic separatio seri à reliquis partibus, cùm secum concrescere ob fluxibilitatem, & aqueam naturam sit difficillimum; in ventriculo verò impossibile, aut quia calore immodico heterogenea separantur, aut calore, & siccitate velut medicamento serum separatur, sic acida quia sunt incisoria, & diuidunt, coagulant lac vehementer, ad quod etiam adstrictio ipsorum non parum conducit: hæc enim

A crassa vnit, liquida autem non potest, vt est serum.

Si calore immoderato nidor contrahatur, iubet Mercatus, vt cum aqua lac coquatur, aut aqua sumatur à lacte bibito, aut si ventriculus, iecúrque æstuent: ante sumptionem haustus frigidæ detur; coctionem cum aqua minus admittit, quia vt Galenus docuit 10. *lib. simplicium, capite proprio*, lac omnium facillimè alteratur, præsertim si ambiens fuerit calidum, bonitatem necessariò deperdet, nisi protinus quis ab vberibus effuso calido etiam vtatur; repugnat, quòd per coctionem magnum vitium non contrahat. Melius ergo fuerit, aut aquam frigidam superbibere, aut antea illam sumere: & hoc secundum magis mihi probatur, si frigus aquæ lac coagulare potest, vt est certum, meliusque visce- B ra ipsa ante lac temperata supponuntur, quàm ab eius sumptione temperare, cum virium sit præsens, quando post bibitur, & inde periculosius: est autem tutum aquam frigidam cum saccharo præbere, quoniam saccharum coagulationi obstat, & ad maiorem attemperationem conducit, quoniam citius aquam ad interna distribuit, quia detergens, & partium tenuium, & dulcedine auidius à visceribus trahitur: & si in aliquo casu lac ebutyratum conuenit, est quando à calore nidorulentum fit, quia pars butyrosa est, quæ præcipuè inflammatur, quod Gentilis ex mente Auicennæ docuit.

Si autem lac acidum reddatur, confert etiam sac- C charum, sed multò magis si aliquid mellis misceatur, quod & Galen. *lib.* 7. *Method.* docuit, quæ etiam coagulationem impediunt, & melius quàm saccharum mel, nec minus salis momentum, sed præ cæteris mentha, quæ & languidum ventriculum strenuè firmat. Omni itaque arte, & ingenio corruptio lactis, & coagulatio impedienda sunt, ne tam celebre, & necessarium auxilium irritum fiat. De lacte verò caprino Galenus dixit, quòd sine melle bibi non potest, quia si solum sumatur, in caseum coagulatur, & præter modum ventrem grauat; de succorum bonitate, & vitio *cap.* 4. *sect.* 2. Quòd si corruptio, aut coagulatio ineuitabilis sit, nullum auxilium nutritorium tam commodè loco eius vt lac hordei potest substitui, quod & facilè distribuitur, & febrem temperat, sanguinem optimum præbet, sitim extinguit, detergit, & deobstruit: sic farri vsus ex iure, D aut cum lacte amygdalatum dulcium parati vtilissimus est; nunquam tamen decet lactis vsum omittere, antequam omnium generum lactis periculum fiat. Omnium minus coagulatur asininum, quoniam serosius reliquis est, habetque minus casei, vnde visceribus æstuantibus, & quando alia lactis genera à calore corrumpuntur, commodius putandum est, & calorem febrilem magis extinguit: vbi autem ventriculi imbecillitas mala commutationis occasio est, muliebre lac imperabitur, quia nullum à nobis minus distat, & sic commutatur facilius. Non admittit Mercatus lac humanum in principio huius mali, neque extremam maciem expectat, vt propinetur; nescio quo fundamento, cùm neque E Galenus talis præcepti sit author, & semper humanum lac cæteris præferat, & inde ab eo, si fieri possit, medela incipietur.

Si autem mel causa alicuius accidentis miscendum sit, nunquam crudum, miscebitur, est enim nimis flatuosum, & aluum plus deiicit, nutrit tamen minus, vt *lib.* 3. *de aliment. facultate, cap.* 39. Galenus docet. Coctum ergo, & spumatum imperabitur. Duobus autem modis coqui solet, aut solum, aut cum aqua permixtum. Putat autem Fabius Pacius *lib.* 7. *meth. cap.* 7. coquendum esse absque aquæ mixtione, quia sic plus nutrit, & minus mouet lotium. Quod mihi non probatur, tum quia vt à solo melle

per

per decoctionem tota auferatur spuma, virtutem ignis diutius tenetur expenri. Vnde & aerius, & siccius quàm hecticis conueniat, redderur, tum quia corpulentius euadet, & ad distributionem minus idoneum, ob quam præcipuè expetitur; multa etiam coctione corrumpuntur, amarum fit, satisque acre, & biliosum, quæ aquæ permixtione emendantur; cum aqua igitur coctum temperatius euadet, & minus mordax, ac siccum, meliusque multum distribuetur; est enim falsum, quod tanquam pro alimento hecticis impeterur: quod autem vrinam plus moueat, paruipendendum est, cùm in tam parua quantitate iniiciatur, quòd nulla motio timenda sit, siue per aluum, siue per vrinam.

Errores autem, qui circa lactis, & mellis bonitatem committi possunt, summo studio cauendi; lactis bonitas procuratur, si vt Galen. docet *lib. 5. de tuend. sanit. cap.* 7. florentis ætatis sit animal, & inculpati corporis habitus, & idoneis alimentis nutriatur, exerceatur etiam, vt excrementa resoluantur, & calor natiuus gliscat: fœtus auferendus, ne lac deficiat, aut crudum sit lac ab ægro sumendum: tenuissimum est liquidum, & crudum imminente à partu, vt debitum tempus expectare liceat, vt excrementis à partu expurgatis lac non vitietur, & melius concoquatur; de quo argumento egit latissimè Galenus *lib 6. cap.* 6. & *lib.* 10. *simplic. cap. proprio*, & *lib. 3. de aliment. facult. cap.* 15. & *lib. 5. de tuend. sanit cap.* 7. Constat autem posse lac per alimenta permutari ad diuersas indicationes, vt si plus attemperare calorem, & siccitatem moderari conueniat, frigidius, & humidius alimentum propinabitur: aut si aluus largiùs fluat, danda sunt alimenta, quæ cum attemperatione adstringant: qua methodo Galenus *lib. 5. meth. cap.* 12. & 14. vlceribus asperæ arteriæ, & pulmonum occurrit.

Est etiam lac vtile, si quando carnes iam perfectè elixæ, antequam ab igne separentur, lac cum iure lenem coctionem admittat, & postea ius sumatur: fit enim sic cibus suauissimus, & vtilis, & quibus lac seorsim sumptum corrumpitur, cum iure leuiter coctum innoxium esse solet: omnia tamen alimenta, quæ vt cum lacte rectè parentur, multam coctionem requirunt, suspecta mihi sunt, quòd tardissimè distribuantur; & lac, quò plus coquitur, redditur deterius, omnia enim, quæ natura sine arte perfectè condidit, inter quæ præcipuè continentur lac, & vinum, si igni exponantur, deteriora fiunt, etiamsi vt medicamenta saluberrima esse possint. Inde Galen. *lib. de succorum bonit. & vitio, cap.* 4. dicit: *Lac, quod decoctum plus iusto fuerit, succi nimis crassi euadit.*

Est etiam vtilissimus cibus, si pectus gallinæ moderatè assetur, deinde minutissimè inscindatur, & in lapideo mortario pistetur, & cum aqua calida succus extrahatur, qui in vase terreo vitreato cum lacte amygdalarum dulcium, & sacchato ad lentum ignem idoneè coquatur, donec leuiter agitando debitam consistentiam acquirat: est enim cibus suauissimus maximè nutriens, & somnum concilians: & si plus attemperare incendium sit opus, optimè miscebitur cum lacte amygdalarum lac seminum melonis, & cucurbitæ: & si fortè aluus laxior sit, aliquid amyli adiicietur; sic enim fluxus cohibebitur. Est autem hic diligenter notandum, quòd quando ob attractricis debilitatem aluus redditur fluida, non decet tam pernicioso symptomati occurrere, amylo, vulgò *maniar blanco*, aliisque cibis crassioris consistentiæ: hæc enim difficiliùs multo attrahuntur, & pondere retentricem alioqui debilem infestant, & ad breuiorem expulsionem solicitant. Conueniunt ergo dicta alimenta, quando caloris acrimonia, quòd fit cum siccitate coniuncta, corpus colliquat, aut alimenta te-

A nuioris consistentiæ corrumpit. At verò quando præ languore attrahentis virtutis aluus laxatur, quæ tenuiora sunt, & in forma potabili dantur, conferunt magis, plusque roborant, in quo euentu molles frictiones vtilissimæ sunt, & stillatitius carnis liquor, quem Mercatus vituperat, in hoc casu dandus, sæpéque reiterandus est, quòd virtutem retentricem non grauet, & distribuatur, coquaturque promptissimè, vias adstrictas recludat, spiritibus creandis materiam commodam præstet. Nunquam autem distillatio ex carnibus crudis, vt fieri solet, paretur, sed per bonam valetudinem elixatæ cum iure per alembicum vitreum instilleotur, qui liquor si cum guttulis vini generosi propinetur, ex vsu facies, nec tantum eo solo vtendum, sed

B per interualla: quæ autem sunt maioris consistentiæ, in minima quantitate dabuntur, vt liquari, distribuique possint; in quo casu summo commodo cochlearum caro cum reliquis rebus coquitur, & aliis quæ lentorem participent, & in ipso liquore instillatitio lentor quidam remaneat, vt minus resoluatur, & partibus hærere possit, & agglutinari & ad succum faciliùs reduci. In hoc casu optimæ etiam sunt vitulorum, & hœdorum extremitates, & vituli caput mirabile est, si eius occipitium cum reliquis coquatur; rarò enim inuenietur caro commodior, vt vtilissima distillatio fiat: est enim extremè glutinosa, & lenta, ac per consequens marcori strenue resistens; neque paruipendendum est hoc auxilium instillatitium, si ex mucilaginosis, & lentis conficiatur. Celebre etiam est à Cardano paratum ex sanguine suillo cochleis benè purgatis, &

C carne ranarum cum germinibus tenerrimis iubi, si in balneo Mariæ instillatio fiat. Quo auxilio plures simplici tabe oppressos se restituisse testatur. Contra quod experimentum nulla ratio commoda adduci potest ab spagyricis, putantibus partem alimentosam ciborum calore balnei eleuari non posse, quinimò nulla quàm pars pinguis in vaporem commodiùs mutatur, quod plane indicat virtus adstringens in aquis distillatis reperta, quæ terrea est, & minus quam pinguis, exhalabilis; & cùm vapor vt in aquam mutetur, concrescere debeat, corporaturam sufficientem adquirit, vt nutriat: quod planè vinum etiam indicat.

Est etiam Chachimi experimentum aquam ex cochleis distillatam refrigerare, nutrire, sitim, calorem

D reprimere, & dissolutioni corporis validè resistere; nec facilè corrumpitur à ventriculo calido. Quod docet *super 9. Rasis ad Almansorem, cap.* 50. Caro etiam cancrorum fluuialium, testudinum, & ranarum, & cochlearum expurgatarum carnibus aliis incoquitur, iusque ipsarum optimè nutrit. Optimè autem notauit Mercatus esse vtendum iuribus assis: hic enim cibandi modus apptimè impinguat, est tamen à carnibus assis crusta detrahenda, quia siccior est quàm conueniat, caro autem elixa ad corpora impinguanda incommodior putatur, quia sine succo pingui est, & inde succo nutrimentali siccior, quàm assa, licèt adscititio, & aqueo humidior sit. Putauitque Iobertus carnem elixam difficiliùs concoqui, & commutari ob

E adductam rationem, quia nimirum plurimum terreum in ea relinquitur; pingue autem magis, qui nutriens per elixationem in iuribus deposuit. Coquuntur etiam cum carnibus lactuca, hordeum excorticatum, scariola, borrago, & cucurbita, quæ maximè laudatur in hoc malo: in fine autem mensæ nuclei pinei recentes commendantur, aut aqua priùs infusi, & sacchato incrustati. Sunt etiam vtilia melonum semina eodem modo parata, cauendo semper omne austerum, & adstringens, nisi gratia alicuius symptomatis detur. Notauit enim Galen. *lib.* 7. *methodi, capit.* 6. *in principio*, omnibus siccitatibus vsum adstringentium aduersum nimis esse, siue cibi,

ſiue potiones ſint. Rationem reddit: quia ſiccitatem augent, eò quòd in ſe imbibunt membrorum humiditatem, & etiam eam exprimunt: ſunt etiam noxia, quia exſiccantia, & difficilè per corpus diſtribuuntur. Guainerius ranas virides in arboribus viuentes capitibus abſciſſis, & viſceribus ramdiù in aqua coquit, vt caro ab oſſibus ſeparetur; deinde cum hordei farina, carne raoatum, & iure paſtam conficit, qua gallinæ, aut pulli nutriuntur, & eſt admirabilis modus nutriendi. Anguillas etiam loco ranarum ſumit, poſſuntque ſumi cocleæ, & cancri.

Succus etiam ex carnibus extrahitur, qui maximè nutrit in parua copia datus; ſic autem parari poteſt. Sumatur gallina, aut capo, cinnamomi ℥. j. ſantali citrini ℥. ß. caro conciſa coquitur in duplici vaſe, donec caro ab oſſibus ſeparetur. Deinde ſuccus exprimitur, qui poſtea concreſcit, à quo iam concreto pinguedo ſupernatans detrahitur, & infimo de hoc iuſculo poſteà calefacto cochlear vnum vel alterum propinatur, & quod melius eſt, cum iuſculo alterius carnis communiter præparato propinabitur; miſcebitur, inquam, & ſic propinatur ſecuriùs. Diſtillatio etiam hoc modo fit: ſume caponem euiſceratum, & in fruſta inciſum, depoſita pinguedine, coquatur optimè, & & iuris colati ſume lib. ij. & ß. aquæ borraginis, & condrillæ ana lib. ß. roſar. flor. violar. bugloſſæ, borraginis, & maluarum, ana ℥. ij. cinnamomi ℥. j. ß. omnia benè permiſceantur, & inſtillentur ſecundum artem per alembicum vitreum.

CAPVT XIII.

De Balneo.

Est etiam remedium celebre ad balneum hecticos ducere, quòd multa ſint commoda eius, vt contra Philippum Galenus egregiè probauit. Calori enim vſtiuo ex diametro opponitur, quia refrigerat, & ſiccitatem moderatur: hoc etiam inſigne ſortitur, quòd omnes partes corporis ſimul balnei commodum ſentiant, magno oblectamento ſuſcipiatur, & ad alimenti diſtributionem ſummè conducat, tenſa, & dura emolliat, ac laxet, ſomnum concilier, & ſit quaſi vniuerſale auxilium, quia totum alterat, & contemperat, ſitimque extinguit. Debet autem parari ex limpidiſſima, & dulciſſima aqua, & ſola, ſi calor ſiccitatem excedat, ſit autem ſiccitas leuis; vbi autem ſiccitas nimia eſt, humectantia in aqua coquuntur, vt humiditate corpulentiori partes omnes imbutæ diutiùs madefiant, & tabitudini vehementiùs reſiſtant: aqua enim ſola facilè in vapores abit. De balnei autem partibus & cuiuſvis partis vtilitatibus tam doctè, & latè Galenus ſcripſit *lib.* 10. *meth. cap.* 10. quòd ſit ſuperfluum omninò aliud, quam eius lectionem vobis proponere, & ſummè commendare; ne autem vobis deficiat methodus, qua faciliùs eius doctrina percipiatur, ſuccinctè trademus, quæ ipſe longiùs ac res requirebat, & doctiſſimè ſcripſit.

Balneorum, vt erant in vſu tempore Galeni, quatuor partes deſcribit ſequentibus verbis. *Quippe ingredientes in aëre verſantur calido, poſteà in aquam calidam deſcendunt, mox ab hac egreſſi, in frigidam, poſtremò ſudorem detergunt: poteſt autem,* inquit, *prima eius pars materias per totum corpus tum calefacere, tum verò liquare; prætereà, quæ inæqualia ſunt, æquare, & cutem rarefacere, & multa, quæ ab hac detinebantur, vacuare. Secunda eius pars, vbi quis in ſicco corporis affectu ea vtitur, poteſt madorem vtilem ſolidis partibus immittere. Tertia balnei pars poteſt, vbi quis frigida vtitur, & totum corpus refrigerare, & cutem denſare,*

A *& vires firmare. Quarta verò corpus per ſudores citra refrigerationis noxam vacuare.* Et inferiùs de prima parte balnei rurſus ſcripſit. *Si quis enim balneum ingreſſus non inhorruit, ſed laxata eſt illi, rarefactaque cutis, huic planè neceſſariò prædicta ſuccedent: excrementorum vacuatio æqualis, per totum corpus calor, exiguorum meatuum rarefactio, tenſorum relaxatio, denſatorum fuſio.* Ac vacuatio quidem excrementorum omni febri eſt vtiliſſima, pari modo & rarefactio, & relaxatio. Rarefactio, & relaxatio hecticis idonea eſſe nequit, niſi planè materiam euacuandam, vt cauſam concedamus; fuſio tamen, & calor non item. Sed calor omni febri eſt inimicus, quando refrigerari, non calefieri febrium affectus poſtulat: at fundi æqualiter, id ſolidis quidem animalium partibus non eſt alienum; ſuccis certè non perpetuò eſt vtile, ſed quoties in animali, vel phlegmone quopiam, vel affectus phlegmoni ſimilis conſiſtit, vel vtrauis abundantia, ſiue ea, quæ
B ad vias confert, ſiue ea, quæ ad vaſorum capacitatem, omnium profectò inimiciſſimam, à phlegmone quidem, cum calefacti, & liquati ſucci ad ipſas confluunt, augentur; tunicæ verò vaſorum imparis abundantiæ, quæ iam ex liquatione ſpiritu eſt impleta, diſtenduntur, ac vitea hoc ipſo malè afficiuntur; ergo calidis his, ſiccíſque affectibus, de quibus agebamus, emiſſio mordentium eſt ſalubris; fuſio enim eorum eſt citra periculum; caleſactio tamen noxa non caret; atque hæc quidem ex prima parte balnei his, qui ita laborant, præuenire, modò tempeſtiuè balneo vtantur, memoria teneatis.

C De ſecunda parte balnei breuiter dicit, quòd illa propriè lauacrum appellatur. *Ergo in hac*, inquit, *ſicut ex humectatione iuuantur, ſic ex calore nihil commodi accedet.* Quæ doctrina videtur difficilis, ſi ex calore primæ partis balnei tot commoda retulit; quippe euacuatio excrementorũ, & rarefactio, & laxatio, & ſolidorum æqualis fuſio non minus ab aqua calida, quàm ab aëre calido oriri poſſunt, & mihi videtur ita eſſe dicendum. Eſt tamen intelligendus Galenus, ſuppoſito quòd primam partem balnei nec ingreſſi priùs fuerint, à cuius calore omnem vtilitatem ſuſceperunt, quam ſecunda pars balnei, quatenus calida, erat præſtitura. Vnde ſi in aëre calido non detineantur priùs, iuuabuntur non dubiè à calore lauacri, vt à calore aëris.

D De tertia parte ſic loquitur: *In qua refrigerantur innoxiè, quæ fuerunt excalefacta, & vires firmantur:* ſi quæ verò & rareſacta, & iuſto plus ſunt laxata, ea in naturalem redeunt mediocritatem, id quod quarta pars balnei indicat; quippe quibus omnia rectè ſint adhibita, hi poſt frigidæ vſum adhuc ſudant, & omnia ipſis excrementa vacuantur. Vnde infert ex dictis, quod vacuatur quidquid in corpore vel fuliginoſum, vel fumidum fuit; conſiſtunt autem in naturali ſymmetria, tùm caro ipſa, tùm cutis, ſolidarum partium ariditas corrigitur, & calor non modò is, qui ex lauacro acceſſit, verùm etiam qui priùs fuit ex frigidæ vſu, ſummouetur: quæ omnia experimento vera eſſe Galenus longa oratione probat, concluditque inferiùs, tam neceſſariam eſſe hanc tertiam partem balnei,
E quòd ſine illa reliquæ ſint inutiles. *Iam*, inquit, *qui hectica febricitantes ad balneum accedunt, niſi in frigidam ſint dimiſſi, nihil iuuantur.* Rationem reddit inferiùs dicendo: *In his verò, qui ex caliditate, & ſiccitate febribus hecticis vrgentur, ſolidarum partium affectus candenti ferro eſt ſimilis, quo vtique minus eos in balneis calefeciſſe duntaxat, humectaſſeque contenti eſſe deberent, quippè cùm ſic alimentum, incrementumque febri præbuerimus, imò melius erit, vt miſſis in frigidam extinguamus calorem.* Quibus verbis inſinuat calorem membrorum à cauſa euaporabili non pendere, vt calor diariæ, aut putridæ, & proptereà non iuuari lauacro calido, quia illo calor ſolidorum

non

non moderatur, aut cessat, quoniam potiùs augetur, & per consequens sine balneo frigido hecticos sanari non posse commodè, aut saltem duas primas partes balnei sine tertia irritas esse. Et inferiùs sic loquitur: *In hecticis autem febribus, id quod remedium affert, calida solium non est, sed frigida.* Vnde inferiùs concludendo dicit: *Quicumque hectica febre laborant, atque ex his præcipuè, qui iam marasmode hectica febricitant, modò his nulla alia febris, vel ex sola putredine humorum, vel cum phlegmone sit adiuncta, eos audacter lauabis, sed prorsus citra omnem laborem, ne vires resoluas, quod ipsum cùm noceat vehementer, occasio fit balnei culpandi. Volo ego, inquit, vt æger in balneum super lectulum deportetur, in cuius prima è tribus domo denudetur, ac transferatur in sindonem calentem propter id ipsum paratam; sint autem quatuor, qui hanc teneant, à quoquo fine vnus, ac si quidem prima domus satis sit calida, æger in ea nudatus in secundam portetur: sin tibi frigidior videtur, non nudus, sed coopertus, vel alia sindone minimè frigida, vel tali aliquo inuolucro: esto autem media domus, non tantùm situ media, sed etiam temperie, tantò scilicet prima calidior, quantò est tertia frigidior; in hac domo oleum tepidum esto, quo æger super sindone illatus perfundatur. Hoc facto tertiam ingrediatur domum, ducantque hominem vbi solium est, sic vt per tres balnei domos duntaxat transierit, per quas neque celeri gradu transibunt illi, qui ægrum portant, sed tantisper in prioribus domibus morabuntur, dum in alteram transferantur tantum à lectulo; in media verò dum perfundatur oleo: esto etiam aër cuiusque domus, nec summo calore, neque etiam frigore, sed admodum temperatus, & modicè humidus id fiet, si aqua temperata ex labro sit liberaliter proiecta, sic vt perfluat per omnes domos, in ipsa solij aqua mediocriter moretur, sitque in sindone sustentus, nulla infusione aquæ, cuiusmodi vti solemus in aliis adhibita, imo neque, capiti eius infundi quidquam velim, cùm sit satis id quoque bis, terve, vna cum toto corpore in aquam mergi, demissa mediocriter deorsum, ac sursum per quatuor iuuenes, qui ipsum portant leuata, mox hinc eductus in frigidam æger totus cingetur, ne vel breuissimo quidem spatio illic moratus: porro eum qui portant, tum reliqua omnia curiosè esse edoctos conueniet, tum celeritatem tingendi, non documenti modo, verum etiam præcepti loco præter cætera habere: protinus verò alter paratam habens sindonem ipsi iniiciat, ac deinde aliam, tum in lectulo collocatus primum spongiis detergatur, deinde mollibus linteis, neque committent, qui eum detergent, vt violentiùs eum contrectent, sed quoad fieri potest blandissimè: post hæc vnctum, ac vestibus amictum rursus super lectulo in domum, vbi cibatur, reducent, ac nutrient.* Hactenus Galenus.

Ex quibus deduceris primam partem balnei esse aërem ipsum calidum, vt fundere, & liquare partes possit, & cætera commoda iam dicta præstare. Secunda pars est solium aquæ calidæ. Tertia solium frigidæ. Quarta est locus, vbi corpus & spongiis, & linteis molliter detergitur, & vestitur, à quo loco in domum, in qua nutriendus est, deportatur: per domum oportet intelligere cubiculum. Prima pars balnei resoluit, ac digerit, plusquam humectet. Secunda è contra, plus humectat, quàm resoluit. Quod vobis videbitur difficile, cùm tam calida sit aqua balnei, vt aër: & quamuis talis non esset, quia est in densiori materia, calefaceret plus, & cùm alioqui plus humectet, lauetque cutem, & carnem, efficiet non dubiè resolutionem maiorem, quæ fortasse vera essent, si aquæ corporatura propria non comprimeret poros, & transitum resoluendis excrementis non impediret: quod aër non faciet ob summam tenuitatem, qui cum inspiratione etiam, & pulsu per totum trahitur, intimaque penetrat, & sic totum plus extenuat, & resoluit.

Tertiæ partis balnei commoda doctè satis Galenus retulit. In quarta corpus totum per sudores euacuatur, detergitur, & inungitur, aliquo scilicet vnguento humectante, & temperante. Prima pars balnei dicitur Græcè *Pyriaterium*, & *hypocaustum*. Romanis *calidarium*, siue *sudatorium*, quòd in ipso calidus vapor sudorem mouebat: appellatur etiam *laconicum*, quòd Lacedæmonij hoc aëris genere vtebantur ad coquendas cruditates. Secunda pars *solium calidum* dicitur, & nihil aliud est quàm cisterna, aut piscina, aut vas, aut cuppa, in qua homines considentes lauabantur; vnde & labrum, & lauacrum Latinis, vulgo *tina* vocatur. Tertia pars erat *solium frigidum* ad extinguendum incendium febrile, & roborandum corpus, quod bifariam præstat, & ad bonam temperiem illud reducendo, & occludendo poros, ne vitales spiritus exhalentur. Ad sudandum corpus etiam præparatur in hac parte frigida balnei, vt contingit per bonam valetudinem, quando à loco calido in frigidum subitò transmutamur; statim enim sudore inundamur, quòd frigore illo quidquid in cutem per calorem fuit conuocatum, concrescit, densatur, & in aquam vertitur: quod etiam densitas pororum iuuat, diutius detinendo illud, & ad densitatem non parum conducens. Postrema pars detergendo corpori dicabatur, vt inde sudores emanarent, & citra refrigerij incommodum excrementa euacuarentur. Constat verò illud aliud esse non posse, quàm cubiculum temperatissimum, in quo lectulus ægrotum susciperet, in quo moderatè opertus detergeretur, & sudaret, & postea inunctus, & vestitus in domum reportaretur.

Circa hanc doctrinam Galeni multa sunt digna inquisitione. Primum, quòd videatur esse noxium ingressum per primam partem balnei, eò quòd aër ille nullo modo humectet, vt decet, non solùm propter tenuitatem, & quia partibus corporis non adhæret, vt madefiant, sed etiam præcipuè, quia calore humidam substantiam, & spiritus resoluit, quo nihil perniciosius excogitari potest, præcipuè si sudorem moueat: quod Rasis *cap. proprio de hectica* docet dicendo: *Sudare autem, & aërem attrahere calidum, omni re ei deterior existit.* Vnde & quarta pars balnei, in qua corpus detergitur, & mouentur sudores, pernitiem potiùs quàm commodum afferre videtur. Nec Galenus suis principiis constans est, cùm hecticam febrem à causa independentem constituat, & inanitionem adiunctam semper habeat, & per consequens quæcunque humidæ substantiæ euacuatio, temeraria, & exitiosa videtur, cùm repletione potius mederi teneamur, iuxta aphor. Hippocrat. *Morbos, quos facit inanitio, curat repletio*: neque iuxta Galeni fundamenta sit in hecticis causa aliqua febris, quæ per liquationem, resolutionem, aut sudorem debeat auferri, cùm pendeat à nulla. Vrget etiam doctrinam Galeni, quòd balneum aquæ calidæ, quantum ad calorem, idem præstat, quod aër, & propria humiditate partes siccatas humore imbuit, easque madefacit. Vnde prætterquam quòd videtur prima pars balnei imprimens omninò, non potest negari, quòd à calore aëris, & aquæ postea succedente, non fiat magna spirituum inanitio, & humiditatum resolutio: etsi in secunda parte balnei ex eius calore nihil incommodi hectico accedit, vt Galenus dicit, qui duplex calidum balneum admittit, & vnum alteri immediatè succedens: vnde cùm lauacrum calidæ propter humectationem ineuitabile fit, balneo aëris non egebimus; quin imò si mens Galeni planè intelligatur, duæ primæ partes balnei videntur impertinentes saltem in primo hecticæ gradu: & quandiu siccitas in partibus solida

confirmata non fuerit, constat ex verbis *lib. 10. meth. cap. 20.* quæ sunt: *Ergo illicò eos, qui hectica febricitant, omni ratione refrigeramus, antequam progressi in marasmum peruenerint.* Et inferius sic loquitur: *In hecticis verò febribus id, quod remedium affert, calida solum non est, sed frigida*, &c. Ergo statim à principio hecticæ infrigidatio erit imperanda, quia dispositio, quæ per calorem vtriusque partis balnei inducitur, nociua videtur, & nulla ratione conueniens esse potest, nisi vt poros aperiat, vt melius humiditas, & frigus intromittantur: hoc autem à calore febrili satis efficaciter fit, cùm sit maior, quàm qui per exercitia, & alios modos incalescentiæ aduenire possit, & inde si statim in frigidam introierint, sanabuntur, quippe si auferatur calor febrilis, vt putat Galenus, reuera auferri posse per balnei frigiditatem, melius multò siccitas posteà emendabitur, deficiente calore febrili.

Est etiam magnum dubium contra partem balnei frigidi, non solùm quia à calido balneo in frigidum subitò transferri, nec corpora satis robusta sine molestia ferre possunt, sed etiam quia non videtur, qua ratione per simplicem alterationem tollatur dispositio illa, ratione cuius solida habent calorem in facto; hic enim sine mutatione sublimi, aut in modo substantiæ in solidis nequit induci: frigiditas autem balnei modum substantiæ non mutat, quia neque concoquit, nec modum illum oppositum nostræ naturæ, quo calor hecticus insurgit, corrumpere potest, præsertim si putredine, aut vstione inductus sit, vt in communi opinione debet induci. Et quod vrget Galeni doctrinam est, quòd non fateatur per balnei frigiditatem, ita posse calorem hecticum tenuiti, vt in frigidi, & calidi oppositione post balneum frigidum maneat viuens temperatum, vt eius ætas, & natura requirunt. Constat ex Galen. *lib. 10. Meth. cap. 10. cit.* vbi docet, quòd hectici, nisi in frigidam mittantur, nihil iuuantur. Paulò inferius dicit: *At in hoc metus est, ne corpus in diuersa transferas, ac frigidum reddas*: & respondet: *Quis hoc negat?* Non tamen ob id irremediabilis affectus inducitur, siquidem in quos in extinguenda febre aqua frigida in contrarium affectum transtulit, hos licet in toto, quod consequitur tempore calefaciendo sanare. Si autem cum Galeno fateamur, in contrarium habitum, ac temperiem per balnei frigus permutari posse, constat contra Galenum, omnem hecticam cuiusque gradus sanationis facillimæ fore, cùm certum sit totum calorem febrilem debere auferri priusquam in habitum contrarium mutetur, in quo nullam dubitationem Galenus posuit, quando eos, quos marasmus tortidus occupat, ad marasmum frigidum mutat, vt sic diutius viuere possint; omnis ergo hectica sanabitur facillimè, cùm tam facile sit balneum frigidum applicare, cuius operatio naturalis, & necessaria est; vt si Galeni exemplis stemus, non fit difficilius calorem hecticum corrumpere per balnei frigiditatem, quàm incendium candentis ferri aqua frigida extinguere. Nec videtur ratio particularis, cur calor hecticus tam facilè lato auxilio destruatur, & non calor diariæ febris, aut putridæ, cùm respectu omnium calorum sit par ratio. Patet, quia non habet aliud calor prædictarum febrium, quàm esse in subiecto contra naturam, imò incertior videtur caloris hectici ablatio, quia in opinione Galeni habitualis, & stabilis est, & in subiecto densiori, & per consequens plus propriæ corruptioni resistet; & cùm certum sit, putrida, aut diaria febre oppressos esse corpulentiores, & plus calidi influentis, & naturalis habere, minus multò à frigido balneo lædentur, vt certius & securius auxilium respectu ipsorum, quàm hectici videatur. Neque obstat, si dicas, quòd in putridis datur magna copia fuliginum, quatum

A transpiratio à frigore constipante impeditur, & & inde suffocatio deterior febris conditio eueniet; est etiam in putridis obstructionum cogia, quibus nihil perniciosius quàm balneum frigidum esse potest.

Sed contra est. Primò, quia respectu diariæ non potest adduci ratio commoda, cur non auferatur frigido balneo, deinde cur in putridis non extinguatur calor à causa illum producente, vt in hectica, nam eo semel extincto obstructiones commodiùs auferentur, quoniam calida medicamenta requirunt, quorum vsum febrilis caliditas renuit: & sicut respectu febris ardétis, & colliquantis, dixit Auicenna esse securius, quòd per potum frigidæ in tepidam febrem permutetur, quàm hominem hecticum fieri, aut præ acutie febris prioris perire;

B sic securius multò erit, quòd per balneum frigidum in morbum frigidum, aut tepidiorem febrem mutatio fiat, quàm præ acutie febris præcedentis putridæ animam agere.

CAPVT XIV.

Resolutio quæstionis, & dubitationum.

Sententia nostra est, calorem aëris paruam vtilitatem allaturum, imò plus noxæ, quàm vtilitatis, & per consequens absque methodo, & ratione hecticis imperari. Ratio est, quia plus euacuat, quàm humectat, &

C calore vtilis non est, sed lædit potiùs, vt Galenus docet, quod ratio adducta efficaciter probat; nõ enim humectat, neque madefacere potest membra resiccata. Vnde quidquid moderatè calore præstet, ab aquæ calore æger morabitur, neque sine sensibili resolutione aëre calido, & aqua calida detineri poterit. Experimento animi constat, aërem calefactum ab igne resolutorium, exsiccansque esse, quibus hecticis nocet; quod respiciens Galenus *lib. 7. meth. cap. 6.* dixit: *Nam aërem balnei in his, qui ita sunt affecti, nequaquam desideramus.* Medebatur enim Galenus siccæ distemperiei ventriculi, & totius: constat autem aërem calidum ab hecticis desiderari non posse.

Dico secundò, balneum ex aqua dulci, si temperatum

D ad vnguem sit, quantum ad calorem celebre auxilium est in hecticæ curatione: existimoque calorem illum noxium esse non posse, sed plus commodi, quàm incõmmodi afferre. Ratio est, quia hectici attrahentem vim imbecillimam habent, & vias etiam per quas alimentũ distribuendum est, densatas satis & occlusas; vtrumque autem hoc vitium calor tepidus moderatur, quando humiditati copulatur; humida enim calefacta dilatantur, recluduntur, & capaciora fiunt, vt intra se non solùm plus trahant, sed etiam quæ iam continent, concoquant melius: est enim aqua calida suppuratoria, & concoctoria, confertque non minus voluptuosa quadam sensatione, qua naturam delectat, & vt tota expandatur, ad eius fruitionem facit. Vnde dictis

E rationibus ad tenutriendum, & impinguandum strenuè confert. Hæc est causa, propter quam Galenus 7. *meth. cap. 6.* siccitati ventriculi, & totius marcori aquam calidiorem moderatam vituperat, frigidam etiam. Verba sunt: *Esto autem aqua ad vnguem temperata, cùm quæ frigidior est latenter frigus corpori infirmo insinuat, calidior autem cogat, constringatque meatus tenues, ac denset; ac nos eos, cùm coacti sunt, remitti, laxari, ac dilatari postulamus, quod temperatissima aqua qualitas præstat, vtpote quæ incundissima cùm sit, materiam ad explicandam se, atque dulcedinem, quam præstat, quoquò versùs extendendam prouocat, contraria videlicet ratione his, quæ sunt iniucunda, ab his enim recedit, fugitque ad profundum, quominus mirum est ex offendentium contactu stipari, constringi, ac durari corpora, tenuesque*

eorum

eorum meatus cogi, ac densari, contraque, his scilicet, quæ iucunda sunt, succedere contraria, vtique fundi, ac molliri corpora, dilatarique meatus, &c. Quibus doctissimè Galenus commoditates aquæ ad vnguem temperatæ exponit, & constat, cur aqua calidior iusto poros occludat; id enim non facit, quia calidior, vt agens naturale, nisi quatenus molestè sentitur, cuius molestiam natura fugiens, se ipsam coarctat, vnit, ac densat; bifariam verò id præstat, tum quia per modum fugæ comprimit: sic enim eo modo quo potest, ab obiecto molesto separatur; tum etiam quia contristata natura ab ea molestia retrahit intrò vitalem calorem, & sanguinem, vt in omni alia molestia, ad quorum fugam partes externas comprimi rursus, vt vacuum impleatur, non eget probatione. Vnde & humorem proprium exprimunt, ac per consequens siccantur. Idem incommodum aqua frigida adducit, quatenus molestiam infert, & frigiditate densando. Oblitus ergo sui videtur Galenus, quando *lib.* 10. *meth. cap.* 10. dixit: *In hecticis febribus id, quod remedium affert, calida solummodo non est, sed frigida*, cùm vtilitates balnei temperati tam celebres, manifestæque sint; distributio nimirum alimenti per corpus totum, madefactio membrorum, qua & laxantur, & densitatem amittunt, & tensa etiam relaxari certum est: principium coctionis in eo calore humido includitur, & eius tactus tam mulcebris, voluptuosusque est naturæ, vt tota se explicet, ac dilatet ad eius fruitionem, asperitas partium tollitur, squallor eatundem mitigatur, calor febrilis extinguitur, aut saltem non dubiè remittitur; quòd aqua calida balnei tam calida vt membra non sit, si ad vnguem temperata non sit, vt esse debet, Galenus præcipit. Hecticus enim ad vnguem temperatus, vt neque iuuenis in statu salubri talis diei possit.

Vnde minus acquiesco Galeni doctrinæ putantis, quòd per balnei calorem hecticus calor fomentum nouum suscipiat, id enim est impossibile, cùm necessarium sit remitti, cùm sit aqua balnei ad vnguem temperata hectico frigidior; neque inde deducas, quòd pori sint adstringendi, si hecticus ab aqua infrigidatur; nam laxitas, & apertio non fit à calore partibus insito, qui etsi remittatur, non tamen ita vt corpus à frigore densetur, quoniam potiùs calor ille remissior humiditati balnei adiunctus dilatat magis, quàm intensior siccitati copulatus, præterquam quòd laxatio maior pendet potiùs ex placida illa sensatione, quam natura non eliceret, si calor hecticus intenderetur; in reductione igitur ad naturalem statum voluptuosa illa sensatio fit. Est verò duplex reductio, & quia calor vstiuus remittitur, & siccitas tam violenta destruitur per obiectum tum anodinum, tum mulcebre.

Docent autem Authores, in balneo aquæ tepidæ esse hecticum detinendum, donec corpus illius videatur tumefieri, & turgidius reddi: iam enim alimentum, & sanguinem vsque ad corporis extrema distributa esse significat, quod alimentum, ne resoluatur, in balneum frigidum æger immittendus est; sic enim robur nouum partes comparando, vt contingit per hyemem, cute densata, faciliùs coquitur, & æger impinguatur. Legatur Galenus *lib. de marcore, cap.* 7. vbi absolutè tanquam remedium celebre balneum commendat, & apertè docet, eos, qui ex itinere, aut sole præter modum incalescunt, per balneum apertè infrigidari, & humectari admirabili modo. Quod etiam *cap.* 8. repetit.

De balneo frigido tam rigidè Galenus loquitur, quòd conuenire non cadat sub dubio; omnia enim commoda reliquarum partium balnei irrita, & incassum sine balneo frigido prædicat. Vtilitates verò aquæ frigidæ sunt, quòd non permittat alimentum attractum dissipari, & resolui, quòd vires firmentur, oc-

A clusis poris exterioribus: quia vt in hyeme plus interiùs calor naturalis abundat, & maior vtilitas est, quòd putet Galenus hecticum calorem à frigore balnei posse omninò destrui, ita vt marasmus torridus iam confirmatus merito huius remedij in marasmum frigidum permutetur, & inde diutiùs vitam protelari, cùm citiùs hecticus deficiat; & siccitas illa irremediabilis iam, quia est in solida, cum calore perduret, quia breuius cum calore viuens exsiccatur, quàm si cum frigore consistat, quod opus in hecticis incipientibus audaciùs tentare licet. Et si Galeno, vt decet, credendum est, facillimè hecticus calor adducto remedio destruetur, tùm in marasmo torrido, in quo tam languidus æger existit, & calor tam firmus, eo auxilio

B vsus frigidum marasmum suscitet: & quod plus admirationis continet est, quòd permutationem in contrariam temperiem tam breuissimo tempore fieri credat. Verba sunt *ad finem cap.* 10. *citati. Mox hinc eductus in frigidam semel totus tingatur, ne vel breuissimo spatio illic moratus*: anteà verò *eodem cap.* dixerat, esse hecticum statim transferendum in frigidam; quod non solùm de hectico iam laborante marasmo, sed de omni hectico docuit: non enim iam confirmato marasmo oppressum, sed quemcunque hectica laborantem balneo frigido in contrariam temperiem reducere tentat. *Si igitur*, inquit, *insanabilis solidarum partium siccitas est, tum expeditissima in eam per hecticas febres via patet, melius est hominem in frigidam intemperiem transferre, ac cui curationem deinde adhibeamus, habere, quippe qui id fecerit, is posteà noxam oppugnauerit.* Et paulò

C inferiùs sic loquitur: *Ergo illico eos, qui hectica febricitant, omni ratione refrigeremus, antequam progressi in marasmum peruenerint. Quem autem iam marasmus planè occupauit, hunc sanare ne tentaueris; nam etsi calorem eius extinxeris, attamen siccitas, quæ relinquitur, senectutis ritu hominem conficiet.*

Hæc doctrina Galeni confirmat satis hecticum calorem à tali causa pendere, quæ per alterationem contrariam antiquam formam deperdidit, vt altera de nouo aduenit, cui tantus calor naturaliter debebatur, & per balneum frigidum eam formam corrumpi, & de nouo adquiri, cui frigus illud debeatur, & inde febrem hecticam cessare; neque enim alio modo intelligi potest ea transmutatio in habitum contrarium, & cùm causa caloris præter naturam productiua non

D maneat, manet tamen viuentis forma. Videtur rationi consentaneum, quòd calor hecticus aliam formam diuersam à viuenti habuerit: sic enim docuimus methodum communem febrium putridarum curatiuam exponentes, per potum aquæ frigidæ ardentem febrem in pituitosam mutare: quod etiam Princeps Auicenna docuerat: nec difficile vobis videatur eam transmutationem fieri posse, si ad amussim consideretis, quæ ignis naturam æmulantur, à frigidis, & humidis facillimè extingui, nescit enim ignis aliter quàm cum magno caloris, & siccitatis excessu conseruari, cùm nunquam visus sit ignis infrigidans, aut humectans; sic vsta, & fuliginosa, nisi cum maximo

E calore, & siccitate conseruari non possunt. Facillimè verò tolletur illa magna intensio, sine qua nequeunt conseruari, & per consequens facillimè pereunt, & in frigida mixta abeunt, quæ difficilè accenduntur, & pituitosam, aut lentam febrem efficiunt; & interdum febris omninò cessat, vt in hecticis Galenus putat. Neque est censendum id euenire, si hecticus semel tantùm balneum frigidum ingrediatur, sed pluries est reiterandum auxilium, Galenus vt præcipit, qui non semel, & bis, sed ter etiam eodem die balneum consulit 7. *lib. meth. cap.* 6. Notant tamen Authores, & meritò, quòd in eodem numero vase aqua frigida cum calida paulatim misceatur, donec sensibiliter, citra molestiam tamen magnam, ægro-

tus sentiat se infrigidari, sic enim panlatim assuefit, & alteratur natura: docuit enim Hippocr.a. *lib. aphor. text.* 5 t. quod paulatim fit, totum esse, tum aliis, tum cùm ab altero ad alterum transitus fit. Amatus autem Lusitanus aquam frigidam statim à balnei egressu superspargit. Melius tamen est primum præceptum, quo etiam vitatur incommodum motionis, à qua debilitari solent. Posteà Galenus sudores admittit, vt vidimus, qui in hecticis excitari non possunt, nisi admittamus multa vsta, & fuliginosa febrem construantia, quæ aquæ madore in vapores possint permutari, præsertim si putrida febris complicata concocta iam fuerit; certum tamen debet esse, quòd quando permutare hecticum in habitum frigidum intendimus, paulò plus temporis sit detinendus in frigido balneo, & aqua etiam tantisper frigidior sit, quàm si solùm intendamus cutem constipare, vt alimentum attractum non resoluatur,& calor naturalis detineatur.

Summo mane Galenus balneum imperat, ne in ventriculum, si aliquid sit crudum, distribuatur per vasa. Illud autem diligenter notandum, ne tam inanitus sit æger, quòd loco attrahendi alimentum, fiat eius resolutio; quod timentes Medici recentiores consulunt ante duas horas à balnei ingressu aliquod leue alimentum sumendum esse, vt duo ouorum vitelli, aut ius aliquod, quod fortè insinuauit Galenus *de marcor. cap. vlt.* vbi docuit, non esse imperandum balneum post inediam longiorem. Amatus autem Lusitanus *cent.* 3. *curat.* t. prius propinabat sirupum attemperantem endiuiæ, aut nenuphatis cum decocto hordei, florum vtriusque buglossæ, violarum, nymphræ, fol. rosar. & sebesten, à tribus horis duo oua ex aqua rosacea tremula cum puluere sacchari imperabat, & à duabus horis balneum concedebat.

A balnei egressu lac Galenus tribuit, & vsque ad secundam lauationem quiescere præcipit, vt lac feliciùs coquatur, deinde cocto alimento hecticum pinguiter fricat, hoc est mollitet, quia frictio mollis impinguat, vt docuit Hippocrates; & quia alimentum distribuit, vt balneum absque aliqua insigni resolutione, & calorem naturalem intendit, ac suscitat. Repetitionem autem balnei non permittit eodem die Galenus, nisi post quinque horas à primo, si rerum die lauandus est æger; si autem bis tantum balneum ingressurus est, longius tempus requirit; nullus verò est lauandus est, nisi qui balneis multis per bonam valetudinem fuit assuetus, & summè delectetur, vt Galen.*lib.*7.*meth.cap.*5.docet, cuius magna diligentia notanda satis est, cùm eodem die tres balneationes admittat; est autem balneum non dubiè magnum auxilium, quia totum alterat, & mutat: id autem facit in corporibus aliquibus non robustis, vt occurrat celeriter, ne tabes irremediabilis fiat. Quod præceptum magni certè momenti est, si omnibus malis, quæ in principio leuia solent apparere, magna tamen minantur incommoda, accommodetur: cuius ego diligens obseruator in praxi, & paralysis, & apoplexiæ, & epilepsiæ præludiis sine manifesta occasione apparentibus, non leuibus, sed maioribus auxiliis vires eorum infringo, vt mala grauissima, quæ pollicentur, confirmentur nunquam. Constat verò neque multum debiles, neque alui fluxu laborantes balneandos esse, neque si hecticæ febris putrida implicata fuerit, donec materia putrida concocta sit, vt *lib.de marcore, cap.*7. non semel Galenus hortatur *classe* 3. Aut si inflammatio interna, aut erysipelas simul cum hectica molestet: tales enim, vt Galenus *lib.de marcore, cap.*8.notat, læduntur à balneis, non propter hecticam, sed ob aliarum affectionum complexum. Si autem, inquit Galenus, erysipelatosa quædam affectio adsit, à balneo quidem prorsus abstinendum est: Sed aqua frigida audacter, & agonisticè

A vtendum, quando morbus consistit: agonisticè verò nominat, quando ea & satis frigida, & affatim propinatur; cauenda tamen diligenter est in huius remedij vsu, quidquid Galenus doceat, virtutis constantia; temeritatem enim in hecticis causare non potest aqua agonisticè sumpta, quod & ipsemet notauit, eo quòd partes solidæ munimen non habeant contra violentam alterationem frigiditatis, de quo legatur Galenus *lib.*9. *meth.cap.* 5. vbi noxas inemendabiles, & periculosas recenset, vbi partes internæ sunt debiles, si copiosè frigida bibatur. *Alij namque*, inquit, *gula adeò vehementer fuit affecta, vt vix deglutiret; alij ventriculus sic, vt vix coqueret; alij ipsum ventriculi os, aut iecur, aut colon, aut pulmo, aut septum transuersum,*
B *aut renes, aut vesica, aut tale quidpiam aliud à frigida percussum, ad proprium opus infirmius est redditum. Nonnulli autem illicò difficultate spirandi, & conuulsione, & tremore corripiuntur, aut toto neruoso genere læduntur.* Quod exemplum satis elatè ostendit, quòd intemperies habitualis per simplicem alterationem producatur, cùm à frigore ab aqua producto, cùm aqua in gula non detineatur, nunquam possit natura se reducere. Potest à frigore densari pars, & non recipere alimentum, aut influentem calorem, & sic lædi; densitas verò potest non tolli, etiamsi calida parti applicentur, cùm detur in modis substantiæ determinata contrarietas, quæ per primas non tollit semper ab illa distemperie, quod non videtur naturaliter possibile, nisi quia à frigore illo excrementa aliqua, aut
C humores in aliam formam mutentur, cui illud frigus intensius debeat, & propterea non possit se reducere. Eodemque modo putandum est contingere, quando hecticus in frigidum marcorem permutatur per balnei frigiditatem, generari nempe excrementa frigida de nouo, quæ calorem corrumpant, aut (vt insinuaui anteà) vsta, & squalida propriam formam deperdere, quia sub remisso illo calore non poterunt conseruari; & sic in entia alia frigiditatem per nouam formam petentia mutantur, vt ligna ardentia per aquæ inspersionem in carbones, qui posteà si igni applicentur, flammam difficulter satis concipiunt.

A balnei egressu præcipit Galenus 7. *meth. cap* 6. quòd aliquo oleo corpus vngatur, vt occlusis spi-
D ramentis detineatur alimentum, quod balnei caliditate fuit allectum. Primas tenet oleum violaceum; est enim ad humectandum, & attemperandum vstam mirabile. Præcipuè autem hoc auxilio egemus, si in frigidum balneum æger immitti non possit. Videntur tamen contraria hæc duo auxilia, quia per balneum frigidum non solùm cutis densatur, sed alimentum attractum repellitur: vnde nullatenus potest conuenire, si vtile est oleum illinire, vt alimentum attractum in corporis ambitu maneat. Verumtamen cùm Galenus præcipiat à balneo frigido corpus detergere, & leuiter sudare, constat adductam repulsionem alimenti impediti: 7. autem *lib. meth.* cùm soli siccæ distemperiei mederetur, balneum frigidum non imperat, sed à calido corpus inungit. Nec me latet 6. *lib. de*
E *tuenda sanit. cap.* 8. balneum frigidum commendare tanquam auxilium strenuum pro auferenda macie corporis. Est etiam vtilissimum oleum nenuphar. de cucurbita, aut rosaceum, ex quibus vnguentum vtile sic parat Amatus.

Recipe olei nenuphar. violacei, & cucurbitæ ana ℥.j. butyri recentis sine sale ℥. s.ß. cum cera alba fiat vnguentum molle, quo vniuersa membra inungantur, cuius loco vnguentum violaceum, rosaceum, nenupharinum, resumptiuum, aut vnguentum de lacte accommodare possumus. Est etiam vtile, quod Sennertus parat hoc modo. Recipe mucilaginis, seminis psillij, cidoneorum, aquæ violarum extractæ ana ℥. j. olei viol. & lactis mulieris, ana ℥. vj. butyri recentis

centis ſine ſale, & aquæ violar. loti ℥. ß. camphoræ ℈. ß. ceræ quod ſufficiat ad linimentum pro toto dorſo: ſic de ventriculi firmitudine, & iecoris robore, cordiſque attemperatione maxima ſolicitudo eſſe debet, quorum auxiliorum materia communiſſima eſt: nunquam tamen à balneo ſtatim dormire licet, antequam alimentum ſumatur, quoniam corpus vehementer reſoluit ſomnus à balneo, & ſiccat, vt 14. *Meth. cap.* 15. *& 6. lib. de tuend. ſanit.* Galenus docet: Quinimò etſi alimentum ſtatim à balneo concedatur, non licet ſtatim dormire, quia cùm alimentum ad ambitum corporis attractum ſit, retrocederet illicò ratione ſomni, quia, vt dixit Hippocr. ſanguis in ſomno intrò magis fugit. Eſt etiam celebre auxilium totam ſpinam irrigare lacte fœmineo à viſceribus immediatè calente; quod remedium ante balnei ingreſſum multi etiam imperant, poteſtque commodiſſimè per diem ſæpiùs reiterari.

Potiones etiam ex ſyrupis, & aquis paratæ ad attemperationem, & humectationem vtiles ſunt, vt ex ſyrupo violaceo, borraginis, ſcariolæ, portulacæ, nenupharis, endiuiæ, & granatorum dulcium cum aquis inſtillatitiis eorundem ſimplicium; neque ſirupus acetoſus ſimplex, neque oxiſacchara mihi probantur, quòd multum aceti participent, hecticis inimiciſſimum, quia ſiccat potenter, & etiam adſtringit; quos Brudetonius commendans planè errauit: qui Author gradui ſecundo hecticæ medendo ſic loquitur: *Secundus huius gradus ſcopus verſabitur in humorum efficientium alteratione, & blanda euacuatione per clyſteres, & potiones facta; nam cauſa*, inquit, *efficiente ſublata, tollitur quoque eius effectus.* Quibus clare hecticam à cauſa pendentem admittit, de qua per totum caput de hectica mentionem non fecerat.

CAPVT XV.

De aliis auxiliis pro hecticæ curatione neceſſariis.

SEcutius eſt, ſi peccatum aliquod in excrementorum alui depoſitione admittendum eſt, quod in retentione admittatur; eſt enim rationabilius, quoniam hectici plurimum occultè colliquantur, ſicciores ſunt, & acri calore nimium humorem abſumunt, viæ occluduntur, & alui excrementa exſucca eo ipſo ſunt, & minus lubrica, & inde tardius deſcendunt: econtra autem eſt hecticis omninò diſſonum, quòd aluus laxior ſit, & cùm alui fluxio ſit illis tam exitialis, omnis via ad illam pertimeſcenda eſt, & ſtatim præcaueri debet; exercitium admittitur nullum, quia calefacit, ſiccat, & effœminat, ob quod in ſiodone ad balneum portandos eſſe Galenus docet. Somnus à balneo, vt anteà docui, ſi prius non ſumatur alimentum aliquod, pernitioſus, quia valdè reſoluit, & ſiccat; ſi autem prius alimentum ſumatur, vtilis eſt, quia & felicior ſit coctio, & ſemper humectat. Dixit enim Galenus *lib.* 4. *de tuenda ſanit. cap.* 4. nihil eſſe, quod æquè concoquat ea, quæ concoqui poſſunt, & malos ſuccos per halitum digerat, vt ſomnus à balneo: vnde ſi praui ſucci non ſint, neceſſe eſt, quòd ſubſtantiæ vtilis multum reſoluat. Eſt ergo à cibo dormiendum, non tamen ſtatim, quoniam caput grauat, vt Galenus docuit; craſſior enim eſt, & copioſior euaporatio ſtatim à cibo, quàm reſolui à capite poſſit. Ego autem, ſi vigiliis æger infeſtetur, ſtatim à cibo ſomnum impero; eſtque magnum auxilium, quo ſolo multis peruigilibus ſuccurri: ſomnum autem ſemper humectare pluribus locis Galenus docuit, vt 2. *lib. de vict. ration. in fine. Vigilia*, inquit, *per halitum digerere,*

A *& ſiccare, non qua imo ſunt, coquere, nata eſt; ſomnus verè humectare, ſpiritumque, & effluuia cohibere*: & *6. epidem, comment. 4. text.* 17. ſic ſcripſit: *Semper enim ſomnus humectat, vigilia ſemper exſiccat; non tamen ſemper calefacere, aut refrigerare aptus eſt*, &c. Vnde conſtat, quàm pernitioſa hecticis ſit vigilia, & econtrà iuuari multum longiori, ſed tempeſtiuo ſomno, quia validè humectat quiete, & proſpera ciborum coctione. Vnde 7. *Meth. cap.* 6. Galenus dixit: *Siccat namque totum corporis habitum vigilia, eò quòd infeſtiſſima eſt iis, qui ex ſiccitate laborant.*

Sic aër frigidus, & humidus confert, & arte ſemper talis parandus; frigidior verò à Galeno conſideratur, quando cor, aut pulmo primariò afficiuntur, B quia ab aëre inſpirato imminente alterantur, vt ventriculo, & iecori alimentis potiùs ſuccurrimus; ſi autem aluus auxiliis ſolicitanda ſit, vt excrementa deponat, humectantia, & pinguia conueniunt cum moderatiſſimo calore: frigida enim aluum ſuo modo indurant, & torpidam reddunt, vt ſi paretur clyſter ex iure pingui cum oleo violaceo, & amygdal. dulcium, floribus camemali, & meliloti, cum oui vitello, & ſacchato; confert enim non tantùm excrementorum expulſioni, ſed etiam & nutritioni; clyſteres autem acres, & ſalſi tanquam venenum fugiendi. Confert etiam medulla caſiæ fiſtulæ, & aliquando manna ſelectiſſima cum iure propinatur, præcipuè quando ventriculus probè non coquit; caro etiam prunorum in menſæ principio commodè datur, ſuntque alia C quamplurima aluum lenientia. Potus ſit aqua puriſſima, & dulciſſima, cum hordeo excorticato decocta, aut cum ſacchato, aut radice recenti liquiritiæ. Vinum autem ſolùm conceditur gratia vitium, quod vulgò, *Aloque*, dicitur, aut album non vinoſum. Galenus enim *lib. de marcore, cap.* 8. ad inſuauitatem lactucarum moderandam acetum permittit; & notat, quòd omnia vinoſæ qualitatis ſit expers: videturque mihi commodus potus ex aquis inſtillatitiis borraginis, bugloſſæ, endiuiæ, ſonchi, violarum, neuupharis, fragorum, lactucæ, & cucurbitæ, ſi tædio non bibantur, & nimis æſtuet, tabiduſque ſit æger; habent enim duo vtiliſſima, & quòd maximè penetrent, & quòd cum attemperatione nonnihil etiam nutriens D recipiunt à ſimplicibus, ex quibus fuerunt extractæ.

Lectulus ſuauiſſimus, molliſque paretur, quia etiam humectat, durus verò ſiccat, quia & compreſſione partes alimento deſtituuntur, quia non trahitur, & quod anteà in illis erat, exprimitur; confertque ad concoctionem lectulus mollis ob rationem contrariam; imbibitur enim calidum effluuium, quòd totum corpus circundans coctioni auxiliatur, quo molli lectulo præcipuè indigent hectici, quia excarnes cùm ſint, in lectulo duro plus dolent.

Eſtque circa hoc notandum auxilium Mercati, qui, ſi calor hecticus plurimum vrgeat, præſtantiſſimum dicit eſſe dormire laborantes ſupra vtres aqua plenos. *Poteſt*, inquit, *ex duobus idoneum parari ſtra-* E *tum, aqua modicè calida exiſtente*: quo auxilio leuatum fuiſſe quendam illuſtriſſimum Mæcenatem hiſtoria ſuſcipit. Quod auxilium mihi videtur ridiculum, tum quia ſatis incommodum quieti ægrotantis; quippè ſi vtres ſint omninò pleni, erunt nimis tenſi, ac duri, & per conſequens ſatis implacidi, atque moleſti, & cum ſumma inæqualitate, vt corpus aptè & commodè applicetur, & quieſcat: ſi autem ſemipleni, vt ſuauius æger iaceat, inconſtans, & mobilis erit decubitus, & inæqualis ob inundationem; neque aliqua vtilis humectatio ex tali decubitu ſperanda eſt, cùm ſit ferè impoſſibile, quòd aquæ humiditas ſiccitatem, & naturam terream corij vincere poſſit, & corpus inde humectare, quia actiua non eſt, vt multi putant, quod

quod ego falsum existimo, aut si operatur, est tam remissa, & tarda, vt siccitatem medij nequeat superare.

Rursus aut hecticus est ipsis vtribus immediatus, aut non; si hoc secundum dicas, est auxilium vt dixi, ridiculum, quia nullam alterationem suscipiet; si autem sit immediatus, cubabit periculosè, & molestè: periculosè quidem, quia aut calefit ab aqua, aut infrigidatur; si calefit, alteratur perniciosè, quia febris augetur, & nimiè corpus resoluitur: si infrigidatur, periclitatur non minus, quia nullam ex dictis alterationibus toto tempore ad somnum requisito absque manifesta læsione sustinebit, cùm in balneo frigido nisi breuissimo tempore ob inemendabilem noxam à Galeno hecticus admittatur. In calido autem balneo nullam vtilitatem Galenus inuenit, sed vt antea dixi, febris augmentum, ex qua ratione immediatus decubitus supra rem tam duram, & in corpore tabido, & excarnl placidius esse poterat; neque aqua à qua alterandus est æger, in eadem temperie, aut debita tanto tempore manere poterit, cùm semper se reducat: neque dubium esse potest, quòd vbi calor hecticus ita vrget, vt Mercatus supponit, sit opus iam frigido balneo, vt Galenus præcipit, vt ad frigidum marcorem permutetur hecticus. Non me latet id præcepisse Auicennam *fen. 4. tract. 3. c. 4.* dicendo: *Aut sit stratus de coriis, quæ iam sunt impleta aqua, postquam sint super ea rectificationes, quæ applanent aquam benè, & probibeant eius inæqualitatem.* Quam doctrinam nullo adducto dubio Iacobus recepit, Gentilis verò sine expositione reliquit: est tamen meo iudicio auxilium periculo plenum ob dicta, & quia balnei humectatio madefactione potiùs, quàm alteratione expetitur.

Tandem habenda est magna ptouidentia, & inquisitio de parte primariò affecta, vt Galenus *lib. de marcore* dicebat; est autem ea pars, quæ præ reliquis æstuat, & est veluti hecticæ focus, supra quam frigida actu & potentia Galenus applicat, quoniam velut erysipelacea passione, & magno incendio laborat. Erat autem Galen. probatum auxilium ad extinguendum eius incendium, auxilium quod sequitur. Vuarum immaturatum succus exprimitur, & simul cum portulacis in pilam inicitur, postea conclusus in vas exprimitur, vasque illud in frigidam aquam immergitur, quæ si niuis aliquid habuerit, præstantior reddetur, modicum autem albæ farinæ, vbi eo vti volumus, immiscemus, deinde in duplicatum linteolum infundentes, extrinsecus super hypochondria extendimus, neque diu illic morari sinimus, sed vbi tepidum euaserit, illud abiicimus, & alterum simill modo imponimus, & hoc subinde agimus, quousque æger se in profundo refrigerari, & siti liberari persentiat. Miscemus etiam aliquando oleum omphacinum, vel rosaceum, vbi præcipuè nonnihil phlegmonosi in hypochondriis constiterit. Per albam farinam nonnisi hordeaceam intelligite, quæ & attemperans, & extergens, & nonnihil resolutorij participans erysipelaceis affectibus Internis, eorumdemque incendio prosperè auxiliatur. Guaynerius iecori æstuanti frustulum cucurbitæ applicat, mirè enim attemperat, & humectat; sed quia nil adstringens participat, rosarum puluis miscebitur, etsi vetum sit, quòd siccæ distemperiei adstringentium vsus noxius esse soleat, & partes siccæ præter naturam densatæ, etiam præter naturam putentur. Verùm hîc notandum, quòd substantiæ nostræ nimia resolutio non potest dari sine distantia partium inter se, per quam exhalantur spiritus, & sic vniri postulant moderata adstrictione.

CAPVT XVI.

De his, in quibus Methodus nostra à Galeni Methodo discrepet.

Remedia hactenus relata iuxta Galeni methodum adducta fuere, ea verò solùm respiciunt hectici caloris attemperationem, & marcoris instaurationem; à causa enim hecticæ nullam indicationem desumpsit Galenus, quia hecticum calorem à nulla pendere putauit. Quia verò hæc Galeni opinio tantis difficultatibus, & in Philosophia satis difficilibus implicata percipitur, opinio autem nostra, quæ aliquorum iam est, & anteà fuit, nihil de Galeni doctrina auferens, nouam indicationem, eamque salubrem à causa desumendam inuenit, quæ & probabilissima, & necessaria ferè semper conspicitur, sine cuius ablatione caloris hectici, & tabis curatio frustra suscipitur, vt in phthisi & suppuratione euidenti experimento probatur; breuiter dicemus, quod in nostra methodo obseruandum venit.

Est autem additum Galeni methodo, quod datur semper causa aliqua hectici caloris, quæ, si morbus auferendus est, petit priùs tolli. Est autem frequentissima causa, vt diximus, illa dispositio cancrosa in foco febrium ardentium derelicta, aut in loca erysipelaceum, aut inflammatorium affectum priùs expertis, quarum affectionum feruor repressus iam est: manet tamen vstum aliquid, & terreum, acerrimum tamen, & tenaciter hærens, quod vniformem febrem suo modo causat, & sensim marcore conficit: quod malum si non tollatur, immedicabilis affectio redditur, cui passioni, quæ refrigerant, nimis perniciosa sunt, quia terreum illud concrescit, tophaceúmque magis fit. Conueniunt ergo quæ moderato calore humiditatem pinguem, & oleosam sortiuntur: sic enim quod vstum est, attemperatur, & durum emollitur, commodiorque humor, vt resoluatur, redditur: miscenda posteà sunt, quæ partium tenuitate tophaceum illud diuidere possint, vt sic paulatim resolui, & in partes minimas diuidi possit, quo facto expellens facultas, quod diuisum fuerit, faciliùs pellet, & calor natiuus, quod est emollitum, euaporabit faciliùs extenuando: vnde si locus affectus sit iecur, aut ventriculus, aut lien, aut meseteum, & renes, aut septum transuersum, siue quæuis alia pars, quæ ab externis auxiliis vtilitatem suscipere possit, fouebitur pars affecta sæpiùs eodem die, quoniam passio est tenuissima, & inungetur: hisque, vt dixi, leui calore, & oleosa, pinguique humiditate durum illud emolliant, & posteà addentur efficacius resoluentia, & desiccantia, sicque mixtim, aut per interualla auxiliabimur, sumendo semper à parte læsa indicationem tum ratione officij, tum etiam ratione proprietatis. Docent enim Medici esse certa medicamenta huic parti magis quàm alij opitulantia, etiamsi simili passione laborent.

Materia præsidiorum facilis est, cùm à medela schirrhosæ dispositionis, aut cancri incipientis non discrepet; in quibus hoc discrimen maximè notandum, quòd affectio cancrosa cùm habeat calorem illum tam acrem, & vrentem, refrigerari aliquando intensè postulat, donec in frigidiorem succum permutetur, alioqui pars exeditur, & irremediabilis affectio fit, cùm desperata omninò sit ex propria conditione ob succi prauitatem, & efferatam naturam: quod præcipuè exequendum est auxiliis extrinsecus applicitis, vt Galenus anteà nos docuit. Quæ verò intetius sumuntur, minus frigida, quoniam plures partes offendunt,

dunt, & calorem vitalem extinguunt, cuius in ita affectis semper penuria datur. Præstat tamen ius pulli pinguis infarcti emollientibus, deobstruentibus, & attemperantibus, eò quòd cancrosa passio calida simul, & mordax, crassa, indurataque est, vt si venter pulli repleatur radicibus graminis, rumicis, condrillæ endiuiæ, borraginis, & buglossæ, cum foliis tenuioribus borraginis, & lupulorum, hordeo excorticato, et radicibus fragariæ, foliis etiam maluarum tenuioribus, passulis etiam corinthiacis, floribus vtriusque buglossæ, & foliis petroselini, quibus minutim incisis venter totus auis repleatur, suatur, coquaturque lento igni ad ossium separationem; iuris autem colati sumentur summo mane ℥. v. aut vj. cum pauco succo limonis, concoquit enim, deobstruit, emollit, & desiccat crassos humores; qua præparatione facta per aliquos dies addenda sunt, quæ leuiter atrabilarios, & melancholicos humores educant, vt polipodium, folia senæ, & epithimi flores, vt sensim bilis atra educatur, quæ in locis obstructis hæret absque aliqua in loca obstructa attractione: pthisana etiam eisdem rebus parata optimè dabitur: verùm ius allatum magis emollit, & concoquit induratam materiam. Clysteres etiam ex iure pingui cum oleo violaceo, amygdalarum dulcium, & camemali cum butyro recenti maximè conferunt. Commodiùs parantur ex capite arietis cum reliquis iam dictis, & sacchato. Vsus tamen lactis in hac passione suspectus est, quia difficillimè distribuitur ob compressionem viarum à tumore illo, à cuius incendio etiam corrumpi solet, cui corruptioni detentio ipsa maximè confert. Si autem aliquod genus lactis concedi potest, erit asininum, quia magis penetrat, estque difficilioris corruptionis, habétque hoc insigne, quòd præter attenuatus iam succos, & emollitos, educere blandissimè potest. Balneum etiam aquæ dulcis non est in hac affectione multi vsus, quia internæ affectioni parum commodum est, neque enim ita calefacit, vt indurata internè resoluere possit, neque tempore idoneo in balneo æger detinetur, vt humiditate, quæ parum actiua est, emollire possit, siccitatem tamen moderari, & alimentum distribuere negari non potest: vnde cùm nullam sensibilem læsionem tumori inducat, & alioqui dictas vtilitates præstet, non est præter rationem eius vsus, quia nimis tabidus, & siccus æger percipitur, sed nihilominus intentio tota esse debet circa ablationem duri, & cancrosi tumoris, præcauendo omni ingenio, ne siccitas consummata fiat, quia inemendabilis est.

Post emollitionem autem illius tumoris, si partem internam obsideat, in qua scarificatio fieri possit, cucurbitula cum profundioribus scarificationibus affigitur: est enim auxilium celebre & potentissimum, præcipuè, si eodem die rursus multa flamma supra vlcuscula de nouo applicentur, extrahitur enim in hac secunda appositione, quod schirrhosum, & in aluo corruptum existit, ob quod oleo cum salis tantillo scarificationes vngendæ, & antequam secundæ cucurbitæ applicatio fiat, non occludantur. Deinde autem discutientia cum emollientibus applicanda, & interius sumentur, quæ eodem modo cum attemperatione attenuent, & desiccent humorem illum terrenum, simúlque emolliant, & in his auxiliis, donec tumor ille auferatur, persistendum est. Hippocrat. autem 4. *de vict. acut. text.* 49. lini semine hypochondrium illinit, cauendo, ne frigescat, sed tepidum ex oleo, & aqua coctum apponatur. Quod emollire indurata viscera absque manifesta calefactione in expositione Galenus dicit: *Sicut & olei, & aqua mixtura madet, irrigat, & tepidam caliditatem generat, quibus egent omnia, quæ maturantur, & per halitum digeruntur.*

Hecticæ totis putredini auxilia, Galenus requirit, A balnea nimirum, quibus quod putridum, vstumque est, resoluatur: balneum autem frigidum in vsu non est; extreme autem auxiliantur frictiones, & inunctiones, quibus partim resoluatur putridum, & partim nouum alimentum adiiciatur: his sudores & balneum aquæ calidæ vtiles sunt, & magni momenti, si sint moderati: non licet tamen ignorare, quòd si ros verè corrumpatur ob superfluam humiditatem, vt in gallico morbo affectis euenire solet, fit magni momenti decoctum radicis chinæ, si sit recentissima; siccat enim, & leuiter resoluit illud mucidum, & putrilaginosum, & sic ex accidenti impinguat; quod etiam præstat succulentibus quibusdam partibus, quibus radix recens ornatur, quæ per vetustatem deperdit, vt siccius quam conueniat medicamentum B reddatur; sit autem decoctum, quod simplex appellamus, & radix, vt dixi, recentissima; ratum est, laborantes hoc morbo non emittere per occultam transpirationem excrementa fœtidissima, & quamuis extenuari conspiciantur, durities tamen, & asperitas in carnibus, cute, & membris non proportionantur extenuationi, quoniam humiditas totis putrilaginosi, & mucidi, emanationem siccitatis retardat, quo præcipuè signo ita affecti distinguuntur, & si aliqui sudores erumpant, fœtidi erunt ob eandem rationem. Frictiones in istis partim resolutoriæ, & siccatoriæ, partim verò renutrientes, & impinguantes imperandæ sunt, fientque temporibus diuersis; præcedent verò semper resolutoriæ, à quibus alimentum C propinabitur, post cuius commotionem nutrientes frictiones conueniunt; est enim indicatio à causa resolutionem petens, & ab extenuatione noua alimenti, & substantiæ repositio indicatur.

Si autem ex nimio vsu alimenti biliosi malum eueniat, cuius occasione carnes calidiores, & sicciores, acerrimæque, & calidæ fuligines suscitentur, à quibus & febris fiat, vt antea notauimus, absque alio aliquo interno vitio; methodus curatiua Galeni admirabilis est, & huic causæ promptissimè adaptatur; quia nihil aliud indicatur, nisi assidua partium reparatio ex humidiori, & frigidiori alimento. Quod longissimo tempore exequendum est, quoniam totius transmutatio in aliam temperiem per nutritionem D assiduam celebranda est; balneum tamen aëris est perniciosum, sicut & aquæ tepidæ & postea frigidiusculæ optimum & celebre. Viscera etiam ex propria natura calidiora in hac occasione patiuntur, præcipuè vt cor, & iecur, quæ attemperanda frigidis, & humidis assiduè sunt, cauendo semper diligenter lapsum contrarium, aut caloris vitalis extinctionem; requirit tamen hæc causa alimenti maiorem copiam, quia corpus excrementis vacat, & coctrix constare potest, totúmque corpus sub hac passione vehementer resoluitur ob biliosam infectionem carnium, & sanguinis, succorumque nimiam tenuitatem.

Densitati viscerum, & aliorum membrorum eisdem Galeni auxiliis occurritur, si frigidum balneum E excipias, eritque vtilissimum in balneum aquæ tepidæ simpliciter nimis humectantia, & moderatè calefacentia iniicere, vt flores, & folia maluarum, violariæ, & eiusdem flores, cum camemalinis, nymphea, & floribus vtriusque buglossæ, eiusdemque radicibus, aut oleum amygdalarum dulcium, aut violaceum recens, aut oleum commune dulcissimum, vt Galen. docet 3. *lib. de simpl. med. facult. cap.* 25. qui Author adstringentia etiam leuiter admittit in balneo, vt intrò humiditas magis repellatur, quod addnxit *cap.* 16. *eiusdem libri.* Verùm calor tepidus balnei satis efficaciter intrò virtutem simplicium communicat: frictiones mollissimæ conueniunt, sed præ cæteris auxiliis balneum ex lacte tepido auxiliatur, aut

postquam

postquam in balneo aquæ tepidæ aliquo tempore immoratus hecticus, vt iam corporis viæ reclusæ satis sint, lac tepidum in aqua balnei iniicietur, sic enim exsiccata, & indurata membra optimè emolliuntur, estque tenutritorium, quod trahitur ratione lactis in quem camemali flores recentes in copia idonea iniicientur, emolliunt enim, & moderatè extenuant, laxantque suo moderato, tepidoque calore: totum etiam corpus emollientibus vngendum, vt oleo amygdalino dulci, camemalino, violaceo, & anethino, quibus indurata emolliuntur, & densata laxantur. Neque contemnenda tabidorum membrorum inunctio cum butyro recenti, aut sæpiùs aqua rosacea, & maluarum succo. Iecur verò & ventriculus semper roborantibus idoneis fouenda; & si aliquæ obstructiones, aut durities in eis conspiciantur, appropriatis auxiliis exstirpanda sunt vitia illa; est autem in Authoribus auxiliorum magna sylua: tandemque semper memoriæ mandanda in omni hectico inquisitio diligens visceris alicuius malè affecti, cùm sit ferè impossibile non dari aliquod, à cuius morbo, claraque dispositione hecticus calor originem non trahat, ob cuius vitij, & visceris ignorationem immedicabiles ferè semper sunt hecticæ febres.

TRACTATVS

D. PETRI MICHAELIS

DE HEREDIA

DOCTOR. MEDICI,

DE FEBRIBVS

Syntagmátis Vniuerſalis:

PARS ALTERA.

TRACTATVS
DE NATVRA, PRÆSAGIIS, Differentiis, Signis, & Curatione Febrium Colliquantium.

PROOEMIVM.

GALENVS *lib.* 10. *Meth. cap. vlt.* eisdem methodis Colliquantibus febribus, & Hecticis succurrendum esse docet, nullibi tamen idoneam earum tractationem, neque adæquatam curationem addoxit, cùm sit frequentissima harum febrium inuasio, & semper cum magoo periculo vitæ, aut permutationis in hecticam obsideant: propter quod libentissimè in omnium commodum præsentem laborem suscepi, & eo ipso quòd nullus ferè essentiam ipsarum, signa, prælagia, & curationem ad vnguem exposuerit, & vt tantum argumentum requirit.

CAPVT I.

Natura febrium colliquantium exponitur.

FEBRES colliquantes dicuntur tales ob symptoma sibi annexum, in his scilicet, quæ contra naturam excernuntur; quas febres Horatius Augenius definiens *lib.* 8. *de febrib. c.*12. scripsit: *Colliquatiuæ febres generatim sunt, in quibus solidarum alimentum aut sensibiliter liquatur, aut insensibiliter dissoluitur.* Quæ definitio mihi non probatur, quia diminuta; quippe per febres colliquantes oon tantùm alimentum partium solidarum, sed omoium absumitur, quinimò & partes ipsæ viuentes aliquando liquantur, vt est apud omnes publicum, & Galenus retulit *cap. vlt. lib* 10. *Meth.* Melius enim definietur febris colliquans, si dicamus, *esse calorem substantiæ corporî vtilem, breuiter & copiosè dissoluentem.* Sic enim commodiùs eius natura explicatur, & ab omni alia febre, quæ colliquans non sit, distinguitur: potissimum verò discriminatur per illam particulam, *breuiter, & copiosè*; nulla enim febris datur, quæ aliquo modo substantiam nostram, aut vtiles humiditates non depopuletur: nam si dogma sempiternæ passionis est ineuitabile, ob caliditatem in nobis naturaliter inuentam, & hanc caliditatem multis numeris febrilis caliditas excedit, clarum est, resolutionem vtilis substantiæ quamcunque febrem comitari; non enim æger colliquatus propriè dicitur, quando febre nimis diuturna tabescit, sed ille solùm, qui breuiter, & multum dissoluitur. Meritò ergo dixi in definitione esse colliquandam vtilem substantiam, quia inutilis, etsi liquetur, nullam infert læsionem, & vt omnes vtiles humiditates, primas, & secundas, & partes viuentes etiam comprehenderemus, sitque definitio adæquata.

Notabitis tamen, non omnes partes à calore febrili
A liquari posse, vt Galenus *loco iam citato* docuit, dicendo: *Nec fas est huiusmodi singularum partium fibras a malignis febribus liquari, sicuti carnes, quando animal ipsum, priusquam hæ prorsus sint siccatæ, interemerint.* Quibus clarè insinuat colliquationem serpere solùm per carnosum genus, non solùm per illud intelligendo carnem propriè dictam, & musculis solis dicatam, sed omnem aliam carnem cuicumque parti propriam. Docet enim *eodem cap.* Galen. cuicumque parti suam carnem deberi ab aliis distinctam, vt iam *tract. de hectica* retulimus: alia enim caro neruis, quam venis debetur, alia renibus, alia pulmonibus, & quodlibet tandem viscus per propriam carnem ab alio discriminatur. De colliquatione verò iecoris meminit Galenus *lib.* 8. *de comp pharmac. sec. loc. cap.*6. dicendo: *Calida igitur intemperie circa viscus existente colliquationes fiunt.* Primùm humorum, deinde carnis ipsius hepatis, & euacuatur per
B ventrem bilis crassa, graueolens, & abundè colorata, vt in pestilentibus febribus contingit.

Liquantur ergo in nobis humores primi, deinde secundæ humiditates, deinde caro crescens cum pinguedine, deinde antiqua caro cuiusvis partis fit, fibrosum verò genus cartilagineum, osseum, neruosum vt febrem colliquantem nunquam constituit, quoniam etsi à calore aliquid earum partium dissipetur, lentè tamen fit, & tardissimè ob naturam compactam resolutioni, & liquationi breui resistentem, quod est necessarium, vt colliquans febris dicatur; cerebrum etiam per morbos liquari, Galenus fatetur *lib.* 6. *de vulgaribus morbis, comment.* 5. *text.* 19. in quo sic scripsit: *Hominibus aurium sordes dulces quidem mortiferæ, amara autem non.* Exponendo autem Galenus, cur dulcia mortifera sit, dixit: *Clarum est enim non alio tempore aurium sordem fieri dulcem posse, quam quo cerebrum ægrotat; naturaliter enim amara videtur, atque adeò ipsam dulcem li-*

quescente cerebro fieri dicunt. Eodem modo Vallesius noster adductam sententiam exposuit, dummodo sordes aurium, quæ naturaliter amaræ sunt, ob permixtum sanguinem dulces non fiant, id enim sine certo exitio euenire poterit; cerebro tamen liquato certa pernicies est; videtur tamen in Galeni doctrina manifesta contradictio circa cerebri liquefactionem, cùm eam videatur planè negare *lib 1. de temp. cap. vlt.* dicendo: *At cerebrum calefactum minimè liquatur, eoque adipe minus est humidum.* Et certè in externis ita apparet, quòd cerebrum minimè liquetur, quod fortassè Galenus respiciens, non ita ex propria sententia, quàm ex aliena loquutus videtur *6. de vulgar. morb.* quod vltimis verbis indicauit. *Atque adeò,* inquit, *ipsam dulcem liquescente cerebro fieri dicunt.* Tenebatur autem aliam rationem præsagij, si adductam non putabat probabilem, reddere, quod tamen non fecit.

CAPVT II.

De differentiis febrium colliquantium.

FEbres colliquantes quædam sensibilem liquationem efficiunt; aliæ verò insensibilem, non quidem ex parte signorum, sed ex parte substantiæ colliquatæ: febris enim, quæ occultè colliquat, dicitur talis, quia quod colliquatur, sensibus non percipitur, in alia autem maximè. Si autem inquiratis rationem discriminis, respondeo, quòd insensibilis colliquatio, etsi requirat calorem idoneum, vt fiat, sicut reliqui effectus, præcipuè tamen succedit ob rei colliquatæ dispositionem; est autem dispositio, quæ illam, vt in fuliginem vertatur, aptissimam reddit, & per consequens materia debet esse siccior absque lentore, & pinguedine alicuius momenti; lenta enim, & pinguia ne in minimas partes diuidantur, resistunt, & inde per poros occultè discuti nequeunt. Requiritur etiam certa quantitas rei colliquandæ, vt sensibilis colliquatio fiat. Conducit etiam nimis ad insensibilem colliquationem rara corporis textura, ne ob densitatem, quod liquatur, circa cutem detentum in sudorem mutetur, aut per aluum, aut lotium deiiciatur. Nec minus conducit rei colliquandæ tenuitas; crassa enim, & corpulentiora in fuliginem, aut vaporem promptè non mutantur, neque per poros commodè exeunt. Galenus verò *Aphor. comm.* 28. loquendo de dispositione occulta colliquante sic scripsit: *Est autem hæc humorum quidem tenuitas, corporis verò raritas; cùm enim hæc ambo conueniunt, celerrimè corpora extenuantur per eam, quæ difflatio insensibilis nominatur.* Nec minus conducit sicca corporis dispositio, vt occultè infirmi colliquentur; non enim ex siccis aliquid sensibile defluere potest, & liquari, quod Galenus notauit 10. *meth. cap. vlt.* dicendo: *Sanè sunt & quas marasmodes febres vocant, vniuersæ ex earum genere, quæ colliquant; sed in eo differunt, quod quæ portio carnis in his colliquatur, ea semper vaporis vice digeritur,* &c.

Contrariæ conditiones ad sensibilem liquationem conducunt, crassitudo nimirum humorum cum multa pinguedine, & lentore, corporis densitas, & crassior humiditas, & calor, qui vehemens extremè non sit, hic enim quia simul potenter siccat, & præter modum extenuat, ad insensibilem colliquationem plurimum facit; moderatior autem est contra, quia in vapores tenues, & fuliginosas partes, & humores non mutat. Est doctrina Galeni *loco iam citato* dicentis: *Ad eundem itaque modum in calidissimis febribus, si carnes humidæ, ac molles cum adipis copia fuerint, eas sensa liquari deprehendes: si enim sine adipe, & siccæ sint, in marasmodes febres transeunt.* Et anteà *eodem cap.* dixerat, quòd *feris siibus aut nihil omninò, aut planè minimum est, quod defluit, cicuribus vere plurimum.*

A Quæ verò sint liquabilia, & quæ verò minimè, ex Arist. *lib. 4. Meth.* petendum est. Vt autem faciliùs corpus contabescat, siue sensibiliter, siue occultè, facit plurimum corporis debilitas, nomine cuius impotentia quædam intelligenda est ad resistendum causis morbificis colliquare petentibus; ea autem non solùm consistit in mollitie corporis, laxáque conditione succorum, sed etiam in debilitate retinentis virtutis, quæ vitales spiritus, & humiditates alimentosas liquari liberè extra corpus, resoluique permittit; motioni enim impetuosæ à calore extenuante omnia quæ in corpore sunt, illáque rarefaciente cum viarum, & pororum apertione, retentrix debilis resistere nequit, inde vehementer æger resoluitur, & contabescit. Est doctrina Hippoc. B *2. lib. aphor. text. 28* dicentis: *Febricitantium non omninò leuiter remanere corpus, & nihil minui, vel etiam plusquam ratio postulat, colliquescere, malum: illud enim morbi longitudinem, hoc verò imbecillitatem significat.* Constat enim ex Philosophia, quòd passiua dispositio conducat nimis, vt quilibet effectus, ad quam disponit, à leuissimo agente introducatur: sic & naturales, id est, quæ vim naturalem immutandi non excedunt, præter modum pueros resoluunt, quoniam ob mollitiem, laxamque naturam cum pororum apertione ob superfluam humiditatem causis resoluentibus resistere nequeunt: eadem ratione ob debilitatem omnium facultatum facillimè senes liquescunt, & extenuantur, vt *in expositione aphor. cit.* Galen. docet.

Est tamen diligenter notandum, quòd febres colli- C quantes dicuntur tales, non solùm quia verè, & propriè liquetur id, quod à corpore educitur, sed etiam quia plurimum, & breuiter, vt anteà notaui, aliquid vtile resoluatur, quia ad corporis tabem, ratione cuius periclitantur ægri, idem incommodum affert humidum vtile deficere, quomodocumque deficiat; vnde non minus apud Medicos febres colliquantes dicuntur, quæ occultè corpus præter modum extenuant, quàm quæ manifestè, quia dicuntur tales ob id, quod à corpore depopulatur, quouis modo id eueniat, vt constat ex modo locutionis Hippocr. *in aphor.* adducto, & clarius ex Galeni expositione, qui occultam extenuationem nomine colliquescentiæ intelligit; quem aphorismum, meo iudicio, non intellexit Augenius: putat enim, quòd D Gal. in eius expositione docuerit, non esse propriè colliquantes Febres, quæ insensibiliter membrorum humiditatem, aut ipsas partes resoluunt: Verba Galeni, quibus ad asserendum suadetur, sunt: *Nec enim putandum est, verbo, colliquescere, seu contabescere, in proprio significatu nunc Hippocratem vsum fuisse, sed magis abusum.* Ignorauit certè Augenius, quòd contabescere, aut tabes, significat propriè corpus extenuari propter vlcerosas pulmonis dispositiones, vt constat ex *aphor. 29. lib. 3. & 11. lib. 5.* & quia in hac proprissima significatione non sumpsit Hippocr. tabescentiæ nomen, ideo dixit Galen. abusum fuisse tabescentiæ vocabulo, & constat clarè ex propria mente Galeni in *illius aphor. expositione,* dicentis: *Neque enim putandum est, verbo, colliquescere seu contabescere, in proprio significatu nunc Hippocratem vsum fuisse,* E &c. Constat verò, quòd [illegible] contabescere, non est intelligenda consumptio propria corporis propter vlcerosam pulmonum dispositionem, quod sumeretur propriissimè, quia tabes (exclusa illa, quæ à pulmone inflammato emanat) nihil aliud est, quàm morbosa siccitas ob humidi conuenientis defectum: hæc autem, quomodocumque humidum deficiat, inducitur propriè: & cùm negari non possit, quòd corporis languor ad insensibilem, & manifestam etiam colliquationem æquè conducat, vtramque comprehensam fuisse in aphorismo putandum est; & non solùm occultam, vt malè putauit Augenius, vt colliquantes febres nihil aliud sint, quàm *distemperies calida totius, multam & breuiter vtilem substantiam absumens.*

Rursus

Rursus febres colliquantes sensibiliter differunt, & ex parte rei colliquatæ, & ex locis, in quos colliquatum mouetur, & ex propriâ naturâ febrium. Ex parte quidem rei colliquatæ, quoniam quædam humores magis colliquant, quædam humiditates secundas, quædam verò partes ipsas solidas, quæ liquabiles sunt; hæc autem differentia per signa posteà adducenda constabit. Ex parte autem loci, quia quod liquatur, interdum per ventrem, aliquando per lotium, sæpè etiam per sudores pellitur; rariùs tamen quod liquatur, in partem aliquam internam præcipitatur, & subitaneam hydropen creat, quando inter omentum, & intestina coaceruatur. Est expressa doctrina Galeni *lib. 3. de caus. symptom. cap 2. circa finem*, dicentis: *Fit igitur quædam velut Anastacheosis (quasi dicas, reelementatio) colliquatio, siue resolutio, siue dissolutio, siue quomodocumque aliter nominare libet, aliquando totius corporis, aliquando succorum, qui in venis sunt duntaxat. Quod autem ex ea colliquatione prouenit, aliàs ad ventrem confluit, alias ad vrinas, alias ad sudores pellitur. Ac succis quidem, qui in venis habentur, in serosam saniem solutis, renes, qui ad excrementum id trahendum sunt nati, potissimum cùm sani sunt, serum quidem à venis expurgant, fluxionem autem ad vesicam mittunt assiduè: vbi autem renes trahere non valent, aut venæ eiusmodi serum in ventrem mittunt, aut toti corpori id partientes subitaneos hydropum status inducunt: si autem quod liquatum est, crassum sit, qualeque renes trahere non possunt, totum in ventrem necessario confluit; carnoso verò genere ita colliquato, tum venter eius fluxionem recipit, vbi scilicet ea est crassior, tum sudores multi superueniunt, vbi in halitus est resoluta*, &c. Est locus adductus elegans, liquationem humorum tantum, interdum etiam reliquarum partium proponens, & diuersas etiam regiones, per quas quod liquatur, truditur, & qua etiam ratione aliquando in ventrem confluens, aut per totum corpus inopinatè distributum, subitaneos hydropum statut excitet. Quod ego iam semel factum vidi, cùm insolens Empyricus, & Circulator absque vlla corporis præparatione, vt quendam refrigeratum sanaret, extrinseca sudorifica applicuit, quæ tantam copiam succorum, & pinguedinis liquarunt, præcipitaruntque in ventrem, vt non minus quàm hydropicus turgeret, & intra biduum suffocarunt, etiamsi iuuenis robustissimus esset.

Ex parte etiam febrium est etiam sua differentia; quædam etiam propter vehementiam caliditatis colliquant, aliæ propter malignitatem, etsi intensæ non sint, aliæ autem quia etsi nec vehementes, nec malignæ sint, sunt tamen respectu huius indiuidui maximè præter naturam, quia tam præternaturalis esse potest huic naturæ calor remissus, sicut alteri intensus, quia latitudo sanitatis minor in illo est, & per consequens calor, quamuis remissus, magnam inducit læsionem, & est eo ipso maximè præter naturam, eumque colliquat, non minus quàm robustiores, ardens febris. Calor etiam non magnus siccitati tamen adiunctus satis potenter colliquat, vt in hecticis manifestè constat, siue quia ratione siccitatis acrior, & actiuior reddatur, vt putant Philosophi; siue quia erodentia excrementa creet, & maximè calida, vt in proprio tractatu de hectica docuimus, aut quia calore, & siccitate fiat humorum, & partium extenuatio violenta, sicut istæ duæ qualitates ad summam ignis raritatem, & tenuitatem naturaliter conducunt.

Sed meritò dubitabitis, vnde veniat, quòd pestilentibus febribus tam propria sit colliquatio? Videtur enim omninò potiùs repugnare: sunt enim malignæ, & pestilentes febres caloris remissi, ac tepidi, vt *lib. 9. de simp. med. fac. cap. de terra Armenia*, Galenus expressè docuit: remissus autem calor non colliquat tam vniformiter, vt omnes ferè pestilenti febre apprehensi colliquati pereant, quando potiùs infrequens videtur omninò, & extra naturæ ordinem, quòd calor remissus tam potenter colliquet. Quòd autem colliquatio sit talium febrium symptoma perpetuum, Galenus tradidit *lib. 3. Epid. sect. 3. text. 57.* dicendo. *Et pestis quoque illa longissima, quæ nostra ætate vulgata est ex his, quæ per aluum vacuantur, omnes propè peremit; quæ evacuabantur, erat colliquatio, quod quidem esse symptoma videtur perpetuum febris, quam pestilentem priuatim vocitant.*

Neque obstat, si respondeas, quòd etsi calor febrium pestilentium satis remissus sit, iuuatur tamen à maligna qualitate febrem vt pestilentem constituente; sed contra est, quia colliquatio non requirit in nobis aliud principium, quàm in externis; in hisce autem à solo calore colliquatio fit: ergo etiam in nobis ab eo solo fiet, prætcrquam quod illa maligna qualitas ad colliquandum conducere repugnat. Patet, quia nulli causæ efficientium concretionem, aut dantium mixtis consistentiam opponitur, cùm sit omnis modus substantiæ secunda qualitas à primis dependens, & manifestam causam obtineat omnis concretio, & consistentia, vt Philosophus *4. lib. meth.* per multa capita probauit. Omnis autem qualitas venenosa vt talis dicitur a tota substantia, ita etiam est occulta omninò: non ergo videtur, qua ratione calori remisso, vt colliquet, auxilietur. Mihi certum est, malignam qualitatem si eam concedamus à primis distinctam, nullatenus effectiuè ad liquandum conducere, quippe vt ratio adducta rectè probat, concretio omnis à manifestis qualitatibus fit, quibus occulta nullo modo opponitur; alioqui vni darentur duo contraria, quod est contra veram Philosophiam. Aliter ergo ad liquandum conducit, aut quia vires, & retinentem facultatem effæminat, aut quia putredo, ex qua nascitur, & quam requirit maligna qualitas, ac pestilens, nimium humiditatis excessum postulat, qua humiditate superflua partes viuentis laxatæ, & mucidæ factæ, à leui calore liquantur, quod indicat pestilentium febrium intolerabilis fœtor, putrilaginem sordidam, & contagiosam innuens. Itaque vt calor pestilentis febris tepidus est, indicat non fuisse inductam putredinem ob caloris excessum, sed ob superfluam humiditatem, aut si ex vstione fit propter excessum nimium siccitatis, cui annexus calor, etsi non sit nimiè intensus, erodit, & excrementa acerrima creat partes exedentia, & colliquantia; extremam itaque intemperiem pestilentibus inesse certissimum est, quæ cùm in calore non sit, dabitur necessariò in alia qualitate ad putredinem, aut vstionem requisita; hæc autem ad colliquationem modis iam dictis conducit; tribuitur autem malignæ qualitati, non quia effectiuè concurrat, sed quia sine extrema intemperie pestilens qualitas nescit oriri.

Ex quibus facilè Horatij Augenij error detegitur, in sola hectica pestilente colliquationem admittentis. Constat enim, esse impertinens, quòd calor in facto solida afficiat, vt liquatio sequatur, cùm tam intensus calor esse possit, & magis quando à causa aliqua in solidis producitur, sicut quando ab interno principio emanat. Est verò omninò per accidens ipsi calori, ad hoc quòd colliquet, quòd à causa pendeat, vel non; & in externis experimur, quòd verè liquentur, quando nullus calor in facto datur: cuius est euidens signum, quod semel liquata, si agens separetur, antiquam naturam comparent: verùm tam confusè, ne dicam ineptè Augenius 13. *cap. lib.* 8. de febre loquitur, quòd tanto Authore indignum videatur. Nec minus absurdè docet *cap.* 14. omnes febres, in quibus sensibilis colliquatio apparet, hecticas esse, quasi omnis affectio partes solidas liquans, hecticam constituat, quod quidem planè falsum, & contra veram Philosophiam est.

CAPVT III.

De signis febrium colliquantium.

COgnitio febris colliquantis nullam moram absque periculo admittit; est enim perniciosa, & periculosissima affectio, cuius sæuitia, si statim non moderetur, aut ægrum de medio tollit, aut in hecticam permutatur; quia verò primæ differentiæ earum erant, quæ insensibiliter, aut sensibiliter colliquant, qua ratione primæ agnoscendæ sunt, primò exponemus. Est autem earum cognitio facillima, si quæ de facie hypocratica hic Author retulit, memoria teneantur: eam verò 1. *Prognosticor. à text.* 6. sic delineauit: *Fuerit autem* (inquit) *eiusmodi nasus acutus, caui oculi, tempora adstricta, aures frigidæ, contractaque, fibra earum versa, & item circa frontem dura, intenta, arida, & color totius vultus viridis, aut niger.* His quidem signis, quando breuissimè per febres apparent, febris colliquatiua significatur, occultè tamen colliquans: vt autem illa agnoscatur, non licet tantam perniciem ac magnitudinem, quantam adduxit Hippocr. in signis ab eo relatis expectare, cum extrema iam sit ab eo tradita: sed multò antequam tam horribilis aspectus fiat, agnoscenda est: illud verò partim insinuauit Hippocr. 2. *lib. aphor. text.* 28. iam *citato*, quando dixit; *aut plusquam ratio postulat, contabescere, malum:* Significat enim, quòd propter debilitatem corpus colliquatur, ob eam enim calor, qui cum robusta virtute liquatur, minimè malignus, & tabescens redditur. Similis autem tabescentia si non contingat propter corporis debilitatem, fiet tamen magna, & breuiter vehementia caloris, aut malignam febrem redarguet, quæ vitalium spirituum, & humiditatum vtilium magnam quantitatem, & celeriter absumunt, eruntque colliquantes, vt Galenus *text.* 7. 1. *prognost.* iis verbis tradidit. *Fiunt ergo tales affectiones, aut ob aliquam causam consumentem, & corrumpentes partes animalium carnosas, aut ob debilitatem natiui caloris, qui in extremas corporis partes extendi non queat*, &c. Facies ergo eorum, qui occultè colliquantur, cadauerosa breuiter apparet, color viridus, & turgor deperditur, eò quòd spirituum vitalium, sanguinis, & humiditatum vtilium magna fit occulta consumptio: *Et cùm robur virtutis certam spirituum, & sanguinis quantitatem requirat cum optima temperie*, vt 12. *Meth. cap.* 5. Galenus docet; ea verò deficiunt in prædicta colliquatione, facultas vitalis collabitur, & languidos pulsus facit: quia verò quod colliquatur, & absumitur, commune instrumentum est, cadunt cum vitali facultate cæteræ omnes, vt æger impotens ad motum reddatur, sentiat debiliter, pessimè nutriatur, vt sit reuerà velut in deliquij, aut syncopis initio. Soléntque sic affecti magnam debilitatem à leuibus motionibus contrahere, & minus sudoribus madefieri, à quibus deterius se habent, tantamque virtutis effæminationem contrahere solent ob confertam, & insolentem spirituum resolutionem, quod in vnico paroxysmo, vt Auicenna testatur, aut duobus virtus cadere soleat, vt ad quartum sufficere nequeat.

Est fallacissima huius colliquationis conditio, quòd quando leuamen in accessionis declinatione Medicus sperat, inopinatè solent periclitari; nam cùm tales per poros occultè digerantur, & resoluantur, & nunquam magis quàm in declinationibus natura laxetur, in illa præcipuè sub hac passione vitam agere solent. Docuit Galenus 10. *meth.* & 3. *de crisib. c.* 9. *In principio, augmento, & statu particularis accessionis corpus astrictum esse, in declinatione verò laxari.* Vnde in primis tribus temporibus minus per poros æger resoluitur, quia corpus astrictum est, & per consequens minus debilitatur; in

A declinatione verò particulari cùm natura corporis habitum vt accessionem finiat, declaret, aut relaxet, & prauitas morbi in resolutione occulta consistat; fit eo tempore resolutio maior, & hac ratione in eo periclitantur. Est doctrina expressa Galeni 3. *de crisib. cap.* 9. *cit.* iis verbis: *Nec rationem sequentibus minus videtur, quòd natura vis imbecilla in principio quidem accessionis, augmento, & statu queat perdurare, cùm adhuc habitus ipse in vnum compressus contineatur; tempore verò declinationis à medio ad extrema calore retrocedente, natura habitus spargitur, atque dissoluitur: horum itaque nonnulli subita morte opprimuntur, vt præsentes existiment deficere animo potius, quàm mori. Quidam verò paulatim intereunt, incipientes quidem omnes à statu accessionis*, &c. Et paulò antea *eodem cap.* scripserat: *Mox cùm ad leuandum ventrem surrexerit,* B *animi defectum incurrit, & nonnulli pauco, & tenaci sudore effuso moriuntur etiam sine surrectione.*

Sed meritò causam inquireris, cur in primis temporibus accessionis particularis natura adstricta sit, & in declinatione laxetur? Nullus enim, quem hactenus legerim, causam adduxit. Respondeo, duplicem principalem causam euentus esse. Prima sit, quòd corpus obstructum magis, resoluitur minus, quia viæ occlusæ sunt; obstruitur verò plus in tribus primis temporibus à propria causa accessionis, quia in eis corpulentior, & copiosior existit, & in principio magis, quàm in augmento, & in hoc magis, quàm in vigore, quia cùm attenuari debeat quidquid ex putrescentibus succis eleuatur à proprio calore putredinis, vt in principio remis- C sior est, sic minus extenuat, & quia in augmento crescit, attenuat plus, & in vigore magis, & per consequens in vigore plus resoluitur æger duplici ratione, & quia tenuior materia est, & quia calor intensior poros efficaciùs recludit; in declinatione verò iam est minor materia, & plus extenuata, sicque minus occupat poros, & plus resoluitur æger: Alia causa est molestia maior inducta naturæ, nam in principio grauatur à crassitudine fuliginum, & magna copia. Vnde natura molestata contrahitur, vt in omni tristitia, in augmento etiam, & à calore maiori, & copia etiam magnam molestiam patitur; in vigore ab intensione potiùs vehementiùs molestatur, quam à copia; & quia in declinatione minus patitur, quàm in primis tribus temporibus, minus per consequens adstringetur ratione molestiæ, & sic D plus resoluitur. Quòd si accessiones cum rigore, aut horrore, aut simplici refrigeratione incipiunt, præterquam quòd molestia ratione symptomatum eorum est maxima, & sic natura per modum fugæ contrahitur, cùm habitus corporis etiam refrigeretur, occluditur, & densatur magis quàm in aliis temporibus: & hæc est causa, cur in declinatione, vt Galenus dicebat, à medio, seu profundo corporis ad extrema, & ambitum moueatur, quia cùm natura iam non molestetur, contractionem amittit, & laxari incipit, & quando accessionem finire procurat, finit etiam & vitam. Neque, si dicas, obstat, quòd si in vigore datur maius, & molestius incendium, natura retrahetur plus, & inde in eo minus periclitabitur æger, quod est contra Galenum E dicentem *cap.* 9. *citato. Quidam verò paulatim intereunt, incipientes quidem omnes à statu accessionis*, &c. Respondeo, in vigore deficere oppressionis molestiam in duobus temporibus datam, & sic minus astringitur, & quãuis calor magis molestet, pugnat tamen ipsum incendium contra propriam astrictionem naturæ, quia validè laxat, & dilatat poros, in quo cùm sit etiam quidquid resolutum est, attenuatum nimis, inde in vigore periclitari incipiunt, qui resoluti, & colliquati occultè perire debent. Accedit, quòd vapores, aut fuligines eleuatæ in initio accessionum sunt frigidiores multò, quàm in aliis temporibus.

Ex dictis redditur ratio pulchra, cur multi citiùs cum sudoribus calidis, quàm cum frigidis pereant; nam qui

frigidis

frigidis inundantur, habent corporis ambitum ipso frigore magis astrictum; qui calidis verò, apertissimum, & per consequeos isti vitales spiritus detineri nequeunt, benè tamen frigidè sudantes, vt sæpè Medici in præsagio fallantur, & quia minus mortiferos, & tardiùs interficientes calidus sudores, quàm frigidos censeant, cùm aliquando eueniat nullos in malignitate, & cita internecione calidos attingere posse: causantur enim vitali calore impetuosè per poros exhalante: & sic visceribus calore vitali celeriter destitutis, celerrima mors indicitur, id verò agnoscendum est ex respiratione frigida, cui si sudor calidus superueniat, breuissimè pereunt: sic Hippocr. *6.epidem.sect. 4. tex. vltim.* scripsit: *Signa lethalia per cutem calidus vapor, priùs autem nasus frigidum spiritum reddit: vitalia autem contraria.* Eadem ratio est eorum, qui etsi non sudent, sunt tamen frigidi; tardiùs enim solent perire eis, quibus calor exhalante vitali spiritu exiccius apparet. Rectè ergo consulebat Galenus *cap.9. citato*, pessimam declinationem à bona distinguendam esse, quia vt vehementior, & ordinatior, & æqualior fit pulsus in optima declinatione, ita debilior, inordinatior, & inæqualis redditur in mortalibus declinationibus; hic autem modus moriendi conuenit præcipuè biliosis naturis prætenues humores habentibus, & multo ichore inundatos, cum laxitate, & apertione cutis, debilique retinente: de quibus Galenus agit 12. *meth. cap.6.* hecticis verò talis modus moriendi repugnat omninò, quia accessionibus carent, etsi marcor syncoposus eos prehendere soleat, de quo legatur Galenus *proprio lib. de marcore.*

CAPVT IV.

De signis colliquationis sensibilis per aluum.

INter signa sensibilis colliquationis per aluum primum locum tenet spumosa deiectio, quam vt malam damnauit Hippoc. 2. *Prognostic. text.* 20. dicens: *Si autem aquosa admodum, aut candida, aut admodum crocea, aut spumans deiiciatur, hæc omnia mala sunt*: est verò intelligenda sententia, quando ratione caloris, & non propter flatus spumans redditur, quod in expositione Galenus docuit, & clariùs 1. *de crisib. cap.* 11. dicendo: *Spumosum verò fit, sicut etiam in exterioribus accidit, cùm scilicet feruor inest, vel aliquis flatuosus spiritus humiditati commixtus; primum immoderata caliditatis corpus colliquans; secundum vero est inequalis perturbationis effectus.* Et 3. *de vict.rat. in acutis, text.* 13. scripsit: *Horum igitur non immemor, cùm vel ex mulsa epota, vel absque ipsa quis spumosa simul, & biliosa sincere deiecerit, febrem scieris esse, quæ liquefaciat, & ad tabem perducat.* Constat verò non esse necessarium, quòd biliosa sincera spumanti copuletur, vt hæc febrem colliquantem significet, cùm ex doctrina 1. *de crisib.* adducta contrarium constet. Vt verò spumans deiectio, si ab incendio causetur, colliquationem innuit, sic si à flatibus humido excremento permixtis oriatur, crudorum copiam motione, & perturbatione agitatam significat. In quem sensum dixit Hippocr. 7. *aphor. text.* 30. *Quibus in alui profluuiis excrementa spumosa sunt, iis ex capite pituita defluit*: ergo quæ spumans fit ob incendium, pessimam affectionem significat, vt Galenus docuit 2. *prorrhit. text.* 15. *Praua* (inquit) *affectionis signa sunt spumosæ, & sincera.* Et text. 18. dixit: *spumosa verò deiectio naturis omnibus mala est.* Quod etiam Hippoc. *in Coacis* tradidit dicendo: *In acutis spumarum deiectio, & biliosa, valde malum.* Et *alio loco eiusdem operis* dixit: *spumans deiectio, & biliosa valdè praua; atque inde in æruginem incidunt.* Quantò verò maior, eleuatiórque spuma fuerit, peior erit significatio, quia vehementio-

A rem calorem portendit; quod *in Coacis* Hippocr. damnauit dicendo: *In biliosis spumans veluti flos, malum.*

Secunda species deiectionis colliquationem significans, est adducta ab Hippocr. *eodem lib. text.* 21. dicendo: *Mala etiam est, si exigua, glutinosa, candida, subcrocea, leuísque sit.* In cuius loci expositione Galenus docet, duplicem deiectionum formam eo adduci, & quòd ambæ propter consumptionem eueniunt. Prima est exigua, glutinosa, & candida; hæc enim euenit pinguedine absumpta ab igneo calore, non tamen vehementer maligno: alia forma est subcrocea, & leuis; contingit autem absumpta quoque pinguedine, sed aut propter caliditatem vehementiorem, aut quia pin-
B guedo ipsa vetusta, ac velut semiputris existat; arguit verò vehementiorem calorem, quia non solùm liquat, sed corrumpit, putrefacitque pinguedinem, & sic crocea redditur, aut alium extraneum colorem ob corruptionem concipit. Si verò pinguedo eum colorem habeat ex se, contingit quia antiqua, & magis per consequens consistens erit, & inde calorem intensiorem arguit, quàm si recens, & alba pinguedo colliquetur; cuiusque tamen coloris sit, debet esse exigua, lenta, & leuis; copiosa enim, & magna nunquam ex illa pinguedine sperabitur: lenta etiam erit, quia omnis pinguedo glutinosa est, & lentorem participat: est etiam leuis, quia pinguia omnia aërea sunt, & æqualem permixtionem, vt fiant, requirunt. Vnde ob vniformitatem materiæ, & quia dum colliquantur, & per aluum
C deiiciuntur, per arctas vias fluendo polluntur, acquirunt etiam vniformem conditionem, & leuia apparent: nulla enim asperitas in mollibus rebus liquatis inueniri potest, si aëreæ sunt.

Deinde Hippoc. *text.* 22. *lib. cit.* deiectiones pingues vt lethaliores prioribus tradit, dicendo: *Exitiosiores verò iis sunt, si nigræ, aut liuidæ, aut opimæ, aut fœtidæ sunt.* Est verò dubium, quomodo si pingues deiectiones ex liquata pinguedine oriuntur, possit esse vna lethalior aliâ? Quod dubium Galenus prætermisit: Vega noster in huius loci expositione, quem etiam Brauo Salmanticensis sequitur, docet, pingues deiectiones hîc ab Authore traditas esse prioribus deteriores, quia habent coniunctum fœtorem, & sic esse maioris corru-
D ptionis indicium. Cui expositioni duo refragantur. Primum, quòd loquatur Hippocrates disiunctiuè, dicendo: *Aut opimæ, aut fœtidæ*; quod etiam in aliis speciebus deiectionum fecit: copularet verò ea, quæ coniuncta necessariò putabat, si ad maligniorem conditionem requirerentur. Secundum est, quòd cùm crocea, & pinguis, deiectio ob corruptionem aliquando fiat, vt Galenus dicebat, habebit necessariò coniunctum fœtorem. Probabilior mihi videtur Vallesij expositio super eundem locum; quòd sint secundo loco adductæ deteriores, quia non exiguæ vt priores, sed in maiori multò copia, vt oleo assimilentur; quia non solùm pinguedo, sed carnes etiam colliquantur, & inde maligniorem calorem significare, quia vt docuit Galenus 3. *epid. sect.* 3.
E *agroto primo*; *feruentior est calor, qui carnem fundit, moderatior, qui pinguedinem*; & cùm indubitatum sit carnem, & pinguedinem simul liquari posse, esséque opimas deiectiones, quia in carne datur etiam sua pinguedo, maior prauitas iis duabus liquatis inerit, quàm si sola fundatur pinguedo. Vnde meritò Galenus *lib.* 10. *meth. cap. vlt.* dixit. *Ad eundem itaque modum in calidissimis febribus, si carnes humidæ, ac molles cum adipis copia fuerint, eas sensu liquari deprehendas*, &c. Ex quibus constat, ex abundanti, vel diminuta deiectione pingui inferri optimè, num sola pinguedo, vel caro simul liquentur: quod similiter ex colore venabitur, vt posteà dicemus.

Est etiam sua pinguedo in massa sanguinaria, quæ per febres liquari potest: vnde non semper ex pingui

deiectione constat, quod pinguedo, adeps, aut caro colliquentur. Ex hac parte sanguinis pingui docuit Philosophus 3. *de hist. animal. cap.* 29. adipem generari. Et 2. *de part. animal.* dixit, adipem esse sanguinem concoctum: & Galenus ex parte sanguinis pinguiori adipem, & pinguedinem generari corpus humectantia, & ne corpus contabescat, impedientia in exercitiis, laboribus, & inediis. Ex qua etiam parte pingui humorum procedit, in vrinis sanorum pinguedinem supernatare, esseque signum optimæ concoctionis in sanguine, vt 4. *de tuend. sanit. cap.* 6. Galenus docuit. Malè tamen putauit Brauo 2. *Prognost. comment.* 35. quòd hæc pars pinguis sanguinis nunquam sensibiliter excernatur, sed quidquid liquatur, insensibiliter pelli: constat falsitas, quia si naturaliter in vrinis excernitur, cur per morbos non eiicietur per aluum; imò cùm humores, & massa sanguinaria tota aliquando liquetur, vt Galenus docuit 3. *de causis sympt. cap.* 2. optimè dari poterit deiectio pinguis ex sanguinis liquatione; hæc pars pinguis massæ sanguinariæ est, quæ in putredine, & vstione sanguinis in bilem mutatur; quod docuit Hippoc. 6. *epid. comment.* 5. *text.* 14. dicendo: *Lingua lotium significat; lingua virides biliosa; biliosum autem à pingui*, &c. Et 6. *epidem. comment.* 6. *text.* 3. sic dixit: *& quibus quidem pingue, bilis flaua, quibus sanguis atra.* Est enim pars pinguis sanguinis inflammabilis, caloremque præter naturam facilè concipiens, & inde in bilem promptè mutabilis, quia vt aëreum vnctuosum facilè inflammatur, & in fuliginem vertitur; sic terreum eius vritur, & quia vt vnctuosum non resoluitur, calidum, siccum, amarumque redditur, & per consequens bilis naturam æmulatur. Vnde Gal. 2. *de crisib. c.* 12. dicebat: *Quidquid igitur pingue, & tenue in sanguine est, fit flaua bilis*; hæc pars sanguinis, quia est pinguis, & oleosa, massæ sanguinariæ supernatat, vt oleum aquæ, & flos vino; sic dulcia si non commutentur, vertuntur in bilem, quia aërea, vnctuosa, inflammabiliaque sunt: nec ad hoc satis est, quòd non commutentur, sed requiritur copia caloris inflammare potentis; inde Galens *in expositione huius loci* dixit, ex melle autem, omninoque ex dulcibus, cùm vehementiùs incaluerint, amaræ bilis contrahi humorem: in 4. *de simplic. med. virib. comment.* declaratum est, cum hoc etiam, quando hæc diutiùs in ventriculo morata fuerint, nec priùs distributa, nec concocta sint, luteam ex ipsis bilem procreari euidenter percipimus.

Aliæ autem alui deiectiones calorem colliquantem significantes, sunt calidæ sinceræ, quando nimirum bilis vitellina, æruginosa, aut porracea euacuantur, easque vituperarunt Hippocrat. & Galen. sic enim 7. *aphor. text.* 6. dixit Hippocrat. *In morbo diuturno fastidium cibi, & deiectiones sinceræ, malum.* Galenus in eius expositione dixit, deiectiones sinceras nominari, quæ aquosæ humiditati permixtæ non sunt: Huiusmodi enim deiectiones (inquit) exustam esse omnem humiditatem à calore febrili significant, passimque Hippocrat. *in Coacis prænotionibus, in prorrheticis, & in opere prognostico*, deiectiones sinceras inter prauas recenset. Ratio est, quia calor qui massæ sanguineæ omnem omnem humorem ferè absumpsit, non poterit illum effectum præstare, nisi pinguedo priùs consumpta sit. In externis enim videmus faciliùs pinguia liquescere, quàm multum humorem in vapores mutari: est autem necessarium, quòd serum humorum, si absumi debet, abeat in flatus, quia liquari nequit. Harum deiectionum fecit mentionem Galenus 4. *aphor.* dicendo: *Plurimas verò huiuscemodi deiectiones pestilenses hoc morbo longo conspeximus, quæ non magis in iis, qui exitio proximi erant, quam in saluandis apparebant; non tamen in principio, vel incremento morborum conspiciebantur; tunc enim quæ euacuabantur, erant & flaua, & rufa calore colliquamenta; quæ verò mox apparebant, nigra erant veluti sanguinis fæx, siue ipso superassato habuissent generationem, siue cùm aliquam extraneam putredinem assumpsissent.* Et 3. *de vict. acut. text.* 13. dixit: *Quando quis simul spumosa, & sincerè biliosa deiecerit, febris adest in corpore, quæ liquefaciat.* Vbi notabitis, quòd quando humores sinceri redduntur ob seri consumptionem, fiunt crassiores, & plus consistentes, vt non ita propriè dicantur liquari; verùm cum hoc significant non dubiè calorem colliquantem; si verò quod liquatur, insensile sit, apparebit aliquo modo ex relatis cum deiectionibus sinceris complicatum: iam verò ex Galeno locum retulimus ex *lib.* 3. *de caus. sympt. cap.* 2. in quo etiam colliquationis humorum meminit, & qualiter aliquando subitaneam hydropen inducat, vt Princeps noster dixit: *Est alius spasmus, qui accidit in febribus, & cum hoc non est vehementer malus, qui fit, propterea quod ipsa aliquando faciunt currere materias in neruos & musculos, & propriè cùm corpus est plenum, &c.*

Notandum tamen, quòd quando liquantur carnes, poterit Medicus facilè decipi, iudicando quòd humor sit, & non liquata caro, quia vt ex Galeno retulimus, caro euadit similis humori, ex quo nutritur. Quomodo verò distinguendum sit, Galenus tradit 8. *de placitis, cap.* 12. *in fine*, vbi reprehendendo Platonem, quòd asseruisset, pituitam fieri ex carnis colliquatione, sic loquitur: *Cum verò superiùs dixit, omnem eliquationem teneræ carnis spiritu inflatam album phlegma esse, non rectè declaratum est; phlegmatis enim, hoc est, pituitæ ortum ex alimento natura frigidiori existere, cùm scilicet ab insito calore non benè fuerit concoctum: at colliquata caro similem colore habet colliquationem pallidæ bili ad albedinem magis tendentem, ita vt efficiatur, quod subpallidum fuluum appellant. Est præterea crassior colliquatio hæc, quam pallida bilis, priusque olet, & quandam sæpenumero tenacitatem, pinguedinémque in se habet.* Ex quibus constat distinctio colliquationis carnis, & humorum, quando caro humoribus assimilata fuit. Est carnis liquatio crassioris consistentiæ, deterioris odoris, estque tenacior, pinguior etiam, & plus adhæret.

CAPVT V.

De signis colliquationis per lotium.

PEr vrinam ostenduntur frequentiùs febres colliquantes. Primum signum adduxit Hippocr. 2. *prognost. text.* 35. dicendo: *Et pinguedines supernatantes araneorum telis similes damnandæ sunt; indicant enim consumptionem.* Sciendum ergo est, ex doctrina omnium Medicorum, pinguedinem liquatam semper regionem superiorem petere, & ideo dixit Hipp. *supernatantes*, non quia sint aliquæ, quæ non supernatent, sed quia eis vt oleo super liquores ferri conueniat. Est verò intelligendum præsagium in febribus: nam naturaliter (vt ex Gal. retulimus) interdum contingit, vt propter bonam corporis habitudinem, & optimam coctionem pingue vrinæ naturali supernatet. Est verò colliquatio hæc interdum pinguedinis totius corporis, aliquando verò renum tantummodo: dixit enim Hippocrat. 7. *aphor. text.* 35. *Quibus insidens pingue, ac simul totum, iis vitium renum acutum significatur.* Galenus verò *in aphor. expositione* docet, colliquari pinguedinem esse commune symptoma vitio totius, & renum; esse verò adhibendam distinctionem, quia si ex toto colliquatio fiat, paulatim fit; si verò renibus confertim, & simul, tota pinguedo in vesicam deriuatur, quia & multa renibus adnascitur, & via ad vesicam breuissima est: quod insinuauit Hippocrat. *in text.* dicendo: *simul totum*; nam si ex vniuerso corpore colliquetur paulatim, & non vniuersim, cum vrina exit primum colliquatione partici-

pata à venis illi vicinis, deinde ab iis, quæ continuantur, & rursus ab aliis, donec ad renes perueniatur: adipis verò contra renes colliquati transumptio ad venas celerrima est, & non paulatim, sed simul tota fit: atque ideò in renibus ipsis dispositionem esse monstratur. Hæc Galenus, quæ non sine distinctione accipienda sunt; potest enim esse confecta colliquatio, & esse simul totius, & renum, & potest esse moderata, & esse renum tantummodo. Primum constat, quia idem vitium pinguedinem eliquans, potest & totius absumere simul, & in renibus potest esse moderata pinguedo, & calor etiam moderatus, & tunc moderata etiam colliquatio apparebit. Est ergo vtroque modo illatio fallax, nullaque melior distinctio, quàm per signa renum incendium ostendentia, aut febrem, quæ ex colliquationum natura sit: multa itaque, & breuiter facta colliquatio sine renum affectu, & acuto fieri debet, licet possit, quod & ante nos Actuarius notauit *lib. 1. de pranident. ex vrinis, cap. 17.*

Dubitabitis tamen, si per febres acutas possit fieri pinguedinis colliquatio, quæ febrem colliquantem non significet? Videtur quidem quæsitum ridiculum, cùm febris colliquans ab eo accidenti denominetur talis: verum si ex alia causa liquatio adipis fieri possit in morbis, meritò dubitatur. Doctrina Galeni est, vrinæ pinguedinem non semper esse malum signum, sed ex morbi coctione aliquando pendere. Sic 3. *epidem sect. 3. text. 72. agroto 1.* reliquit scriptum: *Equidem talem sapè vrinam nullo agri detrimento redditam conspexi, imò verò interim planè à contrario ex morbi concoctione.* Quod etiam noster Vega tradit ex mente Galeni 2. *prognost. text. 35.* Quæ doctrina satis difficilis apparet, cùm coctio materiæ putridæ non videatur occasio liquationis pinguedinis; fit enim à calore naturali; præcessit verò in materia putredo, quæ non dubiè liquaret priùs quidquid in humoribus pingue, & liquabile esset: sed id nō obstat, quia coctio materiæ putridæ à calore fit in opinione Galeni, & nostrâ. Vnde non implicat, quòd in morbis febrilibus, in declinationibus, & vigoribus pinguedo excernatur, quæ per vigorem fuit colliquata, & calor augmenti, quia remissior, liquare non potuit: quod maximè notandum est, vt non semper visâ colliquatione pinguedinis tabem, aut febrem periculosam præsagismus. Nos etiam in declinationibus vniuersalibus multam pinguedinem vrinis excerni sæpè vidimus, quod ex incendio prægresso, & decubitu supra renes per morbos frequentissimè accidere credendum est.

Secunda species vrinæ colliquationem innuentis est per contenta diuersa, de quibus Hippocrat. 2. *Prognost. text. 28.* sic loquitur: *Si autem in vrinis sint sedimenta crimnode, id est, farina crassioris speciem referentia, mala sunt; deteriora verò, si squammularum more consistunt, si verò tenuia & candida, admodum vitiosa sunt, furfurea verò deteriora sunt.* Vallesius verò noster clarius hanc sententiam transtulit dicendo: *Farinacea in vrinis sedimenta, mala; iis sunt deteriora laminea; tenuia & alba valdè mala; iis autem sunt deteriora furfurea.* In cuius loci expositione Galenus docet, farinacea sedimenta assimilari partibus crassioribus hordei, quæ in mola exquisitam triturationem effugerunt. Quibus verbis docemur, quomodo talia sedimenta agnoscere debeamus; nam vt partes hordei, quæ exquisitè tritoratæ non sunt, cum farina non benè miscentur, & quælibet ab alia diuulsa, separataque est; sic partes sedimenti farinacei diuulsæ sunt, minimèque coagmentatæ, & vnitæ, quia non coctione, sed putredine, & vstione creantur, vt cumulo lapillorum commodè assimilentur, quorum quilibet suam propriam consistentiam conseruat: sicque talia sedimina inæqualia, asperaque conspiciuntur. Rectè enim Galenus 7. *aphor. text. 33.* dixit: *Quando natura causam morbificam superat, omnia æqualiter*

A *sunt vnita.* Verùm etsi in diuulsione talia sedimenta partibus hordei non rectè trituratis similia sint, sunt tamen colore dissimilia; hordei enim frustula albicant, non tamen alba sunt farinacea sedimenta. Id Galenus docet *in Prognost. expositione*, dicendo; non fieri talia sedimenta ex parte alimenti coctionem fugientis, vt duriuscula appareat, sed assato sanguine crassiore, vel consumptis inæqualiter carnibus; quò fit, quod cùm sanguis assatusperruber reddatur, & tandem nigricet, sedimentum ex eo resultans perrubrum erit, & ad atrum colorem tendet, ex quo colore orobina talia sedimina dicuntur, quia orobis in colore assimilantur, & globosa sunt, vt orobus. Galen. 7. *aphor. comment. 76.* dicit: *Sed veluti caruncula sapiùs à me visa sunt in illis febribus, in quibus etiam qua sunt similia orobis, sedimen-*
B *ta conspiciuntur, sanguine crasso in renibus, aut hepate exusto.*

Dicebat etiam Galenus, farinacea sedimenta fieri ex inæquali carnium consumptione, quod etiam 1. *de cris. cap. 12.* retulit dicendo: *Nam farina hordeacea crassiori similes, duarum sunt dispositionum indicia, grandis scilicet colliquationis, & caliditatis æstuosa, qua sanguinem adurit:* grandis verò colliquatio dicitur, quia carnes eliquat, & hoc inæqualiter facit, quoniam carnes teneras, & recenter acquisitas in saniem vertit; antiquas verò, & duriores torrefacit, velut si in sartagine frixæ essent, & in frustula diuidit sedimentum farinaceum creantia, vt in expositione prognostici Galenus testatur. Differunt verò ab eo sedimine ex sanguinis vstione creato, quòd
C hoc rubrum satis, & ad nigritiem tendens apparet; illud verò aut remissam satis, aut nullam rubedinem ostentat, quoniam caro ex sanguine ad albedinem permutato generatur, vt propriùs dicantur farinacea, quæ ex carnis colliquatione emanarunt, quàm quæ ex sanguine vsto; illa enim in colore albo, aut illum magis æmulante farinæ etiam similia sunt; non verò quæ ex sanguine vsto fiunt, cùm perrubra, aut nigricantia sint.

Sed dices. Si Galenus in prognostici expositione dicit, quòd caro, quæ recens est, & nuper concreta, in saniem resoluitur; caro verò duriuscula similis fiat carni exsiccatæ in sartagine frixæ, non videtur quòd sedimentum ex carnis recentis liquatione diuulsum appareat, & in frustula diuisum, quoniam si in saniem re-
D soluitur, fluxilis erit, & cum vrinæ liquore miscebitur, & sedimentum non faciet. Quòd si dicas, propter grauitatem, & crassiorem naturam descendere, saltem videtur, quòd tale sedimentum diuulsum non fit, vt sunt partes hordei non benè triturati, quibus in diuisione per frustula assimilari debet, vt sedimentum farinaceum constituat, cùm tale ob inæqualitatem, & in frustula diuisionem potiùs dicatur, quàm propter colorem, vt ex Galeno patet. Respondeo, quòd caro recens, si liquetur, subsidet ob crassitiem, & pondus; inæquale verò sedimentum facit, quia concrescit, vt sanguis, qui in grumos vertitur à frigore externo. Dixit enim Galenus, quòd sanguis quàm minima commutatione in carnem vertatur; vnde recens caro naturam sanguinis maximè æmulatur, vt quādo liquata in saniem vertitur,
E concrescat per partes, & sic inæquale sedimentum constituit, & farinaceum. Quod malè docuit Argenterius *lib. de vrinis, cap. 10.* fieri semper ex crudo humore, qui in venis aceruari solet, & Montanum suggillat, quòd causam eius calorem igneum tradiderit, quasi Montani doctrina non esset Galeni locis iam adductis; & in expositione prognostici expressè dixit, non esse causam humorem crudum, sed calorem carnem vrentem, aut carnes inæqualiter colliquantem. Nec admittit Argenterius, quòd orobina sedimenta ex solidorum colliquatione fiant. Cur enim (inquit) non fierent perpetuò in hecticis, & aliis colliquantibus affectionibus. Putat ergo talia sedimenta creari ex humore melancholico,

si

si nigrescant, & inde pessimam significationem habere, quòd omnis affectio ex melancholiæ vstione cancrosa sit. Peccat tamen hic Author, quia orobina à farinaceis distinguit contra Galenum, & etiam quia cùm nigra non sint semper, sed perrubra, aut intensè rubra, non adducit adæquatam rationem eiusque orobini sedimenti; rubrum enim ex melancholiæ vstione fieri repugnat; nec verò necesse est, quòd in tali passione colliquante talia sedimenta sint, cùm non semper calor colliquans erodens sit, & partes in frustula diuidat, nec semper in parte colliquanda detur ea dispositio, vt in partes diuidi admittat. Melius verò (vt nos modò facimus) contra Galenum Argenterius pugnaret, si quod in externis apparet, Galeno obiiceret, carnis nimirum portiunculam integram manere, etsi vehementer assetur, nunquamque in frustula diuidi, nisi quando iam in carbonem mutatur. Verùm neque hoc in nobis inueniri repugnat omninò, cùm in carbunculis carnem aduri crustaceam, friabilem, nigramque fieri quotidie videamus: per febres verò rarò credam tantum incendium in carnibus esse, sed à ficeis erodentibus carnes excesas frustulatim excerni, quod de carne duriori, & antiqua tenendum puto; recentem enim coagulatam in saniem verti probabile est: eodem enim modo in carne duriori, quo in renibus fieri credendum est. Dixit enim Hippocrat. 4. *aphor. text.* 76. *Quibus cum vrina crassa caruncula parua, aut veluti capilli vnà exeunt, iis à renibus excernitur.* Galenus verò in eius expositione tradit, carunculas paruas esse ipsorum renum quasdam particulas ab exulceratione eorum excisas, licet sibi nunquam visas fuisse fateatur.

Vnum tamen discutiendum superest, quo scilicet modo sedimenta farinacea longitudinem morbi significent, cùm tam acutam passionem, tantumque incendium iuxta Galenum significent; potiùs enim breui perituros ægrotos ostendent; illud verò Hippocrat. retulit 7. *aphor.* 31. dicendo: *Quibuscumque febricitantibus in vrinis fiunt sedimenta veluti farina crassior, longam ægritudinem fore significant.* Respondet Galenus, sermonem Hippocratis esse verum, si saluari debent ægroti, quoniam nisi tempore longo tam pessimam affectionem superabunt. Si verò lethaliter laborent, breuiter mortem experientur, vt Silenus 2. *epid. sect.* 3. cum tali sedimento vndecima defunctus fuit. Nec huic Galeni doctrinæ aduersatur Hippocrates 3. *Prognostic. text.* 1. dicendo: *Febres verò indicantur in eisdem diebus numero, ex quibus superstunt homines, & ex quibus moriuntur.* Qua oratione indicat, in eisdem diebus esse saluandos ægros, & etiamsi morbus exitiosus sit, perituros. Non ergo in morbo farinacei sedimenti longitudo prædicenda est, sed breuiter saluandus, aut periclitandus æger. Respondeo, id esse verum, si per crisim, aut mutationem subitam morbus sit iudicandus; in eisdem enim diebus iudicium eueniet, aut ad salutem, aut ad interitum; tamen quando crisi morbus soluendus non est, & liberandus æger, non fiet tempore breui, quod ex habitanti in horto Desleis Galenus confirmat in aphorismi expositione.

Sed hæc solutio mihi non probatur, quia si crisis ad salutem materiæ coctionem requirit, & hæc longo tempore in morbis farinacei sedimenti celebranda est: constat planè non iudicari eisdem numero diebus, cùm iudicium prauum breui adueniat; bonum verò non possit, cùm sine coctione fieri nequeat. Vega noster *in expositione prognostici* idem obiiciens, dicit, quòd Hippoc. *in prognostic.* loquitur de morbis: Galenus verò in *aphor. expositione* de signis, vt Hippocrates velit terminum eiusdem morbi ad salutem cum signis salutaribus, & terminum ad mortem cum signis mortalibus esse eundem. Galenus tamen docet, cum signo vno quosdam citò mori, quosdam longo tempore saluari, sed hoc non in eodem morbo, sed in diuersis; nam in morbo acuto mors breui sequetur cum tali sedimento; in longo tamen poterit cum eodem sedimento liberari. Verùm hæc solutio difficilis est, & Galeno apertè refragatur; nam si sedimentum illud significat coctionem fieri breui non posse, nunquam in morbis acutis signa salutis tam breui euenient, sicut lethalia, si hæc citò venire possunt. Inquiro rursus, an ille morbus acutus, in quo farinaceum sedimentum datur, sit necessariò mortalis, aut non? Quòd sit necessariò mortalis, est apertè falsum, cùm multi ab eo liberentur: ergo si liberari possunt, inquiro rursus, an in eisdem diebus, intra quos erant morituri, si morbus exitiosus foret, liberentur. Si hoc dicas, iam farinaceum sedimentum non semper longam ægritudinem innuit: Si verò non queant intra eosdem dies terminum mortis includentes materiam morbi concoquere, quando salutaris est, etsi acutus, iam non erit vera doctrina prognostici, nimirum quòd in eisdem diebus mors, & salus eueniant.

Brauo Salmanticensis respondet idem præsagium exponendo, quòd Hippocrates est intelligendus, si virtus tanta sit, vt vsque ad iudicium possit perdurare: nam si adeò languida sit, vt ettamen non expectet, sed antea succumbat, non erit necessarium, quod morbus interficiat in eodem die, in quo liberandus esset ægrotus, quoniam liberari debet per crisim, & interfici etiam; cùm hoc sententia Hippocrat. apertè supponat. Vnde ex doctrina Brauo nunquam in febribus acutis farinacei sedimenti crisis mortalis tempore breui eueniet, licet mors breui venire possit, sed id sine crisi erit; quia Hippocrates (inquit) non dixit, febri lethali, & salubri eundem esse terminum mortis, & vitæ, sed indicationes vtriusque eodem tempore debere fieri: & taxat nostrum Vegam, quia suam expositionem non adduxerit, & meritò meo iudicio eam subticuit, si venit in mentem, quia falsa est; supponit enim, quòd febris acuta cum farinaceo sedimento crisim mortalem, nisi transacto tempore longo habere possit, cùm id planè repugnet febribus farinaceum sedimentum causantibus, quæ cùm acutissimæ esse soleant, & magni incendij, cùm sint colliquantes, nequeunt longam constitutionem habere, & cùm eis non repugnet per crisim necare, eam habebunt breuiter, quia intra propriam constitutionem iudicium erunt allaturæ; & historia Sileni 1. *epidem. sect.* 3. *text.* 19. quod dicimus apertè suadet, quia cum sedimento farinaceo plures euacuationes, perniciosasque crises natura tentauit. Quod etiam Hippocrat. 2. *epidem. sect.* 1. *text.* 9. docuit, dicendo: *Etenim eorum, qui statim morituri, & celeres indicationes, & labores celeres continui, & vehementes.* Ratio à priori est, quia in quolibet tempore morbi mortalis æger perire potest, & per consequens in quolibet prauas iudicationes habere.

Mihi videtur Galeni doctrina improbabilis, quatenus docet, quòd omnia sedimenta farinacea longam ægritudinem semper significant, si salutaris esse debet. Ratio est clara, quia si sedimenta hæc non dependent ex materia morbi, sed sunt in eius opinione carnes colliquatæ, aliquando non implicat liquari à causa febrili, quæ breui concoqui possit, cùm potiùs magnum incendium colliquans inflammabilem causam nimis, satisque tenuem arguat; crassa enim nunquam, aut rarò ita ardet, vt carnes colliquet. Nec iuxta mentem Authorum *eo aphor.* Hippocrates docuit, quodcumque sedimentum farinæ crassiori simile longam febrem significare: sed est particularis doctrina, quando nimirum succorum crassitudo, & cruditas, tenacitasque farinacei sedimenti, & febris est causa; non enim volunt expositores, quod omne sedimentum farinaceum ex colliquatione fiat, sed interdum ex humore crudo emanare: nec de hoc sedimenti genere loquutus fuit Hippocrat. *in prognostici opere*, in quo de acutis solùm febribus sermonem instituit, quæ nec ex crassis, & crudis

dis succis dependent, nec longæ ex propria constitutione sunt, & sic inter praua sedimenta reposuit farinacea, quia magnum incendium, & colliquans significant. Legite Antonium Musam *in expositione Aphorismi citati*. Mercurialis etiam difficultati succumbens in fine expositionis docet, esse intelligendum Hippocr. de morbis longis salubribus, quorum causa est materia cruda, crassa, & copiosa, & quia talis longitudinem potiùs, quàm mortem ex propria idea significat, ideò longitudinis fecit mentionem, & non mortis; vt constet, quòd in acutis farinacea sedimenta praua ferè semper sint, quia ex calore liquante procedunt, aliquando verò ex cruda, & crassa materia creari, quæ longum morborum præcipuè, & non mortem significant.

Secundum sedimentum colliquationem significans, erat lamineum, quod alio nomine spumosum appellari solet; illud verò fieri docet Galenus *in expositione Prognostici* ab inæquali consumptione solidorum membrorum. Verba sunt: *Prima enim noua, ac tenera pinguedo consumitur per huiusmodi febres, deinde durior, & vetustior, & ab iis deinceps noua, & tenera carnes; mox dura, ac vetusta, postremo iam solida corporis membra, quibus rursus inæqualiter consumptis, squamosæ particulæ pariter cum vrina excernuntur, & ob eam rem tales vrinæ deteriores sunt, quamquam tantummodo speciem farinæ referant crassioris.* Hoc sedimentum squammis piscium optimè depingitur, quæ paruæ laminæ sunt, plus latitudinis, minimum verò profunditatis habentes; quibus dimensionibus à furfureis distinguuntur, quæ profundiora, & minus lata, longáque sunt, & indè maligniorem causam significant, quia profundiùs excedit, & erodit, aut assat, de quibus Galenus 1. *de crisibus cap.* 12. scripsit: *At quæ folia repræsentant, sunt vasorum partes superficiales, quæ scilicet omninò sunt resolutæ, & contabuerunt, ita vt fiosfurea.* Differunt tamen, vt diximus, quòd sedimentum lamineum latius est, & tenuius; furfureum verò profundius, & minus latum, & inde hæc sunt deteriora farinaceis, quia solidiorum corporum affectiones sunt: tria verò dicta sedimina flammeam caliditatem significant, & colliquantem, vt Galenus *in prognostici expositione* docet: semper tamen laminea, & furfurea albicare percipiuntur; farinacea verò si ex sanguinis crassi vstione, aut colliquatione carnium fiant, rubra sunt, aut cum rubore subalbida, vt anteà docuimus. Est tamen notanda Galeni varietas contra causas sedimenti furfurei: *lib.* enim 4. *Aphor. text.* 77. docuit, fieri propter vstionem sanguinis, cùm farinaceum ex eadem materia fieri tradat, & inde malè vtriusque materiam confundit, cùm *in prognostico* tam diuersam tradiderit, & id sit doctrinæ Hippocratis conformius, furfureum vt deterius tribus anteà dictis putantis. Idem Galenus docuit, lamineum, & furfureum ex eadem materia magis, aut minus colliquata creari, 1. *de crisibus cap.* 12. vnde si furfureum ex sanguine vsto emanare posset, sic & lamineum, quod nullus somniauit.

Ex dictis constat, quòd si farinaceum sedimentum ex vstione sanguinis ortum colliquantem calorem innuit, certiùs multò eundem nigrum sedimentum cum splendore ostendet, cùm maiorem sanguinis vstionem arguat. Dixi notanter, *cum splendore*, quia nigrum mortificatum contrariam intemperiem ostendit, summam nimirum frigiditatem, vt planè Galenus docet.

Aliud sedimentum relatum ab Hippocrat. erat tenue, & album, de quo non dixit Galenus, si colliquantem calorem significet; putat verò esse minus malum tribus illis cum eo numeratis; eius generationem dicit esse ex humore semincocto, cui flatus tenacissimè coniectus, implicatúsque est, à quo extenuatur, & veluti diaphanum factum sedimentum ob lucem magnam, quam recipit, album apparet; omne enim diaphanum lucidum speciem albedinis imprimere, aut vt

A album percipi spuma docet, vt *libello de coloribus* Arist. tradidit; malitiam verò eius Galenus determinat, quia tenue est, hoc est, paruæ molis, & quantitatis: arguit enim expultricis collapsum, ea quæ præter naturam sunt, remissè, seu in parua quantitate pellentis. Quam opinionem Vega ad vnguem sequitur: Vallesius verò *in expositione prognostici* dicit fieri sedimenta alba, & tenuia ob flatum, qui nimis humorem distendit. Idem Brauo tradit, & Hippocrat. damnat, quòd inter sedimenta consumptionem significantia illud reposuerit, & ob id Galenus 1. *de crisibus, cap.* 12. in quo prauorum rationem reddidit, istius etiam meminit.

Difficile est tantis Authoribus refragari; duo tamen sunt mentem ipsorum redarguentia. Primum, B quòd si ob paruitatem expulsionis, vt putat Galenus, tenuia, & alba sedimenta Hippocr. damnaret, impertinenter omninò, aut sine ratione alba scripsisset, cùm talis color sedimento naturalissimus sit; vituperans ergo alba, & tenuia, in illis duobus prauitas, aut malitia consistere debet. Vrget etiam, quòd expulsionis paruitas cuicumque colori communis est, & eandem expultricis effeminationem significat, si plura sint, quæ debeant teneri; vndè & nigra, & tenuia, & pallida, &c. eodem modo vituperanda forent, & non solùm alba: tum etiam quia verbum *tenue*, paruitatem significare Galenus putat, cùm tamen tenue crasso opponatur, & non multo, & per consequens impropriissimè illum textum interpretatur. Secundum non minus vrget. Est verò epithetum, quod albis & tenuibus summus C Dictator dicauit, dicendo, *Tenuia, & alba valde mala:* de prioribus verò dixerat, esse mala simpliciter: addendo ergo albis, & tenuibus maioris malitiæ epithetum dixit: *Valdè mala.* Putauit non dubiè prius dictis maligniora esse. Vrget etiam ordo collocationis, & inter praua sedimenta repositio tam aliena tanto Authori, & operi, quò nihil perfectius, absolutiúsque scripsit. Non me latet, in quibusdam translationibus adverbium *valde*, non appellare supra *mala*, sed supra *tenuitatem*, & *albedinem*, vt sensus sit, *vadè tenuia, & alba sedimenta, mala:* sicque legitur in translatione Musæ; Vega verò, & Vallesius è contra legunt.

Proindè ego existimo, quòd tenuia, & alba sedimenta fiant ex partium solidarum colliquatione, ex quibus etiam fiunt laminea; esse verò deteriora, quia magis D comminuta, & colliquata ea membra arguuntur, & inde significare causam vehementiorem, quia maiorem extensiuè, & magis continuam, quod indicat ea comminutio per minimas partes præcisas: itaque vt non cadat sub dubio, quod farina, si minutissima sit, & vniformiter triturata, id habeat, quia plus fuit à lapide oppressa, & impulsa, confractave, partes verò crassiores minorem oppressionem habuerunt; sic in partibus seminalibus, si comminuantur nimis, maiorem, & vehementiorem causam significant, quia nulla pars passi violentiam eius subterfugere potuit. Nec inde rectè inferas, quòd hoc sedimenti genus erit furfureo malignius, quod est contra Hippocrat. *eo loco*, & contra mentem Galeni; nam furfureum, etsi non arguat eam E minutissimam comminutionem, arguit tamen vehementiorem causam, quia frustula expulsa profundiora multò sunt, quàm in albo, & tenui sedimento, vt quamvis causa non fuerit per tam minimas partes furfureo applicata, nec tam continuè; est tamen actiuior reliquis, quia distantiùs operatur, quod indicat furfurei sedimenti corpulentia versus profundum, quippè maior periculi ratio in his sedimentis in profunditate eorum consistit, quia vlcus cauum in solidis creatum, quod superficiali, si eiusdem sit moris, malignius semper, etsi superficiale sit maius: profundiora enim vlcera putredini maligniori, & magis obnoxia sunt. Nec rectè Vallesius negat, membra solida ita comminui posse manente vita, quod vt farina apparere nequeant,

nequeant, cùm id non probet. Nec Galeni locus in sui placiti confirmationem adductus ex 10. *meth. cap. vlt.* est ad rem, quia Galenus non negauit solidorum corporum liquationem absolutè, sed fibratum partibus idoneam consistentiam, & firmitudinem dantium.

CAPVT VI.

De signis colliquantium ex sudoribus.

GAlenus, vt vidimus *loco iam citato* ex *lib. 3. de caus. sympt. cap. 2.* docuit, quòd id quod per causam violentam liquatur, pellatur interdum per sudores; id verò contingit, quando iam validus, & vorax calor est, vt carnem, pinguedinémque non solùm eliquet, sed in vapores etiam permutet, qui cùm frigidiorem attingentes concrescant, & in aqueam substantiam vertantur. Notabitis tamen, quòd sudores perniciosi quidam dicuntur syncopales, alij diaphoretici; quod discrimen desumitur, non quia diaphoretici syncopen inducere nequeant, omnes enim in eam ferè semper terminantur; sed quia in causa, in modo coëundi, & in celeritate inducendi syncopen, variant satis; quippe syncopales prauitatem, malignámque causæ conditionem, potius quàm caloris vehementiam sequuntur. Est etiam in eis facultas retentrix nimis infirma, cuius lapsum expellentia deprauatio statim committatur; id enim, quòd non detinetur, statim pellitur, quod vitali spiritui propriùs, quàm reliquis conuenit, quia cùm impetum faciat, & instabilis ob propriam, naturamque leuitatem sit, firmiore retentrice, vt intra corpus quiescat, & maneat, eget. Vnde quia in magno retinendis languore, quod magis exhalatur, est spirituosa substantia, cuius defectum syncopa sequitur, inde syncopales sudores retinentia extremum lapsum atgaunt, & celeriter syncopa molestat. Sudores verò diaphoretici contrarias conditiones sequuntur; non enim tam praua, malignaque est causæ natura, sed intensione caloris potiùs sudores promouet, nec debilitatem retinentia tam magnam sortitur, & inde tardiùs in syncopen terminantur, quia retentrix constat: eo enim ipso quòd malignæ febres sunt tepidiores, vt Galen. dicebat, non eliquantur, priusquam insignem retentricis collapsum induxerunt: febres verò intensiores, quibus liquare propriissimum est, & magis conforme, malignitate nullâ egent, vt liquent; sed tam validus calor est, vt spiritus exeruet, & vt Iacotius docuit, vltimum etiam partium alimentum in vapores resoluat; vt tam crassæ substantiæ per cutem in forma sudoris reiectio fiat: posse verò spirituosam substantiam in sudorem mutari, publicum est, & id docet diariæ exquisitæ terminatio, quæ ferè semper per sudorem contingit. Differunt etiam sudores syncopales à diaphoreticis, quòd illi ferè semper sunt frigidi, aut tepidi; diaphoretici verò calidi, quia incendio magno, non vt alij, virtutis extinctione, celebrantur. Rursus syncopales minus inundant corpus, plus multò diaphoretici, & cùm cognitio incendij magni tam facilis sit, causa diaphoretici sudoris satis clara, & perspicua est.

De his duabus sudoris speciebus fecit mentionem Hippocrates 1. *progn. cap.* 8. secundum translationem nostri Vallesij dicendo: *Hoc autem scire oportet in vniuersum de sudoribus, quosdam fieri præ corporis debilitate, quosdam verò inflammationis vehementia.* Constat verò sermonem esse de malis sudoribus; boni enim non fiunt nisi naturæ robore: sunt verò syncopales, qui ex languidâ virtute proueniunt; diaphoretici verò, qui ex inflammationis vehementiâ; est enim diaphoresis idem quod digestio, seu resolutio. Vnde syncopales sudores febrem colliquantem rarò comitantur, nisi pe-

A stilentem, aut malignam; diaphoretici verò eam semper sequuntur.

Est verò facillimum malos sudores à bonis secernere; illi enim sine materiæ coctione fiunt, debilior manet natura, & morbus non solùm non redditur leuior, sed grauiùs à sudoribus opprimere solet; sæpè verò diaphoretici fallunt, quòd calidi sint, & ex toto corpore emanant, & in die critica fiunt, & cùm non fiant virtutis languore, sed incendio, virtus constat satis: fallaciam verò signa cruditatis detegunt, cum quibus rarò iudicia salubria sunt, circa quod damnanda venit multorum Medicorum imperitia, qui omnia signa non considerantes sudores ferè omnes iuuare solent, etiamsi in principio morborum fiant; illud verò est certum, B quòd sudores naturæ robore manantes, aquei nimis sunt, & guttæ magnæ, & diaphanæ: diaphoretici verò crassiores sunt, minus pellucidi, seu diaphani, quia pinguedo, aut caro liquatæ, aut in vapores versæ crassiores sunt, & corpulentiores, & inde minus aquei, & opaciores apparent: habent etiam glutinosam naturam, & certum lentorem, quæ optimis sudoribus inesse non possunt: quia aut ex humoribus, aut vaporibus fiunt, qui aquei magis sunt, & non lenti cum, voctuositate, vt diaphoretici, sempérque in sudoribus, vt in omni alia criticâ euacuatione consentia, & tolerantia attendendæ, vt iudicium de eorum bonitate, aut prauitate certius habeatur: vt enim turpis calamitas est, dato medicamento expurgatiuo eo die ægrum perire, quia mors Medico imputatur; turpior certè est propinate auxilium sudorem angescens, & in sudore animam C agere, quòd citiùs in sudore, quàm in alui deiectione æger pereat, & ignorantia Medici celari non possit, quòd non agnouerit talem sudorem perniciosum esse, quando ei opem tulit, suúque auxiliata.

Est tamen dignum consideratione, vnde proueniat, quòd quando natura materiam crudam per sudorem euacuat, lethaliter ferè affecta putetur. Cur die cris, non potest natura humorem non coctum sine periculo excernere? nam si quando humor aliquis intra vasa putrescit, necessionem facturus, cum natura à reliquis D secernit, & ad locum transmittit; potest etiam humorem putridum, non tamen coctum seorsim excernere, & à morbo liberare: non enim inquirimus, cur sit malum signum, sed cur sit mala causa? Nam quod communiter dicitur, significare materiæ prauitatem, aut copiam, satis non est, quia natura prauam, aut multam materiam euacuans statim, citiùs à morbo liberabit, nec obstat esse prauam materiam, si eam euacuat.

Sententia tamen Hippocratis est, quæ excernuntur cum materiæ cruditate, excerni exitiosè ferè semper, quia morbus non indicatur, & deterioris conditionis manere post iudicationem solet; in quem sensum dixit 1. *epid. sect.* 2. *text.* 45. *Concoctiones celeritatem portendunt iudicij, securitatemque salubrem.* Et *text.* 46. *Cruda verò, & inconcocta, atque in malos abscessus conuersa, aut acrisias, aut dolores, aut diuturnitatem, aut mortem, aut recidiuas.* Nomine *acrisia*, aut *per acrisias* intelligit, E quòd aut non fiant iudicationes, si cruda sit materia, aut quòd si fiant, sint prauæ, vt *in commenti.* Galenus interpretatur; rationem verò dictorum nullam adduxit. Eandem doctrinam Hippocr. reperis 2. *epidem. sect.* 1. *text.* 9. secundum Vallesij translationem (huius enim libri Galeni commentarij non extant:) *quæ autem indicant in melius, ne statim appareant indicatoria non indicantia, partim lethalia sunt, partim difficilis iudicij, quæ præindicata, si cum cruditate indicata sunt, recidiua: sin minus acrisia, fuerunt tamen lethalia, quæ non parua.* Quæ doctrina vt oraculum memoriæ tradenda, vt non ignoretis, quæ sint iuuanda, quæ impedienda, & quæ naturæ permitti debeant; estque doctrina ad rectè præsagiendum mirabilis.

Addu

Adducti dubij solutio à nullo, quem legerim, adæquatè traditur, cur nimirum crises sine coctione materiæ tentatæ tot mala causent, & nequeat natura materiæ non coctæ expulsionem securè tentare? Omnes enim malitiâ earum, vt signo traditâ, contenti sunt; dicunt enim aut prauam humorum conditionem, aut copiam, aut impotentiam naturæ significare; sed cur nequeat natura crudam materiam sine periculo mortis, aut recidiuæ, aut grauiorum accidentium reiicere, non dicunt.

Sententia nostra est, quòd si id, quod in foco continetur, concoctum non sit, frustra tentat natura expulsionem eorum, quæ ab eo corrupta fuere, quia quod in foco continetur, firmum semper, & stabile est, vt est in tumoribus humor, quem natura nunquam sine coctione reiicere potest. Fit ergo, quòd quando natura humores contaminatos à foco reiiciat, mouendo quod in foco est non concoctum, redit rursus nouum contagium, nouaque succorum corruptio: & cùm in crisi tentata turbatio succorum magna fiat, & multum patiatur natura (nam in optima crisi non leuiter patitur) debilitetur necesse est, quòd morbus recrudescens, & de nouo affligens, naturam debiliorem inueniat, & viribus carentem, vt tam prauam materiam, aut ante coctionem stimulantem emendare non possit, vt tutum sit, si morbus acutus sit, & virtus non nimis robusta, non succumbere morbo, & perire. Ratio periculi est in expulsione humoris non emendati; est enim tam pessima eius commotio, quòd nequeat sine insigni virium collapsu celebrari ob magnam spirituum consumptionem à prauâ, tetrâque exhalatione humoris corrupti causatam. Contrarias omninò conditiones optima crisis habet, quia fit concocta materia, expellitur nimirum absque notabili virium lapsu, & focus etiam cum illa, quia iam concocta fuit eius causa, & potuit expelli, & inde non manet occasio recidiuæ, & morbus securè iudicatur, quia praua exhalatio succorum non est. Hinc fit, tam perniciosam esse expulsionem in principiis morborum, quando ob prauitatem fit; est enim mala vt signum, & vt causa. Quando verò ob multitudinem solam celebratur, minus periculosa est: si verò quia languet facultas, exitium semper pollicetur, quia retentrix nec malum succum, vt eum emendet, nec bonum, quo indiget, continere potest: quo fit, vt adeò euacuatio extendatur, vt vsque ad interitum fluat.

Iis prælibatis, signa febrium colliquantium succinctè tradens Augenius scripsit: *Febris est ardens, aut pestilentialis, & ideò harum febrium signa præcedunt; excrementa alui calidissima in transitu sentiuntur, pinguia, atque vt plurimum subcrocea, aliquando vehementer crocea, nonnunquam viridia, semper tamen fœtidissima: color faciei statim mutatur ad chlorum, id est, ad pallidum, vel viridem, & parum postea ad plumbeum, statim decidunt vires, quarta, aut septima, aut nona moriuntur, aut certè ægrè conualescunt, & à tanto malo liberantur.* Quod dicit de termino mortis, de pestilentialibus, aut malignis febribus intelligendum est, si quartâ, aut septimâ mortem sunt inducturæ; ardentes enim longiùs durare solent, etsi colliquent; nam & vndecimam, & decimam quartam diem sæpè attingunt, & ampliùs interdum extenduntur, cùm in hecticas permutari soleant.

CAPVT VII.

De curatione febrium colliquantium.

NOn agimus in hoc capite de omnium colliquantium medelâ, inter illas enim hecticæ continentur, quarum curatio adducta iam est; nec de pestilentis, aut malignæ febris auxiliis sermo instituitur, sed solùm agimus de colliquantibus putridis, prout contra hecticas, & pestilentes distinguuntur, non quidem quòd auxilia adducenda pestilentibus conuenire non possint, sed quòd plura alia desiderent, quatenus pestilentes sunt, quorum hic tradendæ indicationes non sunt, sed illæ tantùm, quæ eis vt colliquantibus conueniunt.

Promiserat Galen. 10. *meth. cap. vlt.* colliquantium medelam, quæ inter eius opera neque sine mortalium incommodo non extat. Diligentius tamen pauca, quæ in vno, aut alio loco tradidit, explicantes, salubres indicationes ad eius mentem pro tam necessario argumento deducemus. 3. igitur *lib. de vict. rat. in acut. text.* 13. ita scripsit: *Horum igitur non immemor, cùm vel ex mulsa epota, vel absque ipsa quis spumosa simul, atque sincerè biliosa deiecerit, febrem scueris esse, quæ liquefaciat, & ad tabem perducat, atque ob id ab vsu mulsæ abstineto, atque ad ptisanæ cremorem deuenito, signum quodpiam coctionis morbi, quantumvis momentaneum ex vrinis obseruans, nam si tunc frigidam dederis, maximo eris præsidio.* Et cap. vlt. lib. 10. meth. dixit: *Hæc igitur cùm scias, etiam colliquantium febrium eisdem methodis curam ages; nam ad frigidam exhibendam quamprimum properans, tunc iis, quæ refrigerent, & humectent, nutries: mulsam verò inimicissimam censebis quâ tamen vti plerosque Medicorum in eiusmodi febribus vides.*

Ex quibus liquet, colliquatos humectandos, refrigerandosque esse; est verò intelligenda humectatio præcipuè substantifica, quia cùm colliquantes febres vtilem substantiam semper depascantur, renutritione egent, vt hectici; ob quod Galenus 10. *meth. cap. vlt.* iam *citato* dixit, eisdem methodis hecticarum colliquatiuis succurrendum esse, refrigeratione nimirum, humectatione, & renutritione. Quia verò diximus cum Galeno, febres pestilentes colliquare, & earum excrementis expulsis intolerabilis fœtor inest, summam putredinem indicans, humidúmque exorbitans ostendit, non decet sine multa præmeditatione humectare, cùm sæpè sit necessarium moderatè siccare ad inhibendam putredinem ob humidi exorbitantiam cum tam molesto fœtore enatā. Confértque moderata exsiccatio ad firmandam retinentem, ne præ humiditate, & laxitate deficiat, & ad obstandum carnium, & pinguedinis liquationi, & immodico fluxui, quas auget non dubiè humectatio, eo quod emolliat, & laxet, quibus ne fiant cum præcipitio virtutis, adstrictio moderata conducit nimis, quæ & retinentem stabilit, fluxum colliquatiuum coërcet, spiritus dissipationem cohibet, & maiorem conditionem, vt partes colliquationi resistant, eas moderatè densando, ponit; quæ, vt dixi, exequenda sunt, dum ob humidi immoderantiam putredo cum summo fœtore nascitur: nam si calor siccitati coniunctus colliquet, constat humectandum, refrigerandumque esse; tunc verò non putrida, sed exurentia excrementa apparebunt; quia verò pestilentes, & malignæ febres non intensione caloris, sed malignâ qualitate ad liquandum conducunt, constat fluxui colliquatiuo non nimis frigidis, sed alexipharmacis potiùs succurrendum esse: semper tamen diligenter contemplando, quæ sit colliquationis causa præcipua, cùm quædam febris præ incendio nimia colliquet, alia non; quia nimis intensa, sed quia acerrimum præ nimia ariditate calorem contineat, vt hecticæ secundæ, & tertiæ speciei; alia malignæ qualitati potiùs innititur; alia tandem virium languori, vt *in aphor.* 28. *sect.* 2. ex Hippocrat. diximus: quod cùm inuentum fuerit, salubres auxiliorum indicationes faciliùs inueniuntur, cuique causæ contraria applicando.

Decet in primis in magna quiete ægros detinere, sunt enim omnes colliquati debiles, quorum languor per motum augetur; idque præcipuè imperandum, quando quod liquatur, per aluum reiicitur: ex frequenti enim surrectione ad deponenda alui excrementa, in deliquium, aut syncopen incident, quod præceptum Aristot. non latuit; qui 1. *sect. problem. q.* 56. consuluit, vt æger quiescat, & immotus quammaximè iaceat: immotus (inquit,) quoniam ignem quoque marcescere certum est: vbi à nullo mouetur, nec aduersus flatus

iuuet, quoniam flatus excitat ignem, solicitatusque per auram ignis ex paruo magnus assurgit. Si verò calor præ nimia intensione colliquet, sub sindone pelles substernendæ sunt, ne lana, aut pluma culcitræ calefactæ colliquationem augeant. Sunt tamen huic malo culcitræ ex pluma paratæ perniciosæ, quoniam nimium calorem concipiunt, vt hydropicis sunt vtilissimæ; nec non quibus ob frigus, & humiditatem stomachus languet, si ex tenuioribus, seu volatilibus plumis sacculus constructus ventriculo applicetur, miro quodam modo calor ex pluma reflectitur, & membra frigida fouet, calida verò adurit, & liquat.

De somno, & vigilia docet Augenius, plus somno, quàm vigiliæ indulgendum esse, & hoc tam nocte, quàm die. Rationem reddit dicendo: *Quia sicut dormientibus vires instaurantur, ita & vigilantibus debiles redduntur.* In quo præcepto sic absolutè tradito fallitur non dubiè, quoniam nec malignis, aut pestilentibus febribus largus somnus, aut maior quàm vigilia idoneus esse potest. Cor enim, & viscera maximè offenduntur ob retrocessum vaporum malignorum ad intra, nec per somnum corpus rectè difflatur, & febris augetur, & si affectu inflammatiuo, aut erysipelaceo viscera afficiantur, vt in colliquantibus frequentissimum est, pernicies erit immodicus somnus, quòd internas fluxiones protritet, & viscera adurat. Quod si per sudores æger colliquetur, nocentissimus erit immoderatus somnus, quia sudores mouet magis quàm vigilia, vt *tract. de somno, & vigilia* retulimus. Alui etiam fluxiones intendit, quia intrò reuocat; vigilia verò, quia ad extra, & corporis ambitum mouet, fluxionem ab intestinis reuellit, vt balneum. Dormiendum igitur est tempore ad instaurandas vires requisito; & si insomnis sit æger, idoneis auxiliis conciliabitur.

Aër odoratissimus parabitur iis, quæ refrigerent, vt aceto ros. aquà rosaceâ diluto, rosis, violis, nympheæ floribus, & aliis huius naturæ per cubile, & cubiculum sparsis, & irroratis; hæc enim spirituosa sunt, & cordialia, quatenus odorata, & vt frigida attemperant cordis incendium. Aër tenebrosus mediocriter desideratur, lumen enim viribus officit, vt resolutorium auxilium: verùm si virtus constet, ad lucidum magis inclinat, quia alui fluxioni vt extra euocat, auxiliatur, tenebrosus verò intrò repellit; nunquam tamen permittendum, vt ad deponenda alui excrementa à lectulo surgat laborans, quòd nimiè vires exsoluatur, cuius conseruationi summè studendum; quod præceptum nunquam obliuioni tradendum, sicut quòd fluxus in principio febrium supprimendus non sit, etsi vtilis substantiæ liquatio fiat, quia quod fluit, est quod iam corruptum, liquatúmve fuit, malignum omninò, si detineatur futurum, quòd summam putredinem concipiat detentum: cohibitio enim fluxus non in astringendo, sed in causæ liquantis ablatione consistit, & hoc est, quod soli generosi Medici obseruant, triuiales enim floore vtilis substantiæ perterriti astringunt intrepidè; & si aluus cohibeatur, per tempus aliquod gaudent, cùm impetuosius, maligniúsque ab ea suppressione redeat, quia in copia maiori, & dum detinebatur, quia corrupta erat causa, contagium vehementiùs induxit, febres auget, & impetuosius fluens vires inopinatè debilitat, cum deliquio, aut syncope, sudoribúsque frigidis terrena; nec aliud præter dicta, qui statim intrepidè astringunt, quàm obstructiones, & putredinem augere lucrantur. Generosi ergo Medici erit in initio, quando virtus constat, fluxum permittere, & contra causam colliquationis egregiè pugnare: sic enim & morbo, & symptomati simul occurritur; nunquam tamen omninò fluxus negligendus, sed moderatissimè astringentibus, & siccantibus obstandum solùm, ne in præcipitium natura trudatur, quod de alui fluxione intelligendum est; quippe si per lotium colliquatio fiat, adstrictione opus non est, quod per eam regionem sensim natura, & nunquam cum præcipitio euacuet.

A

CAPVT VIII.

De alimentis in colliquante febre.

GAlenus 3. *de vict. acut. text.* 13. *iam citato*, mulsam vituperans ptisanæ cremorem commendat, qui cùm refrigeret, humectet, detersoriusque sit, & nutriens, difficilisque corruptionis, vtilissimus censendus est: quo testimonio redarguuntur etiam, qui statim astringunt immodicè, cùm in cremore ptisanæ ob detersionem contrarius affectus omnino adstrictioni detur, & illam Galenus imperet: Datur ptisana aut colata, aut non, sed integra; illa minus ab Augenio proba-
B tur, quia non ita fluxui obstet, non colata verò compactior est, & magis emplastica: ego neutrum perpetuum censeo, sed à viribus distinctionem sumendam fore, debilioribus enim colata, robustis non propinabitur. Idem distinguit obstructionum copia, & modus caloris; nimis enim obstructis commodior colata, vt calori acerrimo non colata vtilior. Idem distinguendum per aliam quamlibet vasorum occlusionem, aut apertionem; quod si sudoribus æger liquetur, non colata imperabitur, & eadem conuenit, vbi acerrimus calor ob nimiam siccitatem in solidis redditur, cui si aliquid recentis amyli misceatur, & sudoribus, & acrimoniæ succorum mirè succurit; in obstructis igitur, aut alio quouis modo viis conniuentibus non colata nociua esse potest, quia si detineatur, corrumpi facilè potest, colata verò faciliùs distribui-
C tur, & impetu delationis obstruentes succos dimouere potest. Notat tamen Augenius, quòd pater eius bolo armeno vtebatur felici successu, cuius drachmam propinabat in vino, aut aqua duabus horis ante alimentum, seu ptisanam; aquæ verò, aut vini vncia erat; quod auxilium securius est, quando iam fluxum cobibere tentamus; necessarium tamen, si malignitatis notæ sint, quia veneno egregiè resistit, de quo auxilio Galenus prædicauit, quòd quibus datum non profuit in quadam peste, nullo alio auxilio leuamen susceperunt.

Augenius verò aliud alimentum ex zea paratum extollit. Sumebam (inquit) farinam zeæ tenuissimam, quam in vase vitreo obductam imponebam, supra quam pul-
D uerem sacchari optimi addebam, ac rursus supra saccharum farinam, & sic alternatim, donec vas impleatur: erat verò hæc portio, vt pro libra farinæ vnciæ quatuor sacchari in puluerem redacti adderentur; hoc vase in furno calente imposito coquebam farinam, quæ reddebatur dura, & sicca, deinde ex ℥. iij. farinæ dissolutis in succo carnis (quem Auicenna aquam carnis appellat) & quartâ parte aquæ ros. & drachmâ dimidiâ santalorum alborum præparabam ptisanam ex zea præstantissimam. Interdum etiam simpliciorem parabam ex iure optimi capi facto aqua calybeata, addito rosaceæ tantillo, & sacchato, & interdum coquebam radices graminis in calybeato iure, ac eum farina dissoluebam semina frigida maiora, & dulces amygdalas, si in animo erat acres, & putridas humiditates per vrinarios meatus de-
E riuare; quam rem in artis operibus salutarem sæpenumero (inquit) obseruaui, dabamque huiusmodi compositionem bis quotidiè. Proprietates huius medicamentosi alimenti exponens, dicit: farinam ex zea (quam Itali vocant speltam) cum potissimum eligebam, cùm maius, leuius, & iucundius parare alimentum oportebat, quod potissimum euenit in corporibus gracilibus, habentibusque tenues succos, & facilè dissolubilibus; coquebam verò farinam, vt siccior euaderet, fieretque magis emplastica: saccharum gratum est, & detergit, aqua carnis mirè nutrit, rosacea vires recreat odore, & moderatâ astrictione fluxum reprimit, santali refrigerant, & cor stabiliunt, siccant etiam, & retentricem firmant.

Hic modus nutriendi in fluxu colliquatiuo, præcipuè si ex sordida, & fœtente nimis putredine oriatur,

mihi maximè probatur ; illud præcipuè, quod ante cibationem aliquo adstringente ex leuioribus ventriculus exterius firmetur, vt bolo armeno Pater Augenij imperabat, magnum præceptum est transacto iam primo fluxionis impetu. Solet ventriculus consensu irritationis fluxus colliquatiui alimenta, aut nullo modo, aut semicocta reiicere, cui incommodo extremè opitulatur moderata illa adstrictio ante cibum ; dare verò illud medicamentum duabus horis ante cibum, non omninò probo ; satis enim est, si per horam detur, ne virtus adstringens, quæ nisi ad præsentiam medicamenti durat, euanescat, dissolutáque sit. Quod præceptum etiam in alui fluxionibus, etsi vtilibus, est mihi familiare maiore parte materiæ euacuata; sic enim obstamus, ne retentrix ita labefcat assidua fluxione, vt in paralysim omninò incidat, & remedium non habeat. Hoc mihi firmum est, quòd moderata astrictio nulli naturæ operationi incommodat, sed omnes in symmetria operationis seruat, & tuetur. Obstat verò ne aliqua ita infirmetur, vt irremediabilis fiat ; docet enim experimentum euenire sæpè, quòd fluxio alui cum optimis signis incipiat ; in ipso verò fluxu sic retentricem infirmari, vt nihil posteà retineat, & æger pereat. Quid sit zea, non est facile dicere : legite Galen. *lib.1. de aliment. facult.c.13.* varias opiniones referentem : & cùm Galenus dicat *lib.6. simplic.* mediam naturam habere inter triticum, & hordeum, si non inuenistur exquisita zea, parari poterit ptisana ex hordeo solo, aut ex farinæ hordei partibus duabus, & vna tritici. Putat tamen Laguna *lib.2. super Dioscor. cap.82. ad finem,* non esse improbabile, quòd zea sit semen illud, quod Hispanè appellatur *Zenteno*, dicitur etiam Hispanè *espelta*, vt Mathiolus, & Laguna docent.

Aqua carnis variis modis extrahitur : sumitur enim caro perdicis, aut capi, aut gallinæ, & aqua acetosæ, aut rosacea lauatur optimè, deinde additur conseruæ, borraginis, buglossæ, & nenuphatis ana ℥. j. seminis papaueris albi, & lactucæ ana ʒ. j. succi granatorum acidorum ℥. iiij. diamargarit. frigidi ℈. iiij. misceantur omnia, & in duplici vase reposita distillentur secundum artem. Salubrius verò paratur, si caro perdicum, & capi cum frustis citoneorum coquatur optimè, & totum ius cum carnibus per alembicum vitreum distilletur addendo quæ in prima distillatione diximus, cum aqua distillata ptisana paretur ; meo tamen iudicio suauior, & securior parandi modus erit, si carnes cum relatis simplicibus coquantur optimè, & ablata omni pinguedine à iure, cum eo sine distillatione ptisana præparetur ; magis enim nutriet, & fluxum efficaciùs moderabitur, & est secundus modus ab Augenio traditus; sæpe tamen à carnibus tota pinguedo auferatur, quia colliquationi auxiliatur. Alio modo succus carnis extrahitur, sumendo frusta pulpæ pectoris capi, aut perdicis, & serico filo traiecta in vrinale vitreum nouum immittantur, ne tamen fundum attingant, & in balneo Mariæ reponantur ; extrahitur enim succus optimus, cuius medietas cum alia æquali quantitate iuris communi modo præparati miscetur, & lento igne miscentur. Alij gallinam, aut caponem lotum aqua rosacea, & optimè a visceribus repurgatum, crudum in mortario lapideo contundunt, & cum duodecim libris aquæ, & drachma salis ad tertias decoquitur, & deinde per setaceum traiicitur, & distillatur per balneum in vase vitreato vsque ad siccitatem : exit enim aqua purissima, cum qua ptisana parabitur. Datur etiam ad vires facilè instaurandas ℥.j. cum serapio idoneo morbo, aut symptomati, & quater in die propinabitur.

Alia alimenta præparanda etiam sunt iuxta conditionem, & ideam febris : nam cùm quædam maligna, aut pestilens sit, alia ardens, non tamen maligna ; alia verò ex debilitate potiùs quàm ex propria idea, non potest certus modus alimenti describi omnibus adæquatè conueniens ; communis tamen indicatio in colliquantibus est, vt alimentum optimè nutriat ob magnum virtutis dispendium, quod refrigidet, & humectet cum moderata adstrictione, & quod detur in mediocri quantitate ; omnes enim morbi per aliquam euacuationem corporis molem dissipantes, maiorem alimenti copiam exposcunt ob euacuationem assiduam. Est ergo respiciendum ad corpus, ad vires, & ad humorum corruptorum naturam, vt optimè cibatio instituatur, quæ respiciens Brudus *lib.3. cap.21.* sic alimentum parat pro febribus colliquantibus. Sumatur capo iuuenis, & crassus, hordei excorticati pug. iij. vox acerbæ, portulacæ, plantaginis, coriandri viridis ana m. j. bulliant simul, deinde coletur ius, de quo sumantur partes tres ; succi granator. acidor. pars vna, sorbitionémque crassam cum pane conficito. Ptisanam rursus non colatam sic conficit : duos pullos coquito cum tribus pugillis hordei decorticati, & vno portulacæ, & paulum antequàm ab igne amoueas immittito granorum mali punici acidi pugillum vnum, finito vt coquatur, donec hordeum rumpatur, & tenerrimum fiat : extrahito deinde hordeum, & addito pauco sacchato detur iis, qui viribus languent ; conuenientissimus cibus est colliquatis, quia attemperat, roborat, & facilè coquitur. Quòd si virtus constet, etiam hordeum poterit sumi ; nunquam in colliquationibus carnes recentiores conueniunt, sed quæ iam adoleuerint, vt colliquationi obstent, aluum sistant, & minùs dissipabiles spiritus generent, est inter cæteras carnes præstantissima perdicis, quia pinguedine caret, leuiter astringit, virtutem instaurat, & succus ex ea genitus mitè colliquationi resistit. Vbi verò præ nimio incendio æger liquatur, caro ranarum, & testudinum mirabilis est.

Pro communi poto aquam hordei, aut graminis Augenius commendat, & meritò succum granatorum acidorum, aut citri admiscet ; quo gratior potus, & plus attemperans, roborans que efficietur. Est tamen cauenda hordei aqua, si sudoribus æger liquetur, quia, vt notauit Massarias, sudores mouet, in quo euentu aqua pluuialis, aut optima fontana, quæ tamen nimis tenuia non sit, si frusto auri, aut calybis sæpiùs extincto præparetur, optima erit, præcipuè si cum succo granatorum propinetur ; & si nimis sudores molestent, tragacanthæ optimæ frustum in ea madefiet ad sudores sistendos, eadémque methodo, vbi aluus sistenda est, aqua hordei non conuenit, vt omnino detergens, sed quæ siccent cum moderata adstrictione. Vinum Augenius interdicit, nisi virtus langueat ; sed meo iudicio vbi consuetum est in omni maligna febre colliquante, si sit subadstringens, & aqua deaurata lymphetur, tutissimè dabitur ; in morbis enim virtutis collapsum breuiter minantibus non licet eius dissolutionem expectare, sed ne fiat, omni ingenio præcauere, quia iam inducta non suscipit tam facilè auxilium. Proinde si delirium desit, & capitis ingens dolor, aut interna inflammatio, commodè propinabitur, eò præcipuè quòd malignæ, & pestilentes febres intensæ non sunt, & virium iacturam efficacissimè machinantur ; trahentur semper in consultationem, quæ vinum prohibent, aut petunt, vt vtilis deliberatio fiat, virtutis tamen magna est indicatio, & omnes excellit. Sequens potus extollitur, si vinum dandum non sit : hordei excorticati ℥. j. ß. aquæ lib. vj. succi limonis ℥. ij. bulliant, deinde coletur, de quo bibat copiosè, si virtus debilis non sit, quia maximè confert.

Quantitas potionis in ardentibus citra inflāmationem parca non sit, in eis enim caloris magnitudine pereunt, & ita præcipuus scopus est attemperatio : pro febreque magis, quàm pro causa operandum, quia non ita obstruendo, quàm incensa interficit : quod documentum ad medicatas potiones se extendit ; dandæ enim in maiori copia, quàm pro communi vsu est, sæpiùs eas reite-

rando, si coctio alimenti, aut ventriculi languor vsum frequentiorem admittat. Nec alui fluor terrere non debet, cùm eius remedium attemperatio sola sit, quando præ incendio æger dissoluitur, & ad pensum attemperationis fluor moderatur; vellemque magis ex succis depuratis, quàm ex syrupis communibus potiones parare: ij enim in tam prolixa decoctione aliquid igneum acquirunt, & ob multum saccharum suspicione non carent, quòd inflammentur facilè & bilescant, & fluxum etiam detersione coadiuuent. Ex succis ergo scatiolæ, endiuiæ, de acido citri, & limonum, fragorum, & sonci, aliquid etiam succi portulacæ miscendo cum aquis idoneis optimè dilutis, & puluere electuarij de gemmis, aut margarit. aut crystalli, idoneæ potiones dandæ sunt; semper tamen, vt dixi, moderatè astringant, vt præcaueamus naturæ per aluum præcipitium.

Nec obstat, quòd in fluxu colliquatiuo damnentur adstringentia ab Hippocrate; nam 4. *de vict. acut. text.* 41. scripsit: *His igitur ita habentibus, si aluus liquida sit, ac colliquans, sorbitiones frigidiores, crassioresque exhibendas esse puto, potusque qui sistant, vinosioresque, quàm adstringentiores.* Quod præceptum absque expositione à Galeno relictum sic Vallesius exposuit: *Si verò sint* (inquit) *quæ alui colliquationem significant, ad sorbitiones, & crassiores conuertere: hic enim colliquescentia cessabit, & cum ea cessabit profluuium illud noxium; sisti enim debet, cùm colliquet; atque ita potiones sistentes esse debent, non tamen adstringentes.* Et inferiùs sic loquitur: *Proinde consulit* (Hippocrates scilicet) *iis dari potiones sistentes, alia ratione potius quam adstringentes, velut si aqua potu vsurus sit, satius sit frigida dulci, aut cum hordeo, aut re alia idonea elixata, quam calybeata aut parata cum mastiche: si vino, satius sit vinoso albo* (*diluto quantum oportet*) *ut ad vrinæ vias & corporis habitum aducet, quam nigro, & austero, quodque adstringat.*

Hæc doctrina Vallesij quatenus omnem adstrictionem tollit, sequenda non est, quia & rationi, & Hippocrati refragatur; rationi quidem, quia si ea, quæ fluxum sistunt, Hippocrates commendat, non potest non imperare quæ aliquo modo adstringant, cùm hæc aluum detineant promptissimè, & omni fluxui ablationem indicanti communia sint. Et contra Hippocratem loquitur apertè Vallesius, cùm dicat, dandos esse potus vinosiores, quàm adstringentiores; facit ergo comparationem inter duo illa, & docet esse debere vinosiores, quàm adstringentiores, hoc est, plus vinosi sint, quàm adstringentes. Comparatio enim fieri nequit, nisi inter participantia, quæ comparantur: est verò comparatio inter vinositatem, & adstrictionem, & dicit, potiones plus vinosas, quàm adstringentes debere esse, estque vtilissimum præceptum (vt dixi antea) quia moderata adstrictio, vbi fluxio alui datur, nunquam nocet, sed omne robur seruans, naturæ præcipitium præcauet: quæ verò nimis adstringunt, multis modis incommoda sunt: quia præter obstructiones, quas causant, & præexistentes, augent etiam indè putredinem, & exsiccant etiam nimiè corpora colliquata, & si malignum sit, quod mouetur, cum magno naturæ incommodo detinetur, vt interdum deliquia, aut syncopen excet. Vnde meritò Ludouicus Mercatus dixit, victum febris colliquantis refrigerantem, & modicè adstringentem, & crassiorem, quàm pro morbi ratione par erat, debere esse. Et Antonius Musa disiunctiuè legit dicendo: *Potusque qui sistant, vinosioresque, vel etiam adstringentiores.*

Dubitat tamen Musa, quomodo potus vinosiores imperentur, si reprimere oportet, cùm vinum potens est, & vehemens, aperiensque, non autem reprimens. Vndè potiùs (inquit) videtur danda aqua, quæ magis adstringit. Respondet, vinum vinosum esse duplex, quoddam austerum, quoddam non austerum; de vinoso loquitur, quòd astringit quodammodo, ita vt illa particula, *adstringentiores*, determinet vini genus, quod

A dari debet. Sed hæc Musæ expositio mihi non probatur, quia non rectè mentem Hippocratis exponit; hic enim Author *in textu* dicit ita. *His igitur ita habentibus, si venter liquidus fuerit, & colliquans, sorbitiones frigidiores, crassioresque exhibendas esse puto, potusque qui sistant, vinosioresque, vel etiam adstringentiores*; vbi disiunctiuè loquendo, apertè docet, vnum, aut aliud genus vini conuenire posse, & non semper quod magis adstringit, dandum esse. Hoc ergo vt certum accipite, nullum esse vinum, quod aliqua adstrictione destituatur; est tamen inter vina magnum in adstrictione discrimen, quædam vehementer adstringunt, alia mediocriter, alia verò minus. Vnde vinum intra suum genus, quo vinosius est, crassius est, & eo ipso magis adstringens. Hippocr. ergo gradatim insinuans naturam auxiliorum dicit:

B Dentur primò potus, qui sistant, deindè vinosiores, tandem adstringentiores. Per primos intellexit moderatè adstringentes; per secundos, mediocriter; per tertios, qui vehementiùs astringunt, & propriè vina acerba dicuntur, si in rigore de vino propriè dicto, quod ex vuis paratur, intelligendus veniat Hippocrates; quod mihi minus probatur: Sed pro vino succum intelligo, ex rebus idoneis, cuiusvis naturæ sint, expressum; nam in febribus cum mentis turbatione & delirio, vinum, & hoc vinosum imperare, etiamsi aluus fluat, amethodum est, & absolutè prolatum, temerarium præceptum. Est ergo documentum magni momenti in sistendis alui fluxionibus, illas cohibere, contra causas fluxionis directè, & principaliùs pugnando: hoc enim

C est magni Medici, & hoc intellexit Hippocr. dicendo: Sorbitiones frigidiores, & crassiores esse primò dandas, deindè potus, qui sistant, vinosiores, seu adstringentiores, vt indicatio exposcit iuxta fluxus vrgentiam: plus enim interest, si contra causam fluxionis directè pugnando fluxus sistantur, quàm si adstringentibus, & incrassantibus solùm; nam primo modo securè sistuntur, secundo periculosissimè, quia hoc occasio fluendi non tollitur; vnde cùm intus maneat, in partes internas præcipitari, & transmitti cum certo exitio solet, quod adstringentibus per aluum excerni impeditur. Ergo si acrimonia succorum aluum moueat, quæ mordacitatem obtundunt, reprimentia secura sunt, si incendium viscerum colliquet quæ viscera attemperant; si maligna qualitas, vt in peste, alexipharmaca: si ob humiditatem

D superfluam retentrix infirmetur, quæ siccent; si viarum apertio sola, quæ occludunt, & adstringunt; hæc enim fluxiones moderantur solùm, vt vias fluxionis coarctant, alias verò occasiones non tollunt. Vnde si detineatur solâ adstrictione, quod fluit ob alias causas, aliam viam quærere necesse est, & in partem debiliorem transmitti, quæcumque sit, & cum inæquali periculo, vt fuerit dignitas partis internæ.

CAPVT IX.

De frigida aqua. Si danda sit in colliquantibus.

E Meritò controuertitur, si omni colliquanti febri potio aquæ frigidæ salubris esse possit. Nec minus vrget dubium de tempore, in quo si conueniat, dari debeat. Galenus 10. *meth. cap. vlt.* & 3. *de victu acut. text.* 13. omni colliquanti, exceptis hecticis, aquam frigidam salubrem esse apertè docet; nam primo loco scripsit: *Hæc igitur cùm scias, etiam colliquantium febrium eisdem methodis curam ages, tum ad frigidam exhibendam quamprimum properans, tum iis, quæ refrigerent, & humectent nutriens.* Et loco de victu acut. dixit: *Atque ob id ab vsu mulsæ abstineto, atque in ptisanæ cremorem deuenito; signum quodpiam coctionis morbi, quantumuis momentaneum, ex vrinis obseruans; nam si tunc frigidam dederis, maximo erit præsidio.*

Circa quod auxilium prima assertio sit. In colliquantibus febribus præ nimio incendio danda est aquæ frigidæ potio vt remedium celebre: est communis Medicorum opinio, & lege contrariorum euidenter suadetur; quia si incendium tantum est, vt corpus colliquet, & ad tabem perducat, frigidum auxilium, & magnum indicatur, à quo tantus æstus possit extingui; nullum verò iucundius, efficacius, & celerius, securiusque huic periculo occurrens, quàm abundans frigidæ potus, præsertim vbi per salutem consuetus est, & corpus biliosum, & siccum: & hoc constat ex Galeni authoritatibus traditis, estque, vt dixi, extra controuersiam.

Secunda conclusio. Si colliquatio ex debilitate prouenit, perniciosus erit frigidæ potus ad satietatem datus, tum quia in ipso remedij vsu extincto calore subitò perire poterit, cùm in omni alia causa colliquationis potum indicante, vt temerarium auxilium censeatur, si virtus satis non constet; tum etiam quia occasio colliquationis in effæminatis augetur, quia aut humiditas excedens est, aut nimia membrorum mollities cum virtutis languore, quæ augentur non dubiè copioso frigidæ potu, & metus est, ne in omnimodam virium debilitatem incidentes, fluor irremediabilis fiat.

Tertia conlusio: In pestilentibus, & malignis febribus magna præmeditatio requiritur, vt frigida detur, quia cùm tales ob humidi exorbitantiam non tardè colliquentur, & tale vitium à potu frigidæ emendari non possit, timendum est, ne deinceps maior liquatio fiat, & cùm tam celebre auxilium non prosit, sitque magnum, non contemnendam noxam inducturum, est consentaneum. Accedit ratio efficax à causa desumpta, quia malignæ febres, & pestilentes tepidæ esse solent. Vnde incendium tantum non est, quòd copiosum frigidæ potum desiderent, estque inæquale remedium per excessum: calor verò ille remissus indicat, etiam in succis crassis causam febris consistere; ij verò à copioso potu frigidæ deteriores fieri consueuere, quia cùm non euacuentur, nec resoluantur; crassescant verò magis, & incrudentur, à frigida malignior redditur febris, etsi ad præsens mitior videatur, vt 9. *Meth.* Galen. notauit; pendere verò malignas febres à multis, malignis, & crassis succis, notauit Vallesius noster 7. *Epid. in histor. Fullonis, fol.* 410. & ob id difficillimam esse febrium malignarum medelam, quòd vrgeat malignitas, & quòd in humoribus crassis subiectetur, ad coctionem tempore longo egentibus, & nequit facultas tanto tempore malignitatem sustinere. Quo fundamento docet, in relatis febribus ante materiæ coctionem expurgare, esse methodicum, & rationale; non tamen propterea omninò denegandus est potus; sæpè enim in talibus febribus magna linguæ siccitas, & vstio percipitur, sitisque implacabilis & peruigilium molestat, vrina intensè flaua percipitur, linguaque interdum nigricat, aliaque signa internum incendium ostendentia apparent, inter quæ fluxus colliquatiuus leue non est: quibus visis, si virtus constet, frigida ad satietatem dabitur securissimè, extincto quippe interno incendio, melius habere incipiunt. Somnus conciliatur, appetitus ciborum redit, & molestia ex viscerum incendio mitigatur, minusque acria alui excrementa deponuntur, proinde cum minori molestia, & leuiori exulcerationis periculo, notando diligenter, ne inflammatio viscerum sit, quæ incrudata, & exitiosa reddatur, aut multæ obstructiones incommodent: hæ enim passiones potum frigidæ renuunt, nisi sit omninò concocta materia. Si verò erysipelaceus affectus colliquet, nihil magis quàm prædictum potum desiderat, quia aliter non sanatur, si Galeno credendum est 9. *meth. cap.* 5.

Circa quod non est sequendus Augenius, qui si inflammatione intestinorum aliquod, aut iecur, aut alia pars interna laboret, noxium putat potum frigidæ, ita vt eum nullatenus admittat. Est enim eius opinio Galeno aduersa, & rationi. Galenus enim ob timorem cadendi in hecticam à nimio incendio non timet incrudare phlegmonem: quam veritatem transtulit Auicen. *fen.* 1. 4. *tract.* 26. *cap.* 7. dicendo: *Et quando sunt quædam prohibentia, deinde timetur malitia caliditatis, & sitis, & existimas, quòd peruenitur per ea ad ariditatem, tum non prohibeat aquam frigidam; nam additio apostematis, & cruditatis eius melior est, quam extenuatio.* Quod præceptum Gentilis etiam amplectitur. Constat verò nullum esse certius principium cadendi in hecticam, quàm ipsa colliquatio: & in opinione Augenij putantis omnem febrem colliquantem sine hectica non dari, vrget magis Galeni doctrina. Notabitis tamen diligenter, ne simul copuletur cum colliquatione ingens tumor, hic enim omninò præ magnitudine potum copiosum frigidæ prohibet: augetur enim non dubiè à potu suffocatio, quia humor non minuitur, sed crudior redditur, & instrumenta respirationis minus obsequentia redduntur, & difficilius respirando æger suffocatur. Est verò facillimum distinguere, quando præ nimio incendio, aut præ magnitudine tumoris æger suffocetur, quia in primo casu maior est respiratio, celeriorque, sed minus crebra. Si verò magnitudo inflammationis oppresserit, parua nimis, sed minus celeris, creberrima, tamen redditur; nonnunquam verò in medio motus interrumpitur, quem offendentem spiritum Hippocr. nominat 4. *aphor. text.* 68. *& lib.* 6. *comment.* 54. Galenus docuit, ex duritie instrumentorum fieri aliquando: est etiam magna pulsus durities, si tumor ingens sit, nec difficultas respirationis calori proportionatur, id est, est maior, quàm incendium requirit, & per oppositas differentias: incendium enim magnam, celerrimamque, & crebram respirationem inducit, magnitudo verò tumoris minimam, minusque celerem, ob instrumentorum renitentiam, & impossibilitatem ad motum; creberrimam tamen efficit, præsertim in quiete externa ob intolerantiam, ratione cuius in medio motus fugiendo incendium molestiæ subsistere, intermittique solet; sensus etiam caloris minor est, vt constat.

Quarta conclusio: inflammationes thoracis, & pulmonis nullus ausus fuit per potum copiosum aquæ frigidæ attemperare. Ratio est, quia præterquam quod nimis frigidum, & in magna copia datum, est thoraci inimicissimum, impedit etiam sputum, medio quo tales inflammationes iudicantur, simúlque resudationem tollit ex loco inflammato: quod est exitiosum, quia siccas pleuritides, aut pulmonias facit, quæ sunt omninò mortales, & desperatæ. Si verò exquisitum sit erysipelas, quod incendio magis, quàm tumore suffocat, tentandum est copioso aquæ hordei, aut violarum potu mortale incendium reprimere; est enim timenda, aut suffocatio subita, aut syncops mortalis, aut alicuius vasis, aut substantiæ pulmonis erosio; estque in exquisito erysipelate ipsa attemperatio, concoctio quædam, aut vt loquamur propriùs, qualis est coctio in inflámatione vera, talis est in erysipelate attemperatio, ob quod Galenus in erysipelate exquisito viscerum ad dandam frigidam non requirit coctionem, 9. *meth. iam citato, cap.* 5. De hac passione loquens Tralianus *lib.* 12. *cap.* 20. dixit *in fine cap. Qui in pulmone habent inflammationem erysipelaceam, non adeo vehementer sitiunt, sed frequentem, magnamque respirationem edunt, genas habent rubentes, linguam scabram, & delirant, frigidumque aerem magis appetunt, magisque ab eo, quàm frigida potu iuuantur; hanc autem iis potius, qui in alia parte inflammationem habent erysipelaceam, offerre conuenit.* Quibus non negat frigidæ potum, si thorax afficiatur, sed securius esse, quando inflammatio erysipelacea alias partes molestat.

De occasione dandi copiosam aquam erat secunda pars dubij. Galen. non videtur constans illis duobus locis iam traditis; nam 3. *de vict. acut. text.* 13. signum quod-

piam coctionis, etsi momentaneum, requirit, vt talis Potio detur: at *lib.* 10. *meth. cap. vlt.* docuit, eisdem methodis colliquanies febres, quibus hecticæ, curandas esse, tum ad frigidam exhibendam quamprimum properando, tum iis, quæ refrigerent, & humectent, nutriendo. Si ergo quamprimum properandum est ad dandam frigidam, non sunt speranda coctionis signa; & mihi videtur hoc esse probabilius, quando præ nimio calore æger liquatur; esset enim temerarium signa coctionis expectare in morbo lethali, & fortassis illam nunquam concedet. Sunt enim colliquanies febres incensiuæ periculosissimæ, in quibus si coctionem materiæ expectemus, tam celebri auxilio priuabuntur, estque necessaria attemperatio, vbi tantus calor fatigat, vt morbi materia coqui, emendarique possit, alioqui maligniùs corrupta, insuperabilis fiet: partim, inquam, velut in focum transmittitur, exedendo, & sphacelando occultè. Quod documentum Augenius tradit. Accedit, quòd remedium hoc, quia magnum, debilibus iam denegatur. Vnde antequàm cadat virtus, imperandum est, & cùm omnis colliquatio à nimio calore emanans, hecticam eo ipso valenter machinari incipiat, remittenda est statim tam pessima permutationis origo. Neque Galenus *loco de vict. ratione* oppositum docet: non enim signum coctionis absolutè requirit, sed solùm, vt certiùs salutem speremus: quia cùm hoc auxilium tam celebre, & efficax sit, si per signa coctionis victoria naturæ iam ostendatur, salutem polliceri certiùs, & securiùs possumus: quod minimè fit, si cum cruditate omnimodâ propinetur, indéque huius remedij efficacia, & potestas perspicua satis fit, quod cum signo momentaneo coctionis maximum fore auxilium Galenus docest.

Ne tamen intelligatis, quòd quando Galenus docet, esse primum properandum ad dandam aquam frigidam, quòd ab hoc auxilio medela incipere debeat; nam cùm vicem auxilij attemperantis obtineat, eius indicatio propriè datur post euacuationem totius sanguinis missione, aut expurgatione, vt postea videbimur. Ratio enim statim à principio febris, quòd fit ex colliquantibus, agnoscitur: aut datur fluxus euacuationes totius impediens; ergo quod asserimus est, statim esse dandam hanc potionem euacuato iam corpore, non expectata coctione, præsertim quando præ nimio incendio, aut viscerum erysipelate colliquatio fit; quippe si in principio febrium tantum incendium datur, vt colliquet, in augmento, & vigore incendium suffocans timeri meritò debet, ne in hecticam febris permutetur; circa quod errauit Iacobus Hollerius 3. *lib. de morbis*, dicendo: Tempus aquæ frigidæ est, cùm res melius habere cœpit, & excrementa magis cocta sunt, quamquam & ante hoc tempus vti licebit frigida, siquidem æger vehementer appetit, & sitit, & potui frigidæ assuetus est. Sed reuerà non est expectandum, vt æger melius habeat, vt talis potio detur, sed dandus est vt habeat melius; illud enim nec certum, nec securum est, & inde signa coctionis expectanda non sunt, ne tam magno auxilio ægri priuentur. Quòd si ob debilitatem, & caloris vitalis paucitatem in copia magna dari non possit, in minori dosi dabitur, & crebriùs repetetur, obseruando diligenter, ne coctio alimentorum interturbetur.

CAPVT X.

De Lactis exhibitione.

Difficilius est explicare, si lac in febre colliquatiua conueniat, in qua non solùm per clysteres iniectum, sed per os assumptum, vt celebre auxilium commendatur; & per clysteres non cadit sub dubio vtiliter

A administrari; est enim quod per intestina delabitur, acre, & exustum, ac putridum, & necesse est oblinire intestina, ne exulcerent, & attemperanda etiam mordacitas excrementorum fluentium, dolorque moderandus, & detergendum quidquid lentum lente mouetur, & in intestinis hærere potest; quibus incommodis lac mirè succurrit, quippe parte caseosa oblinit, munitque intestina: sero detergit, & humiditate eius, ac frigore calorem excrementorum temperat, & mordacitatem parte butyrosa demulcet, & mitigat. Est ergo conuenientissimum, quia omnem indicationem complet: est verò eligendum diuersum lac, vt fuerit diuersa indicatio, asininum enim plus abluit, & detergit, cogitque per consequens excrementa, vt impetuosiùs descendant: ouinum verò, quia plus habet casei, & butyri, quàm asininum, oblinit, munitque intestina efficaciùs, & mordacitatem obtundit, glutinatque vlcera iam detersa: lac verò caprinum mediam naturam participat inter duo lactis genera tradita.

Ad attemperandum etiam, & detergendum excrementa, pthisana vtimur per clysteres iniecta, cui diuersa alia simplicia adduntur iuxta vrgentiam indicationis detergendi, attemperandi, aut obtundendi mordacitatem; de quibus indicationibus latissimè egi *cap. de dysenteria*; de quibus loquendo Aëtius *cap.* 38. *tetrab.* 3. *serm.* 1. sic scripsit: *Si acre sit, ac mordax quod excernitur, intestinaque indè ignescant, mordacitatem lenire oportet per infusiones, vbi vrgeat, nullo exacerbationum respectu habito, præterquam circa initium accessionis: infundatur autem succus oriza ad tactum tepidioris, itémque lac* C *tepens: si verò mordacitas cum tormine contingat, pthisanæ succus infundendus est cum ouis crudis, ac conquassatis, admixto rosaceo.*

Dubium maius est, si potatum lac conueniat in medela colliquantium: nam esse incommodum Hipp. docuit 4. *aphor. text.* 64. dicendo: *Lac dare caput dolentibus, malum; malum verò & febricitantibus, & quibus hypochondria suspensa murmurant, & siticulosis; malum etiam & quibus in febribus acutis biliosæ sunt deiectiones,* &c. Constat verò dicta omnia febri colliquanti inesse, quippe putrida est, & magna; auget verò lac putredinem ob humiditatem, & a magno febris calore corrumpitur, & nidorulentum euadit, vt in Aphorismi D expositione Galenus docet: & si in ventriculo per naturam calidiori corrumpitur, & nidorosam cruditatem inducit, vt idem Author tradit, non poterit corruptelam à calore febrili subterfugere, cùm sit naturali intensior; sitis etiam colliquatos omnes fatigat, & biliosis deiectionibus lancinantur; aliæ enim esse nequeunt: omnia ergo dicta lactis vsum interdicunt: quòd si colliquatio ab affectu inflãmatorio causetur, & sit in hypochondrio, lac pernitiosum erit, quia hypochondria suspensa sunt, & transitus impeditur, detentumque corrumpitur. Vnde Galenus cuiçumque tumori lac noxium esse docet, præsertim si iecur malè affectum sit, quoniam, teste Galeno, sano etiam, & firmo iecori obest.

Sed iis non obstantibus Horatius Augenius experimentis, & ratione confirmat, lac potatum maximè E conferre, & multos hoc auxilio persanasse. Ratio est, quia tantum calorem, qui iam colliquat, refrigerare, & humectare necesse est, simulque educere biliosos, & acres humores eam febrem causantes, eorumque acrimoniam mitigare, ne intestina exulcerent, quæ bona lactis vsus præstat: est verò intelligenda conclusio de lacte asinino; habet etiam hoc placitum suos patronos. Hippocr. enim 4. *de vict. acut. text.* 7. in ardente febre lacte asinino expurgat; cuius præceptum in expositione Galenus sequitur. Constat verò, quòd cùm illud præceptum omni ardenti febri commune sit, si os amarescat, & hoc in colliquatiua dari possit, quia nulli magis, quàm ardenti colliquare conuenit, conueniet per consequens iuxta mentem horum Authorum lacte expurgare. Quinimò

si signa eo textu adducta considerentur, vt decet, perspicuum erit colliquantem febrem innuere. Adducit enim linguam siccam, asperam, & nigram valdè, morsum, & tormina ventris, liquidas & pallidas deiectiones, cum forti siti, peruigilio, & mentis commotione. Quis verò dicta signa statim in febris initio percipiens, futuram colliquationem, seu colliquantem causonem iustissimè non timebit. Sunt verò talia signa, quæ in aphorismo lactis vsum reformidabant, vt locus hic aphorismum faciat non perpetuum. Eandem doctrinam Aëtius tradidit *tetrab.* 3. *serm.* 1. *cap* 39. *Conuenit* (inquit) *quoque bis lac potatum, ad quod quarta pars aquæ est effusa, decoctione ad tertias facta.* Aretæus 1. *lib. de curat. acut. cap.* 1. phreneticis ore ventriculi æstuantibus, ardoremque concipientibus lac dare præcipit: & *cap.* 3. *eiusdem libri* agendo de tabis curatione, quam inter morbos acutos reposuit, lactis vsum commendat; per quam tabis speciem intelligo illam, quæ à peturente calore causatur, & corpus colliquat; nullam enim inuenio inter morbos acutos numerabilem: & ita Cardanus *errore* 99. carpit Medicos lac, & oua in febribus dare timentes, docetque hecticis omne lac conuenire, reliquis verò febribus solùm asininum; meritoque putauit Vallesius noster in expositione textus allati ex 4. *de victu acutor.* lac imperatum fuisse ab Hippocrate, quia sorbitio nutriens est, & expurgans, & minimè noxia. Hoc medicamento video vix nunc aliquem Medicorum audere vti, quòd lactis incommoda pertimescant. Ego verò scio, me cum magna vtilitate in huiusmodi affectionibus eo vsum: nec quidem de asinino, vt de aliis lactis generibus censere oportet, quia est valdè serosum: in quo textu ad expurgandum in cholera sicca lac Hippocrates commendauit; quorum Authorum doctrina verissima, & sequenda mihi videtur in ardentibus ob acrimoniam succorum, & calorem æstuosum colliquantibus, etsi securius in minus æstuosis, acerrimis tamen humoribus illud putem, quia minus corrumpitur, & acrimoniam mirè demulcet, eosque expurgat. Est verò intelligenda doctrina siue per alvum, siue per vrinas colliquatio fiat, vbi calidorum, & acrium succorum redundantia percipiatur, expurgatione egens; præcipua enim indicatio, ob quam lac conceditur, expurgatio est.

Si verò affectio inflammatoria, & vstiua colliquet, non caret lac suspicione; detinetur enim ob viarum coarctationem à viscere, aut parte tumente, & malignè corrumpi potest; quod intelligendum est, si in prima regione, aut in iecore, aut liene inflammatio detur; quod si eueniat, vt ichores mordaces, aut alis acria excrementa per alvum deriuentur, & tormina causent, aut in ostium ventriculi expulsa cardialgia molesta sequatur, lactis sero vtilissimè, & securè exturbabuntur, quod absque corruptionis periculo dari potest, & egregiè alvum mouere Galenus docuit *lib. de euchymia, & cacochymia.*

Magnum etiam auxilium est in hoc casu ad mitigandum incendium, extinguendam sitim, obtundendam acrimoniam, pthisana rectè præparata, cuius debet esse frequens vsus, licèt vi expurgatoria careat; est enim alimentum optimum, & medicina, cuius virtus augebitur additis simplicibus, aut diuersa indicatio detergendi, deobstruendi, mouendi vrinam, & concoquendi materiam inflammationis. Est verò danda aqua hordei cum minima cremoris, aut lactis eius portione, sic enim plus medicamenti, quàm alimenti participat.

Lac verò asininum dandum est in principio febris colliquantis post totius euacuationem, si sanguis mittendus sit. Ratio est, quia datur tanquam eductivum humorum mordacium, & calidorum. Dixit verò Hippocrates 2. *aphor. text.* 29. in principiis morborum mouendum esse, si quid mouendum videatur: quod præ-

A ceptum *in comment.* Galen. de missione sanguinis, & expurgatione interpretatur, & ita statim ac Medicus percipit colliquationem per alvum, præcipuè si tormina vexent, dandum est lac, vt mordacia excrementa educantur, intestina muniantur, & calor temperetur, qui iam colliquare incipit. Quinimò omnibus accidentibus febrium colliquantium tam directè lac asininum opponitur, vt celebre auxilium indicandum sit, quippè præter eductionem mordacium excrementorum sitim mitigat, somnum conciliat, intestina oblinit, febrem extinguit, & tabi succurrit; quæ omnia cùm post principium vrgere soleant, etiam post illud dari poterunt, sed non in tanta quantitate vt dabatur, propter expurgationis indicationem.

Quantitas verò danda certò definiri non potest, cùm
B ratione ætatis, viriumque, & copiæ excrementorum, & morbi magnitudinis indicibilem variationem suscipiat; illud tamen certum esse debet, in leui quantitate dandum non esse, quia sic expurgatorium non est, egetque aliqua repetitione, vt relata iam commoda præstet; vnde Augenius dicebat, non esse satis expurgasse semel, quia adeò multa est, & sordida putredo, tantusque viscerum ardor, quòd morbus non cedat, nisi tribus successiuis diebus potetur. Modus autem dandi est, vt æger tantum lactis bibat, quantum vno haustu bibere possit: post verò exiguo spatio interposito rursus bibat, & ita faciat tertia, & si oportuerit, quarta vice: inquitque, dictum modum esse vtilissimum ad consequendum omnes scopos expurgandi, detergendi,
C attemperandi incendium internum, obtundendi acrimoniam, & præcauendi tabem: estque modus hic sibi familiaris in harum febrium medelis.

Cardanus verò *lib.* 2. *contradicent. Medicorum, tract.* 4. *contradict.* 1. dicit: *In purgando autem, etsi Hippocrates ad centum & viginti uncias ascenderet, asinini lactis ad octoginta ad centum dare sufficit: coquatur autem, perpetuóque misceatur, auferaturque spuma supereminens, & quidquid pingue est, aut lebeti hæret: melius est lac asininum expurgandis tabidis, aut consumptis, & acribus humoribus, ac erodentibus; v esionem enim iam factam prohibet, quantò magis ne fiat, atque in his aqua lactis melior est: at lactis aqua à viginti unciis datur ad* 40. Locus verò Hippocr. vbi tantam lactis copiam imperat, habetur 4. *de vict. rat. in acutis, text.* 29. non enim minus quàm
D duodecim heminas bibere præcipit, & si virtus ferat, sedecim magis; capit verò hemina vncias nouem. Dixit verò *in comment.* Galenus, non debere admirari tantam quantitatem, cùm omnibus antiquis ita assuetum fuerit. Quòd autem de lactis coctione Cardanus dixit, fuit primò præceptum Hippocr. loco iam citato, quod perpetuum esse non debet, quia vis expurgatoria minuitur. Vnde si intentum sit expurgare, & æger flatuosus non sit, sit tamen robustus, crudum dabitur; sin minus leuiter coquetur, vt flatulentiam deponat. Docet verò Galenus, esse admiscendum aliquid mellis, aut salis, vt coagulatio impediatur, quod etiam saccharum præstat, & securius est, quia minus siccum, & calidum, etsi quæ à Galeno miscentur, securissima
E sint, quia in tam parua quantitate cum tanta lactis metuenda non sunt.

Si verò robustus sit æger, vsque ad heminas decem dare possumus. Hanc enim quantitatem cum magna vtilitate Augenius expertus fuit. Vallesius verò 3. *acut.* exponendo Hippocratem duodecim heminas imperantem, fatetur, se nunquam ausum fuisse tantam lactis copiam, vt dabant antiqui, propinare, sed solùm dabat lactis asinini, aut seri sextarium, vel sesquisextarium: capit autem sextarius heminas duas, quæ decem & octo vncias continent; erat verò maior quantitas, quæ à Vallesio dabatur 27. vnciarum, quæ non videtur mihi sufficiens pro robustis hominibus; magnam enim quantitatem à dosi consuetâ antiquorum Vallesius tol-

lit, quæ cùm experimento probata ab eis fuerit, ſuſpicione omninò caret. Cùm verò lactis exhibitio reiteranda ſit tribus ſucceſſiuis diebus, vt Angenius notauit, poterit Medicus à medioeri menſura incipere, quæ vt expurgauerit, ſi augenda ſit doſis, aut non, declarabit; medioeris verò menſura metienda erit ex ætate, viribus, naturâ ægrotantis, incendio maiori, aut minori, & ſuccorum copiâ, & malignitate. Illud verò teſtari poſſum, mihi eodem tempore duas puellas febre vſtiua, & colliquatiue detentas commiſſas fuiſſe: erat altera obediens; alia verò lactis deglutionem omninò recuſans; illa effugit periculum; hæc verò animam egit.

Ad argumenta reſpondetur, quòd lac aſininum non corrumpitur à calore febrili, nec nidorem contrahit, quia eſt humidiſſimum, & nimis ſeroſum; butyri verò pauciſſimum habet, & in tanta quantitate datum non vincitur à calore, ſed calor potiùs extinguitur eo modo, quo in bilioſis febribus aqua multa data eas extinguit: ſi verò pauca propinetur, bileſcere ſolet. Vnde lac neque auget putredinem, nec febrem, ſed omnia moderatur; cauſa enim febrium colliquantium (ſi peſtilentes excipias) ſemper ferè vſta eſt, & acerrima, cui ex diametro lac opponitur humiditate, & frigore, & inde nec eſt putredo, quæ poſſit augeri, ſed vſtio, quæ emendari deſiderat humore, & frigore; lac verò in tanta quantitate datum non detinetur, ſed cum excrementis pellitur, & per vrinas deriuatur: quod verò in bilioſis deiectionibus vituperetur, non de aſinino intelligendum eſt, ſed de illo, quod vt alimentum concedi ſolet; eſt verò ouillum, aut caprillum, quæ corruptionem facillimè concipiunt ab incendio interno ob copiam butyri, & caſei: & quia in pauca quantitate tanquam alimentum ſemper datur, quibus noxis aſininum caret, & iam conſtat Hippocratis & aliorum authoritatibus dandum eſſe.

Notabitis tamen, quòd cùm lac tanquam auxilium eductorium ſuccorum mordacium imperetur, debet per conſequens ante aquæ potionem imperari, vt omne auxilium vniuerſaliter evacuatorium attemperantibus præire debet: fruſtra enim attemperatio tentatur, ſi bilioſorum humorum copia moleſtet: præterquam quod lactis potio hoc ſingulare habet, quòd ſit auxilium eductorium ſimul, & attemperans; attemperat verò bifariam, & humores, excrementaque vſta extrahendo, & propriis qualitatibus incendium, vſtionémque contemperando. Quibus verò lac incommodum ferè cenſetur, aqua frigida dabitur, oportétque omnia diligenter inquirere, vt recta horum auxiliorum deliberatio fiat.

CAPVT XI.

De reliquis auxiliis colliquativis.

CVm dictæ febres vtplurimum ardentes ſint, & vſtiuæ, conſtat in earum initiis vt ardentes curandas eſſe, & ſic evacuatione per miſſionem ſanguinis indigere. Rarò enim in mali exordio colliquatio apparet, cùm accidens magnam vim in cauſa requirat. Incipit verò omnis febris à minima: quòd ſi ob affectum inflammatorium, aut eryſipelaceum viſcerum colliquans febris eveniat, audaciùs ſanguis mittendus in inflammationibus, & ab omni expurgatione vt à veneno fugiendum; in eryſipelaceo verò affectu attemperatio vrget magis quàm evacuatio, ob quod Galen. docuit *9. Meth cap. 5.* aliter quàm frigidæ potione ſanari non poſſe: ergo in inflammationibus eadem methodus ſervabitur, vt partis affectæ inflammatio requirit, ex qua ſi aliquid acre, & exedens emanet, vt ſolet, quod eroſionem ventriculi, ſeu cardialgiam malignam cauſet, aut tormina in ventre, vt ea excrementa eluantur, lac aſininum dari poterit, vt docuit Aretheus; aut quod ſecurius eſt, ſeri conveniens copia, quod præcipuè imperandum, ſi ventriculus moleſtetur; nam vbi inteſtina tantùm afficiuntur, elyſteribus detergentibus, & attemperantibus dolori, & eroſioni occurremus, ex lacte aſinino, vel ſero, aut hordei lacte paratis, quibus miſcebuntur aut anodina, aut extergentia, aut emplaſtica iuxta vrgentiam humoris, aut excrementi fluentis: quoddam enim lentè mouetur, & extergentia, abluentiaque deſiderat, quia lentum, & craſſum eſt; aliud exedit, & acerbè in tranſitu excruciat, quod emplaſtica, & mitigatoria cum lenioribus extergentibus petit, de quibus iudicationibus *cap. de dyſenteria* agitur.

Si verò abſque inflammatione, aut eryſipelate viſcerum calor magnus, & colliquans ex copia ſucci bilioſi manet, quamuis ſanguis mittendus ſit, ſed moderatius, oportet ſtatim bilioſa, acria, exedentiaque excrementa educere, præſertim ſi ob prauam victus rationem genita fuerint; nam vbi cacochymia praua adeſt, ſi ſemel accendatur, ſerpit putredo celeriter per totam cacochymiam, & febres continentes, aut eas æmulantes creantur, & ardentiſſimæ; in tanta verò humorum corruptela miſſio ſanguinis minus indicatur, expurgatio verò prauorum neceſſaria eſt, antequam vires deficiant, quæ breuiter effæminantur ſub tanta humorum prauitate, quia pauciſſimum boni eſt, ex quo refici poſſint. Sunt etiam carnes ex vitioſis humoribus genitæ eis ſimillimæ, multaque in ſe praua excrementa continent, quæ cum carne ipſa, quia infirmiore, liquantur facillimè, in humores, ex quibus factæ fuerunt, degenerantes, ſicque tabe breuiſſimè conficiuntur: vnde neceſſitas eductionis prauorum ſuccorum magna eſt: quod diligens Medicus aſſequi debet, ne in tam atroci malo peccatum aliquod, quod niſi graue eſſe non poteſt, committat.

Si verò expurgato iam corpore fluxus colliquatiuus incipiat, notandum eſt, ſi ſufficiens eductio facta iam ſit; nam ſi adhuc copia prauorum depoſita ſatis non ſit, vtiliſſimè quod remanet, lacte aſinino expurgabitur, eo modo, quo docui; ſi verò ſatis, ſi ſemel aut bis propinetur, cùm iam maior pars prauitatis depoſita ſupponatur per primam expurgationem; vt enim in ſuccorum mordacium per inteſtina affluxu, ex quo maligna dyſenteria timetur, expurgatio conſulitur, eadem indicatione, vbi colliquatio ob prauos ſuccos, incipit timenda eſt inteſtinorum exulceratio, & ſimul etiam corporis totius conſumptio, idemque præceptum in peſtilentium medela obſeruandum.

Si verò per primam purgationem cacochymia depoſita ſatis videatur, & fluxus colliquatiuus incipiat, non licet amplius educere medicamento expurgante, ſed potio frigida dabitur, vt colliqueſcentia impediatur, & alui fluor ceſſet, aut moderetur, & ſi adhuc duret, detergentibus, & contemperantibus auxiliis, quod ex pinguedine, & carnibus liquatur, extrahendum eſt, & impedienda excoriatio inteſtinorum: non tamen debet alui fluor ita Medicum terrere, ſi interna inflammatio ſit, vt ob illum ab omni miſſione ſanguinis ſtatim abſtineat, cùm internæ inflammationes alio auxilio neſciant ſedari. Idem de exquiſito eryſipelate cenſendum, licèt in eo ab inflammatione diſcrepet, quòd frigidam potionem expoſcat, quam inflammatio recuſat, niſi ardentiſſima ſit.

Quòd ſi expurgato ægroto in principio lacte, aut alio medicamento, neceſſarium videatur ampliùs educere, optimè fiet, ſi Augenio credendum eſt, dando drachmas decem medullæ caſſiæ fiſtulæ, & drachmam vnam & dimidiam medullæ tamarindorum, cum drachma & dimidia trochiſcorum de camphora. Quod auxilium non ſemel, ſed bis & ter repetendum eſſe docet,

&

& nunquam in cassum propinatum esse prædicat. Augerem ergo tamarindorum dosim, & cassiæ minuerem, quia contra febres ardentes & malignas streouum auxilium est, putredinem simul coërcena; in decocto etiam scariolæ, endiuiæ, oxalidis, tamarindorum, & florum cordialium rhabarbarum infundit, cuius expressioni iulep. rosatum admiscet, aut drachmas sex serapij citoneorum, & illud præbet. Laudat etiam mycleram Nicolai, & trypheram persicam, præcipuè si drachma semis trochiscorum de camphora misceatur; verùm myclera adstringit nimis, & exsiccat, purgat verò mitissimè. Vnde in mali exordio, quando maior expurgatio desideratur, adstrictio verò periculosa est, non conuenit; est verò vsus eius commodus, quando iam partes firmari, & reliquias excrementorum educere decet. Tryphera verò in principio vtilior est, quia magis expurgat, attemperat, & simul roborat. Semper tamen de virtutis constantia magnum, & certum indicium ad expurgandum requiritur, quia hoc malum ocyssimè virtutem effæminat, præcipuè quando occulta fit colliquatio, quia in hac spirituum vitalium magnum fit dispendium: si verò incepto iam alui fluxu expurgatio imperetur, prædicere oportet ratione noobi fluxum colliquatiuum venturum, ipsumque periculosum, ne medicamento imperato cum Medici dedecore fluxus imputetur, & mors.

Est etiam magni momenti in colliquatiuis febribus, non tamen internè, sed exterius etiam attemperare; auxilia verò exteriora illis solis partibus, in quibus præ cæteris æstus, aut dolor, aut tensio cum dolore, & incendio percipiatur, applicari debent; pro qua indicatione status hypochondriorum diligenter explorabitur, vt pars malè affecta inveniatur. Rarissimum enim est, in hypochondrio, aut in vena caua aliquem inflammatorium affectum, aut erysipelaceum, aut obstructionem ab exedentibus, aut vstiuis succis non dari in febribus iis, & partis incendium mitigare celebre est, vt de hecticæ origine ex Galeno retulimus: ergo si inflammatio interna detur, ex proprio est capite accipienda medela: si verò ventriculus æstuet, auxilius à Traliano traditis attemperabitur, de quibus *lib.* 12. *cap.* 13. scripsit, vtilem esse aquam frigidam cum rosaceo subactam extrinsecus appositam, aut sesamum aquâ maceratum, deinde cum rosaceo diligenter leuigatum. Benefacit etiam ceratum rosaceum, cui admixtus sit portulacæ, & agrestæ succus æquali portione. Et inferius commendat succum lactucæ, cucurbitæ, portulacæ, solani, seridis, & vuæ acerbæ; is non solùm attemperat, sed roborat. Legendus est hic Author *cap. vlt. suorum operum*, in quo agit de erysipelaceo viscerum malo ex Aëtij mente *tetrab.* x. *serm.* 1. *cap.* 89. Est verò optimum cataplasma ex æquali portione succi semperviuæ, plantaginis, portulacæ, agrestæ, granatorum acidorum cum hordei farina; permutabitur verò antequam exsiccetur, & incalescat, quo præcipuè vtendum, quando locus erysipelatus profundior sit, vt virtus ad passum distans permeare possit in forma solidiori agente applicato, & crebriùs renouabitur, addendo semper aceti rosac. parum ad penetrationem, eisdem succis pars affecta fouebitur, aut lintea eis imbuta applicanda, & crebrò reiteranda. Quòd si inflammatio cum incendio sit, aliquid mitigatorium addetur, vt oleum ros. violaceum, & nenupharis; semper verò ea simplicia eligentur, quæ partem affectam cum proprietate respiciant, quòd hæc plus auxiliatura credantur; vt si iecur æstuet, eligendus præ cæteris succus endiuiæ, scariolæ, seridis, sonchi, fumariæ, ros. eupatorij, & cucurbitæ; ventriculo verò æstuanti auxiliari plus creditur succus citoneorum, aut omphacij, aut granatorum, vel poligonij, pirorum, cerasorum acidorum, vmbilici veneris, & portulacæ: cor verò attemperabitur aqua ros. nymphææ, acetosæ, buglossæ,

A & borragiois, cum pulueribus santalorum, coralli vtriusque, cum croco, & aceto rosaceo, & granis sex camphoræ: Thorax verò, si incensus nimis appareat, attemperandus est iis, quæ nullatenus vim adstrictoriam participent, ne resudatio ichorum, eorumque excretio impediatur: pro qua indicatione laudatur sequens auxilium. Decoctionis hordei excorticati lib. 1. olei violacei quarta vna, misce fortiter agitando, & thoraci applicetur tepidum, & sæpè remoueatur; valet in septi inflammatione, pulmonia, pleuritide, ardentibus febribus, quia nimis humectat, attemperat, & respirationem faciliorem reddit.

Si tandem inquiratis, quomodo liceat colliquatiuum fluxum adstringentibus sistere. Respondeo, quòd etsi caro, aut pinguedo, aliavè vtilis substantia sit, B quæ colliquatur, non decet illam interiùs detinere; caro enim, & pinguedo colliquatæ malignam iam naturam inducunt, & prauiorem deteutæ concipiunt, vt non multum à venenis discrepent, quod intolerabilis earum fœtor planè ostendat: succi etiam per colliquationem expulsi pessimi, omnioóque contra naturam sunt, quia sinceri, exusti, ac exedentes, ob quod absque graui vitæ periculo detineri non possunt: ex quo documento, quod euidens est, elicitur, generosi Medici esse fluxum non adstringentibus, sed ablatione causarum fluxum causantium cohibere, vt si causa colliquatiui fluxus emendata non sit, nullatenus liceat adstringentia imperare, nisi quando iam virtus collapsa fluxum sustinere absque certo vitæ periculo C nequit, quod bonum, & vtile vitam seruans, paucum iam sit, & si permittatur fluxus, æger periclitabitur, quòd pauculum, quod superest, vtile cum prauo eiicietur. Ob quod cautè Vallesius noster legendus est 2. *Meth. cap. vlt.* dum dicit: *Si enim pro morbi materia excernantur ex ventre pinguia, aut cruenta, aut ramentosa, nullus eam evacuationem iuuare studeat, sed sistere, qua non dubiò morbo nulla ex parte imminuto facultatem plurimùm deiiciet.* Sed certè etsi pinguia excernantur, expurgatio idonea esse potest ob prauitatem succorum colliquantium, sicut in dysenteria methodicè fit, quando ramenta ob exedentes humores eiiciuntur: ergo quando dicit Vallesius sistendam esse eam alui fluxionem, non adstringentibus statim, sed causarum ablatione intelligendus est: iam verò prauitate succorum deposita, & succis, qui supersunt, idoneo victu, aliisD que auxiliis attemperatis, adstringente securius est, & hoc tantò plus, quantò vtilior substantia colliquata fuerit, & retentricis languor magnus percipiatur: semper igitur in fluxu colliquatiuo statim à principio leuiter astringere decet: quia adstrictio moderata nullum opus naturæ tollit omninò. Obstat tamen, ne tam facilè corpus colliquetur, & ne in desperatam alui fluxionem degeneret, quando iam moueri incipit. Deposita verò succorum copia, & contemperatis humoribus, maiora adstringentia, & quæ iam sistant, imperabuntur; exterius verò adstringere nunquam licet, nisi sudoribus diaphoreticis, aut syncopalibus æger periclitetur; de quo argumento latissimè Authores agunt, & doctè tradidit Mercatus *lib. 6. de febribus, cap. de tertiana perniciosa*; legatur etiam Aëtius *te-* E *trab.* 2. *serm.* 1. *cap.* 98.

Est communis praxis in colliquantibus malignitati, & cordi succurrere, vt etiam putrilaginosæ affectioni, pro qua indicatione sequentem puluerem Hollerius laudat: limaturæ auri ʒ. j. diamargarit. frigidi recenter facti ℥. ß. nucis muscatæ ʒ. j. ß. margarit. sapphiror. smaragdor. ana ℈. j. ß. sacchari optimi ℥. j. ß. fiat puluis in liquidis inspergendus, & omni tempore dari potest, quia vt doctè notauit Cardanus, efficaciora sunt cordialia auxilia, si absque vlla ciborum mixtione propinentur, cùm alterationem ipsorum ab alimento permixto impediri necesse sit, vt tardiùs necat venenum

num, si cum cibis detur. Confert etiam electoarium de gemmis sine speciebus, aut hiacinthorum confectio: Empyrici verò scordij puluerem, si ex foliis paretur, feliciter præbent, vt Augenius testatur: datur ʒ. j. cum iure pullæ, oxalide, & portulaca decocta, cui succus limonis, aut citri, aut granatorum commodè miscetur: succi etiam scordij ʒ.j. in eodem iure detur. Augenius verò tanquam expertam laudat sequentem mixtionem. Pulueris myrrhites, & radicis angelicæ, cum conserua riues, & modico theriacæ mediocris ætatis. Quæ auxilia proprius conueniunt vbi maligna, aut pestilens febris colliquat, vt venenum expugnetur.

TRACTATVS

De Febre putrida cum fluxu alui implicita.

CAPVT I.

Quid sit.

COMPLICATIO putridæ febris cum alui fluxu, seu diarrhæa, frequentissima est, & vt frequens, periculosissima; discordes enim, & planè contrarias indicationes sortitur; nam deobstruentia, attenuantia, humida, & frigida à febri expetita, fluxum augent. Quæ verò incrassant, & vias occludunt, adstringunt, quæ à fluxione indicata, febrem, vt intendatur, solicitant, quia obstructiones geminant, & genitas antea indurant, tophacias quasi reddunt, ventilationem, difflationemque putridarum exhalationum remorantur, & omnia viscera grauant, corque fuliginum copiâ obruitur, & planè suffocatur. Quod si venam secare, aut aluum mouere procures, nihil sine periculo efficies, nam si sectâ venâ fluxio non moderetur, vires cadit statim: Si verò cohibeatur reuulsa intro, quæ è contra venenosa, aut corrupta materia procluditur, internam inflammationem creat, vt ego iam vidi, aut febris grauior, maligniorque redditur. Si verò aluum sollicites (vt commonis Medic. praxis consulit,) periculosè purgas, quia cruda existit materia. Et rursus timere licet, ne effrenis reddita materia medicamenti attractione, vsque ad syncopen, & mortem præcipitetur expultrix, vt solet. Si verò fluxum permittas, timendum est idem præcipitium, præsertim, si ob debilem retinentem excitetur, aut occasio fluendi per totam massam sanguineam sparsa iam sit.

De hac complicatione Gal. disseruit *lib. 1. ad Glauc. cap. 14. & Hipp. 4. de vict. acut. tex. 40.* in cuius curatione tam oscitanter celari Auctores loquuntur, vt eorum præcepta animum hæsitantem potius quàm doctum, & firmum relinquant. Idque præcipuè Galenus fecit, cuius idonea explicatio nondum meo iudicio adducta est, si doctrina illius explicationem aliquam patitur, vt sic tam perspicua sunt eius verba loco nuper citato. *Sed neque si fuerit febris cum profluuio ventris, alia est opus euacuatione; verùm hæc sola sufficit, quamuis non sit pro multitudinis ratione. Quicunque enim his plus adimere fore necessarium putantes, aut sanguinem mittere, aut ventrem mouere tentarunt, in grauiora pericula duxerunt.* En verba quæ non sunt facienda suadentia. Tacuit verò (insolenter quidem) quæ celebranda, exequendaque essent in tam graui complicatione, ob quam defectuosam medelam magna inter Medicos altercatio est, si aluo fluente in principio febrium putridarum sanguinem mittere liceat, aut medicamen expurgans imperare, aut omninò nihil sit faciendum? (vt tam clarè Galenus docet) cùm expressè consulat, ne-

A que venam secandam, neque aluum sollicitandam esse, etiamsi pro ratione multitudinis non fluat. Quæ vltima exceptio, vt reor, tradita fuit, vt de eius mente in relato casu nulla esset dubitatio. Et quod fluente aluo venam secare non liceat, *Hipp. 4. Acutor. tex. 116. docebat dicendo. Si cuipiam sanguinem auferre confert, ventrem confirmare oportet, & sic auferre.* Et Gal. *in expositione* sic loquitur: *Fluente aluo, sanguinem non detrahas; nam si post detractionem perseueret fluor, virtutem prosternit.* Et rursus Hipp. *tex. 4.* quibus in febribus aluus perpetuò liquida est, nullo magno auxilio succurris, sed totus est in pedum calefactione, & ne sint reliquo corpore frigidiores: & si calidi sint, *potu* (inquit) *quamminimo est vtendum aqua frigida, vel mulsa.*
B Nec Gal. in eius expositione aliud auxilium præcipit. Quam doctrinam sequitur Trincau. *super lib. ad Glauc.* & Bat. Montanus super *eundem lib.* nouiter Sancta Cruz *in suo tractatu de impedimentis magnorum auxiliorum, part. 2. cap. 49. in finem libri.* Veniatque modò non sine ratione sugillandus Doctor Camaues, qui tam difficilem textum sine expositione reliquerit.

Duplex dubium dissoluendum proponitur. Primum de intelligentia verborum, & mentis Galeni. Nam vt nuper notaui, tam clarè suam mentem aperuit, vt dubitare non liceat sensisse, quòd non sit mittendus sanguis, neque expurgandum, si cum febre putrida alui fluor febri putridæ implicatur, extra conditiones à Ga-
C leno insinuatas.

Dico primò, Galeni doctrina sequenda est: nimirum, quòd aliquando non liceat venam secare, neque expurgare, quando alui fluor cum febre putrida incipit, & euacuatur materia propria febris, vt alui fluor sit verum symptoma ipsius febris: nam hoc solo casu loquitur Galenus. Quod loquatur verò de solo fluxu incipiente cum ipsa febre velut accidens, & symptoma eius, constat planè; quia institutum eius in eo cap. est tradere methodum obseruandam in curationis initio, varia accidentia, & complicationes enumerans simul cum illis molestantia, impedientiaque, aut minorantia euacuationes febri putridæ debitas, & sic supponit in nostro textu complicationem febris cum alui
D fluore; & monet in illa, nec secandam esse venam, neque aluum sollicitandam: & hoc tam firmum, inuiolabileque esse, quòd aliter operandum non sit, etiamsi alui fluor non sit pro ratione multitudinis. Et quia contra experimenta argumentum quodlibet, aut ratio inualida est, experimentis notificat, quòd *Quicumque plus adimere necessarium fore putantes, aut sanguinem mittere, aut ventrem mouere tentauerunt, in grauiora pericula ægros duxerunt.* Quod verò Gal. senserit per alui fluxum euacuari materiam febris, & de hac præceptum eius esse; constat, quia dicit: *quod hæc sola sufficit, etiamsi non sit euacuatio pro ratione multitudinis:* quod verum esse non posset, si non euacuaretur mate-

ria

ria febris. In hac ergo hypothesi Gal. doctissimè loquitur, supponens etiam non dari aliud curationem pertinens, præter alui fluorem peccantis materiæ.

Ratio nostra non sine labore, & diu excogitata pro defensione Galeni est: Quia alui fluor est idem, quòd diarrhæa Græcis dicta. Est verò fluxus ille, vt Gal. testatur 1. *Epid. sect.* 2. *text.* 36. quando per aluum sine dysenteria, aut tenesmo, aut lienteria, humida excrementa semper, & assiduè deiiciuntur: Auctor *diffinit. Medic.* dixit: *alui profluuium est copiosa euacuatio per aluum sine inflammatione, & exulceratione aliqua.* Hoc ergo supposito, & quòd euacuatur materia peccans, constat euidenter, non absque temeritate, aut venam secari, aut expurgari corpus cum alui fluore. Quia si natura euacuat peccantem materiam, & id assiduè, & copiosè (vt alui fluori debetur) perniciosè sanguis mittitur; quia per hoc auxilium extrahitur, quod non peccat; quia extrahuntur indifferenter per ipsum omnes humores, & quia reuellit intro, & debilitat satis, quia est magnum auxilium, cohibere potest euacuationem peccantis materiæ, & per conuenientem regionem. Detenta verò intus materia illa, aut internam inflammationem creat, aut febris intenditur: vnum enim ex his necessariò sequetur. Si verò sectâ venâ fluor perseueret, sequetur quod Gal. 4 *acutor.* rationabiliter timuit, virtutis nempe collapsio. Si verò expurgatio tentetur, periculum certum immoderatæ euacuationis; quia si natura assiduè, & copiosè eiiciebat absque extrinseco irritamento, si hoc intrinsecæ irritationi addatur, præcipitium naturæ certissimum erit, & velut miraculum, si non euenerit. Hæcque sunt maiora pericula, in quæ cum alui fluore euacuantes deduxerunt ægrotos.

Tralianus *lib.* 8. *cap.* 7. sic loquitur. *Nam inter initia natura aliena, & noxia salubriter euacuare conatur, ipsa nimirum ad superfluos incommodosque humores reiiciendos vndequaque cogente, &c.* Et inferius: *Vidimus enim ventrem initio affectus ad quartum, quintumve diem profluxisse, & posteà fluorem, aut per se, aut Medici auxilio substitisse: vnde ægri in magnum periculum inciderunt; ita vt Phrenetici, aut Lethargici efficerentur, doloresque capitis, aut perniciosæ in iis Parotides excitarentur.*

Necessariò igitur, qui in alui fluore sanguinem mittit, duobus periculis ægrum exponit; aut quòd reuulsa intus materiâ, & detenta, aut interna inflammatione, vel periculoso alio decubitu æger periclitetur, vel maiori febris pernicie: vel si fluor persistat, virtus extremè labescat, & æger pereat: Estque omninò irrationabile, quando natura conuenientem materiam euacuat, per idoneam regionem ad aliam viam sanguine misso inclinare materiam, & perniciosum omnino ad interna retrahere humorem, vt fit secta vena. Deinde quidquid sectione venæ Medicus intendit, celebrat natura alui fluxione: nam si reuellere à foco, si ventilare, si materiam minuere, id totum alui fluor præstat; nulla maior reuulsio, quàm extra corpus quod ad focum fluxurum erat, reiicere; & totum quod corporatura humores occupabat, euacuatione ventilatur, & morbi materia sola minuitur, quod secta vena consequi implicat, quia omnes humores indifferenter euacuat: & per consequens educit quod non conueniebat, & huius plus, quàm inutilis; quia si peccat bilis, tres non conuenientes educti sanguinis missio furatur humores. Vsque adeò rectè Auic. dicebat *Abstinere bis, aut ter a sanguinis missione, excusat*: & Hippocrates ante venæ sectionem, ventrem esse confirmandum præcipit. Et si fluor, & diarrhæa est assidua deiectio, non cadit sub dubio, quod sufficienter tandem naturam exonerabit, & multò magis, & certiùs, quàm sectio venæ. Magis quidem, quia plus euacuat; certius verò, quia materiam solam morbi, & quæ naturam stimulat. Sectio verò venæ, & noxium, & vtile

A sine discrimine exhaurit: non igitur alia euacuatione est opus, sed hæc sola sufficit, quia experientia constat, cum maiori periculo, aut venam secari, aut expurgationem tentari.

Sed dices, adhuc expositionem textui refragari, nam si alui fluor est assidua deiectio, non poterit non esse pro ratione multitudinis; & si verè diximus, quod euacuat magis, quam sectio venæ, & hæc sufficienter plenitudinem diminuit, diminuet illam magis diarrhæa, ac per consequens semper erit pro ratione multitudinis. Attende quod est frequentissimum in morborum initiis lentè euacuare naturam, quia grauata potest expellere minus, & ad proportionem euacuationis, & si lentè, redditur ad expellendum validior: hoc est, quod B nos doctissimè monet Galenus, nimirum quod expectemus (vt sic loquamur) secundum naturæ impetum, quando primus non apparet sufficiens, quia præ onere non potest impetus primus multum educere; educet tamen multum, & sufficienter postea; & inde non licet naturam turbare, sed impetum secundum expectare, ne sectâ venâ impediatur ab opere incepto natura, aut expurgatio illam præcipitet. Et si expectato secundo impetu, tarda, & insufficiens euacuatio appareat, iam non erit propria diarrhæa, & alui fluor, & poteris tunc febri, vt eius idea exposcit, auxiliari: semper tamen vt suspectam habebis euacuationem, quam natura contraxit. Occasio fuit vt opus inceptum non perficeret, vt de stilla sanguinis præsagarunt Hippocrates & Galenus cum certo ægrotantium exitio.

C Sed diceris, quod implicationem manifestam verba Galeni contineant; nam implicat quod sola alui fluxio sufficiat, *etiamsi non sit pro ratione multitudinis.* Quomodo enim sufficiet, quod multitudinem satis non tollit? Necesse ergo erit, vt Medicus suppleat quod euacuatio alui auferre non potest. Benè arguis, sed illud non est exequendum, quando acto natura deiectione assiduâ euacuat, ne sequantur incommoda nuper adducta: sed quando iam euacuatio manifestè declinat, & ventriculus roboratus est, supplebis quod D à natura euacuandum erat. Neque obstat si Galenum vrgeas verbis ipsius adductis 4. *Aph. tex.* 22. quæ sunt: *Quum morbus aliquis incipit, si quid excernatur, id tunc ratione naturæ, & lege non excernitur.* Et inferius: *Quandiu enim à causis morbum facientibus grauatur natura, & humorum adest cruditas; tunc, vt aliquid rectè vacuetur, fieri omnino non potest.* Si ergo in principio aliquid vtiliter euacuari repugnat, non licet fluxum permittere, sed operandum est contra illud, & contra febrem ipsam. Temerarium enim videtur permittere, quod non potest conferre, cùm necessariò lædat, & extra omnem methodum est, cessare à remedio ob id, quod necessariò lædit. Rursus quomodo sufficere poterit euacuatio alui sola, si nullam vtilitatem conciliare potest?

Sed Galeni doctrina, quæ docet repugnare in principiis morborum aliquid euacuari vtiliter, apertè falsa est, & experimenta frequentissima ita esse, planè conuincunt: alioqui nulla euacuatio symptomatica conferre posset, E cuius contrarium passim Galenus ipse refert *in Epidemiis*; Et ipse in præsenti textu, quem interpretamur, docet dicendo: *Non esse opus alia euacuatione, sed hac sola sufficit etiamsi non sit pro multitudinis ratione.* Nec Galenus & reliqui eum sequuti (sunt quamplurimi) Aphor. vt decet, intellexerunt. Illum enim ad morbos ex putredine pendentes tantùm coarctant, cùm Hippocr. nullum excipiat, dicendo: *Morbis quibuslibet incipientibus, si atra bilis supernè, vel infernè exierit, lethalis est.* Quæ sententia id sonat quod hæc: *Morbus omnis ab atra bile pendens, lethalis est, vt eodem libro dixit, text.* 24. *Dysenteria, si ab atra bile inceperit, lethalis est.* Galenus ergo vt planè peccat dicendo esse impossibile, quod quando adest humorum cruditas, aliquid

quid vtiliter euacuetur ; peccat etiam intelligentia: nam Hippocratea non respexit cruditatem, sed exitiosam, & desperatam humoris atrabiliarij naturam. Est enim erodens & exulcerans, incoctilisque; destruit quidem temperiem partis, quam obsidet, ne dicam partem ipsam: & quid mirum si terram fermentat, & in ampullas vertit.

Sed inquiretis quo tempore permittendus est fluxus, & quid tempore illo operandum est? Tempus definiendum est ex cacochymia, & virium constantiâ, & duratione febris: Vnde si vires constent, & fluxio duret, permittenda est vsque ad febris terminationem. Alexander Tral. vsque ad summum vigorem permittit fluxum: verba sunt. *Quare initio, ea quæ corporis commodo, atque vtiliter excernuntur, minimè reprimere conuenit, ne materia sursum educta humorem supra dictos affectus generet, sed ad statum vsque contemperari cibis debent.* Vbi verò diutius iam profluuium perseuerauerit, non modo superflua euacuans, sed etiam habitum colliquans, viresque consumens, tunc sanè resistere medicamentis expedit.

Illud verò ex nobis accipieris, quod cùm adstringentia & fluxum sistentia putredinem semper augeant, quia obstruunt, non sunt in principio permittenda, vt Tral. dicebat, non solùm quia intempestiuè fluxum reprimunt, sed etiam quia obstructiones in principio maiores, & plures sunt, & materia praua abundantior. Si verò signa coctionis iam appareant moderatè adstringentia, vtilissima sunt, quia corpus iam deoneratum est, & materia ob coctionem benignior, & moderata adstrictio nullum opus facultatum reprimit, sed omnia in tenore seruat, sicque impedit, ne præcipitetur natura; quia in omnibus facultatibus mediocre robur imprimit, & vias, quæ ob pertinaciam fluxus reclusæ contra naturam necessariò erant, adstrictio moderata occludit; notando solicitè, quod si ob continuum fluxum debilitatem venter inferior contrahat, & retentrix effeminetur; perennis es fluxio molestabit, corpus contabescet, & colliquabitur; & hoc periculum præcauet moderata adstrictio, vt dixi. Quidam ab alio expurgatus in declinatione febris putridæ, tam pertinaciter diarrhæa vexabatur, vt ferè iam deploratus haberetur. Multa, & magna auxilia fluor contemnebat. Vocatus in consultationem, cùm iam æger colliquatus, morbidusque videretur, decocto efficacissimè adstringente cum spongia venter totus inferior fouebatur, & præter spem ita fuit firmatus, vt amplius nil reciperet. Retentrix enim totius ventris iam effœminata ex assiduo secessu reddita erat, vt liberè per vasa eius humores fluere permitteret, & gratia vacui ex toto corpore succedentes, pertinacem, desperatúmque fluxum seruabant. Tantæque efficaciæ fuit auxilium, quia cùm iam venter extenuatus, colliquatúsque esset, potuit decoctum intima penetrare, & mitè stabilire interiora vasa, nam & manus eius, qui ventrem fouebat, immobilis ferè per certum tempus reddebatur: & inde intelligetis, quod fluor incipere potest ob copiam, aut prauitatem humoris, & fieri periculosissimus ob debilitatem retinentis contractam in ipso fluxu, & ob apertionem osculorum, vasorúmque, per quæ excrementa pelluntur: nam retentrix debilis, quod trahitur, non retinet: partes verò inanitæ trahunt assiduè: retentrix verò semper deprauatur, sicque ineuitabilis fluxus concitatur, donec retentrix ipsa firmetur.

Notabitis rursus, quòd si fluxio excitetur, quia internum viscus aliquod distemperatum materiam illius creat, cessabit nunquam, si distemperies illius non emendetur. Hi enim fluxus sunt periculosissimi, quia non est facile internam intemperiem corrigere, & difficilius multò partem affectam cognoscere. Similiter aduertendum, si pars, quæ excrementum aliquod expurgare tenetur, muneri suo deficiat ob debilitatem tractricis, quæ est alia occasio desperatæ fluxionis: quia non facilè firmatur, neque pars illa noscitur, etsi cognitio non sit tam difficilis: ventriculus tamen externè roborabitur, quia in fluxionibus debilitatur nimia, non solùm ob facilem consensum cum intestinis, quem indicat inappetentia diarrhæis tam propria, sed etiam, quia in toto cibo, & tam crudo pugnare debet, ad quem vincendum multo spiritu vitali, animalique indiget: quia in fluxibus ob assiduam dissipationem & alia multa nunquam copiosus datur; & inde putant multi esse dandum plus alimenti quàm febris idea requirit, quando diarrhæis implicatur. Nam præterquam quod multi spiritus inaniuntur, & dissipantur, etiamsi diu duret, corpus inanitur, & colliquatur: raro enim sic affecti non vigilant præter naturam; tum quia inaniuntur; tum etiam, quia assiduè coguntur deiicere repetitis irritationibus, & conatibus. Vigiliam verò esse voracem, quia præter modum resoluit, Hippocratea docuit 6. *epid. sect.* 4. *text.* 17. his verbis: *Aqua edax, vigilia edax.*

Sed inquiretis, quis modus deiiciendi laudandus est, vt Medicus ex quantitate, & modo humoris expulsi rectè operari naturam agnoscat, & per consequens, securè posse fluxum permitti absque vlla alia euacuatione. Solutio ex Hipp. accipienda est 2. *Prognost. text.* 14. & *text.* 15. In primo enim textu docet: *Si verò deiectio fuerit humida, expedit neque stridere, neque crebrò, & paulatim excerni: Frequens enim surrectio lassitudinem, & insomnium facit: at si vniuersim, & sæpè deiiciatur, periculum defectionis animæ imminet.* Quibus verbis duos modos deiiciendi damnat: Primum, si crebrò, & paucum excernatur, nam hominem ex sæpè reiterata surrectione fatigari, laxarique præter modum, & vigilem necesse est esse, & effœminari, etiam ex crebro conatu: si verò multum & sæpè euacuet, periculum adferre animi deliquij. In *textu* verò 15. modum expellendi conuenientem refert, dicendo: *Sed pro copia ingestorum egerere oportet bis, aut ter in die, & noctu semel: plura verò manè, quemadmodum in consuetudine est homini.* Optimus itaque expellendi modus est, quando multo interposito tempore, non minuta, sed copiosa euacuatio datur, ita vt bis, aut ter in die, semel in nocte, & quod excernit summo manè, seu prima luce, plurimum sit; vt si rectè velis idoneam euacuationem metiri iuxta Hippocratis regulam, quinquies deiicere debet, & qualibet vice, aut deiectione mediocriter, vt neque sit minuta, neque plurima: nam minuta, & per longa interualla arguit aut debilitatem expultricis, aut materiam tenacissimam, & lentam, quæ nisi tempore longo dimoueri potest. Et cùm in textu dicat Hippocrates quòd debeat esse humida, hoc est liquida, arguit necessariò expultricis debilitatem: Si verò ex longis interuallis excernatur, & minuta non sit, non poterit esse tanta, vt deliquium inferat ob copiam. Ratio est, quia talis, neque expultricis, nec retinentis debilitatem arguere potest. Non expultricis, quia minuta non est, sed in maiori copia: non retinentis, quia quando hæc debilis est, non permittit per longa interualla deiicere, sed crebrò deiicere cogit, quia sub debili retinente non accumulatur humoris magna copia in multo tempore, sed breuiter; & ideo, quando sæpè; & multum euacuatur, retentricis debilitatem significat, & multam materiam: nam si retentrix firma existeret, non deiiceret tam crebrò. Sic putat Vallesius.

Ego verò non semper illud significare censeo. Cur enim si multa materia datur, & expultrix est fortis, non poterit esse deiectio crebra, & abundans? Sed implicare dicit, quod euacuatio vsque ad dissolutionem virium extendatur sine retinentis debilitate, quia facultas robusta non facit nimiam euacuationem, & vsque ad dissolutionem. Hanc enim (inquit) solùm facit,

cùm

cùm non potest continere. Verùm dicam ego, quòd retentrix non debet continere, quæ expellentem irritant, & si quod irritat multum est, & crebrò irritet ob copiam, expelletur multum & crebrò ob expultricis robur. Dissolutio verò non originatur ex debili retinente, sed ex immodica euacuatione multum spirituum simul euacuante. Vidimus iam non semel in crisi febris malignæ euacuare simul naturam per vomitum, sudorem, deiectionem, & vterum, immoderatam succorum copiam, & optimè iudicatam fœminam fuisse: In qua crisi debilem retinentem accusare non licet, sed validissimam expellentem fuisse, & nullam dari regionem, in qua copia excrementorum non stabuletur, & sic per omnes vias natura sagax deiecit. Quem modum crisis fassus est etiam *Gal. 3. lib. de cris. cap. 2.* his verbis: *Deinde repentè multus sudor erumpit, aut vomitus non paucus insequitur, aut venter subitò soluitur, aut abundans fit fluxus sanguinis, aut hæc omnia simul contingunt, &c.* Itaque ex debili retinenti copiosam fieri posse deiectionem non dubito. Quòd verò semper copiosa deiectio, & crebra debilem retinentem arguat, non teneo. Sed quod mihi contigit præsagare, dignum est vt audiatis. Iuuenis in febrem continuam incidit, & ob vitium primæ regionis leniens medicamentum statim fuit propinatum, à quo copiosissimè deiecit. Quo viso, prædixi; si hic à tanta purgatione liberatus non sit, aut multò melius se habeat, in summo periculo est: quia tanta euacuatio in homine iuuene, etiam leni medicamento excitata, debilissimam retinentem significat, aut excrementorum insuperabilem copiam; & sic vndecimo die animam egit. Illud verò notabitis, quod Vallesius noster melius quam Galenus Hippocratem exposuit. Galenus quidem mentem Hipocratis non tenuit, quam Vallesius doctissimè, & cautè satis exposuit. Notare etiam, quod in translatione Vallesij in *textu* 14. adest verbum, lassitudo, quam crebra, & minuta deiectio semper inducit, ob nimiam debilitatem contractam ex assidua surrectione, & crebro conatu, & peruigilio. Textus verò malè à Galeno expositus, est 15. in quo numerum deiectionum, vt sit bona deiectio, summus Dictator recensuit.

CAPVT II.

De his, quæ in febre cum alui fluxu exequenda sunt.

CVm semper febris putrida vasorum obstructionem habeat coniunctam, præsertim in foco putredinis, quia duplex à multis censetur, & in parte mittente, & præcipuè in ea quæ fluxum recipit; non leuis difficultas est circa vsum deobstruentium, eo quòd fluxionem irritent, quia & succos attenuant, & vias recludunt, & acrimoniam potius augent, quàm moderantur: Et cum talia in forma liquida propinanda sint, vt per totum possint distribui, venter humectatur, debiliorque redditur, & humores etiam liquidiores redduntur, & fluxibiliores. In quo dubio considerabit Medicus, si putredo, aut vstio humoris contaminet (pendet enim ex hac differentia quid securius exequendum sit.) Nam si putredo cum humiditatis excessu, vt solet, inuenistur, id commodè deobstruentia efficient, nimirum, quod siccent, & sic fluxum etiam suo modo reprimant: semper enim humiditas superflua retinentem effeminat, vias laxat, & humores liquidiores reddit, vt promptius fluitent, & moueantur; & sic quæ siccant contra fluxum pugnant egregiè, & si illis admisceas tantillum simplicium lotium mouentium, mirè succurres, quia sic deriuatio fit ad vias vrinæ, & fluxus alui moderatur. Est enim

A celebris pro hoc *Aphor. vlt. 4. sect.* dicens: *Mictio nocturna plurima contingens paruam significat deiectionem.* Et Gal. *in eius expositione*, sic loquitur: *Docebit autem nos hæc ipsa ratio alui fluentis, & sicca remedia; in quibus enim supra modum humida aluus deprehenditur, his potum minorem exhibebimus, ac præterea illi viam ad vesicam parabimus. Quod si simplicia illa adstringunt tantillum, omnibus indicationibus adamussim succurres, deobstrues, siccabis fluxiones, & partes firmabis, vias occludendo tantisper, deriuabisque ad vias vrinæ fluentes humores per aluum.* Vbi notabitis, quòd moderata adstrictio duplicem vtilitatem præstat. Primam, partes, vt modò dicebam, firmare, quæ assiduo fluxu debiles apertioresque erant. Secundam, quod vis aperitiua, & deobstruens intimius crassitiem humorum penetrat, impulsa suo modo à virtute adstringente, vt de oleo rosaceo apertè Galenus nos docuit: nam & medicamenta lapillos renum, aut vesicæ frangentia, cum summa partium tenuitate adstringentia etiam sunt; vt vis tenuissima, & lapides diuidens ad intima vi adstringente impellatur, vt tenacius hæreat, duretque circa lapidem: imbibunt etiam suo modo in se, quæ adstringunt humorem superfluum, sicque fluxum alui alia ratione cohibent, quæ adstringentia in febribus putridis, etsi Galenus & omnes recusent, gratia tamen alicuius symptomatis planè Galenus admittit. Sic enim 1. *de victu acut. tex.* 18. dixit: *Nemo siquidem adstringentibus vtitur cibis, nisi vel propter symptoma, quod animi deliquium inducat, vel propter immoderatum ventris profluuium.* Constat verò, quòd inter deobstruentia debent acida dehortari; quia etsi siccent, & putrilaginem inhibeant, sunt nihilominus nociua, quia partes denudatas ob fluxum mordent, & lancinant acore suo, sicque dolores, & trahunt, & debilitantur magis, fluorque irritatur. Cum hoc tamen, vbi biliosæ nimis deiectiones sint, moderata granatorum aciditas vtilissima est; habet enim vim adstrictoriam, extenuatoriam, & mouendi lotium, sitimque mirificè mitigant.

B C

Pro hac Indicatione est mihi vsitatissimum decoctum radicum pentaphylli, fol. centinodiæ, & plantag. squinanthi, & rad. endiuiæ, & spicæ celt. & santal. & radicum rumicis, & filicis: filix enim mirè deobstruit, & siccat. Quod clarificatur optimè, de quo sumitur quantitas, quæ pro natura febris, & indiuidui necessaria videtur, & ei misceantur syrupi conuenientes, vt granatorum, endiuiæ, aut ex ros. rub. qui optimus est cum puluere margarit. præp. aut eboris, vel cornu cerui. Est etiam optimus syrup. oxalidis, si aliis misceatur, quia adstringit, moderatè siccat, & attemperat, & deobstruit: & si siccare fluxionem alui, & lotium prouocare non segniter cupis, mirè præstabis si subtilissimi pulueris millij solis ℈. j. aut ʒ. ß. decocto nuper proposito admisceas; aut cum decocto fol. centinodiæ, fol. rad. fragariæ, & rad. pentaph. ʒ. ß. eiusdem pulueris propines cum ℥. ß. syrup. granat. aut succ. fol. plantaginis depurati. Inest enim iotta proprietas dicto semini ad eradicandas febres, quia strenuè lotium prouocat, & abstersorium est, ob idque dandus, quando totum satis inanitum censetur, & iam diuturna febris cum diarrhæa molestat. De succo plantaginis minoris præsertim mira Auctores prædicant ad eradicandas febres, sicut ad sistendum biliosum fluxum, & acrem, ad cuius cohibitionem in febribus strenuè confert succus foliorum caudæ equinæ; siccat enim potenter, & lotium mouet. Dabitur ℥. ß. diluta in decocto antea dicto, aut ℥. j. diluatur tamen benè, quia immodicè adstringit. Si verò succus non inueniatur, decoctum imperabitur.

D E

Si verò fluxio ab humore adusto excitetur, secentius quàm si ex putredine, attemperato: quinimo frigido

potu exhibito, solet omninò, & præter spem cessare; vita enim mordaciora sunt, & exulcerantia, & potu copioso gelidæ mitigantur mirificè. Est enim febribus colliquantibus satis affinis, & vt docet Vallesius noster, vsta à temperatione, non coctione emendantur, estque probabilius mordacitate intimam molestare, & cogere vt expellantur; ob quod, & iecur temperandum est, & intestina abluenda lacte hordaceo, sacchato, & ouo integro, hoc est, vitello, & albumine in lacte illo liquatis: & similis fere auxilia huic sorti febris, quæ colliquantibus, conueniunt, sed tamen remissiora. Et quia sitis in hac causa implacabilis esse solet, parandum est aliquod decoctum attemperans, & acrimoniam hebetans, si non appareat viscus aliquod, nimis obstructum, aut tensum, aut inflammatum propriè: parabitur verò ex aqua rosar. rub. per alembicum distillata, & aqua arnoglossæ cum modico sirupo granator. & puluere margarit. aut eboris, aut cornu cerui præp. Semper tamen in humorum vstione, & alui fluxu frigidior, quàm copiosior potus detur, quia nulla potio in hoc fluore suspecta est.

Si verò signa coctionis appareant, optimum erit sudorem mouere: quia & febris, & fluxus per sudores optimè cessare solent, & fit insignis reuulsio à centro ad circumferentiam. Dabitur ad hoc decoctum cardui benedicti, factum in aqua buglossæ cum radice pentaphyli, sumentur ℥. v. decocti, cui adde lap. Bezoar orient. gr. vj cornu cerui præp. ℈. ß. misce. Pro pauper e verò, aut si febris intensa non sit, theriaca dabitur cum eodem decocto præsertim si maligna fuerit febris, aut cum scordij decocto facto in aqua chamæmeli. Quod si fluxus pertinax sit, ad maiora adstringentia accedendum est, quorum magna copia apud omnes inuenietur. Scitote, nunquam sine periculo propinari in febre putrida theriacam; ob idque omni alio genere reuulsionis, & deriuationis per vrinam, interdum etiam per vomitum reuellendam, deriuandamque esse morbi materiam. Et in vrgenti casu, ad narcotica deueniendum, quæ etiam sudorifica esse certum est, & sic bifariam vtilia esse possunt. Semper tamen cordialia cum eis miscebuntur, vt emendetur malignum, quod continent. Non enim frigore, vt vulgus Medicorum censet, sensum auferunt; sed vi detracta, quæ narcotica dicitur in multis rebus calidis passim inuenta. Est mihi in vsu dare syrup. papau. & ros. siccarum ana ℥. ß. aquæ plantag. ℥. ij. antidoti hyacinth. ℈. misce. Aut margarit. præp. vel elect. de gemmis s. sp. eandem quantitatem quam hyacinth. propino. Aut parabitis auxilium (quod certò scio profuturum) hoc modo. ℞. sem. papau. albi ʒ. j. sem. hyosciami albi ʒ. ß. opij gr. iiij. croci, castorei ana gr. vj. acaciæ, verberis, ros. rub. & sumach. ana ʒ. ß. succi cithoneorum, & plantag. q. suf. fiant pillulæ, quarum datur tempore somni ℈. ß. aut ante prandium, aut cœnam.

Quòd si adhuc fluxus alui non moderetur, in summo periculo erit æger. Inquirendum tamen diligenter est, si aliquod viscus naturalis regionis obstructum, durum, tensumve sit, itavt putetur occasio tam diuturni, molestique fluxus: Et si ita apparuerit, applicabitur suprà illud cucurbita magna, & scarificabitur, reiterabiturque eodem die. Appositio cucurbitæ supra vlcuscula solet satis prodesse. Eodemque modo si totum tam molesti fluxus sit causa, dorso, & brachiis cucurbitæ affigentur, & scrificabuntur in medio dorsi, aut paulò superius: Nunquam tamen partibus infernis applicandæ sunt, neque fricandæ, neque vinciendæ. Similiter frictiones in dorso imperentur, quæ celebrandæ sunt à lumbis sursum, nunquam tamen à supernis deorsum. Raro tam pertinax fluxus datur, nisi ex humoribus biliosis & acribus. Et quando iam ob diuturnitatem fluxionis ora vasorum visceris reclusa, vel relaxata, hiantiaque sunt, consulunt Medici expurgationem lenem cum adstringente medicamento, vt Rhabarb. & mirobalanis tostis, & lotis: sic enim expurgatur quod in intestinis iam est, & oscula vasorum occluduntur, & optimè succedit expurgatio; quia fluxus ab illa, aut cessat, aut nimis minuitur firmata per vim adstrictoriam retinente virtute. Nunquam tamen adstringentia maiora sine periculo dantur, sm extra applicantur, dum humoris copia manet expurgatione egens, vt fecit socius noster *lib. 2. cap. 7.* mihique mihi probatur. Quod medicamentum expurgans cum syrupo papau. mediâ nocte detur, quando cum vigiliis, & intensa febre aluus largè fluit. Timendum enim est, ne somno prouocato immodicè, irritatio non sentiatur, sicque excrementa agitata caput petunt, & phreneticus æger fit.

CAPVT III.

Quid faciendum in febre sanguinis cum alui fluxu?

DOctor Sanctacruz, Galeni doctrinam sequutus, quòd non sit exequenda aliqua euacuatio, si detur cum febre alui fluor, hanc dubitationem mouet. Videtur enim, quòd diarrhæa in sanguinea febre non potest esse impedimentum sectioni venæ, quia non euacuatur per aluum causa febris, sed alius humor; & inde sine idoneo auxilio febris relinquetur, & æger periclitabitur. Estque eius opinio, quod in dicto casu neque mittendus est. Rationem reddit, quia quando febris à sanguine pendet, putrescit necessariò, & per putredinem in bilem, aut melancholiam conuertitur, & ab his humoribus, in quos per putredinem, aut vstionem sanguis permutatur, se exonerat natura per aluum cum magna conferentia; & quod intus relinquitur, corrigit, & vnit natura cum bono, & sic febris cessat. In cuius placiti confirmationem tradit *sent. 23. lib 1. aphor.* dicentem: *Deiectiones non multitudine sunt æstimandæ, sed si talia deiiciantur, qualia conueniunt, confert, & leuiter ægri tolerant.* Vnde si natura euacuat id, quod per putredinem generatur, euacuantur qualia oportet, & talia; & sic necesse est, quod illa euacuatio conferat, & toleretur, & hoc sufficit, vt expectes, neque te accingas ad aliam eo tempore vacuationem reorandam. Idem præceptum practicum in aliis febribus obseruare præcepit dicendo. *Si febris est biliosa, & adest fluxus biliosus, ipse sufficit etsi non sit pro ratione multitudinis; si pituitosa, si melancholica, idem dicendum est, si isti humores mixti cum sanguine peccant, & portio sufficiens fluit per ventrem, quam separat natura docta à seipsa, & ab humore, quasi à medicamento excitata cum conferentia, & tolerantia, non est opus alia euacuatione, nisi aliud vrgeat, præter hoc, quod in hoc statu apparet.*

Hæc opinio tenenda est supposito quod Medicus percipiat illa duo, ex quibus bonitatem euacuationis omnes deducimus; *conferentiam scilicet, & tolerantiam.* Sed quæstio non inquirit hoc, sed quid faciendum, si febris sanguinea sit? fluxus verò sanguinem non euacuat? Nam in principio morbi non potest conferentia nosci, quia sub cruda materia quævis euacuatio non potest iudicare febrem, sed est merè symptomatica. Quæstio ergo est, si febris sua tempora vt debet, transeat, ita vt in principio sit per aliquot dies, & nullo modo reducatur, liceat sanguinem mittere durante alui fluxu.

Magister meus D. Petrus Garcia in expositione huius capituli (quæ nondum typis mandata est) non solùm in casu posito, sed in omni alui profluuio tenet

net esse secandam venam quam febris requirit, quia alui fluuium non censet scopum sanguinis missioni repugnantem, sed moderantem tantùm quantitatem euacuationis: hoc est, minus esse detrahendum, quàm si diarrhæa non esset. Sed Galenum explicat, quod quando docet non esse euacuandum aliquo modo, si detur alui profluuium, *etiamsi non sit pro ratione multitudinis*, sit intelligendum, si non sint vires ad ferendum vtramque euacuationem, quod maximè Galenus timuit; sed id deducit ex alio testimonio à nobis adducto ex 4. *lib. de victu acut. text.* 116. vbi sic Galenus scripsit. *Fluente aluo sanguinem non detrahes; nam si post detractionem perseueret fluor, virtutem posternit.* Quæ explicatio absurda mihi videtur, sed constat ex hoc vltimo testimonio, in quo Galenus secare venam aluo fluente recusat, non quia non sint vires præsentes; sed quia, si post sectionem venæ fluor perseueret, virtutem prosternit. Sed si vt putat Magister meus, esset Galenus intelligendus, loquutus fuisset tam impropriè in præcepto tam graui, quòd inexcusabilis esset Galenus docendo per ambages, quod verbis propriissimis, & clarissimis docere in tam arduo argumento tenebatur: esset itaque ridiculum præceptum, quia nihil aliud contineret quàm hoc. *Si detur febris cum alui profluuio, aliam euacuationem tentare non licet, quia non sunt vires.* Aut sic loqui debebat: *Si sit febris cum diarrhæa, & non sint vires, neque mittere sanguinem, neque expurgare decet.* Præterea, si Galenus putaret, quod alui fluxio esset solùm scopus non prohibens aliud remedium, sed solùm indicans esse euacuandum minus, id Galenus doceret. Sed docuit statim, quod quando febris copulatur conuulsioni, non sit euacuandum, quantum febris requirit, quia ob dolores, & vigilias æger nimis resoluitur, & magnam euacuationem ferre non potest absque magno periculo; & per totum illud caput, vbi datur scopus minorem euacuationem permittens, exprimit illud propriissimis verbis Galenus. Hic ergo auctor apertè sentit, vbique non esse mittendum sanguinem, dum fluor alui cum febre molestat, clariùs enim loqui non potuit quàm dicendo. *Fluente aluo sanguinem non detrahes.* Et 1. *ad Glauc. cap.* 14. *Sed nec si fuerit febris cum profluuio ventris, alia est opus euacuatione, verùm hæc sola sufficit, quamuis non sit pro multitudinis ratione: Quicumque enim his adimere fore necessarium putantes, aut sanguinem mittere, aut ventrem mouere tentauerunt, in maiora, vel grauiora pericula deduxerunt.* Vallesius etiam 4. *de victus ratione*, textum iam adductum explicando dicit, quod sententia Hippocratis est verissima, & tanto Doctore digna, nec sanguinis missionem ante ventris confirmationem admittit: *Ne fluente aluo* (inquit) *& misso sanguine vires præcipitentur.*

Mihi videtur vera doctrina Galeni in sensu à nobis adducto *cap.* 2. non esse scilicet secandam venam, quando datur alui profluuium cum febre, per quod euacuatur materia peccans, & euacuatio est tanta, quod mereatur appellari propriè diarrhæa. Rationes iam adduximus, estque intelligenda doctrina, si non adsit aliud præter febrem, & alui fluxionem: nam raros casus non comprehendit Galenus in hac practica præceptione, sed illa duo tantùm coniungit, alui nempe profluuium, & febrem putridam.

Dico secundò. Quod si febris sit statim magna, & ardens, seu ex genere continentium, ita vt breue periculum sit timendum, liceat etiam, si aluus fluat, venam secare, in minore tamen quantitate, quàm si profluuium non adesset. Ita docet Brassavolus 4. *de vict. ratione in acutis, sect.* 136. vbi si deiectio sanguinea sit, secare venam consulit; quod verissimum mihi videtur, addit enim hæc verba. *Scitoque affectionem, quæ indicat de vena sectione, talem esse posse, vt cogeremur etiam cum alui profluuio secare, sicut in ardente febre, in qua sint biliosæ deiectiones, tamen secamus venam si vires & ætas consentiunt, quia est magnus morbus.* Idcirco hæc sententia (Hippocratis scilicet) non est simpliciter vera, sed solùm vbi ab aliis non cogamur venam secare, sed simpliciter sit alui profluuium, & aliquid indicans de venæ sectione, sed non cogens; & inferius mentem Galeni exponendo scribit: *Hoc intellige cum simplici alui fluxione, quando sine sanguine fuerit, quia cùm est cum sanguine, quandoque debet vena secari.* Quibus verbis respondet etiam quæstioni à nobis propositæ, nempe quod in febre sanguinea liceat aliquando venam secare. Hoc aliquando non explicuit, est verò *quando plenitudo datur*, nam sanguineæ febres rarò dantur sine sanguinis copia maiori quàm statui naturali conveniat, vt non dantur aliæ febres humorales sine excessu humoris, à quo creantur. Idem præceptum accipietis, quando febris sanguinea non est, datur tamen sanguinis plenitudo, aut copia maior; est enim timenda totius sanguinis corruptio in quolibet casu ex dictis, si non secatur vena, & ventiletur satis statim; quod intelligetis si febris levis non sit, aut sit ardens, & alui fluxus non sit immodicus: nam si superfluus sit, temerarium esset venam secare, etiamsi febris intensa esset, nam cum tanta deiectione sufficientissimè tollitur plenitudo, & ventilatio idonea fit. Quia vt 1. *cap.* docui, totum quod euacuatur, manet liberioris ventilationis, & transpirationis. Et si secta vena fluor vt anteà persisteret, præcipitarentur vires, adueniente que syncope, periclitaretur æger, nec sine Medici culpa apud vulgus, & Medicos. Heurnius eundem locum Hippocratis declarando scripsit, *metu infirmitatis futuræ, si perseueret alui fluxus, maximè supersedendum, si colliquatio adsit; alioqui cùm magna tenentur febre homines, ita vt intestina incendio tacta videantur attrahere materias, ineunte morbo, seca venam:* & Ludouicus Mercatus *lib.* 3. *de morbis internis, cap.* 11. scripsit. *Considerare etiam oportet, non minus reuellere, & aliquando compescere posse sanguinis detractionem: sed maximè vbi sanguinolenta euacuatio suppressa est, corpus robustum, sanguinis abundantia, vel humor peccans sanguini admistus, vt in diarrhæa, quæ continentibus febribus accidit, videre est.* Quam praxim etiam Heurnius sequitur *tract. de febribus, capit.* 25. Constat verò ex dictis, non esse dubitandum de præsenti virium robore, ita vt non solùm sectionem venæ, sed alui etiam fluxum post sectionem perseuerantem possit sistere: Nam ob hunc solum metum secare venam aluo fluente, Galenus dehortatur 4. *de victu acut.* iam citato. Absolutè enim, & sine limitatione dixit: *Fluente aluo sanguinem non detrahes.* Est verò vtilis secandi modus intermissionibus continuum fluxum interrumpentibus (vulgò *per pausas*, græcè Epapheresis) quibusdam factis; sic enim minus ægri debilitantur, & retractio succorum ad contrariam partem efficacior non dubiè fit; & ideo confert euacuationem semel celebratam, sed in minori quantitate, reiterare, vt fortius humores reuellantur, & minus virtus labescat. Caue tamen solicitè, ne aluus fluat ob debilem retentricem, desperata enim affectio à quacumque euacuatione redderetur cum Medici ignominia, quia statim à secta vena sensibiliter contracta nimis debilitas agnoscitur, & si aluum sollicites, incompescibilis sequetur fluxus; sed rarum est in morborum initiis tantam esse virium effeminationem; & si sit, ipse languor virtutis efficaciter satis suadebit in perniciem esse cum eo alui fluxu & febre venam secare.

Quod verò secandum etiam sit cum alui fluore si detur interna inflammatio, extra dubium est, præsertim si partes superiores obsideat, quibus alui fluor minus prodesse solet; illud verò tanquam maximum non ignoretis, nimirum, quod alui fluxus soleat esse pro-

priſſimus inflammationibus internis ventris inferioris, A & regionis naturalis, vt Mercatus docet *lib. 3. de morbis internis, cap. 2. Affectus* (inquit) *inflammatorius ventriculi, iecoris, lienis, aut inteſtinorum frequenter aduocant humores ad ventrem, ſicque fluxum concitant.* Gal. *comment. de vict. acut. text.* 40. ſcripſit: *Cum alnus liquida eſſe poſſit, tum propter ventris phlegmonem, tum propter contabefacientem, colliquantemque febrem.* Contingit autem fluxus ille, aut quia incendium partis inflammatæ trahit nimis, & totum intra locum inflammatum tam citò vt trahitur, imbibi nequeat, ſicque ad aluum mittatur: aut quia expellens robuſta multum conferetim pellat, vt ſimul inflammet, & per partes vicinas distribuat, quod locus inflammatus tam ſubitò, vt fuit miſſum, capere non potuit: aut quia ex ipſo loco in- B flammato materia aliqua acria, & irritans manat, quæ partes vicinas lancinans fluxiones commouet, & hæc cauſa à duabus prioribus facilè per copiam diſcernitur. Non enim poteſt eſſe multum, quod ex inflammatione reſudat; erit ergo non paucum, quod deprauata attractrix, aut expultrix trahit, aut expellit, ſi ob breuitatem actionis non potuit locus affectus admittere totum quod fuit commotum: & quando ab his duabus actionibus læſis fluxio excitatur, contingit ſtatim in principio fluxionis, in quo multitudo materiæ datur; aut fluxio ex reſudatione loci inflammati præcedens, non in principio, ſed pòſt euenire ſolet. Quia in principio inflammatio quævis crudior, quàm poſtea eſt, & nihil aut parum remittit; & hæc minus quàm aliæ ſectio- C nem venæ recuſat, quia minor eſt, & vires effœminat.

Sed quid dicetis faciendum, ſi cum materiæ inflammatione detur immoderatus alui fluor? Ceſſandum cenſeo à magno quolibet auxilio, quamdiu tam inſolens influxus moleſtat; quia copioſè ſatis corpus inanitur, & humor reuellitur, & in magno periculo æger conſtitui poteſt, ſi vena ſecetur, ob debilitatem contractam ex fluxu, doloribus & ſectione venæ: Partem verò inflammatam interim defendes, partim oxyrrhodino, ſi illud requirat, partim anodinis repellentibus mixtis, ſi dolor vrgeat, & nimis traheus, & nimis etiam vires abſolueus. Et ſi inflammatio grauiter affligat, cenſeaſque iam totum inanitum, cucurbitam ſupra locum affectum profundè ſcarificabis, vt extrahas impactum quod vrget ſine virium diſpendio, ipſamque vt ſæpe docui, eodem die reiterabis, vt virus extrahatur, & D mox reſoluentia conueniunt. Et ſi commodum aliquod ab ſcarificatione ſequatur, poteris alterâ die ſcarificationem repetere: non enim datur alius modus occurrendi tam graui periculo. Deinde verò ſi inflammatio ſit ex natura earum, quæ ſudoribus ſolent benè iudicari, eos mouebis moderatioribus auxiliis, vt fortè aqua ſtillatitia ex floribus chamæmali & bugloſſæ, carduique benedicti amari, ſeu lactei. Et ſi in thorace inflammatio ſtabuletur, cum aqua papaueris rubri, & ſcabioſæ, aut tuſſilaginis cum lapide bezoar orientali, & theriacæ modico, & aliis innumeris. Conſtat verò id intelligendum, ſi vires conſtent, & alui fluxio non ſit ex ſuperuenientibus accidentibus, ob morbi perniciem, quando iam natura non retinet; ſed loquimur de fluxione alui E ob copiam, aut prauam humorum naturam, quos natura dum fortis eſt, expellere nititur. Iam enim docuimus, quod ſudor & inflammationem iudicare, & diarrhæam reprimere poteſt, aut moderari; ad illam enim cohibendam ſudorem ciere omnes conſulunt. Conſtat verò de his complicationibus non fuiſſe loquutum Galenum *1. ad Glauc. cap.* 14. ſed ſolùm de ſola complicatione febris putridæ, & diarrhææ; nec noſtri inſtituti eſt ſimplicis alui fluxus medelam modò inſtituere.

CAPVT IV.

Si balneum in febribus putridis cum alui fluxu conueniat.

GAlenus *eod. lib. 1. ad Glauc. cap.* 14. Balneum aquæ dulcis commendat, vt vtiliſſimum ad cohibendum alui fluxum; ſic loquitur. *Balnea verò in fluxionibus quidem ad ventrem aptiſſima ſunt, ſanguinis verò fluxum acriter irritant, & quicumque ob ſudoris multitudinem animi defectum patiuntur, his etiam plurimum nocent, &c.* Quam praxim Auic. æmulatus *fen.* 11. *lib. 5. tract.* 5. *cap.* 8. ſcripſit: *Et Balneum quidem conuenlens eſt ei, cui accidit ſyncopi ex diarrhea, & cholerica paſſione: Et ſi accidat propter fluxum ſanguinis, eſt nociuum valdè, & ſimiliter ſi accidat ob ſudorem plurimum.* Ratio vtilitatis in promptu eſt. Trahit enim non ſegniter ad corporis ambitum, & ſic à ventre inferiori humores retrahit: Et cùm per poros efficaciter ſatis, occultè tamen euacuet, rapit à toto ad inteſtina mittente, illudque per cutem euacuat, ſicque vtiliſſimè ad cohibendas diarrhæas imperatur, ob quam rem, quibus per ſudorem exſoluuntur, pernicioſum debere eſſe lege contrariorum perſpicuum eſt; tales enim per cutem inaniuntur, ad quam balneum efficaciter trahit, & omnia conuocat, ſicque eorum infirmitatem accelerat ad cutem trahendo, & illam amplius, & præter modum laxando, extenuandoque omnia.

Tanti authoris doctrina, & abſque expoſitorum lite ſuſcepta, non caret ſcrupulis, (ne dicam peccatis.) Nam ſi balneum in fluxu ſanguineo pernicioſum putatur, erit non minus incommodum diarrhæis; illum enim auget, & protrahit, quia ſanguinem liquat & extenuat, fluxilioremque reddit, vas recluſum amplius hiare cogit humiditate, & calore. At hæc incommoda in diarrhæis inexcuſabilia ſunt, nam humores extenuantur, & liqueſiunt viæ, per quas eorum reiectio celebratur, hiare amplius neceſſariò coguntur calore, & humiditate laxatæ ventrem etiam & inteſtina, quæ ſunt partes recipientes fluxionem, debiliora reddere ob laxamentum balnei indubitabile eſt. Incommodat ergo diarrhæis non minus quàm fluxui ſanguinolento, & ſi hic excitatur ob copiam & hunc balneum tollit, impediet etiam ſanguinis fluxum, & cohibebit diarrhæam. Neque obſtat ſi dicas, quod etſi hoc ſit verum, erit nihilominus nociuum ſanguinis fluori, quia vaſis apertionem, ob quam ſanguis excernitur, maiorem non dubiè balneum efficiet, & fluet periculoſius, & magis. Sed contra eſt, quia quando natura aperiret vas illud, per quod ſanguinem reiicit, ſi iam ſit ablata copia ſanguinis, quæ moleſtabat naturam, occludet vas illud, quis iam non datur quod pellat: nam impetus ſanguinis vas illud recludit, & inde ſi non ſit quod impellatur, non aperietur oſculum vaſis, præterquam quod ſanguis per nares, aut venas hæmorrhoïdales, ſi applicetur vaſi recluſo medicamen adſtringens, impedietur apertio, & plenitudo ſanguinis auferetur balneo, retrahetúrque ad partes oppoſitas, vt in diarrhæis ſit. Vrgetque hanc Galeni doctrinam fluxus ſanguinis per nares, ſi ob mordacem naturam, biliosamque infectionem à natura excitetur; appoſito enim adſtringente remedio vaſi recluſo, nullum auxilium celerius balneo aquæ dulcis ad retundendam ſerimoniam, contemperandum ſanguinis biliosi incendium, & abſumendam ipſam bilem excogitari poteſt. In qua hypotheſi, meo iudicio, ſtrenuam opem à balneo ægroti ſentient; & nulla occaſio periculoſi fluxus ſanguinei maior inuenta hactenus eſt, quàm biliosa infectio, vt *cap. de Cauſone* ex mente Hippocratis, Auicennæque docuimus. Videturque doctiſſimi Galeni non omnino

omnino vera, etsi negari non possit, quod si sanguis fluat ob vasis erosionem, aut vulnus, aut quia præter modum serosus sit, balneum sit dehortandum. In meo verò casu ob incendium sanguinis, biliosamque infectionem, celebrare illud censeo, quidquid Galenus doceat. Nec sibi constat hic author: nam *lib.5 methodi, cap.73.* in muliere Romana sanguinis sputum patiente, & in adolescente ibi etiam relato, balneo fuit vsus; quod irrationabile omnino est, si sanguinis fluxus acriter irritat. Vrget etiam Galenum expressa Hippocratis authoritas 3. *de victus ratione in acutis, text.59.* dicentis: *Qui in morbis aluum plus iusto humidiorem habent, hi non sunt lauandi, neque hi, quibus magis, quàm decet detinetur vrina, & soluta non sit.* Qui locus tepidè satis à Galeno exponitur. Verba sunt: *Quibus plura per ventrem subducuntur, his balneum sistit, ea ad corpus vniuersum reuellens, atque hac occasione detrimentum adfert.* Ratio quidem friuola satis: nam saltem balneum conueniet, quando oportet fluxionem alui cohibere, vt 1. *ad Glauc.* ab eo commendatur ob hunc finem Secundò Hippocrates balneum interdicit quòd aluus plus iusto fluit. Hoc autem bifariam solum contingit: aut quia præ immoderato vires iam lapsæ longiorem euacuationem ferre non possint, ne syncope pereant: aut quia, etsi vires constent, sit iam immoderata euacuatio, quia euacuat quod detinere licebat: in nullo verò ex dictis casibus habet vim ratio Galeni. Quia si iam vires collapsæ maiorem euacuationem sustinere nequeunt, comprehensus est hic casus in eo textu, quando debilibus balneum interdicit. Tum etiam quando præ nimia euacuatione virtus iam deficit, esset irrationabile auxilio euacuatorio fluxum illum reprimere; & multò minùs conueniet, si spirituosæ substantiæ plus quàm crassiores euacuent, vt balneum facit ob syncopis metum, & improuisam mortem.

Si verò plus iusto fluat aluus, quia iam euacuat, quod detinere oportet, & balneum efficaciter aluum sistit; ruit ratio Galeni. Quia quod sistere conuenit, nunquam lædit detentum, sed confert; malè ergo Hippocratem explicando dicit, quod balneum sistit, ad corpus vniuersum reuellendo, & hac ratione detrimentum affert. Idem enim inconueniens in quolibet alio auxilio fluxum cohibente includitur, si balneum lædit, quia detinet. Et ob hanc causam, & rationem, Vallesius Galenum suggillat, & aliam rationem adducit, dicendo: *Quia si succorum vitiosorum plus est, quàm vt à balneo reuelli versus cutem possit, magis soluitur aluus liquatione succorum, & laxatione, humectatione intestinorum, & vasorum ad illam pertinentium. Si autem tam exiguum excrementum iam restat, vt balneo distrahi possit, satis sit iam sponte cessaturam diarrhaeam dimittere.* Quam ob rem minimè necessarium corpus totum vitiare. Quæ explicatio mihi non omnino probatur: nam si primum concedamus; est tamen secundum omnino falsum. Primò quia balneum si operatur, quando debeo fluxum cohibere, vt à Medico docto imperari decet, non vitiatur corpus, sed in naturali statu constituitur, & hanc occasionem Vallesij expositio non tradit. Tum etiam, quia si balneum euacuat per cutem vt reueta euacuat, & iam sunt moderata excrementa trabenda, trabentur ad corporis ambitum; & non dubiè respondetur, sicque fluxus sistetur secretè, quia resoluitur, quod retrahitur. Et in doctrina huius authoris, nunquam balneum in alui fluxionibus erit vtile, non quando multa est materia, non quando est pauca, vt retrahi possit: ergo nunquam; quod est contra Galenum 1. *ad Glauconem citato cap.* Si verò dicat Vallesius conuenire balneum quando materia moderata est, refragatur Hippocrati dicenti, non conuenire, quibus aluus plus iusto liquida est, atque humida. Simili ratione expositio Brassauoli damnatur; dicit enim non esse lauandos in morbis, qui-

A bus aluus plus iusto humidior est; quia excrementa praua, quæ iam extra corpus natura reiecit, vt inimica, intrò detinet, & per corpus distribuit, læditque, quia tam vitiosis succis nutriri repugnat. Hæc causa cuicumque auxilio fluxionem detinenti communis est; & ob metum detentionis excrementorum, etiamsi aluus largissimè flueret, nullum auxilium supprimens conueniret, quod est planè absurdum: Imo si aliquod competeret, nullum magis quàm balneum, quia in hoc communi opinione non detinetur quomodolibet, sed euacuando per aduersam regionem, quod adstringentibus non conuenit, & inde hæc plus læderent quàm balneum.

Heurnius dicit, balneum vituperari, ne exhaustis B iam viribus ægrotanti à fluxu alui noua resolutio, & dissipatio superueniat per balneum; aut si fluxus criticus sit, impediatur. Hoc vltimum contra mentem authoris est, quia non loquitur de fluxu critico tantùm, sed de omni fluxu immoderato per morbos, & præceptum de criticis euacuationibus non sistendis, non traditur loquutione absoluta, sed loquutione determinata, vt in 1. *Aphoris.70.* dixit per hæc verba: *Quæ iudicantur, & iudicata sunt integrè, neque mouere, neque nouare.* Metu verò debilitatis inducendæ, si vires constant, & fluxum detinere oportet, non potest balneum vituperari, vt constat.

Quid mihi dicendum sit in tam difficili argumento, C aliud non occurrit, nisi quòd Hippocrates non loquitur de fluore alui humorali, qui propriè diarrhæa appellatur; sed de laxitate quadam, quæ per morbos ex ventriculi debilitate, quia malè concoquat, accidere solet, vt quando retentrix effœminatur, & incipit aluus plus iustò laxari. His enim balneum incommodat, quia debilem coctricem, & retinentem debilitat magis: retinentem humectando, præcipuè coctricem in vitalem spiritum resoluendo, & non minus laxando, rarefaciendoque partes concoquentes; cùm nihil frequentius, quàm adstringentibus robur nouum ventriculo addere, ne infeliciter concoquat per morbos præsertim febriles. Nam vt docui explicando læsionem febris, per priorem nullam magis lædit, quàm coctricem, ob raritatem, tenuitatem, & distemperiem simul à D calore intensiori inseparabiles. Si verò hæc expositio tibi non probetur, putandum est, Hippocratem sensisse, quòd balneum in alui fluxionibus sit periculosum auxilium, & ob id vituperari. Cur sit timendum, ex rationibus antea relatis constat: nam humores liquat, & fluxibiliores reddit vias per quas fluunt, dilatat magis, hiareque oscula vasorum plus cogit, partes recipientes vehementer laxando, & madefactione superflua debilitat, & si in fluxibus retentrix (vt solet) effeminata aliquantulum sit, perniciosum erit balneum. Rursus, aut illud ad vnguem temperatum est (vt pro hecticis Galenus commendat) & hac ratione temerariè imperatur, quia nihil ferè resoluit, nec trahit, sed solùm laxat, & vias recludit, retinentemque vim destruit; & hoc bifariam causat calefaciendo tepidè, & humectando nimis. Et rursus, quia natura, E vt docet Galenus, voluptuosa illa sensatione tepidi balnei se expandit, & dilatat; sicque satis debilitatur retentrix. Præcipuum indicium euidens est, quod aqua tepida bibita sit vomitoria, non alia ratione, nisi quia laxat voluptuosa sensatione, & calore tepido cum humiditate, sicque retentrice debilitata vomitus excitatur, quia pelli debet quod non retinetur. Tactus itaque rerum tepidarum, quia blandus, & placidus, laxat naturam, vt omne irritans, & molestum illam vnit, constringitque, quia hoc fugere tentat, voluptuosum verò, & placidum amplexatur, & vt illo pressius fruatur, se expandit, seque dilatat, vt intra se modo possibili voluptuosum recipiat, & cum illo firmius vniatur.

Si verò balneum tepidum non sit, sed calidius, non laxat cutem, sed constringit potius: quia natura caloris molestiam sentiens se vnit, velut illam fugiens, ob quod Galenus *lib. 7. meth. cap. 6.* de balneo siccis distemperiebus succurrente, sic loquitur. *Esto autem aqua ad vnguem temperata; cumque frigidior est, latenter frigus corpori infirmo insinuet, calidior autem cogat, constringat tenues meatus, ac denset.* Si ergo calidior tepida meatus occludit, & densat cutem, augebit necessariò fluxionem alui: & quia densando cutem repellit intus, quæ in ambitu corporis sunt, & extra non trahit: & quia humiditate alterat, & laxat intus. Nam densitas, & constrictio pororum cutis effugans molestiam causatam, non obstat quod humiditas non alteret interiora, etsi impediat ne aqua intrò possit distribui; & sunt pericula balneum in fluxibus dehortantia, vtilitas verò speranda, dubia satis sub tot incommodis, vt verè dicere possis, balneum per se, & primariò multis modis lædere, prodesse verò per accidens, quatenus nimirum fluentes humores ad aluum trahit, reuocaturque ad cutem; & cùm hæc tractio non nisi maiore calore fieri possit, talis verò ob intensionem, molestiam naturæ inferat, & hanc fugiens (vt docet Galenus nuper citatus) natura se vniat, fugiatque ad profundum, augebitur potiùs, quàm moderabitur fluxus. Neque vrget parum Galenum, quod de balneis *lib. 3. aphor. commem.* t 5. sequentibus v ibis tradidit, dicens: *Quæ enim fit per balnea euacuatio est parua, & solam ferè cutem euacuat. Quæ autem sunt per carnem, & partes profundas, & solidiores dispersa superfluitates, non sufficienter ex balneis euacuantur.* Igitur si superfluitates ex nutritione emanantes, non euacuantur ex carnibus, & partibus profundioribus per balnea, poterunt minus extrahi humores in tanta copia ex partibus tam profundis, & in quas natura tam inclinata pellere concipitur, resistens maximè tractioni à balneo efficiendæ impulsô contrario. Neque obstat, quod si balneum cutem euacuat, euacuabit etiam totum corpus: *quia partes enteraneæ inanitæ trahunt ex aliis, vt fit in fame naturali. Sed etsi demus id, non conueniet balneum, quia frictionibus assiduis, & inunctionibus possumus inanire, auxilia quidem incommodis balneorum carentia, & fiet similis tractio ex internis, si illam ex inanitione extremorum possibilem iudicas: & si in corpore illo crassa excrementa sint, quæ à balnei calore liquefieri possint, euacuabitur periculosè, quia liquefacta fluent impetuosè, & diarrhæa geminabitur. Omitto etiam, quod auxilio euacuante, & virtutem resoluente ob multam inanitionem spirituum succurrere ex solutionibus ex nimio alui fluxu creatis, non est rationabile; nam fluor sistendus est auxiliis non debilitantibus, sed roborantibus potius: balneum verò, & magnum est remedium, & resolutorium virtutis, & insensibiliter euacuans. Hippocrat. tam exquisitè omnibus circunstantiis ornatus, illud requirit, vt ob cuiusque defectum inemendabiles noxas permittat, 3. *de victu acutor text.* 44. dicendo: *Quod si exactè quispiam non lauetur, non mediocrem noxam incurret.* Galenus *in fine text.* 58. vrgentius loquitur dicendo: *Si à ministris non preparetur, vt decet, valde lædit.*

Duo notabitis. Primum quod nos diximus in sanguinis fluxu per nates, si materia sit biliosa, & mordax, quam natura acrimoniam non ferens, sanguinem reiicit, esse vtendum balneo; quia nullum auxilium (vt reor) efficacius fluxum cohibebit ob strenuam attemperationem & acrimoniæ retusionem, & quia biliosi succi multum euacuat per cutem, in quo contra Hippocratem, & Galenum censeo. Ratio enim idem docet, nec censeo vniuersam totius sanguinis biliosam infectionem commodius, quàm balneis sanari posse: Non enim sanguis fluit quia tenuis, sed quia stimulans, & mordens, & calidus: quas proprie-

A tates balneum mirè remittit; & hoc exemplo doceo etiam quod si balneum alicui alui fluori posset esse commodum, erit quando à biliosis, & erodentibus succis creatur. Hippocrat. balneum esse commodum censet sanguinis fluori, 3. *de victu acutor. text.* 59. dicendo: *Neque quibus sanguis è naribus profluit, nisi minus quàm decet, fluxerit.* Quem textum Brassauolus tepidè explicuit, & malè; quia putauit ob solam debilitatem ex fluore contractam balneum damnari, quia magis debilitabitur eius vsu. Galenus nihil vtile scripsit. Heurnius tenuitatem à tempore inductam prætimuit, quasi non sit alia occasio ob quam natura sanguinem impetuosè reiiciat. Vallesius illud damnat, quia liquat sanguinem, & oscula venarum laxat, quasi hæc in alui fluoribus non efficiat; & nihilominus, vt illum sistat, impera-
B tur à Galeno; itaque omnes fluxus sanguineos, balneum aquæ dulcis augere, vt putat Vallesius, non probo. Constat verò, quod cum illud nos concedamus quando ob mordacitatem, & bilem copiosam fluxus cietur, debeat esse aqua tepida solùm; sic enim horror non inducitur, & minus sanguis liquatur, attemperaturque plus: Et si æger carnosus, robustusque sit, donec aqua sensibiliter infrigidaretur, in balneo illud detinerem ego; sic enim attemperaretur magis, & sanguis densaretur, & oscula occluderentur etiam. Rectè enim Platerus inter causas fluxus sanguinis oarium, posuit calorem, feruoremque sanguinis, quibus vias dilatat, & oscula aperit: similiter & bilis copiam, ob quam ictericis familiaris esse solet narium hæmorrhagia, sci-
C licet ob nimiam tenuitatem hydropicis familiarem, *tract. 3. de vitiis, lib. 2. c. 5. de sanguinea excret.*

Secondum notabitis, quod Galen. mulierem Romanam lauit etiamsi sanguinem ex thorace reiiceret, & quod in iuuene etiam id exercuit, sed non lauit totum corpus, sed solum caput, cui tam acre medicamentum applicuerat, ne reliquiæ cuti hærentes illud exulcerarent: sic optimè Galen. à calumnia liberatur, quia balneum in sanguineis fluxibus dehortatur nimis 1. *ad Glauc. cap.* 14. Scitote enim quòd balneum constat domo prima in qua aër tepidus est; secunda in qua lauacrum aquæ calidæ; tertia in qua lauacrum frigidæ, vnde non est idem ducere in balneum, & lauare; & vt lauit Galenus caput mulieris, cui tam calidum medicamentum applicauerat, sic lauit non totum iuuenem, sed
D solum thoracem, quia illi soli refrigerato auxilium calidum applicuit, ceratum nimirum.

Tandem notabitis, non esse balneum tam debilis virtutis, vt solam cutem euacuet, & quæ sunt per carnem, & partes profundas, ac solidiores diuersæ superfluitates non euacuentur sufficienter ex balneis, vt modò Galenus docuit 3. *aphor. comment.* 16. Est enim in balneis magna latitudo in calore aquæ, in tempore in lauatione absumendo, & impetu superfrictionis aquæ, aut frictionis cum ea. Est enim balneum magnum auxilium, ob quod languentibus interdicit Hippocrat. loco nup. cit. & Vallesius in expositione illius sic loquitur. *Non est autem quod Medicus contemnat eam euacuationem, quasi exiguam, & minimè mentio-*
E *ne dignam: mihi enim contigit videre ex vna longiuscula, & cum vehementioribus superfrictionibus facta lotione in balnei aqua sordium & lenta pituita, & crassa, & quæ non videri solum, sed in longum etiam trahi digitis, & palo poterant, plus eo, quod per copiosissimam missionem sanguinis duci solet, haud absimile ei quod in pelui ex venæ sectione in talo apparere consueuit.* Quomodo verò Galenus explicandus sit qui in innumeris locis balneum inter auxilia totum corpus æqualiter euacuantia reponit, in Ambrosio Nuñez legetis, cuius explicatio mihi non probatur: Crediderim potius illud Galenum asseruisse de balneis, quibus vtebantur antiqui ob solam sordium detersionem, & caloris attemperationem, non absolutè de quolibet balneo, lotionis modo & tempore.

TRACTA

TRACTATVS
De Febre Singultuosa.

CAPVT I.

Quid sit.

HANC complicationem inter reliquas velut perniciosissimam tradit Hippocr. 4. *de victu acut. text.* 69. cuius complicationis oblitus fuit Galenus 1. *ad Glauc. cap.* 14. cùm nullius deberet esse memoria ma..., sicut & curationis illius disputatio accuratior ob summum eius periculum, & medelæ difficultatem; quam complicationem tradidit etiam Hippocrat. *lib.* 3. *de fracturis, text.* 47.

De natura singultus latè egimus in nostris prælectionibus *de morbis acutis super Auicennam*; vbi docuimus, quod singultus est motus compositus ventriculi ex dilatatione, & compressione. In qua compositione distinguitur à vomitu; hic enim non est motus compositus, sed simplex constrictio, nempe ventriculi, qua ad expellendum quod contristat, vtitur natura. Singultus autẽ componitur ex dilatatione, & compressione, quia vtroque motu velut duplici manu vtitur natura ad reiiciendum quod ventriculum fatigat, & mordet: In vomitu autem sola compressione expellit natura, quia in vomitu continetur materia in cauitate magna ventriculi, & sic repugnat expelli quando ventriculus dilatatur, cùm potius tunc intrò magis decidat; sursum verò ascendit, vt vomatur, quando ventriculus violenter comprimitur. Causa verò singultus non stabulatur in cauitate magna ventriculi, sed potius in poris carnis, & tunicarum illius incarcerata concluditur, tam tenaciter hærens, vt vtroque motu sit opus, vt possit expelli. Id perspicuè intelligeris, si fingatis humorem in cauitate crumenæ solum inclusum, quem ab illa nunquam expelles, nisi illam comprimas: nam quando dilatatur, redditur potius crumena capacior, vt in illa liquor, aut humor, securiùs habitet. Fingite rursus linteum humore totum imbutum, quin ex linteo formata sit aliqua cauitas: si illud vehementer dilates, & quatias, expelles non dubiè liquorem inclusum, quem etiam reiicies si manibus linteum comprimas: sicut in linteo proposito continentur humores in ventriculo quando singultum excitant, & inde quando vehementer dilatatur, expellit, vt à linteo expellitur humor imbibitus, si vehementer, & celerrimè dilatetur. Qui modus expellendi propriè dicitur hispanico sermone *sacudir*: & quando ventriculus comprimitur, exprimit etiam quod intra poros imbibitum, incarceratumque est. Et ratio est, quia ita in vehementi dilatatione, sicut in vehementi compressione pori redduntur minores, & sic à se expellunt quod intra illos continebatur, ne detur corporum penetratio. Neque Philosophus inferat semper debere expelli quod poros occupabat: nam si expellitur, ne detur corporum penetratio, tam certa erit expulsio, vt est impossibilis quantitatum penetratio. Est enim mala deductio, quia tam lentum esse potest, quod imbibitum est, vt etiamsi ventriculus vehementer comprimatur, expellat nihil: vt si melle aut pice illinas, nihil repelles, etsi manum vehementer quatias,

A aut distendas, densatur enim quod imbibitum est, quando venter comprimitur, & dilatatur; aut rarefit, quando distenditur, & sic nec datur penetratio corporum, neque alicuius expulsio. Idem contingit, quando crassum, corpulentumque nimis est, aut vehementem distensionem tunicarum fecit, quod singultum causat, vt contingit in ventriculi inflammatione, aut alio tumore. Quid verò expellere in singultu ex inanitione natura procuret, cùm in mea opinione nihil imbibitum sit, vt contra Magistrum meum propriâ disputatione probaui, ibi inuenietis, & alia non pauca scitu dignissima.

Febris singultuosa igitur appellatur illa, cui singultus socius est statim à principio febris, aut non multò post: docuit id Galenus 4. *libro de victu acutor. text.* 69.
B dicendo: *Et sanè fuerunt ex febrientibus, qui in singultu rodentem, acerrimumque vomuerunt humorem, à quo tandem symptomate sunt liberati: Verùm febris huiusmodi nequaquam singultuosa appellatur; nempe vt singultuosa vocitetur, permanere amplius debet singultus, vel etiam per totum morbum simul cum febre exacerbare.* Et Antonius Musa Brassauolus sic loquitur. *Non sunt verò singultuosæ febres, quæ solum habent singultum in vna morbi parte, & etiam minima, sed in quibus diu, vel semper perseuerat.* Idem docet noster Vallesius in eiusdem loci expositione. *Febris*, inquit, *singultuosa non est, cui singultus aliquando accedit, neque cui in extremo iam vitæ constituto homini (ita vt fit) superuenit, sed quam à principio, ac semper ferè comitatur.*

C Sciendum autem est, nos non agere de inflammatione ventriculi, aut iecoris, aut intestini tenuioris, aliarumve partium, quibus singultus solet superuenire. Neque de singultu ex inanitione cum febre, sed de febre putrida, aut maligna, cum qua singultus assiduè molestat. Nam in inflammatione dictarum partium, rarò aut nunquam statim à principio complicatur singultus, sed quando iam nimis increuerunt, mortalesque sunt, licet meo iudicio familiaris, feréque continuus esse possit, quando pars caua iecoris inflammatur, non quidem propter magnitudinem inflammationis, vt semper fieri Galenus putauit 7. *aphor. comment.* 17. sed propter ichores mordaces à iecoris ipsius inflammatione resudantes, qui si in tunicis ventriculis incarcerentur, imbibanturque, vt possunt, creabunt statim singultum. Vt enim Galenus partem cauam iecoris in-
D flammatam à giba distinxit, propter accidentia communicata statim ventriculo, fastidium nempe cibi, nauseam, vomitum, & sitim; poterit etiam statim singultire ventriculus si ichorosum, quod à iecore inflammato resudatur in carne, & tunicis ventriculi, imbibatur. Contingit etiam quod primò ventriculus inflammetur, & sequatur statim singultus; quia portio humoris deriuatur ad illum, vt contingere solet in inflammatione intestini, ilei, septi transuersi, iecoris, & lienis.

Sed quando sine inflammatione viscerum singultus suscitatur, occasio frequentior est copia maxima excrementorum, & humorum, cuius portionem ad focum putredinis mittit, & aliam portionem ad ventriculi carnem, & poros; aut per venas, quibus alimentum ad ventriculum distribuitur, expellitur causa febris, & in venis capillaribus, & poris tunicarum firmatur: quæ

partem efficiuntur etiam focus febris, in quibus putrescit, febrem simul, & singultum excitat cum intolerabili angustia, & anxietate, & manifesto vitæ periculo. Sæpe autem tam praua sanguinis corruptio inuenitur à calore maligno, & exurente, liquanteque, vt colliquatio illa ad ventriculum pulsa exciteт singultum. Sic censet Fernelius quòd corrupti humoris acrimonia, malignitas, aut pernicies, qualis in febribus pestilentibus datur, singultum excitat.

Interdum verò à leuiori causa excitatur propter exquisitum, & acutum sensum tactus; quod (vt est frequens) ita fecutus. Est autem magnum signum abundantiæ excrementorum si simul cum singultu, aut alui deiectiones, aut vomitus complicentur. Propriissimè verò febres singultuosæ creantur, quando focus putredinis est ventriculo proximus, aut ad illum ea præsertim eius aliqua humoris portio in principio accessionum mouetur, aut aliquid malignum vaporosum tandem deriuatur; vt solet per aluum in febribus malignis, aut colliquantibus, cùm superuacua excrementa, & praua seorsim deriuari solent, & expelli in partes debiliores. Neque est præter rationem, humores crassos, & lentos in tunicis ventriculi imbibitos acrimoniam ibi concipere per putredinem, febrem & singultum simul causare; & nulla febris propriùs quàm hæc singultuosa inuenietur, quia ab eadem causa febris, & singultus creantur: nam in eodem loco humor existens, febrem, & singultum generat, eritque singultosa continuus, à cuius continuitate febris singultuosa nuncupatur. Continuum singultum appello, non quia semper affligere possit, vt affligit febris continua: nam talis continuatio naturæ singultus repugnat: cur autem repugnet, docuimus *proprio tractatu*, & nullus, quem viderim, illud dubium ante noa exagitauit. Et si curationem ab Hippocrate deductam accuratè perpendas, huic sorti febris singultuosæ propriissimè conuenit; calidissimis enim auxiliis, detergentibus, & extenuantibus, talia febris destructionem sollicitat: crassas item vrinas, & acres sudores, & abscessus, vt perfectè soluantur & æger liberetur, desiderat.

Distingues autem facilè si humores febrem & singultum creantes aliunde ad ventriculum veniant, aut in ipso imbibiti, infarctique sint. Primò ex maiori, & frequentiore repetitione singultus, quæ adsunt, si primaria passione ventriculus laboret, vt in hoc casu eodē modo sicut in phrenitide, & paraphrenitide discurrere debeas. Nam quando per consensum patitur ventriculus, tardius & leuius singultus fatigat; acerbius autem & frequentius si primaria passione infestetur. Secundò ex accessionum repetitione: erunt enim accessiones febriles clarissimæ, & distinctissimæ, si per consensum laboret; quia datur motus humorum à parte mittente in debilem. Illæ autem repetentiæ deficient, aut erunt obscurissimæ, si à succis in ventriculo in principio, ibique per putredinem natis, febris & singultus procedant. Obscuras repetentias voco, quæ ex nouo accessu, aut occasione ob alimentum assumptum suscitantur. Humor enim qui in ventriculo imbibitus hunc affectum creat, non potest non exasperari, & ventilari, minus post alimenti sumptionem, & necessariò plus grauatur ventriculus: aliæ verò accessiones in dicta causa non erunt, quia inconcussa, stabilisque tenaciter ventriculo adhæret. Causa verò immota, & stabilis, accessiones sensibiles non causat. Eandem distinctionem deduc ex vrinis; erunt enim naturales, aut parum à naturalibus distantes, si primaria passione ventriculus infestetur, quia vasa ex quibus vrina deriuatur, etiam febres non continent; pessima autem vrina esse solet quando per consensum patitur humorum putredinem intra vasa maiora; & vrinæ hactenus à me visæ, quando per consensum ventriculus patiebatur, prauissimæ & variæ nimis fuerunt.

A Regio etiam ventriculi si consentit, mollior minusque dolens percipitur: contraria signa dantur si primariò laboret, & erit etiam anxietas maior, & pulsus debiliores, paruiores, frequentiores, & ad duritiem magis inclinati; à cibo oppressio maior ventriculi, & coctio alimenti infelicior, nunquam vidi singultientem, qui nimia de ventriculi anxietate quereretur; solùm enim molestantur nimiè quando concutiuntur singultiendo; in interuallis autem exiguè satis molestantur. Ratio esse potest, quia cùm humores imbibitos in tunicis sit iam satis fixus, & stabilis, non inducit molestiam notabilem, si verum est quod ex Platone docet Galenus, dolorem generari quando natura corrumpitur, non quando corrupta iam est. Accidit etiam frequentiorem

B causam singultus esse humores crassos, & lentos, imbibitione, & adhærentia molestantes magis quam acrimoniâ. Contrarium contingit in cardialgia, quarum causa mobilior, mordaciorque est, & prauis qualitatibus potius quàm corporatura, & adhærentia lædunt: in singultu autem corporatura, & oppressione tenacitateque potius quàm qualitatum prauitate fatigant, ab illis tamen quandoque oriri indicium est singultus ortus à flatibus, & à simplici frigiditate, & etiam quando, vt docuit Fernelius, à sola compressione costæ dependet. Et similiter quando ab inanitione, in quibus nulla insignia qualitas præternaturalis inuenitur, vtpura aut distensionis, aut complexionis, certo, & indiscibili modo causam singultus lædere, & ad singultiendum determinate potius, quàm alienis qualitatibus: etsi nō negem

C ab his etiam causari posse, sed alium modum esse frequentiorem, ex quo deducitur, aut multam copiam distendentem, aut comprimentem, aue plurimam substantiam flatuosam singultiendi causam ferè semper esse.

Quod planè indicat Hippoc. 4. *de victu acutor. sex.* 69. vbi omnia auxilia ab illo imperata crassos humores, flatuosámque substantiam respiciunt; & sic intelligendus est *aphor.* 39. *lib.* 6. vbi scripsit: *Conuulsio fit, vel ex repletione, vel ex inanitione; ita verò & singultus.* Vbi præcipuè docuit à repletione vt tali singultum causari: sicut eodem modo conuulsio à repletione procedit.

Huius febris periculum magnum proposuit Hippoc. *textu allegato*, dicendo: *Quod ita affectus non potest euadere, nisi sudores indicatorij superuenerint, & somni

D æquales, vrinæque exierint crassæ, & acres, aut in abscessum morbus confirmetur.* Est etiam singultus vt causa, perniciosus; coctionem enim alimenti, & humoris febrilis interturbat, quia sine exquisita retentione non fit: Hanc verò tollit tam frequenti concussione viscera omnia commouente, & corpus etiam vniuersum concutit. Quod incommodum respiciens Galenus dixit, singultum esse symptoma facultatis retinentis: vires etiam frangit & effœminat assiduaconcussione, aut non permittendo dormire, aut somnum iam inceptum interrumpendo; curationi etiam febris putridæ vehementer obstat, non solum quatenus coctionem materiæ impedit, sed quia auxilia maiora debita, aut omninò cessat, aut solùm permittit multò leuiora fieri; & tan-

E quam signum etiam est malum, quia semper ferè mulcam esse causam febris significat, præcipuè si simul cum singultu vomitus, aut alui fluor inueniantur. Et cùm febris putridæ idoneam medelam semper remoretur, ac detineat, auget necessariò periculum, quia exitiosum est acutas febres reddere longas, & ob id in febribus periculosissimum est, vt doctè notauit Scenettus, nisi ob etiam iam instantem, & præcedentibus signis coctionis celebretur. Tunc enim non solùm non est symptoma perniciosum, sed signum futuræ crisis per vomitum, alioquin malignus in febribus acutis semper est, & mortem iam proximam, si acutis malis superueniat, significat: vt quando somno profundo, aut animi deliquio, aut Tetano superuenit, vt doctissimè Aëtius prædixit.

CAPVT

CAPVT II.

De curatione Febris singultuosæ.

IAm diximus non esse sermonem de curatione singultus dependentis ab inflammationibus internis; nam vt symptoma illarum per ablationem inflammationum etiam tollitur. Curatio igitur solùm instituitur de singultu febribus putridis complicato, qui cum illis ferè incipit, & per totam earum constitutionem fatigat. Ante verò, quàm curationem Medicus aggrediatur, distinguet solicitè, si causa febris, & singultus in prima regione stabulentur. Sæpe enim, vt in pueris experimur, ex nimia cruditatum repletione, quando aut obstruunt, aut putrescunt, singultuosa febris creatur; eius occasio in inquisitione accurata vitæ præteritæ facilè inuenietur. Quæ inquisitio nunquam obliuioni tradenda est, si Medicus turpiter errare non cupit. (Proh, dolor! quot ob hanc Medicorum negligentiam rogo traditi sunt?) semper igitur modus viuendi inquirendus. Nam, qui veneri, & ventri obsecundant, rarò ob vitium primæ regionis non ægrotant; & solent interdum grauissimis febribus corripi cum cardialgia molesta, singultu, nausea, vomitu, & sæpe deiectionibus alui cum ingenti cibi fastidio. Complicatio quidem symptomatum voracibus tam propria, vt ferè semper ventriculi accidentia acuitas eorum ostentet. Quo viso, si natura vomitu, & deiectionibus sarcinam & excrementorum saburram sufficienter non deponat, leniente medicamento statim prima regio deoneranda est; deinde clysteribus assiduis, partim expurgantibus, partim detergentibus, concoctoriis, & flatus discutientibus residuum excrementitium mundabitur: sic & vsu continuo mellis rosacei cum oxymellite, cum aqua fœniculi (idest decocto) & anethi frequenter propinato: & si nauseabundus etiam æger sit, vomitus procurabitur communibus auxiliis, vt fortè anethi, florum chamemeli, & radicum asari decocto; vel seminis raphani, & hordei cum ℥. ij. oxymellis, aut aqua hordei tepida cum oleo communi, semperque dabitur quantitas ℥. xij. Etiam est optimum auxilium aqua nap hæ tepida, si ℥. vj. propinentur tepidæ: virtutem enim vitalem recreant, corroborant, & vomitum non segniter mouent. Et si quid malignum veneni æmulum ex praua corruptione, vt solet, creatum fuerit, tanquam alexipharmacum eius malitiam emendat, & in his auxiliis tota medela collocabitur. Et si pertinax singultus fuerit, constat esse opus auxiliis detersoriis, & expurgantibus imbibita excrementa ventriculi, etiam tenaciter hærentia, quorum sylua postea à nobis traditur.

Est etiam accuratè notandum, si causa singultus distincta sit omnino à causa febris, ita quòd hæc nullatenus moueatur ad ventriculum, vt singultiat, sed suas periodos citra aliquam transmissionem humoris ad ventriculum exequatur. Id autem Medicus assequetur, si singultus vniformiter molestet, & nullo modo in mutationibus accessionalibus febris variationem singultus suscipiat, neque exacerbetur. Nam quando ab eadem causa febris, & singultus dependent, si febris exacerbatur, aut lenior, remissiorque redditur, easdem mutationes singultus æmulatur.

Dubium autem non leue est, à cuius ablatione sit incipiendum quando causa singultus distincta omnino est, nullúmque consortium cum causa febris participat. Circa quod iudicium nostrum est, quod si febris non vrgeat, sit prius auferendus singultus; omnes enim ventriculi passiones sanguinis missionem vehementer recusant, præsertim quando à crassis & crudis excrementis oriuntur; & cum hoc sunt etiam molestæ & dolorificæ, concoctionémque ciborum impediunt, cuius A conditionis non dubiè singultus est; & hæc medendi methodus, adductam à Galeno 2. *lib. ad Glauconem cap.* 14. æmulatur, dum primam complicationem læsi ventriculi propter morsum illius aut anxietatem proposuit simul cum febre, & plenitudine, & docet esse prius succurrendum ventriculo, & postquam circa illum æger bene se habuerit, sanguinem esse mittendum, aliter euacuandum: & qui ante hanc præcautionem, & ventriculi roborationem vacuare ausi fuere, aut ægros iugularunt, aut ad extremum periculum deduxerunt. Est igitur prius præparanda materia, ita vt quolibet die, duo, aut tres syrupi propinentur, clysteribus aluus soliciterur, expurgetúrque statim materia singultus, mox roborandus ventriculus, & postea febris medelam tentare; B medicamenta verò dictis scopis idonea postea tradémus.

Si autem febris vrgeat simul cum singultu, & imperata prima purgatione, nondum singultus cesset, constetque in secunda regione præter causam singultus, nihil dari crudum, mixta curatio exequenda est. Nam si febris vrget, sine idoneo auxilio derelinquenda non est, & sic secabitur vena, vt febris expostulat, minus tamen sanguinis extrahetur, quàm eius vigentia petit, ob complicatam singultum, & ventriculi debilitatem, quæ sectâ venâ semper augetur, reiterabiturque præparatio causæ singultus, & idoneis medicamentis eius extractio celebrabitur. Quia vt *in Prognost.* retulimus, curationi idoneæ febris obstat vehementer singultus: semper tamen aduertas, ne auxilia expurgantia causam singultus C humoris secundæ regionis commoueant: quia cùm sint crudi, non commouentur sine insigni detrimento, illud nihilominus expurgatione tollitur: & si tantis pro maiori fauet, quod quando singultus simul cum putrida febre molestat, datur magna copia excrementorum expurgationem desiderans, & rarò excrementa causantia singultum, non sunt prauæ naturæ, quando simul febris putrida datur: est tamen status perniciosus, si vnà cum singultu ad febrem alui profluuium complicetur, quia magnum cumulum excrementorum arguit; quia febrem, singultum, & diarrhæam simul creat, & cum magno metu expurgatio causæ singultus tentatur ob præsens alui profluuium: in quo casu non censeo auxilium securius quàm vomitum imperare: illo enim, D & singultui, & alui profluuio, & sæpè febri directè succurrimus. Est autem ciendus vomitus non omnino leuioribus auxiliis, quia singultus leuibus vomitoriis cedere ignorat: vt si sumantur succi radicis raphani ℥. ij. mulsæ ℥. iiij. in his macerentur per noctem radicum asari ʒ. ij. manè colentur, & detur tepida potio fugiendo semper expurgantia per aluum, metu diarrhææ superfluæ. Nec licet adstringentibus ventriculum firmare, dum singultus vrget, ne plus impingatur eius causa; aut si aliquod adstringens applicetur resoluentibus, misceatur semper, vt aliquid imbibiti excrementi resoluatur.

Si autem causa febris, & singultus sit eadem, bifariam contingere potest. Primò quia tota causa imbibita in ventriculo sit, & nullus motus humoris ad vent- E triculum detur, & tunc curatio tota ad ablationem singultus dirigenda est. Consistit autem tota in expurgatione humoris imbibiti, detersione, & resolutione, nulloque modo extrahetur sanguis, quia neque causa, neque locus affectus tale auxilium indicant; sicut aliud etiam symptomata ventriculi recusant. Censeo autem hunc casum esse rarissimum, & si detur, vehementior erit singultus quàm febris, & hæc erit (vt paulò antes dicebam) fixa, & stabilis sine accessionibus repetentibus cum continua ventriculi oppressione: neque in ipso singultu sensibilia mutatio in modo afflictionis inuenietur, sicut modò dicebam de febre.

Secundo modo dependet febris, & singultus ab eadem causa, quando ventriculus ipse efficitur focus putredinis

tredinis partis mittentis ad illum, vt solet excitari cardialgia, aut aliud genus molestiæ, in quo casu singultus variatur in modo molestiæ, vt variantur etiam accessiones: sed cum hoc discrimine, quod in initio accessionum plus vrgebit singultus, quia in principio vsque ad augmentum plus fluit, & ventriculus vehementius opprimitur: & vt docui, modus irritandi ad singultiendum est frequentior, & proprior per oppressionem: in vigore autem accessionum, quando febris intensior est, erit singultus remissior, minus frequens, & non tam violentus, quia minor materia est in vigore, & quia iam nimis attenuata opprimit minus.

In hoc autem casu, mihi non est dubium fore vtilissimum venam secare, impedietur enim ne tanta copia humoris ad ventriculum expellatur, & eisdem auxiliis, quibus febri occurrimus, auxiliamur etiam singultui, vt fauemus putredinis fucco, quando directè fluxum humoris ad illum remoramur, & hoc auxilium præsertim imperabitur, si aliqua euacuatio sanguinea suppressa præcesserit, menstrualis præcipuè, aut per mariscas: est enim communio magna inter vterum, & ventriculum. Ita tenet Vallesius noster *in expositione loci citati de victu acutorum*. Dicit enim: *secabitur, vena si videatur necessaria*; fuisletque doctior expositor si quando licebat explicuisset, & in tam arduo argumento, non ex hypothesi, sed determinata, assertiuaque doctrina, quid operandum esset, luculenter doceret; à quo crimine, neque Galenus, neque Brassauolus excusari possunt. Venã etiam secare Bauderonius consulit *cap. proprio de singultu*, quando febri continuæ copulatur, et si detur hemorrhoïs, aut menstrua euacuatio suppressa, aut totius plenitudo. Quam doctrinam etiam Lupeius tradit *cap. proprio de singultu*. Magister tamen meus Doctor Garcia non omnino adductam doctrinam admittit *lib. de febribus, fol.* 886. sed prius singultum tollit, mox sanguinem mittit, & sic operatur, etiamsi febris sit ardens: imo etiamsi ab interna inflammatione singultus oriatur, non secat venam nisi habita distinctione. Distinctio autem est, si singultus repetat crebrò, aut per interualla longiora: si crebrò redit singultus, non secat venam; si per interualla longiora, tale auxilium ad reuellendum admittit, quia in tanto interuallo non potest esse humor semper præsens ventriculo, & sic auxilium non impedit; nec dubium esse potest, quod in tanto interuallo, corroborato ventriculo, fieri possit, si in tot angustiis æger sit constitutus; secus autem clysteribus & cucurbitulis scarificatis oportet vti, quæ ad affectum primarium conferant, & à ventriculo reuellant, sicut sæpè fit in alui fluxionibus ad ventriculum: hæc Magister meus.

Quæ praxis, & doctrina sic absolutè prolata mihi non probatur; quia confluxus humoris ad ventriculum tam validus esse potest, quod etiamsi crebrò singultire cogat, & ei reuellendo fluxionem non succurramus statim, insuperabilis fiat, aut in affectum inflammatorium permutetur ocyssimè: supposito enim, quod humor causans singultum in poris tunicarum ventriculi incarceretur, & extra vasa, iam est proximus ad causandam inflammationem; nam hæc fieri incipit, quando humor ad po[illegible] reiicitur, & per consequens contra Magistrum censeo, quod si medico constet ex secunda regione humores [illegible] ventriculum pelli, & singultus crebrò repetat, petit eo ipso auxilium celerrimum, & sanguinem statim esse mittendum, ad impediendam inflammationem, tam instè timendam, & moderandum simul singultum. Est enim morbus grauissimus, & acutissimus, indicans vrgenter magnum, & velox auxilium: expurgare autem est certa pernicies, cùm trahatur humor ad partem affectam in qua propter debilitatem iam imbibitur, & mortalem passionem generare incipit. Quo igitur auxilio tam pernicioso humorum præcipitio occurrere possumus, nisi secta vena,

A vt secatur statim in affectu inflammatorio ventriculi, & in cardialgia ex simili causa, vt *proprio tractatu* docui, quod nimirum ex secunda regione, & maioribus vasis in os ventriculi excrementa pelluntur. Fluxus enim impetuosus humorum in partem principem, & mortalem passionem creans, nullo alio auxilio citiùs, melius, & securiùs retrahitur, vt est omnium concors opinio: constat autem id esse imperandum, cùm virium constantia satis sit manifesta. Si autem de viribus dubites, tentabis aliis auxiliis singultum moderari, tum auxiliis stupefacientibus, tum præcipuè cucurbitulis scarificatis in dorso iuxta rationem plenitudinis, quibus etiam veris (si nostram doctrinam fideox suscipias) quamdiu singultus crebrò repetit, & assidua
B concussione vires frangere videtur. Est etiam auxilium non contemnendum ad impediendum motum humorum vsus æmatianum, quibus vis expurgandi inest, & ligaturis molestissimis brachiorum, eorúmque frictionibus, & dorsi etiam versus superna, & siccis cucurbitulis sæpè reiteratis est innitendum, donec singultus moderatior fiat, si cum crebra illius repetitione, quam timuit Magister, venam secare non audeas: quod ego nunquam timebo si mihi constet in prima regione nihil crudum manere, & expulsionem humoris causantis singultum à vasis maioribus regionis secundæ fieri. Quinimò vt nuper docui, audacius venam secabo, si vrgeat singultus, vt ille moderetur, & inflammatio præcaueatur. Habet enim hîc locum Hippocrat. oraculum. *Extremis morbis extrema remedia optima.* Estque certum
C quod quando singultus vrget nimis, moueatur causa illius per vasa deferentia alimentum, ex quo ventriculus nutriendus est, & sic semper mouetur sanguine admixtus, & ob id à sola sectione venæ certum sperandum auxilium.

Quod si adhuc recuses, ad aliud auxilium, meo iudicio, minus securum recurrere debes, expurgationem nempe; quoniam morbum tam magnum sine magno auxilio relinquere, certa desperatio videtur. Duplex autem incommodum ab expurgatione timebis. Primum sit quod ad locum affectum causa morbi impetuosius trahatur. Secundum sit quod expurgatio impetretur, quando materia omnino cruda est; & his incommodis addes incertitudinem remedij, quando morbus iam grauis auxilium breuissimum, & certum simul exposcit.

D Quod autem singultus, vt talis sectionem venæ impedire non possit, constat ex communi omnium doctrina tale auxilium imperantium, quando ab inflammatione viscerum originatur, aut ipsius ventriculi. Constat verò, neque in alio loco esse causam singultus, & ab eadem defluxione pendere, à qua pendet; quando inflammatio excitatur, & singultus resultat.

CAPVT III.

De reliquis auxiliis Singultus, & Febris Singultuosæ.

E Sanguine misso, vt dictum est, considerabit Medicus vigentiam febris, & singultus: nam si iste moderatus sit, tota ferè medela ad febrem dirigenda est. Quia cùm singultus pendeat à commotione paroxysmali causæ febris, eisdem auxiliis singultui etiam occurritur, & sic cucurbitulis, inunctionibus, frictionibusque ad corporis ambitum humores retrahentibus, & febri, & singultui medebimur. Suntque magni momenti cucurbitæ scarificatæ, vt fortius confluxus humorum ad ventriculum ad extra retrahatur, & clysteribus etiam, & interdum expurgantibus optimè dictis indicationibus satisfaciemus. Deinde deobstruentia, & detersoria auxilia contra febrem, & singultum egregiè pugnant,

sicut

sicut & quæ impropriè diuretica appellantur, vt emulsiones seminum frigidorum maiorum, aut minorum, vt fuerit vrgentia caloris febrilis & singultus. Et si hîc vrgeat, miscenda semper sunt aliqua narcotica,& mordacitatem inhibentia, vt emulsiones seminum papaueris albi, & portulacæ, & florum nympheæ extractæ in aqua violarum, aut maluarum, aut in decocto aneti, & præcipuè seminis eius, quòd habent contra singultum insignem prærogatiuam.Interim etiam mel rosaceum ex sacchato cū syrupo adianthi & oxymellia propinabitur. Et si adhuc singultus vrgeat, expurganda est humor imbibitus in tunicis ventriculi, hiera simplici Galeni, quæ tam singulare auxilium pro hoc symptomate auferendo putatur,quod affirmat Eustachius Rudius *lib.* 2. *cap.* 10. nunquam ab illo incassum, seu frustra adhibitum fuisse quando cardialgiæ medebatur. Propinet autem ʒ. ij. & cum ʒ. dimidia pulueris diarrhodonis, & mitua simplici cithoneorum non aromatica bolum conficiat. Si autem calor febrilis tam calidum auxilium non admittat, dabitur in aqua communi, aut in decocto hordei, aut fragariæ cum dicto puluere diarrhodonis, aut cum sero caprino, aut dabitur manna cum eodem sero, aut iure pulli, aut propinabitur infusio rhabarbari cum syrupo regio. Et si ventriculi sit debilitas magna, optimum præsidium erit in decocto medullæ tamarindorum, florum cordialium; & spicæ miscere serapium ex infusionibus rosarum rubrarum, & drachma dimidia, aut scrupulis duobus pulueris rhabarbari selectissimi, & recentis.

Si autem febris vrgeat simul cum singultu, & relata remedia propter febris incendium recuses, ad potum copiosum lactis asinini confugere debes, in quo omnes indicationes impletas inuenies; expurgat enim, febrem attemperat, acrimoniam excrementorum demulcet, sitim extinguit, dolorem mitigat, somnum conciliat, & vires iam collapsas instaurat. De cuius vsu *cap. de cardialgia* latissimè egimus ex authoritate Hippocrat. 4. *lib. de victu acut. text.* 110. Quam doctrinam sequuntur Galenus, & Valesius noster super eundem locum. Sunt autem notanda Vallesij verba. *Hoc medicamento* (inquit) *video vix nunc aliquem Medicorum audere vti, quod lactis incommoda pertimescant. Ego vero scio, me cum magna vtilitate in huiusmodi affectionibus esse vsum: Neque quidem de asinino vt de aliis generibus lactis censere oportet; quia est valde serosum* (*id est*) *neque corruptionem, neque concretionem pertimescere oportet, vt in aliis lactis generibus.* Idem docet Musa Brassauolus super eundem locum, & doctissimus Aretheus *lib. de curat. acutor. cap.* 1. Phreneticis, quibus os ventriculi æstuat, & ardet, & ab acribus excrementis, & bile eroditur, lac propinat; habetque hoc egregium, & singulare, quod ex toto corpore non trahat, sed solam regionem primam sine totius corporis commotione expurget, simulque vrinam moueat; quem effectum pro curatione & eradicatione febris singultuosæ Hippocrates desiderat. Quantitas autem lactis non potest exquisitè diffiniri: Dandum tamen est quantum requiritur vt expurgatio fiat: nam Hippocrat. *loco citato* dixit: *Si autem non cessauerit dolor, lac asinæ bibendum dato, donec purgetur.* Verùm *lib.* 7. *de vulgaribus morbis, tex.* 4. filio Heratolai quasi nouem cotylas atticas dedit, quæ capiunt ℥. lxxxj. cuius vsum Vallesius laudat, & cum maxima vtilitate eo vsum fuisse affirmat dando plus, quam duos sextarios, hoc est ℥. xliij. Quod auxilium magni momenti censeo fore in nostro affectu. Et quod amabilius in eo inuenio, est quod in affectu phlegmonoso hypochondriorum (tales enim fluxus ille habuit) securissimè datur, quod in nullo alio medicamento expurgante facilè inuenies. Fuit tamen æger ille à tali portione lactis vehementer adiutus, quia satis validè expurgatus fuit. Si autem lac asininum non inueniatur, aut tantam quantitatem æger bibere nolit, serum lactis

A caprini propinabis,in quo folia senæ,& flores cordiales infusæ fuerint, aut rhabarbari modicum. Certum tamen est, nullum auxilium vt lac asininum omnes indicationes implere, vt antea explicui. Notabitis autem crassum errorem Ioannis Freitagij, qui inter res præter naturam expurgationem impedientes, posuit anxietatem, & morsum oris ventriculi; cùm nihil magis quàm ille tale auxilium exposcat. Oritur enim anxietas illa, vt Galenus testatur, à medicatia, & corruptis humiditatibus in ore ventriculi imbibitis, quæ instar veneni cor in consensum trahunt, & illud insigniter lædunt, ad syncopenque perpetuò disponunt, & inde Aëtius in singultu ab humore mordace maximè omnium prodesse dicit lac recenter mulctum.

Deinde imperanda sunt auxilia detergentia, resoluentia, sensum stupefacientia, & expurgantia leniter. Est B autem celebre quod à Galeno traditur *lib.* 8. *localium*, *cap.* 8. ex Asclepiade, & omnes authores tale auxilium commendant: nullus verò melius quàm noster Auicenna pastillos illos disposuit sic. Costi, croci, rosarum rubrarum recentium, mastichis ana aureos iiij. assari aureos ij. aloës, opij ana aureum j. confice pastillos cum succo psillij, & bibatur auri medietas per succum psillij vel mucaginem seminis eius, vt notauit Nicolaus. Galenus autem sic illos dispensat. Costi, spicæ nardi, chrisobalanorum, rosarum viridium, mastiches ana ʒ. iiij. aloës, asari, ana ʒ. ij. opij ʒ. j. excipe succo psillij, fiant pastilli, & præbe obolos iij. cum liquore affectui conuenienti. Si costus non inueniatur, loco C illius substituetur galanga, & loco chrisobalanorum nux myristica, aut cariophyli. Ludouicus autem Mercatus *lib.* 4. *sua practica, cap.* 5. sic illos conficit: spicæ nardi, rosarum viridium, & mastiches ana ʒ. ß. aloë & asari ana ℈. j. opij g̃. xij. excipiantur mucagine psillij facta in decocto lactucæ, fiant pastilli pendentes g̃. x. Si autem rosæ rubræ recentes nō sint, madefient siccæ in decocto violarum, & seminis papaueris albi. Hos pastillos dixit Galenus auxiliari patientibus intensos singultus, & voluulosas stomachi affectiones cum nimio ardore. Idem affirmat Mercatus: Nicolaus verò contrariam sententiam tuetur, nimirum conuenire singultui à causa frigida orto.

Si autem materia singultus sit maligna, & veneni æmula, propinanda sunt alexipharmaca, & præter D communia sequens à Sennerto extollitur. Seminia anethi, cardui benedicti, & citri ana ʒ. j. melissæ, corticum citri ana ℈. ß. coralli rubri, galangæ, macis, cinnamomi ana ʒ. ß. margaritarum, smaragdorum ana g̃. viij. cornu ceruini, & lapidis bezoar orientalis ana ʒ. j. vel quod volueris; fiat puluis, aut cum sacchato fiant pastilli, vel cum syropo de corticibus citri fiat electuarium, de quo sumat cochlear vnum vel alterum per interualla. Præstat etiam theriaca recens, aut mithridatum, aut aqua theriacalis cum succo citri.

Quia verò Hippocrat. in febre singultuosa auxilia calidiora abstergentia, lotiumque non segniter mouentia planè commendat, censendum est, causam singul- E tus crassam satis, & lentam fuisse; neque multum calidam, ad cuius detersionem, & resolutionem commendat Hippocrates succum psillij, & daucum cum oxymellite. Vallesius autem noster oxymellis præbet ℥. ij. aut iij. & succi psillij, & pulueris seminis dauci ʒ. ß. cum decocto idoneo, aut calaminthæ. Est etiam vt docui singulare auxilium decoctum seminis anethi, aut ipsius herbæ cum modico menthæ. Discordes autem inuenio Vallesium,& Magistrum meum Garciam circa vsum oxymellitis, nam Vallesius dare ℥. iij. non timet. Magister autem meus omninò illud prohibet, & consulit ne detur propter aceti acrimoniam, quam pertimescens Hippocrat. dixit, esse dandum in potu perquam exiguum oxymellitis: & mihi videtur

præce

præceptum Magistri securius, & inde puluerem dauci, & succum illum psillij commode in mulsa propinabis, aut in decocto hordei, radicia gentiaoæ, & seminis anethi, aut ex illo paretur mulsa, cui reliqua addentur. Neque contemnendus est puluis seminis apij, & vrticæ: in mulsa iamdicta exhibetur.

Et quia Hippoc. *loco allegato* dixit, quod sudores decretorij sunt vtilissimi, consulit Vallesius, tanquam salutarem vsum theriacæ magnæ, & mitridathi; & fortasse erit etiam vtile cogere illos ad sudandum decocto ligni sancti cum rebus stomachicis paratis. Quæ auxilia in febre illa conuenient, cuius causa indicet plusquàm febris, quia hæc remissior sit, causa verò multa, crassa, & lentissima, vt in quotidiania febribus diuturB nia interdum sudorem imperamus, vt omnino exstirpentur. Quod respiciens Brassauolus in *expositione loci citati*, dixit: quod auxilium paratum ex oxymellite, dauco, & psillio conuenit solùm ægrotantibus, quibus ob multas frigidas, & humidas materias, crassas, & glutinosas in ventriculo impactas, flatuosásque, singultus excitatur: sic author prædictum auxilium dispensat; oxymellis ℥. vj. seminis dauci, & citri ana ʒ. ij. misce, & per decem horas infundantur, & exprimantur. Deinde in expressione dissolue succi asatia ʒ. j. & potui detur. Si autem daucus non infusus, sed in puluere sumatur, debet prius dissolui succus in oxymellite, & postea pulnis dauci miscebitur. Quod auxilium C fugiendum est in singultu orto à calidis & acribus excrementis. Mirum tamen est, quod tantam quantitatem oxymellitia propinet propter acrimoniam aceti. Ob quod Galen. etiam timeodum oxymel oos monet. Ego autem censeo quod tanta quantitas simul non potest rationabiliter dari, sed per interualla portiones illius mensuræ sumendæ sunt.

Alia plura auxilia in authoribus inuenits. Haly Abbas autem si nimis molester singultus laudat philonium propter stuporem quem causat, confortationem, resolutionem, & expulsionem, & si antiquatur singultus, docet esse vtilissimum, & expertum oleum alkekengi,

A si cochlear eorum sumatur cum aqua calida: extollit etiam trochiscos scillæ. Inquit enim, quod vehementer prosunt. Sunt etiam impetanda extenuatoria, & præcipuè mixta puluere castorei; quod esse vtilissimum, tenent omnes authores. Nam 6. *aphor. text.* 13. scribitur: *A singultu correptum extenuatio superueniens liberat*: & si febris magna non sit, singultus tamen molestus fatiget, detur philonij ʒ. ß. pulueris dictamni ʒ. ß. detur cum anethi decocto, aut generoso vino. Est etiam optimum decoctum radicis enulæ cum saccharo, & theriacæ ʒ. ß. ad materiæ resolutionem. Quod etiam præstat panis à clibano recenter extractus, linteo inuolutus, & ventriculo applicatus. Est autem diuidendus per medium, aut in aceto acri coquatur castoreum, B piper, sinapis, & chamæmeli florea, & calidum applicetur cum spongia, si febris magna non sit. Est etiam optima nux myristica, aut cariophylli, aut lignum aloës, quando flatus, & lenti succi putantur causa singultus, vt timor subitò incussus. Nec displicet decoctum smilacis asperæ, & florea papaueris robri ad mouendos sudores imperare; nam Hippocrates, vt vidimus, illos desiderat. Gargarizatio etiam assidua cum aqua calida vtilis est ad materiæ resolutionem, sempérque conuenit lata fascia ventrem inferiorem cum ventriculo strictè comprimere, ne concussio tam vehemens corpus intrepidè frangat, & vires exsoluat. Huius morbi curatio oscitanter satis à Mercuriale, Massaria, C omnibusque aliis authoribus traditur. Hippocrat. verò 4. *lib. de victu acutor. citato* quamplurima auxilia misit. At verò *lib.* 2. *de morb. num.* 62. longiorem medelam scripsit, sed tam difficilem, & intricatam, vt opus esset longissimo examine, si omnia ibi relata disentienda forent. Plurimo enim aceto vtitur, vt per sputum determinationem singultos expellat, totámque spem curationis in ratione victus collocans, neque expurgationis, neque sectionis venæ, neque ænematum, neque cucurbitarum recordatur, eundemque teporem in curatione tam difficili, & controuersa Galenus commisit.

TRACTATVS

De Vertiginosa Febre, & eius curatione.

CAPVT I.

De essentia huius febris.

TOT difficultatibus philosophicis accidens vertiginosum ingenia Medicorum solicitauit, vt in nulla explicatione à nostris Magistris hactenus adducta mens placata quieuerit: Vnde & vestris precibus & vtilitate simul adductus, quid in tractatione tam ardua sentiam, libentissimè explanabo. Hoc pessimum accidens Hippocratem coëgit, vt de febre Vertiginosa particularem tractationem tradiderit, magis tamen succinctè quàm pro tanto affectu requirebatur; sic, ergo 4. *lib. de victus ratione text.* 42. reliquit scriptum: *Quibus item febribus Vertigines à principio fiunt, & capitis pulsus sunt, & vrina tenuis, iis ad indicationes vsque ad febris accessionem expectare oportet: quod si delirent, nihil mirum.*

Notabitis quod vt febris dicatur propriè Vertigino-A sa, non erit satis semel in illa hoc symptoma Vertiginis apprehendere, sed pluries molestare tenetur, vt sit veluti accidens illum concomitans, ita vt ex leui motione, aliave causa tale symtoma excitetur. Est itaque in hac febre sæpe reiterata Vertigo, aut si non sit frequentissima, sit tamen dispositio Vertiginosa inseparabilis, ob quamleui occasione (vt nuper dixi) Vertigo excitetur, vt de febre syncopali fuimus philosophati. Sic Galenus *eodem* 4. *acutorum, textu* 67. *ad finem* docet, quod vt febris appelletur singultoosa, debet singultus amplius permanere, vel etiam per totum simul cum febre exacerbare. Cùm ergo Vertigo sit praua apparitio, qua obiecta omnino quieta in circulum apparent agitata, & in gyrum conuersa, & hoc apertè ostendat, cerebrum non esse leniter læsum; constat planè relatam febrem fore periculosam, quia cerebrum in consensum trahit, & hoc per totum morbi tempus: quod significans Hippocrates dixit; *quod à principio febris vertigines fieri debent*, vt inde constet hoc symptoma esse velut proprium ipsius, aut semper ferè infestans, aut si non semper, saltem dispositio ad incidendum

dum in vertiginem præsens semper esse debet: hæc autem dispositio, vt antea dixi, agnoscenda est ex eo quod occasione leui vertigo apprehendit, & caput aliis signis debile agnoscitur, aut dolere assiduò, aut quia substantia flatuosa per illud interius celeriter moueri percipiatur, aut aurium tinnitus assiduus, aut in visu suffusio, aut debilitas detur, ita vt à luce offendatur loquela propria, aut aliena molestetur, vt alia multa eandem debilitatem significare solent, quæ ex mente Archigenis 3. *de locis affectis in fine cap.*8. Galenus retulit. Sic idem Author 3. *de locis affectis cap.* 8. dixit, quod affectus vertiginosus ex ipsa appellatione manifestatur, quippe à parua occasione obtenebrantur, qui sic laborant.

Vertiginem definiuit Galenus 4. *aph. commento* 17. his verbis: *Vertigo autem est, quando quæcumque conspicimus, videntur circumagi, ac simul periit derepente sensus visus, cum ipsi ægroti putent circumfundi tenebras.* Noster autem Auicenna *fen.*1. *lib.* 3. *tractatu* 5. *cap.*1. sic loquitur: *Vertigo est vt habenti ipsam imaginetur, quod res super ipsum voluatur, & quod eius cerebrum, & corpus ipsius reuoluantur.* Est tamen magnum dubium de parte affecta in Vertigine, & multò maius, quæ sit causa ob quam obiecta quæ sunt quieta, reuerà appareant moueri in circuitum: & quia vltimi dubij explicatio primum explanat, illud prius à nobis discutietur.

Vnum video ab omnibus scriptoribus, tanquam indubitatum accipi, nempe quod in omni Vertigine detur motus inordinatus vaporum, humorum, aut spirituum, non quidem quod vapores, humores, aut spiritus semper & necessariò moueri debeant, sed quod sit possibile istas tres substantias agitari simul, etsi omnes simul necessarium non sit moueri. Verùm quia sine motione alicuius substantiæ ex dictis vertiginem creari non posse, concors est omnium Doctorum opinio, & Galenus 3. *de locis, citato cap.* 8. id probat, quia homines sani qui in gyrum violenter, & multum vertuntur, eo ipso in vertiginem incidunt: constat in ægris idem admitti debere, quia in vtrisque simile symptoma datur, nempe quod obiecta, quæ sunt quieta, & vt talia verè existebant, apparent moueri: constat verò tam violentam motionem corporia in sanis non reperiri, nisi vt quæ sunt in cerebro mobilia agitentur etiam violenter, sic quod propter motionem eorum obiecta externa quieta moueri appareant: idem ergo in ægrotantibus contingit. Verba sunt: *Atque vbi quis crebrò vertitur, inæqualem & inordinatum & turbulentum motum, tum humorum, tum spirituum in eo fieri in confesso est, rationi igitur consonum est huiusmodi accidentia vertigine affectis itidem euenire.* Quam doctrinam Princeps noster *capite proprio* tradidit, ad vnguem verba Galeni transferendo. *Et hæc quidem vertigo* (inquit) *quandoque accidit homini, propterea quod reuoluit seipsum, & reuoluuntur vapores, & spiritus in seipso, sicut cum reuoluitur vas continens aquam tempore aliquo & quiescit, vnde remanet quod est reuolutum in gyrum tempore aliquo, & quando reuoluuntur spiritus imaginatur homo quod res voluantur.* Et rationem reddendo sequentia verba scripsit; *nam æquale est siue diuersificetur proportio partium spiritus ad partes mundi continentis ipsum ex parte spiritus, siue diuersificetur illud ex parte mundi, cùm sensatio per eas quæ reuoluuntur sit secundum oppositionem, nam cùm sentiens mouetur, permutantur opposita, sicut cùm mouetur sensatum permutantur opposita.* Aristoteles eandem rationem tradidit *sect.* 3. *Problem. quæst.*9 inquirens, cur grauiter à vino detentis omnia circumferri videantur, & respondet: *An quia conspectus frequenter a vini calore compellitur atque mouetur? nihil verò interest conspectus moueatur, an res conspectui obuia: fit autem ratione vtra libet, vt id quod modo dixi, videatur.* Et *sectione* 6. *Problem. quæstione* 4 inquiens cur vertigo surgenti potius quàm sedenti accidat? respondet: *Quia quiescenti humor vniuersus in vnum locum se colligit, ex quo cruda etiam obiecta nequeunt circumuerti, sed protinus decidunt: mouenti autem humor se æquè expandit, & in eandem impetuosam motionem reducuntur omnes*; quod vertiginosi aliquando continere se non possint, sed in terram decidant; quia per motum spirituum à principio neruorum, aut decidunt, ita vt non detur eorum sufficiens quantitas, vt possint sufficienter influere, aut ex impetuosa motione eleuentur vapores, cum quibus spiritus permixti non vniantur inter se, sed in partes diuisi influant minus, aut ipsi vapores influxum spirituum impediant, quia sunt incapaces illius, vt impeditur luminis productio per interpositionem corporis opaci, aut per illam violentam motionem, si rarefiant spiritus, quod partim resoluantur, partim ad influendum debilitentur, cùm raritas & tenuitas, vt est in confesso apud omnes Philosophos, quacumque actionem diminuant.

Hæc igitur cùm sit omnium doctrina receptissima, communisque consensus, tota difficultas circa partem in qua talis motio spirituum, aut vaporum fieri debeat, consistit ad hoc vt obiecta quieta appareant moueri. Est enim circa hoc in Authoribus discordia maxima: quidam enim in nostra schola censent motionem illam vaporum gyratiuam esse efficiendam ante humorem crystallinum, in quo potentia visiua subiectatur, ita vt implicet vertiginem fieri sine passione oculorum; quia cùm tale accidens sit necessariò circa visibilia, & sic actio visionis verè deprauata & erronea, quia obiecta quieta apparent moueri, necesse est quod oculi sint immediata pars affecta, & constat planè authoritate Galeni ex 4. *aph. text.* 17. vbi vertiginem definit dicendo, *est quando quæcunque conspicimus videntur circumagi*, &c. est ergo oculorum passio, quia vertiginem per visionem deprauatam definiuit.

Ad cuius opinionis euidentiam supponunt ex perspectiua, quod visio fiat per lineas, quas vocant visuales, ortas è directo ab ipso obiecto in potentiam visiuam directè tendentes, & formantes figuram pyramidalem, ita vt basis pyramidis sit in ipso obiecto, & ab eo incipiat; cuspis autem pyramidis per medium sit omnino formata, vt hac ratione per quamlibet partem medij possit obiectum percipi: neque in hac opinione putare oportet, quod linea visualis sit quid distinctum ab ipsa specie intentionali, sed ipsa species producta illo modo determinato iam dicto pyramidem format, quia obiectum visuale cùm sit extensum, necessariò iuxta se magnam basim efformat, quando speciem producit, & ad proportionem distantiæ illius medij per quod speciem disseminat, aut producit, vnit in illo medio magis aut minus species; magis enim vnit in maiori distantia, & minus in minori; quia figura pyramidis sine distantia formari non potest.

Inde fit, quod si obiectum fuerit nimis extensum, requiratur magna distantia inter illud & potentiam visiuam, vt hæc totam obiecti peripheriam & extensionem videre possit, quia ex immoderata extensione, à qua pyramis incipit formari, non potest formari cuspis, seu acuties proportionata basi nimia extensæ, nisi in magna distantia. Ratio est, quia productio speciei fit per lineam rectam, separantem tamen directè ipsam productionem ab obiecto, seu ipsam speciem productam; non quidem per latera obiecti, sed directè extra se; vnde vt species repræsentatiua totius obiecti possit existere in qualibet parte medij, requiritur magna distantia, & quò maius fuerit obiectum, maior tantò distantia requiritur, vt tota obiecti extensio videri possit: quia lineæ visuales in principio productionis spe-

cicrum nimis distantes, seu in principio formationis pyramidis habentis magnam basim, nequeunt vniri in puncto, nisi magna distantia detur inter basim & cuspidem pyramidis, quia vnionẽ linearum in puncto ex obiecto nimis extenso aliter fieri repugnat: inde obiecta minima, quamuis sint oculis proxima, videntur optimè tota; magna verò turris, aut domus, aut mons si oculis approximentur, implicat totam extensionem & peripheriam eorum videri ob dictam rationem.

Secundò supponit hæc opinio, quod motus alicuius obiecti in tantum percipitur, in quantum obiectum sub diuersa proportione linearum è directo correspondenti percipitur, ita vt motum percipi in re, quæ mouetur, contingat ex eo quod species impressa ab obiecto missa per aliam, atque aliam lineam visualem continuò succedat: sicut percipi obiectum quietum, nihil aliud est quàm percipere eandem lineam & sub eadem distantia locali. Cùm igitur hæc proportio linearum vniuersalium, & distantia varietur aut ex parte obiecti, nulla mutatione facta in sensu, aut ex parte sensus videntis, immoto tamen obiecto; ita obiectum tanquam motum repræsentari poterit, quamuis ipsum non moueatur, dummodo varietur proportio linearum ex parte potentiæ videntis in ordine ad ipsum obiectum; & hoc est quod Auicenna optimè significauit per illa verba; *cùm sentiens mouetur, permutantur opposita, sicut cum mouetur sensatum.* Quo autem modo varietur proportio ex parte potentiæ in ordine ad obiectum quod è directo respondet visui, superest explicandum.

Dicendum ergo est contingere propter vaporum motum ante humorem crystallinum, & iuxta pupillam adstantium; nam tales vapores, quia crassi & opaci sunt, impediunt missionem directam specierum deuenientium per illam partem. Cùm ergo vapores continuò & circulariter moueantur, quamuis per partem cui applicantur, impediant visionem, partem à qua decidunt, & separantur, perspicuam atque liberam derelinquunt; & cùm angulus speciei ad motum successiuum vaporis continuò varietur, ita & proportio quæ directa respondet per lineas visuales obiecti, mutatur; & inde obiecta quæ sunt reuera quieta, vt mota nobis apparent; quod enim in nauigantibus, aut alio quocunque modo celeriter motis contingit, vt propter subitaneam mutationem proportionis linearum ex parte potentiæ videntis obiecta, quæ sunt quieta, transmoueri videntur, ita in vertiginosis, quia propter motum vaporum proportio linearum visualium continuò & ad modum circuli variatur, apparent obiecta ad extra in gyrum moueri.

Hæc opinio in doctrina Galeni non potest sustineri, & à Magistro meo refellitur *lib. de locis affectis à c. 3. fol. 315.* Fuitque Eustachij Rudij sententia, licet diuerso modo ab eo explicetur; probatur ex Galeno 4. *acutorum, tex.* 42. dicente; *Cùm caput circumagi videtur, dinos idest vertigo, vocatur affectio*: & ex Auicenna *proprio cap.* dicente, *quod habens vertiginem imaginetur, quod res super ipsum voluantur, & quod eius cerebrum & corpus ipsius reuoluantur*: hoc autem esset impossibile, si vertigo esset oculorum passio, vt ab his Authoribus explicatur, quia solùm accideret vertigo circa obiecta quæ actu videntur per proprias species; at vertiginosus caput proprium non videt, nec potest: ergo vertiginosus non potest percipere motum capitis sui, quod est contra Authores, & experimentum. Et confirmatur, quia clausis oculis vertigo inuenitur, quod in me ipso in conualescentia febris tertianæ nothæ expertus sum, & dum hæc scribo, Pater Zelada è societate Iesu in tenebris & nocte post somni conciliationem, quando expergefit, vertigine opprimitur, & grauiter molestatur; ego verò dum vigilabam, nihil vertiginis sentiebam, mox verò si pro conciliando somno claudebam oculos, & quietem optabam, incipiebam concipere quod

A cubile, lectulum, & totum corpus in gyrum mouerentur, & repente oculis apertis cessabat vertigo; & si rursus subitò eos claudebam, & me recolligebam, vertigo inopinatè excitabatur, durabatque pauco tempore. Ad hoc respondent, quod dum alicui clausis oculis proprium caput & alia obiecta apparent moueri in gyrum, id contingit ex specie impressa, quæ producta fuit in imaginatione, quâ propter sui intensionem aliquo tempore durante, imaginetur vertiginosus propriũ corpus, & alia obiecta in gyrum agitari: cum quo optimè stat, vt si quis obiecta externa intuetur propter causam quam diximus, in circulum moueri appareant. Verùm hæc solutio licet probabilitatem aliquam apparentem respectu obiectorum, quæ visa fuere, in actu B vertiginoso habere videatur, tamen respectu capitis, & totius corporis non potest admitti, quia horum obiectorum nulla species in oculis vertiginosi præcessit, vt est euidens; ergo repugnat quod nec clausis oculis, nec apertis appareant talia obiecta in gyrum moueri: nec hæc solutio experimentis satisfacit; nam si in tenebris, & quando oculi clauduntur, vertigo excitatur, & non in luce, & quando obiecta actu videntur, non videtur probabile, quod ob passionem oculorum videntium obiecta per lineas variatas vertigo contingat.

Secundò hæc opinio non explicat modum quo per motum crassorum vaporum ante potentiam visiuam videantur obiecta in gyrum moueri: affirmat enim id contingere, quia vapores crassi ante pupillam positi impediunt receptionem specierum per lineam directam C vaporibus respondentem; & cùm continuò & circulariter moueantur, quamuis per partem cui applicantur, visionem impediant, partem tamen à qua discedunt, liberam derelinquunt; & cùm angulus speciei ad motum successiuum vaporum continuò varietur, ita & proportio quæ directè respondet per lineas visuales obiecti mutatur, & inde obiecta quæ aliàs sunt quieta vt mota nobis apparent.

Quæ doctrina improbabilis est omninò, quia ex illa tantùm sequeretur, quòd obiectum non videretur integrum vnica visione, sed partes, non tamen quod videretur in gyrum moueri; nam si vapor ante positus impedit per locum quem occupat species obiecti recipi, impediet necessariò visionem obiecti per eam partem, & simul quòd non videatur obiectum totum, & D quando discedit vapor ab eo loco, videbitur per partem potentiæ illi respondentem, & videbitur etiam pars obiecti antea non visa. Sed hoc quid habet, vt ratione illius totum obiectum in gyrum videatur moueri, quod in vertiginosis euidenter inuenitur; nam tota domus, aut cubile, aut homines adstantes in gyrum moueri apparent simul secundùm omnes suas partes, & non per medietates, aut particulas diuersas; quod in hac opinione necessarium erat. Et confirmat, quia cùm pupilla sit tam minima naturaliter, & quò minor videat perspicacius, improbabile satis apparet, quòd flatus tam crassus, vt propter crassitiem receptio speciei impediatur, sit tam minimus, vt totam pupillam non occupet, & sic omnino visionem impediet, quod est E contra naturam vertiginis, vt etiam (vt nuper docui) contra naturam eius, quod totum simul non videatur circulariter moueri; nec hactenus aliquis dixit, quod vertigo visionem impediat; esset enim actio ex parte diminuta, sed quod deprauetur ob motum spirituum violenter agitatorum, non tamen quòd impediatur totius obiecti simultanea visio, aut gyratio: ergo impropriissimè loquitur hic author, quando dicit, quod copia vaporum ante crystallinum humorem in vertigine moueatur, & quòd impediat, quia sunt opaci, visionem; nam sic cæcitas necessariò induceretur, cùm sit tam strictum foramen pupillæ, vt implicet totum non occupari in hac opinione, etiamsi multò maius esset foramen.

Vrgeo pranam loquutionem huius authoris, quia in eius opinione non flatuum copia, sed vnus solum flatus, & ipse velut atomus admittendus ante crystallinum humorem erat, qui circulariter moueretur, vt partim obstaret visioni, partim successiuè appareret obiectum, vt sic apparitio motus illius fieret, aliter enim explicari non potest visionis noua successio, vt appareat moueri.

Tertiò vrget hanc chimæricam vertiginem, nunquam visum esse qood per passionem vnius oculi vertigo inueniatur; hoc verò esset necessarium, si passio oculorum esset. Patet, quia ex rei natura non est necessarium, quòd motio flatuum crassorum detur perpetuò simul in vtroque oculo; nam cùm sint tam distantes, non est necessarium, quòd malum illud vtrumque oculum obsideat, ac per consequens esset possibilis visio eiusdem obiecti, quia vt motum, & vt quietum simul videretur: vt motum per oculum ante cuius pupillam ant potentiam vapor crassus gyrabatur; vt quietum verò per oculum sanum, quia quilibet oculus habet potentiam visiuam per quam totum obiectum, vt repræsentatur, percipere potest, quia quolibet clauso totum non dubiè per alium oculum conspicietur: hoc autem nunquam est visum; non ergo est vertigo oculorum passio, cùm tamen sit frequentissima affectio, sed potius alterius principij communis, ex quo affectio duobus oculis communis etiam necessariò fiat. Quartò non minus improbabilitatis hæc opinio redarguetur, quia fundamentum tanquam certum ad eius probationem improbabile omninò assumunt, nempe quod eodem modo obiectum vt motum videatur, si potentia visiua mutetur, ac si obiectum mutaretur; hoc enim quis admittere potest, cùm experimento euidenti opponatur? esset enim necessarium in hac opinione, quòd quando aliquis accedit, aut recedit ab aliquo obiecto, manifestè conciperet illud agitari eo modo quo ipse mouetur. Constat quia & mutat locum, & lineam etiam per quam videbat illud antequam moueretur; nam moueri per eandem lineam est impossibile. Quod verò non contingat, vt motum percipi obiectum quietum, eo quòd videns moueatur quilibet, vt ipse optauit, facilè experietur. Neque testimonia Philosophi & Auicennæ in sensu tam absurdo, vt ille censet, interpretari, aut intelligi debent; sed multò diuerso, vt postea dicam opinionem Magistri ab ipso non captam explicando.

Quintò hæc opinio Galeno & Auicennæ & medicorum cœtui apertè refragatur; omnes enim tanquam indubitatum censent & docent, quod vertigo sit affectio cerebri; & oculorum minimè recordantur, sed tantùm in tenebricosa vertigine eorū faciunt mentionē, vt patientium per consensum: sunt innumera Galeni testimonia, & constat planè eius opinio ex 3. *de locis affectis cap.* 8. in quo ex professo de vertigine agit. Verba sunt: *Igitur hanc affectionem ad cerebrum pertinere ex ipso vertiginoso sensu apertum est; oritur verò interdum cerebro primigenio affectu laborante, interdum verò cum ore ventriculi consentit*; Et statim ex mente Archigenis quare agnoscendum sit quod primariò aut consentiendo laboret, apertè docet; si verò oculi solùm essent pars affecta, vt hæc opinio putat, ad quid cerebrum pati debet, & nullus vertigini medetur occurrendo oculis, sed cerebro. Sed opinans contrarium tam euidentem doctrinam contemnens, respondet verum esse, quod vertigo sit affectio cerebri quantum ad radicem & suam causam; nam vapores oculis communicari, ex morbo cerebri, siue per se, siue per consensum oriuntur, neque est aliquod inconueniens, quod symptoma proprium alicuius morbi sit in vna parte, & morbus à quo ducit originem in alia, quod etiam suadetur tenebricosa vertigine, in qua oculi patiuntur, & morbos est in cerebro.

A Sed hæc responsio euidentis falsitatis conuincitur, quia non potest ostendere, ad quid sit necessarium, quòd malum prius in cerebro debeat esse, si oculi sunt pars affecta; nam si implicatet communicationem vaporum aliter quàm patiente cerebro fieri, probabilis esset solutio; at esse omninò irrationabile id asserere euidenter constat, quia sunt aliæ partes innumeræ, quæ in oculos vapores transmittere possunt, vt totum corpus; nam de ore ventriculi extra dubium est, qood hoc efficere queat, vt constat planè ex communi medicorum doctrina in accidentibus suffusionis, de quibus Galenus 4. *de locis cap.* 1. tam distinctè agit, vt ex ignorantia lectionis illius pendeat asserere, quod oculi non possint vaporibus impleri, nisi quando cerebrum solum in eos transmittit, aut quando nequeat aliqua pars oculos

B in consensum trahere, quin priùs cerebrum afficiatur; erit ergo vertigo possibilis absque morbo aliquo cerebri: malè igitur vt pars affecta ab antiquis Patribus in vertigine traderetur.

Est etiam absurda hæc opinio, quia necessariò fateri debet, nunquam morbum proprium oculorum per primariam passionem euenire posse, sed semper per consensum cum cerebro; quod esset præter rationem. Constat quia generatio flatuum cuicunque parti communis est: ergo etiam oculi debiles poterunt flatus generare, eosque agitare, vt vertigo causetur, si non est necessarium quod patiatur cerebrum: & constat euidenter quia frequentissimè palpitationibus diuturnis per propriam passionem molestentur. Vrget etiam

C hanc opinionem, quòd nunquam vertigo esset possibilis sine flatibus intra oculos positis: quod est contra communem medicorum doctrinam, affirmantium quod ob solam impetuosam motionem spirituum intra cerebrum fiat; spiritus verò nequeunt impedire visionem: constat planè ex vertigine orta ab aspectu aquarum impetuosè fluentium: causatur etiam in hominibus sanis perfectè, in quibus flatus præter naturam non dantur, cùm ex visione creari de nouo non possint, & ad oculos moueri contingit; ergo ob spirituum agitationem propter visionem inæqualem, & inæqualem applicationem oculorum ad aquam commotam & variè fluentem.

Et que mihi dubium satis quod Eustachius Rudius, & Magister docent, nempe quod ante humorem cry-

D stallinum vapores in gyrum moneantur, cùm tam strictus sit locus, vt gyrationi locus non detur; & contra omnes sic sentientes est argumentum efficax, nimirum, quòd per locum tam strictum flatus impulsos gyrare, & din in tali circolatione persistere, euenire non posset sine manifesta palpitatione, aut saltem sine manifesta talis motionis perceptione aut molestia: cùm sint tam sensibiles oculi, vt vertiginosi nullo modo in oculis molestiam aut motionem gyratiuam percipiant. Est ergo ridicula talis motitatio flatuum, & tam crassorum, vt impugnata opinio putabat; estque hæc doctrina contra Hippocratem *de veteri medicina num.* 40. sic dicentem: *Quæcunque autem flatuum resolutiones operantur in corpore, ea in cauis ac amplis, veluti ventre ac pe-*

E *ctore strepitum ac sonitum facere solent, etiam quid non sic repleant vt sient, sed vt habeant transmutationes & motus extra.*

Contra quam opinionem sit sequens, insolobile tamen, argumentum pro coronide: nempe qood omnis vertigo compressis oculis statim cessaret, & alio auxilio non esset opus, quod est contra experimentum. Probatur quia compressione facta cum digitis occluditur via inita quam gyrabant vapores, imò posito opaco oculis immediatò, cessaret statim, quia nec lux, nec species visibilis oculos afficeret.

in potentia interna, nullo modo poſſunt de nouo modificari per motum ſpirituum, quia motus non producit ſpeciem ſui in ſpeciebus externorum corporum, ſed in ſpeciebus ſenſibilis proprij in ſubiecto, quod mouetur, exiſtentibus: & inde neceſſarium eſt, quod ſpiritus, aut aliud corpus motum cogat imaginationem, vt corpora quieta moueri concipiat. Debet autem ſpiritus producere ſpeciem ſenſibilis proprij, quod apparet moueri, aut ſaltem habere in ſe ſpeciem, quam modificat, & hæc aliam in imaginatione producere, vt exemplo aquæ motæ explicatum ſæpe eſt.

Tertium dubium contra Magiſtrum eſt, quia nihil poteſt ab interno ſenſu percipi, quod ab externis prius perceptum non fuerit; ſed motus ſpirituum nunquam à ſenſibus externis perceptus fuit: ergo neque ab internis. Quod ſuadetur, quia nec cerebri colorem, nec ſpirituum, aut figuram eorum interni ſenſus perceperunt, quia nunquam externi ſenſus habuerunt eorumdem imaginem; & inde cùm motus ſpirituum nunquam ab externo ſenſu viſu præſertim cognitus fuerit, implicabit quod ab internis percipi poſſit. Et confirmatur, quia ſi motus ſpirituum agnoſceretur ab imaginatione, etiam quantitas & extenſio, aut aliud proprium ſenſibile eorum percipi poſſet, quod eſt omninò chimæricum & nunquam viſum: ſimiliter & quies eorum, quia hæc omnia ſunt in corporibus ſpirituum perceptibilia. At nihil iſtorum internè cognoſcimus, quia extrinſecum cognitum non fuit: ergo motus ſpirituum eſt imperceptibilis ab imaginatione. Et breuius hoc argumentum ab aduerſariis confici poterat ſic. Nullum ſenſibile commune poteſt ſeorſim concipi, & ſemper debet eſſe coniuncta cognitio ſenſibilis proprij cum communi, quod eſt in Philoſophia euidens: ſed nullum ſenſibile proprium ſpirituum ab imaginatione percipitur: ergo nec commune; ergo nec motus eorum, quia iſte commune eſt, non proprium.

Et confirmant aduerſarij hanc impoſſibilitatem, quia iuxta veriorem Philoſophiam localis motus, vt eſt ſenſibile commune, nihil aliud eſt, quàm præſentia variata eiuſdem rei, ac per conſequens implicat quod motus rei alicuius percipiatur, ſi non percipitur præſens ipſa res: at ſpirituum præſentia nunquam à viſu percepta fuit; ergo implicabit quod motus eorum percipiatur: & ſuadet etiam hoc, quia ſi aqua non videtur, non appareret quod nummus ſub ea agitabatur, aut mouebatur: ergo ſi ſpiritus non videtur, implicabit quod ea quæ modificant, percipiantur.

Quartum eſt, quia in opinione Magiſtri ſemper debet dari duplex perceptio obiectorum viſibilium oppoſita omninò, quod eſt contra experimentum. Probatur, quia modificatio cum modo motus contingit ſolùm in ventriculis cerebri vbi ſpiritus gyrant, & ſic cogitur imaginatio obiecta vt mota concipere: ſed ante hunc actum datur neceſſariò viſio obiectorum eorumdem cum quiete eorum, quia ſpecies impreſſæ in viſu talia obiecta vt quieta repræſentant: ergo videbuntur neceſſariò quieta, etſi internè vt mota imaginentur: vnde fieret quòd ſi vertiginoſus imaginationem liberè cum viſu ad obiecta extrinſeca applicaret, attentè conciperet obiecta vt ſunt in ſe, & quieta; & addunt, quod ſpecierum delatio non fit neceſſariò per ſpiritus, ſed per neruos, & ſic non erit vertigo in opinione Magiſtri, quæ quia ipſe tacuit, laborem & onus non leue nobis reliquit, longaque, & accurata inueſtigatione opus eſt, vt idoneè ſatisfacere poſſimus.

Et vt vis dictorum argumentorum contra Magiſtrum validior appareat, argumentum meum contra illum efficio, quod ni fallor, magni ponderis eſt. Idem obiectum in ſpecie infima ſemper producit ſpeciem eiuſdem naturæ; ſed motus localis eſt obiectum eiuſdem ſpeciei in quolibet corpore: ergo ſemper producit ſpeciem eiuſdem naturæ: ergo ſpecies impreſſa repræſentatiua motus producta ab ſpiritu, & à quolibet alio corpore, erit eiuſdem naturæ. At verò fatentur vniformiter omnes Philoſophi, quod ſpecies imaginationi deſeruientes debent differre, & planè differunt ſpecie ab ſpeciebus ſenſuum externorum: ergo ſpecies repræſentans motum localem producta ab ſpiritu, eſt eiuſdem ſpeciei cum producta ab alio moto, & implicat quod per illam poſſit imaginatio motum obiectorum externorum concipere. Conſtat planè, quia ſi ſpecies impreſſa ab albo producta in oculis poneretur in imaginatione, nullo modo imaginatio album vt motum conciperet, quia ſpecies illa non eſt proportionata imaginationi; nam huius potentiæ ſpecies debet eſſe altioris & diuerſæ naturæ. Videtur ergo euidens, quod etiamſi cum Magiſtro meo admittatur modificatio illa facta à motu ſpirituum, non poſſit actui imaginationis inſeruire, quia eſt eiuſdem naturæ cum producta ab illo, ſi extrinſecus moueretur. Ergo verè in vertigine patiuntur oculi, & non cerebrum, ſeu imaginatio, & ſi hæc patitur, non erit læſio, quia motus ſpirituum ſpecies modificet, ſed propter aliam rationem.

CAPVT III.

Propria explicatur ſententia.

IN dubio tam difficili dico primò, quod ſecundum Galeni, & antiquorum doctrinam non eſt opinabile, quod vertigo ſit affectio oculorum, vt conſtat ex innumeris teſtimoniis Authorum omnium, & tradidit expreſsè Galenus 3. *de locis, cap.* 8. cuius verba antea retulimus, & *in fine eiuſdem cap.* hanc confirmans ſententiam ſic loquitur: *Verùm vt iam antea ſæpenumero monuimus, licet caput per alterius partis conſenſum afficiatur, affectio tamen nihilominus ipſi adſcribenda eſt.* Nihil clarius dici potuit, ſuntque expendenda verba illa, *vt iam antea ſæpenumero monuimus.* Quibus verbis omnia alia teſtimonia incluſit; ſic 3. *aph. commento* 17. Galenus ſcribit: *Vertigo enim eſt velut obtenebratio, quæ fit humoribus cum craſſo vapore per caput moto, & ideo præcedit epilepſiam & apoplexiam:* quid clarius vt intelligamus cerebrum ſolum pati?

Quod verò reſpondent aduerſarij, vt planè meo videri probaui, ridiculum eſt; quia non poteſt reddi idonea ratio, cur cerebrum neceſſariò prius pati debeat, vt oculi in vertiginem incidant, vt melius foret aſſerere, quod contra Galenum opinentur, quàm in tam ſiniſtras interpretationes venire; & quia affectio capitis eſt, docet cum Galeno tota Medicorum ſchola, quod vertigo non ſit affectio ſecura; imò quod mortales paſſiones polliceatur, vt epilepſiam & apoplexiam, & rarò experimur quod ægri linquantur animo, aut ſyncopizent, quin antecedenter vertigo non detur; & ita Hippocrates de febre vertiginoſa 4. *acutorum citato* dixit, *quod ſi delirent, nihil mirum*: & ſi vehemens læſio in viſu appareat, putatur periculoſa vertigo, non quia humor in oculis ſit, quia nunquam affectio oculorum mortale ſignum eſſe poteſt, aut periculoſum, niſi quatenus dari in cerebro tantam perturbationem, & motum inordinatum ſignificat, vt apoplexiam, aut epilepſiam, aut deliquium animi ingens timere liceat, vt quando iam ingraneſcit, & infirmi nequeunt ſe continere, inſtare iam apo-

plexiam, aut morbum comitialem præsagiat; sic Hippocrates *libro 2. prædictionum, num. 38.* scripsit: *Quoscumque verò simul cum doloribus vertigines corripiunt, malum difficulter solubile, ac furiosus existit, senibus autem maximè hic morbus fit.* Quid hoc mortale præsagium cum affectibus oculorum? & *libro 2. de affectionibus, num. 2.* scripsit, *si verò alias, atque alias dolor & vertigo in caput inciderit, &c.* Et *in coacis prænotionibus, num. 3.* dixit: *Vertigines & hæmorrhoides parum apparenter oborta paruam & modicam siderationem significant.* Opinio ergo cerebrum excludens à ratione partis affectæ tanquam singularis, & communi Medicorum consensui aduersa, explodenda, damnandaque est, ob quam censuram Eustachius Rudius etsi oculos necessariò pati censeat, non ausit cerebrum à ratione partis affectæ excludere, sed simul cum cerebro oculos pati putauit.

Dico secundò, opinantes quòd motus, vt est sensibile commune, non sentitur quatenus est vera actio, sed quatenus corpus sub diuersis præsentiis concipitur & videtur, (quod placitum iam video esse communissimum, & magis plausibile, & receptum apud Rubium, & Patrem Hurtadum) non possunt idoneè, & philosophicè sententiam Magistri mei defendere. Ratio est euidens, quia non potest corpus vt motum videri, nisi præsentia eius successiuè, & continuò mutata concipiatur, vt concipi tanquam quietum non est aliud quàm in eadem situatione permanenter corpus concipi. Vnde cum imaginatio corpus spirituum, colorem eorum, aut aliquid concipere non possit (vt est euidens) constat non posse modificare speciem sensibilis proprij, ita vt cogat imaginationem obiecta externa quieta concipere, tanquam mota, & gyrantia. Nec mirari desinam oscitantiæ Magistri, nullum verbum scribentis de opinione tam communi, & meo iudicio probabiliori, & suæ doctrinæ tam refragata.

Et quod ego obieci de specie producta à motu spirituum modificante species sensibilium propriorum, habet etiam vim magnam contra Magistrum, nempe quòd species modalis non potest esse idonea, aut deseruiens imaginationi, quia est reuera inferioris naturæ, & sensibus externis tantùm proportionata, cùm sit apud Philosophos indubitatum, quod adhuc species modalis motus colorem modificans differt ab specie alia modali obiectum tangibile modificante, quia cùm visus nihil percipiat nisi sub ratione visibilis, si idem motus localis per eandem speciem in specie infima tactui cum sensibili proprio illius præsentaretur, implicaret à tactu percipi, quia hic sensus nihil sub ratione sensibilis concipere potest, sicut nec visus sub ratione tangibilis. Dicea, ex adducta doctrina ruit omnino argumentum nostrum, quod contra Magistrum efficax putabam; nam si motus localis cum obiecto tangibili producit modum aut speciem modalem specificè distinctam ab specie modali cum colore producta, eodem modo poterit producere in speciebus imaginationi seruientibus modum proportionatum imaginationi, quia iuxta hunc modum opinandi est motus indifferens ad producendas species modales diuersæ naturæ: determinatur verò ad hoc aut illud genus productionis à sensibili proprio cum quo coniungitur. Rectè arguis, sed non soluitur argumentum quod contra hanc opinionem, & contra Magistrum de diuersitate specifica specierum efficaciter militat, nempe quod idem agens eadem opera, seu actione non potest effectus specie diuersos producere (vt est in Philosophia euidens) quia eadem actio, & idem operandi modus producit semper eundem terminum in specie infima; & localis motus non mouet spiritus alio modo quàm mouet album extrinsecum; ergo si producit speciem modalem, producet eam eiusdem naturæ specificè in spiritu & albo, & sic implicat, quòd motus spirituum possit producere speciem modalem imaginationi inseruientem, sicut implicat per eandem speciem operari sensum externum, & internum: nam propter rationem modò adductam, & ab omnibus admissam sequeretur etiam, quod non esset necessaria visio, vt quid antecedens ad imaginandum; sed simili specie, qua oculos cernit, imaginatio etiam imaginaretur; & est respectu vtriusque potentiæ eadem numero species, quod nullus somniauit, & hoc totum suadet etiam opinio probabilissima, quam sequitur Pater Hurtado, affirmans quod eadem indiuisibili specie concipiuntur sensibile proprium, & commune.

Vt nostram opinionem intelligatis, adnotate verum esse quod *tractatu de Deliriis* docuimus ex doctrina Aristotelis, & Diui Thomæ, nempe quod species obiectorum conseruantur in spiritibus, non minus quàm in potentiis internis, vt omnis species impressa sensibus internis deseruiens, si in spiritibus semel recipiatur, conseruetur in eis non minus quàm in potentiis internis, hoc est memoria: Quod intelligendum est de speciebus impressis sensibus internis proportionatis. Sunt tamen illæ quæ per actos sensuum externorum, seu per species expressas producuntur, vt est communis Philosophorum doctrina; nam species impressæ ab obiectis externis productæ nullo modo in absentia eorum conseruantur. Quod autem tales species impressæ, in potentiis aut spiritibus durent, etiamsi obiecta non sint, non pendet ex eo quod ab ipsis subiectis in quibus recipiuntur, effectiuè conseruentur: sed quia ex propria natura species illæ ab agente eas producente non pendent in conseruari, & ita in quolibet subiecto eas recipiente permanebunt, donec subiectum corrumpatur, quia carent contrario, & ab agente, vt dixi, in sua duratione non pendent. An verò dependeant in conseruari à certa organi dispositione? huius loci non est, etsi communis sensus sit, quod humidum organum non retinet bene, siccum autem maximè; & inde cerebrum siccum felicissimè retinere species, & per consequens felicissimè memorari. Quod non est intelligendum actione retentiua organi, quia cùm species sint accidentia, nullam actionem, nec terminum in se recipere possunt: sed si aliquo modo illud axioma potest intelligi, quia species, vt durent permanenter, certam temperiem in organo exposcunt, velut naturalem dispositionem ad sui conseruationem requisitam, qua deficiente pereunt, crederem certius esse, & magis philosophicum, quòd quia organum humidum resoluitur nimiè, euolent species ad subiecti resolutionem, & quia siccum propter duritiem, & densitatem firmum, stabileque magis est, sic etiam accidentia illius firmantur nimis, stabiliaque sunt, & durant, vt durat subiectum eorum.

Secundò notabitis, quod si spiritus sunt medium per quod species impressæ ad sensus internos deferuntur, erunt necessariò intensiores in illis quàm in potentiis aut organis sensuum, quia spiritus erunt proximiores agentibus, vt constat ex hypothesi, quòd se habeant vt medium, & tanquam delatores specierum ad organa. Quæ doctrina & hypothesis receptissima est in doctrina Medicorum, & in scriptis Auicennæ nihil communius, neque aliter intelligi potest in eius doctrina vertigo.

His suppositis sententia nostra est, quòd vertigo non causetur vt Magister putabat, quia per motum spirituum noua modificatio in speciebus impressis receptis in spiritu fiat, sed quia sicut in gyrum mouentur spiritus, sic circulariter imaginatur necessariò obiecta externa quieta moueri. Ratio est, quia sicut sic per talem motum productio successiua specierum in imaginatione, sic etiam sensationes fiunt successiuè; & apparent obiecta imaginationi moueri, quia ad conceptionem rei motæ perinde est obiectum producens speciem

speciem moueri, ac moneri subiectum conseruans illas species, quia apparitio obiecti fit necessariò in eo loco & situ à quo species produci incipit; oam obiectum non alia ratione in tali loco apparet, nisi qoia ab eo sito incipit producere speciem, & sicut mouetue successiuè, sic etiam species impressas in organo successiuè prodncit, & quasi sempee existens io via, & consequenter sensationes, seu imaginationes, & reales obiectorom conceptiones fiunt successiuè, quod est tanquam mota obiecta apparere: quia diuersis partibua eiusdem potentiæ succesiuè species applicatæ cogunt poteotiam operari successiuè circa illa semper obiecta, quæ concipit in situ diuerso, quia species (vt nuper docui) non repræsentat situm obiecti, sed quem habet tunc subiectum, in quo species seruantur; & quia spiritua semper locum mutat, repræsentatur imaginationi obiectum in loco, quo spiritus nouam speciem producit, ad quod non est necessarium, quod spiritus videatur, aut concipiatur; id enim est impossibile, sed sufficit, quod à diuerso situ producat successiuè species obiectorum, quia istæ habent proprietatem producendi species in imaginatione repræsentantes locum, aut situm, in quo est causa eas producens immediatè: & quia spiritus portant secum obiectorum externorum species, & in diuerso situ producunt semper eas quando mouentur spiritus, & sic producunt successiuè; apparent reuera obiecta experna moueri, quia vt obiecta quiescentia apparent, non solùm requiritur quòd ipsa sint semper in eodem loco, sed etiam quod medium sit quietum, & si fortè medium moueatur, non possit secum species portare ad alium locum. Et hoc notanter dico propter aërem, qui quamvis moueatur quando obiecta videmus, non cogit percipere illa tanquam mota, quia secum non defert species, eo quòd dependet in conseruari ab obiectis, & fortassis propter tenuitatem nequit illas producere.

Probatio nostræ assertionis experimentis suadetur, à qoibus semper omnis bona Philosophia dimanat. Est celebre ab speculo desumptum, quod si mueatur, (etsi maneat immotus io speculo se conspiciens) apparet moueri eodem modo & celeritate, & tarditate, quibus agitatur speculum: quod non aliter contingit, nisi quia species speculi per reflexionem producit aliam speciem in visu, & quia speculum mouetur (quamvis qui se videt in illo immotus omnino sit realiter) apparet moueri, vt motus planè concipitur ad motum speculi, qui omnino quietus in eo se concipit. Neque hæc apparitio ex alio principio oritur, quàm ex continuatâ productione eiusdem obiecti per diuersaa partes speculi, quia ad proportionem qua speculum mouetur, datur noua speciei productio repræsentantis videntem se in loco diuerso; & quia talis productio fit successiuè, apparet moueri, quia motus obiectorum non alitee concipitur, quàm sentiendo illa in diuersis præsentiis successiuè acquisitis. Et hoc idem alio exemplo speculi explicatur: si enim speculum eminentiaa rotundas habet, cum quibus multa formantur specula, & directè applicetur vnicum obiectum non rotundum, sed longum, tune plura obiecta, & rotonda videntur, quia in speculo plutea dantur eminentiæ rotundæ & inter se distinctæ: & præterea quia species subiectantur in pluribus partibus diuersis, & rotundis, etiam obiectum singulare, & longum tanqoam plora & rotunda simul concipitur, quia quæois pars speciei repræsentat obiectum aut partem obiecti, vbi illa emanat, aut aliam producit; & quia circulua rotundos est, & totum est speciebus plenum, istæ necessariò producent in visu alias species repræsentantes obiectum in circulo, ac per consequens rotundum: & quia illæ eminentiæ sunt inter se distinctæ, nequeunt vnicum indioiduum repræsentare, quia in locis distinctis, & separatis existunt illæ eminentiæ: & propterea

A vnicum obiectum continuum repræsentare non possunt, sed plura, vt dictum est; quo experimento conuincitue Pater Hurtadu *disp. 12. de anima, sect. 6* § 80. ad affirmandum quod obiectum proprium & commune eadem indiuisibili specie percipiuntur, quia color per figuram circularem differens à toto circulo mittit species ad oculos: ibi autem obiectum videtur vbi tectè venit species, itaque specie repræsentatur figura coloris, quia per circulum committitur; figura cùm sit vbicatio, non videtur propriè, illam tamen per discursum cognoscimus, videndo partes ipsius coloris redacti in figuram. Idem contingit in visione motus localis; cùm enim mobile successiuè mouetur, videmus illud existens in partibus diuersis, & tunc dicimus motum concipere, non quia videtur effectus ipsius motus, constituere B nempe idem corpus io situ diuerso.

Ex eodem principio pendet, quod vmbra corporum ambulantium videatur etiam tanquam mota, quamuis ratio demonstret vmbram esse immobilem; noo enim aliud est vmbra vt mota concepta, quàm continuatâ productio speciei luminis remissioris in opinione quorundam: & in aliorum doctrina, nihil est aliod quàm continuata luminis remissio. Et quia vt continuè remittitur, ita continuè producitur, immutat visum successiuè, & sic euidenter apparet moueri: quod quia brutâ distinguere nesciunt, ab apparitione motionis vmbrarum non minus terrentur, quàm à qualiber alia reali motione corporum ipsa inuidentium, aut inopinatè visorum, quod & vulgus etiam interdum simili ignorantia patitur, & sapientes etiam, si ipsis inscitis vmbræ C motæ animantium timorem incutientium, aut hominum præsententur.

Sic arbores per fluuiorum, aut stagnorum reflexionem conceptæ, videntur omnino inuexæ, & si perterrsbem animalia flumen pertranseant, non prona, sed supina ambulare videntur: sic si species tua vsque ad Romam disseminaretur, Romæ te præsentaret, quia ab ea distantia species reflecteretur, quia Romæ est vera tui imago, & non poteris ibi te videre, nisi simul tantam distantiam percipias. Eodem igitur modo in vertiginosis contingit, quia spiritus in gyrum agitati portant secum imagines obiectorum quæ videntur. & quia à tali loco in imaginatione eas producunt, ibi obiecta præsentant: & quia circulariter agitantur spiritus in circulum, obie- D cta repræsentant etiam propriè, sicut reuera extra mouerentur, quia vt in partibos diuersis sensorij producunt circulariter species impressas, cogunt imaginationem concipere obiecta circulariter mota. Hanc doctrinam olfecisse videtur Augenius *lib. 1. Epistolarum, epistola 4.* nouam rationem vertiginis sibi attribuens: subticuit tamen graues difficultates, qoibus noster opinandi modus irretitur, de quibus agere iam oportet.

CAPVT IV.

Difficultates huius opinionis expenduntur.

E MVlta sunt nostram sententiam impognantia. Sit primum, quod si species repræsentat obiectum vbi illa reflectitur, deberent omnia obiecta à vertiginoso percepta intra cranium concipi, oon verò ad extra, quod est contra experimentum; nam ob id aliquis se in speculo videt, quia ab illo incipit reflexio speciei. Respondeo quod in speciebus imaginationi seruientibus id non contingit, quia imaginatio solùm concipit, quæ ipsi repræsentantur per sensum externum iam concepta, & cùm species impressa io spiritibua ab specie expressa visionis prios producta repræsentat obiectum extra, vt fuit ab oculis conceptum; & sic necessariò sequitur, quòd imaginatio concipiat tunc obie-

ctum in distantia per visum concepta & repræsentata, ita vt per motum spirituum solùm mutetur præsentia circulariter, & non distantia, quia huius datur repræsentatio inuariabilis omnino in impressa imaginationis, eo quòd visio tantam distantiam repræsentatam produxit in impressa imaginationis; hæc autem repræsentatio distantiæ nullo modo variatur per motum specierum, sed solùm ab illo resultat, quod obiectum cum sua distantia prius visu concipiatur vt motum, quia motus spirituum in situ circulari cogit imaginationem concipere, eo quòd in diuersis partibus potentiæ successiuè percipitur, vt dictum iam est.

Dices secundò: In nostra opinione non posse vertiginem durare nisi vnica circulatione, quod est falsum. Probatur, quia species simul producta in imaginatione ab spiritibus agitatis conseruatur in imaginatione, non minus quàm in spiritibus: ergo implicabit rursus ab eodem spiritu in organo produci, & per consequens quamvis deinceps per multum tempus à prima circulatione moueantur, non necessitabitur imaginatio ad nouam sensationem, & sic liberè poterit à vertigine liberari, vt liberatur liberè à contemplatione cuiuscunque alterius obiecti, cuius habet speciem reseruatam. Reponderur, quòd species sensibiles plurimæ numero differentes possunt dari in eodem subiecto, & sic quamvia supponantur aliæ antea productæ, possunt de nouo produci per nouam eiusdem obiecti, aut speciei applicationem. Id planè constat in specie directa, & reflexa speculi, quæ solo numero differunt, & recipiuntur in eadem linea visuali, & subiecto; & si visui sit applicatum album vt quatuor, & durante illo applicetur aliud vt duo, vtrumque videbitur distincta visione, quamvis sit remissior species albi vt duo; esset verò impossibilis talis productio, si non differrent numero illæ duæ species, quia vbi præcessit intensio vt quatuor, non potest recipi intensio vt duo intra eandem speciem, nisi tales entitates numero differrent.

Dices. Si in potentia imaginatiua seruantur species in absentia obiectorum, & in illa erat iam producta species ab spiritibus per primam circulationem, non videtur esse necessaria productio de nouo, vt imaginatio obiecti moti detur, quia cùm sit eiusdem obiecti, & eiusdem intensionis, æquè benè per primam sicut per secundam imaginabitur, & sic erit superflua productio secunda, etsi per primam speciem imaginatio non cogebatur existere semper in actuali contemplatione obiecti moti, nec per secundam; & sic liberè cessabit à vertigine, quamuis spiritus moueantur, vt cessauit vertigo producta prima specie ab spiritu, si spiritus statim quiescat. Respondeo rectè posse per secundam circulationem, & alias plures produci speciem de nouo in parte aliqua organi, aut intendi species primò productas, vt in opinione aliquorum, si per alias circulationes spiritus magis organo approximentur.

Dico secundò: Quod quamuis productio secundæ speciei fiat in eadem parte organi, nec sit intensior priori, excitabitur potentia necessariò ad imaginandum, & concipiendum obiecta tanquam mota, & nunquam magis, quàm si non existeret prima species producta. Ratio est, quia existentia prioris speciei non potest obstare excitationi & fœcundationi secundæ, cùm ambæ naturaliter ad obiecti perceptionem moti eodem modo inclinent, & determinent potentiam; & sicut implicaret non percipi obiectum producta prima specie tanquam motum, ita repugnat quòd non percipiatur efficacius à productione secundæ, quia agentium existentium ad agendum multitudo omnimodo inclinat potentiam plus ad operandum, vt est in Philosophia primum principium.

Tertiò, nostram opinionem & Magistri etiam vrget, quod vertigo solùm datur circa visibilia: si autem per species reseruatas in spiritibus in absentia obiectorum vertigo, vt dictum est, contingat, non solùm circa visibilia, sed circa sensibilia aliorum sensuum erit vertigo possibilis, vt quæ percipimus visibilia vt mota, sic gustata, odorata, aut audita, aut tacta. Et vrgeo magis doctrinam Magistri, & nostram argumento non leui; quia vertigo (vt experimento constat) solùm contingit circa visibilia quæ actu videntur; si verò per species reseruatas in spiritibus in absentia obiectorum contingit vertigo, non solùm circa visibilia actu visa, sed circa non visa, tunc (visa tamen antea,) esset possibilis vertigo: patet quia spiritus omnium visibilium reseruant species: ergo quando mouentur, eorum omnium species producent in imaginatione, & successiuè, & per consequens circa obiecta antea visa vertigo dabitur, quod nunquam visum est: ergo hæc passio est oculorum affectio, quia illi soli vident obiecta. Et vrgeo magis, quia vertiginosi non solùm imaginantur obiecta vt mota, sed reuera vident visualia moueri; quia si ad parietes, aut alia obiecta præsentia oculos applicent, omnia illa vident moueri: ergo non est læsio imaginationis, sed oculorum. Et suadetur etiam, quia imaginatio potest à nobis impediri, vel applicando illam ad alia obiecta imaginanda, aut liberè subtrahendo concursum imaginationis: sed à vertigine liberari non possumus etiamsi velimus: ergo sola visio, & non imaginatio læditur. Respondeo ad primum, quòd alia sensibilia nunquam ferè sensus in gyrum percipiantur, & sic non datur species eorum reseruata in spiritibus, vt circa illa detur imaginatio vertiginosa.

Magis vrget aliud dubium, quod vertigo solùm contingat circa visibilia, quæ actu videntur, & non circa alia, quorum species reseruari possunt. Respondeo, quod cùm species tam facilè resoluantur, durat tempore breuissimo specierum conseruatio in absentia obiectorum, & propterea est necessaria eorum existentia præsens ad hoc, quod vertigo causetur: & inde procedit quod semper eueniat circa sensibilia, quæ actu videntur, à quibus si vertiginosus separetur, durabit vertigo circa illa toto tempore conseruationis specierum eorum in spiritibus, sicut durat in opinione probabili Aristotelis, & Diui Thomæ, quam etiam sequitur Magister meus, visio lucis, aut albedinis nimiæ, semota potentia ab illis per aliquod tempus; censent enim species visibiles illarum qualitatum in organo per aliquod tempus durare, & inde procedit, quod oculis clausis duret vertigo, quia durant species in spiritibus, ob quod etiam, etsi nihil videatur, vt in tenebris, aliquando vertigo inuenitur, vt in Patre Zelada Societatis Iesu modò experti sumus, verùm magis confusè; quia cùm non sint visibilia præsentia oculis, aut sunt species nimis remissæ in spiritibus, aut est paucissima quantitas eorum, in quibus residcant: quia, vt nuper docui, perenniter spiritus resoluuntur, & noster modus philosophandi probabilior est à Magistro adducto sine aliqua ratione probabili, sed ad libitum affirmante, quod spiritus non possunt modificare species aliorum sensibilium propriorum, sed solius visus; hoc enim est ad libitum philosophari.

Et fortassis propter hoc quod diximus, non accidit vertigo circa alia sensibilia, quia species eorum, aut non producuntur mediis spiritibus, aut si producantur, non tamen sub tanta quantitate, quod possint circulationem continuam & inæqualem, diuque durantem, sicut ad vertiginem requiritur, causare: sic explicatur discursus. Docent Medici (quos etiam sequitur Magister) quod animales spiritus non disseminantur necessariò per totum corpus, vt partes sentiant, sed existendo intra cerebrũ, & in principio spinalis medullæ influunt in totum corpus; & sic species impressæ, quæ producuntur in imaginatione ab expressis sensuum externorum non subiectantur in spiritibus, sed per partes fit earum productio, quod necessariò debeant produci, & per consequens implicabitur vertigo circa illa obiecta; quia cùm medium

dium illud per quod species communicantur, sit immobile, concipiuntur ab imaginatione obiecta illa in eodem situ, in quo exterius sentiuntur: at oculi sunt spiritibus pleni, sicut & nerui optici, nam si isti obstruantur, cæcitas (gutta serena dicta) resultat, quia spiritus propter occlusionem viarum non accedunt ad oculos, & ita ex hoc affectu, & quia clauso vno oculo redditur alter turgidior, & quia semper sunt lucidissimi & splendentes, planè deducitur quanto spiritu abundent, & quaniam communionem oculi habeant cum spiritibus cerebri, præsertim in anteriori parte, in qua residet virtus imaginatiua, quo fit vt species expressa visionis per tantam copiam spirituum impressas ad imaginationem distribuat, & illam necessitet, vt ex motione gyratiua in diuersis partibus organi producantur successiuè, vt antea docui, species obiectorum, quæ videntur, & sic appareant moueri.

Ex quo constat, quod quamvis admittatur specierum productio ab aliis sensibus externis mediis spiritibus, non excitetur vertigo, quia vbi resident organa, non datur cauitas, intra quam copia magna spirituum contineatur, neque situs organorum habet communionem tam perspicuam cum parte anteriori cerebri, & cum spiritibus illius, sicut habent oculi: ad quod accedit quod nulla obiecta præter visibilia in gyrum moueantur, etiamsi hoc nihil videatur conducere ad inductionem vertiginis, verùm ad excitationem specierum imaginationis conducere potest suo modo, quia motionis visibilium obiectorum sunt quamplurimæ species reseruatæ in imaginatione, aliorum verò obiectorum minime, aut quampaucissimè; & sic cùm vertigo solùm datur circa visibilia, datur etiam solùm circa præsentia, & non circa illa quæ visa præcessere in alio loco, nisi paulò antea visa fuerint. Est tamen certum in taca opinione, quod toto tempore quo species visibilium fuerint reseruatæ in spiritibus, poterit contingere vertigo, & clausis oculis, & in tenebris: verùm cum iam continua sit resolutio spirituum, tarò contingit vertigo, nisi circa obiecta quæ actu videntur, cùm euolent species cum ipsis spiritibus: & inde constat cur vertiginosi non solùm circa præsentia & actu visa versentur, sed etiam cur actu videri necessariò imaginentur, quia scilicet datur simul species actualis visionis realis in imaginatione, & cùm appareant obiecta moueri, tenetur imaginatio necessariò illa obiecta concipere vt actu visa, & realiter.

Ex hoc etiam procedit quod æger non possit liberè cessare ab hac imaginatione, quia dantur species productæ semper de nouo ratione circulationis spirituum iam dictæ: & datur etiam species realis visionis, & sic implicat posse liberari ab hac imaginatione quando velit, sicut non potest liberari ab hac imaginatione obiectorum, quæ actu videntur. Est enim eadem ratio, quia respectu imaginationis idem est actu per visum videri & præsentari imaginationi obiecta vt actu visa, quia imaginatio non concipit alio modo quàm repræsentato per speciem actuali visione; & sic & omnia visibilia, & visionem eorum concipit eodem modo, quo in somnis videre obiecta imaginamur, præsertim cùm sit certum laborantes vertigine non leuem turbationem in cerebro pati, & simul debilitatem, ob quas ab obiecto tam vehementi vt datur in vertigine trahitur necessariò imaginatio, ob quod vertigo tenebricosa iudicatur pessima: constat enim ex illa iam oculos non videre, eò quòd tam impetuosè vapores & spiritus moueantur interius, quod ad oculos per neruos opticos non distribuantur spiritus, sine quorum præsentia in oculis ipsis visio fieri nequit, vt in istis sit falsum quod maior virtus ad motum quàm ad sensum requiritur, cùm sine tanta copia videri non possint, & quando non vident, moueantur satis validè.

Sed argumentum de visione proprij capitis moti in A gyrum, & etiam totius corporis, per quam visionem seu apparitionem & Galenus & Auicenna vertiginem definierunt, & opinantes contra Magistrum quod vertigo sit oculorum symptoma, & affectio, planè conuincit, & habet contra nos & contra Magistrum magnam difficultatem: quia si vertigo versatur circa obiecta quæ actu videntur, & caput vertiginosi nunquam potest ante oculos poni, nunquam apparebit moueri. Idem de toto corpore, & de lectulo dubitaui, vt de toto cubiculo, quia neque corpus totum, neque totum lectum, nec totum cubiculum integri actu videntur, & proprij capitis nihil: quomodo igitur circa hæc tota obiecta velut in circulum mota vertigo versatur? Et quando hæc scribo, in quadam ægrotante vidi, quòd & oculis clausis, vertigine molestabatur, & B corpus, totum cubiculum, & lectum in circulum mota, & supra se concipiebat; & solicitè interrogaui propter maiorem veritatis inquisitionem, si aliquid moueri intra oculos concipiebat, & respondit quod minimè, sed quod totum damnum & molestiam in parte anteriori capitis conciperet. Respondet Magister quod proprij capitis potest esse species reseruata in spiritibus, & sic motu ipsorum modificari. Ego autem dico quod si hoc est possibile (seruati nempe speciem proprij capitis) videbitur eodem modo quo reliqua visibilia in gyrum moueri propter successiuam productionem speciei in organo, vt dictum est. Verùm apparet probabilius, quod ex impetuosa motione, & gyratiua vaporum C & spirituum, intra cerebrum excitetur species capitis moti simul cum corpore per memoriam coniunctorum, vt docuit Fracastoreus: sciendum enim est, quod quando vertiginosi concipiunt tam proprium corpus, & caput reuolui, incipit apparitio illa quæ reuera videt aliquas partes corporis, ex quarum reali conceptione excitatur memoria, aut apprehensio, quod totum corpus moueatur, & inde caput, de quo efficaciter motus concipitur, quia in eo sentitur molestia, & impulsus non leuis ex impetuosa illa motione, & sic imaginatio efficacius concipit capitis motionem ob dictam rationem; & quia semper ægrotantes attentius contemplantur, quæ manus periculum permittunt, & sic caput, & totum. Itaque vertiginosus manus, & alias corporis partes potest realiter videre, & cùm appareant moueri, D & reuera manus non possint in gyrum moueri, quin totum corpus moueatur (alioqui separari deberent,) ex repugnantia motionis cæterarum partium circulariter, sine eo quòd simul vt totum corpus moueatur cum illis, excitatur apprehensio vehemens quod totum corpus & cerebrum circulariter agitentur: nam vertiginosi etsi necessariò non delirent, sunt tamen delirantibus proximi satis, & mens reuera vacillat iam, quando caput, & totum corpus gyrare apprehendunt, & sic facillimè & necessariò in diuersas apprehensiones feruntur. Quod inde clarè deducitis; nam totum cubiculum supra illum gyrare concipit, & iudicat, etsi a vertiginoso actu videri non potest: quia non potest concipi quod medium cubiculum in gyrum moueatur, sed totum, ac per consequens imaginatio trahitur & cogitat consequenter, E quod totum moueatur, quia medietatem, aut lecta in gyrum moueri realiter concipit; ita enim ordo excitationis specierum exposcit: & si hoc vobis non placeat, solutio Magistri est idonea, quia cùm sit iam frequens visio & conceptio proprij capitis & corporis, potest dari species conseruata in spiritibus, & si tunc non videantur, non obstat vt appareant moueri, si visionis eorum manent species reseruatæ in spiritibus, alioqui est impossibile, quod imaginetur vt motum.

Obiicies rursus, quod si opinio nostra esset vera, causaretur vertigo à leuissimis occasionibus, quia spiritus sunt mobiles nimis: nego id, quia vt moueantur in gyrum, requiritur agitatio magna. Dices, saltem eueniet assidua, & noua cognitio, quia quamvis non moueantur

moueantur

neantur tam facilè circulariter, mouentur tamen facillimè; nam propterea ab Hippocrate appellantur impetum facientes, & sic ad continuam eorum motionem sequitur continua & noua productio speciei, & inde noua sensatio. Respondeo totum negando, quia non dantur obiecta in ordine ad quæ talis perceptio fieri debeat noua: non quidem visum, quia cùm obiecta sint quieta, & actu contemplentur vt talia, non possunt aliter concipi, nisi per vehementem permutationem eorum vt medij, neque quando spiritus leuiter mouentur, possunt ita intendere species productas, vt vincant vim speciei repræsentantis obiecta vt quieta, quia in leui spirituum motione non mouentur omnes; & quia per lineas meo ij quietas feruntur species, & quieta obiecta repræsentant, non percipit imaginatio obiecta nisi vt quieta, quia hæc immutatio est maior, & firmior magis quàm naturalis, & sic trahit ad se potentiam: quod est commune omni immotationi eiusdem partis, vt de duobus doloribus docuit Hippocrates, quod maior minorem obscuret.

Et ex dictis patet solutio ad argumentum de dupl ci sensatione antea contra Magistrum ab aduersaria adducta, quia licet in oculis repræsentenur obiecta vt quieta, quia in eis producitur primò species inculpata, verùm quia hæc sensatio exterior, & interior fiunt in eodem instanti, & interior est vehementissima ob impetuosam motionem, trahit ad se imaginem totam, & obiecta apparent moueri, etsi ab oculis vt quieta percipiantur: neque inde inferas, quod si imaginatio tam vehemens trahit ad se concursum animæ, cessabit vertigo, cùm debeat species expressa visionis producere impressam in imaginatione; non enim obstat, quia vertigo quamdiu durant species in spiritibus dabitur, quamvis oculi non videant, vt quando in tenebris, aut oculis clausis datur; quando verò visio fit, cùm sit instantanea, & solùm per instans oppositam perceptionem præcedat, & opposita sit vehementior per actum reflexum & secundarium, oppositæ solùm fit mentio & non prioris, quia hæc est debilior, alia verò quia maior & præternaturalior, animi considerationem ad se reuocat.

Vbi notate, aliud esse videre obiectum, aliud verò iudicare illud tanquam quietum, aut motum; nam fit visio in instanti: concipitur autem vt quietum, aut motum in tempore, quia nec quies, nec motus in instanti possunt esse, vt 6. *Physic.* latè probatur; & ita quando in instanti concipitur, concipitur solùm vt præsens, ita vt præsentia, seu existentia realis sit commune sensibile à motu, & quiete distinctum, & omnibus sensibus externis commune, vt patet, quia quilibet sensus præsentiam obiecti concipit: ergo visio fit primò, quatenus præsentia obiecta percipiuntur ab imaginatione tanquam mota, quia iam sunt productæ species successiuè, quod est intelligendum de motu locali successiuo, hoc enim tempus necessariò requirit vt detur propriè motus, sicut & tempus etiam requirit quies illi opposita.

Nec minus vrget quod sequitur, quia etsi sit probabile, quod duæ species solo numero differentes possint dari in eadem parte, dummodo sint duorum obiectorum, vt quando duo alba videmus, tamen respectu eiusdem obiecti videtur implicare; quia secunda speciei productio est omnino impertinens, quia prima fuit sufficiens, vt repræsentet totum quod secunda potest, estque iam omnino subiectum actuatum cum prima secundùm omnem formalitatem in secunda possibilem, & propterea non potest esse organum in potentia, vt secundam speciem recipere possit, quia nulla formalitate videtur priuatum in ordine ad receptionem secundæ; nulla verò productio dari potest sine priuatione alicuius rei, cuius sit eductio possibilis, vt subiectum mutatum dicatur.

Non legi hactenus Authorem id de imaginatione seorsum disputantem; nam in communi doctrina asseritur, quod duæ species numero differentes duorum obiectorum sint necessariò admittendæ, verùm respectu eiusdem obiecti esse possibiles negat Hurtado *disp. 9. Phys. sect. 9. §.* 1 1 2. Ego autem oppositum censeo, ita vt si millies obiectum applicaretur in diuerso tempore, tot productiones nouas specierum sui visio talis obiecti efficeret in organo imaginationis, & de nouo conciperetur per speciem nouam. Ratio est, quia semper quod obiectum videtur, de nouo imaginatur etiam: hoc autem non fit solùm per nouam visionem, quia si ab illa nihil in organo imaginationis de nouo produceretur, non dabitur ratio propter quam imaginatio necessariò circa tale obiectum versetur; determinatur ergo per speciem de nouo productam ab actu visionis.

Neque obstat si dicas, quòd visio noua illius obiecti determinat imaginationem, vt per speciem illius obiecti antea in imaginatione seruatam illud concipiat. Sed contrà est, quia cùm visio sit omnino extrinseca, implicat imaginationem de nouo determinare, vt circa tale obiectum versetur: itaque, vt non implicat dari duas species differentes numero respectu duorum obiectorum diuersorum, sic non implicat dari eiusdem obiecti plures, si plures tempore distincto applicentur, quia semper debet concipi ex parte sui, speciem producendo ad quam semper existit organum in potentia, quia in speciebus non tollit vna quod altera recipiatur. Ratio philosophica est, quia species sensus interni nunquam intenditur simel producta per actum secundum intensiorem; sed hic producit suam speciem expressam, quæ aliam producit in potentia subsequente, intensiorem priori specie, quæ quamvis sit remissior, non intenditur per nouam aduenientem etsi sit intentior: Ratio est quia sicut actus secundus est numero diuersus à primo, sic se habet vt nouum obiectum, vt sint duo actus numero distincti, sicut duo obiecta distincta, quæ etsi sint eiusdem speciei, & intensionis, producunt nihilominus duas species sui, quibus tanquam distincta vt sunt agnoscantur. Sic eodem modo in visu philosophandum est, nempe quod sicut visio prima producit suam imaginem in sensu communi, & iste in imaginatione, sic secunda visio idem efficere debet, & sensus etiam communis, quia se habent tanquam obiecta duo distincta respectu imaginationis, & sic per distinctas omnino species cognoscuntur: eodémque modo datur etiam in memoria duplex actus respectu eiusdem obiecti, quia duplici sensatione in tempore diuerso fuit cognitum; & ita Magister meus opinatur *in parte naturali, fol.* 1340. quod si species huius albi modò visi seruaretur à Deo in organo, & rursus de nouo in alio tempore idem numero album applicaret, produceret nouam speciem totalem, & non intenderet priorem, eo ipso quod non implicat duas species numero diuersas esse in eodem subiecto; quia quod sint vnius, non continet maiorem repugnantiam, quàm si sint duorum obiectorum: ita si bis idem visibile videatur, necessariò resultant duæ visiones, & hæ sunt duo agentia distincta respectu productionis specierum impressarum imaginationis; & sic producunt necessariò duas species impressas distinctas numero, repræsentantes etiam duas distinctas visiones, quia per vnicam speciem repugnat repræsentatio duarum visionum.

Dico vlterius, quod cùm spiritus intra cerebrum sint multi & diuersi, dabitur etiam multiplex productio distincta eiusdem visibilis, & visionis, vt de speculo dicebamus, in quo multiplex figura circularis distincta dabatur à qualibet alia, quarum integra species producitur totalis cuiuslibet: in quo casu datur etiam in organo species multiplices eiusdem obiecti inter

inter se distinctæ, vt est euidens, quia per vnicam tantùm non potest fieri multiplex visio & distincta: ergo vt in speculo multiplex species distincta causat distinctas visiones, sic duplex visio eiusdem obiecti producit in Imaginatione duplicem speciem simultaneam impressam eiusdem obiecti, & imaginatio simul etiam duplicem speciem expressam; & exemplo speculi constat, quod qualibet species repræsentat idem visibile in diuerso loco totali speculi, quia species est omninò ab alia separata; vt inde intelligatis, quod situs mutatus eiusdem speciei repræsentat obiectum, vbi illa est tanquam principium totale productionis alterius speciei: & hoc est principale fundamentum nostræ opinionis.

Adhuc vrgebis, quod spiritus habet pro sphæra naturali organum totum imaginationis; ergo in toto illo producet simul, & indiuisibili actione speciem impressam visibilium: nihil ergo interest quod moueatur intra cerebrum, vt successiua imaginatio fiat, quia semper intra sphæram mouetur, & sic non eueniet noua sensatio ratione motus spirituum, quia nunquam per illum motum accedet ad partem organi, in qua antea species producta non fuerit. Respondeo quod si verum est, quod agens quodlibet operatur minus in distans, quàm in propinquum passum, habet locum etiam nostra opinio; nam ad nouam sensationem perinde est intendi de nuuo speciem, quàm de nouo produci. Et addimus, quod si verum est, quod nuper ex doctrina Magistri dicebamus, nimirum quod species solùm intendatur in prima productione, quod quando spiritus accedit ad partem, in qua remissiorem speciem propter distantiam prius produxerat, non intendit illam, sed aliam totalem de nouo & intensiorem producit, & hoc verisimilius est & magis consentaneum veræ Philosophiæ; & hac ratione datur necessaria imaginatio noua circa idem obiectum, quia noua productio totalis noui simulachri in diuersa parte organi datur.

Vrgebis magis (tantas enim obiectiones qualibet disputatio perspecua semper offert) si obiectum repræsentatur vbi est species, vt exemplo speculi probatur, & species datur intra cerebrum, sequitur quod etiam intra illud debeat obiectum concipi, & inde in quolibet vertiginoso dabitur duplex conceptio; vna per oculos in situ extrinseco, in quo visibilia sunt, alia intra cerebrum, in quo reuera mouentur species simul cum spiritu. Arguis quidem nimis æquiuocè, iam enim docuimus in alio argumento, qua ratione visio obiecti quieti extrinseci obscuretur per actum imaginationis vehementis: imaginatio autem non videt, sed visibile visum concipit, & circa illud operatur, vt per species sibi proponitur, & quia proponitur vt visum, & in tanta distantia concipit illud vt tale, & sic semper ad extra, (attende) implicat naturaliter, quod imaginatio concipiat obiectum vt visum, nisi illud extra imaginetur, quia nunquam habet species per quas aliter, quæ visa sunt, concipere possit, si vt obiecta videntur naturaliter debeant imaginari; & sic in vertiginosis necessariò continget, quia sic imaginationi obiecta proponuntur: vnde si intra cerebrum visa, vt visa imaginetur, formabit chimæram; & si illi homo assentiatur, erit delirium vertigini complicatum.

Inquires quid venturum, si oculis clausis commotio magna in cerebro fiat, aut in tenebris? Eueniet quidem quod diximus, nempe quod obiecta visibilia quorum in spiritibus datur species reseruata, percipiantur ab imaginatione tanquam mota: si autem nulla species obiectorum ad visum pertinentium remaneat, non dabitur vertigo, sed alia symptomata euenient lentæ imaginationi debita, vt sensuum internorum vellicatio, aut sonitus, visus dubitatio,

A & propensio quædam ad cadendum in terram; & si magna motio fiat, succedet deliquium animi, & hoc idem in cæco contingit propter symptomata ad visum pertinentia. Nunquam à natiuitate cæcus vertigine potest opprimi, quod in omni opinione est verum; ratio constat ex dictis.

Dubitat Magister meus *lib. de Febrib. fol.* 894. *pag.* 2. si sit dicenda vertigo quando spiritus aut vapores mouentur ante humorem crystallinum; quia in eius opinione fiet modificatio, & visio erit necessariò obiectorum motorum: & cùm imaginatio recipiat species à visione obiecta tanquam mota concipiente, necessariò etiam concipiet imaginatio obiecta illa tanquam mota, & erit vertigo. Respondet in eius opinione esse vertiginem non per propriam passionem, neque per
B consensum, sed per subordinationem: nam cùm in casu posito imaginatio, & eius organum sint perfectissimè sana, nec possunt pati primariò, nec per consensum, sed solùm per subordinationem, eo quòd imaginatio non potest non recipere species à sensibus externis operantibus, & obiecta percipere vt recipit species. Et affirmat hanc imaginationem esse verum symptoma, quia est actio ipsa ratione morbi prouenìens: eodémque modo philosophatur in hoc casu sicut in actionibus læsis appetitus; hic enim nunquam per morbum proprium, aut per consensum læditur, sed semper per subordinationem cum æstimatiua proponente obiectum sub ratione conuenientis aut disconuenientis.

C Hæc doctrina Magistri propter duo mihi non placet: primò quia casum impossibilem iudico, vt antea contra Eustachium Rud. probaui: non enim capio qua ratione in loco tam stricto circulatio illa possit admitti, neque agens inuenio à quo motio illa fieri possit; & contra Magistrum ponentem solos spiritus tanquam occasionem vertiginis est argumentum efficax, quia in illis non datur occasio ob quam debeant expelli, & in circulum agitari, quia expultricem non irritant, neque à calore possunt moueri circulariter; nam cum dentur in oculis per totam vitam, si à calore gyrarent, frequentissima esset hæc passio, & cum à calore semper attenuentur, reddenda ratio est cur per pupillas non exeant, quando ob vigiliam solam tam con-
D tinua fit eorum resolutio, & tanta debilitas inducatur in statu naturali; & maior multò deberet esse si à calore attenuarentur, quia facilius extra corpus mitterentur.

Si autem vapores vt causa vertiginis adducantur, minus possibilis vertigo videtur, quia propter crassitiem eorum in loco tam angusto implicat circulariter moueri posse vt antea docui: tum etiam quia necessariò visionem impedient, & sine molestissima palpitatione, aut tensione oculorum, & dolore talis affectio dari non posset: quæ symptomata nunquam in oculis experta sunt, quando datur vertigo, neque in antiquis authoribus talis circulatio scripta, aut animaduersa inuenitur. Ratio est clara, si rei naturam contemplemur, quia tumultuosa & inæqualis com-
E motio substantiæ flatuosæ in gyrum, qualem Galenus ad hunc affectum requirit, repugnat fieri, nisi in insigni cauitate, quia distinctio localis vnius corporis impellentis aliud intra eandem cauitatem perpetuò, vt vnum corpus lædat impulsum alterius, locum capacem, & insignem requirit: est autem strictissimus, & angustissimus in oculis; & ignoro, si detur aliud præter illum in foramine tunicæ vueæ inuentum, quod vel paruissimo vapore totus occupetur, vt in suffusione, seu catharacta manifestè concipimus: quod inconueniens etiam contra modum philosophandi aduersariorum publicum est, nec leue meo videri. Nec video qua ratione motus tam celer, vt in obiectis extrinsecis vertiginosus experitur, in loco

rsm stricto, & angusto celebrari possit; msgna enim virtus impulsius requiritur, & quæ in circulum moueat, & continuè, quam non inuenient vt censeo, nisi ad resultum corporis sd corpus recurrant; hic sutem, & copiam magnam vaporum, & cauitatem magnam, & sgens etiam ad talem inæqualem motionem necessitans requirit; quæ omnis si probabiliter mihi exponsntur, & quod oculis non apertis, sed clausis & in tenebris vertigo in sua opinione contingere possit, & slis inconnenientis contra illos adducta, mutabo libenter sententiam. Non decebst sutem tam nouiter, & contrs totam antiquitatem opinantes tot contrs suam doctrinam difficultstes tacere, sed accurstè locum capacem, csusam, & motorem, & tam continuum adducere, vt suæ opinionis probabilitas idoneo discursu suaderetur.

Secundum in quo dissentio à Magistro est, quod affirmst esse vertiginem actionem prsusm imsginstionis, & neget esse delirium, cùm ille admitist delirium in imaginatione, cum delirium nihil aliud sit quàm *motus prauus regentis facultatis*; est autem imaginatio in eius opinione facultas regens, & illius proprium symptoms vertigo. Dubitat tsndem Magister *lib. de febrib. fol.* 894. *ad finem pag.* 1. cur alia sensibilia quæ sunt in medio communia, non modificent sensibilis propria aliorum obiectorum? id est cur obiecta quiets in medio non modificant propria sensibilia, quæ mouentur & sppstent quiets, sicut contingit in sua opinione modificari obiecta quieta per speciem motus medij; & propterea qusmuis sint quieta, appsreant tsnquam mots; nsm contrariorum semper debet esse causs contraria, & per consequens si medium motum cogit obiecta quiescentia tanqusm mota concipi, videtur necessarium in eius opinione quod medium quietum per quod feruntur species obiectorum motorum, cogat obiecta mota tanquam quiets concipere, quia contrariorum contrsria ratio est. Dubium tetigit, solutionem tscuit, quia contra illum & secundum modum opinsndi habet non dubiè magnam vim: verùm contrs nostrum modum opiniandi & ism receptissimum circa sensibilis communia nullsm vim habet. Sentio enim, quod sensibile commune non producit aliquid distinctum, quod possit modificare species aliorum sensibilium; idemque dico de motu localis, neque enim motus medij cogit obiects quiets tanqusm mots percipere, quia ille producat speciem sui, sb specie sensibilis proprij distinctsm, sed quatenus secum defert species propriorum sensibilium ad situm diuersum, in quo proptis sensibilia non sunt, aut impedit medium ne per lineam rectam species producsntur; inde fit quod species rei motæ per medium quietum delatæ nullo modo immutentur, aut modificentur à quiete medij, quis modus ille existendi nullius speciei est productiuus in corpore, aut per species extrinsecas; sed quies nihil est aliud quàm perseuerantia productionis speciei sensibilis proprij in eodem situ, sicut moueri, aut apparere obiectum tsnqusm motum; nihil est aliud quàm motio productionis eiusdem speciei in loco, sut situ diuerso continuè, & successiuè, per quam mutstionem in locis distinctis concipitur sensibile, & ratio moueri iudicsr.

Hæc sunt quæ in tam difficili quæstione probabiliùs meo iudicio (si Galenus deserendus non est) cum tota antiquitate dici possunt, quæ si vera non iudices, meliora excogitsbis, in lucemque proferes, vt veritsti & tuæ doctrinæ addictus ignorantiam nostram accusans, in laudem tuam prorumpam. Et postqusm hæc scripsi & non sine msgno labore, venit ad msnus liber dictus *Antipraxis Santorelli Neapolitani*, qui *lib.* 3. *fol.* 81. mentem nostram apertè sequitur: verbs sunt: *Nam cùm species sint in spiritibus, & hi vim habeant sese multiplicandi, vbi quiescunt spiritus, producunt continuò speciem in eadem parte cerebri, cùm verò mouentur, producunt eandem in alia, & alia; vnde cùm nequeat idem sentiri in variis locis, nisi moueatur (moueri obiecta illa coniicimus,) neque eadem duplicata censemus, quia species continuata producitur in qualibet parte cerebri.* Hæc Santorellus, qui obcæcatus videtur cum in cæcis vertiginem admittit, nisi de illis loquatur qui antes viderunt, in quibus etiam magna difficultas remanet, quomodo spiritus iam resolubiles in cæcis durare possint cum speciebus obiectorum visibilium præsentium, quod ad vertiginem requiritur; omnes etiam difficultates à nobis expertss, expositasque, & declaratas subticuit, neque in eius mentem venerunt.

CAPVT V.

De curatione Febris vertiginosæ.

Hippocrates *loco citato ex* 4. *acutorum*, nullum præceptum pro curatione febris tsm periculosæ proposuit. Constst verò totum periculum constitutum esse, in timore Phrenitidis, sut quod sd aliam grauem passionem capitis malum sit migraturum, conuulsionem nempe, apoplexism, vel morbum comitialem; nam cùm vertigo sit morbus cerebri, & pulsationes illius calidsm esse causam ostendsnt, si cum hoc signo dentur vrinæ tenues, timendum est ne bilis tota ad caput transmissa mortalem aliquam cerebri passionem sdferat. Dixit enim Hippocrates 4. *Aphor.* 15. *text.* 72. *Quibus vrina alba sunt, & perspicua, mala: præsertim vero in delirantibus apparet*: Galenus *in commento* docet, *quod flaua bilis ad caput rapiatur, significant*: quæ si omnino albæ, & perspicuæ sint, desperats omnino pssio à Galeno iudicatur. Si sutem non sint tam crudæ quàm slbæ, & perspicuæ, vt sunt tenues: incipientem iam rsptum ad cerebrum significabunt, & certius erit hoc signum, si vertigo, & pulsationes in cerebro dentur: meritò ergo delirium timebitur, & hoc minus malum erit. Verùm si malum in cerebro firmetur, vt non paraphreniticus, sed phreniticus fiat, mors meritò timebitur; docente Galeno *omne genus phrenitidis est mortale.* Hoc ergo periculosissimum habet vertiginosa febris, quod phrenitidem, aut cerebri mslum grsue mschinetur, vt cum signis tam perspicuis, vt vertigine, & pulsatione molesta, pessimum decubitum tentatum iam clarè ostendat, non leue esse humoris ascensum ad cerebrum significatus; se per consequens sccuratè instabit medicus ne phrenitis confirmetur; dixit enim Hippocrates *loco citato*; *quod oportet expectare febris exacerbationem quando iudicium, seu crisis instat*: quod videtur frustra in hac febre notstum, cùm sit commune omni febri, quando iudicium, aut crisis instat, incrementum suscipere cum accidentibus, non solùm antea molestantibus, sed aliis plurimis de nouo excitatis scerbius sffligere.

Verùm Hippocratis animaduersio tanto authore est digna, & si sit verum quod diximus, oportet nihilominus non ignorare, quòd si à principio febris cerebrum grauiter laborare cœpit, & quando proxima est crisis, perturbatio magna, & agitatio humorum efficitur, oporteat tunc timere, ne si symptoms aliquod eorum quæ raptum in cerebrum significabsnt, nondum superuenerit, superueniet quando iam crisis instst, & qusndo salus sperabatur, mutetur malum proximum in aliud desperatum. Et dupliciter contingere potest, & quis ex maiori illa perturbatione cerebrum abundantius recipiat, vt est rationi consonum;

num; & non expellendo quæ recipit cerebrum, malum nouum in illo firmetur.

Potest etiam & periculosius hoc contingere tentante natura per abscessum febrem vertiginosam finire; & si tunc non possit causam illius extra corpus reiicere, aut in parte ignobili illam reponere, necesse est quod materia febris repellatur ad cerebrum, quia cùm à morbi principio cœperit natura ad illud aliquid pellere, vt constabat ex vertiginoso accidenti, iam cerebrum debilissimum agnoscitur, & per consequens ad illud causam mali exitiosè pellet, vt antea per partes per totum morbum consueuit, nullaque in hoc pernicioso decubitu species salutis inuenitur, nisi illa sola, quod materia morbi perfectè cocta expellatur, & cesset prior febris, & constet virtus, vt cerebrum sanguine misso deonerari possit secta vena cæphalica, aut vena in fronte, aut cucurbitulis scarificatis, aut quod magni momenti esse solet, hyrudinibus mollis retro aures, aut temporibus affixis; quibus euacuationibus quæ per nares & insensibilem transpirationem cerebrum inaniunt, applicanda sunt. Si autem materia non cocta ad cerebrum expellatur, res desperata est, quia prior febris non cessat, & malum superueniens seorsum (nedum alij morbo coniunctum) interficere consueuit.

His notatis curatio febris vertiginosæ duo requirit, & quod celerrimè auxilia maiora imperentur, & quòd capiti accuratè prouideamus, ne in illo malum quod febris ratione vertiginis machinatur, omnino firmetur. In quo casu si peccatum aliquod committendum est, sit potius per excessum euacuationis, quàm per defectum; nam quando iudicium periculosum timetur vt casu præsenti in multa euacuatione, potest illud excludi, nam vt natura crisim non tentauit propter paucitatem materiæ, aut si iudicium per anteriorem omnino impediri non possit, erit saltem copia materiæ minor quæ ad cerebrum expellenda est, & propter paucitatem fortassis non erit hic secundus morbus desperatus. Nec deficient fortasse medici qui statim in huius morbi initio expurgationem consulant, eò quod in eo datur similis indicatio ad expurgandum, & vt putant vrgentior quàm in turgentia, cùm iam natura in partem principem directè mittat materiam, quod in turgentia timetur. Est autem hæc praxis tanquam perniciosa reiicienda, vt *proprio tract.* docuimus, & etiam febribus perniciosis medendo contra Mercatum scripsimus.

Est ergo in hac febre similis methodus seruanda vt in aliis continuis, & occurrendum celeriter ne in phrenitidem degeneret. Copiosè ergo sanguis mittetur ex vena basilica, nisi capitis grauitas, aut dolor insignis venam communem secare exposcat; nam quando partes principes incipiunt pati, exonerandæ sunt simul cum toto corpore, quia si malum illis firmetur, dubia semper salus est. Oportet statim etiamsi totum corpus euacuatum exquisite non sit, cucurbitulas in partibus inferioribus scarificare, & nunquam à lombis ascendant à principio morbi; nam in partibus inferioribus in quolibet morbi tempore possunt applicari. Et quando capiti timemus, vt in hac febre, non licet integram euacuationem totius sperare, sed omni reuulsionis genere à medio corpore versus inferna vtendum est. Est enim impetus humorum ad cerebrum omnino formidabilis, quia tarò sine magno periculo non tentatur à natura, & propterea omni ingenio inhibendum, cohibendumque est. Sic vesicatoria cruribus statim admouenda, quæ sic conficies. ℞. fermenti acris ℥. j. pulu. cantharidarum ʒ. j. pulu. ameos ℈. j. misc. & fiat emplastrum: item & ligaturæ molestæ, frictiones assiduæ, dummodo mox à pastu non imperentur, & caput & collum communi oxyrrhodino muniantur, clysteresque attractorij conuenient, & euacuato iam bene cor-

A pore cucurbitæ scarificandæ sunt in medio dorsi, vt à parte mittente in cerebrum, immediatius euacuemus. Sic etiam vena magna inanitur & sanguis melancholicus apparebit: magnam opem ex affixis hyrudinibus mariscis ægri sentiunt, præsertim si earum suppressio tanto malo occasionem dederit, idemque auxilium si vterus pars transmittens fuerit, imperandum est, postquam sanguis ex talis extractus fuerit.

Potiones attemperantes conuenient præcipuè si causa calidior febris appareat: hæc enim accidentis vertiginosi per febres occasio esse consueuit; & hoc indicant planè capitis pulsationes ab Hippocrate *loco citato* adductæ. Si autem copia crudorum succorum vertiginis sit origo, constat quòd minor debeat esse & parcior sanguinis euacuatio, clysteres erunt fortiores, & B somnus inhibebitur, ita vt breuissimus tantùm concedatur, & attemperatio febris, aut moderatissima, aut nulla erit: potius enim crudorum & crassorum concoctio & attenuatio conuenient, & cerebri roboratio, quod implent serapia sthecados, betonicæ, peoniæ, de corticibus citri & oxymelli simplici, cum mica cinnamomi, & serap. adianthi: diluentur verò decocto seminis fœniculi, florum saluiæ, corticum citri, cinnamomi & ligni aloës; fumus cuius, sicut & spicæ nardi, cerebrum humidum, & frigidum strenuè roborat, cucurbitæque cum maiori flamma affigentur, à quibus inunctio dorsi cum oleo Mathioli optima erit, & postea linteo asperiori abstergetur. Conferet etiam C oleum camomali, irinum, & amygdalorum amarorum, cum pulu. nitri vsti; neque oxyrrhodinum actu applicabitur frigidum, præsertim si cerebrum pituitosum appareat, eique addes modicum castorei, aut decoctum serpilli, aut thymbræ: nunquamque infrigidari oxyrrhodinum permittes, quia cerebrum summè læditur.

Iam præparata materia expurganda est, si coctio illius appareat; priùs tamen expurgabitur totum corpus, quia illud trahit cerebrum in sui consensum: postea cerebrum expurgandum est pilulis cochiis, de agarico, & alephanginis; & si aliquod melancholicum detur, vt solet, miscebis cum dictis pillulis gr. viij. ellebori nigri præparati, & cum aqua fœniculi formabuntur, aut pillulis fumariæ & aggregatiuis cum D cochiis. Pillulæ enim fumariæ humores acres, biliosos, pituitosos, & melancholicos purgant, & etiam aggregatiuæ ad eosdem effectus à Mesue extolluntur, mundificantque cerebrum. Si autem fuerit febris biliosa, purgabitur corpus infusione rhabarbari cum serapio solutiuo regio, aut persico, aut diacatholici, pulpa thamarindorum, aut manna in sero lactis dissoluta; tarò in hac causa cerebrum expurgabitur, quia resoluitur facilè, quod à toto recipit, si phrenitidem creare non potuit, vt quotidie experimur in passione paraphrenitica, in qua, priori malo cessante, salutem pristinam absque ope medica cerebrum sibi restituit: est enim ipsum velut antidotum contra humores biliosos, ob temperiem frigidam & humidam; si verò aliquid imbibitum remaneat, expurgandum erit, E aut resoluendum idoneis decoctis, aut sanguine misso ex vena frontis, aut narium, vel pulmonibus arietis recenter extractis, & sincipiti prius raso appositis, cum pulueribus florum chamæmeli, & castorei: si autem cerebrum debile remaneat, roborandum est, iuxta ideam causæ ipsum debilitantis, de quo argumento innumera auxilia passim traduntur, vt *cap. de cerebri debilitate* scripta reperies.

Verùm quia cerebrum in hac febre debile agnoscitur, accuratè distinguendum est si magna cerebri debilitas potius quàm humoris multitudo vertiginem causet: in quo casu à copiosis euacuationibus abstinendum est, & leuissimis solùm auxiliandum,

omni genere reuulſionis antea explicato humores ad inferiora retrahendi ſunt. Si autem copia excrementorum potius quàm debilitas cerebri vertiginem excitet, euacuationes maiores, & frequentiores fient, vt in principio docuimus, notando duo; primum in acceſſione vertiginis ſi poſſibile ſit non mittatur, ſed frictionibus, cucurbitulis, clyſteribus, & aliis auxiliis leuioribus acceſſio moderetur, & poſtea ſecetur vena. Secundum notandum eſt maximè ne vertigo oriatur ex ventriculi cruditatibus, vt ſæpe ſolet, in quo caſu conſtat, ſtatim eſſe ægrum expurgandum lenienti medicamento, aut vomitu, aut clyſteribus; verùm hæc occaſio febrem vertiginoſam non creat, aut rarò, quia vertigo ceſſat ſtatim ac fuit depoſita cruditas; febris autem vertiginoſa habet, vt in principio docui, vertiginem tanquam accidens febrem ſemper concomitans.

Ad auferendam vertiginem duplex remedium vobis propono, primum conficitur ſic. Cinabrij mineralis & veri ℥.ß. coralli rubri & præparati, & margarit. præparat. ana ℈. ij. Croci ℈. j. fol. auri numero xv. ſupra marmor terantur omnia, & miſceantur, doſis g. x. aut xij. vſque ad xvj. cum aqua diſtillata lilij conuallij ſudorem prouocat, & excellens auxilium contra vertiginem, vt Crato teſtatur. Secundum remedium eſt quod paratur ex ſtercore pauonis maſculi, quod ſiccatur & puluerizatur, de puluere ſumatur ʒ. j. & maceretur per integram noctem in vino albo, poſtea per linteum traiiciatur, & detur vertiginoſo continuò à nouilunio vſque ad plenilunium, aut amplius ſi opus fuerit. Fuit Author huius remedij Ruſticus quidam qui vertiginem à medicis iam deploratam, & tanquam incurabilem derelictam auxilio relato eradicauit, vt inde conſtet eſſe verum quod Galenus docuit, nunquam nimirum tam perfectam eſſe medicinam, & tam exquiſitè elaboratam, vt vel à minimo, & abiectiſſimo homine perfectionem maiorem in dies recipere non poſſit.

Sed hoc ſecundum remedium pituitoſæ vertigini videtur conuenire, & vbi febris deficiat, aut ſaltem leniſſima ſit: primum autem auxilium temperatius eſt, & in febribus poteſt imperari. Verùm quia mouendo ſudorem videtur vertiginem auferre, non licet ſtatim à principio febris illud concedere, ſed quando iam totum corpus euacuatum eſt, & ſigna coctionis apparuerunt, niſi vrgentia nimia accidentis vertiginoſi oppoſitum efficere cogat: vſus autem aſſiduus ſucci radicis ſcortioneræ in febribus eſſe poteſt, quia teſte Matthiolo vertiginoſis optimè ſuccurrit, ſicut etiam eius radix datur, & communiter in officinis publicis ex illa ſyrupus paratur, ſicut & eius aqua ſtillatitia contra febres malignas: ſimulque legetis quæ hic Author de cocleis ſcribit contra vertiginem 2. *lib. c. 9.* quæ ſi vera ſunt, aqua ſtillatitia earum etiam in febre vertiginoſa vtiliter concedetur, nam aqua vitæ ex vino diſtillata, & tanquam ſummum remedium ab illo prædicatur, in febribus non eſt admittenda: remedium verò Cratonis in ſucco radicis ſcorcioneræ ſolutum cum aqua etiam ſtillatitia eiuſdem ſecuriſſimè & magno commodo dabitur, vt acetum ſchillitieum in pituitoſa vertigine ſine febre celebre eſt, bilioſæ verò vertigini conuenit propriè remedium ex cocleis, ſicut & febri vertiginoſæ aqua ſtillatitia earum, & carnis ranarum.

Si longiorem tractationem vertiginis deſideratis, legite Muſam Braſauolum ſuper textum à nobis adductum ex 4. *lib. de victus ratione in acutis.*

TRACTATVS

De Coctione, & Putredine.

PROOEMIVM.

GRATIAS in primis offerentes Deo, quòd me ſub tanta febrium multitudine ſeruauit incolumem, vt veſtræ vtilitati inſeruirem, explicare aggrediemur *Tractatum de Coctione, & Putredine*, difficillimum inter omnia quæ iuxta leges noſtræ ſcholæ exponuntur. Cùm enim illa ſola fuerit peregrina in ablatione partium correſpondentium elementis ſub quauis parte exquiſita mixti; ita illa ſola hoc ſibi onus impoſuit, indagandi ſcilicet prædictarum alterationum naturas ſine vnione, aut ſeparatione partium humidarum à ſiccis, ſine qua antiquitas tota coctionem, & putredinem explicare non potuit. Genuit itaque Schola noſtra perſpicacium ingeniorum feraciſſima vnicum inter alios filios, & noſtri in doctrina Magiſtrum, contra Ariſtotelem, & totam antiquitatem pugnantem egregiè, & illam celebrem aſſertionem de exiſtentia partium ſub quauis parte mixti, ſi antiquitas illam intellexit, vt ille, demonſtratione euertentem.

Explicare ergo aggrediemur in veſtrum commodum hanc arduam tractationem non paucioribus diſſenſionibus, quàm literis plenam: more tamen meo, qua potuero perſpicuitate, nulli ſectæ, ſed veritati ſolùm addictus vobis exponam.

DISPVTATIO

DISPVTATIO I.

De natura, & essentia coctionis.

QVÆSTIO I.

In qua traduntur definitiones coctionis.

AVctores omnes vt celebrem tradunt Aristotelis definitionem ex 4. *lib. Meteor. cap.* 2. dicentis: *Coctio est perfectio è calore tum naturali, tum proprio ex oppositis patibilibus*: hæc autem sunt propria vnicuique materiæ.

Vt autem hæc definitio celebris intelligatur, notate, coctionem in rigore esse actionem propriam facultatis coquentis, sicut nutritio est effectio nutritiuæ potentiæ, & generatio generatricis. Vnde inter facultates commutantes ab omnibus auctoribus connumeratur, & inter ministrantes nutrienti inseruientes: vnit enim sibi homo, & quodlibet viuens substantiam, quam per coctionem disposuit vltime, vt iam illi debeatur introductio vitalis formæ, & cùm nutritio necessariò præsupponat alimenti transmutationem vltimo dispositi, ideo inter potentias transmutantes numeratur coctrix nutrienti ministrans, vt dixi (loquor modò de coctione in hominibus, & aliis viuentibus) nam istis solùm Philosophia concedit peculiarem facultatem coquentem, & nutrientem, a temperamento primarum qualitatum diuersam, an verò cum nutriente facultate identificetur: huius loci non est. Sed esto quòd eadem sit facultas peculiaris, actus ei tribuitur, vt coctrici, quem non habet, vt est nutriens; hæc enim substantiam habet pro termino proprio, coctrix verò ad illam acquirendam disponit, & ideo nutrientis ministra appellatur. Hoc respiciens Galenus 4. *de victus ratione in acutis, comment.* 44. dicebat: *Coctio nuncupatur nutritiuæ substantiæ permutatio secundùm qualitatem existens*: & 8. *pharmac. secundùm locos, cap.* 6. dixit: *Vocatur autem alteratio ipsa vsquequò in similitudinem partis, quæ nutritur, transmutatur coctio. Et* 3. *lib. de caus. symptom. cap.* 3. dixit: *Coctio est alteratio in propriam nutritorum qualitatem.* Idem expressè tenet 3 *lib. de facult. natur. in cap.* 7. & 4. *lib. de differ. symptom. cap.* 4. vnde *in arte medic. cap.* 88. dixit: *coctio est alteratio faciens cessare putredinem manente substantia.*

Ex dictis notabitis vnum magni momenti; scilicet substantiam viuentem non posse coqui, postquam iam viuentis formam obtinuit, quia si opus concoquentis facultatis est disponere transmutatiuè rem, quam alterat, & conuenientem qualitatem inducere in illam, eius operatio ex propria natura transiens erit tendens pro obiecto ad materiam externam, & per consequens in materiam informatam anima agere non poterit, quia in illa iam existit coctrix facultas, cuius munus est extra se, & non operatur immanenter: quod certius constat, quia ad eius effectum præsupponitur operatio primarum qualitatum, quæ in proprio subiecto non operantur alias primas, sed in aliam externam, quia actio earum transiens est.

Neque obstat, vnam partem viuentis posse aliam alterare per facultatem coctricem, quia respectu diuersæ partis operatur transeunter, & ita partem aliquam non perfectè coctam posse perfici, & coqui ampliùs à facultate aliarum partium. Sed contra est, quia si vna pars viuentis non potest aliam in se conuertere, ita neque coquere. Præterquam quòd iam non esset coctio, sed destructio, quia mutaretur in naturam partis coquentis: sicut ergo vna pars viuentis non potest esse alimentum alterius, ita nec subiectum coctionis.

Sed dices, hoc planè esse contra communem doctrinam Auctorum dicentium, fructus substantiam eandem, quæ primò erat cruda, tractu temporis perfici, coqui, & maturationem accipere. Idem de pueri substantia in confesso est apud omnes: coquitur enim, & perficitur per totam adolescentiam, quod clarè docuit Galen. 6. *Epidem. cap.* 5. *comment.* 9. dicens, *coctionem esse deductionem ad mediocre temperamentum.* Constat verò hanc mediocrem temperiem posse ab interno principio produci, & in communi exemplo de expulsione patibilium oppositorum explicatur; nam cùm illa retardent, & impediant, ne producatur ab anima statim à principio temperamentum conueniens, illis ablatis producet illud in proprio subiecto, & coquetur. Sed de hoc dicam infra. Interim tamen obseruate, non esse idem, alterari aliquid, & perfici per simplicem alterationem, cum hoc quod est perfici media coctione; nam coctio nullatenus terminatur ad temperiem primarum qualitatum formæ conuenientium, alioquin alimenta coquerentur: imò secundùm aliquos, coctio nequit terminari ad qualitates elementis conuenientes, siue primas, siue secundas: est enim propria mixtorum passio, ne dicam viuentium; & cùm iam supponamus esse coctionem opus facultatis coquentis, ab anima repugnat fieri. Dicuntur ergo viuentia coqui in propria substantia, non quia eadem numero, quæ primò fuit, coquatur rursus; sed quia per nutritionem, & coctionem alimenti, quæ illam antecedit, vniunt sibi substantiam perfectiorem, quam habebant à principiis generationis. Est autem perfectior non quomodolibet, sed in ordine ad certam operationem, per quam matura dicuntur, in ordine scilicet ad generationem fœcundi seminis, & quia huiusmodi substantiam, scilicet vnitam, sibi assimilarunt; fortassis enim quando in fine adolescentiæ coquitur animal, aut homo, non habent aliquam partem ex iis quæ in prima generatione extiterunt, aut pauciores multò quàm sint acquisitæ per nutritionem: nam cùm tam promptè resoluantur pueri, constat non ita consistere coctionem, & maturationem in perfectione eiusdem numero substantiæ, durantis à principio generationis vsque ad finem adolescentiæ; sed in acquisitione solidioris substantiæ per nutritionem, & coctionem: hæc verò de nouo acquisita, & præexistenti substantiæ vnita, sic eam etiam perficit, quia erat distemperata.

Et confirmant: quia adolescens secundùm omnes partes, quas habet, dicitur coctus; & tamen non secundùm omnes habet patibilia opposita, quia eas quas habet acquisitas per nutritionem, non obtinuerunt patibilia ex principiis generationis.

Et si vrgeas, huius alimenti dispositio producitur à temperie viuentis, nam hæc est instrumentum coctricis: ergo semper supponitur viuens magis coctum quàm succedens substantia: nunquam ergo perficitur per illam. Respondeo, ita esse, sed id quo perfectio adquiritur, etsi in viuente præfuit, non fuit coctionem adquisitum, sed per simplicem alterationem. Finge in opinione nostræ Scholæ temperamenta ætatum ab anima internè produci, paulatim exsiccatur puer & calidior redditur: hæc verò temperies non fit per coctionem, vt dixi, sed per emanationem simplicem, & ita ab hac temperie acquisita disponitur alimentum à facultate coctrice, ita vt per illam acquiratur media coctione substantia solidior, & firmior, aptiorque ad generationem fœcundi seminis: per hanc enim substantiam vnitam viuens maturatur, vt dixi. Idem dictum putabitis, si viuens exsiccetur à causis externis, & alimenti repassione; nam tunc perficitur viuens in ordine ad fœcunditatem, & non per coctionem; posteà verò facta hæc siccitas naturalis viuenti, disponitur per illam alimentum coquendum;

quod quia verè coquitur, dicitur viuens per coctionem perfici, & maturari. Idem contingit, si ex ablatione patibilium oppositorum reducatur anima ad meliorem temperiem; & ita Arist. maturationem definiens, *eodem 4. Meteor. cap. 3.* dixit: *Maturitas concoctio quædam est*; nam coctio alimenti, quod est in fructibus, maturitas dicitur: non ergo maturatur viuens per id quod resultat ab interno principio, sed per coctionem alimenti, quod intra habet, & ita substantiam perfectiorem vniens sibi redditur maturum, quia redditur capax producendi semen fœcundum, & hac ratione reducitur viuens ad medio cre temperamentum, vniens per nutritionem substantiam ad generandum semen fœcundum capacissimam, quia magis sicca, solidior, glutinosior, quàm priùs per coctionem disponit, & sic dicitur per coctionem perfici, & maturari.

QVÆSTIO II.

Vtrum coctio sit perfectio?

IN relata definitione dixit Philosophus, coctionem esse *perfectionem à calore tum naturali, tum proprio ex oppositis patibilibus; hæc autem sunt propria vnicuique materia.*

Vt intelligatur, de quo dicatur perfectio, notandum est, nullum viuens, quod naturaliter producitur, aut generatur, produci perfectum quantum ad omnia: est enim in viuentibus duplex status, durationis vnus, & alius operationis perfectæ, seu in quo collectiuè operatur perfectius; qui duo status opponuntur, in homine præsertim: nam status durationis, qui perfectior est, plus repugnat operari perfectè; nam cùm homo morte naturali pereat per intensam siccitatem, & caloris defectum, machinata fuit natura formationem fœtus in vtero cum humiditate superflua, & calore maximo, vt sic distet magis à sicca distemperie, & frigida, quibus extrema senectus constituitur, & tabidus perit homo: hæc autem intensa humiditas in principio formationis inuenta, duo commoda præstat, & distantiam positiuam à morte naturali, & confert magnoperè ad augmentum infantis; non enim augeretur, nec molem homini debitam acquireret, si siccus in principio formaretur. Impedit enim siccitas incrementum viuentis ob duo; & quia densando propriam substantiam tollit poros, per quos distribuendum est alimentum, impeditque distendi posse viuens, quia indurat, & etiam quia est qualitas ex primis minus operatiua; & ita quia incrementum fieri debet dilatato viuente, factisque poris de nouo, & admittendo intra se plurimam alimenti quantitatem, quam commutare tenetur, vt crescat in maiori quantitate, & minori tempore quàm fiat resolutio viuentis per dogma sempiternæ passionis: ad quæ omnia magnopere confert humiditas adiuncta calori; ideò has duas qualitates copulauit natura in formationis principio, vt infans cresceret, & duraret magis. Constat enim ex Philosophia, non posse à prædominio coniungi qualitates magis actiuas humiditate, & calore; nam etsi frigus actiuius putetur humiditate, esse tamen à prædominio cum calore dominante harum qualitatum contrarietas impedit, nam totum quod caloris intenditur supra medium, aufertur de frigore in corporibus mixtis, in quibus esse adimpletam latitudinem contrarietatis mihi videtur certum.

Hæc ergo humiditas superflus à natura infantibus data, vt crescant, & distent à morte, est inimicissima statui operandi perfectè: nam sicut ex propria natura conducit ad somnum, ita ad non operari, quia somnus est otium facultatis sentientis, & operationum sentientium, & motiuarum priuatio; facit enim infœcundum puerum: tum quia plurimum conferens ad illius augmentum commutat totum alimentum, & conuertit in membra, vt semen non fiat, quod ad venerem incitet, sed totum quod fit, in testium nutritione consumitur; & quamuis superesset seminis copia, esset ineptum ad generationem, quia humiditate superflua aquosum fit, & sine lentore: esse enim fœcundum semen siccum, & calidum, *in arte medic.* docuit Galen. His ergo rationibus opponitur status, & temperies ad durationem conferens statui ad operandum debito. Sola enim nutritio abundat in pueris, reliquæ perfectiones deficiunt, & ad proportionem, qua exsiccantur, acuuntur sensus, & mens, & fortiores redduntur ad motum, & semen incipiunt fœcundum efficere.

Quia ergo hanc imperfectionem natiuam per nutritionem deponunt viuentia, quia cùm semper exsiccentur, vt dixi, & loco substantiæ humidæ & fluxilis, siccorem & solidiorem acquirant, ad actiones, & generationem accommodatam magis, & non aliter quàm per coctionem disponatur; ideò coctio appellatur perfectio, quia vt medium à natura assumitur, vt viuens perficiatur, tuncque perfectum esse putauit Philosophus, quando semen producit habens vim formatricem tam validam, vt simile viuenti, à quo fuit decisum, efformet. Sicut verò viuentia sensitiua, & rationalia illud alimentum, quod assumunt, commutant: ita fructus illud solùm, quod secum deferunt, permutant, quòd semel ab arbore separati, vnde alimentum sumant, non obtinent; ob quod de maturatione fructuum loquens Philosophus *cap. 3.* iam *citato*, dixit *maturationem esse coctionem alimenti, quod est in fructibus.* Vnde colligimus puerum maturari nutritione solidioris, & siccioris substantiæ, & sic perfici à natiuo calore, quia commutat medio illo alimentum, & coquit; hac ergo ratione maturatio, quæ est propriissimè coctio, dicitur & appellatur perfectio.

Quia verò non solùm coquitur viuens vniendo sibi perfectiorem substantiam, eo modo, quo diximus, sed etiam concoquuntur alimenta, multò antequam in viuentis substantiam permutentur, vt quando in chylum, sanguinem, & rorem permutantur, coctiones prædictæ etiam sunt perfectiones, quia disponunt alimenta, vt mutentur in viuens, ad quod à natura ordinata sunt, & in perfectiore forma ordinantur, quod non tollit esse mutationes violentas respectu proprij alimenti, cùm mediis illis in corruptionem tendant: sicut ergo elementa ordinantur ad mixta, & respectu istorum dicuntur materia, & vt materia perficiuntur suo modo, quia in nobiliorem formam mutantur; ita mixta non viuentia ordinantur ad viuentia, vt materia nutritionis eorum, & viuentia imperfectiora ordinantur ad hominem; nutritur enim solum ex illis, aut ex alimento, quod formam viuentis obtinuit, & ideò dicuntur perfici, quia etsi corrumpantur, reuerà disponuntur ad meliorem formam, & perfectiorem. Id clarè docuit Philosophus dicens: *Et principium perfectionis à caliditate propria accidit*, quamuis per aliquod externum auxilium compleatur, vt cibus digeritur per balnea, & per alia talia: perficitur verò cibus, dum coquitur, in opinione Philosophi: constat verò id non posse fieri in ordine ad se, cùm destruatur omninò; sed in ordine ad mutationem in perfectiorem formam, & hic est finis principalis coctionis, ob quod dixit inferius: *Finis autem is quidem natura est; natura autem, quam dicimus, vt speciem, & substantiam.* In cuius loci expositione Sanctus Thomas ita reliquit scriptum: *Finis principalis coctionis est introductio naturæ*: id est, forma nutritæ in materia, quæ digeritur, quia tunc dicimus factam esse

esse digestionem, cùm in materia est introducta forma nutriti.

Ex cuius Auctoris doctrina colligitur, coctionem propriè dictam a solis viuentibus produci; nam definitionem illius, & qualiter dicatur perfectio, finemque in quem principaliter tendit, explicuit S. D. per introductionem formæ nutritæ in materiam quæ coquitur; finis verò minus principalis (vt ipse docet) & secundarius est quædam forma accidentalis ad formam viuentis disponens; & cùm nutritio sit actio vitalis nutrientis virtutis, solis viuentibus competere potest. Quod etiam sic confirmatur; quia non constat experimento, mixta non viuentia se perficere semel producta ab interno principio, quantum ad modum nouum substantiæ in elementis non datum, neque aliam materiam externam trahere, aut commutare, aut internam expellere, ratione quarum permutationum perficiantur, aut in ordine ad se, vel ad aliquam externam operationem suæ speciei debitam: & ita nunquam intelligimus in illis se perficere à proprio calore, vel commotare externam materiam in ordine ad aliquam perfectionem acquirendam, quam in prima generatione consequi non potuerunt. Et ratio à priori est, quia non viuentia non petunt terminum certum magnitudinis, aut paruitatis, & ita quantum ad magnitudinem, aut formationem non mouentur ad acquirendam quantitatem maiorem, aut substantiam, & sic non habent principium commutandi in externam materiam, vt illam sibi vniant: quòd si semel producantur cum imperfectione aliqua, semper in illa perdurant, nisi ab extrinseco agente perficiantur; quod non est amplius coqui eo modo quo putat Philosophus, cùm ab interno principio fieri debeat, & proprio, natiuoque calore, etiamsi adiuuari posse ab externo fateatur.

Neque obstat, si dicas, elixationem, & assationem esse coctionis species, vt Aristotel. docet *eodem 4. Meteor. cap. 2.* dicens: *Coctio quidem ad calorem pertinet, ad coctionem maturitas, elixatio, assatio:* cùm ergo elixatio, & assatio coctiones dicantur, sint verò in externis rebus non viuentibus, dabitur coctio vbi viuens non est. Respondetur, elixationem, & assationem in rebus non viuentibus factas esse tales æquiuocè, dicunturque per similitudinem ad prædictas coctiones in viuentibus inuentas: quod ita docuit Philosophus *eodem cap.* dicens: *Sed hæc nimirum nomina putare debemus, non propriè vsurpari, quomodo quidem non imponuntur omnino similibus rebus, &c.* Quomodo verò differant mutationes prædictæ, postea dicemus. Idem docuit Philosophus *cap. 4. huius libri.*

Neque obstat, quod Benedictus Vazq. *lib. 4. de febrib. fol.* 388. contra sic opinantes adducit; nam quando dixit Aristotel. finem coctionis esse naturam, natura autem est, quam dicimus speciem, & essentiam, non intellexit Author quamcunque formam substantialem, sed viuentium solùm, & ita per nutriti formam exposuit Angelicus Doctor. Neque enim negamus, terminum coctionis in non viuentibus recipi, verè enim recipitur in chylo, sanguine, & rore: sed solùm asserimus coctionis terminum verum à solo viuente produci in materiam, quam disponere tentat pro sui nutritione: nam vt dicere cœpi, coctio ordinatur ad acquirendam perfectionem, quam petit natura aliqua; cam tamen in primo esse habere non potuit viribus naturalibus, & ita mouetur ad acquirendam illam, habetque internum principium, quo medio talem assequatur perfectionem, quod nisi in viuentibus non inuenitur; nam non viuentia eo modo, quo producuntur, perdurant, & ex propria natura possunt produci perfectissima, & quia possunt, & debent totam perfectionem à generante accipere, non dedit eis natura principium internum, quo perfici possint, quia per accidens imperfecta producuntur, viuentia verò per se; & ideò necessum fuit eis concessisse naturam principium commutandi, & coquendi externa alimenta; iam verò diximus, cur viuentia imperfecta necessariò producantur.

Obiicies secundò: Terminus coctionis est qualitas secunda à primis producta: sed primæ dantur in mixtis non viuentibus: ergo & hæc secunda, ad quam terminatur coctio. Respondeo dupliciter: Primò, quod sicut dispositio ad viuens, etsi à primis dependeat, non datur nisi in viuentibus; ita nec talis dispositio ab alio, quàm à viuente potest produci, nam talis proportio in nullo alio inuenitur. Dico secundò, quod sicut viuentia omnia habent altiorem naturam quocumque non viuente, sic requirunt peculiares potentias ad benè operandum, non viuentibus minimè concessas, ita & peculiares qualitates disponentes materiam ad viuentis formam introducendam; & ita nihil mirum, à facultate coctrice produci in materiam alimenti peculiarem qualitatem, sic propriam viuenti, vt nulli alij formæ sit concessa: de quo inferius dicetur.

CAPVT III.

An hæc perfectio coctionis fiat à calore?

EXplicata natura perfectionis, non minus controuertitur de causa efficiente illius, an scilicet à calore fiat? Et pro parte affirmatiua stat Aristot. auctoritas ponentis in definitione solum calorem naturalem, & proprium. Et inferius docet: *Cruditas verò in imperfectione caloris ob defectum proprij caloris; defectus autem caloris frigus est.* Et *in initio cap.* 2. dixit: *Concoctio quidem ad calorem pertinet, ad frigus inconcoctio, &c.* Et videtur vrgentius confirmari, quia species coctionis connumerat maturationem, elixationem, assationem: at verò assatio, & elixatio à nullo fiunt nisi à calore externo in rebus non viuentibus: ergo neque intra viuens ab alio fiunt nisi à calore, & multò minus maturatio; nam cùm hæc sit propriissima coctio, à solo illo fieri debet, nam non est ratio, cur illæ duæ species coctionis à calore fiant, & non maturatio, cùm per omnes disponatur materia ad eandem formam, & perfectionem acquirendam. Sanctus Thomas in comment. dixit, duplicem esse causam cruditatis, primam frigiditatem per se, secundam defectum caloris per accidens: suntque infinita loca Aristot. in quibus id expressè docet, *de partibus animalium, cap.* 3. & *lib.* 3. *de generatione animalium, cap.* 2. & 2. *de anima, cap.* 4. Idem Galen. 4. *simpl. c.* 6. & 7. *Method. c.* 5. & 3. *de caus. symptom. c.* 1.

Pro parte negatiua stat non leue argumentum, quia dispositio alimenti, vt viuens introducatur, est dispositio corporis mixti perfecti, & cùm tale requirat temperiem primarum qualitatum ad sui introductionem, erit necessaria ad mixti dispositionem: cùm ergo per coctiones diuersas disponatur alimentum ad viuentis introductionem, dependent omnes à temperie primarum qualitatum: quod clarè insinuauit Philosophus *cap.* 2. *citat.* dicens: *Calor autem & frigus materiam vincendo gignunt.*

Secundò, quia omnes concedunt dari species diuersas coctionis, ab eodem verò agente non potest diuersitas specierum pendere, cùm idem in quantum idem semper idem faciat; non ergo solus calor concoquit, si dantur species coctionis diuersæ.

Tertiò vrgentius, quia quando sumitur alimen-

um calidius ventriculo, aut applicatur cuicumque alij parti coquenti, verè commutatur, & coquitur; sæpè enim alimenta tam calida ingeruntur in ventriculo, vt illum vrant, & dolorem in illo causent ob immoderatum calorem; tunc verò non videtur aliter coqui alimentum tam calidum, quàm alterarum à frigore; nam cùm supponatur calidius ventriculo, aut parte coquente, non est in potentia nisi ad frigiditatem suscipiendam; implicabit ergo à solo calore commutari, & coqui. Quod confirmatur ex coctione materiæ putridæ in febribus; nam cùm illa causet calorem contra naturam in partibus omnibus, & actu homo febricitet, quando coquitur in continuis, repugnabit posse corrigi, & coqui talem materiam putridam, nisi per alias qualitates præter calorem. Patet consequentia; quia viuens alteratur à materia puttida per calorem intensiorem naturali: ergo nullatenus est in potentia humor puttidus, vt à calore viuentis alteretur: coquitur enim sine calore.

Quartò, sanguinem arterialem esse calidiorem partibus, quæ nutriuntur ex illo, negari non potest; nam cùm tam calidus producatur à corde, & tanta copia spirituum vitalium abundet, necessariò erit calidior arteriis, & ita ab eis non commutabitur nisi per frigus. Idem constat de omni sanguine, nam illum esse sedem vitalis caloris Galenus docuit *cap. 1. lib. 1. de sanguinis missione*, ob quod docuit cum maxima præmeditatione esse extrahendum. Idem constat de lactis generatione, quod ex sanguine calido à prædominio generant partes frigidæ, vt constat ex doctrina Galeni *6. aphor. comment.* 40. dicens: *Adenum natura, & præsertim illorum, qui sunt in mammis, exsanguis est, & proculdubio frigida, omne enim exsangue frigidum.* Idem probatur de coctione, per quam ossa nutriuntur ex medulla; est enim calida, & humida, cùm tamen ossa sint frigida, & sicca: ergo nequeunt medullam alterare nisi per frigus, & siccitatem, quia ad solas istas qualitates est in potentia respectu ossium.

Sed vt hæc quæstio dissoluatur, notate, coctionem in alimento esse simpliciter necessariam ad viuentis eductionem, aut ad introductionem alterius formæ ordinatæ ad viuens, vt chyli, sanguinis, vel roris; cum hoc tamen coctio non est adæquata dispositio viuentis, sicut calor vitalis est simpliciter necessarius ad pulsum, tamen non sufficit ille, quia non est adæquata dispositio ad pulsum, cùm requiratur influxus per illustrationem à corde, & temperamentum conueniens.

Vnde cùm nos affirmemus veram coctionem à solo viuente fieri, certum videtur, loquendo in rigore, non fieri à solo calore, neque ab aliqua ex primis qualitatibus, sed à facultate coctrice producente in alimento peculiarem qualitatem ad viuentis formam necessariò requisitam; nam cùm disponatur ad formam altioris ordinis, determinatur ad illam per qualitatem superiorem primis, quibus mixta non viuentia disponuntur. Sic ergo putandum est, coctionem, vt est actio, terminari ad qualitatem productam à facultate coctrice distinctam omninò à primis, & secundis, quæ elementis, & mixtis non viuentibus communes, aut propriæ sunt, hancque præsupponere in re, quæ coquitur, vt necessariam dispositioni alterationem factam à primis, vt certum modum substantiæ: nam vt est qualitas ordinis superioris, ita petit prius in materia certam temperiem, vt petit quæuis alia facultas animæ, vt sit in organo corporeo; magis enim distat viuens à non viuente, quàm viuens idem à seipso secundùm diuersas operationes: videmus tamen opus vitale peculiares qualitates requirere, quas naturale non petit, & animalis facultas diuersa ab aliis: cur ergo denegabitur peculiaris dispositio ad viuens requi-

A sita, quam non viuentia non petant: hæc ergo qualitas producitur in alimento à facultate nutritiua, quæ vt alimentum disponit, coctrix appellatur. Neque putandum est, hanc qualitatem pendere in conseruari ab ipsa facultate, sed à forma non viuente, ordinata tamen ad viuens, conseruari posse, & conseruatur à forma chyli, sanguinis, aut roris, sicut conseruantur alij modi substantiæ, & primæ qualitates, quæ à viuente alterante alimentum emanarunt: aut erit accidens absolutum pendens solùm in conseruari à materiali dispositione, & quamdiu hæc durat in chylo, conseruatur prædicta qualitas, quia caret contrario, & ita durat quamdiu subiectum cum debitis sibi dispositionibus manet. Et ratio est, quam insinuauit Magister *in part. natural. disp. 23. ad finem 2.* nam cùm facultas coctrix, aut nutriens sit ex propria natura B transmutatiua, necessariò tenetur operari aliquid in alimento, aut re alia, quam transmutare intendit, vt in hoc differat à potentiis aliis viuentis, quæ non sunt transmutatiuæ; istæ enim possunt operari cum anima citra productionem alicuius dispositionis præuiæ: at facultas ex propria natura ad transmutandum ordinata, aliquid in rem permutandam producere tenetur, quia aliter non esset naturæ transmutabilis: ad hanc igitur qualitatem terminatur in rigore coctio formaliter.

Verùm quia hæc operatio ratione constat, non sensu, ideo Philosophus non definiuit coctionem per illam, sed per caloris actionem, quam esse mani- C festam in omni coctione putauit, & dixit esse *perfectionem à calore tum naturali, tum proprio ex oppositis patibilibus*: & de hac sensibili actione quæstio procedit.

In qua mihi videtur probabilius, & doctrinæ Philosophi, & Diui Thomæ magis consentaneum, hanc perfectionem sensibilem à solo calore fieri, ita vt sine illo talis perfectio non consequeretur; loquor de concursu ita necessario, quod sine calore primo operante nulla perfectio eueniret, neque coctio alimenti fieret: ita constat ex locis adductis pro parte affirmatiua, & Aristot. 2. *cap.* sæpè *citato* dixit: *Principium perfectionis à caliditate propria accidit.* Neque aliter benè explicatur Philosophus, neque vim habere potest sequela quam infert, dum colligit, necesse esse omnia, quæ coquuntur, calidiora reddi; si enim ab aliis qualitati- D bus sine caloris operatione coctio effici posset, vnde constaret necessitas intensionis caloris in iis quæ coquuntur. Idem Sanctus Thom. *in comment. cap.* 4. dicens ita: *Coctio igitur fit à calido naturali primò, & per se; à frigido verò per accidens; frigidum enim extrinsecè circundans calidum ipsum concludit interius, & non permittit euaporare.* Et *cap.* 2. ita loquitur: *Indigestionis est duplex causa, vna per se, & hæc est frigiditas, quia contrariarum causarum sunt effectus per se contrary: si igitur caliditas est causa digestionis, frigiditas erit causa indigestionis; si verò frigiditas efficienter concurreret, & per se ad coctionem, impertinens esset cohibere calidum.* Id expressè docet Aristot. 2. *cap. citato* dicens: *vbi scilicet humor, qui torrebatur, vel elixabatur, vel putrefiebat, vel* E *alio quouis modo incalescebat, talis, tantusque euasit*; vbi clarè posuit incalescere rem, quæ talis, ac tanta redditur. Et inferius dicit: *Hoc autem omnibus contingit, cùm materia, & humiditas ipsa victa fuerit*; hoc autem est, quod ab ea caliditate, quæ in ipsa materia est, definiri solet; nihil clarius, quàm cùm in abstracto loquatur. Et rursus: *Nam ei quod concoquitur, ampliorem molem calor tribuit, & crassius, sicciusque reddit.* Est elegans locus eiusdem Philosophi 2. *de part. animal. cap.* 1. vbi sic legitur: *Sed cùm omne quod augetur, necessum sit alimentum capiat, alimentum autem omnibus ex humido, & sicco suppeditetur, quorum coctio, & mutatio non nisi per vim caloris agitur,*

fit,

sit, vt tam animalia, quàm stirpes, etsi non alia de causa, tamen ob eam rem principium naturale caloris habeant, necesse sit, id quod ipsum partibus sit pluribus accommodatum, quemadmodum cibi conficiendi administrationes.

In doctrina Galeni nihil aliod legitur, quàm omnia à calore concoqui: vnde 3. *lib. de victus ratione in acutis, comment.* 29. its dixit: *Coctioni perpetuò calidum opitulatur, confertque; frigidum verò remittitur, & aduersatur*; si ergo perpetuò remittitur frigus, nunquam confert. Estque summè adoertendus hic locus, cùm ibi agat de coctione humoris putridi, qui etsi sit calidus contra naturam, non nisi à calore coquitur. Magister noster *in part. natural. disput.* 39. *cap.* 3. tanquam certum, & indubitatum supponit, nulum ex auctoribus dixisse, quòd frigus per se coquat, & probationes ad hanc veritatem firmandam *sequenti quast.* adducentur.

Ad primum argumentum contrariæ opinionis respondeo, verum esse omne mixtum perfectum copulam primarum qualitatum exposcere: at verò coctio non est adæquata dispositio, sed partialis, & hæc à solo calore fit. Ad secundum de pluralitate specierom coctionis dicemus inferius.

Ad secundum, quod videtur difficilius, respondet Benedictus Vazquez *fol.* 593. tum temporis alimentum frigore, & aliis qualitatibus alterari, donec reducatur ad illud temperamentum, quod est accomodatum ad productionem termini coctionis: hunc tamen terminum produci à calore, qui erat in alimento; nam si esset (inquit) necessarium alterari alimentum à nostro calore, non nutrietur viuens ex illo, quod esset irrationabile; citatque nostrum Magistrum *in parte naturali, fol.* 1172. Quam solutionem probare non possum, quia nullo modo esset possibilis separatio excrementorom, neque alimenti liquatio in ventriculo; si frigore alteraretur, vt *quastione sequenti* manifestè probabo.

Secundò vrget argumentum commune, quia si coctio fieret à calore alimenti, multò melius fieret extra viuens. Patet, quia habet calorem intentiorem, cùm remittitur calor illius à frigore viuentis. Neque obstat quod respondet, id scilicet non euenire, quia indiget aliis qualitatibus viuentis, tanquam necessaria dispositione ad coctionem. Sed contra est; quia cùm illæ debeant esse primæ, poterit etiam illas ab externis accipere. Constat enim ex Philosophia, quòd solùm potest alimentum alterari per duas qualitates, eùm habeat adimpletam latitudinem contrariarum qualitatum, sicut habet viuens.

Et vrgentiùs argumentor, quia potest alimentom calidius ventriculo esse temperatum in alia oppositione, & proportionatum viuenti, & ita solùm indigebit remissione caloris, vt coquator ab interno principio. Constat verò eandem remissionem habere posse à causa externa. Tandem, quia repugnat dari alimentum eiusdem temperiei in primis qualitatibus, quam homo participat, in quo euentu coquet seipsum, quia habet calorem, & illas dispositiones, quas ex primis exposcit. Nec valet, si dicas, qualitatem à viuente accipiendam, non esse primam, sed aliam diuersæ naturæ, & hæc est, quæ disponit alimentum ad receptionem coctionis. Sed hoc est merum figmentum, & sine ratione aliqua qualitates moltiplicare.

Propterea mihi videtur aliter esse philosophandum, si sequenda est doctrina Philosophi, scilicet non commutari alimentum, quod à calore viuentis alterari nequit, quia, vt probabimus *quastione sequenti*, non est alia via, qua fiat vtile, & coquatur, quia aliter non potest fieri separatio excrementorum, neque modus substantiæ conueniens viuenti, vnde omne mixtum excedens naturalem calorem viuentis, incommutabile est, quia nequit reddi vtilius, si alteretur à frigore, quàm si nullo modo alteraretur, eò quòd nec potest per frigus cremor alimenti extrahi, neque alia requisita ad veram commutationem, vt inferius probabo.

Neque obstat argumentum adductum, nempe quòd ossa non nutriantur ex medulla. Patet, quia est illis calidior, & ita nisi à frigore eorum alterari poterit, ac per consequens non coquetur. Respondeo, coqui ab ossibus per vitalem calorem, ratione cuius sunt calidiora medullâ; eodemque modo philosophandum est in plantarum nutritione, quæ sunt frigidæ à prædominio, solùm enim commutant alimenta minus calida.

Sed obiicias vrgentius: ex vino nutrimur, vt fatentur omnes; constat verò vinum à nostro calore actuatum intendi posteà ab interno principio, quia est in potentia calidum: ergo si intenditur, redditur calidius calore viuentis, & id experimentum probat, quia post actuationem reddimur calidiores ab illo. Respondeo primò, id contra nos non esse; nam à calore de nouo accedente post actuationem fit quidquid fiet à calore viuens: saltem constat vinum nunquam actuari, nisi priùs à nobis calefiat, vt fatentur omnes. Dico secundò, quòd partes accipientes maiorem calorem per actuationem vini, quàm sit in nobis, non mutantur in substantiam viuentis, sed in spiritus, & vapores; & hæ substantiæ sunt, quæ nos calefaciunt, & actuantur ab interno principio sui: reliquæ verò partes manentes sub maiori crassitie, & quæ in vapores, & spiritus mutari non potuerunt, non sunt calidiores nobis, neque à se actuantur: vnde viuens illas commutat per proprium calorem, & illum quem accipit à partibus calidioribus vini, quæ omnes sunt medicamentosæ, & spirituosæ, conferuntque ad meliorem coctionem partium crassarum, quia totus calor ex eis, & naturali resultans, intra limites naturales existit, & ratione huius caloris accepti à vaporibus vini vinificantur corpora frigida, & senilia, vt possint meliùs alimenta commutare.

Hinc colligetis duo. Primum est, extremæ senectute confectis esse vinum inutile, quia cùm indigeat certa caloris intensione, vt actuetur, & commutari possit, eámque extremè senes non habeant, non commutatur vinum, sed potiùs corrumpitur, & in acetum vertitur, sicque exsiccat magis, & infrigidat senes, quod doctè adnotauit Valesius *lib. de sacra Philosophia.*

Secundum est, propterea generari tantam copiam succorum crudorum in senibus, quia cùm coctio à calore fieri debeat, & partes calidæ alimenti non superentur à senibus maiori calore, ideò non commutantur nisi crassæ, & frigidiores, quæ leuiori coctione, & calore remisso ad frigidos humores disponuntur.

Sed adhuc vrgebitis: si semper calefit alimentum vt coquatur, nunquam producetur pars alimento frigidior: at verò experimur, quòd ossa sint frigidiora medullâ: ergo coquitur ab eis frigore medio, alioquin non disponeretur ad os. Respondemus negando sequelam; nam quòd os reddatur frigidor, prouenit ab anima partis, quia prout os informat, non continet tantum calorem, sicut indiget ad alimenti coctionem; & ita licet in coctione adiuuetur à calore influenta, non potest in se conseruare illum calorem, & ita medulla iam informata animâ ossis, incipit ab illa infrigidari, quia non potest conseruare tantum calorem, quantum in calore recipit, imò illum corrumpit, idémque de siccitate dictum putabitis, quia sicut os est frigidius medulla, ita & siccius.

Neque obstat, si adhuc dicatis esse impossibilem talem reductionem ab interno principio animæ

nam licèt concedamus, quòd provt in osse non petit calotem à prædominio, neque illum conseruare, aut prodotere possit, non potetit nihilominus se reducere, quia semper est præsens calor vitalis, qui calorem illum produxit in osse, vt alimentum commutaret, & semper illum produeet ob eundem finem. Respondeo, negandam esse hanc perpetuitatem influentis caloris impedientis reductionem relatam; nam eùm dependeat ab agente extrinseco, non est semper inæqualis copia, neque æqualiter applieatur omoibus partibus ossis, præsertim eùm vitalis spiritus, à quo ille calor dependet, sit tam facile mobilis, & separabilis, & ita anima ossis paulatim se reducit ad frigus, & sieeitatem sibi debitam, aeqoiritque os duriciem, & firmitudinem quam habet, eamque non deperdit semel acquisitam, quia quamuis alteretur à calore spirituum, & remittatur frigiditas ossis, non mutatur modus substantiæ, eùm hic, vt varietur ex duro in mollem, ingentem requirat mutationem, quam spiritus facere nequit.

Idem intelligendum est respectu plantarum, & aliorum viuentium frigidiorum, iuuantur enim à calore Solis, & ab alio qoocumque intra latitudinem non vitiantem coctionem, & posteà ab interno principio reducuntur ad temperiem innatam, & debitam formæ; vt enim io nobis docuit Philosophus, coctionem iuuari per calorem balnei, & vestium, ita plantæ iuuantur calore solis, dependétque ab illo non minus quàm partes nostræ à vitali calore, vt doctè notauit Magister noster, quem sequutus fuit Benedictus Vazquez *lib. 1. de febrib. tract. 5. disp. 5.*

Hic philosophandi modus videtur magis consentaneus rationi, qoàm adductus à Vallesio, exponens enim ille *libello de alimento* hanc sententiam Hippoc. *medulla ossium alimentum insolubile*; putat argumentum adductum de nutritione ossium ex medulla esse intelligendum, quòd coctio fiat necessariò à calore producto à re coquente; in sua verò doctrina facilè soluitur propter duo, & quia existimat coctionem agi calore rei coctæ, & quia verius putat vltimam assimilationem alimenti non fieri media coctione, sed alteratione simplici. Itaque quando medulla mutatur in os, non coquitur, sed assimilatur, (inquit) vt quomodo ignis generat ignem, & aqua aquam: sieut ergo quæ ab igne alterantur, redduntur ealidiora, & quæ ab aqoa frigidiora; ita (inquit) possunt ealida membra frigidioribus alimentis, & frigida calidioribus nutriri.

Quam doctrinam probare non possum; nam Galen. 8. *lib. medicament. secundum loc. cap. 6.* ita dixit: *Vocatur autem alteratio ipsa vsquequò in similitudinem partis, quæ nutritur, transmutatur coctio*: vbi clarè docuit, totam alterationem vsque ad similitudinem vocari coctionem: & tùm medullæ sit tam lubrica, & mollis, & os tam durum, & siccum, & consistens, repugnat non mutari in modo substantiæ, vt in os conuertatur: & ipsemet Vallesius Galenum sequutus dixit, coctionem perfectam esse illam, quæ ad nutritionem terminatur, vt fit in alimentis; neque hic auctor soluit dubium de ealore vitali recepto in ossibus; sentiuntur enim calida à prædominio in eorpore temperato, & ita non poterunt nisi calore medio medullam commutare.

Quod verò dicebatur de materia potrida, & eius coctione, explicuimus latè *tract. de temporibus morborum*, vbi probauimus, materiam putridam à calore concoqui, & qua ratione resultet tunc febris intensior: imò ex doctrina ibi adducta Hipp. & Galen. confirmata, sumitor ratio satis efficax ad probandum, omnem coctionem à calore fieri; nam si aliqua efficeretur media frigiditate, maximè quæ versatur circa materiam putridam, eùm hæc sit tam ealida contra naturam vt causet febrem in nobis: at verò hoc esse falsum indè constat, quia nunquam ratione hui[us] coctionis febres maiores fierent. Patet, quia in contraria opinione materia putrida alteratur à frigore, vnde neque est calidior quàm anteà, neque magis euaporat; non fieri verò maiores febres, quando coquitur, planè est contra Hippocrat. 2. *lib. aphor.* dicentem: *Dum pus conficitur, dolores, & febres fiunt magis*: quod etiam *in comment.* Galenus docet. Constat verò suppurationem esse coctionem in materia putrida, & clarè constat ex proprio Galen. *libro 3. de vict. rat. in acut. text. iam citat.*

Ad illud verò quod obiiciebatur de calore vitalis spiritus, & sanguinis arterialis, respondeo, quod continetur in arteriis, vt in loco distributionis, & partes attrahunt id, quod indigent ad munera propria obeunda, & trahunt absque dubio multò magis de vitali spiritu; tum quia faciliùs trahitur, tum præcipuè, quia magis necessarius, eùm sit simplieiter necessarius ad omnia opera, indéque pars propria ealidor resultat, quàm alimentum, hoc enim est diuisum per poros partis, pars verò est tota sibi continua, quod plurimum facit ad maiorem calorem concipiendum.

Hinc patet, quid dicendum sit de nutritione partium frigidarum, & de lactis generatione ex calidore sanguine, prætetquam quòd etsi sanguis coquatur à calore mammarum, forma tamen lactis non petit ab interno principio tantum calorem sicut habuit, dum eoquebatur. Est enim communissima doctrina Philosophorum, dispositiones antecedentes, & subsequentes, non esse semper eiusdem intensionis, imò aliquando contrarias. Patet in aceti generatione facta media putredine; constat etiam in vitali spiritu, & in pituita vitrea in ventriculo genita, quem tantam habere frigiditatem vt pituita illa, viuo animali repugnat.

Sed adhuc dicetis, falsum esse quòd coctio fiat à partibus medio calore vitalis spiritus, aut in plantis à calore solis. Probatur, quia nullum opus naturale potest fieri violento instrumento; est autem violentus partibus vitalis calor, quia à principio extrinseco, passo non conferente vim, imò actu resistente. Patet id, quia plantæ in solis occasu se reducunt ab illo ealore: viuens similiter infrigidatur ab interno principio statim ac deficione spiritus; constat verò nullam formam corrumpere id quod est ei naturale ad operandum; est ergo calor ille violentus.

Respondetur, viuentibus repugnare in partibus omnibus temperiem totalem operibus omnibus necessariam ab interno principio, quia eum calore, & humiditate ad nutritionem, augmentum, & dotationem requisitis non potest eopulari durities, & firmitudo ossibus, neruis, ligamentis, & eartilaginibus debitæ ad motus locales sustinendos, & resistendum ruptionibus, & eausis violentis, quia anima provt os, aut neruum constituit, calorem & humiditatem nequit producere à prædominio, quia is emolliret partes relatas, neque firmas efficeret; ideò natura vitalem spiritum produxit ad subueniendum coctionis necessitati. Fatendum ergo est, talem calorem non esse violentum quantum ad operationem ipsarum partium, quamois partes non habeant vim conseruandi illum, quia nihil conseruat effectiuè, quod producere non potest; sic enim anima provt in musculo, aut neruo, non habet vim conseruandi qualitatem ad motum, & sensum necessariam, quamuis illa indigeat, quia non habet vim producendi illam, eodemque modo philosophandum est de calore vitali.

Sed obiicies: si coctio semper fit à calore superante alimentum, non minus conuertetur mel in bilem in corpore senili, quàm in iuuene. Patet, quia à nullo attemperatur calor mellis per coctionem, sed intenditur: illud autem est expresè contra Galen. 2. *lib. de facultat. natural. cap. 8.* dicentem: *Siquidem qui iam*

iam in flore sunt, potissimum si calidiori natura sint, aut vitam degant laboriosam, in his totum mel vertitur in flauam bilem; senibus verò admodum est accommodatum, vtpote quibus non in bilem, sed in sanguinem conuertatur. Respondetur negando sequelam; nam non quæuis caloris intensio est sufficiens, vt totum mel bilescat, sed magna requiritur, & ideò quamuis calefiat à sene, dum coquitur, non tamen in ea intensione, quæ illum in bilem commutet. Etiam habet locum solutio anteà adducta, quòd mel non alteratur necessariò secundùm omnes partes, vt fiat alimentum, sed secundùm crassiores, & frigidiores, eo modo, quo de vino diximus; & ita nimis calidæ partes, & igneæ, neque coquuntur in senibus, neque mutantur in propriam substantiam. Sed solutio prima est magis consentanea rationi.

Si tandem inquiratis, cùm calor vitalium spirituum sit eiusdem speciei cum partium calore, potestne dari aliqua pars tam calida, vt sine auxilio spiritus alimentum commotet, & coquat? Respondeo, id probari non posse; videtur tamen satis probabile ita fieri non posse, ita vt cor v. g. non indigeat calore accepto ab spiritu ad coquendum alimentum; id autem intelligendum est de calore, qui est prima qualitas; loquendo verò de calore alio quem vitalem appellant Medici, & calor reuera non est (vt tractatu de pulsibus probaui) certum est, omnes partes viuentis illa qualitate indigere, & ab spiritu accipere. Vnde seclusa hac qualitate vitali, non minus iuuabitur coctio à calore cuiuslibet alterius agentis, quàm à calore vitalis spiritus, vt docuit Philosophus 2. *cap. iam citato.*

Dicendum ergo est, omne alimentum, dum coquitur, semper calefieri à parte coquente, neque aliter posset non esse nociuus calor vitalium spirituum partibus frigidis, cùm tam intensus sit supra illas, si frigore, non calore concoquerent. Et ad firmandam hanc veritatem vtor hoc argumento: nam si alimenti concoctio fieret à toto temperamento, & qualibet qualitate indifferenter, non esset ratio cur senes non nutrirentur perfectissimè, sicut iuuenes. Patet consequentia, quia temperamentum senectutis non est minus naturale animæ, quàm iuuentutis, ac per consequens tam commodum ad opera propria, quia est tam naturale sicut quodlibet aliud ætatem constituens; nam actiones in tantum vitiantur, in quantum temperies est dissona naturæ operanti, & contra illius naturam. Quod confirmatur efficaciter, quia plantæ frigidæ ex propria natura, vt senes in illa ætate optimè nutriuntur, eo quòd talis temperies est conformis naturæ plantarum: ergo si temperies senectutis est naturalis animæ, prout in illa ætate, nutrietur non minus quàm plantæ frigidæ, & in alia quauis ætate, contrarium verò experimur; signum ergo est, calorem requirere ad alimenti commutationem.

Nec valet, si dicas, idem argumentum in plantis frigidis effici posse. Respondeo negando id, quod respectu alimenti conuenientis habent proportionatum calorem, senes verò minimè: non enim viuentia ex quouis alimento nutriuntur, sed habet quodlibet destinatum alimentum.

QVÆSTIO IV.

In quo consistat ratio, & perfectio coctionis?

SEd labor, & difficultas est, in quo consistat perfectio, & essentia coctionis, ita vt nisi à calore fieri non possit. In nostra schola fuerunt diuersæ sententiæ, nam Magister noster in codicibus manuscriptis, & Benedictus Vazquez *lib. 4. de febrib. tract. 1, disput. 6.* vt

A certum accipiunt, coctionem terminari ad qualitatem secundam pertinentem ad modum substantiæ, quæ à solo calore fieri potest: Si autem ab hoc Auctore interroges, num ista secunda qualitas, quam calor producit vt coctionis terminum, sit quæuis secunda producibilis à calore, cùm possit producere tenuitatem, crassitiem, raritatem, & densitatem: Respondet esse longè diuersæ rationis ab his, quia cùm sint istæ elementis, & mixtis omnibus communes, non possunt esse terminus coctionis viuentium, & ita necessarium esse aliam præter has assignare, vt sit vltima dispositio determinans ad formam perfectiorem. *Est* (inquit) *certum, præter primas qualitates, & secundas, quæ sunt dispositiones quodammodo communes ad omnes formas mixti, dari alias dispositiones perfectiores formis viuen-* B *tium, & mixtorum perfectorum.* Hæc doctrina nunquam mihi placuit; nam præterquam quod hæc qualitas perfectior posset in viuentibus produci à facultate coquente, & nutritiua, vt anteà docui, non probat esse necessariam pro mixtis perfectioribus; nam hæc neque se concoquunt semel genita, nec talem vim habent, neque adducitur ratio, cur in omnibus mixtis non producatur, si solùm requirit calorem vt agens, & reliquas qualitates primas vt materialem dispositionem. Verùm quod nobis displicet magis in hoc placito, est non assignare qualitatem certam, quæ appelletur perfectio, vt coctionis terminus; nam dicere terminari ad qualitatem quandam secundam pertinentem ad substantiæ modum, C sic in confuso, neque est soluere dubium, nec dignum Philosopho. Vlterius, substantiæ modi omnes sunt cognoscibiles, nam aut est mollities, aut crassities, vel densitas, leuitas, tensio, lentor, consistentia, aut his oppositæ qualitates, scilicet durities, tenuitas, raritas, laxitas, asperitas, vel friabilitas, vel liquiditas; nullus autem substantiæ modus cognoscitur, qui dispositio putetur ad formæ substantialis introductionem, & mixtis perfectis; & nihil facilius, quàm quæstiones dissoluere, diuersas qualitates secundas innominatas constituendo; aut dicant, si placet, quem alium substantiæ modum in carne genita inueniunt diuersum à dictis.

Communior doctrina est, & magis celebris temporibus nostris, esse triplex genus coctionis, & quodli- D ber eorum proprium terminum habere. Primum, & principalius est ad fructus, & viuentia omnia pertinens, quo dicuntur matura; hunc affirmant esse mediocre temperamentum cuicumque formæ viuenti debitum, illumque non habere statim à principio generationis, quia impediunt illius productionem opposita patibilia in quouis viuente data, & necessariò existentia à principiis generationis. Secundum genus est, quod habet pro termino omnem substantialem formã aptam nutrire; vnde productio formæ chyli, sanguinis, & roris est vera huius generis coctio, & terminus illius adductæ substantiales formæ. Excludunt verò à ratione coctionis dispositionem qualitatiuam omnium, disponentem ad formas prædictas, & per consequens in E hoc genere cum substantiali generatione identificant ipsam coctionem, sicut & ipsius terminum cum substantiali forma producta, aut genita. Tertium genus, vt diuersum constituunt coctionem illam, per quam materia putrida ad sedimenti formam, aut puris disponitur, ita vt terminus huius generis sit vltima dispositio qualitatiua ad sedimenti aut puris formam, coctio sit huius dispositionis vltimæ actio productiua, & forma puris aut sedimenti sit extrinsecus terminus; mirum quidem inuentum hoc saltem habens laudabile, quod satis liquidò exponat cuiusvis coctionis naturam, de quo dicemus in alia quæstione.

Communissima opinio Aristotelis & totius antiquitatis est, coctionem terminari ad vnionem partium humi

humidarum cum siccis, & hanc perfectionem media coctione adquisitam esse. Putauitque Magister, & Benedictus Vazquez, mentem Aristotelis fuisse vnire partes correspondentes elementis sub quauis parte exquisita mixti; in quo sensu explicat, & intelligit Magister noster Philosophum, vbicumque agit de coctione, & aliis passionibus mixti, adduxitque loca quamplurima; & retulit etiam Vazquez *lib.4. tract.1. disp.5.* longa disputatione: contra quam existentiam partium correspondentium elementis in quauis mixti parte egregiè pugnauit Magister *in parte naturali, fen.11. disp.7. cap.4.* Has partes siccas, & humidas appellauit Philosophus patibilia opposita in diffinitione coctionis tradita.

Ego verò sentio sine tali existentia partium eo modo, quem impugnat Magister, intelligi posse Philosophum, & dari patibilia opposita vincenda à calore. Ingenuéque fateor, nullum ex locis adductis me conuincere ad putandum ita sensisse Aristotelem; nam qui tam claram doctrinam contrariarum qualitatum adduxit, vt affirmauerit contraria mutuo se expellere ab eodem subiecto, & simul esse non posse, incredibile est, quòd asserat in quauis parte mixta dari quatuor partes elementis correspondentes, cum excessu qualitatum contrariarum, vt detur calida pars, & sicca à prædominio igneo elemento correspondens, & in hac eadem parte detur pars aquea, frigida, & humida à prædominio aquæ proportionata, & sic de reliquis elementis, & partibus. Nec mirum, demonstrationem contra adductû placitum adducere, cùm tam sit falsum, quàm quod falsissimum: id mihi persuadeo, non sensisse Aristotelem, & ex definitione contrariorum adducta, & ex propria doctrina, & ex eo quod docet *2. de generat. cap.3.* ibi enim ad constituendum numerum elementorum ita reliquit scriptum: *Cùm autem elementa sint quatuor, & eorum quæ sunt quatuor, sex sint copulationes; contraria autem simul copulari non possunt, calidum enim, & frigidum, rursusque humidum, & siccum idem non possunt; constat, quòd elementorum quatuor copulæ erunt*, &c. vbi per elementa in principio textus intelligit quatuor primas qualitates, quia istæ sunt veluti elementa corporum simplicium, seu elementorum, quia constat ex illis, vt *in comment.* Sanctus Thomas exponit, & sequitur sententiam Philosophi. Qui ergo Auctores putarunt esse impossibile in eodem subiecto coniungi calorem, & frigus à prædominio: quomodo potuerunt docere in eadem parte mixti dari quatuor primas qualitates in gradibus excedentibus.

Sententia ergo nostra est, actionem non terminari ad vnum modum substantiæ, sed nomine perfectionis intelligendus est omnis modus substantiæ debitus formæ viuentis, & hunc non posse nisi à calore incohari. Id constat primò ex adducta definitione Aristotelis, qui in definitione dixit: *coctionem esse perfectionem à calore naturali, & proprio ex oppositis patibilibus*; vbi non recensuit peculiarem perfectionem, & per consequens omnem intellexit ex victoria patibilium resultantem, per quam alimenta assimilantur. Vnde notate, quod cùm hæc assimilatio sit ad mixti formam, soli illi modi substantiæ erunt perfectio ex coctione resultans, ad quorum esse requiritur temperies primarum qualitatum, vt sic excludantur modi substantiæ, & qualitates secundæ elementis conuenientes.

Vt probetur conclusio, notate id quod omnes concedunt, omnibus scilicet viuentibus inesse quatuor facultates naturales, attrahentem, retinentem, concoquentem, & repellentem: has passim fatetur Galenus, & tota Medicorum schola: harum necessitas dependet ex nutritionis necessitate; nam quia alimentum debet trahi ad reparationem substantiæ deperditæ, &

A adquirendam debitam perfectionem, opus est trahente vi; retineri verò necessarium est, vt commutetur; indiget enim vltima applicatione in partibus ipsis; commutari verò non posse sine concoquente facultate, constat, cùm ipsa coctio sit commutatio, & assimilatio; quia verò alimenta assimilari nequeunt secundùm omnem partem, & per consequens semper deferunt secum partes inutiles, quæ commutari non possunt, opus fuit pellente virtute, vt extra corpus emittantur excrementa nutritionis, & alimentum maneat defæcatum, & purum.

Vlterius diligenter notate, alimenti puritatem in duobus consistere. Primum est, separari partes vtiles alimenti ab inutilibus, anteà quàm alimentum coquatur. Secundum est, vt pellantur à corpore iam separata, &
B hoc est expellentis munus proprium; nam expellens non separat, sed separata expellit. Prima separatio fit liquato alimento, & taliter disposito, quòd natura trahat ex illo vtilius, relinquat inutile: vt verò tractio illa, & separatio fiat, necessarium est partes mixti, aut alimenti, quod disponitur, cedere, vt tractu trahatur vtile, & separari possit à terreo, & fæculento; & vt hoc terreum proprio pondere decidat, & sic separetur à reliquis, efferuescentia quædam requiritur, vt fit in externis; nam liquato alimento, & in principio attenuato decidit terreum, quod ante liquationem & efferuescentiam cadere non poterat, quia mixtum totum erat magis consistens, & crassum; sic enim calefacta aqua redditur purior, quia si quod corpus terreum per-
C mixtum est, cadit inferius, quod aqua ante calefactionem, & attenuationem vincere non poterat ob medij resistentiam, crassitiem, & densitatem maiorem; hæc operatio præcipuè in ventriculo viget, in cuius coctione tam crassa, & terrea excrementa pelluntur, támque ponderosa, ob quod tanta potus copia in prima coctione egemus, vt auxilio illius liquato, & fluido reddito alimento crassiori, cedat terreum, & vtile, & mediocre secerni ab attrahenti possit, & ab vtili separari; non enim vt assimilet, omnia indifferenter natura assumit, sed vnit solùm quod commutari potest, reliquum inutile prætermittendo, licet omnia alteret necessariò, quia intra sphæram actiuitatis eius continetur.

Ex hoc patet, solùm calorem efficienter operari co-
D ctionem, nam frigus cùm habeat vim vniendi omnia, quæ sunt diuersi generis, & cùm omnia quæ alterat, vniat magis, & denset, repugnat ad alimenti defæcationem conducere, imò è contrà omninò illam aufert, & impedit. Idem de siccitate certissimum est, densat enim, & cogit substantiam, & sic heterogenea vnit non minus quàm frigus: ergo si alimentum in ventriculo existens alteraretur à frigore, aut siccitate, & vnirentur excrementitiæ partes, & incommutabiles magis cum vtilibus, sic nec defæcari posset, nec purius reddi; vnde per opus istarum qualitatum non fieret similius quàm antea, quia tam impurum, & fæculentum, excrementitiumque manebit, vt antequàm deglutiretur, ne dicam magis, cùm densaretur de nouo, & cresceret, nec in cremorem verteretur, vt est necessa-
E rium, vt fiat chylus. Summa ergo ratione hæ duæ qualitates excluduntur, quia coctionis, & defæcationis alimenti opifices esse nequeunt ob dicta.

Sicut ergo excrementorum, & rerum inutilium separatio ab his qualitatibus fieri nequit, ita neque vnio vtilium, quia eodem tempore fit vtraque actio; ad proportionem enim, qua calor ad segregationem inutilem confert, vnit vtilia, quia vnumquodque permittit suum petere locum, terrea deorsum cadendo, aquea similiter, & aërea. Vnde si hoc optimè contemplemur, iudicabimus, totum esse homogenea vnire, dum separat. Ita Arist. *de generat. cap. 2.* loquitur: *Calidum enim est, quod ea congregat, quæ eiusdem sunt generis*;

nam

nam segregare (id quod ignem facere aiunt) est cognata, & quæ eiusdem sunt generis, congregare; accidit enim quòd aliena eximat: frigidum verò, quod æqualiter cogit, ac congregat tam quæ sunt eiusdem generis, quàm quæ diuersi. Hæc Aristoteles. Ex quibus patet, quòd si natura alimentum alteraret frigore, aut siccitate, excrementa cum vtili vniret, sicque laboraret frustra.

Sed obiicies, ex hac doctrina non excludi à vi concoquendi humiditatem; nam hæc confert ad liquationem, & separationem excrementorum, cùm laxet, & emolliat, atque attenuet; non ergo à solo calore fit. Respondeo, alimenti liquationem non esse coctionem, sed præparationem necessariam in alimento, vt possit natura assumere vtilia, & ab inutilibus excrementia separari: post verò incipit coctio, quæ à solo calore fit, cùm potiùs sit opus vt eam humiditatem assumat, vt fiat coctio, & alimentum consistentiam acquirat, media qua disponitur, vt in viuens vertatur, ob quod passiuam vocauit Aristoteles substantiam humidam, aut humiditatem, quia terminatur termino alieno, & fit à calore.

Sed rursus cùm varia alimenta sumantur, & in qualitatibus primis, & secundis, & modo substantiæ diuersissima sint, & nullum alimentum detur quod sit vniformis naturæ, sed heterogeneum, aut propriè, aut impropriè; propriè heterogeneum voco, quod est tale ex propria natura, vt sunt alimenta omnia ex viuentibus sumpta; impropriè verò, quod habet diuersorum entium mixtionem, quam ex propria natura non petit; cum verò alimentum nullum sit à sensitiuis sumptum, quod viuens non fuerit, aut ex viuente desumptum, & per consequens heterogeneum, necessarium est à calore alterari, vt omnia tam diuersa reducantur ad vnum modum substantiæ vniformis, quod nisi a calore fieri non potest; hic enim permiscet tenuia cum crassis comminuendo, & mouendo tenuia illa miscet inter se, ita vt ad vnum modum substantiæ reducat, vt sic introducatur conueniens dispositio, vt per poros, & adstrictissimas vias alimentum in partes omnes distribuatur æqualiter; hic autem vniformis modus in modo substantiæ, qui propriè leuitas appellari potest, necessariissimus est alimento; primò, vt fiat iusta dispositio æqualis parti nutrienti; secundò, quia cùm partes nutriantur vt similares, & vt sic habeant vniformem modum substantiæ, & eandem temperiem in partibus proportionalibus, necessarium est alimentum heterogeneum, & alimenta diuersa reduci ad vnum succum, & vniformem modum substantiæ, vt conuenienter disponantur ad nutritionem similarium, quæ secundùm partes, & modum substantiæ vniformes omninò sunt: nulla autem qualitas ex primis, nisi calor id munus complete potest; nam frigus, & siccitas densant, & concretionem causant; nihil fæculentum separant, sed omnia vniunt diuersa, vt sunt in se, neque ad vnam formam contraria reducere queunt, sed vt diuersa, & contraria vniunt, & seruant.

Præter dicta debet habere alimentum lentorem quendam; nam alioqui commodum alimentum non est. Est expressa sententia Galeni 1. *de facultat. naturalib. cap.* 11. (quem locum adducemus posteà) vbi docuit, hydropicos nutriri pessimè, quia ad conuenientem lentorem alimentum non est redditum. Vnde in partibus omnibus, & succis hominis temperati experimur pinguedinem esse, & lentorem: quis enim non mirabitur ossa tam dura, & sicca præparare sibi vnctuosam medullam, vt alimentum idoneum? est etiam in sanguine sua pinguedo, in lacte, & semine, ita vt ex ossibus per instillationem oleum extrahatur; & quid mirum si extrahatur à metallis? Habet autem natura duplicem finem in productione lentoris, & pinguedinis. Primum est dare (vt ex Galeno dixi) conuenientem alimentis dispositionem, vt partibus

A nutriendis agglutinetur, sicque commutari possit; nam cùm alimentum, dum vltimò disponitur, non recipiat viuentis formam, sed distet, quia non recipitur, vt in parte alimenti seorsim existere possit; ideo est necessaria vltima applicatio, vt distantia non sit, quam facit lentor, pinguedo, & vniformis modus substantiæ in alimentum: sic enim adhæret, agglutinatur, & applicatur æqualiter, vt producta tota superficie vniatur parti viuenti. Alius finis est duratio maior, quam sub lentore viuens acquirit, dissoluitur enim difficillimè lentum ob fortem permixtionem humidi cum terreo à calore factam, teste Aristotele; constat verò resolutionis differentia inter humidum, aqueum, & lentum. Si igni applicentur oleum, & aqua, prius absumi-
B tur aqua tota, quàm pars sensibilis olei; sic enim olea folia non spoliatur rigore hyemis, quo denudantur arbores ferè omnes, ob lentorem quidem, & pinguedinem maximam. Requiritur verò maxima illa mixtio sicci, & humidi, quia lenta omnia, & pinguia lubrica sunt, & æqualia nimis; vnde vt producatur lentor secunda qualitas æqualitatem illam in modo substantiæ requirit; vt enim ad leuitatem tenuitas, & raritas tenentur præcedere, ita ad lentorem, & pinguedinem vniformitas in modo substantiæ præcedit vt dispositio. Hunc verò vniformem modum substantiæ, vt in alimento introducatur lentor, nulla prima qualitas nisi calor ex diuersis producit, & causat, nam ille solus fermentat, crassa eliquat, nimia tenuia ad mediocrem consistentiam perducit, sicque vniformia omnia reddit, dum humiditate iuuatur, vt moueat, feruorem causet, sic-
C que per minima admisceat, sicque per artem, quæ diuersæ naturæ, & modi substantiæ sunt, attrita, & motione plurima vniformia, redduntur homogenea, & similia in modo substantiæ: hic ergo est principalis effectus, & perfectio maxima, ad quam terminatur coctio alimenti; producere (inquam) vniformem substantiam, lentam, & pinguem, vt sic alimentum conueniens partibus similaribus, & viuens duret quammaximè, quia plus habet pinguedinis, & lentoris, & & plus durat, quia minus resoluitur, & exsiccatur: docuit verò Arist. 2. *de generat. cap.* 2. lentum fieri ob fortem permistionem humidi cum sicco, excedere tamen humidum. Et Sanctus Thomas *in com-*
D *ment.* sic loquitur: *Cùm enim humidum patitur commixtionem subtilis terrei, est vnctuosum, & fit lubricum, quia subtile terreum sibi commixtum non permittit separari eius partes.*

Nec obstat, si dicas hoc non stare cum iecoris coctione, cùm heterogeneos & diuersos humores media coctione producat. Sed certè aliud est diuersa producere, aliud verò productum quodlibet esse à se ipso diuersum; iecur quidem quatuor humores producit, sed quilibet humor homogeneus est in se, & partium similium, si naturalis est; certumque est, quòd alimentum, magis accedit ad coctionem vltimam esse vniformius & similius, nimisque iam defæcatum, quia plus accedit ad naturam viuentis.

E Sed dicet aliquis, nos necessariò concedere partes correspondentes elementis sub quauis parte mixti, cùm permixtionem humidi, & terrei admittamus, vt lentor causetur, & homogeneum, vniformeque alimentum reddatur. Respondetur negando sequelam: nam ad dicta opera satis est alimenta diuersa assumi habentia necessariò diuersum modum substantiæ, & excrementa plurima separanda; nullum enim alimentum vniforme datur in rerum natura, vt constat, sed aut multis substantiis permixtum, vt sit ens per accidens; aut heterogeneum ex se, quia fuit ex viuente desumptum, & quia quodlibet viuens habet peculiares modos substantiæ in quauis parte, & in toto, qui in alio conuenire non possunt: ideò quodcumque alimentum eget coctione certa ad nutritionem huius

viuentis

opposita intelligere ea solùm quæ in principio generationis habentur.

Sed quod mihi videtur difficile est, puerum si constitueretur in primo esse absque patibilibus oppositis, coctum manere, & habere eandem temperiem, ac habet, quando post annum 14. coctus remanet; non enim contendo modò, an dentur patibilia opposita in prima generatione; sed quod assero est, quod etsi non darentur talia, maneret puer nihilominus crudus. Probatur efficaciter, quia si puer in primo esse absqoe patibilibus oppositis coctus maneret, & esset perfectus, non posset augeri, & crescere à primo esse magis quàm augetur, & crescit post 14. annum. Patet, quia impedimentum augmenti nascitur ex siccitate, & caloris remissione, sed ex siccitate magis. Vnde si puer ita siccus, & calidus produceretur in primo esse, vt est in anno decimoquarto, eodem tempore veniret ad exsiccationem illam impedientem augmentum, quia causæ exsiccantes eædem sunt in eodem tempore, ab eisdem enim exsiccaretur infans statim, à quibus exsiccatur post annum decimumquartum, & ita in simili tempore incideret in eandem siccitatem, & caloris remissionem, & per consequens non augeretur plus à primo esse quàm augetur ab anno decimoquarto, aut tempore quo coctus manet. Hinc celebrata Galeni doctrina, quam sine dissidio sequuntur omnes, ætatem pueritiæ esse distemperatam, non esse tamen reducendam ad temperatam, ne impediatur augmentum pueri. Constat verò temperiem constituentem pueritiam esse naturalem formæ, & ab interno principio productam, vt cum Magistro tota schola fatetur: intemperies ergo illa non nascitur ab oppositis patibilibus, sed ab ipsa anima; & ita si non essent patibilia opposita, maneret nihilominus crudus puer, quia anima ab interno principio tenetur producere temperiem accommodatam ad augmentum, & conuenientem proceritatem corporis, latitudinem, & profunditatem, quæ deficerent, essentque diminutæ, prout humanæ naturæ debetur, si coctus, & siccus produceretur statim. Ob duplicem ergo rationem ab interno principio crudus, & tam humidus produceretur puer, & propter augmentum, & propter durationem maiorem: de augmento iam diximus: de duratione constat, quia cùm intereat homo naturaliter ratione siccitatis, & frigiditatis, si ita siccus, & calidus produceretur, vt est quando perfectè coquitur, citiùs veniret ad temperiem senectutis, sicut venit citiùs à decimoquarto anno, quàm à primo die natiuitatis, & ita etsi concedamus patibilia opposita, impertinentia sunt ad cruditatem constituendam; nam anima ipsa ad augmentum, & durationem maiorem superfluam humiditatem producit: loquor verò in opinione Magistri; in alia verò illud temperamentum humidum, & minus calidum in infantia producitur à semine sic disponente materiam viuentis, vt augeatur, & duret magis.

Et confirmatur: quia si cruditas illa esset propter patibilia opposita, & conueniret statim à primo esse infantem coctum produci, ita vt nullum inconueniens ex hoc sequeretur, liceret Medico omni arte, & ingenio resoluere, & absumere illa patibilia opposita, & contraria victus ratione, exsiccante scilicet, & calefaciente, intemperiem productam ab oppositis patibilibus corrigere. Patet, quia est violenta viuenti; & nullum inconueniens sequitur in contraria opinione ex eo quòd puer producatur statim coctus, & perfectus; hoc verò est contra communem Medicorum doctrinam, dicentium, pueris alimentum humidum esse exhibendum, & tale constituit ei natura, lac scilicet, vt conseruentur magis sub illa humiditate natiua, vt sic augeantur perfectè, & viuant diutiùs.

D. Petr. M. de Heredia de Febribus.

A Prætereà non video, vnde constet in pueris, & fructibus, aliisque viuentibus dari necessariò prædicta opposita patibilia; nam cùm semen fiat ex materia tam cocta, & perfecta, nec in illo (in corpore ad iustitiam temperato) sicut nec in sanguine cognoscantur partes tam diuersæ naturæ, & repugnantes viuentibus, non est vnde resultent illa patibilia opposita, & hoc tantò magis repugnat, quantò per coctionem generantur viuentia; & excrementa, si quæ sunt, expelluntur ad membranas ambientes fœtum, & intestina: neque est credibile hæc patibilia opposita à primo esse accepta, durare vsque ad annus 14. Si enim sunt capacia, vt transmutentur in viuens, & habeant veram alimenti rationem, non retardant magis quàm quodvis aliud alimentum iam coctum, id est, mutatum in sanguinem, **B** aut rorem, vel aliam humiditatem secundam: constat verò hæc alimenta nullo modo retardare productionem conuenientis temperamenti, sicut illud non remorantur sanguis, ros, & aliæ humiditates quotidiè genitæ; imò cùm hæc alimenta generentur iuxta temperiem viuenti conuenientem; sintque verè cocta, non habebunt aliam temperiem à causa producente illa, sed ideò erunt humidiora, quia viuens generans illa est eo tempore humidius.

Si verò sint purè excrementa, sine ratione conceduntur in prima formatione in tanta copia, vt vsque ad decimumquartum annum duret illorum expulsio. Vnde enim in viuenti tam paruo, vt in primo esse, formatur tanta excrementorum copia, vt per annum decimumquartum euinci necessarium sit? **C** In qua recipiuntur parte? Quod vitium assignatur intra vterum, à quo tanta illuuies intra tam paruum corpusculum intromittatur? Quod vitium in materia temperati corporis, ex quo ob repugnantiam non mutetur in viuens? Admirabilis enim, & fœcundæ virtuti formatrici, semini iam defæcato, & sanguini hunc euentum adscribere consentaneum non est. Quod si contemplemur excrementa relicta post partum in matre, colligemus clarissimè vim expultricis infantis, eiúsque efficaciam, & inde constabit illius interna puritas.

Et probatur efficaciter, quia ex semine & sanguine non sunt concedenda alia excrementa, nisi quæ conceduntur in tertia coctione, cùm sint iam vera alimenta, & purissima. Rursus omnes partes viuentis primò formatæ crudæ sunt reuera; **D** in omnibus verò ponere excrementa imbibita impedientia temperiem debitam, sine ratione asseritur: impediretur enim necessariò, cùm essent intra poros imbibita, & totus puer obstructus produceretur, quia per totum corpus haberet excrementa disseminata.

Intelligendum ergo est per patibilia opposita omne illud, quod indiget emendatione, aut per alterationem, aut expulsionem, siue à principiis generationis relinquantur intra viuens, siue postea assumantur, ex quibus remaneant; materiam enim dissimilem, circa quam versantur coctiones vt patibile, intelligere oportet, illa enim vincitur, & superatur per coctionem: & vt sunt diuersæ partes concoquentes, & diuersa, quæ hanc mutationem accipiunt, ita sunt diuersæ perfectiones in rebus coctis, **E** vt optimè adnotauit Niphus *in expositione 2. cap. iam citati*, dicens: *Omne quod est digestum, prius fuit imperfectum, & per coctionem perficitur*; dicitur autem vnumquodque mixtum perfectum, cùm venit ad supremum gradum perfectionis, ad quem peruenire potest, vt homo dicitur perfectus, ac digestus, cùm peruenit ad virilitatem. Et inferius ita loquitur: *Mustum dicitur perfectum, cùm venit ad vini perfectionem summam: hoc autem describitur, cùm aptum est fini, ad quem ordinatur naturaliter; sic humor cùm intra apostema coquitur, aut disponitur, vt possit expelli, & cibus cùm adquirit dispositionem,*

A *vt possit conuerti in substantiam nutriti, & sic in reliquis.* Vnde constat, quòd licet alimeotum coouersum in chylũ sit coctum, eo modo quo potest, à ventriculo, & respectu illius dicatur possibilem perfectiooem accepisse; tamen quia ordinatur talis commutatio, vt vertatur in sanguinem, & hic vt mutetur in torem, & tos vt mutetur in membra, oon dicitur alimentum summam acquisiisse perfectionem, vt tale, vsquequo obtineat vltimam dispositionem, qua mutetur in viuens, vt semper dicatur alimentum crudom in rigore, quousque attingat perfectionem vltimæ dispositionis, per qusm vltimò ad viuens disponitor: sicut infans, etsi semper coquatur, & perficiatur, dicitur crudus, vsquequo factus est vir, aut habeat semen fœcundum; quod expresſè docuit Philosophus immediatè post definitionem ad- B ductam, dicens: *Nam cùm quid coctum est perfectum, ac genitum, sic materia putrida, quæ coctilis est, tunc est vltimatè perfecta, cùm acquisiuit omnem perfectionem à nostro calore concoquente illam, & reducente ad benignum;* quam explicuit Niphus per hoc, quod est reddi apta ad expulsionem, quia tunc demonstrat iam acquisiisse vltimam perfectionem, ac coctionem possibilem; nam natura retinet vsquequò finiat coctionem, & quia illa finita finitur & intentio, ideò iam est apta materia, vt possit expelli, quia vt benè pellatur, debet cessare retentio; sic (vt dixi antea) infans coquitur vniendo sibi perfectiorem substantiam io ordine ad opera, & quia illam acquirit medis coctione alimenti, dicitur coquere seipsum: non quidem quia substan- C tia prior viuentis sub cruditate existens eadem numero coquatur: hoc enim fieri nequit, vt antè docui, quia respectu partis iam formatæ forma viuentis non datur coctio, quia nec noua vnio, nec separatio alicuius excrementi vi alterationis factæ in parte viuente ab interno principio; & ita constat patibilia opposita nullo modo esse causam, vt statim à primo principio generationis non habeat viuens medioere temperamentum: sed id petere formam ipsam, vt duret magis, & conuenientem acquirat magnitudinem.

QVÆSTIO VI.

D *An definitio coctionis conueniat omni coctioni corporis humani?*

COquitur alimentum primò in ventriculo, & mutatur in chylum, deinde chylus per coctionem mutatur in sanguinem, rursus sanguis mutatur in rorem, qui diuersam habet naturam, prout est diuersitas partiũ in corpore; nam respectu cuiusque particulæ diuerso modo alteratur sanguis, quia in membra diuersa permutandus est. Coquitur rursus materia putrida in febribus, in tumoribus præter naturam, & in aliis partibus. Inquirit ergo quæstio, an hæc definitio, *coctio est perfectio à calore tum naturali, tum proprio ex oppositis patibilibus*, conoeniat omni coctioni ex dictis? an ve- E rò solùm coctioni, qua perficiuntur, & coquuntur viuentia, & fructus post primam generationem, in qua non habuerunt perfectam dispositionem, vt diximus præcedenti quæstione.

Et pro affirmatiooe, vt in adducta quæstione insinuaui, & probaui ex doctrina Philosopi ponentis exempla definitionis adductæ in alimentis, materia putrida, & omni alio, quod à calore natiuo perficitur in ordine ad viuens, eo modo quo perfici potest: in qoem sensum intelligitur Galen. s. *de vict. rat. in acut. comment.* 44. dicens: *Intelligentibus nobis coctionis nomen in suo vniuersaliori significato:* est autem vniuersalios cùm naturæ causis fortior fuerit, permutaueritque suo ro- A bore. Ratio à priori est, quia perfectio adducta in definitione non attenditur, nisi in ordine ad viuens, ad quod perficiendum ordinatur omnis coctio, & ex quauis perficitur; nam per vltimam coctionem, per quam vltimò alimeotum ad viuentis formam disponitur, perficitur acquisitione substantiæ, qua roboratur, & restaurat id quod continuò deperdit: per omnes alias coctiones acquirit etiam perfectiones sibi debitas, quæ se habent vt media ad acquirendam substantiam per nutritionem. Viuens itaque perficitur per quamcumqoe coctionem intrinsecè, vel extrinsecè, & id quod coquitur, perficitur, non quidem in ordine ad se, cùm corrumpatur potiùs; sed in ordine ad viuens, ad quod ordinatum est à natura omne alimeotum: & quia in B principio est dissimile, & habet necessariò partes excrementitias incapaces, alias verò capaces ad nutriendum, ideò in quauis coctiooe dantur hæc excrementa vt patibilia separanda, & partes coquendæ vt patibilia vincenda, & mutanda io viuens media coctione: & qoia omne id negotium medio calore agitor, vniendo conuenientes partes, & separando inutiles, ideò omnis *coctio est perfectio à calore tum naturali, tum proprio ex oppositis patibilibus, quæ sunt vnicuique materia*, id est, vnicuique parti concoquenti, quia quæuis pars suam separationem, & vnionem molitur; separat quidem incommutabilia, vnit verò quæ io viuens permutari possunt. Idem ex Galeno colligitur ex loco quem adducunt aduersarij pro confirmanda sua opinione; 6. enim *de vulg. morb. sect. 5. comment.* 6. ita C dixit: *Per coctionem* (intelligente Hippocrate scilicet) *omnem adductionem ad mediocre temperamentum, & non determinatam speciem coctionis, vt illam mediocritatem explicuit exemplo fructus maturescentis; & id clarè constat, cùm explicet, qualiter morbos pendentes ex humoribus calidis ex iuuentute affligentes medeatur, & corrigat natura in senectute per temperiem frigidam senectuti propriam, in qua ætate maturitas esse non potest, benè tamen coctio, id est, moderatio temperamenti calidorum humorum, ita vt per frigus remittatur calor intemperatus illorum.* Vnde tantum abest quod loquatur ibi de maturatione, quod putem, neque de propria aliqua coctione loquutum fuisse, sed de impropriissima, in quantum per frigus senectutis non generantur biliosi humores, etsi aliqui maneant ex anteactis ætatibus attem- D perati, & minus mordaces facti, redditique crassiores non fluant, vt anteà, in partes, quas assueuerunt, & qoieti minus alterent, quæ bona præstat senectutis frigiditas.

Ex dictis colligitur, definitionem addoctam à Galeno 3. *de fac. natur. cap.* 3. dum dixit: *coctionem esse alterationem in propriam eius, quod nutritur, qualitatem,* conuenire omnibus coctiooibus in nobis inuentis, & etiam illi, quæ in materia putrida omninò fit; nam per omnes coctiones alteratur subiectum in propriam qualitatem nutriti, quia per omnes assimilatur. Vnde adducta definitio coincidit cum adducta ab Aristotele, *est perfectio à calore, &c.* Constat, quia perfectio à calore producta est qualitas in alimento conueniens E viuenti, quod nutritur, quia omnis coctio est via ad perfectionem adæquatam, quam intendit natura, nutritionem scilicet.

Sed quòd illa definitio Aristot. non conueniat omoi coctioni, probatur. Primò quia perfectio, quæ loco generis videtur poni io contraria opioione, dicit necessariò perfectionem intrinsecam debitam subiecto in suo esse; hæc verò accidere nequit, si alimento in veotriculo cocto, sanguini, & materiæ putridæ conueniat; nam istæ non sunt perfectiones intrinsecæ viuenti, cùm sobiectentur in externa materia. Constat ex verbis Arist. dicentis: *statim enim ac aliquid coctum est, tunc perfectum, & factum est*; sicut ergo fa-

ctum

ctum non potest intelligi, nisi in ordine ad esse intrinsecum, ita nec perfectum intelligi potest nisi in ordine ad idem esse, quod per coctionem perficitur, & per consequens nulla materia extra viuens cocta comprehendi potest adducta definitione.

Secundò efficaciter probatur; nam perfectio coctionis est, quæ aufert imperfectionem inductam per cruditatem: sed imperfectio cruditatis est in ordine ad esse, & operationes: ergo perfectio coctionis in ordine ad esse, & operationes intelligenda est, & hoc in nostra opinione videtur habere vim maiorem; nam docuimus antea, imperfectionem, & cruditatem in puero nasci à propria forma, seclusis patibilibus oppositis: ergo cùm viuens, quod modò crudum est, & existebat, intrinsecè coquatur, deinceps necessariò dicetur coctio illius intrinseca perfectio in ordine ad esse, & operationes.

Tertiò, quia si nomen *perfectio*, intelligatur in ordine ad diuersos fines substantiales, aut accidentales, æquiuocum nimis est, nec importat rationem aliquam communem, in qua conueniant ea, quæ perficiuntur. Constat verò tam doctum auctorem, qualis fuit Aristoteles, non posuisse loco generis æquiuocum nomen, quia per illum non patefaceret, sed obscuraret potius coctionis naturam.

Sed hæc argumenta licet habeant aliquam vim contra Vallesium, non tamen contra nos; nos enim non dicimus pomum perfici quando coquitur, aut maturatur, quia in ordine ad esum accommodatius, perfectusque sit; nihil enim coquit seipsum in ordine ad alia, sed in ordine ad proprium commodum, & perfectionem, & esse. Asserimus ergo, coctiones omnes, quæ in viuentibus fiunt, esse perfectiones ab eo productas in ordine ad esse; & quia omnes has coctiones viuens operatur medio calore, ideò omnem coctionem esse perfectionem à calore naturali, & proprio. Fatemur etiam omnem coctionem ordinari ad intrinsecam perfectionem vltimatè, quia omnis ordinatur in separationem substantiæ, aut debitæ absolutè, aut loco deperditæ. Dixi debitæ absolutè, quia etsi puer nullo modo resolueretur, augeretur absque dubio, & alimenta concoqueret, & mutaret, vt acquireret esse perfectum; esse verò perfecto iam acquisito, si non resolueretur, aut esset opus reparatione spirituum, non nutriretur, nec alimenta concoqueret, quia non traherentur, propter defectum finis: nam cùm perfectum iam sit omninò quod coctum est, totaliter cessat omnis finis tractionis alimenti; quia verò semper deperditur aliquid illius perfectionis, ideò natura nunquam cessat ab alimenti tractione, vt recuperetur deperditum.

Circa quod duo notabitis. Primum est, quòd quamuis natura per coctionem semper intendat perfectionem viuentis, non intendit semper eandem formaliter; nam à primo esse vsque ad perfectam maturationem intendit acquirere, quod potest viribus naturæ, scilicet perfectiorem substantiam, & perfectius esse, vt sic collectiuè habeat omnes operationes perfectiores; nam omnem perfectionem copulat acquisita maturatione perfecta, ita vt nulla sit in illa ætate læsa: at verò postquam iam fuit puer maturus, intendit recuperare quod ab illo statu deperdidit; quia, vt dixi, si nihil deperderet, cessaret omnis coctio, & nutritio, & has formalitates respiciens Arist. dixit 3. *cap.* 4. *Meteor.* maturitatem esse coctionem alimenti, quod est intra fructum, & hanc esse illius perfectionem, quia nondum habuit vsque ad illam coctionem semen fœcundum: & sicut fructus maturatur commutando alimentum, quod secum adfert, ita puer maturatur per coctionem alimenti, quod interius assumit; non enim potest infans coqui, & maturus fieri, commutando solùm alimentum internum, sed maxima eget adiectione per externa alimenta assumpta: vnde coctio durans per totum tempus, quo fœcundus efficitur puer, maturatio appellatur, post verò non dicitur talis, sed coctio absolutè, quia non terminatur ad acquirendam perfectionem non habitam, & debitam sibi, sed in reparationem deperditæ perfectionis iam obtentæ, & ob hanc rationem formalem, quam includit maturitas, fuit necessarium definiri seorsum post definitam coctionem in communi, licet in illa definitione etiam comprehendatur maturitas secundùm rationem genericam, vt dicit perfectionem causatam à calore naturali, & proprio.

Secundum, quod notare debetis, est id quod docuit Magister noster *in parte naturali*, *disp.* 38. *fol.* 1111. putauit enim cum Auicenna *fen* 21. *lib.* 3. *tract.* 1. *cap.* 2. non posse fieri alimenti conuersionem, neque nutritionem, nisi præcedat substantiæ viuentis resolutio, ita quòd si iam formato puero nihil illius resolueretur, nec fieret attractio alimenti, & per consequens nec coctio. Quod mihi improbabile omninò apparet; nam quamuis viuens post primam formationem nullam resolutionem pateretur, nutriretur nihilominus, & alimenta attraheret. Ratio pendet ex dictis, quia esset finis necessarius, nempe vt fieret perfectus, maturus, & vir, possetque sibi simile generare: nam si iustam magnitudinem in primo esse non accepit, nec integram perfectionem, nutrietur necessariò ad illam acquirendam, falsumque existimo nutritionem semper ordinari in reparationem deperditi; nam in mea opinione non minus ordinatur in acquisitionem debiti, quàm in deperditi reparationem. Et probatur, quia ex eo nutritur occasionaliter propter resolutionem, quia per illam deficit, quod viuenti est debitum; sed quamuis resoluatur aliquid post primam formationem, deficit viuenti quod ei debetur, scilicet iusta magnitudo, quia intra vterum illa habere non potuit: ergo mouebitur ad illam adquirendam, & debitam perfectionem motu augmenti, & nutritionis. Et confirmatur, quia si attractio alimenti, & nutritio essent subordinatæ resolutioni, non esset maior attractio, neque nutritio, quàm resolutio præcedens, & per consequens in hac opinione non augeretur puer, quia non attrahit plus quàm resoluatur; vt enim se habet defectus totalis resolutionis ad omnimodam cessationem nutritionis, ita se habet partialis resolutio ad partialem attractionem, & nutritionem; vnde necessariò proportionarentur, indéque fieret, nunquam infantem augeri vero augmento, quòd plus acquirat, quàm deperdiderit, quod est manifestè falsum.

Et ita doctrina Magistri, Auicennæ, & Galeni, quos pro se citat, nempe quod si nihil à nobis efflueret, nullo alimento egeremus, solùm est sequenda post acquisitionem perfectionis, & integræ maturitatis, non tamen ante statum perfectum. Et ratio ex dictis constat, quia etsi infans vsque ad maturitatem plus augetur, quàm resoluatur, non mouetur ad hanc actionem per solam resolutionem, quia sic non plus apponeret quàm fuisset resolutum: at plus apponit: ergo habet finem, ob quem plus apponat; non est autem alius finis nisi acquisitio perfectionis, & magnitudinis sibi debitæ, quam in primo esse habere non potuit, ita vt resolutio in infante nihil faciat, nisi retardare illam perfectionem: acquireret enim eandem & citius, etsi nullo modo resolueretur.

Quando ergo Galen. 1. *aphor. comment.* 15. ita loquitur; *idcirco enim ad hoc deueniunt, vt egeant alimento, quoniam euacuantur; quod si nihil a corporibus nostris efflueret, sed semper aqua moles substantiæ seruaretur, nulla foret alimenti necessitas*; ita intelligendus est; id est, si debitæ quantitatis, & substantiæ nulla fieret resolutio, nulla foret alimenti necessitas; quia ergo alimenta euacuantur omni tempore, eo quòd

indigent, ideò alimento fuit opus; & in eodem sensu intelligendus est in omnibus aliis locis, in quibus docet, quòd si non esset resolutio aliqua, non esset alimenti indigentia.

Ad secundum argumentum respondetur, cruditatem necessariò conuenire puero in principio formationis, & etiam necessariò illi conuenit, & debetur perfectio acquisita vltimatè per maturationem, hanc verò acquiri per vnionem alimenti iam cocti: & quia omnes alimenti coctiones ordinantur ad hanc, vt ad finem, ideo omnes sunt perfectiores à calore naturali, & proprio, & omnibus conuenit definitio coctionis. Certum enim est, eandem dispositionem vt remissam, intensam non habere naturam diuersam, si ordinantur omnes gradus ad eundem finem vltimum, vt tendit omnis viuentis coctio. Vnde patet resolutio ad tertium argumentum, non enim æquiuocè dicitur perfectio de coctionibus dictis, cùm omnes sint eiusdem naturæ, solúmque differant secundùm magis, & minus. Neque obstat produci diuersas formas substantiales mediis his coctionibus, vt chili, sanguinis, & roris; nam præterquam quod ad vniuocam rationem id nihil refert, dispositio secundùm magis, & minus differens in ordine ad formam perfectionis, potest intermedias generationes habere, ita vt id quod adæquatè disponit ad formam sanguinis, aut roris, sit inadæquata dispositio ad formam viuentis, & eiusdem naturæ.

Ex dictis colligite, omnem coctionem rigorosè sumptam respectu viuentis esse quid extrinsecum, quia omnis fit in materia externa: quia verò quando hæc vltimò disposita est per coctionem, vt viuens introducatur, & vniatur illi, resultat perfectio intrinseca post vnionem ratione substantiæ de nouo vnitæ: ideò omnis coctio appellatur perfectio, & dicitur viuens coquere seipsum, quia sibi vnit quod anteà concoxit, nec est alius modus in nostra opinione, quo ipsum seipsum coquat, nisi vniendo sibi nouam materiam: nam si supponamus ab interno principio aliquid produci ab anima, non coquitur per illud, quamuis reducatur ad meliorem temperiem; quia vt diximus, non quælibet dispositio est coctio, sed certa, quam iam explicuimus, & in parte viuente fieri nequit.

Conueniunt ergo omnes, res coctas vniuocè conuenire in hoc, quod est participare partialem dispositionem viuenti debitam, quia id quod producit facultas concoctrix, viuenti soli debetur; dispositio verò requisita, vt hæc producatur, est temperies determinata, aut substantiæ modus à calore productus vincendo patibilia opposita, vt retulimus anteà: vnde & materia putrida iam cocta, & correcta à natura, eandem naturam coctionis participat, licet remissam, quia à calore naturali fit, & eius partes, natura intendente talis materiæ assimilationem, vt in reliquis alimentis; incapacitas tamen illius obstat, quominus totaliter assimiletur, vt fatentur omnes; illam verò incapacitatem induxit putredo.

Idem dicendum existimo de alteratione, per quam fit naturale sedimentum, non enim habet diuersam formam specificè à sedimento facto ex materia putrida, id enim clarè constat ex similitudine accidentium; nam quodlibet est album, & leue, & æquale, cum certa corpulentia, & crassitie; quòd verò naturale sedimentum fiat ex sanguine optimo, aliud verò ex sanguine putrido, nihil obstat, quia termini à quibus, accidentales sunt omninò ad specificationem: idem enim est ignis in specie factus ex ligno, & factus ex quauis materia, eo quòd res absoluta ad nullam aliam ordinata à propria natura specificatur, & non per ordinem ad aliquid extrinsecum. Vnde non video cur constituentes particulare genus coctionis in materia putrida, denegent aliud, & non collocent sub eodem coctionem naturalis sedimenti? Non enim plus assimilatur partibus coquentibus sedimentum morbosum, quàm naturale. & ita ignoro, quomodo sedimentum morbosum peculiare genus coctionis constituat, non verò coctio inducta in parte alimenti incapace, vt omninò viuenti assimiletur, licet remissè coquatur, vt coquitur etiam materia putrida.

Debile satis mihi videtur fundamentum Manardi, quo fuit motus ad asserendum definitionem Galeni dicentis, *coctionem esse actionem facientem cessare putredinem*, non posse conuenire aliis coctionibus corporis, quæ non fiunt in materia putrida; id enim ingenuè fatemur, quia coctio non definitur à Galeno vt est talis secundùm esse absolutum, sed eam definiuit in ordine ad effectum accidentalem, ablationem scilicet putredinis; ad hanc tamen auferendam non vtitur natura diuerso coctionis genere, sed eodem quo naturalia alimenta permutat. Et clarè conuincitur opinio contraria; nam omnem coctionem terminatam ad formam substantialem debitam vt medium ad nutritionem, sub secundo genere collocat, vt coctio terminata ad formam chyli, sanguinis, aut roris: quid tamen tollit, posse definiri quamlibet ex his peculiari definitione, quæ aliis coctionibus eiusdem generis conuenire non possit? vt si Galen. diceret, coctio est actio mutans alimenta in chylum; hæc enim esset verissima definitio, & non competeret nisi huic determinatæ coctioni factæ in materia certa; constituit ergo peculiare coctionis genus, quia sub his nulli alij competere potest. Rursus verè Galenus diceret: Coctio est actio permutans sanguinem in rorem, & his verbis explicata nulli alij coctioni competeret: constituit ergo peculiare genus coctionis. Habeatur ergo vt ridicula assertio Manardi, qua instituet ideò constituere peculiare coctionis genus actionem facientem cessare putredinem, quia soli materiæ putridæ conueniunt verba Galeni, cùm nec sit definitio vera coctionis, sed descriptio omninò accidentalis tradita per id quod contingens est omninò naturæ coctionis, vt nullo modo necessariom ad illius naturam; & ita quamuis illud contingens certæ materiæ solùm conueniat, coctio tamen, per quam aufertur, eadem est cum reliquis, quibus alimenta conuertuntur in substantiam aliti.

Improbabile rursus mihi videtur, in secundo genere coctionis terminum illius esse substantialem formam chyli, sanguinis, aut roris; nunquam enim legitur in Auctorum doctrina, coctionem indentificari cum substantiali generatione, neque esse actionem instantaneam, & indiuisibilem, sed magis, & minus suscipere. Vnde Magister noster *in parte naturali*, *fol.* 695. agens de coctione prima dixit, esse impertinens ad illud, quòd alimentum muret formam: neque Galenus illam definiuit nisi per alterationem in conuenientem qualitatem, & nescio quo fundamento dispositio producta in alimento ad chyli formam suscipiendam, & in chylo ad formam sanguinis excludatur à natura coctionis, si ponatur vt tertium coctionis genus dispositio ad formam sedimenti in materia putrida, & in primo genere collocetur temperamentum mediocre: durum enim videtur in Philosophia, alterationem, per quam materia putrida assimilatur viuenti in accidentibus, constituere genus peculiare coctionis, & non esse coctionem veram alterationem, per quam natura assimilat omninò alimentum. Præterea si primum genus coctionis, quod præ cæteris perfectius esse fatentur, ad qualitatem terminatur, & temperamentum mediocre, sicque fatentur esse alterationem; cur in secundo genere alteratio assimilans excluditur à ratione coctionis? Et confirmatur vrgenter: Ea quæ se ipsa intendunt, sunt eiusdem naturæ, & speciei: sed qualitates, quas viuens in alimento produxit, intenduntur per temperamentum productum à forma in primo genere: ergo

sicut

ficut illa vlterior intensio est coctio primi generis, ita & dispositio alteratiua, quæ in alimento anteà fuit producta. Patet consequentia, quia est dispositio terminata ad eandem formam perficiendam, & non differunt, nisi per intensum, & remissum. Sic explicatur ratio firmissima: Quando natura partis proprium rorem disponit, intendit per talem alterationem introducere temperamentum quod habet; quia verò propter distantiam quantitatis non potest totum quod in se habet producere, ideò forma introducta in alimento producit quod pars alterans non potuit: si ergo hæc temperies à forma producta coctionem constituat, cur non constituit temperies, quæ anteà in rore producebatur; cùm sit similis parti coquenti, & intendatur à tempore producta à forma in eadem materia? Rursusque comprobatur hæc veritas, quia temperamenti mediocritas non minus constituitur per temperamentum, quod in alimento viuens produxit, quàm per illud temperamentum quod producitur postquam alimentum in viuens fuit commutatum; ergo ficut gradus intensiores constituunt rationem coctionis, ita inferiores. Patet consequentia, quia sine remissis non esset temperamentum mediocre cum solis intensis: ergo sicut omnes concurrunt ad illam mediocritatem, ita omnes constituent in illa opinione idem coctionis genus: neque est assignabilis ratio, cur remissi gradus sint excludendi à ratione actionis.

Quis præterea non videat coctionem esse effectum facultatis coquentis, & rursus esse vnicam actionem simplicem, non verò aggregationem plurium? quod fugere nequit adducta opinio, cùm temperamentum mediocre per plures qualitates diuersæ naturæ constitui possit, & debeat. Tandem reductio ad debitum temperamentum post generationem est commune quid elementis, quibus coctio denegatur ab omnibus, & coctionem terminari ad primas qualitates negauit antiquitas tota; quia cùm sit mistorum passio, & propria viuentium, non potest habere quid commune cum elementis; simplex enim alteratio ad temperiem primarum terminata coctio esse non potest, quia est omnibus rebus communis. Iam verò diximus anteà, quòd Galenus 6. *lib. Epidem. citat.* non definiuit aliquam propriam coctionem, cùm ibi agat Hippocr. de correctione calidorum morborum in iuuentute affligentium, quorum moderatio in senectute nullo modo fit per veram coctionem.

QVÆSTIO VII.

A quo calore fiat coctio?

IN adducta definitione dixit Philosophus, *coctionem esse perfectionem à calore tum naturali, tum proprio:* & circa hoc dubium non est; nam cùm omnis coctio sit assimilatio quædam viuenti conueniens, & viuens assimilet per naturalem calorem, & proprium, non per violentum, ideò coctio fit à naturali calore: constat autem id esse intelligendum vt à prima radice, & causa productionis alterius caloris, quo alimentum disponitur, vt mutetur in viuens; nam calor in alimento receptus per viuentis actionem clarum est quod sit violentus ipsi alimento, quamdiu sub propria forma alimenti durat.

Dubium itaque est, vtrum alimenti coctio fiat à calore ipsi alimento naturali, an verò ab illo qui est in viuente? Et in nostra opinione respondetur facilè, semper fieri vt à prima radice, vt diximus à calore coquentis, quod est dicere; nunquam coquitur alimentum

A absque eo quod alteretur primò à calore viuentis; quia, vt probaui, semper coctio fit à calore originatiuè, & cùm calor qui erat alimento naturalis, nequeat in illo nouam fermentationem, aliumve modum substantiæ causare, neque separare excrementa terrea, neque aquosum resoluere, neque de nouo vnire homogenea, ideò repugnat à calore, qui erat alimento naturalis, & internus, coctionem effici: itaque omne alimentum necessariò debere alterari à calore viuentis, tenendum est, & nunquam sufficere calorem conuenientem alimento ex propria natura.

Sed iam semel alterato sic alimento, fermentatio illa, & leuigatio, seu reductio ad vniformem, & mediam naturam sufficienter fit à calore qui ex natiuo alimenti, & illo quem ab animali, aut viuente accepit,
B componitur. Ratio Philosophica est, quia omnes effectus secundarij, & secundæ qualitates, quæ per emanationem fiunt in proprio subiecto, semper dependent efficienter à primis qualitatibus in illo existentibus, vt quando ignis aquam calefacit, attenuatio, & raritas aquæ fiunt à calore aquam informante. Id patet euidenter in reductione aquæ ad antiquam naturam; nam dum ab interno principio reducitur, fitque crassior, & densior, istæ qualitates dependent, & fiunt à frigore interno, quod propria forma produxit, & non ab aliquo extrinseco.

Quod si dicas, neque id constare, quia talis reductio non datur sine eo quod medium frigidius existat. Sed contra est, quia aqua in vacuo constituta idem produ-
C ceret, si semel fateamur, vt fatentur Philosophi, formam naturalem cuiuscumque entis internam habere vim producendi in proprio subiecto illud, quo indiget & secundum naturam debetur. Neque minus constat reductio, & vis interna animæ ad producendum ab interno principio ex frigore, quod in rigoribus febrium, aut vehementi timore experimur; nam etsi sit aër calidissimus & incidat æger in rigorem febrilem, percipitur frigidissimus per partes externas, & tanto magis, quanto vehementior fuerit passio.

Itaque omnes secundæ qualitates, & secundarij effectus semper fiunt à primis subiecto inhærentibus, quamuis multi existiment, quòd si agens externum sit præsens, concurrat ad secundarios effectus, vt ignis calefaciens aquam non solùm producit in illa calorem,
D sed etiam raritatem, tenuitatem, & leuitatem.

Ex qua doctrina colligitur, in omni opinione esse dicendum, quòd coctio fiat à calore rei quæ coquitur, siue terminetur ad secundam qualitatem, siue ad peculiarem substantiæ modum; nam quæuis ex his entitatibus producitur à temperamento primarum in ipsa re existentium: quia verò docuimus, viuentes partes non coqui verè, & propriè, postquam iam sunt formatæ, ideò omnis coctio fit à calore rei, quæ coquitur immediatè, mediatè verò à calore viuentis. In primo conueniunt Vallesius, & alij quamplures; nos verò ab illo differimus, quia negamus coctionem fieri posse à calore proprio, & natiuo alimenti tantummodò, sed necessariò fieri asserimus ab vtroque, & natiuo alimenti, & ab eo quem à viuente accepit. Aristoteles
E verò dum dixit fieri à calore naturali, & proprio, intelligitur de calore mediato in viuente præexistente, & alimentum alterante; nam medio illo alimentum assimilat, quo vnito coquitur viuens, sicut coquitur fructus in opinione Aristotel. per conuersionem alimenti, quod interius continet.

Quòd verò calor productus in alimento viuente concurrat ad illius coctionem, probatur contra Valles. quia ad formam chili est requisitus non minus quàm calor internus alimenti, & ex illo, & ex proprio alimenti resultat vnicum agens totale, quia vniuntur ad productionem modi substantiæ secundæ qualitatis,

& ad moderationem partium humidarum cum ficcis: ergo coquet non minus quàm calor internus aliment. Et confirmatur vrgentius, quia supponit doctrina Vallesij, omne alimentum habere intrinsecum calorem sufficientem, vt in chylum permutetur, quod est præter rationem, cùm respectu aliarum primarum qualitatum id sit falsum: sicut ergo indiget alimentum siccius humectari, & humidius exsiccari, vt in eo resultet coctio, & dispositio ad viuens, ita possunt dari alimenta frigida, quorum calor sit tam remissus, vt non sit viuenti conueniens, neque potens ad coctionem. Et constat clarè, quia tota intensio caloris, quæ est homini naturalis, concurrit ad disponendum alimentum, & coquendum illud; nam quidquid producitur à viuente in alimento, est viuenti naturale: ergo quidquid operatur in alimentum, disponit ad viuens. Cùm ergo coctio sit dispositio propria viuentis, & violenta alimento, resultabit proprius à calore producto à viuente, quia is est violentus, & extrinsecus alimento.

Vlterius: calor coquens, & disponens ad viuens, necessariò requirit determinatam intensionem, vt à minori non fiat: ergo si alimentum ex propria natura non habeat tantum calorem, repugnabit coqui sine extrinseco calefaciente; habere autem omnia alimenta tantum calorem, vt seipsa conficiant, & coquant in ordine ad requisitam temperiem homini, & cuicumque alteri viuenti, nescio vnde possit constare Vallesio.

Præterea cùm coctiones fiant à diuersis gradibus caloris in diuersis viuentibus, & idem alimentum concoquatur à multis, dicendum est in opinione Vallesij respectu omnium habere quodlibet alimentum calorem capacem, vt coquatur, & tot viuentibus fiat proportionatum, quod est irrationabile.

Prætereà non videtur, qua ratione Vallesius non opponatur Astristoteli; nam si ab interno calore alimenti coctio fieret, non constaret ratio Arist. quòd omnia quæ coquuntur, redduntur calidiora. Vnde enim vim haberet sequela: panis coquitur ab interno calore sui: ergo redditur calidior vi coctionis, & hoc præcipuè videtur improbabile, quando alimentum infrigidatur à ventriculo; nam cùm tunc remittatur in eius opinione calor alimenti, quamuis coquatur ab eo qui remanet, non reddetur calidius, cùm remittatur calor, qui erat alimenti internus. Quod argumentum tam difficile visum fuit Valiesio *libello de aliment. fol.* 303. quod ne videretur Aristoteli contrarius, dubitat, num quando os ex medulla nutritur, accipiat aliquam concoctionem medulla, de quo inferius.

Prætereà, quia si calor alimenti internus solùm coquit, & non concurrit viuentis calor, non vitiabitur coctio per calorem additum à viuente. Constat verò id esse falsum, cùm coctio deprauetur ob maximum calorem ventriculi, vt in nidorosa cruditate constat quotidiè: ergo sicut deprauatur coctio per additum calorem ventriculi, ita poterit adiuuari, & perfici à calore eiusdem, quia si non lædit aliter quàm intendendo alimenti calorem, ita perficit, & coquit, quando proportionatam intensionem in alimento producit viuenti debitam.

Nec mihi videtur verè soluisse dubium contra se positum, nimirum non posse idem ab interno, & proprio calore corrumpi; nam cùm sit naturalis, semper conducit ad conseruationem, non vt mutetur in aliud. Respondet Vallesſ. gratia acquirendi formam perfectiorem fieri posse: probat exemplo seminis corrumpentis seipsum, vt mutetur in viuens: mustum etiam se ipsum corrumpit media coctione, vt in vinum mutetur. *Idem* (inquit) *patet in fructibus, qui ab interno calore maturantur.* Sed nullum ex adductis exemplis satis confir-

A mat quod vult; nam imprimis semen non est propter se, sed ordinatur semper à natura, vt in viuens mutetur: reliqua verò viuentia sunt per se ipsa, & non gratia alterius, & adhuc de semine est controuersia, cùm multi putent constare crassis, & tenuibus partibus, & tenues agere in crassas, quæ non sunt verè partes in rigore, sed mixta diuersa, & hoc admittunt, ne admittant aliquid ab interno principio corrumpi, cùm omnis desitio sit violenta, & eo ipso nequeat fieri ab interno principio. Quod de musto dicit, non constat corrumpi, vt transeat in vinum, sed illius feruore decidere partes terrestres, & crassas; aquosum verò resoluit, sicque per separationem rerum diuersarum vini substantiam apparere. Fructus verò in maturatione non corB rumpi per se, constat; imò perficitur per propriam nutritionem, vt docuit Arist.

Vbi notandum est, quòd Benedictus Vazquez reprehendens Vallesſ. doctrinam, incidit incautè in eandem doctrinam; non enim potuit soluere dubium à nobis allatum in sua opinione; putat quidem coctionem fieri à calore rei coquentis, & cùm esset argumentum, quòd quando sumitur calidus ventriculo, refrigeratur, & coquitur: ergo tunc dicendum est à calore proprio alimenti concoqui. Respondet ita esse, conuictus argumenti difficultate, de cuius solutione iam diximus.

Alium modum philosophandi habuit quidam recentior; dicit enim quòd actio coctricis pendet ab anima; existimat enim coctionem esse actionem Solis viC uentibus debitam: vnde constat, quòd cum æquiuoco consistat, id est, sit actio æquiuoca, quia pendens ab anima, & terminatur ad qualitatem; hincque procedere, quòd possit fieri coctio alimenti calidioris à ventriculo minus calido; nam æquiuocæ actiones non proportionantur in intensione virtuti instrumentali: & ita cùm calor sit instrumentum animæ ad coquendum, potest anima cum remisso calore alimentum calidius commutare.

Quæ doctrina non minus æquiuoca propter obscuritatem censenda est, videturque improbabilis; nam sequeretur, quòd anima si coquit absque caloris productione, quod non minueretur coctio ob calorem diminutum ventriculi; nam si calor coquit non calefaciendo, sed à propria forma eleuatus, vt ipse putat, non D repugnat calorem remissum eleuari, vt eleuatur intensus, cùm non minuatur animæ virtus ex remissiori, aut intensiori calore.

Secundò falsò supponit, posse in materia externa produci medio calore aliquam secundam qualitatem, aut substantiæ modum, absque eo quòd prior calor calorem producat; nam secundarius effectus nunquam fit ab aliquo agente; quin prius operetur primarium: nunquam enim in externis experimur, corpus liquari, rarefieri, aut leuius reddi, nisi prius reddatur calidius, quia effectus relati sunt secundarij caloris, & non possunt efficienter ab eo fieri, quin primarius efficiatur, quod est calefacere, aut informare subiectum quod liquat, attenuat, &c. Et hoc habet contra se E magnam vim, cùm fateatur coctionem terminari ad secundam qualitatem simplicem; aqua enim calefacta præter naturam, tenuior facta, & rarior à calore violento, non priùs antiquam crassitiem, aut densitatem sibi debitas comparat, quàm ab interno principio infrigidetur, illud verò effici posset, si non esset opus à forma aquæ produci priùs primas qualitates. Nec poterit dictus auctor in producta opinione commodè interpretari Aristotelem dicentem, omnia quæ coquuntur, reddi calidiora, si absque caloris productione posset alimentum concoqui.

Ex dictis colligite, eodem modo esse philosophandum in nostra opinione, respectu coctionis materiæ

putridæ,

putridæ, fieri scilicet à calore existente in materia putrida immediatè, & originatiuè à calore membrorum; quomodo autem si calor ille remissus constituebat materiam putridam, non putrefiat magis, quando à calore partium alteratur, & intenditur, explicuimus latè *tractatu de temperibus morborum*: quomodo verò generentur animalia ex putrefactione terræ, est res difficillima omnium, de qua *tract. de Putredine*.

QVÆSTIO VIII.

Vtrum quæ coquuntur, semper reddantur calidiora?

Hvius quæstionis resolutio in opinione quam sequimur, iam est ferè explicata: probauimus enim ex doctrina Philosophi, & Galeni, omnem coctionem à calore fieri, & indè colligitur clarè omnia quæ coquuntur, calidiora reddi; id autem intelligendum est in ipso fieri coctionis, & prout dispositio ad coctionem perfectam, per quam vltimò sigillatur materia ad formam viuentis suscipiendam; nam si intelligatur Aristoteles de re cocta in sua dispositione, quæ post formæ substantialis introductionem, ad quam disponit, subsequitur, omnes fatentur, non omnia cocta reddi calidiora, vt patet de offe ex medulla nutrito, de lactis generatione ex sanguine, & de pinguedine, aliisque partibus frigidis, in quibus post formæ acquisitionem temperamentum frigidius experimur, quàm esse in alimento, ex quo nutriuntur medi a coctione. Id quod diximus videtur constare ex rigorosa significatione verborum Arist. secundum translationem Vatabli, quæ ita habet: *Quæ verò coquuntur, crassiora euadant, atque calidiora necesse est.* Itaque omnia coctio in alimento fit à calore fieret operante, & disponente illud antecedenter, & ita omne alimentum, dum ad viuans disponitur, calidius redditur; etsi non repugnet, vt diximus, post introductionem substantialis formæ, ad quam disponit, calorem remitti, qui coctionem fuit operatus, quia forma adueniens non petit tantum calorem ad perfectum esse illius, quantum ad coctionem antecedenter requirebat.

Quia verò diximus viuentia coqui per acquisitionem substantiæ perfectioris in ordine ad opera, meritò dubitabitur, an respectu huius coctionis reddatur viuens calidius: quod intelligendum est solùm respectu temporis, in quo puer redditur vir, & fructus maturantur; nam de hoc coctionis genere putant auctores quidam locorum fuisse præcipuè Arist. imò in nulla alia coctione veritatem doctrinæ admittunt. Rationem suæ doctrinæ confirmant, quia pabilta opposita durantia in sua opinione à principio generationis vsque ad perfectam maturationem, sunt aquosa, & terrestria, & per consequens temperamenti frigidi. Vnde solùm impedient emanationem impedientis caloris, non verò alterius qualitatis, & per consequens separata, & expulsis illis excrementitiis substantiis, resultat ab interno animæ principio calor intensior debitus formæ.

Hanc doctrinam impugnauimus antea, cùm nullatenus admittamus hæc pabilia opposita durantia vsque ad perfectam maturationem. Vlteriùs, quia dato quod essent, non esset coctio vera reductio illa ad calorem maiorem, quia nullo modo terminatur coctio ad aliquam ex primis qualitatibus, cùm sit passio mixtorum secundùm expressam Philosophi doctrinam, & inde conuenire nequit qualitatibus, quas elementa participant, nec intensio producta ab interno principio, cùm sit tam passiua, mutat substantiæ modum in parte viuente. In nostra igitur opinione dicendum est,

A fructus, & pueros calidiores per coctionem reddi extensiuè, & intensiuè; intensionem verò resultare secundariò. Ita explicatur assertio. Quando coquitur infans, vult sibi media coctione alimenti substantiam calidam, non minus quàm erat ea, cui vultur adueniens: nam Galenus eundem calorem in tribus primis ætatibus posuit, & cùm tempore maturationis plus substantiæ calidæ acquirat, quàm resoluatur, necessarium est extensiuè reddi calidiorem; quia verò quo plus vnitæ substantiæ, & quantitatis habet idem numero agens, tanto efficacius alterat, & minus repatitur à contrariis frigidis, resultat calidius temperamentum in partibus, quia illud quod plus amittebat viuens per repassionem, dum erat in quantitate minori, habet intra se ab interno principio, dum est sub

B maiori quantitate, & sic calidius redditur ab interno principio.

Sed dices, Galen. apertè contradicere huic expositioni, quia si posuit in tribus primis ætatibus eundem calorem, non potest stare cum hoc, quod Aristoteles docet, scilicet per coctionem res calidiores reddi, & nos docemus modo per maiorem quantitatem acquisitam reddi viuens interne calidius, quia minus repatitur à contrariis frigidis. Respondeo, quòd Galenus posuit eundem calorem non quantum ad intensionem, sed quantum ad constitutionem eiusdem ætatis, hoc est, etsi varietur intensio, non variatur ita, vt ratione illius noua ætas constituatur, vt contingit in siccitate, & ita puer, adolescens, &

C iuuenes ratione caloris non mutarent ætates, quia non est variatio sensibilis in illis, vt ad ætatem mutandam requiritur, licet physicè sit reuera adolescens calidior puero. Benè video Galenum putasse eandem intensionem caloris esse in tribus primis ætatibus immoderatæ naturæ, vt expressè docet 1. *de tuenda sanit. cap.* 12. Sed neque fundamentum adductum ab eo tam certum est, vt demonstrationem faciat, & ratio adducta à me in Aristotelis explicationem eum eius auctoritate leuis non est. Doctrina ergo Philosophi dicentis: *quæ verò coquuntur, crassiora euadant, atque calidiora necesse est*, colligitur ex alia assertione, dum docuit, coctionem à calore fieri, & per consequens omnia, quæ coquuntur, calidiora reddi.

D Sed dices: Neque adducta doctrina vera videtur in plantis, & viuentibus à prædominio frigidis; nam cùm talia vniant sibi, dum maturantur, substantiam frigidam à prædominio, necessariò erunt frigidiora post augmentum, quia plus retinent frigidæ substantiæ, & ita doctrina adducta ab Aristot. nisi omnia viuentia constituantur à prædominio calida, vera esse non poterit: quod verò talia non sint, latè probatur à Magistro *in parte naturali*. Respondetur, quòd viuentia frigida à prædominio sunt absque dubio minus frigida matura, quàm dum cruda existebant, & ita per coctionem calidiora reddi, id est minus frigida: id autem dependet, quia semper disponitur alimentum efficaciori calore, quàm in principio erat.

Quod vt intelligatis, notate, omne viuens à prin-

E cipio exsiccari, vt latè docet Galenus: rursus ex Philosophia accipite, siccitatem esse limam caloris; & ita calor adiunctus siccitati operatur feruentiùs, quàm si humiditati copuletur: quantò ergo plus exsiccatur viuens, tantò cum eodem calore operatur intensius in alimentum commutandum, ita maiori intensione disponit iuuenis alimentum, quàm adolescens. Et probatur, quia eum eodem calore siccior existit; non ergo est mirum quod tandem veniat in fine coctionis adolescens ad maiorem calorem, quàm puer, quia siccioři substantia operatur.

Neque obstat, si dicas, nunquam esse calidiorem, quàm in pueritia, quia adhuc nec ratione siccitatis adiunctæ producit in alimento plus caloris, quàm

sit in illo formaliter. Respondetur, quòd in mixtis corporibus respectu eiusdem passi quantò per mai rem calorem disponitur, tantò etiam subsequens est maior, quia ratione antecedentis dispositionis intensioria vincitur melius passum, vt adueniens forma calorem intensiorem producat, quàm si in alimento, aut passo minus bene, aut remissiori calore dispositio introduceretur: id clarè constat in sanguine ex lactucis genito, & ex melle, aut ex pane, qui etsi sit eiusdem speciei infimæ, & forma petat eandem intensionem caloris ex se, tamen quia in lactuca ob frigus resistens disposita fuit materia cum minori calore, quàm in pane resistente minus, ideo forma in materia lactucæ introducta per resultantiam non producit tantum calorem, vt in materia panis, quamuis forma eadem sit: ita eodem modo philosophandum est in viuentibus omnibus, quæ cùm perpetuò exsiccentur, semper disponunt alimentum maiori calore, quàm in primo esse, & ita forma introducta potest ab interno principio, quia est magis disposita materia, maiorem calorem producere, quàm esset in viuente antea formaliter, & hac ratione optimè explicatur doctrina Aristotelis, quòd omnia, quæ maturantur, calidiora fiant.

Neque obstat, si dicas, senea, vtpote sicciores, debere esse calidiores ob eandem rationem. Respondetur enim negando sequelam; quia deficit magna caloris pars, & ideo etsi sicciores, non reparant substantiam tam calidam. Ex dictis in principio huius quæstionis soluuntur multa argumenta contra adductam doctrinam repugnantia, vt de lactis generatione ex sanguine, de animalis spiritu ex vitali, de pinguedine, &c. nam omnia hæc, & alia, quæ adduci poterant, sunt frigidiora materiâ, ex qua per coctionem fiunt; sed hoc, vt dixi, contingit, quia noua forma inducitur, quæ non requirit ad sui esse tantum calorem, sicut ad fieri, quia cùm sine coctione fieri non possit, & hæc à calore causetur, propter adductas rationes requirit ad fieri sui calorem maiorem, quàm postea ad esse, & conseruari. Idem de pituita, & melancholia dicendum est, sicut de ossibus, vt iam explicuimus, & etiam de sedimento materiæ putridæ.

De sedimento verò in sanis dubitatur similiter, an fiat per veram coctionem? & respondeo affirmatiuè, nam si Galenus putauit, sedimentum ex materia putrida fieri per coctionem impedientem putredinem, non est cur non fiat per eandem actionem sedimentum sanorum. Et ratio à priori est quia similiter qualitates in vtroque sedimento inueniuntur, & eodem modo significant vtrumque facultatis coquentis. Neque obstat, quod sedimentum ægrorum sit aliquantulùm fœtidum; nam illum fœtorem non participat ratione coctionis, sed ratione putredinis, quæ in materia præcessit. Vnde nunquam mihi placuit doctrina probantium pus fieri per mediam actionem coctionis & putredinis participem, quia in illo inueniuntur qualitates vtramque actionem significantes; putredinem quidem significat fœtor, coctionem verò albedo, crassities, leuitas, & æqualitas.

Certè si sedimentum ægrotantium, aut pus in parte inflammata sine antecedente potredine in materia fieret, aliquam probabilitatem argumentum haberet; verùm cùm semper putredo præsupponatur in materia, ex qua sedimentum, aut pus fit; inanis satis videtur argumentatio, quia cùm non possit omninò materia denudari à qualitatibus, quas antea obtinuit, ita remanet aliqualis fœtor à putredine antecedente inseparabilis.

Neque obstat, si dicas omnem putredinem per coctionem cessare posse, & per consequens omnem fœtorem. Primum constat, quia omnis febris cessat, quando perfectè suppuratur inflammatio: ergo & omnis

A putredo. Respondeo primò ex totali defectu febris non constare, quòd omnis putredo fuit sublata per coctionem; nam ad causandam febrem requiritur putredo maior multò, quàm ad fœtorem inducendum. Dico secundò, quòd si omninò auferatur putredo, nullus adhæret fœtor, & sæpè experimur, nullum fœtorem in pure extractum apparere; quando verò apparet, ego non colligo, vt fecit Galen. per putredinem factum fuisse, sed potius, quod coctio non omninò emendauit putredinem, aut pus detentum post perfectam coctionem cœpisse de nouo corrumpi ob prohibitam ventilationem. Dum itaque Hippocrates *in opere prognost.* docuit: *pus optimum debere esse album, leue, & æquale, & quamminimè fœtidum*, loquitur de illo quod ad præ-

B sagiendam salutem sufficit; & de illo quod frequentissimè apparet, quia, vt notaui, est difficillimum, quod natura totam auferat putredinem.

QVÆSTIO IX.

Vtrum quæ coquuntur, sicciora, & crassiora reddantur?

HÆc duo vnica quæstione breuiter aperientur, quia vterque effectus ab eodem principio nascitur. Arist. 2. *cap.* citato ita reliquit scriptum: *Nam et quod*

C *concoquitur, ampliorem molem tribuit, & crassius illud, ariditisque reddit*: cum quo dicendum est ita contingere; & constat ratio ex dictis: nam dum calor coctionem intendens fermentat alimentum, & substantiam conuenientem reddit per alterationem, separando excrementa priùs eliquat, vt conuenientem permixtionem efficiat mox vniendo, & reddendo vniforme alimentum, mediante calore resoluit aquosum superfluum, & euaporabile, sicque incipiunt quæ coquuntur, crassescere & sicciora reddi. Intelligendus est Aristoteles de parte illa, quæ assumitur à calore, vt in viuens mutetur, quæ cùm primò sit liquata, & deinde consistentiam conuenientem acquirat, vt in viuens mutetur, hocque calefacta patiatur, exsiccatur continuò resolutis partibus humidis, & aquosis: vt enim retulimus antea, alimentum per coctionem ac-

D quirit lenturem illum, quo partibus adhærescit, sine quo vitiatur nutritio; vt verò ille causetur, fortem permixtionem humidi cum sicco requirit, vt docuit expressè Philosophus, & cùm talis permixtio fortis à solo calore fieri possit, necessariò resoluitur aquosum, & semoto agente humido, quod remanet, redditur siccius ab interno principio, & inde crassius, quia siccitas semper condensat, & incrassat mixta; at quod etiam conducit id, quod antea dicebamus, viuens scilicet perpetuò exsiccari, & ita reparatur per coctionem substantia siccior, & solidior, crassiorque toto tempore maturationis. Vnde necessariò quod iam coctum est, solidius manet, & ampliorem molem acquirit, vt dicebat Philosophus: quia verò sola actio calo-

E ris in quantum absumit humidum aqueum, quod mixtum indefinitum, aut alimentum reddebat, satis erat ad exsiccationem, & crassitudinem; idcò dixit Arist. *nam ei quod concoquitur, ampliorem molem calor tribuit, & crassius illud, sicciusque reddit.*

Hæc doctrina intelligetur facilè, si attendatis coctiones viuentis: quis enim non mirabitur post duas celebratas coctiones in ventriculo & iecore, esse necessariam separationem humiditatis aquosæ à massa sanguinaria, & per vrinam expelli: cùm ergo tanta aquosa superfluitas redundet, & excrementum post duas coctiones, quid mirum, esse necessariam actionem caloris segregantis tantam humiditatem ab alimento, & quæ imbibita remanet, absumat; & inde ad lentorem,

lentorem, consistentiam, & soliditatem alimentum deducat, sine quibus vltima coctio in viuente non agitur. Rursus vt alimentum penetret omnes partes viuentis, & per vias arctissimas in omnem partem nutriendam distribuatur: hanc serosam substantiam esse necessariam confitetur Galenus, vt indè constet, in omnibus coctionibus esse necessariam actionem caloris, vt excrementorum aquosum resoluat, & reliquam humiditatem ita permisceat, vt reddatur vniforme alimentum, lentum & consistens, vt sic adhærens membris facillimè in viuens mutetur, idque constabit, si potius quantitatem nobis vsitatam aduertamus, & copiam quæ in ventriculo cum alimentis miscetur, quam ita calor permiscet cum illis, vt inde succus extrahatur conueniens, ita vt necessarium fuerit rentibus inesse facultatem seligentem, & separantem prædictam humiditatem, ne indefinitum alimentum maneret, & esset nimis fluidum, & sine lentore, indeque ineptum nutritioni.

Hæc est operatio caloris satis manifesta, quam Arist. docet 2. *cap. citato*, perspicuéque explicatur, quomodo coctio à calore celebretur, & sit illius perfectio, non vt faciunt multi secundam qualitatem constituentes, & machinantes, quam neque explicant, neque explicare possunt, oportebatque auctores huius sententiæ probare, posse calorem in mixtis producere qualitatem illam, & non in elementis, aliquodque signum adducere, ex quo colligeremus hanc qualitatem secundam in mixtis causari, quam appellant coctionem. Aristoteles verò eximius Philosophus manifestum effectum explicuit, qualitatum occultarum oblitus. Neque obstat quod de partibus correspondentibus elementis in quauis parte mixti contra ipsum obiiciunt: nam præterquam quod non constat in sensu, quo impugnatur, loquutum fuisse, imò neque existimo in mentem illius venire potuisse, experimentum docet, perpetuò in nobis superesse excrementa ex quauis coctione, vt inde intelligamus reductionem alimenti ad vniformem naturam, & excrementorum separationem, esse effectus proprios caloris, cùm hic solus fermentet, & permiscendo per minima ea, quæ sunt diuersa, vnius modi, & naturæ faciat, vt sic attemperata proportionentur partibus similaribus, & sint alimentum conueniens.

Inde constat omne alimentum iuxta doctrinam Philosophi, semper habere in principio permutationis aliquam humiditatem superfluam, cuius occasione permixtio, & læuigatio fiat; & quia hæc à calore causantur, ideò exsiccari per accidens resolutione substantiæ humidæ, & dum coquitur, crassius, & siccius reddi, quàm erat anteà; ad quod opus non est necessarium concedere in quavis parte mixti esse illas quatuor substantias cum temperamento igneo, aqueo, terreo, & aëreo; sed satis est, nullum mixtum, quod sit alimentum, hucusque inuentum fuisse similare omninò, vt sunt alimenta, sed aut heterogenea ex propria natura, aut semper esse imbibita entia diuersa in alimentis, quæ sumuntur, vt inde colligamus necessitatem illius permixtionis, & vniformitatis in substantiæ modo, vt ita sit vniforme, & proportionatum nutritioni partium similarium, & ad hanc vniformitatem terminari coctionem, prout à calore causatur, & est manifestus effectus. Adductam conclusionem tenet expressè Galenus 4. *de victus ration. comment.* 4. dicens: *Coctio enim omnia cogit, incrassatque*: in comment. sententiæ Arist. ita loquitur: *Coctio accidit, quando calidum vincit humidum, quod est materia coctionis, quia solum humidum est quod terminatur naturaliter à calido, & propter hoc necesse est ea quæ sunt digesta, esse sicciora, & grossiora propter euaporationem, & terminationem humidi factam à calido.*

Ex dictis patet, quàm paruam vim habeant ea quæ

A ex doctrina Magistri nostri *fen. 1. 1. disput. 4. cap. 8.* obiicit Benedictus Vazquez contra Arist. & Valles. Nos enim non negamus, neque negarunt illi, crassitiem, tenuitatem, raritatem, & densitatem esse qualitates secundas ortas ex primis, & in elementis inuentas citra partium diuersitatem. Sed quod asserimus est, alimenta omnia, quæ à viuentibus disponuntur, habere illam heterogeneam naturam, & per consequens indigere vniformitate illa, & læuigatione, vt mutentur in partes similares, & hanc dispositionem à solo calore comparari, & inde crassescere omnia quæ coquuntur vi huius coctionis: nam vt dixi anteà, solus calor hunc effectum præstare potest efficienter, licet humiditas plurimum conducat dispositiuè, in quantum tractabilem, mobilemque reddit, vt sic partes crassæ, & te-

B nues permixtæ per minima vniformem comparent naturam, & adinuicem alteratæ vniformem substantiæ modum acquirant.

Et inde constat, cur partes, in quibus principales coctiones celebrantur, sint calidiores reliquis, vt cor, iecur, & ventriculus; in istis enim alimenta, & sanguis alterantur efficacissimè, & indè multa emanant excrementa, estque summa distantia inter substantias, quas prædictæ partes accipiunt, & illas quas generant, vt distat panis à chylo, chylus à sanguine, & hic à vitali spiritu, & sanguis arterialis à venali: & quia reliquis partibus iam distribuitur alimentum ab his principalibus præparatum, & vniforme redditum, ideo partes reliquæ minore calore egent, quia simile ferè

C alimentum distribuitur, vt indè Vallesius putauerit, aut minima, aut nulla coctione totem in membra mutari, sed simplici alteratione, vt fit ignis ex aqua: quod indicat excrementorum paucitas partium tertiæ regionis, respectu excrementorum resultantium ex ventriculi actione, iecoris, & cordis. Itaque aliud est, crassitiem, tenuitatem, raritatem, & densitatem oriri à primis qualitatibus absque partium diuersitate; aliud verò, an quod est ex propria natura heterogeneum, vt reddatur vniforme, & similare, indigeat earum partium commixtione, & separatione illarum, quæ nullo modo possunt ad mediocrem naturam reduci; hoc enim necessarium est supposita illa heterogeneitate, quam omnia alimenta participare, non eget probatione. Ad hanc ergo vtilium permixtionem, & inuti-

D lium segregationem terminatur coctio, prout fit à calore vt à causa efficiente, & indè resultat crassities in his, quæ assumuntur, vt coquantur, vt exemplo aquæ, & farinæ ex Empedocle probauit Aristoteles. Probauimus ergo ex doctrina Galeni, quodcumque alimentum, quod parti applicatur ad sui nutritionem, secum semper deferre aliquam humiditatem superfluam, quam calor debet absumere; nam cùm per poros insensiles alimentum partibus applicetur, serosa aquositate indiget ad debitam distributionem, & ita cum intime permixta cum toto alimento à calore debet resolui, & quia alimentum ratione illius erat minus consistens, & non ita agglutinabile partibus, vt opus est ad nutritionem, consistens redditur, & lentum, & maiori permixtione

E & præcipuè consumptione humiditatis superfluæ, ad distributionem tamen necessariæ, inde corpulentius alimentum redditur, & siccius. Et hoc summè notabitis, nam illo animaduerso fastidiosæ cauillationes, quas contra antiquitatem, & Arist. machinantur, dissoluetis facillimè.

Et si inquiratis, quomodo se habeat calor ad hanc maiorem crassitiem, cum semper attenuet, & rarefaciat? Respondeo se habere vt remouens id, quod prohibebat; nam ab humore superfluo reddebatur alimentum liquidius, & ita resolutione illius humiditatis facta ab interno principio producitur siccitas densans, faciens alimentum consistens. Galen. 1. *de fac. natur. cap.* 10.

cap. 10. ita reliquit scriptum: *Quippe caro ex sanguine non magno negotio fit; si enim eatenus naturæ operatione crassescat, vt constantem substantiam habeat, neque etiam sit fluidus primò, & recens, concreta caro iam existit.* Neque obstat, quòd similis intensio siccitatis ab agente extrinseco posset produci, & per consequens absque resolutione partium humidarum reddi alimentum siccius, & corpulentius. Respondeo dupliciter. Primò, quòd non produceretur soliditas, aut crassities permanens, cùm esset necessarium agens externum, quod semper illam conseruaret; sicut enim siccitas producta ab extrinseco agente sine illo non durat, ita neque crassities tali siccitati debita. Dico secundò, siccitatem esse tam lentæ actionis, vt si conueniens dispositio ab ea esset producenda, tardissimè fieret alimenti commutatio, essetque improportionata resolutioni; cùm enim substantia nostra à tot causis, tamque efficacibus continuam patiatur resolutionem, nisi à calore fieret alimenti præparatio, conuersio, & restauratio deperditi, breuissimè viuens deficeret, & omninò extenuaretur. Quæ ratio respectu nostri satis valida est.

Tota doctrina huius quæstionis ex Galeno desumitur, 1. enim *lib. de fac. natur. cap.* 11. ita loquitur; *Postquam enim succus is, qui omnem animalis particulam nutriturus est, à vasis excidit, in totam eam primum dispergitur, mox adiungitur, deinde agglutinatur, deinde assimilatur; differre verò inter se assimilationem, & adhærentiam, docet vitiligo illa, quam Græci liliquium, id est albam appellant; sicut etiam adiunctionis, atque agglutinationis differentiam prodit genus illud hydropis, quod anasarcam vocant; non enim à fluentis humoris inopia, vt in tabe, huiusmodi hydropis generatio prouenit, sed affluentis nutrimenti appositio quædam fit, quod tamen propterea quod aquosius adhuc est, neque ad siccum sufficienter redactum, neque lentitiam, glutinísque consistentiam, quæ naturalis caloris ope prouenit adeptum, adhærentiam consequi non valet, defluente nimirum, ac delabente ob tenuis, & crudi humoris exuberantiam a solis corporis particulis nutrimento, &c.* Quo loco satis apertè coctionis naturam exposuit, quam nos in principio huius operis etiam adduximus; est enim illius finis in omni coctione, ita alimentum disponere, & præparare, vt partibus nutriendis adiungatur, agglutinetur, & adhærescat, hosque habeat substantiæ modos ex debita humidi, & sicci permixtione, & ex consumptione superfluæ humiditatis, sicque perficitur à calore quod coquitur.

Sed in fine quæstionis agendum est cum iis, qui cùm defendant omnem coctionem à calore fieri, vt putauit Aristoteles, & alioqui negent, crassitiem comparari ob partium diuersarum mixtionem resoluto humore, sibi obiiciunt: si coctio fit à calore, nunquam erit verum, quæ coquuntur, reddi crassiora. Patet, quia calor solus semper attenuat, & rarefacit: nihil ergo quod coquitur, medio calore crassius reddetur. Ad hoc argumentum difficile respondet Benedictus Vazquez *fol.* 41. duasque adducit solutiones. Prima est, non constare ex Aristot. aut alio auctore primæ classis, omnia quæ coquuntur (præsertim si non fiat substantiæ transmutatio) crassiora reddi: quod constabit (inquit) si quis attentè legat auctores.

Respondet secundò, hoc neque constare experientia, neque ab aliquo demonstratum fuisse: vnde non est, cur intrepidè recipiatur: solùm ergo vt verum teneat, inquit, debet intelligi de his, quæ in ordine ad nutritionem viuentium coquuntur, talia enim debent incrassari in fine, quia hæc qualitas est partialis dispositio, & ita debet in ipsa parti nutriendæ alimentum assimilari, vt cum termino coctionis, & aliis primis & secundis qualitatibus compleatur dispositio determinans ad formæ receptionem; docetque debere in fine

A incrassari, quia à principio alterationis ita alimentum disponitur, vt à frigiditate, & siccitate crassitiem comparet: licet enim calor sit excedens, possunt ad hunc secundarium effectum reliquæ qualitates esse potentiores; nam cùm sit effectus æquiuocus, non requirit excessum in agente supra reliquas qualitates, vt fiat; quod (inquit) non est nouum in Philosophia.

Sed melius fuisset huic Auctori, vt dereliquit Aristotelem in mixtione partium diuersarum, ita etiam in eo quod reddatur crassius quod coquitur, quàm in improbabiles solutiones incidere, cùm nihil clarius in doctrina Arist. quam quæ coquuntur, crassiora reddi; & causam tradens *cap.* 2. *citato* dicit: *Quocirca eiusmodi, & vrina, & alui sedimenta, & omninò corporis*
B *excrementa sanitatis indicia sunt, & concocta dicuntur, quando humorem à calore vinci significant; quæ verò coquuntur, crassiora euadant, atque calidiora necesse est, nam ei, quod concoquitur, maiorem molem calor tribuit; vt crassius illud, aridiusque reddit.* Idem Sanct. Thom. *in comment. huius loci* dicens: *Et propter hoc necesse est, ea quæ sunt digesta, esse sicciora & grossiora, propter euaporationem, & terminationem humidi factam a calido.*

Sed quod in secunda solutione adfert, fateor ingenuè, me non capere; dicit enim, quod à principio alterationis ita alimentum disponitur, vt à frigiditate, & siccitate crassitiem comparet. Sed contra est, quia aut alimentum, dum coquitur, alteratur à frigore, &
C siccitate, & hoc est falsum, cùm supponat alimentum omne à calore coqui, & alterari. Si verò intelligatur, quòd etsi à calore alteretur, & coquatur, facit nihilominus coctio, vt frigus, & siccitas alimenti aliud condensent, & incrassent, impediántque attenuationem à calore faciendam, quia qualitas secunda per coctionem producta adiuuat frigus, & siccitatem ad crassitiem producendam; est sine ratione probabile ad libitum philosophari, ad argumenti fugam, & clarissimam doctrinam Aristot. & D. Thom. fugiendo, in obscuram omninò, & fictitiam incidere; nam calor non minus est æquiuoca causa tenuitatis, & raritatis, quàm frigus, aut siccitas densitatis, & est ex alia parte calor efficacior ad proprios effectus producendos: ergo
D quando crassum alterat, & frigus alimenti remittit, quomodo iuuabit frigus, vt efficacius suos secundarios effectus producat, quos antea dum erat intensius non producebat; sic enim aqua, dum incalescit, crassiorem reddere potuisset calor, quod quàm sit irrationabile, constat. Neque putandum est aliter calorem ad densandum alimentum conducere, quando illud coquit, quàm in externis experimur, dum lutum indurat, & corpulentius reddit; neque aliam rationem Aristot. & D. Thom. adduxerunt, indeque colligunt, quæ cocta sunt, & sicciora, & crassiora esse, neque ob aliud esse crassiora, nisi quia sunt sicciora humiditate superflua consumpta. Vnde Aristot. 3. *de part. animal. cap.* 8. dixit: *Omne enim quod aquæ, & terræ commune est, dictum iam est crassescere, quando co-*
E *quitur.*

Sed obiiciet aliquis: si sumatur alimentum crassius quàm homo, nutrietur ex illo, & nullo modo reddetur crassius per coctionem. Patet, quia substantia reparata in homine, tenuior est alimento assumpto: ergo potiùs per coctionem illud attenuat, & ad mediocrem naturam reducit. Respondeo, non omne opus à calore factum esse coctionem; nam attenuatio illa, quam in humiditate, quæ resoluitur, causat, non est coctio, vt neque actio illa, per quam eleuantur fuligines dum alimentum coquitur: sic similiter si sumatur alimentum crassioris substantiæ, quàm viuens, prius liquabitur in ventriculo absque dubio, & hæc liquatio coctio non est; semel tamen alimento liquato, & separato terreo,

&

& fæcolento excremento, incipiet natura assumere id quod vtile fuerit in alimento, & hoc concoquet, & incrassabit magis quàm esset post illam primam liquationem: non itaque dicit Philosophus, quidquid alteratur à viuente, crassescit; sed solùm quod coquitur; nam quia coctio terminatur ad illam vniformem dispositionem vt sit alimentum dispositum pro nutrione partium similarium, necessarium est incrassari coctione; nam cùm media illa disponatur vt alimentum mutetur in viuens, & membra, quæ ipso alimento sunt multò crassiora, necessarium est semper quod alimentum coquitur incrassari, quia totus finis naturæ per coctionem est illud disponere, vt in membra crassiora mutetur.

Quo fundamento idem putabitis dictum de lacte respectu sanguinis ex quo fit, quod sensim sanguis crassior conspicitur, & ita priùs liquatur à natura, & temperie mammarum, post verò quæ assumit, vt conuertat in lac, concoquit, & incrassat paulatim, vt in carnem adenosam ipsarum mutetur; & experimento constat in deiectione chylosa, quã per caliacas passiones patiuntur ægroti, semicoctum chylum tenuiorem esse, quàm quando perfectè coctus existit, quod etiam claré cernimus in hepatica affectione, in qua sanguis tenuis & aquosus excernitur, eo quòd fuit diminutè coctus; estque multò crassior sanguis, qui intra venas perfectè coctus existit: procedit ergo semper incrassando, dum coquit: quod intelligendum tantummodo est respectu humoris, aut alterius substantiæ, quam assumit natura, vt iam illam concoquat. Quo fundamento soluuntur argumenta plurima contra nostram sententiam adducta à contrariè opinantibus; vt illud de conuersione panis in chylum. Videtur enim panis crassior chylo, & chylus crassior sanguine, & hic crassior vitali spiritu (si per coctionem fit) & sanguis arterialis est tenuior venali; ita vrina crassa, dum coquitur, & ad mediocrem modum substantiæ reducitur, non crassescit amplius. His enim, & aliis argumentis respondetur, non coqui totum panem, sed partem conuenientem, hancque, dum coquitur: semper incrassari: ita totus chylus non vertitur in humores, & sanguinem, sed partes proportionales humorum crassationi, quæ dum sumuntur, vt fiant humores, crassescunt sine dubio, vt pars ignea chyli, quæ mutatur in bilem, crassior redditur; & aquea, quæ in pituitam; & aërea, quæ in sanguinem; & terrea, quæ in melancholiam: sic sanguis venalis non mutatur totus in arterialem, sed pars tenuior, & spirituosa. Præterquam quod non constat, sanguinem venalem fieri arterialem media coctione, sicut neque spiritus vitales ex sanguine; solùm enim alterantur sine coctione aliqua. Similiter quando vrina crassa per coctionem redditur mediocris, non coquitur humor crassus, qui cum liquore permixtus crassam reddebat vrinam; sed liquor vrinæ concoquitur, fitque crassior quàm erat tempore cruditatis. Legite Valles. *7. controu. cap.* 12. vbi hæc omnia satis doctè explicat.

Neque contra illum valet argumentum in nostra Schola communi; dicunt enim, aut Vallesius loquitur de partibus correspondentibus elementis, & sic innititur eius opinio falso fundamento; vel loquitur de diuersis mixtis per accidens contentis in re quæ coquitur: at de his explicari non potest, cur potius consumatur excrementum aqueum, quàm terreum, quia quodlibet ex his à calore alteratur, & attenuatur, & inde non est ratio cur totum mixtum quod coquitur, reddatur crassius magis, quàm tenuius, cùm æquè benè possint absumi excrementa terrea, vt aquea.

Inanis quidem argumentatio, & indigna viro Philosopho, nam aqueum resolui, & in vapores exire, terreum verò non posse, probatione non eget; nam aqueum excrementum attenuatur facillimè, & redditur leue. Patet in aqua calefacta, quæ tota à calore attenuata resoluitur, & in vaporea permutatur: si autem aliquid terreum permixtum sit, minimè; & indè hoc remanet, aqua verò absumitur: sicut ex luto calore solis aqueum resoluitur, manet verò terreum, crassius, durius, magisque consistens, quàm anteà. Falsóque qui sic argumentantur, Vallesij doctrinam coarctant ad primum genus coctionis, quod ipsi instituerunt, cùm ex lectione Valles. liquidò constet, de alimentorum & rerum putridarum coctione vniformiter loqui, & eandem tradere doctrinam.

Sed obiiciunt rursus contra nostrum placitum, putantes impossibile, crassitiem comparatam coctione ex siccitate prouenire, quia hæc crassities (dicunt) sine duritie non potest existere; nam non est assignabile, quid aliud sit in desiccato corpore illud quod appellatur crassities, nisi durities, aut densitas. Secundò, quia non quælibet siccitas, sed intensa nimis, duritiem, aut densitatem, vel crassitudinem causat; siccitas verò addita rei iam coctæ, remissa est, & minima supra antecedentem, quam ante coctionem alimentum obtinebat, ita vt densare, aut incrassare non valeat; alioqui sicut incrassat, ita indurabit, & densiorem efficiet coctam materiam.

Sed hæc quæ inconuenientia sibi videntur, nos sine aliquo inconuenienti concedimus: itaque sicut calor incrassat per accidens humidum resoluendo, ita densat, & duriorem efficit rem: Quid indè? Nec probat siccitatem additam rei iam coctæ esse incapacem incrassandi. Vnde enim id constat; nam si ob admixtionem humiditatis superfluæ reddebatur alimentum tenuius, & liquidius absumpta illa humiditate à calore, crassius manebit mixtum, quia siccius, & magis consistens: falsumque existimat ad incrassandum magis quàm anteà, intensam siccitatem requiri supra præexistentem, cùm satis sit siccitas proportionalis remissa: præterquam quod non probat æqualem siccitatem requiri ad indurandum, incrassandum, & densandum magis; nam etsi omnes istæ qualitates secundæ à siccitate nascantur, non tamen ad omnes habet siccitas æqualem vim sub eadem intensione: neque probatur contrarium, & quamuis haberet, non sequeretur, quod intendit; quia secundæ qualitates contrariæ poterunt formaliter resistere inæqualiter, & ita produci crassitiem, & non æqualem densitatem, quia tenuitas minus resistit formaliter, quàm raritas; & mollitiea magis quàm reliquæ; priùs enim res mollis redditur crassior, quàm sensibilis appareat durities in illa, vt in externis experimentum docet.

QVÆSTIO X.

Qua ratione cruditas opponatur coctioni?

DVo continet hæc quæstio: Primum, in quo consistat natura, & essentia cruditatis: quo explicato, constabit qualiter opponatur coctioni, quod est secundum principale quæsitum. Videtur autem cruditatem aliquid positiuum esse, eo quòd contrariè opponatur coctionis termino: constat ex Arist. 4. *cap.* 4. *meteor.* dicente: *Cruditas est imperfectio caloris natiui; hæc autem est frigus*: cùm ergo frigus quid positiuum sit, erit cruditas positiuum etiam. Et *cap.* 3. loquens de immaturitate dicit: *Est imperfectio contraria maturitati.* In quo sensu communi huius sententiæ appellatur à Vallesio immaturitas propriè contraria maturitati. Neque obstat cruditatem fuisse appellatam imperfectionem ab Arist. est autem imperfectio quid priuatiuum, quia, vt ex eodem Philosopho constat, vnum contrarium appellatur imperfectio alio, vt docet *cap. de opposit.* & *lib.* 10. *metaphys.*

Pro decisione quæstionis diligenter notate, quod sicut antea diximus, coctionis essentiam non dicere vnicam simplicem perfectionem, sed omnes quas viuens in alimento producit ad propriam perfectionem conducentes, & istas omnes intellexisse Arist. nomine perfectionis dum definiuit coctionem; ita cruditas non dicit priuationem, neque includit defectum vnius tantùm perfectionis simplicis, sed habet eandem latitudinem quam sortitur positiuum coctionis, semper enim priuatio accommodatur, & proportionatur formæ, qua priuat, & si hæc in multis consistit, ita & priuatio est multiplex: itaque sicut coctio pluribus qualitatibus constat, & istæ plures vnam integram naturam coctionis constituunt, & vnicam formam, ita & priuatio omnium perfectionum integram cruditatem constituit, & partialis partialem: quòd si forma indiuisibilis sit, ita & priuatio erit intensa suo modo, vt ens negatiuum. Exemplis res demonstratur. Temperamenti essentia consistit in aggregato plurium qualitatum viuenti conuenientium; priuatio temperamenti opposita, erit etiam aggregatum plurium priuationum, quia tot debent esse priuationes, quot sunt entitates positiuæ temperamentum constituentes: sic tenebræ non sunt vna sola priuatio, sed quoddam aggregatum priuationum, id est, sunt omnes priuationes lucis: sublata autem vna sola priuatione auferuntur tenebræ, quia vna priuatio auferitur per lucem, tenebræ autem quauis luce pelluntur; quia cùm dicant priuationem omnis lucis, quacunque posita, pelluntur tenebræ: Ita priuatio formæ substantialis indiuisibilis est, quia forma est indiuisibilis, priuatio autem caloris, aut luminis patitur diuisibilitatem, quia tales qualitates intensibiles sunt; & sic posito vno gradu caloris, aut luminis in aëre, est ablata aliqua priuatio caloris, aut lucis, non tamen aufertur omnis priuatio, quia non sunt productæ totaliter formæ.

Secundò notabitis, nos sumere cruditatem prout opponitur maturationi, aut perfectioni debitæ naturaliter viuentibus, qualiter puer appellatur crudus ab omnibus, & fructus ante maturationem; sunt enim aliæ cruditates impruptiæ, quæ in positiuo consistunt, vt de acida cruditate ventriculi, & de nidorosa communiter putant Medici, quia aciditas in alimento quid positiuum est, cùm includat peculiarem alterationem, & dispositionem contrariam viuenti, ex qua acidus sapor resultat: sic nidorosa cruditas vstionem alimenti dicit ob maiorem calorem, eodemque modo humores putridi appellantur crudi, quamuis putredo, ratione cuius dicuntur crudi ab auctoribus, quid positiuum sit: quæ verò propriè dicuntur cruditates, sunt illæ, quæ naturaliter contingunt viuentibus à prima formatione, & durat toto tempore, quo sine perfectione sibi debita viuens continetur; duratque vsque ad tempus, in quo habet semen fœcundum, vt docuit Philosophus.

Sententia communis est in nostra schola, cruditatem in priuatiuo consistere, & sic formaliter dicere priuationem termini coctionis, aut perfectionis debitæ viuentibus: sic Arist. per defectum explicat cruditatem, quia priuationem formaliter dicit, eo quòd est negatio perfectionis debitæ subiecto capaci: idem significauit, dum dixit immaturationem esse imperfectionem; neque enim, vt dicebatur in argumento contrario, imperfectio significat quid positiuum, nam hoc stare non potest cum defectu, qui formaliter priuationem perfectionis includit; nam imperfectio, quam includit imperfectum contrarium, non est priuatio, sed negatio mera, quia semper frigus est imperfectius calore, & taliter ex natura propria, quod repugnet non esse imperfectius, & vt sic quid negatiuum includit, quia semper negatur frigus perfectione caloris, cùm repugnet naturaliter illam habere. Quando ergo Aristoteles hanc imperfectionem cruditatis dixit esse frigus, non loquitur formaliter, sed in sensu causali, aut quia semper ad coctionis defectum naturaliter sequitur frigus, quia cruditas prouenit ex caloris defectu: sic quando Aristot. dixit immaturitatem esse contrariam maturationi, loquitur impropriè, vt solet communiter priuatiuè opposita appellare contraria, & de principiis entis naturalis docuit.

Hanc sententiam sequuntur omnes recentiores, inter quos Vallesius *lib. 4. simplic. cap. 5.* & *lib 4. meteor. cap. 2.* probat non esse oppositionem propriè contrariam inter cruditatem, & coctionem; quia putredo, & coctio opponuntur contrariè: cùm autem vni tantùm sit vnum contrarium, sequitur, cruditatem non opponi contrariè termino coctionis, sed priuatiuè. Aduertit tamen hic auctor, quòd hæc tria, cruditas, coctio, & putredo, possunt considerari dupliciter: nam aut significant terminos mutationum, aut significant mutationes ipsas: si primo modo considerentur, habent oppositionem contrariam, quia quilibet motus est à contrario in contrarium; fructus verò mutatur à crudo in coctum; neque reputat inconueniens, coctionem esse magis contrariam putredini, quàm sit cruditas, quia liberalitati opponitur auaritia, cui tamen magis contraria prodigalitas, quia inter hæc duo extrema est distantia maior. Si verò considerantur, vt dicunt mutationes, docet cruditatem & coctionem opponi priuatiuè, & nullo modo contrariè, quia vt docet Arist. 5. *phys. cap. vlt.* motus non opponitur termino, sed vnus motus alteri; nulla autem est mutatio, quæ sit incrudatio, cùm reuera id quod coctum est, non possit per aliquam coctionem naturalem incrudari.

Sed in doctrina Vallesij aliquid asserit, quod non probat, neque ex illa soluitur difficultas: constat ita, quia vt ostendat cruditatem opponi contrariæ coctioni, vt dicit mutationem quandam, vtitur hoc argumento: quia coctio fit à contrario in contrarium, vbi supponit id quod non probat: constat enim ex Aristot. 5. *physic. cap. 3.* verum motum esse inter terminos positiue contrarios, mutationem verò esse inter priuatiuè oppositos, vt generatio, & corruptio: oportebat tamen probare, vt vim haberet argumentum Vallesij, coctionem esse verum motum, & nullo modo mutationem.

Explicare autem oportet, an sit aliqua ratio ostendens eam oppositionem inter coctionem, & cruditatem. Videtur autem nullo modo opponi priuatiuè, sed contrarietate physica conseruatiua propriæ formæ; talis autem debet esse inter entitates positiuas; cùm autem conseruentur benè per cruditatem, sequitur dicere aliquid positiuè. Quod argumentum nihil probat; responderi enim potest, quod fructus in eo statu præter cruditatem, quæ dicit priuationem, habet qualitates positiuas conseruantes formam, quem vsum non præstat cruditas; sicut enim etsi aër sit priuatus lumine, non amisit proprium temperamentum positiuum, quia illius tenebræ non dicunt priuationem; ita quia cruditas solùm dicit priuationem termini coctionis, non tollit, quominus fructus habeat qualitates positiuas, quæ non priuent: & licèt aliquis mente concipiat, habere aliquem gradum coctionis, satis est ad cruditatem vlterioris gradus priuati: conuenit enim inter omnes Philosophos, quasdam esse priuationes, quæ dicuntur in facto, eo quòd priuant tota forma positiua, vt mors, & tenebræ; alias esse in fieri non priuantes latitudine totius formæ, vt vmbra, & morbus, & huius naturæ potest esse cruditas, quæ datur in fructu.

Neque rectè probatur, cruditatem esse quid positiuum, quia à crudo in coctum non fit transitus in instanti,

quod

quod deberet contingere, si esset sola priuatiua opposi-tio. Respondetur enim, quod quia coctio depēdet ex productione primarum qualitatum, & istæ in tempore fiunt, ideò per accidens tollitur cruditas in tempore, sicut quando per modum luminosi producitur lumen in tempore ratione successiuæ applicationis. Idem contingit, quando corpus opacum fit diaphanum successiuè in præsentia luminosi, prætereaquam quod iam diximus in principio, priuationes suscipere magis & minus, vt positiua, & sequuntur eorum conditiones, & ita si positiua repugnat in instanti produci, non fiet transitus à priuatione ad illa in instanti, vt priuatio, vbi respectu determinati loci in tempore tollitur, quia motus localis fit ex sua natura in tempore.

Multò minus probatur priuatiua oppositio inter crudum, & coctum, quia ex doctrina Arist. contraria sunt, quæ ab eodem subiecto mutuò se expellunt, & vicissim insunt, quod non reperitur inter crudum, & coctum, quia quod coctum est, incrudari non potest; ergo non insunt vicissim cruditas, & coctio. Respondetur enim, quòd licet ex natura contrariorum sequatur mutua productio, aliquando tamen contingit esse peculiare impedimentum, ob quod vnum contrarium non auferetur à subiecto, quod doceat Arist. *cap. de opposit.* & ita quamuis cruditas opponeretur contrariè coctioni, & sic deberent se mutuò corrumpi, potest dari impedimentum, ratione cuius coctum non possit incrudari, quia scilicet non est efficiens, quod possit in tali subiecto cruditatem reproducere. De quo dicemus *quæstion. sequenti.*

Minus probatur, quòd cruditas sit quid priuatiuum, quia si coctioni opponitur contrariè putredo, vt docent Medici, & vni tantum datur vnicum contrarium necessariò crudum, opponitur priuatiuè. Sed contra est, quia vni virtuti duo contraria conceduntur à Philosophis, vt exemplo adducto à Vallesio constat, quia auaritiæ opponitur liberalitas, & etiam prodigalitas, quamuis ista opponatur magis: sic docent Philosophi, medium colorem opponi duobus extremis, quia viridis albo comparatus putatur niger, & comparatus nigredini albus. Sed contra est, quia coctum non est medium per participationem extremorum, quia sic constaret ex crudo, & putrido, quod nullus dixit, neque medium per abnegationem vtriusque extremi pertinet ad præsentem rem, quia sic dantur plures res habentes rationem medij, cùm sint infinitæ, quæ neque crudæ, neque putridæ existant; & ita non est ratio, cur res cocta peculiariter dicatur medium per negationem extremorum, neque vt aliqua res putrefiat, necessarium est præcedere coctionis terminum, cùm sit satis esse priuatam termino putredinis.

Dicendum ergo est, crudum opponi priuatiuè coctionis termino, & constat ex tradita doctrina Philosophi; itaque crudum tantum dicit priuationem illius perfectionis acquirendæ per coctionem, nam si alimentum ab omni qualitate denudatum fingas, dicetur crudum in ordine ad viuens, etsi nullam qualitatem contineat, à qua crudum denominetur. Vnde quando frigus causat cruditatem, non consistit in abundantia frigoris formaliter, sed in defectu caloris, à quo coctio causanda erat; constat clarè, quia si esset calor diminutus sine frigoris maiori intensione, quàm viuenti debeatur, eodem modo esset viuens crudum, aut fructus immaturus, quia eodem modo priuaretur debita perfectione, aut coctionis termino. Et confirmatur, quia si crudum opponeretur contrariè cocto, saltem de potentia Dei, eadem res esset simul cruda, & cocta, & idem homo infans, & adolescens, idemque fructus maturus, & immaturus, quod videtur pugnare: id verò implicat, quia priuatiuè opposita nequit Deus simul constituere, sicut & simul esse aliquid, & non esse; in quo sensu dixit Philosophos 1. *cæl. cap.* 12. esse impossibile simul stare, & sedere. Et confirma-

A tur, quia respectu hominis ita dicitur crudum pomum, sicut vinum, & panis sicut caro, & sic de reliquis alimentis; constat verò alimenta omnia non habere easdem qualitates, quibus erat constituenda cruditas, si in positiuo consisteret, cùm sint alimenta plura omninò contraria inter se; habent tamen omnia alimenta eandem cruditatem, quia omnia carent perfectione, quam viuens producturum est in illis media coctione, & respectu qualitatis producendæ à facultate coctrice, negari non potest, cùm omnia alimenta æqualiter careant illa.

Quia verò diximus esse duplicem priuationem, vnam in facto, seu totaliter priuantem omnem formam, aliam in fieri non priuantem totaliter; cruditas continetur sub hoc secundo membro, quia puer, qui dicitur crudus,
B aliquid habet coctionis, sicut fructus immaturus, quia nullum viuens generatur sine coctione aliqua, ex doctrina Arist. Immaturitas ergo dicit pro formali defectum coctionis, & materialiter aliquid esse coctionis, sicut vmbra pro formali dicit priuationem maioris luminis, pro materiali verò aliquid luminis, non quia lumen remissum se habeat vt subiectum, quia priuatio luminis intensioris non subiicitur in remissiori, sed in aëre, aut illius quantitate, in qua subiectatur lumen intensius, quia priuatiuè opposita semper versantur circa idem.

Dicit enim cruditas priuationem formæ substantialis, sed secundariò, quia primariò solùm dicit priuationem formæ accidentalis, ad quam terminatur immediatè, sed quia vi coctionis producitur forma, ideò secundariò
C dicit priuationem illius, sicut cæcitas primariò dicit priuationem visus, remotè verò priuationem obiecti visibilis: appellatur verò cruditas imperfectio respectu perfectionis, quæ per coctionem acquiritur, quam iam diximus, quòd crudum in ordine ad durationem maiorem est absque dubio perfectius, quàm coctum, aut maturum.

QVÆSTIO XI.

Vtrum quod coctum est, possit incrudari?

Suppositis quæ diximus in præcedenti quæstione, communis sententia est, quod coctum est per maturationem, crudum reddi non posse; nam in naturali-
D bus nunquam visum est pomum maturum redire ad cruditatis statum, neque iuuenem ad statum pueritiæ. Docuit verò Arist. 1. *cæl. c.* 12. id, quod nunquam factum fuit per naturam, significare fieri non posse.

Est autem non leuis difficultas vndè proueniat hæc impossibilitas. Et ratio dubitandi sumitur ex doctrina adducta: nam si crudum, & coctum opponuntur priuatiuè, dicetur res cruda semper quòd fuerit priuata coctionis termino, & perfectione, sicut dicitur homo cæcus semper quod priuatur visione ob vitium internum; non videtur autem repugnantia aliqua, cur per contrariam alterationem non deperdat pomum iam maturum perfectionem illam, quam media coctione acquisiuit, nam siue consistat in modo substantiæ, siue in aliqua secunda qualitate, siue in vnione partium humidarum
E cum siccis, possunt hæc omnia peruerti, & deficere alteratione contraria. Quo fundamento vsus fuit Argenterius ad probandum, omnem putredinem incrudare mixtum, quod afficit, quia & mutatur temperies, & substantiæ modus, & datur separatio partium humidarum à siccis, & defectus caloris natiui cum humido exorbitante.

Secundò probatur ex doctrina Galeni dicentis *in arte medicinali, coctionem esse alterationem facientem cessare putredinem manente substantia*; redit ergo per coctionem ad statum antiquum, quem ante putredinem obtinebat; sed si coquitur, necessariò præcessit cruditas, quia priuatio præcessit huius formæ: ergo per putredinem fuit res constituta in statu cruditatis verè priuata coctionis termino, & forma.

Tertiò argumentor vrgentius: puer dicitur crudus, quia caret materia capaci, & potente ad generandum semen fœcundum, & medio illo producere sibi simile; sed postquam factus est iuuenis, & iam existit coctus, & perfectus, potest venire ad eandem temperiem, quam habuit in principio, & ad seminis infœcunditatem: ergo reddetur crudus. Maior ex Arist. constat, cuius doctrina anteà satis adducta fuit. Probatur minor, quia si iuuenis longo tempore nutriatur frigidis, & humidis alimentis, veniet ad eundem gradum humiditatis, & frigoris, quem habebat dum erat puer: sed ratione huius temperiei producebat semen infœcundum: ergo redibit ad eandem imperfectionem, quam habebat in pueritia, & per consequens ad perfectam cruditatem, quod minor supponit. Est expressa doctrina Galeni 3. *lib. de symptom. cap.* 1. dicit enim; *Cùm caro longo tempore pituitoso, ac glutinoso sanguine nutritur, caro quidem adhuc manet, mutatur tamen eius forma, & in alteram speciem vertitur, fitque media quadam inter sanguinem, exsanguemque carnem: vbi autem talis est reddita, accedit ei, vt deinceps allatum sibi nutrimentum non magis tentet in rubram carnis speciem mutare, quàm polipodes, aut locustæ fit, vt tum alba, tum pituitosa tota quam citissimè euadat, &c.* Ex cuius doctrina constat, quòd temperies totius mutatur ad similitudinem alimenti assumpti: nam quod de carnibus docuit Galenus, de quauis alia parte intelligendum est, nam respectu omnium est ratio similis, & potestatem magnam, quam alimentum habet ad mutanda corpora nutrita in sui temperiem, clarissimè exposuit eodem capite admirandis exemplis. Si ergo permutatur temperies totius, alimentorum ratione euenict quod diximus, iuuenem nempè infœcundum reddi, & habere intemperiem, quam infans obtinuit. Vnde summa ratione Argenterius docuit *in art. medic. cap.* 29. *in fine*, vim maiorem habere iecur ad assimilandum corpus, quàm cor, quia nutrimentum omnibus partibus præbet, & confirmat eisdem exemplis à Galeno adductis *cap. citato*.

Communis solutio ad hoc argumentum in nostra schola est, quòd etsi contingat quod diximus, non dicetur crudum subiectum, aut viuens, quia cruditas non dicit quamcunque intemperiem infœcundam, sed eam quam viuens participat ex principiis generationis, & in tempore, in quo per naturam debet illam habere: vnde dicunt, quod si in iuuene Deus constitueret similem temperiem, & similia patibilia opposita se obtinuit, quando erat puer, non diceretur crudus, quia cruditas est naturalis; ille verò status violentus erit, & præter naturam iuuenis, & per consequens constitutum à Deo in temperamento pueritiæ non esse appellandum puerum.

Hanc doctrinam improbabilem reputo, nam si ætas, vt forma accidentalis, nihil aliud est, quàm hæc determinata temperies cum oppositis patibilibus certis, si redeunt similia, redibit sine dubio eadem denominatio, quia redit eadem forma informans, à qua denominatio sumitur. Si verò dicas, id non esse satis, sed requiri etiam quòd sit naturalis talis temperies; non est autem naturalis temperies pueri in iuuene constituta: Sed id est, quod ego nego, nam non esset vnde id colligeretur. Respondent sequentes contrarium placitum, indè colligi, quia iuuenis constitutus in temperamento pueritiæ non operabitur vt puer, sed vt iuuenis. Sed vellem interrogare, vnde id colligant? nam contrarium expressè docuit Aristoteles *lib.* 1. *de anima, cap.* 4. vbi sic reliquit scriptum: *si enim*, inquit, *senex accipiat oculum iuuenis, videbit vt iuuenis*, quod etiam S. Thom. *in comment. docet*: illud enim dixit Philosophus ad probandum, quòd actionum diminutio in senectute non oritur ex eo, quòd anima diminuatur, sed quia organi temperies non est accommodata ad perfectam visionem: sentit ergo Philosophus, animam ex se indifferentem esse ad omnia opera, & quamcunque operationem iuuentutis efficere reuerà animam senis, si iuuenis temperies in illo constituatur.

A Dices, id negari non posse, esse nihilominus statum illum violentum, quia contra animæ inclinationem; nam illa, quia iam existit sub temperie pueritiæ, petit esse in alia ætate. Sed id gratis dicitur, nam si esset temperies illa violenta, non operaretur media illa, sicut dum erat naturalis; nam natura non vtitur instrumento ad opera naturalia, nec cum illo æquè benè operatur, sicut cum naturali temperie: dixit verò Arist. *Senem visurum, vt vidit iuuenis, si oculo iuuenis ornaretur.* Et ego inquirerem ab his auctoribus, vndè constat, animam non petere semper, quod est sibi perfectius? Vndè si ipsa illud non peteret, neque illi deberetur concursus ad operandũ cum temperamento iuuenis, vt iuuenis, quia senio conficitur; nam non petere temperiem iuuenis, est quia non habet
B vim, vt operetur vt talis, & ita si constitueretur in temperie iuuentutis, non eliceret perfectiores operationes, quàm in senectute, imò deteriores, quia habet temperiem violentam sibi; contrarium verò docent Authores sententiæ oppositæ.

Præterquam quod ratione probatur, nam principium indefectibile, & inuariabile quantum ad intrinsecam perfectionem, ex parte sui semper operatur eodem modo: vnde si variatur in operationibus, est quia mutatur temperies, sine qua in corpore operari nequit, & per consequens cum temperie senectutis operabitur malè in quauis ætate, & cum temperie iuuentutis, aut adolescentiæ perfectissimè operabitur sub quauis duratione, & ætate, vt ex doctrina auctorum sententiæ contrariæ col-
C ligitur; dicunt enim quòd si infans in prima formatione haberet defectum patibilium oppositorum, esset coctus, & vt adolescens operaretur, quod exemplo Adami probant. Id verò non est consentaneum adductæ solutioni, quia animæ primò creatæ non debetur temperies adolescentiæ, & ita non operabitur vt adolescens. Præterea si iuuenis temperies in sene constituta esset violenta animæ, reduceret se ab illa, ac per consequens primus parens, cuius anima fuit primò creata cum temperie iuuenis, esset in statu violento, quia si animæ senis, eo quòd durabit sub aliis ætatibus, non debetur nisi temperies senectutis, & aliæ temperies reliquarum ætatum sunt illi violentæ; ita animæ primò creatæ debetur prima temperies pueritiæ, & per consequens constituta sub temperie alterius ætatis, erit violenta. Tum Præterea argumentor, nam quòd talis cruditas violenta sit,
D non tollit quòd sit cruditas, sed quòd non sit naturalis, hoc est, ex principiis generationis causata: erit ergo viuens saltem sub cruditate violenta.

In præsenti quæstione mihi videtur asserendum, quòd si cruditas non dicit aliud quàm meram priuationem coctionis, loquendo in rigore physico, crudum appellatur omne illud, quod priuatur coctionis termino in subiecto capaci, & ad hanc significationem est impertinens quòd deficiat coctionis terminus per hanc, aut illã causam. Ratio est, quia similis priuatio inducitur semper à quauis causa tollatur coctionis terminus, quoniam si priuatio formaliter est carentia formæ in subiecto apto, vbi datur formæ carentia, datur vera priuatio, & per cõsequens vera cruditas, quia ea se est quid priuatiuũ nul-
E lam includens entitatem realẽ, & per consequens si cruditas tantùm dicit carentiam coctionis, siue introducatur talis carentia à causa naturali, siue à violenta, vera cruditas erit, imò propriùs videtur cruditatẽ conuenire iuueni priuato coctionis termino, quia vt iuuenis habet priuationem formæ in subiecto capaci, vt cui per naturam iam debetur coctio; infanti verò, aut puero nõ debetur coctio secundũ naturalẽ cursũ, & ita minus propriè dicitur priuatus. Circa quod notãda est S. Thom. doctrina *lib.* 5. *metaphys. lect.* 2. vbi doctè adnotauit, duo requiri ad propriè assumptam priuationem: primum, quòd sit carentia habitus, seu formæ. Secundum, quòd sit circa determinatum subiectum, & tempus determinatum, nam sine his impropriè sumitur; iuuenis ergo priuatus coctionis termino, erit crudus proprissimè, & magis quam

quàm infans, quia habet subiectum capax, & est in tempore debito; puer verò quamuis habeat subiectum aptum coctioni, non tamen est in tempore cui debetur maturitas; constat verò ad rationem essentialem priuationis esse omninò accidentale, quòd ab hac, aut illa causa inducatur, si subiectum formam petit.

Sed obiiciet aliquis: Continget ergo naturaliter, quòd iuuenis fiat puer, quia puer dicitur eo ipso quòd crudus existit, & priuatus perfectione, quam per coctionem acquirit: hoc autem sustineri non potest: ergo neque quòd iuuenis semel coctus reddatur crudus. Respondetur facilè negando sequelam, quia pueri constitutio non dependet nisi ex determinata temperie, cui est annexa cruditas; constitutio verò cruditatis nascitur ex sola carentia coctionis: constat verò hanc carentiam ex alio, quam ex pueritiæ temperamento posse induci. Sicut ergo si esset possibile iuueni naturaliter superuenire temperamentum pueritiæ, verè redderetur puer, quia adueniente forma, vt diximus, repugnat non denominare subiectum; ita quia est possibile naturaliter auferri coctionis terminum, reddetur iuuenis crudus, non tamen reddetur puer, quia pueritia constituitur per certam, & determinatam temperiem, cruditas verò per carentiam coctionis in subiecto capaci. Est autem per naturam impossibilis reditus ad pueritiæ temperiem, non tamen ad priuationem termini acquisiti coctione. Et inde patet, quòd non eo ipso quod vua priuetur coctionis termino, reddetur agresta, quia vt agresta non constituitur per solam priuationem maturationis, sed temperie determinata, vt puer constituebatur: est etiam naturaliter impossibile, quòd vua redeat ad temperiem agrestæ, non tamen repugnat priuari coctionis termino. Et idem de aliis viuentibus, & fructibus intelligite.

Ex dictis colligo, leuiter fuisse solutum argumentum adductum à plurimis, scriptoribus, dum inquiunt, cur fructus mutari possit imminente cruditate in terminum coctionis, non tamen à coctionis termino imminente in cruditatem? Respondent, quòd sicut inter formas substantiales datur subordinatio, ita inter temperamenta, & dispositiones formarum: sicut acetum fit ex vino imminente, non tamen econtrà ex aceto fit vinum; eodem prorsus modo dicunt, licet possit imminente ex crudo fieri coctionis terminus, non tamen è contra ex temperie producente coctionem potest fieri immediatus transitus ad temperiem constituentem cruditatem. Sed in hac solutione incautè incidunt ad affirmandum, quòd cruditas dicat determinatam temperiem, aut saltem priuationem ortam ex temperie determinata, quod nos non admittimus; identificat enim hæc solutio temperamentum ætatis cum priuatione coctionis, quod est falsum, cùm viuens priuari possit coctionis termino absque reditu ad temperiem constituentem ætatem, vt anteà probauimus. Et confirmatur quia diaphanum eodem modo priuatur lumine, siue quia corpus medium opacum inter illud, & luminosum ponatur, siue quia absolutè nullum sit luminosum, quia ad rationem formalem priuationis per accidens est hac, vel illa causa deficere formam. Quod efficaciter confirmat id quod anteà posui, eodem modo esse crudum pomum, sicut est crudus panis, aut caro, non tamen habent hæc eandem temperiem, à qua nascitur cruditas; quòd si cruditas dicit non tantùm priuationem formæ, sed etiam temperamentum peculiare, à quo dimanat cum negatione cuiuscunque alterius temperiei potentis peruertere coctionis terminum, iam in hac opinione non in priuatiuo solùm, sed in illo, & positiuo consistit.

De alimentis iam coctis dubitatur similiter, vtrum possint incrudari postquam coctionem adepta sunt? Et notate, quòd alteratio media, qua alimentum coquitur, suscipit magis, & minus; non enim per quamcunque intensionem coctionis corrumpitur alimentum, & no-

A uam formam inducit. Vnde non est dubium in meâ opinione, quòd coctio deficiat, & reddatur crudum alimentum, si deficiat agens quod talem coctionem produxit, eo modo, quo fuimus philosophati de putredine in facto, & fieri. Vnde si panis v. g. semicoctus euomeretur, ita vt non fuerit mutata forma panis, reducetur, & incrudescet ab interno principio, quia formæ panis præexistenti est violenta illa alteratio; si verò per coctionem iam mutauit formam, constat ab interno principio incrudari non posse, quia est naturalis coctio illa formæ chyli introductæ, & per consequens eam conseruabit, ab extrinseco verò agente incrudari poterit per corruptionem termini media coctione acquisiti, & ita in placito, quod sequimur, quod putridum est, est similiter crudum, quia

B habet dispositiones putredinales, à quibus putridum nominatur, & priuationem termini coctionis, à qua denominatur crudum: quod intelligendum est antequam per putredinem depredat formam antiquam, nam huic propriè debetur coctio. Vnde quando priuatur, aut remittitur per putredinem terminus coctionis sibi debitus, verè recrudescit, quia habet priuationem formæ sibi debitæ. & hæc est nostra resolutio in præsenti quæstione, quam sequuntur Argenterius, Vega, & Horatius Augenius. Et mihi videtur magis consentanea rationi, & veræ Philosophiæ, si semel fateamur cruditatem in sola priuatione consistere: si autem sequi desideretis communiorem sententiam affirman-

C tium, non posse incrudari quod semel coctum existit, debetis sustinere, cruditatem non dicere solam priuationem, sed etiam aliquid positiuum, determinatum scilicet temperamentum, quo res naturaliter priuatur coctione vlteriori, & quia hoc temperamentum in re cocta, & matura implicat redire, ideò non suscipiet cruditatem quod semel coctum extitit.

Sed Benedictus Vazquez *fol.* 403. aliter soluit principale argumentum, dicit enim quòd crudum non solùm dicit priuationem coctionis, sed etiam includit negationem termini putredinis in subiecto, & ita soluit argumentum. Sed hæc doctrina, & solutio sine fundamento adducitur; nam si quod est crudum, diceret negationem putredinis, tolleret necessariò capacitatem

D recipiendi putredinem à subiecto, quod est falsum, cùm idem subiectum coctum sit capax putrefactionis. Si autem dicat, quod crudum ita dicit priuationem coctionis, quòd hæc priuatio non solùm dicat carentiam coctionis, sed etiam negationem termini putredinis, non soluit argumentum, quia non implicat idem subiectum à duplici forma denominari. Vnde putridum, si durat forma, quæ sub termino coctionis extitit, causabit duplicem denominationem, vnam putredinis in quantum subiectum verè informatur qualitatibus putredinalibus; aliam cruditatis, in quantum terminus putredinis auferendo coctionis terminum, inducit illius priuationem, & ita res putrida erit simul putrida, & cruda.

Præterea, quia quamuis illa solutione dilueretur Argenterij argumentum, non tamen si contingat rem incrudari sine putredine adueniente, vt potest, & nos

E probauimus clarè ex doctrina Galeni in illo, qui nutriebatur alimentis frigidis, & humidis. Patet similiter, quòd secunda qualitas, in qua constituit ille auctor coctionis essentiam, dependet ex coctione certa primarum in conseruari; & constat illam auferri posse absque putredine, nam si à calore naturali oriebatur coctio, frigus contra naturam poterit remittere illam secundam qualitatem, & ita sine putredine priuari coctionis termino, & per consequens incrudari.

Præterea hic auctor non soluit quæstionem in sua opinione, nam *fol.* 401 *n.* 3. ita dicit: Solùm ergo incrudatio contingit, quando redit mixtum ad illam dispositionem, quam obtinuit tempore cruditatis ante coctionem, & supponit hoc debere intelligi perseuerante forma

substantiali : quod est inquirere, vtrum quando panis mutatur, & coquitur in ventriculo ad formam chyli comparandam, possit iam coctus incrudari? Certè si panis non mutauit formam, & euomatur, mihi non est dubium, quod reducetur ad propriam temperiem, licet non ad modum substantiæ in positionem partium consistentem, quia illum non petit magis, quàm alium, & ita stabit sub quolibet. Si verò intelligatur de pane iam mutato in chylum substantialiter, non soluit ille auctor dubium secundùm omnes coctiones partiales; nam sanguis benè potest accipere rursus dispositiones ad chylum, & tunc incrudabitur sine dubio, quia redit ad similes dispositiones, quas anteà obtinuit.

QVÆSTIO XII.

De Coctione perfecta, & imperfecta.

Diuisio coctionis in perfectam, & imperfectam communissima est apud Medicos, & habet locum in doctrina Aristotel. *cap. 2. citato*, vbi adducens finem, ob quem celebratur coctio, ita dicit: *Finis autem his quidem natura est; natura autem, quam dicimus vt speciem, & essentiam; his autem in substantialem quandam formam finis est concoctionis, quando humor vel per assationem, vel per putredinem, vel per aliud caloris genus talis redditur, & tantus, &c.* Appellatur ergo perfecta coctio illa, per quam pars coquens vltimum finem assequitur; nam ventriculi finis, dum alimentum commutat, est illud transmutare in formam, & substantiam chyli: ita iecoris finis est chylum in sanguinem conuertere, & partis reliquæ in sanguinem & propriam substantiam: & hoc est, quod dixit Philosophus, finem coctionis esse naturam, & essentiam specificam, quæ à forma substantiali introducta vi coctionis constituitur. Ex qua doctrina colligitur sine ratione constitui ab aliquibus secundum coctionis genus in productione formæ substantialis, cùm reuera illa sit finis coctionis, non coctio formaliter, aut illius terminus; constat autem finem esse diuersum realiter ab eo quod finalizat.

Dixi verò notanter, coctionem perfectam esse illam, per quam vltimum finem pars coquens consequitur, quia ventriculus in mea opinione, non habet alium finem, nisi chylum producere, quia non nutritur ex illo immediatè. Si verò aliquis opinetur, ex chylo nutriri immediate, finis illius erit assimilatio in propria substantia. Si autem consideretur coctio ventriculi in ordine ad finem totius, dicetur imperfecta suo modo, quia vltimus finis totius est nutritio propria, ad quam est incompleta dispositio ventriculi coctio, quia alimentum commutatum in chylum indiget vlteriori præparatione in iecore, & reliquis partibus. & hanc perfectam coctionem diffiniuit Galenus, dum dixit esse deductionem rei, quæ coquitur in substantiam coquentis.

Imperfecta coctio appellatur illa, per quam assimilatur quod coquitur secundùm accidentia tantummodo, & non fit productio formæ substantialis, vt quando sedimentum generatur ex materia putrida, aut pus fit in parte inflammata, aut distillationes in thoracem, & nares coquuntur, vt contingit per catarrhos, & chorizas; sic & lachrymæ in ophthalmia, de quibus mentionem fecit Galen. 2. *acut. comment.* 44. vbi docuit, excrementa cocta appellari ab Hippocrate quoniam victa sunt à natura, & coctionem sumi in eo textu in significato generaliori, vt natura est fortior causis morbificis, & eas suo robore permutat; quod etiam intellexit *loco citato de vulgar. morb.* dum dixit Galenus, per coctionem esse intelligendam omnem deductionem ad temperamentum mediocre: qua ratione per frigus senectutis biliosa temperies iuuentutis corrigitur, & humores geniti antea calidiores attemperantur; sicque morbi biliosi in ætate iuuentutis affligentes moderantur, & cessant per frigiditatem senectutis.

Neque obstat, quòd communiter dicant Medici, materiam morbi concoqui aliquando manifestè, & signa tradunt ad distinctionem vnius coctionis ab alia. Respondetur, hoc solùm esse verum de materia morbi, prout in morbo, hoc est, materia morbi accipit omnem coctionem per materiam possibilem, quia materia morbi nullam maiorem accipere potest, quàm illam, per quam resultat sedimentum, aut pus, & sic est imperfecta; quia verò intendebat natura nutriri ex illa, & hoc non consequitur propter materiæ repugnantiam, ideò dicitur imperfecta in ordine ad viuens; perfecta verò, quia ei non potest fieri additio: in quem sensum vnicum modum perfecti tradidit Aristot. 5. *Metaph. c.* 16.

Notabitis tamen diligenter, quòd etsi sit imperfecta, est tamen coctio propriissimè, nam ab eodem agente fit, & in materia capaci, & similibus auxiliis iuuatur hæc imperfecta coctio, quibus etiam perfecta, & naturalis agitur, reducendo scilicet viuens ad naturalem temperiem, & augendo substantiam influentis caloris; & ex accidentibus puris, & sedimenti colligitur, quibus assimilatur partibus coquentibus, nec diuersa sunt in sedimento morboso ab eis, quæ reperiuntur in sedimento sanorum, vt anteà probauimus.

Sed obiicies, talem coctionem non posse esse veram, & perfectam. Probatur, quia media illa disponitur sedimentum, vt expellatur à natura; & idem contingit in pure: constat verò, quod quantò res aliqua fit similior viuenti, tantò minus irritat, vt expellatur, & quantò aliquid est similius, minus insurgere naturam contra illud. Et confirmatur: quia antequam coqueretur materia putrida, detinebatur à natura, & cum putredine erat similitudo sufficiens, vt ab illa non pelleretur: ergo facto iam similiori humore per veram coctionem magis detinebitur quàm anteà; quod præcipuè verum est in opinione Galeni, & Medicorum affirmantium actionem fundari in similitudine: ergo quò similior res fuerit, trahetur melius, & per consequens non cadet sub obiecto expultricis id quod est factum similius. Respondetur, quòd eo ipso quòd materia putrida acquisiuit omnem similitudinem, redditur incapax, vt ampliùs retineatur, quia iam cessauit finis totaliter retentionis; detinebatur enim, vt assimilaretur omninò, & in substantiam viuentis commutaretur, & quia iam ampliùs assimilari non potest, cessat omninò retentio, & veluti excrementum expellitur à natura; est enim ordo naturalis, & quidquid non retinetur, cadit statim sub obiecto expultricis.

Et si vrgeas; cocta iam materia non peccat in quantitate magis, quàm antea, neque in qualitate: ergo non est vnde irritet de nouo expultricem. De qualitate ita certum est, quia cùm sit minus putrida in nostra opinione, omnem putredinem per coctionem potuit deponere, nec est hæc qualitas inimica naturæ, media qua de nouo irritet. Respondetur, quòd sustinentes materiam coqui simul, & putrefieri, facilè soluunt argumentum adductum; nam cùm putredo sit maior in summo rigore, est etiam qualitas irritans intensior. At in mea opinione, & doctrina, qua docui in vigore summo non dari maiorem putredinem, neque febrium incrementum pendere ex maiori putrefactione; Respondeo, quòd respectu partium sentientium sufficit materiam non retineri, vt denuò partem irritet, quia ad proportionem, qua non retinetur, ponderat magis, & grauat, quia per ipsam retentionem subleuatur, & ponderat minus, vt patet si supra manum corpus graue ponatur, ponderat magis, quàm si digitis apprehendatur, & detineatur: quia verò hæc solutio in partibus non sentientibus locum non habet, habet tamen locum quod diximus anteà de facultatum subordinatione, quia natura statim pellit, quod non cadit sub retinente, quia non potest aliquod beneficium naturæ præstare,

&

& qoia materia iam cocta amplius commutari non potest, sed excrementum relinquitur à natura, cessatque retentrix, insurgit expultrix naturali ordine, quia quod nequit commutari, intra corpus manere non debet.

Plurimam tamen fecit dubitationem expositoribus Arist. quomodo inter exempla imperfectæ coctionis posuerit putredinem; dixit enim: Cùm humor vel per elixationem, vel assationem, vel putredinem redditur talis, ac tantus. Vallesius noster putauit Arist. loquutum fuisse secundùm propriam doctrinam, & antiquorum; posuit enim suppurationem actionem mediam participem coctionis, & putredinis: & ita quia illa media actione pus generat, estque putrescentia quædam, ideò dixit Arist. per putredinem reddi humorem talem, & tantum. Quæ doctrina ab omnibus refellitur, quia media actio composita ex duobus contrariis positiuis in vera Philosophia non admittitur. Constat verò in opinione Vallesij terminos coctionis, & putredinis esse verè contrarios. Vnde sicut repugnat calorem & frigus copulari, ita & dari actionem mediam simplicem, qua producantur, vt tepidum, quod inter calorem & frigus medium est per participationem, repugnat per vnicam actionem simplicem produc., sed duplici est opus, vna quæ producat calorem moderatum, & alia quæ frigus.

Mihi autem videtur explicari posse Arist. de generatione animalium ex putrefactione: dixit enim idem auctor *cap. 1. 4. meteor*: *Et animalia in rebus putridis generantur propterea, quòd calor, idemque discretus, facultatem habet cogendi quæ discreta iam sunt*: hic ergo calor rei putridæ cùm porportionatur generationi animalium ex re putrida, reddit humorem talem, & tantum, id est aptum vt ex ipso animalia fiant; & quia hæc noua generatio sine coctione fieri nequit, ideò inter exempla imperfectæ coctionis constituit putredinem, quia non fuit putredo tam malignæ naturæ, vt omninò coctionem impediret. Neque obstat, non posse dici imperfectam coctionem, si iam terminatur ad viuentis generationem, cùm ratione illius inducatur species & essentia rei. Respondetur facilè, dici imperfectam, vt affirmant Philosophi, quia non fuit facta in medio semine, neque per se intenta ab aliquo agente inferiori.

DISPVTATIO II.

De Putredine.

QVÆSTIO I.

In qua traduntur definitiones putredinis.

NOn minus difficilis, & controuersa est natura putredinis, quàm coctionis hactenus explicata. Vt autem difficilia huiusmodi tractationis patefiant, nullum melius inuentum, quàm definitiones adducere. Aristot. 4. *lib. meteor. cap.* 1. ita illam definit: *Putredo est interitus proprij, & naturalis caloris in quouis humido à calore alieno, hic autem rei continentis est.* In qua definitione plures adducuntur causæ; efficiens est dum dicit, à calore alieno continentis, seu ambientis: causa materialis videtur tradi, dum dicit, in quouis humido: formalis verò causa non datur, quia cùm putredo sit accidens, formatur causa formali; finalem causam negant Expositores, quia cùm sit corruptio, & hæc sit malum quoddam, non habet causam finalem, cùm nihil tendens in malum operetur; verùm quia putredo

A quid positiuum est, vt inferius dicetur, benè potest habere aliquem finem.

Galenus 11. *meteor. cap.* 8. ita definit putredinem: *Est mutatio totius substantiæ putrescentis corporis in corruptelam à calido externo*; quam definitionem vt vitiosam vituperat Vega 1. *lib. de differ. febr. fol.* 435. *ad finem*, eo quòd in tali definitione ingrediatur definitum; & ita, inquit, datur per occulta, & excusat Galenum, quia iuxta illius doctrinam 4. *lib. de differ. puls. capite* 2. Medici non debent esse valdè soliciti de exactis definitionibus tradendis. Quæ doctrina admittenda non est, cùm nunquam careat crimine male definire, sed summum vitium sit, & error execrandus, nec alicui Philosopho magis quàm Medico decet exquisitè, & propriè definire, cùm ita certior de cognitione essentiæ, B quam exponit, reddatur, & nulli minus conuenit in rerum cognitione errare, quia nullus errat in naturalibus cum maiori periculo, eo quòd errat contra hominum vitam. Neque admittimus cum Vega vitiosam esse Galeni definitionem, habet enim *mutatio* rationem generis, & *corpus putrescens* rationem subiecti; *calor extraneus* efficiens est, neque putrescentis in definitione posita, quando Galenus dixit esse *mutationem totius substantiæ putrescentis*, ponitur vt pars definitionis; sed idem est ac dicere, putredo est mutatio, quâ tota substantia rei putrescentis in corruptelam traditur: nam quando mixtum aliquod corrumpitur putredine, non semper corrumpitur totum, sed interim per partes, vt si diceret Galenus: putredo est mutatio, per quam res C ab illis alterata ducitur in corruptionem.

QVÆSTIO II.

Vtrum putredo sit corruptio natiui, & proprij caloris?

NOn habet leuem difficultatem, qua ratione putredo dici possit natiui caloris corruptio? nam si causa putredinis efficiens semper est calor extraneus, & violentus subiecto, quod putrescit, non solùm non est interitus natiui caloris, sed potiùs augmentum, & D intensio caloris noua, nam calor adueniens vnitur præexistenti, cùm duo accidentia absoluta eiusdem naturæ necessariò se intendant.

Secundò malè definitur putredo per corruptionem natiui caloris, quia calor natiuus non corrumpitur nisi à frigore, hoc enim illi solùm contrariatur, quia vnica qualitas tantum habet vnicum contrarium, teste Aristotele. Tertiò, quia putredo non terminatur ad non esse caloris natiui, sed est alteratio vera ab agente naturali producta intendente assimilare sibi passum eo modo quo potest; malè ergo definitur actio positiua per priuationem rei, quæ subsequitur per accidens, vt malè definiretur homo, quòd sit corruptio embrionis, aut seminis.

Quartò argumentor vrgentius, quia si per putredinem E verè corrumpitur subiectum, aut corpus aliquod, non potest fieri hæc corruptio sine generatione alterius entis, nec datur materia sine forma: ergo agens putrefaciens præexistentem formam corrumpens, disponit necessariò materiam vltimè ad alterius formæ substantialis introductionem: cùm ergo ex Aristotele nihil generetur nisi concoctum, aut media coctione, erit putredo coctio quædam, quia materiam disponit ad nouum esse substantiale; vbi autem est coctio, est etiam perfectio natiui caloris: ergo nulla putredo est natiui caloris interitus. Imò ex hac ratione videtur colligi, putredinem cum coctione identificari, quia si est vnius corruptio, erit necessariò alterius generatio.

Quintò, quia putredo non solùm est corruptio caloris natiui, sed etiam siccitatis naturalis, cùm non minus præter naturam reddatur humidius quod putrefit, quam calidius. Vlterius, quia putredo totius substantiæ corruptio est (vt dicebat Galenus) non caloris tantummodo (vt ex Arist. constat) quia non solùm mutatur forma, quæ præexistebat in materia, sed noua generatur. Patet, quia à calore præter naturam non potest se reducere quod putrefit; non est autem alios modus, per quem duret calor ille, nisi quia fuit producta forma de nouo, cui talis calor sit naturalis,& propterea conseruatur, alioqui si forma præexistens maneret, se reduceret, quia calor ille est illi violentus, & contra naturam. Quod etiam videtur docere Galenus multis in locis, præsertim 2. *aphor. comment.* 17. vbi docuit esse à corpore expellendum quod est putridum, idémque docet expressè 11. *lib method. cap.* 9.

Sed vt intelligatur difficultas, aduertendum est, quòd sicut coctio diuiditur a Galeno, & aliis Medicis in perfectam, & imperfectam, ita putandum est de putredine; quædam enim est perfecta, & per hanc semper corrumpitur forma præexistens,& per consequens inducitur noua, sicut de coctione perfecta dicebamus. Alia est putredo imperfecta, quæ non corrumpit formam, sed ad illius corruptionem disponit. Hanc distinctionem adduximus *tract. de febrib.* ex Galen. mente 2. *aphor. comment.* 17. vbi docuit eodem modo esse philosophandum in sanguinis corruptione, sicut in vino, dum mutatur in acetum; nam dum ita mutatur quod ex toto factum sit acidum, non redit ampliùs ad naturam vini; si tamen parua fiat mutatio, ita vt acidum quidem habeat saporem, nondum tamen acetum sit, sæpè recuperabit antiquam naturam, ita (inquit) contingit in sanguinis corruptione: vbi enim magna in eo facta est corruptio, non redit ad primam bonitatem: si autem parua fiat, vbi quod est superfluum, fuerit euacuatum, quod residuum existit,ad suam naturam restituitur, quæ dispositio (inquit Galen.) non corruptio, sed multitudo nominari consueuit, ea sola vocata corruptione, quæ tam magnam habet eam, quæ est contra naturam, conuersionem, vt non possit iterum per naturæ coctionem ad primam bonitatem humoris redire.

Ex qua doctrina colligite, & notate, quòd datur aliqua putredo, ex qua humor per coctionem redit ad antiquam bonitatem humoris, id est, redit ad statum naturalem, quem anteà obtinebat, vt aqua calefacta ablato disponente illam ad corruptionem, redit ad antiquam bonitatem aquæ, & illa est imperfecta putredo; alia verò est illa ita vitians sanguinem, quod nullo modo per coctionem antiquam bonitatem humoris recuperare potest; sed si coquatur à natura, mutatur in sedimentum, aut pus, eo quòd tanta fuit mutatio contra naturam in sanguine, quod non remansit sub antiqua forma, sed aliam induit de nouo per putredinem, quia nequit fieri humor naturalis, & bonus, nisi ex chylo, aut alio humore naturali.

Aristoteles ergo definiuit omnem putredinem, sed exempla posuit in perfecta, quæ corruptionem necessariò habet adiunctam alicuius substantiæ: & certum est quod ea putredo à nobis dicitur talis,& concipitur; nũq amque in externis concipimus rem aliquã putridam, in qua non agnoscamus planè diuersa accidentia & quæ semper manent in re putrefacta, ita vt statim abiiciatur quod putridum percipitur, ne contagio reliquas partes inficiat. Hanc appellauit Aristoteles maximè contrariam omni naturali, quia sicut hic dicit nouum ortum substantialem, ita & putredo includit illius esse destructionem; & propterea docuit omnem rem potridam in fine sicciorem reddi, quia exsolescente (inquit) calore proprio naturalis humiditas simul cum calore emittitur: quod verò sit illa putredo imperfecta, quæ ad interitum rei non ducit, negari non potest; nam cùm sit mutatio accidentalis tam in primis qualitatibus, quàm in modo substantiæ, & hæc non consistet in indiuisibili, sicut neque coctio, quæ est rei putrescentis perfectio, ita non per quamlibet putredinem corrumpitur forma, sed per determinatam, & vltimò disponentem, vt in aliis dispositionibus accidentalibus contingit. Vulgus tamen, vt dixi, & omnes communiter, nihil appellant putridum, quod non mutauit formam, quam per accidentia manifesta cognoscant esse separandam à re, cui inest; & ita Galenus dixit, quod est putridum, esse expellendum, quod verò paratum putredini, esse corrigendum, & emendandum; nam hoc ad primam bonitatem potest reduci, illud verò minimè, quia iam deperdidit propriam formam. Vnde mihi non placet Argenterius *in arte medica, comment.* 3. *de causis*, putans omnem putredinem esse corruptionem substantialem, illudque sine ratione imponit Galeno, vt ex loco allegato constat. Neque ratio Argenterij conuincit, dicit enim quòd putredo est corruptio, quia corrupta iudicantur ea, quæ ad pristinam naturam redire non possunt, & cùm omnia putrida nequeant redire, omnia videntur corrupta substantialiter; est enim assertio Argenterij falsa, quoniam putrida in fieri, vt diximus, antiquam naturam recuperant, vt expressè testatur Galen. *loco* iam *citato*.

Circa hoc notabitis duo. Primum est, quòd quando Galenus dixit in arte medicinali, *coctionem esse actionem facientem cessare putredinem, manente substantia*, est intelligendus de coctione facta in semiputrescente humore, quem dixit esse paratum putredini, id est, corruptioni substantiali; nam cùm per illam corruptionem humor redeat ad antiquam bonitatem, manet substantia illius, quia manet forma, & est commodus, & vtilis nutritioni; per aliam verò putredinem, etsi corrigatur coctione, non manet substantia, quia mutatur in sedimentum, aut pus, & id probo efficaciter; nam illis verbis non definiuit Galenus omnem coctionem, sed solùm versantem circa determinatam materiam, putridam videlicet: sed dum corrigitur putrida materia putrefacta omninò, nequit redire ad antiquam naturam, & humoris formam, sed necessariò mutatur in sedimentum, aut pus: ergo cùm fiat corruptio humoris putridi, & in aliam formam permutetur, non potest verè dici, quòd maneat substantia: at verò cùm per aliam coctionem versantem circa imperfectam putredinem ita corrigatur materia, vt antiquam bonitatem recuperet, & sic intra corpus manere debeat, quia vtilis, ideo de hac coctione propriissimè intelligitur definitio illa. Et cùm rursus negari non possit, omnia verba definitionis verè conuenire huic secundæ coctioni, per quam corrigitur putridum, & remanere putredinem manente substantia, sine ratione aliqua, & fundamento negatur in nostra Schola, relatam definitionem solùm conuenire coctioni mutanti humorem in pus, aut sedimentum, quod mihi videtur manifestum.

Secundò notate, quòd illa leuis putredo, quæ imperfecta à nobis appellatur, & formam humoris non permutauit, neque illum verè corrumpit substantialiter, non habet calorem independentem, sed tantùm in fieri, vt *tractatu de febribus* latè explicui, & ita separato agente quod illum cœpit corrumpere, reducit se ad antiquam temperiem, & sic calorem Independentem, & in facto non habet, & per consequens hic humor semiputridus non potest esse causa alicuius febris.

Duplicitet ergo corrumpitur calor per putredinem. Primò corrumpitur in esse naturalis, quia per nimiam intensionem redditur ineptius operibus, quæ moliebatur in mixto, vt optimè docuit Argenterius. Secundò corrumpitur, quia pars mixti calidior est, quæ primariò putredine afficitur, & in aliam substantiam diuersæ naturæ permutatur, vt inferius dicetur. Obiter aduerto, fuisse circa explicationem huius quæstionis diuersissima

fissima placita, quæ quia nihil vtile continent, neque aliquod argumentum solutione dignum, consultò prætermitto.

Ad primum argumentum respondetur, quòd dicitur corruptio caloris natiui, quia corrumpitur in esse naturali per intensionem maiorem, & quia pars calida mixti est, quæ primò corrumpitur, vt diximus.

Ad secundum respondetur, quòd licet propriè calor corrumpatur à frigore per desitionem propriæ entitatis, tamen sub rationibus dictis in solutione primi etiam à calore corrumpitur.

Ad tertium respondetur, rectè definiri posse aliquid per secundarium effectum, quem habet necessariò adiunctum; & sic quia mutatio positiua, quæ terminatur ad putredinis terminum, necessariò reddit præternaturalem calorem natiuum, & facit calidæ substantiæ corruptionem maiorem; ideò per illam definiri potest, vt fecit Galenus etiam 11. *meth. cap.* 8. *citato*, dum dicit, *esse mutationem totius putrescentis substantiæ in corruptelam.*

Ad quartum respondeo, quòd quando Aristoteles dixit omnia generari per coctionem, loquitur de viuentibus, & ita nullum viuens per putredinem fit; at verò alia mixta rectè generantur per putredinem, quia non est dubium, vt argumentum probat, naturalia agentia, dum operantur, intendere sui assimilationem; corruptionem verò sequi per accidens, & ita per eandem alterationem, per quam aliquod agens putrefaciendo corrumpit subiectum, generat aliud mixtum; ratio verò ob quam nullum viuens generatur putredine est, quia modus substantiæ repertus in re putrida est oppositus ei quem exposcunt viuentia. Vnde sicut viuens dum nutritur, non informat materiam nisi coctam prius, ita neque in primum esse intrat, nisi media coctione disponatur quantum ad modum similem substantiæ.

Ad quintum videbimus inferius, an sola humiditas naturalis satis sit ad putredinem; nam si illa sufficit, quin intendatur, non habet vim argumentum: quia verò non est dubium etiam præter naturalem humiditatem conducere principalius ad putredinem, dico, quòd quia calor contra naturam simul cum naturali efficienter se habet ad putredinis terminum, & est calor principalior qualitas, cuius effectus magis elucet, ideò per corruptionem illius definiuit putredinem Aristoteles.

Ad vltimum dico, verum esse quod proponit; nam iam diximus per putredinem perfectam aliquid substantiale corrumpi, & aliquid etiam generari, & vtrumque fuisse comprehensum in definitione, sicut comprehensæ fuerunt coctio perfecta, & imperfecta: constat verò has duas mutationes, perfectam scilicet, & imperfectam putredinem (idemque est de coctione) solùm differre secundùm magis, & minus, in quantum vna ob remissionem non disposuit vltimò ad formæ substantialis introductionem, alia verò maximè, & ita termini substantiales extrinseci sunt omninò coctionis, aut putredinis essentiæ.

QVÆSTIO III.

Vtrum putredo à calore fiat extrinseco?

ARistoteles in allata definitione putredinis satis clarè asseruit, putredinem causari à calore extrinseco in quouis humido: quam sententiam multi improbabilem reputant his rationibus; nam corpus quodlibet, præsertim cadauera sub terra sepulta putrefiunt, & in quouis tempore: ergo non à calore externo. Patet consequentia, quia terra est frigidior corporibus sepultis: ergo.

Vlteriùs, quia in aëre temperato non posset corpus biliosum cadere in febrem putredinis, quod est contra experientiam. Patet consequentia, quia humor biliosus est calidior intrinsecè aëre temperato: idem argumentum fit respectu regionis temperatæ, nullum enim corpus in illa deberet putrefieri, cùm putredo semper fiat à calore excedente frigus: ergo semper non fit à calore externo. Idem argumentum conficitur respectu corporum putrescentium sub aqua, & sub niue, in quo euentu corpus non calefit contra naturam, imò intensè refrigeratur.

Tertiò, quia putredo opponitur simplici ortui, sed iste non causatur ab vnica qualitate, sed omnes exposcit, quia est mixtum, quod producitur: ergo neque putredo ab vnica sola qualitate originabitur, sed à qualibet corrumpente conuenientem temperiem, & mixtionem.

Quartò, quia Aristoteles in adducto capite docuit, putredinem esse passionem communem calori, & frigori. Verba sunt: *Atque cùm putredo communis passio sit, tum proprij frigoris, tum alieni caloris, &c.* & antè hæc verba sic scriptum reliquerat: *Omnis naturalis corruptio, ad ipsam, putredinem scilicet, via est, cuius morbi senectus, & ariditas sunt.* Si ergo senectus est via ad putredinem, & illa consistit in temperie frigida, & sicca, iam frigus, & siccitas sunt via ad putredinem, vt ex propria definitione constat, quia dixit Philosophus, putredinem esse interitum caloris natiui; at natiuus calor nullum habet certiorem interitum, quàm dum subiectum alteratur à frigore, quia proprium esse caloris corrumpitur: ergo putredo causari potest à frigore.

Quintò, causa putredinis, & febrium frequentissima est obstructio; hæc verò ferè semper causatur ab humoribus frigidis, & crassis: ergo non semper pendet putredo à calore, quod etiam confirmat febris ex passionibus frigidis nata, vt ex timore, tristitia, & immoderata euacuatione, & multo somno, quæ omnia infrigidando natiuum calorem, putredinem causant, & febrem: sic quotidie experimur, post copiosum potum aquæ frigidæ statim hominem inhorrescere, & extincto natiuo calore incidere in febrem putridam; non ergo perpetuò causatur putredo à calore.

His argumentis conuictus Veiga Lusitanus 1. *lib. de differ. febrium, cap.* 6. opinatur contra Aristotelem, non semper causari putredinem à calore extraneo, nec semper calorem naturalem corrumpi excessu caloris additi; putat enim à quacumque causa diminuente, & debilitante natiuum calorem, ita vt humidum cum sicco non obtineat, sed potiùs seiungantur, putredinem effici, & sic siccitatem, & frigus senectutis putredinem causare; ita eodem modo in prohibita ventilatione causatur putredo, quia calor natiuus suffocatus diminuitur interim etiam à valida refrigeratione, vt constat quando iter agentibus per niuosa loca extincto calore natiuo digiti putrefiunt, & moriuntur, separanturque ob ingentem putredinem à reliquis partibus; sic à calore extraneo (inquit) aliquando causatur putredo, quia resoluendo natiuum, manet mixtum frigidius. Eandem doctrinam sequitur Argenterius *commentar.* 3. de causis, vbi sustinet dari aliquam putredinem verè naturalem, quia pendet ab interno principio, & Aristotelem accusat inconstantiæ, quia cùm posuerit causam intrinsecam mortis naturalis, tenebatur necessariò per consequens sustinere, dari naturalem putredinem, & corruptionem ab interno principio, quod non stat cum definitione putredinis, in qua docuit, omnem putredinem à calore extrinsecu causari.

Sed probabilior sententia est, quam insinuat Aristot. in definitione, putredinem scilicet à calore externo causari semper, qua ratione munitus docuit *eodem cap.* t. solum ignem putrefieri non posse, qui cùm sit summè calidus, nunquam potest alterari ab aliquo calore. Et inferiùs dicit: *Neque id quod conglaciauit, magis enim*

friget, quàm aër caleat. Vnde (inquit) aër non vincit, neque alicuius mutationis est causa. Et *lib. 2. de generat. cap. 4.* tradens rationem, & causam caluitiei dicit, prouenire quibus pili sunt parum calidi, & ob id nequeunt concoquere humorem, atque ita humor aëris calore putrescit: *fit enim* (inquit) *putredo quoque à calore, sed non suo, natiuoque.* Idem docet *sect. 3. problem. quæst. 33. Vnumquodque,* inquit, *putrescit calore externo, nam vt suo quodque calore concoquitur, sic existimo putrescit.* Idem Sanct. Thom. *in exposit. loci Arist.* & Niphus *supr. cap. 1. meteor.* & nihil magis tritum in scriptis Galeni, quàm omnia putrescere calore, & humiditate: ita 11. *method. cap. 4. & 1. de differ. cap. 11. & 3. Epid. sect. 3. comment. 1.* Vnde 2. *lib. de temperamentis, cap. 4.* frigidis & siccis esse cohibendam putredinem docet, quia in aëre frigido, & sicco res seruantur imputridæ. Idem docet 3. *lib. medicam. secundùm genera, cap. 2. & 8. met. cap. 4.* tradens graduationem corporum præparatorum ad febres docuit, corpora calida, & humida faciliùs incidere in febres putredinis.

Neque obstat, si obiicias, putredinem etiam cohiberi calidis, & siccis; fit ergo frigidis, & humidis. Maior constat, quia sale, aloë, myrrha, absynthio carnes seruantur imputridæ, omnia verò sunt calida à prædominio. Respondetur ita esse, sed seruantur calore per accidens: siccitate per se, omnia itaque relata resoluunt calore humiditatem carnis, & corporum, & siccitate positiuè alterando, & imbibunt etiam in se corporis humiditatem superfluam, vt faciunt omnia sicca. Vnde quia calor solus non sufficit ad putredinem nisi humiditati adiungatur, ideò quæ calefaciendo exsiccant, putredinem cohibent, quia & calore humiditas etiam depopulatur, & sic exiccat per accidens. Vnde constat, calorem ducentem ad putredinem non debere vincere humiditatem corporis, neque eam insigniter soluere, quoniam si hoc faciat, putredini obstat.

Vbi notabitis, aliud esse impedire putredinem inductis qualitatibus contrariis, & hoc efficiendum frigescendo, & exsiccando quomodocumque; aliud verò est putridum corrigere peculiari actione, vt quando coctione emendatur; hoc verò non fit frigidis, sed calidis moderatè, quia coctio nisi à calore non fit. Neque obstat eundem effectum non posse corrumpi à diuersis agentibus contrariis, cùm vni vnum tantùm contrarietur, quia non implicat illud fieri: nam etsi vni vnicum tantùm sit contrarium, tamen putredo, vt inducatur, requirit certum modum substantiæ, & determinatam qualitatum intensionem, caloris scilicet, & humiditatis; & quia coctio tollit illum substantiæ modum, impedit, aut corrigit putredinem, præterquam quod etiam humiditatem superfluam absumit omnis coctio, & non requiritur eadem ad coctionem, & sic tollit determinatam intensionem humiditatis, sine qua putredo non agitur.

Pro solutione argumentorum notandum est, vulgus ferè quamcunque corruptionem appellare putredinem, nos verò non quamcunque, sed determinatam, factam, inquam, à calido, & humido, vt dicemus; imò in sanguine extracto plurimi Medici omnem sanguinem corruptum appellant putridum, cùm tamen magna corruptio absque aliqua putredine in sanguine detur quotidie.

Quo supposito ad primum argumentum respondeo, corpora in aqua, & terra putrefieri calore, & humiditate; nam quamuis illa elementa non sint calida ex propria natura, possunt habere extremum calorem, aut à sole, vel aëre, aut corporibus ipsis, seu cadaueribus; nam constipata cute, detinentur fuligines, & excrementa alia calida intra corpora, à quibus causatur putredo, & hæc eadem detenta intra corpus, etiamsi aër sit temperatissimus in corporibus viuis putredinem efficiunt, idemque contingit in temperata regione. Quando verò corpus manet intra niuem sepultum, videtur probabilius, nullo modo putrescere, quoniam propter summum frigus illius extinguitur omnis caliditas tam corporis, quàm fuliginum: constat, quia partes viuæ, & in statu naturali existentes, si intra niuem mittuntur, mortificantur statim absque putredine, etiamsi habeant calorem vitalem, quo conseruantur, quando intromittuntur in niuem: ergo si putrescunt corpora, priùs nix liquatur à calore, quia remissior multò calor sufficit ad eius liquationem, quàm requiratur ad putredinem.

Ad tertium concedimus, quòd putredo est opposita ortui viuentium, quia ille fit coctione quadam disponente ad viuens, cui coctioni contrariatur putredo, sufficitque ad hoc, vt sit maxima contraria ortui naturali, quòd opponatur principaliori dispositioni, est autem coctio præcipua dispositio ad viuentia.

Ad quartum, variæ traduntur expositiones ab auctoribus. Vallesius noster soluit difficultatem dicendo, quòd partes calidæ mixti redduntur frigidiores, quia priuantur natiuo calore, eo quòd iste resoluitur; partes verò frigidæ redduntur calidiores, quia alterantur ab ambiente calidiori, aut alia quacumque re inducente putredinem; exemplum adducit, quando vinum in acetum mutatur; nam pars aquea in vino latitans quendam calorem à putredine concipit, omnes verò partes quæ erant vinosæ, & calidæ, remanent frigidæ, extincto, & resoluto calore natiuo illarum.

Hæc doctrina Vallesij innititur existentiæ partium correspondentium elementis in quauis parte mixti, quæ in nostra schola non admittitur, neque iuxta eius sententiam videtur benè soluta difficultas; nam partes frigidæ etiam habent partes calidas, cùm in quauis parte mixti dentur omnes in sua opinione: ergo etiam frigidæ patiuntur resolutionem sui natiui caloris, & ita frigidæ redduntur frigidiores, sicut redduntur calidæ in sua opinione. Sed & quod dicit de aceto, non videtur verum, partem videlicet aqueam quendam calorem comparare per putredinem; nam non explicatur ab eo, qualiter hoc euenire possit, si patitur resolutionem caloris natiui; videtur enim eo ipso reddi frigidiorem, vt redduntur tales partes quæ calidæ erant. Præterea si partes frigidæ, & aqueæ non potuerunt liberari, quin conciperent calorem maiorem tempore putrescentiæ, ita partes calidæ minùs liberari poterunt à tam vehementi alteratione, quæ partes aqueas, & frigidas præter naturam calefacit; constat, quia partes calidæ sunt capaciores acquirendi calorem contra naturam, quàm partes aqueæ. Neque obstat, si dicas, quòd etsi hoc ita sit, manent nihilominus partes calidæ minus calidæ putredinali, quàm erant calore natiuo. Sed contra est, quia calor efficiens putredinem est intensior naturali: ergo si manet in parte frigida, manebit intensior in calida, aut nullo modo manebit. Constat, quia si potest se reducere ab extraneo calore secundùm partem, potest etiam ab omni; si non potest, manebit totaliter calor, quia non est ratio cur se reducat ab hoc gradu præternaturali, & non ab aliis, cùm omnes sint violenti, & contra naturam.

Argenterius *in arte medic. comment. 3. de caus.* putauit, aut locum Aristotelis esse corruptum, vel planè habendum vt falsum; nullatenus enim capere potuit, qualiter putredo sit passio communis frigoris, & caloris: sequitur (inquit) metalla, lapides, & quæ à frigore concreuerunt, faciliùs putrescere aliis corporibus habentibus plus caloris interni, quod est contra experimentum. Sed hic auctor fallitur. Primò, quia argumentatio est inanis, quoniam idem mixtum exposcens duas qualitates, potest exposcere plus vnam, quàm aliam, quia est conformior suæ naturæ; ita similiter quamuis putredo requirat calorem, & frigiditatem, non constat facilius putrefieri, quàm calida, quia calor est conducibilior ad talem corruptionem, & ita facilius putrescunt res calidæ,

calidæ, quàm frigidæ. Malè etiam hic auctor intellexit Philosophum; ille enim non dixit, quod putredo nascatur à frigore, vel efficienter, vel dispositiuè, cùm potiùs omninò repugnet. In quem lapsum incidit etiam Vallesios noster loco citato dicens: *Solùm ergo asseruit Philosophus, putredinem esse communem passionem frigoris, & caloris, quia omnia putrida necessariò calefiunt primò contra naturam, postea verò redduntur frigida euaporato calida, & resolutis partibus igneis, introductaque forma noua in partibus terreis.* Id constat ex propria doctrina Philosophi; nam post verba relata reddens causam, cur putredo sit passio communis caloris, dicit ita: *Ob eam enim rem putrida omnia sicciora fiunt, & tandem terra, & cinis, proprio enim calore exsolescente naturalis humor vnà cum eo per vaporem emittitur:* est ergo putredo passio caloris, & frigoris primariò, & ab hoc efficienter dependet, frigoris verò per accidens, & consequenter non quia putredo à frigore causetur, sed quia subsequitur ad consummatam putredinem.

Ad quintum respondetur, quòd humores crassi, & frigidi obstruentes non causant putredinem infrigidando, sed propria corporatura obstruendo, & frigore condensando, & occludendo poros, quibus impeditur ventilatio, & fuligines detentæ calefaciunt, & causant putredinem; eodem modo operantur passiones animi, per accidens, inquam; nam timor non est passio frigida omninò, sed partium externarum primo insultu, cor verò incalescit potiùs retrocessu caloris ad intra, nisi tanta fiat retractio, & tam debilis sit calor, quod statim homo pereat extincto calore per suffocationem. Sæpè verò ex retrocessu caloris, & sanguinis ad interna durat obstructio, quæ postea est febris occasio. Idem de tristitia intelligetis, etsi hæc subitò interficere nequeat sicut timor. Idem contingit in somno longiori, in quo non solùm fit retrocessus ad intra, vt in passionibus animi, sed etiam impeditur caloris vitalis distributio à vaporibus, & humoribus crassis, qui obstruentes febrem causant eo modo quo diximus. Sæpè etiam sub his passionibus debilitatur calor natiuus extremè, ita vt postea causæ calefacientes contra naturam diutiùs intra corpus durantes faciliùs corrumpant humores, aut quod certius est, ob debilitatem natiui caloris non expellantur calida excrementa, & detenta causent febrem. Qua ratione immodica coacuatio aliquando est causa putredinis, interim verò nimia agitatione humorum, spirituum, & corporis intenditur, vt in quouis alio motu. Potus verò aquæ frigidæ febri occasionem præbet, quia frigiditate condensat, & repulsione humorum obstruere potest, & sic impedire ventilationem, debilitat etiam vitalem calorem, & corpus humectat, ob quæ putredini confert.

QVÆSTIO VI.

Vtrum calor putrefaciens debeat esse externus, & excedens frigiditatem?

PRimum quod inquirit quæstio est, vtrum calor inducens putredinem debeat esse externus, ita vt nihil ab interno calore, & proprio putrefiat. Et pars affirmatiua communissima est in tota schola Medicorum, putredinem scilicet semper causari à calore extrinseco, & violento rei putrescentis; constat liquidò ex allata definitione Arist. dicentis, *esse interitum caloris natiui in quouis humida a calore alieno.* Idem docet vbicumque agit de calore vt putredinis causa, suntque innumera loca Galen. quibus idem docet, vt 11. *meth. cap.* 8. reddens quidem rationem cur putredo à calore externo fieri debeat, inquit: *Non enim profectò à proprio calore corrumpitur quidquam.* Idem tradit 2. *lib. de differentiis* A *febr. cap. 9. & 2. de victus ratione, commem.* 14. Et ratio est, quia calore naturali, vt inquit Galen. *loco* 1. *citato* quidquid in rebus subsistit, augetur, roboratur, sanum est, ac viuit, hocque durat quamdiu animal proprio calore regitur. Idem docet S. Thom. & Niphus *in scholio definitionis Philosophi*, estque communis Medicorum consensus. Proprium placitum hac ratione confirmant, quia coctio, & putredo opponuntur, & contrarias dispositiones inducunt; cùm ergo à calore naturali viuens coquatur, & seruetur, nequit hoc idem concipere putredinem ab eodem calore; nam idem passum perpetuò recipit eundem effectum inuariato agente, præterquam quod cùm putredo tendat semper in corruptionem, & nihil ab interno principio corrumpatur, nequit ab interno calore putrescere.

B Sed Argenterius, vt anteà vidimus, putauit dari naturalem putredinem, hancque esse senectutem, appellatque inconstantem Aristotelem, quia sua principia non seruauit: nam cùm docuerit, viuentia consenescere ab interno calore humidum dissipante, & hæc corruptio sit necessariò putredo, sicut datur naturalis corruptio, ita datur naturalis putredo, id est facta ab interno calore; itaque naturalis senectus nihil aliud est in opinione Argenterij, quàm putredo naturalis ad interitum ducens, & sicut Arist. docuit *lib. de longitudine, & breuitate vitæ*, mortem naturalem dari ab interno principio, ita & interna putredo concedenda est, colligitque, quòd sicut datur generatio naturalis ab interno principio, ita & eius oppositum ab interno principio conce- C dendum est; dixit verò Philosophus 4. *meteor. c.* 1. putredinem esse maximè oppositam ortui naturali rerum.

Rursus idem probat Argenterius, quia sæpè contingit biliosos humores, & calidiores partibus ipsis corrumpi; in quo euentu dici non potest, quòd putredo causetur ab extraneo calore, sed ab interno humorum, quia sunt calidiores partibus. Contra quam conclusionem militant etiam omnia argumenta in præcedenti quæstione adducta, quibus probabatur à frigore ambientis putredinem fieri, saltem occasionaliter, in qua hypothesi non fit putredo nisi à calore interno. Idem cum Argent. sustinet Vega 1. *de differ. febr. cap.* 6. *fol.* 456. repetens plura, quæ anteà dixerat, & de nouo confirmans, quia tempore hyemis agitur putredo, & æstate aliquando non fit, quando videlicet magnus est D calor, & corpora exsiccat resolutione humiditatum: ergo hyemis tempore sine calore externo celebratur putredo, & per æstatem non fit, quando intensius est, etsi ab eo corpora alterentur: est ergo impertinens calor externus ad putrefactionem.

Præterea argumentatur Vega, omnia reposita, & inclusa, vt clausa domus, vestes, liquores in lanigenis, vel vtribus semiplenis, frumentum in horreo, & aqua stagnans facilè putrent, quæ omnia si aëri exponantur, minus putrent, & corrumpuntur; si verò ab aëre ambiente putredo excitaretur, deberent citius putrescere, quando magis calori aëris exponuntur, cuius contrarium experimento constat: ergo si inclusa, eo quòd ab aëre non alterantur, corrumpuntur faciliùs, impertinens est calor externus ad illam mutationem, & si confert, faci- E liùs putrescent quæ exponuntur calori aëris, quod est falsum; putauit ergo hic auctor, omnia mixta naturaliter pati proprij & natiui caloris exhalationem perennem, dum ob aliquam non benè coërcetur; quod contingit præcipuè propter defectum humidi debiti, & quia calor exhalans detinetur in rebus inclusis iuxta earum superficiem, ideò à calore proprio corrumpuntur; at verò quando aëri exponuntur, quia separatur ventilatione calor ille, ideò non putrefieri.

Sed hæc non obstant, vt propter illa deserantur Arist. & Galen. Ad primum respondeo, quòd etsi detur naturalis corruptio, non sequitur dari naturalem putredinem ab interno principio causatam, quia non dicuntur ad

conuer

conuertentiam, & ita rectè dati potest naturalis interitus absque putredine; nam quæuis alteratio contra naturam tollens conseruatiuam dispositionem causat interitum, & non omnis alteratio; quomodo verò causetur absque putredine naturalis interitus, doctè tradidit Magister noster *in parte naturali*; falsò itaque putauit Argenterius senectutem esse veram putredinem, & omnia necessariò interire media illa. Est etiam improbabile quod continebat argumentum secundum; nam humor biliosus, & quidquid est alio calidius, corrumpi nequit ab eo quod frigidius existit per putredinē. Vnde quando intra carnes, aut alias partes frigidiores humore bilioso huius putredo contingit, ob admixtionem alicuius rei fit; est autem detenta fuligo, aut aliquid ei proportionabile. Reliqua verò argumenta concludentia à frigore causari putredinem, soluta iam sunt præcedenti quæstione.

Vnum tamen superest argumentum non contemnendum, cur cùm causa æquiuoca eo ipso quòd talis est, plures effectus in virtute contineat, determinatur ad productionem huius, vel alterius, iuxta diuersam passi dispositionem. Ex quo sic argumentum formatur. Idem calor in specie concoquit, & putrefacit: ergo vt concoquat in hoc subiecto, & aliud putrefaciat, dependet ex reliquis dispositionibus, quibus determinatur aut ad coquendum, aut putrefaciendum: ergo idem calor qui modò coquit, & hoc determinatum subiectum continet in naturali dispositione, poterit idem numero putrefacere, si varietur dispositio subiecti. Vnde idem numero calor formæ bilis debitus illam putrefaciet, si in reliquis qualitatibus ad putredinem conferentibus conueniens est dispositio, & proportio; & ita si à carnibus, verbi gratia, præter naturam humectetur humor biliosus, idem calor anteà conseruans, & in debita mixtione continens corrumpet illum, & putrefaciet; calor ergo internus, & naturalis determinari potest ad putredinem propter variationem aliarum dispositionum, quamuis calor inuariatus maneat, nihilque communius in Philosophia, quàm idem agens diuersus effectus producere inuariatum manens, si in passo varientur dispositiones naturales ad diuersos effectus conferentes. Quo argumento videtur probari ignem putrefieri posse, neque obstare solutionem communem, id nullo modo contingere, quia à nullo agente externo potest calefieri contra naturam. Sed contra est, quia cùm minor calor putredinem causet propter adiunctas dispositiones ad illam conferentes, si ignis humectetur, vt potest, contra naturam corrumpetur putredine. Sed huius argumenti solutio inferius adducetur inquirendo, virum quæ putrescunt, reddantur necessariò calidiora?

Ad fundamenta Vegæ respondetur. Ad primum iam diximus, qualiter per hyemem seruentur corpora imputrida, & qua ratione aliquando occasionaliter ad putredinem conferat; & cùm certum sit calorem solum, etsi intensum, & magnum, non sufficere ad putredinem, cùm requiratur humiditas certa, si hanc absumit aliquando propter nimiam intensionem, mirum non est per æstatem corpora liberari aliqua à putredine exsiccata nimis propter resolutionem humiditatum.

Ad aliud argumentum, quod hunc auctorem malè torsit, respondetur facilè, quòd corpora inclusa, & non ventilata putrescunt, quia ob defectum aëris, & debitæ ventilationis manet applicata causa putredinalis, quæcumque illa sit, dum verò aëri exponuntur, liberantur à putredine, quia ventilatione separatur causa inductura putredinem: hoc autem intelligendum est dummodò exponantur aëri frigido, & ventilanti; nam si esset calidus, vt causa quæ applicatur, existebat, non minus aër putrefaceret, quàm illa, quia remedium consistit in ablatione causæ calefacientis; & ita aër calidus non minus putrefaciet, quamuis ventilet. Reliqua verò argumenta ab hoc auctore adducta in confirmationem

A suæ doctrinæ admittenda non sunt, quia improbabilia iuuata Philosophiam veram.

Sed circa adductam doctrinam contradictio inuenitur in ipso Arist. 4. enim *Meteor. c.1.* docuit, id quod mouetur, & fluit, imputridum magis seruari, eo quòd à motu cessat: constat in aqua pluuiali respectu stagnantis, hæc enim, quia quieta, statim corrumpitur; altera verò quia mouetur, & ventilatur, seruatur imputrida. At verò idem Aristot. *sect.21. problem. quæst.4.* contrarium tuetur; inquirens enim, cur fructus, & carnes, & cætera id genus vtribus vehementer inflatis contenta, valeant incorrupta durare; responder, quia omnia solent corrumpi quando mouentur; quæ autem plena sunt, immota consistunt; non enim fieri potest, vt mo-

B tus agatur sine spatio inani, & quia inclusa spatium inane non habent, per quod ferantur, ideo seruantur incorrupta. Conciliator ita controuersiam dirimit; dicit enim, quod primo loco erat sermo de motu locali; nam hic semper confert ad imputrescentiam, quia semper ventilat: at *in problem. adducto* loquebatur Philosophus de motu alteratiooit, & ita cùm putredo requirat alterationem contra naturam, si corpora maneant immota, id est, non alterata, seruatur sine corruptione. Sed hæc expositio verbis Philosophi aduersatur omninò; nam dixit, quòd plena persistunt immota, quia motus agi non potest nisi per vacuum spatium; constat verò id non posse habere veritatem nisi de motu locali; iste enim medium liberum requirit, & ille solus per spatium fit. Idem problema adduxit Philosophus

C *sect.25. quæst.16.* dicens: *Cur incorrupta seruari possunt, quæ vtribus continentur inflatis, aut vasis bene coopertis? an quia putrent omnia, cùm mouentur; omnia autem quæ sunt plena, immota fiunt.*

Mihi videtur dicendum, motum localem cuiuscumque corporis semper conducere ad ventilationem, quia semper quod mouetur, tangitur ab aëre imperu maiori, & separantur externa applicata corrumpere potentias, & ita sententia Arist. *in problematibus* sustineri non potest, si de motu locali intelligatur eius solutio. Cur verò liquores implentes omninò vasa, quibus continentur, seruentur diutius sine corruptione, quàm liquores existentes in vasis semiplenis? aliam habet causam: nam præterquam quod vasa continentia conferunt ad eorum conseruationem propter nimiam siccitatem, qua

D constant, resistunt magis aëri externo, & ita quia hic est, qui frequenter corpora corrumpit, ideò vasa resistentia aëri corrumpenti impediunt putredinem liquoris interius contenti, quia non alterauit ab aëre: & eadē est ratio cuiuslibet alterius corporis potentis corrumpere. Vnde Conciliatoris expositio vera est, quamuis non consona doctrinæ Aristotelis, neque illius quæsito. Quando verò contingit liquores contineri in vtribus plenis omninò ab eodem liquore, quia inter liquorem, & vas, quo continetur, non mediat aër, & quia iste corrumpitur facillimè inclusus, ideò corrumpit liquorem interius contentum. Et hæc est solutio maximè correspondens solutioni problematis; nam hic liquor replens omninò vas manet immotus, quia non est spa-

E tium per quod possit moueri, haber nihilominus conditionem illam incorruptibilitatis cum quiete propria.

Secundum, quod inquirit quæstio, est difficilius, & à nullo hucusque in controuersia positum. Inquirimus itaque, an ad hoc quòd aliquid putredine afficiatur, teneatur calor excedere frigiditatem, ita vt nihil deinceps actu putridum à prædominio frigidum, ac per consequens pituita, v. g. quæ est frigidissima omnium quæ sunt in corpore, vt putrefiat, debet reddi non tantùm calida contra naturam, sed etiam magis, quàm frigida. Constat verò ex Aristotele nihil deduci posse ad solutionem conferens, quia in definitione putredinis solùm dixit esse interitum caloris natiui à calore externo,

&

& rursus docuit consequenter, quæ putrefiunt reddi calidiora; hæc autem vera esse possunt, etsi corpus putrescens non fit plus calidum, quàm frigidum.

Mihi videtur probabilius, nullam rem putrefieri in facto, nisi calor frigus excedat. Id probari potest, quia omnes Auctores docent pituitam absoluta putredine, & non respectiua, aut determinata febrem causare, & cùm ad febrem putent esse necessarium omnes partes nostri corporis posse calefieri, & debere, etsi non sit aliquod inconueniens, & sint multæ partes à prædominio calidæ in naturali statu, tenetur pituita excedere absoluta putredine omnium partium naturalem calorem, quia illum debent intendere, & per consequens putredinem in illa non causari, nisi à calore superante frigus.

B Quia verò hoc argumentum semper probat de determinato effectu corpus humanum apprehendente, & ex illo in particulari ad omnem putredinem deducere conclusionem, est argumentatio fallacissima, alia via probanda est assertio nostra. Probatur autem ex his, quæ docuit Aristot. & experimento confirmantur, dixit enim, *omnia putrescentia sicciora fieri, & tandem terra, & cinis, proprio enim* (inquit) *calore exsolescente naturalis humor vna cum eo per vaporem emittitur.* Ex qua doctrina colligitur, quòd omnis calor inducens putredinem tenetur esse tantæ intensionis, vt in vaporem permutet omne, quod verè est putridum; constat autem nil in vaporem mutari à prædominio frigidum existens, cùm omnis vapor sit leuis, & leuitas semper causatur à calore excedente frigus: si autem putredo posset induci à prædominante frigore, esset doctrina Philosophi improbabilis, omnia scilicet putrescentia tandem exsiccari, & fieri terram, & cinerem, cùm id euenire nequeat nisi leuitate causata à putredine separatis partibus putridis.

C Nec valet, si dicas, plura corrumpi putredine, quæ nullatenus fiunt leuia. Patet in metallis, & lignis carie corruptis. Sed quamuis hoc sit verum, non tollit doctrinam Philosophi, quia si omnia quæ in vaporem permutari possunt, dum putrescunt, mutantur, sit in eis putredo à calore prædominante, & ex hoc principio colligitur, omnia alia ab eodem calore excedente frigus putrefieri debere: quòd autem metalla leuia non fiant, etsi putrescant, non tollit, quod sint calida à prædominio, quia sunt actu putrida, quia ad inducendam leuitatem à prædominio, requiritur præter caloris excessum aliarum qualitatum consortium, quod putredo non requirit, nihil enim fit leue à prædominio, quod simul non sit rarum, & tenue certo modo; & quia metalla, & reliqua corpora grauia illum modum acquirere nequeunt, dum calore putrescunt, ideò non fiunt leuia, quamvis sint calida à prædominio. Dicendúmque est, quòd modus substantiæ acquirendus putredine talis est naturæ, vt nisi à calore dominante fieri nequeat; nam cùm sit mutatio quædam mixtum dissoluens, & euaporationem partium causans, ideò requirit calorem prædominantem vt fiat. Hanc doctrinam sequutus *tractat. de febrib.* docuit, corpora frigida tardiùs incidere in febrem non solùm ob communes rationes ibi allatas, sed propter adductam modò, quia scilicet non causatur à Deo nisi à calore prædominante, & per consequens pluribus gradibus indiget natura frigida, vt cadat in febrem, quia magis distat à prædominante calore.

D Tandem notabitis ad soluendum plurima argumenta, quæ contra Aristot. adducuntur, quòd hic calor externus causans putredinem frequentissimè est aëris ambientis, & propterea illius solùm fecit mentionem Philosophus: negari tamen non potest, quemcumque alium calorem eundem effectum causare posse; nam cùm omnis calor sit einsdem naturæ, & habeat eandem rationem violenti, à quocumque agente externo producatur, similem inducit putredinem, & ideò in nobis, &

E reliquis viuentibus sensibilibus contingit putredo, quando ambiens summè alget; & ob eandem rationem viuens incidit in febrem cum maiori periculo; causatur verò putredo à calore excrementorum, & maximè à calore fuliginum, quando propter obstructiones, aut cutem constipatam interius detinentur: sic piper, aqua vitæ, & alia nimis calida, dum interius assumpta actuantur, febres accendunt, quamvis aër sit satis frigidus.

QVÆSTIO V.

Vtrum humiditas ad putredinem conferat, & qua ratione.

Hvmiditatem ad putredinem requiri, publicè ab omnibus confitetur, & in definitione Arist. docuit, dicens, quòd *putredo est interitus natiui caloris in quouis humido*: ob quam rationem vt corpora à putredine præseruentur, omni arte, & ingenio exsiccantur; qua ratione docuimus antea calorem intensum humidam substantiam depopulantem, & resoluentem, & per consequens ex accidenti exsiccando putredinem cohibere, quoniam tollit humiditatem requisitam ad illam mutationem; sic sal, etsi calidum, à putredine præseruat, quia siccitate nimia potenter exsiccat. Eodem modo omnia amara, quamuis calida, putredinem inhibent, quoniam valdè exsiccant, & experimento constat in eodem ambiente res siccas incorruptas manere, quando humidæ putrilaginem magnam concipiunt. Galen. *lib. 5. simplic. cap. 6.* nos docuit, medicamenta putrefacientia debere esse calida, & humida.

Maius dubium est, qua ratione humiditas ad putredinem conferat? Vallesf. noster. 4. *meteor. fol. 32.* existimat concurrere efficienter sicut concurrit calor; supponit enim vt certum, humiditatem esse qualitatem actiuam, & per consequens si confert ad putredinem, id habet vt efficiens, & constat (inquit) *quoniam res citius putrescunt in aëre calido & humido, quàm in calido tantum*: ergo aër agendo, & producendo humiditatem in re putrescenda machinatur corruptionem illius. Neque obstat dicere, humiditatem concurrere per accidens, quia cùm sit actiua qualitas (inquit Vallesf.) necessariò concurrit per se, ob idque putauit Galenus loco allegato, medicamenta putrefacientia debere esse calida, & humida; constat autem per se producere humiditatem, non minus quàm calorem, & rehumectari posse per se: ergo est requisitum ad illius putredinem non minus calefieri.

Secundò probat, quia tunc contingit putredo, quando humidum exorbitat supra calidum, & ab hoc non vincitur, neque benè continetur in mixtione: sed hæc exorbitantia non minus resultat, quando calidum imminuitur, quàm quando humidum augetur: ergo per se concurrit humidum ad putredinem, vt concurrit per se ad exorbitantiam supra calorem. Vlterius, quia idem non potest esse causa contrariorum: sed calor in nostra opinione concoquit: ergo non putrefaciet efficienter, cùm putredo opponitur coctioni: ergo humiditas concurrit necessariò vt efficiens putredinis, cùm non detur alia causa effectiua illius.

Hæc sententia improbabilis putatur in nostra schola, & primò ad hominem est argumentum contra Vallesf. putauit enim calorem, & frigus solùm esse efficientiam passionum mixtis euenientium; humiditatem verò, & siccitatem esse passiuas. Verba auctoris sunt: *Nam cùm agendum sit de his passionibus, quæ in mixtis substantiis contingunt, cùm scitum sit calorem & frigus esse qualitates agentes, ubi de causa efficienti cuiusque passionis cœptum fuerit disputare, iam hinc intelligemus eam in calore, & frigore esse; cùm verò de potentia faciendi rem, procul dubio in humore, aut caliditate collocabis.*

Et

Et quòd humiditas non concurrat efficienter colligunt ex ipsa definitione Arist. dixit enim *esse interitum caloris natini in quocumque humido à calore alieno*: vbi verba, *à calore alieno*, clarè demonstrant calorem efficientem, sicut illa, in quouis humido, causam materialem, aut aliam conditionem, non tamen efficienter significare possunt; esset enim tanto auctore indignum loquendo explicare causam efficientem per particulam *in*: & quidam probant ex eo, quòd putredo non fit à sola humiditate, alioquin calor esset excludendus à ratione causæ efficientis, quod est contra communem auctorum consensum: ergo erit causa partialis, & per consequens esset ibi assignanda aliqua ratio in effectu aut putredine, nulla tamen datur, quæ humiditati respondeat: ergo non est causa efficiens. Quod autem debeat illi aliquid correspondere in effectu patet, quia cùm calor, & humiditas non sint causæ subordinatæ, necessariò cuicumque correspondebit aliqua ratio in effectu, alioqui non constabit causas veras illius effectus fuisse.

Neque rationes Vallesij aliquid faciunt; nam cùm humiditas requiratur ad putredinem, ideò in aëre calido, & humido res faciliùs corrumpuntur, inde tamen non constat effectiuè concurrere. Nec valet: humiditas est actiua qualitas: ergo concurret actiuè ad quemcumque effectum, pro quo putatur necessaria, quia putredo non est humidum, sed aliquid diuersum, ad quod potest concurrere, & esse necessaria, non tamen vt causa efficiens.

Ad secundum respondeo, quod humidum exorbitare non fit per alterationem humiditatis, nam illud exorbitare propriè dicitur de partibus; non verò loquitur de simplici alteratione, cuius causa, etsi humiditas intendatur, non tamen exorbitant partes humidæ substantiales supra caliditas mixti: & ita argumentum non est ad rem.

Ad tertium respondeo quòd causa æquiuoca benè potest diuersa producere, diuersosque effectus, propter diuersitatem materialium dispositionum petentium diuersos effectus, quos calor eminenter continet: & hoc contingit in calore respectu coctionis, & putredinis, quarum qualitatum naturam eminenter, & virtualiter continet.

Alia opinio celebris in nostra schola est, humiditatem vt est qualitas, nullo modo concurrere ad putredinem, sed solùm corpus humidum, prout dicit humiditatem excrementitiam imbibitam intra corpus, quod putrescit, ita vt sicut coctio dicit perfectionem talis temperamenti ex ablatione excrementorum, quæ dicuntur patibilia opposita, ita putredo sit corruptio cum positione excrementi humidi imbibiti intra poros rei putrefactæ. Et quod sit intelligenda humida substantia, probant ex Aristotele dicente, *putredinem esse interitum natini caloris in quouis humido a calore extraneo*; vbi posuit calorem in abstracto, humidum verò in concreto, & vt corpus includit substantiam extraneam. Cùm ergo nequeat intelligi de substantia naturali, cùm nulla detur correspondens elemento humido, & quamuis daretur, poneretur frustra sola humida substantia, cùm per putredinem corrumpantur omnes partes, & substantiæ, necessariò colligitur debere intelligi excrementitiam humiditatem in definitione Aristot. Secundò dicunt, quòd sicut in definitione coctionis posuit Philosophus particulam, *ex oppositis patibilibus*, quæ denotat terminum, & dispositionem antecedentem auferendam per coctionem, ita in definitione putredinis posuit particulam in humido, quæ denotat excrementi humidi permanentiam, ita vt corruptio fiat à caloris actione, sicut à permanentia talis excrementi humidi; dicúntque ita opinantes, assertionem positam experimento probari: semper enim in re putrida experimur esse imbibitam humidam substantiam excremen-

A titiam, & hanc auferri exsiccantibus rebus, quando intendimus aliquod mixtum præseruari à putredine.

Hanc sententiam probare non possumus. Primò, quia non explicat definitionem Philosophi in rigorosa significatione, cùm dicat esse putredinem corruptionem caloris natiui in quouis humido: si autem Philosophus solùm intelligeret excrementitiam substantiam, non diceret, in quouis humido, sed determinatè loqueretur. Secundò quia impertinenter omnino ponitur talis imbibitio extraneæ substantiæ. Patet, quia in hac opinione non ponitur, vt alteret rem putrefaciendam. Tum quia supponit humiditatem actiuam non esse, quod est chimæricum, & manifestè sensui repugnans, cùm non minus per tactum iudicemus hunc locum esse humidum, quàm calidum, aut frigidum, & res frigidas in B loco humido collocatas benè humectari in omni entitate, sicut infrigidantur, aut calefiunt in calidis, aut frigidis locis. Si ergo non ponitur, vt alteret corpus putrefaciendum, constituitur vt corporatura disponat mixtum putrefaciendum; non ergo est alius modus quo res extranea ad aliquem effectum disponere possit; si autem corporatura disponit, impertinens est, quòd sit humida talis substantia: ad quid enim talis qualitas requiritur in substantia imbibita, si ad putredinem mixti nihil ab illa qualitate producitur. Si autem dicas requiri humiditatem in substantia imbibita, vt sit liquida, & madefaciat rem putrefaciendam: Contra est ratio euidens, quia eodem modo disponeretur res ad putredinem per imbibitionem aceti, vini, aut olei, C vel aquæ salsæ, quod est absurdum. Patet, quia madefaciunt mixta, & intra illa imbibuntur non minus quàm aqua, aut alia humida res, præterquam quod humidam substantiam esse fluidam, aut liquidam, est omninò impertinens ad putrefaciendum, cùm propria substantia solida putrescat verè, & hæc imbibita, & extranea conducit ad putrefaciendum. Et probatur efficaciter, quia res omninò sicca in aëre humido collocata corrumpitur, & putrefit facillimè, cùm tamen aër ambiens nec sit liquidus, nec madefaciat aliter quàm humectando rem, quam alterat.

Præterea in doctrina Galeni, interna, & propria humiditas, vt qualitas est, ad putredinem facit. Patet, quia 8. *method.* materiam humidam, & calidam primo loco constituit ad cadendum in febres putridas, & hoc con-D siderata naturata seorsum absque præsentia alicuius excrementi extranei, cùm comparet temperies conuenientes hominibus in ordine ad alterationem causarum externarum.

Et probatur efficaciter, quia si excrementorum humidorum præsentia absque alteratione humiditatis esset sufficiens dispositio ad putredinem, etiamsi res putrescenda esset intrinsecè sicca, non minus putrefieret, quàm si esset intrinsecè humida. Patet, quia non disponitur hoc corpus per alterationem, sed per imbibitionem substantiæ extraneæ.

Et confirmatur: quia hæc imbibitio extraneæ substantiæ, si non alterat mixtum putrefaciendum, solùm potest conducere in quantum causat certam præsen-E tiam localem; nam intromissio corporis quanti, aut solùm replet cauitates alterius corporis, aut illud distendit; nihil enim aliud à corpore, vt quantitate affectum causatur; constat verò localem præsentiam diuersam non disponere ad determinatam alterationem in specie, qualis est putredo, sed magis, aut minus resistit omnibus in communi, prout densatur, aut rarefit, si in sola partium positione raritas, & densitas consistunt, vt multi opinantur probabiliter.

Quartò, quia hoc sustinentes tenentur affirmare ad inducendam vstionem esse dandum aliud excrementi genus imbibitum intra corpus quodlibet alterandum vstione, quod nullus dixit. Probatur, quia terminatur ad alterationem subuertentem naturalem temperiem

non

non minus quam putredo; vnde sicut putredo fieri non potest sine imbibita substantia humida, ita neque vstio: constat, quia siccitas in hac opinione non est actiua, sicut non est humiditas: ergo vt corpus ad vstionem disponatur, cùm debeat exsiccari contra naturam, vt humectari putrefaciendum, non est modus, quo exsiccari possit, nisi siccitas carnem humidam exiccet, sicque ad vstionem disponat.

Nec valet, si dicas, disponi carnem v.g. non quia exsiccetur à qualitate prima operante, siccitate scilicet, sed quia à calore resoluatur humiditas, & sic ab interno principio exsiccata caro vritur à calore. Sed contra est, quia ex hac solutione sequitur euidenter, requiri intrinsecam siccitatem in carne humida, vt vstionem patiatur. Patet sequela, quoniam siccitas, quæ ab interno principio dimanat, in sola carne recipi potest, & per hanc disponitur ad vstionem: ergo caro exiccata indigebit intrinseca humiditate, vt putrefiat, & caro cum naturali humiditate existens indigebit humiditate violenta intrinseca, vt corrumpatur putredine: non est autem modus, quo talis intrinseca humiditas producatur in carne, si humiditas actiua non est. Probatur, quia imbibitio substantiæ humidæ non est nisi iuxta positio, & applicatio agentis potentis humectari, non verò humectatio, & quantum ad intrinsecam temperiem eodem modo se habet caro per imbibitionem, sicut si talis non esset, semel concesso, quòd humiditas actiua non sit: est ergo merum figmentum in Philosophia, per solam imbibitionem substantiæ humidæ sine alteratione carnem disponi ad putredinem, cùm sit impertinens ad imbibitionem, quòd sit formaliter humida; acetum enim siccissimum, & muria, aquàque vitæ imbibuntur non minus, & ad putredinem nullo modo disponunt, cùm potius illam impediant: si ergo humiditas imbibitæ substantiæ nihil operatetur in mixtum putrefaciendum, impertinens est omninò in substantia imbibita, vt ex allato discursu patet.

Neque adducta in confirmationem relatæ sententiæ aliquid probant; nam tantum abest, quòd illa particula, *in humido*, referat excrementitiam substantiam, quod potiùs putent referre ipsam substantiam putrefaciendam, vt sit sensus: putredo est corruptio natiui caloris in quouis humido à calore alieno, id est, calor externus putredinem inducit in quouis mixto humido interimendo natiuum calorem illius; nam illa particula, *in*, causam materialem, aut subiectum, quod putredinem recipit, propriissimè significat, & per illam optimè explicatur. Sanctus Thomas *in comment. huius loci*, explicans Philosophum ita loquitur, & dicit; *quòd putrefactio est corruptio propria, & naturalis caliditatis, facta à caliditate extrinseca, contenta scilicet in humido naturali.* Ecce qua ratione Sanctus Thom. per subiectum explicat, & illud dicit, quòd sit naturale humidum, & non excrementitium, vt putauit contraria opinio. Idem tenet August. Niphus dicens: *Subiectum, & materia est humidum.*

Nec valet argumentum sententiæ contrariæ, nempe quòd media putredine totum mixtum corrumpatur, & per consequens non tantùm partes humidæ. Sinistre quidã intelligitur Aristot. nam etsi totum corrumpatur, potest existere occasiu putredinis in certa huiusmodi passione, præterquam quod in sensu veriori intelligitur per quodvis humidum, subiectum, aut pars illius humiditate affecta, quia sine illa nequit induci putredo, ita vt quæuis pars mixti obtinens humiditatem putredini debitam sit, quæ putredine afficitur, quando à calore violento, & externo alteratur.

Secundum argumentum, quod per similitudinem tradebatur ex definitione coctionis, nullatenus est admittendum; nam neque per parihilia opposita necessariò intelliguntur excrementa, vt iam exposuimus, neque inde colligeretur (quamuis essent) debere conce-

A di excrementa ad inducendam putredinem eo modo, quo putauit opinio contraria. Fatemur etiã res humidas extractione humidæ substantiæ præseruari à putredine, quia redduntur ab interno principio sicciores, & sic fiunt incapaces putredinis; negamus tamen semper extrahi humiditatem excrementitiam; quia absumendò etiam naturales humiditates, non minus præseruantur à putredine, quia naturalis humiditas confert etiam ad cadendum in illam facilius, vt docuimus exponentes caput Auicennæ de corporibus præparatis ad febrem. Dico vlterius, quòd si res non exsiccaretur internè, non redderetur indisposita ad putredinem, quamuis absumeretur quælibet substantia humida, quia hæc solùm disponit ad putredinem, in quantum intrinsecè humectat per alterationem rem putrefaciendam.

B Ex dictis satis probabiliter sustineri potest, humiditatem ad putredinem posse esse natiuam, & debitam rei, quæ putrescit. Itaque non repugnat esse aliquod mixtum tam humidum ab interno principio, quòd si adueniat calor contra naturam, verè putrefiat absque aduentu nouæ humiditatis. Idque colligitur in primis ex definitione Arist. dicentis *in quouis humido*; itaque non solùm in extraneo, sed in quolibet, vt rigorosè significant verba. Et Sanctus Thom. *in comment.* clarè posuit humidum naturale vt subiectum putredinis, & ratione efficaci probatur. Si ob aliquam rationem non posset humiditas naturalis ad putredinem disponere, maximè quia naturalis est huic mixto; nam vt humiditas disponit, vt omnes docent; sed esse naturalem non obstat: C ergo. Probatur, quia quando aqua mutatur in terram, naturalis aquæ frigiditas disponit ad eam permutationem, quia cùm sit summè frigida, & terra calorem non habeat ex se, medio quo remittat summam aquæ frigiditatem, per solam exsiccationem causatam à terra mutatur in illã, & quamuis remitteretur frigiditas aquæ, non tolleretur quod dicimus; nam adhuc remissa frigiditas tota est naturalis elemento aqueo: ergo quod est naturale huic subiecto, si adiungatur qualitati alteri, contra naturam conducet ad effectum contentum eminenter, aut in qualitate coniuncta, aut in vtrisque simul. Itaque sicut naturalis frigiditas aquæ cum humiditate disponit ad aquam, ita cum siccitate disponit ad terram, quia vtriusque elementi est naturalis dispositio, & per coniunctionem cum altera qualitate determinatur, vt dis- D ponat ad hoc, aut illud elementum: sic similiter humiditas naturalis huic mixto cum determinato calore confert ad illius perfectam mixtionem, aut coctionem; cum maiori verò calore, & violento disponit ad putredinem, quia determinatur per coniunctionem cum maiori, aut minori calore ad effectus secundarios diuersos, quos calor eminenter continet, aut quia putredo cum tanto calore non exposcit maiorem humiditatem, quam conuenientem huic subiecto secundum naturam. Finge enim, quod bilis concipit putredinem cum humiditate vt quatuor, & calore violento, & præternaturali, si hanc humiditatem vt quatuor habet pituita ex propria natura, putrefiet accedente calore præternaturali, eo quòd putredo cum humitate vt quatuor, & certo caloris gradu inducitur in alio subiecto, & ita non E est, cur in pituita non producatur putredo similis, quamuis humiditas sit pituitæ naturalis.

Sed quia integra decisio nostra dependet ex resolutione subsequentis quæstionis, ideò priùs exponemus, in quo consistat natura putredinis, vt inde constet, qualiter humiditas ad putredinem conferat.

QVÆSTIO VI.

In quo consistat natura, & essentia putredinis?

PVtredo, vt iam ex Arist. retulimus 4. *meth.c.1. est interitus proprij, ac naturalis caloris in quouis humido ab alieno calore.* Ex qua definitione colligunt aliqui, essentiam, & naturam putredinis constituendam esse in corruptione caloris natiui. Probatur; quia in eo consistit essentia, quod in definitione ponitur: sed in illa constituitur natiui caloris interitus: ergo in eius corruptione consistit natura putredinis.

Secundò probatur, quia iuxta communem doctrinam Medicorum, duo solùm reperiuntur in mutatione putredinis, & caloris natiui, interitus, & separatio partium humidarum à siccis; sed in hac separatione consistere nequit essentia putredinis: ergo collocanda erit in interitu caloris. Probatur minor; quia si in separatione consisteret, causaretur putredo ab interno principio, quod est contra definitionem Philosophi asserentis fieri ab extraneo calore. Constat discursus, quia in doctrina Aristotelis mors naturalis contingit ab interno principio, calore, inquam, natiuo depopulante humidum radicale: ergo separat humidam substantiam à sicca, & per consequens putredinem causat, si in relata separatione partium humidarum à siccis natura putredinis constituatur.

Tertiò, quia coctio, & putredo ex communi consensu opponuntur, sed coctio consistit in perfectione natiui caloris: ergo putredo collocanda erit in interitu, & corruptione eiusdem.

Hæc sententia ab omnibus improbatur, quia putredo est quid positiuum secundùm omnium doctrinam: at corruptio natiui caloris quid priuatiuum est, & per consequens in illa non consistit essentia putredinis. Maior probatur, quia res putrida & causat maiorem calorem, & contagio afficit alias substantias, quæ sine principio positiuo operandi non dantur. Item quia non cognoscimus rem esse putridam per caloris defectum, sed aliis qualitatibus positiuis, vt ex fœtore, mollitie, laxitate, &c. Vlterius, quia Galenus docuit, & confitentur omnes, putredinem esse viam, & dispositionem ad corruptionem substantiæ præexistentis: est verò omnis dispositio corruptiua quid positiuum, quia tollit qualitates positiuas conseruantes rem quæ putrescit. Tum vlterius, quia loquendo in rigore, non est vnde colligamus, in re putrida esse caloris defectum, potiùs enim apparet calidior, vt constat in humoribus ex spiritibus causantibus febrem media putredine. Quod si dicas cum Aristotele, experimento constare, omnem rem putridam tandem infrigidari, & fieri terram, & cinerem. Contra est, quia hoc solùm contingit, quando iam euanuerunt, & fuerunt mutatæ in halitus omnes partes verè putridæ, & quæ remanent, nullo modo sunt putridæ, neque fuerunt expertæ putredinem, quia non erant inflammabiles, & ideò manent quasi terra, & cinis resolutis partibus humidis, & calidis, quæ verè fuerunt putrefactæ.

Eisdem ferè rationibus improbatur sententia affirmantium essentiam putredinis consistere in separatione partium humidarum à siccis, quoniam nullus putauit putredinem esse motum localem, aut partium vbicationem, & positum formaliter, aut priuationem vnionis, cùm per mutationem substantiæ putrescentia in corruptelam definierit Galen. & alterationem appellet vbique.

Communior sententia in scholis est, quam etiam tenetur Benedictus Vazquez *lib.4. de febrib fol.*428. essentiam putredinis consistere in quadam alteratione facta

A à calore extraneo, & per consequens eius terminus esse qualitas. Vnde colligit, quod cùm hæc qualitas opponatur termino acquisito media coctione, & coctio terminetur in eius opinione ad secundam quandam qualitatem, erit putrefactio motus ad aliam qualitatem secundam repugnantem, & contrariam acquisitæ per coctionem: citat pro se Vallesium 4. *meth. cap.* 1. & *lib.* 5. *controu.c.*19. quibus locis putredinem, & coctionem appellauit mutationes secundùm substantiam, aut substantiæ modum, certaque loca refert ex nostro Magistro, tum *in part. natur.* tum *in disput. de locis affectis*, vbi docuit putredinem ad secundam qualitatem terminari. Fundamentum ad id asserendum adduxit nullum, videtur tamen facilè colligi: nam cùm putredo appelletur à Galeno mutatio, & multis in locis alteratio dicatur,
B & aliàs non terminetur putredo ad aliquam ex primis qualitatibus, quia per solam mutationem simplicem primarum nulla res cocta, aut putrida dicitur, nisi secundùm modum substantiæ alteratur, vt doctè adnotauit Valles. *loco* primò *citato*: colligitur clarè necessariò terminari eam alterationem in aliquam secundam qualitatem. Non dixit hic auctor, an hæc secunda qualitas sit occulta, aut manifesta, sed sicut in confuso constituit qualitatem terminantem coctionem, sustinens esse qualitatem secundam pertinentem ad substantiæ modum, quæ à solo calore fieri possit, ita tenetur dicere de qualitate ista putredinali, si verè contrariam constituit coctionis termino, cùm contraria sub eodem genere sint, & eandem participent naturam communem,
C quamuis contrariam, occultam; itaque nominabit non dubiè hic auctor, nam si manifestam esse putaret, suo appellaret nomine.

Hæc sententia mihi non placet; primò quia non exponens qualitatis naturam, & in occultis collocans, occulta non minus, & obscura censenda est illius doctrina, & reiicienda vt inutilis; repugnat etiam veræ Philosophiæ; nam qualitates manifestas producere occultas, & ignotas, admittendum non est; sicut enim primæ qualitates sunt ex propria natura sensibiles, & manifestæ, ita vt causæ principales nihil operentur, quod manifestum non sit, & sensibus vno, aut alio modo perceptibile, vt constat in leuitate, grauitate, lentore, friabilitate, tenuitate, crassitie, raritate, & densitate; loquor de effectibus non intentionalibus, nam pri-
D mas qualitates producere species sensibiles, vt tactu percipiantur, verissimum iudico, quidquid dicat Vallesius noster; illæ verò species sensibiles non sunt, quamuis sint instrumenta sentiendi.

Et efficacius improbatur assertio dicta, quia citra necessitatem multiplicat hanc innominatam, & occultam qualitatem: constat, quia nihil continetur in definitione Arist. ad cuius explicationem necessarium sit, qualitatem secundam occultam fingere; nam si putredo est interitus natiui caloris à quouis humido ab extraneo calore, quid est in hac definitione, quam tota posteritas Philosophorum vt veram recipit sine hac qualitate occulta inexplicabilem? nihil certè, cùm causas operantes talem interitum satis liquidò exponat
E Philosophus, eiusque expositores tradiderint, calorem scilicet extraneum, & humiditatem.

Alter opinandi modus est in nostra schola, formalitatem putredinis consistere in corruptione natiui caloris ex vi permixtionis extraneæ humiditatis; intelligunt verò per calorem natiuum temperamentum debitum formæ pro eo statu, & ætate, simulque animaduertunt, non quamlibet corruptionem temperamenti esse appellandam putredinem, sed solùm radicalem, id est, quæ ita radicaliter subuertit temperamentum, quod nullo modo forma rei putridæ possit se reducere ad illud; hanc verò subuersionem, vt constituatur putredo vera, dicunt debere fieri à calore extraneo cum peculiari humiditate extranea etiam & imbibita. Vnde colligunt

colligunt, quod putredo dicat respectum, & ordinem ad certas causas, siue efficientes, siue disponentes, sicut perfectio, in qua consistit coctio, dicit respectum ad patibilia opposita, ex vi quorum resultet: ita (dicunt) posuit Arist. in definitione putredinis, quod causetur à calore externo in humido ad explicandam essentiam putredinis.

Hæc doctrina habet contra se omnia quæ adduximus ad probandum fictitiam esse illam imbibitionem substantiæ humidæ extraneæ, quia non explicat ad quid requiratur humida, si humiditas non est actiua, nihilque operatur contra subiectum putrefaciendum: relinquit etiam inexplicatum propter eandem causam, quomodo natiuus calor ab eo corpore imbibito corrumpatur, si nihil producit in re putrefacta; nec minus difficile est, nec minus intelligibile, manere præexistentem formam sub putredine, & si manet, non intelligitur, nec explicatur, cur se reducat ad antiquam temperiem, ablata iam causa alterante, & putrefaciente. Rursus si putredo causatur à solo calore operante, quomodo corrumpitur calor rei putrescentis, cùm intendatur potiùs, & maneat? Et cùm opinantes non admittant partes elementis correspondentes, redditur ratio difficilior, quomodo putrida reddantur frigidiora, vt docuit Arist.

In hac difficili quæstione mihi videtur dicendum, naturam putredinis esse venandam per oppositionem ad coctionem, & illius terminum. Vnde sicut in coctione finis naturæ erat præstare alimentis certam consistentiam, crassioremque naturam, notámque compagem, sicque perficiebantur in ordine ad viuentis nutritionem, & conuersionem in partes crassiores viuentis: ita contraria ratione, si per putredinem illa consistentia auferatur à re cocta, redderur mollior, laxior, & euaporabilis facilè, atque dissolubilis, fietque insignis mutatio in substantiæ modo, & consistentia, quæ viuens, & mixta reliqua putrescentia in statu naturali participabant. Itaque aliquid putrefieri nihil est aliud, quàm à calore, & humiditate extraneis ita mutari consistentiam, & naturalem crassitiem, vt tenuius, laxius, mollius, & quouis impetu separabile secundum partes reddatur mixtum, aut corpus, secundùm quas consistens erat, & propriam vnionem seruabat. Vnde sicut diximus de coctione, non terminari ad vnicam perfectionem in specie infima, neque ad vnicum modum substantiæ, aut secundam qualitatem, ita putredo non terminatur ad vnicam qualitatem secundam, sed ad omnes illas, quæ perfectionibus per coctionem, & calorem incrassantem acquisitis opponuntur. Sicut enim calor coquens, & proportionatus rei coquenti perficiebat alimentum, absumendo humiditatem superfluam illius, & reddendo illud corpulentius, siccius, & vniforme, consistens, lentum, & pingue: ita calor immoderatus huic subiecto cum superflua humiditate putredinem inducit, reddendo illud humidius, & calidius contra naturam, indéque laxum, molle, minus consistens, aquosum, sine pinguedine, & inæquale secundùm partes, cum odore prauo, & fœtore.

Hæc conclusio non probatur melius, quàm ex iis, quæ apparent in re putrida, quæ conspicientes omnes verè indicant, & dicunt eam rem putridam esse; non sunt autem alia, quàm à nobis relata; nam tunc verè iudicamus mixtum aliquod esse putridum, quando laxius, mollius, minus consistens, aquosius, humidiusque percipitur: quid si cum his grauè oleat, contra illius naturam tunc certius habetur de putredine iudicium, quia tam grauis odor arguit lapsum insignem, ne dicam destructionem totalem conuenientis temperamenti; & inde constat, cur putredo dicatur mutatio totius substantiæ, cùm per illam tam validè permutetur mixtum in secundis qualitatibus, & modis substantiæ. Hinc putredo appellatur ab Arist. *interitus natiui caloris*

A *rei putrescentis*, quia in esse naturalis videtur omninò deperditus; nam etsi quantum ad entitatem intendatur ab extraneo calore putrefaciente, tamen quantum ad effectus naturales, quos in mixto causabat, deficit omninò, quia contrarios induxit calor violentus cum humiditate, eo modo, quo in conclusione diximus, quam meo videri eleganter confirmat Galeni locus ex *lib. 11. method. cap.* 8. dicentis; *Putredinem esse mutationem totius substantiæ putrescentis ad corruptelam à calido externo*, hoc est, quando omnis substantiæ modus per coctionem acquisitus, aut debitus mixto deperditur, id non est corrumpi rem secundùm totam substantiam, cui violentæ permutationi sola ratione conuenit esse subuersionem radicalis temperamenti; nam mutatio tam
B grandis, quæ omnem naturalem modum substantiæ peruertit, simul etiam destruxit radicaliter temperiem primarum qualitatum, cùm faciliùs multò, & priùs deperdantur istæ, quàm secundæ qualitates, & modi substantiæ.

Sed obiiciet aliquis, ex nostra doctrina sequi, putredinem non esse vnicam simplicem alterationem, sed aggregatum ex pluribus, & ens per accidens, quod est contra communem doctrinam. Probatur sequela, quia terminum illius constituimus plures qualitates secundas ad modum substantiæ pertinentes. Sed id quod colligitur, libenter concedimus, putamusque Aristoteli. & Galeno consentaneum; non enim dixit Philosophus, putredinem esse determinatam alterationem, sed interitum natiui caloris, non quantum ad entitatem, vt docui,
C sed quantum ad esse naturalis: interit verò, & deficit à tali esse ratione putredinis, quando à calore, & humiditate extrinsecis ita destruitur, vt naturales modos substantiæ, quos coquendo, aut debitè miscendo produxit, seruare non possit. Cur etiam Galenus dixit putredinem esse mutationem totius substantiæ putrescentis corporis in corruptelam? & in communi loquens, [illegible]d facit modum determinatum, aut certam qualitatem secundam, ad quam terminatur putredo.

Quod probatur efficaciter contra opinantes contrarium. Nam si causa putredinis est calor extraneus cum humiditate ex communi doctrina, cur potiùs erit appellanda putredo hæc secunda qualitas, quàm illa ex his, quas prædictæ primæ qualitates coniunctæ violenter producere possunt. Sicut ergo coctio est perfectio à ca-
D lore naturali inducta, & hæc non dicit determinatam perfectionem secundum omnem modum substantiæ viuenti debitum: ita putredo dicit corruptionem harum perfectionum à calore extraneo, & humiditate causatam, eaque est adæquata putredo, quæ omnem substantiæ modum à calore coquente inductum totaliter permutat, & alienam inducit formam; partialis verò, & inadæquata, quæ aliquem modum mutauit, non tamen omnem, aut omnes substantiæ modos alterabit remissè, ita vt præexistentem formam corrumpere non potuerit. Et confirmatur vstionis exemplo: nam vsta dicuntur corpora, & quia humiditas interna exusta est, & manent calidiora, & sicciora, friabilia cum certa densitate, & maiori vnione locali partium, neque alia qua-
E litas occulta fingenda est, vt mixtum aliquod vstum dicatur: ergo neque vt dicatur putridum.

Neque est nouum in Philosophia, naturam vnius rei in pluribus collocari, quando illas non accidentaliter, sed essentialiter respicit; sic enim intellectio à Philosophis constituitur in actione, & passione, & termino ipsius actionis, & quæ ad diuersa prædicamenta pertinent; quia tamen illa respicit, essentialiter constituunt vnicam rationem formalem intellectionis. Itaque si spectamus naturam actionis, passionis, & verbi mentis producti media actione intellectus, plura sunt componentia intellectionem, & vt ad prædicamenta diuersa pertinent, videntur vnum per accidens constituere; quia verò hæc diuersa non connotat intellectio per accidens, sed

essentialiter respici, ideò non est intellectio ens per accidens, sed vnica essentia ex rebus diuersis constituta, quia eas essentialiter respicit. Sic similiter putredo terminatur essentialiter ad mutationem totius substantiæ putrescentis rei, id est, ad mutationem, & destructionem omnium modorum substantiæ, & perfectionem, quas calor coquendo conficit, & erant debitæ mixto, aut viuenti in statu naturali. Eodemque modo philosophandum de natura coctionis; constituitur enim per omnem modum substantiæ viuenti debitum, quia omnes illos respicit essentialiter, & vt adæquatum constitutiuum illius, estque vnica ratio in genere, scilicet omnis perfectio viuenti debita, resultans ex diuersis modis substantiæ, vt pulchritudo resultat ex diuersis, idonea scilicet figura, quantitate, qualitate, consurmatione, & positione partium. Sanitas etiam integratur ex pluribus omninò diuersis, vt constat.

QVÆSTIO V.

Vtrum quæ putrescunt, euadant in principio humidiora, & posteà acciora?

ARistot. 1. *cap. meteor.* ita reliquit scriptum: *Itaque humida primum, deinde arida ad extremum reducuntur ea quæ putrescunt*; quod testimonium videtur esse contra nostram assertionem, & contra ipsum Philosophum: contra nos, quia antea diximus, aliquando naturalem qualitatem posse conducere ad corruptionem subiecti, quando ratione alterius qualitatis violentæ cui adiungitur, determinatur ad peculiarem effectum; & probauimus in elementis satis efficaciter, nam aquæ frigiditas, quando siccitati adiungitur, confert vt mutetur in terram, & terræ siccitas naturalis, quando adiungitur calori violento, conducit vt vertatur in ignem, aut neganda est elementorum transmutatio. Etiam sibi videtur repugnans Aristoteles, quia definiens putredinem dixit fieri à calore externo in quouis humido. Et Sanctus Thomas *in comm.* humidum naturale intellexit: non ergo videtur necessariò, quæ putrescunt, primò reddi humidiora, cùm sola naturalis humiditas satis sit ad putredinem, alioqui non in quouis humido induceretur putredo, sed in solo præternaturali, & extrinseco. Quod etiam videtur confirmari ex communi doctrina Medicorum, asserentium constipationem cutis, aut prohibitam ventilationem in quouis corpore esse causam putredinis: constat autem omnia corpora non esse humida contra naturam. Similiter ad præseruanda corpora, ne incidant in pestilentem febrem, omnia indifferenter exsiccant, quod esset frustraneum, si à naturali humitate putredo causari non posset; sufficeret enim quodlibet corpus sibi humiditate naturali conseruari, si illa, vt naturalis est, nullatenus ad putredinem confert.

Sed sententia Aristot. non intelligitur ab Interpretibus, quòd res putrescentes necessariò reddantur humidiores intensiuè, ita vt antecedenter sit necessarium humectari contra naturam, & intendi naturalem humiditatem; exponunt ergo doctrinam Philosophi de humectatione maiori in partibus externis; nam cùm calor contra naturam necessariò agat in humidas substantias contentas in re putrescente, easque in vapores permutet, tales vapores mouentur ad circumferentiam, & superficiem corporis, sicque in partibus externis redditur humidius, ita colligunt ex doctrina Philosophi dicentis eodem capite, *Ob eam enim rem putrida omnia sicciora fiunt, & tandem terra, & cinis; proprio enim calore exsolescente naturalis humor simul cum eo per vaporem emittitur*; cùm ergo in hac transmissione necessariò

A moueatur versus superficiem, redditur corpus humidius in illa.

Sed hanc motionem humidi ad mixti putrescentis circumferentiam acriter carpit Benedictus Vaxquez *lib. 4. de febrib. fol. 426. num. 26.* non enim inuenire potuit commodum principium talis motionis: nam calor (inquit) non trahit per se, vt omnes fatentur, & per consequens, si ratione caloris humidum mouetur, debet fieri, quatenus causat in illo aliquod principium, nullum verò à calore producitur, nisi leuitas: hæc verò perpetuò sursum mouet, & non ad mixti circumferentiam; non ergo in illa redditur humidius. Secundò, quia non est ratio, cur si calor trahit, alliciat magis partes humidas, quàm siccas, sed omnes trahet in-
B differenter; imò totum mixtum, & non determinatas partes.

Neque obstat (inquit) si aliquis respondeat, humidum non moueri à leuitate, sed à natura fluida illius; cùm in opinione Aristotel. & eius scholæ humidum contineatur à calido, & in putredine calor exsolescat, & euaporetur, & manet humidũ sine continente, & cohærente in debita mixtione; & ita quia non continetur, humidum fluitat, & mouetur versus circumferentiam. Sed contra (inquit hic Auctor) nam corpora fluida non mouentur ab alio principio, quàm grauitate. Quod in gratiam illius ita probo, quoniam si fluida constituuntur in plano, quiescunt omninò, solúmque moueri experimur, quando versus centrum inclinatur corpus, à quo detinentur, neque in aqua alius motus naturalis agnoscitur, nisi deorsum, etiamsi sit fluida: cùm ergo
C à grauitate moueantur fluida, implicabit moueri ad circumferentiam, sed ad mundi centrum, aut locum naturalem aquæ; in nulla ergo opinione redditur verum principium talis motionis ad circumferentiam corporis putrescentis.

Verùm hic author facilè potuit inuenire principium experimento satis communi. Experimur enim, quando ouum assatur, irrigari totam illius circumferentiam, & aqua inundari; principium ergo, quod internam oui humiditatem extrahit, potest in re putrescente similem extractionem causare, quoniam non minus contra naturam incalescit quàm ouum igni expositum. Sicut ergo illius naturalis humiditas extra mittitur, quia cale-
D facta rarefit, & sic non inueniens locum capacem, partes illius mutuò se impellunt, & ad circumferentiam mouentur; ita in re putrescente simile principium dicitur, cùm humor illius calefiat contra naturam, & sic attenuetur, & rarefiat, indigeatque maiori loco, & per consequens extra ad superficiem feratur: sic experimur, cadauera in aëre putrescentia maiorem molem acquirere, fierique turgida vehementer, & distenta, quoniam mutantur partes humidæ in substantiam flatuosam, quæ cùm sit rarior corpore, ex quo eleuatur, cadauer distendit, redditque turgidum.

Nobis verò probabile apparet, res putrescentes humidiores fieri, etiamsi ab aliquo agente externo non humectentur intensius, quia plurima quantitas aquosæ humiditatis secundum naturam existentia in mixto,
E calore putredinali alterata, mutatur in naturam aëream, & cùm aër sit in opinione Philosophi humidior aqua, redditur mixtum humidius, etiamsi ab extrinseco non humectetur: est enim probabilissima sententia Philosophorum asserentium, aquam in ignem mutari non posse, quin transeat per elementum medium, aërem scilicet, & ita quando mixtum putrescit à calore attenuante, & rarefaciente humidum aqueum, resultat mixtum aëreum, quia redditur calidum, & humidum, cum raritate, & tenuitate, quæ dispositio aëri conuenit.

Nec valet, si dicas, adhuc non constare causam maioris humiditatis: nam etsi fateamur talem permutationem in substantiam aëream, hæc enim non humectabit tam intensè sicut mixtum aquosum, quia humiditas

in

in isto existit in subiecto densiori, & sic intensius humectabit, quàm aër, quippe tenuissimus est, & experimento constat magis non humectari ab aqua, quam ab aëre, etsi aqua sit minus humida. Sed hoc negabit facilè contrarium sustinens; nam forma intensior potest plus valere ad intensiorem effectum, quàm forma remissa sub densiori materia. Dico secundò, quòd quando substantia aquea mutatur in aëream, non mutatur in verum aërem elementalem, sed in mixtum aëreum, inter quod, & mixtum aqueum non est tantum discrimen in crassitie & densitate, vt est inter aquam & aërem, & ita cum intensiori operandi principio humectabit plus; constat verò illam maiorem intensionem humiditatis deberi nouæ formæ productæ, licet antecedenter solùm fuerit disposita materia naturali humiditate debita mixto aquoso.

Sed obiicies: si ex doctrina Philosophi putrescentia redduntur in principio humidiora, quomodo dixit *cap. 1. citato*, omnem naturalem corruptionem, & interitum esse viam ad putredinem, vt senectus, & ariditas? nam cùm senectus sit temperies frigida, & sicca, repugnat ex diametro viæ, per quam inducitur putredo, cùm hæc sit calida, & humida, vt ipse docuerat. Respondeo, quòd quia redditur calor natiuus extremè debilis per senectutem, quæ debilitas est magna occasio putredinis, ideóque omnis senectus est via ad putredinem, quoniam quò plus debilitatur calor natiuus rei, abundant magis excrementa, minus purgantur, & resoluentes causæ potentes causare putredinem, & corpus nimis obstruitur; ideò senectus est via, & occasio vt corpora putrescant.

Quomodo autem putrescentia reddantur sicciora, explicatur facilè: est enim hoc intelligendum in fine resolutionis mixti putrescentis; nam cùm omnis res putrescens calefiat, & humectetur, indeque mollior, laxiorque reddatur, disponitur etiam vt facillimè in vapores, & exhalationes permutetur à calore præternaturali, & aëre ambiente; & cùm tota mixtio dissoluatur, partes humectatæ separantur in vapores conuersæ, & quolibet impetu secretæ à mixto; vnde tandem remanent, quæ putredine affici non potuerunt, terrestres inquam, & crassæ, & ita subiectum, aut mixtum, quod anteà molle, & laxum existebat, ratione putredinis patitur resolutionem partium verè putridatum, & remanet siccius, quia solùm durant in illo partes crassæ, duræ, & siccæ, quæ omninò erant putredini innoxiæ ob dictas qualitates. Quod si mente concipiatis, dari mixtum omninò vniforme, & homogeneum, totumque putredine affici, non remanebit siccius, sed totum in vapores dissoluetur, sicut dissoluitur aqua, aut alius liquor omninò homogeneus; quia verò aut moderatur mixtum aliquod in opinione Philosophi totaliter vniforme, aut si datur, est rarissimum; ideò loquitur Aristoteles iuxta frequentissimum euentum, & verè loquitur: saltem negari non potest, ex omni re putrascente eleuari copiam vaporum; hi verò ex substantia humida à calore attenuata eleuantur, qua deficiente partes corporis putrescentis necessariò redduntur sicciores ab interno principio, quia ab illa substantia exhalata, & in vapores conuersa non poterat non humectari.

Vnum tamen superest argumentum difficile contra dicta; docuimus enim præcedenti quæstione, naturalem humiditatem aliquando sufficere ad inducendam putredinem, quando coniungitur calori contra naturam: ergo econtrà calor naturalis erit sufficiens aliquando cum humiditate præternaturali ad putrefaciendū. Constat sequela, quia non est maior ratio vnius qualitatis, quàm alterius. Ex quo infertur, non semper esse externum calorem, qui putredinem causat, quod est contra Arist. & eius Expositores. Respondetur, argumentum illud habere vim contra opinantes, quòd putredo consistat in simplici qualitate secunda, absque eo

A quòd in eius naturam ingrediatur mutatio substantialis, quantum ad omnem modum substantiæ; at verò cùm nos posuerimus naturam putredinis in mutatione totius substantiæ, probabilius est in nostra opinione esse necessariam præternaturalitatem vtriusque qualitatis, vt tanta mutatio fiat in mollitie, & laxitate, mixtique dissolutione, & per consequens, & calor, & humiditas debent intendi contra naturam, vt inducatur putredo. Et hæc de hac quæstione.

QVÆSTIO VIII.

B *Vtrum materia putrida, quæ mutatur in sedimentum, in quouis loco corporis fieri possit?*

PArs affirmatiua videtur verissima. Primò, quia in quauis corporis parte, & loco potest materia putrefieri: ergo in qualibet potest in sedimentum mutari. Patet sequela, quia quælibet pars habet vim coquendi: sed sedimentum, aut pus generantur per coctionem, & correctionem materiæ: ergo in qualibet parte generabitur sedimentum, aut pus, si in qualibet potest concoqui putrida materia.

Secundò, materia febrium continuarum; sed continentium præsertim, intra vasa putrescit, & docuit expresse Galen. 9. *method. cap. 5.* febres continentes excitari, eo quòd in omnibus vasis humores putrescant:
C cùm ergo plurimæ istarum febrium per materiæ coctionem terminentur in salutem, necessariò mutantur humores putridi intra vasa in sedimentum. Patet consequentia, quia nulla alia forma in putrida materia per coctionem resultat, nisi sedimenti, aut puris.

Quod vrgentius confirmatur ex doctrina Galen. *lib. 4. aphor. comment. 37.* asserentis interim humores febres causantes in vniuerso corpore putrefieri: ergo quando coquuntur, resultabit in quauis parte corporis forma sedimenti, quia in vniuerso corpore corrigitur materia putrida, & coquitur. Dixit etiam Hippocrat. *in sententia aphor. Vbi sanguis præter naturam effunditur, necesse est suppurari*: sed potest effundi in quamlibet partem: ergo in qualibet potest supputari.

D Sed vt quæstio decidatur, notate, corpus nostrum in ·triplicem regionem diuidi. Prima incipit à gula, ·ticulo, & finitur in partem iecoris cauam, & vt a· lunt, in iecoris medietatem, continatque per consequens ventriculum, intestina, venas mesaraïcas, & venam portam appellatam. Secunda regio incipit à parte gibba iecoris, ex qua originantur vena caua, & continet hæc secunda regio omnia vasa magna, & minora, vt caua sunt, & vt sanguinis, & spirituum receptacula naturalia considerantur, & vt ex eis, & per illa distribuitur alimentum, seu sanguis ad singulas partes nutriendas, quæ vt partes nutrientes, & assimilantes, apponentésque sibi alimentum, tertiam regionem constituunt, ita vt ipsa vasa diuerso modo considerata ad duplicem regionem pertineant; ad se-
E cundam in quantum sunt loca naturalia sanguinis, & humorum, & cauitatem, formationémque etiam obtinent, intra quam colligitur sanguis, ibique conseruatur, vt inde distribuatur per venas capillares, & ad poros partium attractus mutetur in rorem, & inde in propriam substantiam partium. Vnde vasa considerata vt intra proprios poros sanguinem mutant in rorem, & hunc in propriam substantiam, non constituunt secundam regionem, sed tertiam, & per consequens habet hoc peculiare tertia regio, quòd intra primam, & secundam verè continetur: nam considerando ventriculum vt corpus quoddam cauum, intra quod alimenta recipiuntur, vt mutentur in chylum, constituit primam

regionem, sed vt habet propriam eamdem commutan- tem alimentum in se, non constituit primam regionem, sed tertiam, licet intra primam videatur contineri vt illius fundamentum. Tertia ergo regio constituitur à qualibet parte, prout viuens est, & similans, nullamque determinatam petit formationem; at verò prima, & secunda regio constituuntur per cauitates, & inanitates continentes intra se id quod toti corpori est necessarium, & illi verè inseruiunt; partes verò vt tertiam regionem constituunt, nulli alij parti dicantur, sed sibi tantummodo.

Notare secundò diligenter, hoc discrimen agnosci inter primam, & tertiam regionem comparatas ad secundam, quòd illæ duæ possunt calore naturali ea, quæ intra cauitatem primæ, & poros tertiæ continentur, corrumpere, & in aliam substantiam mutare: at verò secunda regio nulla ratione naturali calore aliquid cômutat, aut corrumpit; sed totum id quod secundum naturam intra illam continetur, conseruat potius, & tuetur, vt sub eadem forma duret. Id clarè constat, quia nullus Medicus dixit sanguinem intra vasa contentum, dum viuens est in naturali statu, corrumpi ab illis; nam si hoc fieri posset, sequeretur maximum incommodum corpori vniuerso; quia si vasa commutarent sanguinem intra cauitatem ipsorum, mutarent illum in suam naturam, & per consequens redderetur dissimilis partibus nutriendis ex illo, nam quò plus assimilatur sanguis naturæ vasorum, tantò magis distat à natura aliarum partium. Vnde summo iure denegauit natura virtutem commutandi sanguinem secũdæ regioni, quoniam intra illam continetur, vt in communi domicilio, & loco distributionis, ideóque sub propria forma seruatur, vt ita sit alimentum commune omnibus partibus, & indifferens, vt à qualibet parte communari possit: si autem alteraretur à vasis, vt in propriam commutaretur substantiam, iam sigillaretur pro determinata parte, & non esset alimentum commune, & indifferens pro omnibus; potiùs ergo tenendum est contineri intra vasa tanquam in loco naturalis conseruationis; ventriculus verò quæ recipit intra se, si sint capacia, conuertit in chilum, vt partes reliquæ tertiam regionem constituentes conuertunt sanguinem in rorem, & hunc in propriam substantiam.

His suppositis, assertio nostra est, non posse humorem putridum, quando intra vasa continetur, ad formam sedimenti, aut puris permutari. Probatur efficaciter, quia vasa vt constituunt secundam regionem, non habent vim commutandi sanguinem in aliam formam: ergo neque commutabunt humorem putridum in formam sedimenti. Patet sequela, quia calor naturalis est perfectior, & maior in statu naturali, quàm in morboso, & per consequens coctrix facultas firmior erit, & robustior: & rursus materia putrida distat magis à naturali statu, quàm sanguis, & distat sine dubio plus à natura partis nutriendæ, & conuertendæ alimentum in se; repugnat igitur omninò putridum humorem intra vasa in formam sedimenti permutari.

Neque obstat si dicas, minorem multò esse coctionem, quæ putridum humorem mutat ad formam sedimenti, quàm coctio, quæ in propriam substantiam partis conuertit, & ita non repugnare sedimentum fieri intra vasa. Sed contra est, quia omnes dispositiones productæ à natura in materia putrida, vt in sedimentum vertatur, producuntur cum maiore resistentia ex parte materiæ, & agente debiliori, vt dixi: ergo non solùm easdem, sed intensiores producet in sanguine vasorum actiuitas, dum sunt in naturali statu, & per consequens non manebit sub forma sanguinis intra vasa, sed redditur albus, leuis, & æqualis, vt redditur sedimentum.

Secundò, quia omnes Medici conueniunt, sanguinem vt est intra vasa, constituere primas humiditates;

A dicuntur verò tales ab omnibus Medicis, quia manent sub dispositione, quam dedit illius iecur (vt doctè adnotauit Gentilis) vnde si possent mutari à vasis ad aliam dispositionem diuersam ab ea, quam acceperunt à iecore, non essent primæ humiditates, sed secundæ.

Tertiò, probatur ratione efficacissima, quoniam si materia putrida, dum coquitur intra vasa, mutaretur à natura ad formam sedimenti, esset impertinens expurgatio post materiæ coctionem; & si expurgatio conueniret, euacuaretur materia alba, leuis, & æqualis; nam talis naturæ est materia putrida: post coctionem & victoriam naturæ esse impertinentem expurgationem, certissimum est, quia cum forma sedimenti, aut puris nullus dixit habere familiaritatem medicamentum expurgans. Vnde nunquam suppuratos medica-

B mento expurganti euacuamus.

Si verò dicas, medicamentum habere familiaritatem, constat debere trahere id, quod est illi analogum, & familiare; ergo sequetur alui deiecto, & apparebit cum eisdem conditionibus, & qualitatibus, quas participat id quod extrahitur, ac per consequens apparebunt deiectiones albæ, leues, & æquales, quoniam has qualitates participat materia putrida post coctionem, & in omni morbo iudicato à sola natura per secessum, tales essent expectandæ post materiæ coctionem. Quod quam alienum sit ab experimento, probatione non eget, imò semper Medici in morbis biliosis, si natura post coctionem euacuat humorem pallidum, optimam iudicant euacuationem, & si morbus ex melancholia de-

C pendeat, euacuante natura nigrum humorem, & atras deiectiones mouente, gaudet Medicus, & optimum sit iudicium, eodemque modo in reliquis causis morborum iudicandum est. Si autem in sedimentum mutaretur humor putridus, in omni alui fluxione iudicante morbum post coctionem à quacunque causa, aut humore dependentem, qui esset coctilis, albæ, & leues essent expectandæ deiectiones, quia in istas qualitates mutatur materia putrida cocta.

Fuit autem visum nimis difficile Ludouico Mercato, qua ratione idem temperamentum vasorum habeat vim conseruandi humores, & corrumpi etiam, nam vt diximus, intra cauitates ipsorum tuentur, & conseruantur humores; quos verò assumunt, ad sui nutritionem corrumpunt, & mutant in propriam formam.

D Respondet, hæc duo non fieri vnico calore, sed duplici; putat enim ridiculum, duo opera iam contraria, vt corrumpere, & conseruare sanguinem, ab vno solo calore fieri. Dicit ergo, quod conseruare prouenit à calore membrorum vicinorum spirituum arteriarum & carnis, & licet calor venarum aliquid huic muneri conferat, id quidem (inquit) solùm est, vt calor in genere, non vt hic calor; nam vt hic, & talis est, omne intentum eius est corrumpere humores, & formas eorum mutare, introducereque in eorum materiis formam & naturam venarum.

Quam doctrinam probare non possumus, nam calorem in genere concurrere ad opus peculiare, & determinatum, quis non videt esse ridiculum, nam præterquam quod causa in communi correspondet effectui

E communi, & non determinato, constat, calorem informantem venas communem esse non posse, quia iam est contractus per propriam differentiam indiuidualem, quia actus existens, neque calor, vt calor, & vt hic calor, habet vim nisi calefaciendi, & eandem vim participat quomodocumque consideratus, neque natura vasorum assumere potest hunc calorem vt talem ad operandum, quin illum sumat vt calorem respectu cuiuscumque materiæ alterandæ. Et rursus sicut calor membrorum vicinorum conducit ad tutelam humorum intra vasa, ita confert ad commutationem eorum, quando mutantur intra venas media nutritione, quia cùm fiat vnus numero calor ex calore vasorum

&

& partium circumstantium, & sit agens naturale, necessariò operatur in quodcumque passum existens intra illius sphæram,& nisi naturam vasorum cum cognitione constituat Mercatus, sustinere non poterit, quòd assumat calorem vasorum ad nutritionem eorum, & derelinquat calorem membrorum circumstantium; quando verò intendit intra vasa humores conseruare, assumat calorem partium vicinarum, derelinquat verò proprium vt proprium, & vt commune assumat: hæ enim sunt methaphysicæ considerationes ad opera naturæ absque ratione operantis inanes omninò.

Sed dubium propositum soluitur facillimè, notando, quòd sanguis, vt conseruetur, non indiget peculiari conseruante distincto à se; nam cùm sit ens totale habens proprias formas, & temperamenta, conseruatur à se vt quodlibet aliud mixtum per proprium temperamentum, & formam: quando ergo intra vasa durat, & conseruatur, est quia quandiu est intra, & corpus existit in naturali statu, non accedit agens corrumpere potens; at verò quando corrumpitur per nutritionem vasorum, adest agens corrumpens, quia continetur intra poros eorum, in quibus mutatur in rorem, & tandem in membra. Itaque vasa non habent vim corrumpendi sanguinem quovsque intra poros ipsorum contineatur, & hoc est commune cuicumque parti viuenti, vt nutriatur; indiget enim alimentum hac vltima applicatione, vt à partibus transmutari possit, & quia illa vltima applicatione priuatur, quando intra cauitates vasorum continetur; ideò manet semper sub sanguinis forma,& temperamento proprio. Estque philosophandum in præsenti dubio eodem modo atque in humorum generatione, quos iecur ex chylo producit intra proprias venas; posteà verò idem sanguis ad poros carnis iecoris attractus illum corrumpit, & mutat in propriam substantiam.

Sed dices: quando sanguis applicatur per poros, nihil aliud fit, quàm iuxta poni, & esse immediatum particulæ nutriendæ; sed eandem applicationem habet, quando est in cauitate vasorum, quia etiam est immediatus particulæ: ergo commutabitur etiam intra vasa, sicut quando intra poros eorum continetur. Patet consequentia; quia vtrobique est contiguitas inter alimentum, & vasa. Respondetur, esse magnum discrimen, quia dum est intra poros, circumdatur alimentum à parte, & per plures partes applicatur agenti corrumpenti, quia per totam circumferentiam, non verò quando intra cauitatem continetur sanguis. Secundò, quia sanguis intra cauitatem fluitat, & mouetur mille occasionibus, & ita non adhærescit parti nutriendæ, vt requiritur. Tertiò, quia alimentum per minimos poros diuisum in partes exiguas resistere non potest actioni vasorum, quia sub minima quantitate existit: at verò quando intra communem cauitatem continetur, cùm sit totus sanguis continuus, & sub magna quantitate, resistit vasorum commutationi, & sub forma sanguinis durat.

Sed dices rursus, si materia putrida intra vasa contineatur, erit mortalis. Patet, quia euasio ab illa fit coctione media: ergo si hanc à vasis accipere nequit, non erit modus, quo corrigatur putredo; & si coctione corrigitur, vt cesset febris, mutabitur necessariò in sedimentum. Respondetur primò, febrem cessare posse per materiæ resolutionem, hoc enim non implicat, imò quotidiè experimur, febrem cessare non præcedentibus signis coctionis, quia aut resoluitur, quod erat in foco causans febrem, aut finitur, quod erat mittendum, aut trahendum ad illum.

Dico secundò, quòd licet humores alterentur à vasis, ita vt mutentur in sedimentum, corriguntur tamen intra illa à natura nostra, vt non efficiant febrem mortalem; ad quod conducunt etiam medica auxilia; hæc autem correctio fit per alterationem simplicem impe-

A dientem ne putredo intendatur, aut extendatur in nouam materiam, hoc verò completur per infrigidantia, & exsiccantia, deobstruentia, & quæ humorum affluxum ad focum impediunt. Quod vt intelligatis, & simul diluatis argumenta contra nostram assertionem adducta, aduertendum est, putredinem quandam esse consummatam; est autem talis, quæ ad corruptionem humoris deducit, & nouam formam in humoris materiam introducere cogit, & hæc sola putredo constituit calorem in facto, vt docuimus *tractatu de febribus*; hæc autem species adæquata putredinis nullo modo corrigitur à vasis omninò, quia hoc fieri nequit sine mutatione humoris in sedimentum, aut pus, & ita sola resolutione, aut expulsione naturæ curatur. Ratio est, quia talis correctio non fit sine corruptione formæ præexi-B stentis, quia si non corrumpatur, reducitur semper ad propriam naturam putredinalem, quamuis aliquo modo alteretur; nullus ergo euasionis modus datur nisi per resolutionem, aut expulsionem talis humoris, aut quia datur aliquod medicamentum taliter alterans, quod nouam formam introducat non petentem calorem, vt de copioso potu aquæ frigidæ est satis probabile: ita enim humores alterat, vt in habitum contrarium permutet corpus, quod non aliter fit, quàm nimio frigore corrumpente putrefactos humores, & ad aliam formam contrarias dispositiones petentem illos permutante; indéque fit, febres intra vasa esse periculosiores, tum propter rationes communes, tum etiam propter impossibilem reductionem media coctione, quæ est C principale naturæ instrumentum, & auxilium.

Alia est putredo non consummata, eo quòd licet humores alterentur contra naturam, non tantum quantum ad primas qualitates, sed etiam quantum ad modum substantiæ, & secundas; non tamen ratione alterationis mutatunt propriam formam; & ita quia eam non deperdiderunt, separato agente alterante reducuntur in propriam naturam; hæc putredo est, quæ intra vasa à natura corrigitur per dictam alterationem, & adiuta à medicis auxiliis, & ita manent humores talem alteratione non constituentes sub propria forma, & de hac correctione loquutus fuit Galenus in arte medicinali, dum dixit: *Coctionem esse actionem facientem cessare putredinem manente substantia*, id est, manente forma humoris antiqua, ita vt alitioni sit aptus: hæc pu-D tredo est, quam 8. *Aphor. comment.* 17. comparauit vino habenti per viam corruptionis saporem acidum, non tamen mutatum fuit in acetum; tale enim antiquam vini naturam recuperat, quia nondum mutauit formam vini, & hoc est corrigi inceptam vini putredinem manente substantia illius, quia manet antiqua natura, & propria forma vini. Vnde constat illam definitionem malè à quibusdam accommodari generationi puris aut sedimenti ex materia putrida; nam etsi fateamur per talem coctionem putredinem corrigi, non tamen manet substantia rei quæ coquitur, quia corrumpitur, & nouam formam sedimenti, aut puris acquirit. Ridiculaque mihi videtur expositio dicentium, quòd manere substantiam significat manere intra corpus; nam præ-E terquam quòd substantia propriissimè significat rei essentiam, & naturam, & non mixti materiam, quæ omnibus communia est, erat impropriissima Galeni locutio, cùm ex natura alterationis constet, vi illius non pelli res alteratas extra corpus, cùm non terminentur ad vbi, aut præsentiam localem, satisque esset Galenum dicere: Coctio est alteratio faciens cessare putredinem, nam per illam repugnabat non maneat substantiam vbi anteà erat: dixit ergo quod maneat substantia, vt innueret manere humorum naturam sub eadem forma, substantia, aut essentia, quas anteà obtinebat, ibique definiuit coctionem impropriissimè, & per quendam effectum accidentalem omninò, etsi esset coctio vera, vt anteà docuimus reiicientes hoc genus coctionis.

Ex dictis intelligetis rationem, ob quam apparere sedimentum album, læue, & æquale, sit signum salutis in morbis pendentibus ea materia putrida intra vasa existente; nam cùm vasa trahant ex cauitate humores ad propriam nutritionem, prout sunt magis, aut minus corrupti, assimilantur, aut manent dissimiles: itaque quando intra vasa maligna, aut intensa putredo sanguinem corrumpit, non assimilantur naturæ vasorum, quia talis putredo assimilationis incapaces reddit, & ita expelluntur sedimenta vitiosa, & contra naturam significantia extremam corruptionem humorum resistentem actioni naturæ; & quando post hæc sedimenta vitiosa, & corrupta incipiunt meliora apparere, bonum signum habetur, quia significat humores, qui intra vasa consumpta putredine formam mutarunt, resolui, & corrigi, qui putrefieri cœperant, ob idque assimilari posse naturæ vasorum; & sedimentum, quod est excrementum coctionis vasorum, album, læue & æquale apparere, vt apparet in sanis; & eo ipso quod excrementum coctionis est, euidenter constat, non posse fieri nisi in eodem loco, in quo celebratur coctio, ac per consequens non generari intra vasorum cauitatem, quia hæc nullo modo coctionis est locus. Ita sicut naturale sedimentum est excrementum vasorum, similiter est tale excrementum ægrotantium sedimentum, quia vtrumque habet easdem qualitates, vt constat.

Vltimò notabitis, argumenta adducta in probatione nostræ sententiæ eandem vim habere, etsi opinetur aliquis, pus aut sedimentum fieri per mediam actionem putredinis, & coctionis participem; nam totum quod coctioni participat, repugnat intra cauitatem vasorum fieri.

Solutio vera argumentorum omnium patet ex dictis, nam vasorum cauitas non est locus destinatus coctioni, & communi nutritioni humorum, & ita neque intra illa generatur sedimentum, aut pus.

DISPVTATIO III.

De Maturatione, Elixatione & Assatione.

INter species coctionis constituit Philosophus maturationem, elixationem, & assationem; sæpè verò repetimus ex illius doctrina, quod adducit *cap. 3. 4. Meteor. quòd maturatio est coctio illius alimenti, quod est in fructibus*; ob quod affirmant omnes, quod maturatio est actio; & perfectio solis viuentibus competens, quia cùm sit coctio alimenti, & hoc ordinetur solùm ad nutritionem viuentibus conuenientem, ideo maturatio viuentium est propria. Dixit verò *eodem cap. Aristot.* quòd tunc dicitur matura res perfectissimè, quando semina in fructu existentia, & inclusa commoda sunt, & vtilia, vt ex ipsis alij fructus generentur; nam hac ratione E reliqua animantia, & omnes aliæ res dicuntur perfectæ, quando possunt generare sibi similia, aut alia, ad quæ natura ordinatur.

Ex his constat, quid sit immaturitas, nihilque aliud est, inquit Arist. quàm cruditas quædam alimenti in fructibus; hanc verò causari dicit, eo quòd humiditas exsuperat in ipso alimento, ob quam indefinitum & indeterminatum redditur, quando humiditas aërea, aut aquea exorbitant, & alimentum liquidius, minusque consistens, & coagmentatum efficiunt, quam humiditatem superfluam absumendo calor natiuus alimentum coquit, & maturatio fit. Probat id experimento Arist. nam si ab immaturis fructibus exprimatur succus, & humor intra contentus extrahatur, tenuior, liquidior

A & minus calidus concipietur, quàm si exprimatur succus ex fructibus iam maturis: ergo abundabat præter naturam humiditas superflua in alimento: hoc ergo coquens, vt diximus, & sibi vniens, fructus maturus redditur, & perfectus, redditurque calidior, quia in superflua humiditate aquea alimenti frigiditas etiam præter naturam erat, id est, non conueniens naturæ fructus; & ideò colligit Arist. quòd omnia, quæ maturantur, redduntur crassiora, & calidiora, quia per coctionem à calore factam humiditas perfecta consumitur partim, partim verò cum partibus siccis permiscetur, sicque redditur alimentum corpulentius, & crassius, & calidius, vnitumque viuenti, aut fructus redduntur crassioris substantiæ, & calidioris.

Ex cuius auctoritatis doctrina constat, quòd pueri,
B & alia animantia sensibilia nullo modo dicantur propriè matura. Constat ex ipsa definitione; nam dicit, *maturatio est coctio illius alimenti, quod est in fructibus arborum*; & explicans quando hæc maturatio sit appellanda perfecta, docet, quòd semina in fructibus fœcunda sunt, cùm iam possunt efficere, & generare aliud tale, quale est illud, à quo fuerunt producta, vt Sanctus Thomas docuit *in comment.* nam & hac fœcunditate reliqua & alia dicuntur perfecta. Et inferius dicit Arist. *Fructus ergo est maturitas*: si igitur fructus est, non erit alterius. Et ratio a priori est, quia immaturitas est naturale alimenti inclusi intra viuens per naturalem generationem, ratione cuius viuens redditur viuens frigidius,
C & humidius; nulla verò viuentia à principio generationis habent inclusum alimentum, & imperfectum, nisi arborum fructus, & ideò illi soli dicuntur immaturi, & contraria ratione maturi appellantur, quia priuatiuè versantur circa idem ex doctrina Philosophi: infans igitur, & reliqua sensibilia in prima ætate rectè appellantur cruda, non tamen rectè immatura dicentur, quia non deferunt secum, nec habent alimentum inclusum, & imperfectum ex naturalibus principiis, sed nutriuntur, & perficiuntur coquendo alimentum, quod assumunt semper de nouo, & extra erat; ob quam indigentiam molestia famis egerunt, vt alimenta, quibus erant priuata, quærerent, & assumerent. Constat etiam huius assertionis veritas ex eodem Arist. Ita immaturitatem definiente: *est* (inquit) *alimenti cruditas*
D *in fructibus*, & ob hoc differt maturitas à coctione in communi; nam *hæc est perfectio a calore naturali, & proprio*; maturitas verò non est quæuis perfectio, sed acquisita per coctionem alimenti interni intra fructus vi causarum naturalium inclusi; est ergo immaturitas alimenti intrinseci cruditas; maturitas verò illius alimenti intrinseci coctio, indéque colligit Arist. quòd tumores præter naturam, distillationes, & humores dicuntur maturi, aut immaturi impropriè, quamuis verè coquantur; nam cùm hæc viuentia non habeant alimentum inclusum, ratione cuius talia dicantur, & ita per methaphoram dicuntur talia maturari, aut esse immatura, quia non dantur nomina, quibus omnes perfectiones causatæ à calore significentur, & ideò quæ conueniunt propriissimè fructibus, accommodantur aliis
E impropriè, & methaphoricè, idemque putandum est de coctione, & cruditate.

Inuenietis verò manifestam differentiam inter fructus arborum, & fœtus animalium, quòd illi priùs acquirunt totam magnitudinem sibi conuenientem, quàm maturitatem, & ita semper habent alimentum inclusum, & maturum, & copulant iustam magnitudinem cum cruditate; pueri verò, & reliqui fœtus brutorum priùs acquirunt maturitatem, quàm magnitudinem in statu; ante enim adolescens est fœcundus, quàm sibi debitam molem acquirat, vt experimentum docet: vnde constat, fructus arborum plus trahere, quàm proportionaliter commutare possint, & ita implentur, suntque tam magni in statu cruditatis, sicut post coctionem

nem, etsi verum sit magnitudinem in statu cruditatis esse impropriam, quia nondum est alimentum conuersum in viuentis formam.

Elixationem definiens Arist. *cap. 3. duby 4. meteor.* dixit: *Elixatio autem in vniuersum est interminata rei, qua in humido est, à calore humido facta concoctio*: quæ res ita explicatur facilius: *Elixatio est coctio humidi interminati facta à calore humido circumstante.*

Quæ definitio vt intelligatur, notate, elixationem propriè in externis contingere, etsi coquantur impropriè; caro enim, aut quæuis alia res elixatur, quando in liquorem iniicitur, qui coalescens ab igne externo carnem elixat, partim extrahendo succum, illumque in se imbibit liquor externus, partim humiditatem, quam ex re elixa extrahere non potuit, definitam, & determinatam magis relinquendo; nam & humiditate extracta à liquore minus consistens reddebatur internum humidum, eratque minus aptum nutritioni, quia minus aquosum, aut aëreum; post elixationem verò extracta aquosæ humiditate vtilius fit, quia minus aquosum, & dilutum, & crassitiem maiorem acquirens, corpulentiam, & lentorem, nutritioni redditur aptius, & magis salubre; de humido enim manente carne elixa intelliguntur Arist. verba, dum dicit, quòd *elixatio est coctio humidi interminati*; nam humidum quod extrahitur, & liquori miscetur, non terminatur, sed indefinitum magis redditur, quia humori alieno, & multo admiscetur. Quia ergo extrahendo superfluum humidum, aquosum, aut aëreum, seu flatulentum, redditur vtile humidum carnis internum; ideò dixit elixationem esse coctionem humoris interminati. Ex his constat, quid sit inelixatio; non enim est cruditas in carne v. g. reperta, antequam in liquorem, medio quo elixatio causatur, iniiciatur. Sed eodem modo philosophandum est de inelixatione sicut de cruditate respectu coctionis: sicut ergo crudum dicitur quod est coctum remissè, priuatur tamen vlteriori, & maiori coctione sibi debita, ita inelixum dicitur, quia aliquo modo elixatum est, non potuit tamen habere elixationem sibi totaliter debitam, ob quod dixit Arist. 4. *Meteor. ad finem cap. 3.* non plena ergo elixationi contraria est: ergo si plena elixatio est contraria elixationi perfectæ, aliquid elixationis includit cum priuatione intensioris: inelixatio verò causatur aut ob immoderatam, & superfluam humiditatem, aut copiam liquoris, intra quem elixatio fit, quas calor externus vincere non potuit; aut causatur ob diminutionem caloris, etsi liquor sit proportionatus; & cùm omnis elixatio sit alteratio quædam inter contrarias qualitates, & certum tempus requirat, diminutè fiet aliquando ob temporis defectum.

Ex adducto alterationis modo colligit Philosophus, elixa esse sicciora rebus assatis, eo quòd extrahitur natiua, & excrementitia humiditas à liquore calido, intra quem elixatio fit. *Calor* (inquit Arist.) *quem habet humor externus, ab eo humorem foras pellit*; ob quam rem elixa assatis crudiora sunt; non enim quæ elixantur, ad se trahunt humorem, quando calor externus vincit internum; nam si internus calor vinceret, & præualeret, humorem internum haberet ad se.

Assatio verò (inquit Arist.) *est concoctio à calore sicco, & alieno*: qua definitione constat differentia ab elixatione; hæc enim medio liquore fit calefacto: assatio verò igne solo externo alterante mixtum; & cùm sit calidus, & siccus, ideò meritò dixit à calore sicco fieri. Finis huius actionis est absumere etiam humiditatem superfluam rei assandæ, & commodam, vtilémque reddere, vt sine noxa nutriat: hinc constat ratio, cur assata humidiora sint, quàm elixa, nimirum ignis alterans intensius agit in partes propinquas, quàm in remotas, & ita plus exsiccat partes exteriores rei assatæ, quàm internas illius; huic exsiccationi debetur den-

A sitas maior, & hinc inducitur crusta in superficie exteriori, qua & detinetur interius mixti natiua humiditas, & impeditur eius resolutio. In elixatione verò econtrà euenit, nam calor humidus non indurat, sed emollit, & laxat, rem efficiens perspirabilem magis: vnde facilè extrahitur humidum quodlibet in re elixanda contentum, & inde priuata humido interno siccior remanet, quia verò liquor externus est immediatè approximatus rei elixandæ, humectatur eius superficies, & ita in partibus internis siccior est, quàm sit in externis. Assata verò econtrà sicciora sunt in externis, intus verò humidiora, quia interna humiditas nec absumitur, nec mouetur ad extra, sed intus consistens manet; in elixatione verò interna humiditas ad superficiem translata extra humectat, & madefacit, & ita re- B linquuntur interna aridiora.

Finis harum alterationum est absumere à rebus humiditatem aquosam, & nutritioni ineptam, si est, & reddere rem esui accommodatam, dulcem saporem inducendo, & modum substantiæ masticationi, & nutritioni commodum; liquatur enim à calore agente oleosa carnium pinguedo, & humiditas, irrigatque partes omnes æqualiter, fibras duras emollit, omniáque tenuiora reddit, vt sic in partes minimas diuidi possint, asperà redduntur æqualia, & vniforme redditur mixtum, vt sic habeat inceptam proportionem per artem, quam posteà natura perficit suis actionibus separandu excrementa, & vniendo vtilia, exque læuigat, & vniformia reddit, vt similaribus partibus C idoneum sit nutrimentum, ad hásque perfectiones terminantur elixatio, & assatio à calore externo causatæ.

Hinc constat, tantò perfectiùs rem aliquam elixari, aut assari, quanto lentiore calore, & sensim operante efficiuntur; nam hic satis est ad absumendam humiditatem, aliàs non depopulatur, nec resoluit alimentitiam oleaginem, & pinguem, sed potius eam liquans vniformiter, distribuitur per omnes mixti particulas, irrigans illas, & humidiores reddens cum lentore, & mollitie; maior verò ignis confertim alterans non tantùm humiditatem aqueam depopulatur, sed alimentitiam, sicque exsiccat carnes, aut quamuis aliam rem, & non distribuit æqualiter humiditatem pinguem, vnde & duriores permanent, minus D nutriunt, & esui sunt incommodæ, quia minus molles sine pinguedine, & lentore, & per consequens gratæ minus, quia sine dulcedine. Hinc procedit, difficilius esse rem aliquam legitimè assari, quàm elixari, quia elixa nunquam exponuntur tam feruido calori, vt hæc quæ assantur, eo quòd mediat inter illa, & ignem coquentem liquor, & vas, in quibus fit elixatio; inter assata verò aut mediat nihil, aut solus aër, aut saltem non datur liquor medius, qui plurimum facit ad retundendam actiuitatem caloris, quia humiditati liquoris copulatus debilior ad operandum redditur: dum verò celebratur assatio, semper adiungitur siccitati, quia quæ assantur, aut tangunt ignem immediatè, aut continentur intra vas siccum, aut nihil nisi aër mediat, quia præ tenuitate non humectat vt liquor, sed etsi interponatur, E suas operationes patefacit, quasi nihil mediet inter illum, & rem alteratam. Constat verò ex Philosophia, maiorem vim calefaciendi inesse calori, si siccitati adiungatur, cùm illius lima putetur.

Sed & operando calor simul cum siccitate ponit in aliis impedimentum ad assationem perfectam, quia exsiccando crustam inducit resistentem nimia introductioni caloris ad intima, priùs externa in carbones mutans, quàm intima benè immutentur, & assentur perfectè; calor verò elixans, quia humiditati adiungitur, & madefacienti liquore exteriora non vrit, sed laxat, sicque penetrat mixtum æqualius, & omnes partes disponit facilius, & melius: quando verò hæ mutationes transcendunt debitum terminum, deperditur nimia nutriens humiditas,

humiditas, & minus reparatur viuens; in quem sensum dixit Hippocrat. 2. *lib. de dieta*, carnes excoctas, & assatas debiles esse ad robur augendum, quia immoderata assatione, aut elixatione depopulatur humiditas nutriens.

Ex dictis constat modus alendi corpora tabida, & Hecticorum; confert enim assumere iura ex optimis carnibus, & carnes etiam non coctas, seu elixas, sed assatas, dummodo tollatur crusta, si quæ fiat; nam cùm elixatione extrahatur humiditas nutriens, manet caro exsiccata, & ineptior ad reparandam tabitudinem; ius verò nutrit quàm optime, continens nimirum succum carnis nutrientem; caro verò assata plurimum continet humiditatem alentem, sicque benè reficitur hecticus.

Sed obiiciet aliquis; ad curandam humidam distemperiem ventriculi commendat Galenus carnes assatas, & elixas vituperat: ergo caro assata non est humidior elixa, alioqui malè commendaretur contra humidam ventriculi distemperiem. Rursus si elixa redditur siccior, vtilior etiam censebitur ad medendum humidæ distemperiei ventriculi. Eandem difficultatem ingerit commune praxis præceptum, consulens ad sistendas diarrhæas, seu alias alui fluxiones, comedere carnes assatas, quod videtur amethodum, si humidiores putantur; nam humida nec sistunt fluxiones, nec retentricem facultatem firmant, nec vias occludunt, sed laxant potiùs, & retentricem effœminant.

Hanc controuersiam latiùs explicui exponendo 4. *lib. meteor.* in cuius *cap.* 4. eam doctrinam Galen. tuetur, & sine controuersia recipitur: diluitur autem facilè, si in carne assata duplicem partem consideretis, externam scilicet, & internam. Externa est, quæ crusta, vt dixi, circundatur, quã ignis externus eam partem alterauit validius, vt docui, sicque humiditatem eius assumpsit: hæc pars exterior non est humidior, quàm elixa caro, sed siccior, & durior, faciléque in bilem mutatur, quia calida, & sicca existit; pars verò, seu interna regio carnis assatæ humidior est absque dubio, quia multum succi nutrimentalis continet; & experimento constat, quia plus impinguantur homines assatas carnes sumendo, quàm si elixas ingerant. Tum etiam si caro assata cultello inscindatur, emanat statim humiditas quædam, & succus gratissimus, quem à carnibus elixis nunquam extrahes, etsi minutim eas inscindas. In alui ergo fluxionibus, & distemperie ventriculi humida vtilior censetur assata caro, quia ratione circumferentiæ exsiccatæ siccat etiam fluxiones, & humidam distemperiem emendat. Præterea humiditas carnis assatæ lentorem participat, quod non minus con-

A ducit ad cohibendam fluxionem; hæc verò non inuenitur in carne elixa, nam etsi sit orbata pingui, & nutrimentali succo, est tamen imbuta aquea substantia, in qua elixata fuit; hæc verò emollit, & humectat alterarione, & minus nutrit: vnde ad cohibendas fluxiones putatur nociua, sicut ad emendandam distemperiem humidam. Est ergo caro elixa quodammodo siccior, & quodammodo humidior; siccior, quia priuata nutrimentali succo, & per consequens minus nutriens viuentia; est verò humidior extranea humiditate, & aquea, nec ad reparationem conferens, nec ad exsiccanda humida excrementa, & ita nec vtilia ad detinendam aluum, & corrigendam distemperiem humidam. Nec dubito carnes assatas ad medendum humidæ distemperiei multum conferre ratione crustæ circumferentiæ; nam cùm sit calida, & exsiccata, imbibit in

B se humiditatem excrementitiam in ventriculo humido contra naturam abundantem, sicque tractione humoris ad se causam distemperantem extrahit, & absumit. Neque obstat agere ibi Galenum de distemperie sine materia, nam etsi talem dari fateamur, repugnat non dari excrementa humidiora, quàm naturæ parti conueniat, retardantia curationem, quæ imbibitione attracta curationi non obstant. In summa ergo caro elixa est humidior aquea humiditate. Vnde quando Aristoteles dicit esse sicciora, intelligere exsuccia, non quòd sint humidiora ex mollitie maiori carnis elixæ, liquidò constat; meritóque putabitis per elixationem non tam extrahi humorem natiuum rei, quàm illum, qui intra vasa, poros, & alia foramina continetur, hic enim est, qui per scissionem carnis assatæ fluit. Ex dictis notabitis id quod animaduertit Philosophus, non esse scilicet omnia corpora apta, vt elixentur; non

C enim (inquit Arist.) corpus est aptum elixationi, quod nihil humoris continet, vt lapis; nec ea, in quibus licet insit, tamen propter densitaten nulla ratione superari potest, vt ligna. Sunt ergo elixabilia, quæ humorem à calore in humore existente patibilem continent, id est, ea sunt commoda elixationi, quorum humor pati potest à calore existente in liquore, in quo elixatio fit; patitur autem secundò, & quia extrahitur succus ille humidus a calore liquoris. & quia humor intra rem elixatam contentus mutatur in consistentiam crassiorem, lentorem acquirit ob fortem permixtionem cum partibus siccis. Vndè Aristotel. ita dixit: *Quare omnia in vniuersum elixationi apta sunt; quæcunque aut crassescere, aut contractiora, & grauiora fieri possunt*; licet hæc verba de propria elixatione aliqui intelligant. Hæc sufficiant pro hoc tractatu.

TRACTATVS
De Febribus Perniciosis.

DISPVTATIO I.

De Febribus perniciosis, intermittentibus, continuis.

QVÆSTIO I.

De earum natura.

Etsi intermittentes febres vt plurimum periculosæ non sint iuxta doctrinam Hippocratis 4. *aphor. text.* 43. dicentis; *Febres quecumque non intermittentes tertia die fortiores fiunt, magis periculosa; quocumque autem modo intermiserint, periculum abesse significant*; contingit tamen interdum tantam prauitatem cum intermissione indocere, quòd esset non dubiè securios continuas fieri, & intra vasa maiora causam earum contineri. Hanc febrium naturam, & ob quam causam periculosæ, prauæque fiant, latius & clarius, quàm antiqui scriptores, Ludouicus Mercatus sub nomine tertianæ perniciosæ doctissimè exposuit *lib.* 6. *de febrib.* non quia similis prauitas continuis inesse non possit, sed quia in intermittentibus periculum simulari magis putat, eo ipso quòd intermittant, ob quod cautos Medicos reddere tentat, ne intermittentiæ securitate salutem polliceantur, & conniuentibus oculis, oscitanterque talibus febribus medeantur, cùm inopinatam mortem ob negligentiam soleant afferre; & certè huic authori in huius rei difficili tractatione plurimùm debemus, quòd nullus temporibus nostris ante eum de deprauata harum febrium conditione tantam lucem attulerit.

Putat ergo hic author, quod tertiana perniciosa sit febris quædam, quæ simulata tertiani circuitus effigie lethalia, & mille accidentibus periculosissimis implicata existat; diceret melius, est febris quæ intermittentia periculum occultat; nam nulla alia simulatio in illa inuenitur, eo quòd grauiora accidentia manifestè satis se ostendant, grauitatem tamen, & periculum eorum intermittentia celare videtur, eo quòd Hippocrates *loco citato* dixerat: *Quocumque autem modo intermiserint, periculum abesse significant.*

Periculosas verò fieri intermittentes febres sex modis contingere docet. Sit primus ratione principatus partis, ad quam natura velut ad focum humorem accessionem facturum expellit; nam cùm membrum ex principalibus sit, dubium (inquit Mercatus) non est, vitæ periculum impendere ex læsione quauis in ipsum illata, non secus quàm in turgentibus humoribus ob periculosam affectionem arbitramur, quod timeamus ne humor turgidus in aliquod membrum princeps irruat. Verùm malè dicit, quòd ex quauis læsione partis principis vitæ periculum immineat: diceret melius, læsionem magnam necessariò fore, si humor accessionem facturus in partem principem trans-

A mittatur, & inde febris grauis, & perniciosa creabitur, & hîc iam adest, quod in turgentibus timetur, potest tamen non esse. Est etiam signum perniciosum, quod pars princeps tam debilis sit, vt putredinis focus a natura efficiatur, & humores corruptos recipere cogatur, in ipsaque toto tempore accessionis stabulentur, & eorum incineratio semper contaminetur; simulque innuit deprauatissimum operandi modum natura in partes mobiles, quas viriliter tenetur lege naturæ defendere, prauos humores mittentis.

Secundo modo perniciosa febris redditur ob summam humoris tenuitatem, & magnam putredinem, qualis est tenuissima bilis multo rehore plena, ratione cuius syncope frequentissimâ ægri corripi solent, quòd plurimum substantiæ nutritoriæ, & spirituosæ resoluatur,
B & sudoribus syncopalibus inuudentur. Est verò addendum huic Mercati doctrinæ, quòd humor ille tenuis actiuus nimia sit, & vim resoluendi, extenuandique non leuem participet; alioqui tanta spirituum & roridæ substantiæ resolutio, & dissipatio non fieret, nec corporis habitus recluderetur, quæ necessaria sunt, vt syncopalis febris ob tenuitatem succorum suscitetur, de qua dispositione Galenus egit 2. *aphor. com.* 28. tradendo rationem ob quam in febribus præter rationem corpora extenuentur, & tabida appareant.

Tertio modo efficitur febris perniciosa ob causæ prauitatem, quando nimirum bilis vitellina, æruginosa, prasina, & quæ in confinio atræ bilis est, siue ob alimentorum prauitatem, siue ob alias causas vstionem sanguinis creantes, putredinem conceperunt: sunt
C enim tales species syncerae, quia sero naturali destituuntur, aut quia ex siccissimis & acribus alimentis genitæ fuerunt, aut quia causæ sanguinem adurentes præcessere, & naturale humorum serum, à quo contemperabantur, depopulatæ fuerunt, ob cuius defectum crassiores, & mordaces effecti, interna exurunt, & tenaciter hærentes exedunt, humidamque substantiam depascuntur, & ad tabem disponunt, ineptique sunt, vt in tenuem fuliginem vertantur: quo fit vt cum moderata flamma interna colliquent, & exedant, fiuntque huiusmodi humores bifariam præternaturales; tales in primo sunt, quia sine sero à quo contemperari debebant; rursus quia vt febrem suscitent, putredinem, aut vstionem concipere tenentur, ob quas permutationes tam prauam naturam acquirunt, vt inter
D venena ab Auerroë reponantur. Imò quod febrem creare non possent, censuerunt multi, eo quòd prauitas eorum tam molestè à natura feratur, quod non permittar intra corpus tempore idoneo detineri, vt concipiant vstionem, aut putredinem; quorum opinio vtinam vera esset, eiusque falsitatem Hippocrates 22. *aphor. lib.* 4. redarguit, dicendo: *Morbis quibuslibet incipientibus, si atra bilis, vel supernè, vel infernè exierit, lethale*: quam Galenus de atra bile exquisita, & febres creante exposuit, quæ omnibus bilis præternaturalibus speciebus malignior est; & Auenzoar *cap* 6. de febre quæ fit ex cholera vitellina, prasina, aut æruginosa scripsit, & Auerroës *in fine cap.* 5. dixit; *Et peior specierum causonis est illa, quæ fit à cholera Zinaria, aut prasina*: Et clarius tradidit *cap.* 15. in quo curationem febrium cholericarum exponit, &

Galenus

A Galenus 5. *aphor.com.*1. de febre à bile æruginosa pendenic mentionem fecit, & 12. *methodi*.

Quartò efficitur tertiana perniciosa (inquit Mercatus) ob maximam copiam humoris crudi, & inæqualis crassitiei, cuius ratione more febris syncopalis humorosæ tertiana etiam talis efficitur, quæ non rarò sicut illa cordis, ita hæc totius corporis calorem extinguere nititur, & ob id periculosissima existit. Est in hoe quarto modo magnæ considerationis, quod ex copia magna humoris crudi, & inæqualis crassitiei, tertianam admittat Mercatus, cùm alia nulla causa maior, & proprior quotidianæ posset adduci, quàm copia humoris crudi: in mea verò opinione admittendum est, B quod putem (vt probaui *textu de essentia febrium*) quemlibet circuitum à quolibet humore fieri posse.

Quintò maligna tertiana efficitur (inquit idem author) ex adiuncto aliquo accidente, ob aliquem defluxum, quem calor febrilis statim concitat à principio, ratione cuius thorax, aut pulmo, & cor non rarò, aut ventriculi os, anxietate, difficili respiratione, & pulsus interceptione mille modis periclitatur: quod etiam longè grauius accidere experimur, si vterus in consensum trahatur. Non explicuit Mercatus, in quo hæc species febris perniciosæ ab ea quæ ob læsionem partis principis maligna etiam est, distinguatur, cùm in qualiC bet ob læsam partem principem periculum sit: distinctio tamen quantum ex eius lectione potest deduci, nulla alia esse potest, nisi quod in prima specie iam adducta pernicies veniat, quia directè humor in eam (vt dixi) ad faciendam accessionem moueatur, & sit verus focus putredinis: at verò in hac secunda specie, seu quinta in ordine, non reiicitur humori in partem principem, sed à calore febrili liquatur, aut commouentur excrementa, quæ intra partem principem continebantur, & sic graue aliquod accidens complicatur, vt si à calore febris cruda cerebri excrementa liquentur, & non resoluantur: necesse enim est, quod cerebrum obstructum ob irrigationem, & liquefactionem excrementorum graui somno opprimatur, aut si per asperam arteriam in pulmones præcipitetur, suffocationis periculum succrescere, aut si in pleuram, dolorem pleuriticum D excitare, & sic de reliquis partibus philosophandum est. Sic non implicat ad vterium moueri, aut quod in eo ad corruptionem paratissimum erat, à calore febrili corrumpi, aut quod quietum erat, agitari, aut prauè disponi, etsi non putrefiat, & hystericis accidentibus fœminam periclitari; sic sæpè calor febrilis flatus eleuat, qui in partem principem irruentes, præsertim si cor afficiatur, grauissimè offendunt. Est enim frequentissimum, si lien sit focus putredinis, per magnas arterias cum quibus cordi copulatur, cor magnoperè, & grauissimè lædi, corruptos halitus, & materiæ prauitatem suscipiens per tam amplas arterias. Quod semel iam vidi, dignum est vt audiatur. Laborabat mulier quædam tertiana notha, cuius medela erat mihi commissa: vocatur alius, me inscio cordi epithema odoratum satis applicuit, à quo tam grauiter immutata fuit, & vterus E ab odoratis tam grauiter offensus (vt ab odoratis solet,) quod deinceps in quolibet accessionum initio desperatis ferè accidentibus infirma molestaretur, vt in exitiali hysterica passione euenire solet; nec potuit nisi magnis auxiliis tantum periculum effugere; quod verò pulcherrimè auxiliatum fuerit, inferius tradetur, vt exemplo hoc deinceps non ignoretis, epithemata odorata cane peius & angue in fœminis cauenda esse: statim enim exanimes redduntur, & vehementer consternuntur cum magno periculo, præsertim si enixæ sint, aut menstrua instent. Experimento enim mihi constat, quod etsi sint aliquæ fœminæ, quibus per bonam valetudinem benè odorantia innoxia sunt, imò & assiduo eorum vsu delectentur; si tamen iam ægrotent, eisdem offenduntur grauissimè, aut quia excrementis A abundant, aut quia partes internæ debiles per morbos factæ, resistunt minus, & plura excrementa creant, aut creata corrumpuntur, quæ vteri ab odoratis commotus malignè etiam exagitat, & sursum eleuatus suffocat. Mirum quidem fuit in relata infirma, quomodo tertiana, quæ nullo graui accidenti molestabar, ab odorata mutationem tam malignam acquisierit, vt semper in initio accessionum exitialibus symptomatibus hystericis afficeretur, velut si ad vterum materia tota accessionem moueretur, quæ excrementa vteri corrumpens in tam grande periculum miseram deduxerunt.

Vltimò efficitur febris perniciosa ob venenosam, & pestilentem qualitatem, ita vt humor intermittentem B febrem creans, tam malignè corrumpatur, vt in malignis, & pestilentibus constitutionibus solet, & per consequens similia, & tam grauia symptomata ægros molestent, imò & sæuiora putat Mercatus, eo quòd materia venenosa vehementius in intermittentium accessionibus moueatur, & agitetur, quàm in continuis; nullam enim repugnantiam inuoluit, quod eadem maligna putredine materia intermittentium, & continuarum febrium inficiatur, & per consequens eodem periculo afficiant. Verùm si Galenum consulamus, id euenire non posse apertè fatetur 4. *aphorism. text.*41. iis verbis: *Non absque ratione autem eas quæ in quietem* C *febre vacantem desinunt, esse absque periculo inquit, vt quæ non ex inflammatione aliqua, nec ex maligna humorum putredine occasionem habeant.* Nulla pars ex dictis monstrationem admittit, & si quod Galenus docet, videtur probabilius, mihi hactenus id apertè videre, aut experiri non licuit, sed omnem malignam continuitate affligere vidi; principiis tamen Philosophiæ non repugnat oppositum, & Galenus quod vidit, asseruit, & docuit.

Tot modis putat Mercatus cum intermittentia malignitatem, aut periculum posse complicari, & vt dixi in principio etiam cum continuitate; frustra tamen tempus conteremus, si vt Mercatus fecit, signorum cumulum in communi malignitatem ostendentium describamus, cùm sit necessarium similia rursus in qualibet specie repetere.

D

QVÆSTIO II.

De prima specie perniciosæ febris.

ERat prima species, quando natura in accessionum initiis velut ad focum in partem principem humorem accessiones facturum reiicit, & cùm iam solicita de partium principalium custodia semper natura agnoscatur, magnum erit obstaculum, quod eam tam deprauatè operari cogat. Duo verò potissima sunt, & incapacitas recipiendi excrementa in extremitatibus vasorum, in quas in intermittentibus febribus excrementa reiicere consueuit; & magna partis principis debilitas, ob quam eadem excrementa recusare non potest. Inca- E pacitas recipiendi in vasorum extremitatibus ex nimia eorum fortitudine, si cum parte mittente conferatur, euenire potest, & inde cùm in parte principe recipiantur, debilior quàm corporis ambitus non dubie erit: vnde non est necesse (vt Mercatus putat) quod semper corporis ambitus obstructus aut compressus à multa pinguedine sit, sed nimia salus externorum, vt intra viscera minus inculpata humores irritantes reiiciantur, occasio esse potest. Et minus mihi probatur, quod totius corporis vasa obstructa, aut carne, & pinguedine oppressa esse debeant, vt ad extimas partes excrementa pelli non possint; nam cum totius obstructionibus, aut compressionibus præternaturalibus intermittentes febres fieri improbabile censeo, cùm & obstructiones, aut compressiones per seipsas febrem continuam creent, nedum

nedum si humorum putredo accedat de nouo: Probabilius mihi videtur, quod obstructio, aut compressio partialis sit, quando febris intermittens excitatur, sit verò in ea parte, per quam quæ mittit excrementa, pellere tenebatur, & cùm eam occlusam inueniat, per aliam cum parte principe communicantem detrudit, in qua cùm debilis sit, excrementa deponit. Oblitus etiam Mercatus videtur alterius occasionis, ob quam in partem principem moueri possunt humores; calorem nempe immodicum, à quo deprauata attractrix, eos ad partem validissimè alliciat, & focus efficiatur: quippe cùm pars transmittens in multas indifferentes mittere possit, à nullo efficacius determinabitur, vt in determinatam pellat, quàm à calore magno partis, qui sanguinem & spiritus ad se conuocare potest: nulla enim ad expellendum impotentia maior, quam calor attractricem deprauans, cùm sint actus contrarij: quod maximè notandum est, vt occasio fluxionis in solam partem mittentem non reijciatur: & constat quod sedatio fluxionis per attemperamentum partis recipientis fieri debeat, & extra dubium est in Galeni doctrina 2. *de diariis febr. capite vltimo*, quod calor solus partis possit eam fluxionem mouere, nedum inclinatam ad pellendum eadem caliditate, vt in ipsam expellat, determinare.

Incipiamus exponere, quæ cor, aut vasa ei proxima humorem accessionem facturum iam recipere ostendunt; sumuntur principalissima ex pulsu cordis malà strenuè semper diuulgante: fiet igitur si in cor, aut venulas et proximas humor expellatur, paruus, frequens, inæqualis, & aliquando omninò obscurabitur, quod Græci asphixiam vocant, seu pulsum interceptum, & cùm in initio accessionum magna oppressio cor semper fatiget ob retrocessum caloris, cui alia oppressio ipsi initio debita necessariò adiungitur, quatenus ipsum, aut pars ei proxima efficitur focus, magna prauitas, aut defectus apparebit, & aliquando cum ingenti periculo syncopis. Galenus *lib. 3. de præsag. ex pulsibus, cap. 7.* huius febris recordatur, dicendo; *Finge in febribus vbi aceruus materiæ humidæ initio accessionis ad cor peruenerit, primum mortis periculum esse, quod periculum maxima mutatio pulsuum in raritatem, tardantem paruitatemque pronunciet. Nam si iis insignis remissio successerit, extemplo peribunt; sin autem absit remissio, contendit natura hanc superare, atque arteriarum motum maiorem, celeriorem, crebrioremque excitat, &c.* Est enim in hoc infortunio resolutionis spiritus secunda occasio, & humoris putredo, aut maligna corruptio, & ab eius corporatura grandis suffocatio; vnde necesse est, vt indicibilis inæqualitas pulsus, tantum vitium sit summè inæquale, quia talis semper est in initiis accessionum excrementorum transmissio, vt incendium etiam a quo extenuari debent, inæqualiter fit; quæ (inquit Mercatus) accidere solent, cum faciei rubore, sudore, oculorum cauitate, ob magnam spirituum vitalium resolutionem, à qua subitus virium casus, & mors inopinata timenda sunt, & sæpe eueniunt in accessionum declinatione vitali spiritu simul cum calore febrili exsoluto. Si verò crassities humorum potius quàm malitia sit, erit inter magnitudinem, & paruitatem magna inæqualitas, sed paruitas plus apparebit, vt intercadens, aut myurus deficiens reddatur, laborans, torpidus, & impotens, suspiriosus, anxius, & onere pressus apparet, nesciens referre quid sentiat: sudore frigido saepe inundatur, & in initiis accessionum, & augmentis rationabilius periclitatur, quia suffocatus potius, quàm alio modo mortis perire debet, ob copiam, & crassitiem humorum: copiam dico respectu partis tam nobilis, in qua moderata excrementorum quantitas mortalem plenitudinem causat, quia liberam nimis naturalem capacitatem desiderat cor ad ingressum aëris, creationem spirituum, & ventilatio-

A nem, & motum, nunquamque in hoc malo (etsi intermissio sit) satis pulsus constat, debilis est, & paruus, & adhuc tempore intermissionis inæqualis satis, quia cineritium intra se semper manet, pereuntque sic affecti sudoribus syncopalibus frigidis, & omni pulsus consternatione intra quintum circuitum, aut in febrem continuam, & grauissimam permutantur.

Non dissimili grauitate symptomatum, sed grauiori interdum ob sensum ventriculi exquisitum, humorum præcipitium in os ventriculi ostenditur, os enim ventriculi cor ab antiquis nuncupatur, quia eisdem accidentibus vt cor molestare consueuit, quando præter naturam afficitur; grauissima verò sunt, quando humori non per communes vias, hoc est non per venam B portam, & meseraeum humor excernitur, sed per vias, per quas ventriculus alimentum ad sui nutritionem suscipit; humor enim impingitur, & reijci non potest, quo fit, vt anxietate, cardialgia, & intolerabili nausea, absque expulsione notabili, assiduò molestet, nec maiorem exaggerationem adducere licet ad grauitatem huius mali significandam, quàm considerare humorem putridum, & aliquando æruginosum, aut vitellinum, aut porraceum in venis carnis ventriculi impactum, eam erodens, & vellicans, quòd exitu libero careat: hinc pulsus debilis nimis cum paruitate, creberrimus quandiu vsus fatigat, circa magnam caloris vitalis extinctionem, aliquando verò raritatem cum paruitate admittit, quando nimirum tanta est vitalis caloris resolutio, vt iam C frigidum corpus initia syncopis exitiosæ admittat, quo tempore febrem non esse apparet, ob frigus à caloris vitalis defectu emanans, facies extenuatur, oculi caui fiunt, nasus acuitur, color viuidus deperditur, frigidus sudor faciem, frontem præcipuè madefacit, nunquam æger quiescit, sed assidua decubitus mutatione seipsum fatigat, & vires infringit; pereunt verò qui ita afficiuntur, quinta, aut septima accessione in eius declinatione, eo quòd in initiis accessionum magna fit spirituum resolutio, vnde quando natura seipsam explicat, vt accessionem finiat, paucus qui superest spiritus vnà cum humore euolat, & anima simul. Quòd si humor in venulas carnis ventriculi pulsus, biliosus D præter naturam sit, constat iam bifariam esse huiusmodi febrem perniciosam; & ratione partis affectæ, & humorum prauitate, quæ moderari solet quando intermittens febris in continuam degenerat; quod mirum est, eo quòd intra vasa maiora, & non ad extremitates humor mouetur: cessant quidem symptomata exquisitum sensum ventriculi comitantia, quæ grauissima sunt, & simul quæ ob cordis consensum creantur grauiora, vt ob id securius sit continuè quàm intermittenter febricitare, etsi nunquam febres continuæ in quas malignæ istæ intermittentes permutantur, grandi periculo careant, & quia continuæ, & quia viribus iam extremè collapsis, languidoque ventriculo superueniunt.

Si in cerebrum in initio accessionum humor moueatur, aut somno, aut delirio innotescit: erit autem diuersa somni præter naturam species, vt erit humor, aut E vapor diuersus, & diuersa etiam pars cerebri affecta; erit tamen diligenter considerandum, si in die intermissionis cessent omninò symptomata, quæ in die accessionis grauia apparuerunt, aut aliquid eorum molestet, quippe si primum eueniat, iudicandum erit, quod aut distemperies sola, aut vapor author eorum symptomatum fuerit; si verò vestigia eorum in die intermissionis remaneant, grauissimum hoc est; significat enim quod sub tota corporatura humor in cerebrum fuit expulsus, aut quod crassus admodum flatus, & multus fuit, cerebrum debile, & in parte mittente continua ferè transmissio, & corruptio. Et quod propriè febrem perniciosam constituit est, quod humor in cerebrum pellitur in accessionibus, sæpè

verò intolerabilis capitis dolor eandem transmissionem humorum explicat, de quo *in prognosticis, text.* 11. sic scripsit Hippocrates: *Capitis dolores fortes, & continui cum febre, si quidem aliquod lethalium signorum extiterit, valdè mortale, &c.* nec enim continuè, & multum caput dolere potest, quin magnus humorum confluxus cerebrum fatiget, & phrenitidem, aut apoplexiam, vel conuulsionem affectum, aliudve malum graue polliceatur: quæ doctrina in intermittentibus febribus vera non minus est, licet non tam exitialis videatur, vt in continuis; nec minus tremuli motus eandem febris perniciem ostendunt, cùm in delirium terminari soleant, vt per *aphorismum* 16. *lib.* 6. Hippocrates docuit dicendo: *Qui in ardentibus tremores fiunt, delirio soluuntur.* Patitur enim genus neruosum à quo cerebrum facillimè in consensum trahitur; sic inters obliuio, aut nunquam dormire, cerebrum vehementer pati significant, & grauissimam esse affectionem.

Iecoris affecti signa, & quod focus febris efficiatur, ex molestia in dextro hypochondrio agnoscendum est, cum dolore grauante, & multò magis ex incendio illius regionis; obstruitur enim, & ibi succi putrescunt, vt incendij maioris duplex sit causa, & defectus ventilationis, & excrementorum putredo. Et cùm densum membrum sit, & princeps, ventilatur difficile, quia densum, & princeps magnam læsionem inducit, vt statim eius mala continua fiant & grauia, vt interdum debilitato iecore hydrops succedat, aut pertinaciter obstructum contabescat corpus: solet quando sic afficitur, tussim siccam in accessionum initiis excitare, ob septi compressionem; distenditur enim ob humoris affluxum, & eius fusionem, quando inflammatur humor in accessionibus, vnde ne tandem inflammetur, timendum est. Non potest non esse huiusmodi febris satis sitibunda, ob ventriculi facilem compassionem, & vomitus biliosus, aut alterius naturæ aderit, si caua pars afficiatur; tussis verò magis molestabit, si gibba; eodem enim modo hîc philosophandum est ad venandam partem affectam, quo in iecoris inflammatione Galenus docuit; plus enim symptomata ventriculi molestant, quando in cauam partem natura mittit humorem: quæ verò respirationem lædunt, & tussim mouent, si in gibbam expellantur, grauiora sunt, pulsus necessariò erit quàm per naturam durior, propter obstructiones, & incendium, & tensionem.

QVÆSTIO III.

De curatione malignæ febris ob decubitum humoris in partem principem.

Ludouicus Mercatus *loco citato* curationem cuiusque febris ex dictis ab expurgatione feligente medicamento incboat: commune (inquit) præceptum sit, vt, siue in cerebrum, siue in ventrem irruant humor, maximè si vitiosi sint, protinus expurgante medicamento vti, non secus quàm in quauis alia humoris turgentia facies, præcauens, ne in membrum principem agitati humores irruant. Ratio à priori insinuatur, nimirum quod sicut in humoribus turgentibus statim expurgamus, ob metum decubitus humorum in partem principem, cùm in adductis speciebus febris perniciosæ iam determinatè in membrum princeps moueatur, certior indicatio ad expurgandum datur, cùm hîc adsit, quod in turgentia timetur. Quo facto, si sequens accessio par afferat periculum, & æquè grauia symptomata, & viribus constantibus, sanguinem detrahes ex dextra basilica: & si vires expurgatione, & accessio;

A num grauitate lapsæ sint, ex saluatella, vel talo censeo plus commodi laborantes suscepturos. Eandem doctrinam quantum ad expurgationem Magister meus tradidit super *lib.* 1. *de arte curatiua ad Glauconem, cap.* 9. in hoc tamen à Mercato differre videtur, quod non admittit sectionem venæ, nisi post purgationem in sequente accessione humor ad cor non moueatur. Verba Magistri mei sunt: *Si autem in adueniente accessione facta iam expurgatione humor versus cor non moueatur, illa transacta aperies mittere sanguinem.*

Horum authorum doctrina mihi videtur improbabilis, & veræ methodo opposita. In primis contra Mercatum est, quod quando idem morbus indiget sanguinis missione, & expurgatione, sit prius mittendus sanguis, deinde expurgandum; vnde expurgare prius,

B & pòst secare venam, irrationabile omninò est. Et ego inquirerem à Mercato, si motus humoris in partem principem cogit ante venæ sectionem expurgare, & si hic idem motus in sequentibus accessionibus in eandem partem principem fit, cur rursus non expurgat; nam eisdem indicationibus manentibus, non est ad aliud auxilij genus transeundum, iuxta *aphorism.* 52. *lib.* 2. dicentem: *Omnia secundum rationem facienti, si non succedat secundum rationem, non est transeundum ad aliud, suppetente quod ab initio probaueris.* Tum etiam vrgentissimè arguo contra Mercatum, quia indicatio sumpta à parte affecta, non mutat indicationem remedij vniuersalis, sed topici: si explicatur in tertiana, cuius causa antecedens erat intra vasa, & mo-

C uetur humor in partem non principem, non expurgaret primò Mercatus, sed sanguinem mitteret; ergo idem auxilium imperare debet si moueatur in cor. Constat, quia eædem indicationes ex parte causæ, & motus humoris inueniuntur; quod verò in hanc, aut illam partem moueatur, non mutat auxilij indicationem, sed venam fortassis secandam, aut quantitatem mutare poterit, non tamen auxilium, quia sanguinis missio non indicatur à parte, sed à causa morbi, & morbo: est verò idem morbus, & eadem causa: ergo eodem prorsus modo indicabunt. Si ergo licuit iam expurgato corpore venam secare, licebat non dubiè, & ind cabatur à morbi principio venam secare: cur ergo non fecit? sed contra communem methodum prius

D medicatur, deinde sanguinem mittit, non itaque est constans hæc praxis, cùm semper sint similia indicantia. Tum etiam quia non video esse perniciosam praxim statim expurgare, quando humor in iecur in initio accessionum mouetur, cùm tota excrementorum colluuies ad partem affectam trahatur ratione remedij? Est non dubiè extra methodum vbi iecoris inflammatio timetur (vt in hac specie tertianæ perniciosæ Mercatus meritò timet) per locum affectum excrementa deducere, vt clarè Galenus 13. *method. cap.* 11. docuit, dicendo: *Hac itaque ratione, nec si ventriculum, aut intestina phlegmon occupare iam cœperit, medicamine quod aluum deiiciat, vti conueniet.* Et idem de iecore paulo suprà dixerat. Idem dico si humor in vterum mittatur, est enim reuellendus & in contrariã partem versus

E illam trahendus. Vt ergo in cordis, iecoris, aut vteri inflammatione esset perniciosa praxis statim expurgare, si sectio venæ fieri posset, sic perniciosum erit in febribus putridis, in quibus vena secari potest, ab expurgatione incipere, & non à missione sanguinis. Ratio est clara, quia idem est fluxus, & eadem pars affecta; solùm est discrimen, quod in vno fluxu inflammantur partes, in alio verò non, sed in vasis earum humores accessionem facturi continentur: id verò indicationes non variat (vt patet) ad communia, & prima remedia. Est etiam contra Mercatum ratio valida, quia si obstructiones, vt putat ipse, possunt esse causa vt in membrum princeps humores reiiciantur, quid per expurgationem intendit,

cùm

cùm nihil sit perniciosius, quàm corpus obstructum, & plenum statim expurgare, quod Hippocrates *lib. de locis in homine* damnauit dicendo; *Medicamentum tamen donec corpus floridum est, ne propinato; non enim vacuantur nisi parum, vtpote corpore turgente, &c. text.* 38. Per floridum verò intelligit plenum: cùm ergo sectio venæ deobstruat, reuellat, & ventilationem, attemperationemque inducat, plenitudinem tollat, & tam securè celebretur, sine ratione ad expurgationem recurrit, auxilium tot vtilitatibus carens, & mille periculis plenum. Magister etiam noster absque ratione docet quod sanguis mittendus non sit, si in partem principem similis humorum motio repetat; hoc enim nec probat, nec rationem idoneam talis praxis adducit: nec mirum quod eam tacuerit, cùm doctrina inopinabilis sit.

Est ergo sententia nostra, quòd si humor febrem perniciosam creans, cum sanguine sit permixtus, vt est in aliis febribus, in quibus vena secatur, eadem methodus in perniciosis seruanda sit, ita vt vena primò secetur; nec ob indicationem partis affectæ posse variari, nec debere remedium hoc, constat ex dictis contra Mercatum, & quia Galenus 11. *methodi*, vbi indicationes communes occurrendi humoribus putridis in febribus tradidit, absque vlla exceptione venam secat, nulla facta distinctione partium in quas humor moueri potest; nunquam enim mihi probari potuit quod communiter dicitur, nimirum quod propter vrgentiam liceat mutare remedium, cùm vrgentia nihil aliud sit, quàm eiusdem morbi maius periculum; periculum verò remedium non mutat, sed idem auxilium vrgentiùs indicat, & inde quod celeriùs, & plus imperetur, non tamen quod amittatur, & imperetur aliud distinctum; vnde siue in cor, iecur, vterum, aut ventriculum, humor in initiis accessionum moueatur, dummodo materia antecedens sanguini admista intra vasa contineatur, vena primò secabitur, & auxilium reiterabitur iuxta mali vrgentiam, & virium permissionem. Quæ doctrina intelligenda est, dummodo ex determinata læsione partis affectæ non excitetur aliquod symptoma venæ sectionem impediens, vt de cardialgia Medici docent, quæ ob languorem virtutis, quam inducere consueuit, venæ sectionem dehortatur. Idem de syncope intelligendum est, quando in cor causa accessionum mouetur; quibus seclusis, si consideretur præcisè motus humoris in partem principem, quam febri vt foenum iam parat natura, sanguis mittendus est, & non expurgandum statim, vt Mercatus docet, quia iuxta suam praxim adductam in apoplexia, lethargo, caro, carocho, & vehementi capitis dolore, expurgare statim deberet, cùm humor in partem principem moueatur; quod omninò irrationabile est, & contrarium *propriis capitibus*, & *cap. de apoplexia* docuit. Legatur Hippocrates 4. *de victu acutor. a textu* 23. *vsque ad* 38. vbi clarè docet, impetum humorum in partes principes sanguinis missione statim moderandum esse: quod præceptum extra controuersiam Galenus admittit 4. *de vict. acut. com.* 24. dicendo: *Velocissimè, & plurimum ex iis, quæ principes sunt partibus, vena ea corpus vacuat: atque ob id in acutissimis morbis ad eam sese confert.* Verùm *text.* 27. clarè contra Mercatum Hippocrates loquitur dicendo; *Nequeuntibusque spiritibus naturales pertransire meatus, infrigidationes fiunt ob stationem vertigines, aphonia, capitis grauitas, & conuulsiones, si iam ad cor, vel hepar, vel in venam peruenerint,* &c. Quibus fluxionibus in eas partes principes occurrens *text.* 38. dicit: *Talibus sanè prius adhibitis fomentis, venam confestim ab initio secare oportet, cùm nondum fixa sint omnia, quæ contristant, tum spiritus, tum fluxiones;* occurrebat verò Hippocrates fluxionibus atræ bilis acribus distillationibus, vt non putetis ob id venæ sectio-

A nem imperari, quod morbi à sanguine pendeant; & praxi Mercati refragantur multa, nempe quod materiam crudam expurget, & hoc quando corpus, & humores nullam susceperunt præparationem, quod corpus sit plenum, obstructum, & remedium incertissimum imperet, expurgando prius in morbis qui venæ sectionem exposcunt: hæc verò vtilitatem expurgationis afferre potest, & alias innumeras, quas expurgatio nequit; & hoc cum certitudine euidente, qua expurgatio omninò caret. Et quis dubitare poterit, quòd sectio venæ euacuet quæ in cordis regione post accessionem remanent; quæ expurgatio educere nequit ob viarum distantiam, & quia ad cineritium iam redacta non cadunt sub expurgationis obiecto. Sic Galenus 13. *method. cap. cit.* vbi iecur, pectus, pulmo, aut B cor sic afficiuntur, venam internam secare præcipit, & nullo modo expurgat; illud verò præcipere deberet Galenus saltem in affectibus thoracis, & cordis, si ob partis principatum licitum esset expurgare statim: & 4. *de victu acutor. text.* 22. vbi vitiosi aliqui humores in partem aliquam confluant, atque in ea acceruentur, rectè ad sanguinis missionem propius deueniendum præcipit. Secanda ergo vena est, & celerrimè & copiosè, si vires ferant, quando in cor, aut cerebrum humor expellitur, sunt enim tales passiones acutissimæ, iecoris verò, & vteri tardius occidunt, etsi histericæ acutissimæ esse soleant; meritò verò diximus secandam esse venam, si causa febris intra vasa, & sanguini admixta sit, nam si spurcitia primæ regionis causa febris esset, & ab illa in C cerebrum, aut aliam partem principem humor pelleretur (quod rarissimum est) non cadit sub dubio, quod sectio venæ esset perniciosa, & statim expurgatio sit imperanda, cùm etiam hoc remedium conueniat, quando sine pernicie aliqua, & partium principum consensu febris excitatur.

Si cor patiatur, secanda est vena, seu basilica, quia hæc vt Galenus 4. *de victu acut. com.* 24. *iam cit. velocissimè, & plurimum ex iis quæ principes sunt, partibus vena ea corpus vacuat.* Si cerebrum verò afficiatur, notabitis si in die intermissionis, aut in declinatione, & remissione, liberum omninò maneat; quod si fiat, interna etiam secabitur, quia à partibus transmittentibus plus euacuat. Est verò magni momenti partem transmittentem celeriter & magis inanire, præterquam quod D reuulsio maior, & cum maiori causæ extractione sic celebratur; si verò caput in die intermissionis, aut remissionis grauatum percipiatur, & durent adhuc & molestent eius symptomata, communis vena secabitur, quæ simul cerebrum, & partem transmittentem deonerat: si verò iecur afficiatur, dextra basilica perpetuò secabitur, si eius visceris dolor, aut grauitas nunquam deficiat; si verò ab eis omninò liberum in die intermissionis, aut remissionis sit, vtriusque brachij interna secari poterit, quia nunquam quod iecur obsideat, vrgens aliquod datur, & maior reuulsio sic fit, totumque æqualiter inanitur: semper tamen menstrua euacuatio, aut alia consueta in consultationem trahetur, vt si diminuta, aut deficiens percipiatur, ei iuxta communem methodum occurramus E statim.

Maius dubium est, si ventriculi, & oris eius accidentia durent adhuc in die quietis, aut remissionis, vt morsus, & cardialgia, aut grauitas, quid in hoc casu operandum sit? de quo *cap. de cardialgia* latissimè egi: modò autem breuiter dico, quod si constet (vt in mea doctrina suppono) humorem à vasis sanguineis secundæ regionis in ventriculum moueri per alimenti venas, vt diximus, sit secanda vena, si vires constent, & cardialgia, aut morsus ventriculi magnus non sit; magnus enim extremè debilitat, & motione assidua ægrum fatigat, & præterea moderandus prius est, & deinde roborandus ventriculus, & pòst

secanda vena; certum enim est, quod si ob sanguinis missionem humor interius retrahatur, melioris conditionis morbus reddetur, quia simili vitio succi vasorum inquinati sunt, cùm supponamus ex ipsis in os ventriculi expelli, & ex alia parte cessat cardialgia, quæ validè molestat, & cor in consensum trahit, extreméque debilitat. Vt enim in ventriculi inflammatione, etiamsi dolor, & cardialgia sit, non impeditur sanguinis missio, si virtus datur; simili methodo in hac specie febris perniciosæ procedendum est, quia fluxio in eandem partem dirigitur, quæ retrahenda est, & non licet corpus expurgare, eo quòd ad affectam partem succi conuocantur, quæ cùm debilis sit, excrementa conuocata cum magno periculo inflammationis, aut noui incrementi morbi prioris recipiet; est enim primum principium quod Galenus tradidit 13. *method. cap.* 11. dicendo; *siquidem longissimè à parte tentata fluxione, quod redundat, reuellere, nequaquam ad eam trahere conuenit.* Vnde non capio qua ratione motus Mercatus, in fluxionibus ad iecur, & ventriculum, expurgare statim corpore pleno tentet; eius enim verba contrarium omninò suadent, quæ sunt: *Si in iecur humores irruant, affectio mox continua fiet, & morbus diuturnior, ob ingentes obstructiones, & magnam iecoris imbecillitatem*, &c. Si ergo ex repetitis transmissionibus ad iecur ea mala sequuntur, maiora non dubiè euenient si tota materia ad ipsum confestim trahatur; iam enim quando foeus efficitur, debile, & obstructum necessariò supponitur, & incensum etiam, quæ expurgationem vehementer reformidant. Idem de ventriculo sentiendum est, vt constat, & 13. *method. cap. citat.* Galenus docuit, dicendo: *Hac itaque ratione, nec si ventriculum, aut intestina phlegmon occupare iam cœperit, medicamine quod aluum deiiciat vti conuenit. Eandem cum iis indicationem & vterus sortitur, sicuti cum vrina vasis pudenda.* Et inferius, *vbi iecur, pectus, pulmo, aut cor sic afficiuntur, internam incidere, &c.* Galenus ergo fluxionibus partium principalium sectione venæ in contrarium auertente euacuat, & reuellit; non verò per ipsas patientes particulas excrementa deriuare permittit, sed repugnat potius, & amethodam sectam colentes suggillat, quòd nullam de laborantibus partibus rationem haberent in euacuationibus, sed ex qualibet indifferenter euacuabant. Nec obstat quod Galenus *loco citato* de phlegmone loquatur, quia similis ratio est in quauis alia fluxione, cùm vena non secetur præcisè, quia inflammatio excitetur, sed quia sanguis, aut alij humores sanguini admixti in partes internas impetum capiant, & ob id in omni febre putrida repetente, aut secus, sanguinem mittit, vt à foco reuellatur quod fluit, & ob alias commoditates venæ sectionem comitantes.

Quia verò dixi, quod malum, eo quòd partem principem obsideat, non mutat auxilium, sed quod indicat, indicat vrgentius, & quod celeriùs succurramus; ideo existimo, quod etsi in tertianis simplicibus communis praxis sit in die sola intermissionis venam secare, & non in die accessionis, possit nihilominus in die accessionis vena secari, si virtus constet, & tempus idoneum detur, vt æger nutriatur: vrgentia enim mali id planè exposcit; quod enim vrgens est, & breuioris constitutionis, crebriores euacuationes vt minus alimentum requirit; præsertim vbi obstructiones partium internarum, aut earum, vel totius plenitudo, perniciei causa putantur; quod vt methodicè fiat, quanta fuerit in accessione prægressa virium debilitas, attentè contemplabitur Medicus, & si magna non fuerit, in die accessionis vena secari poterit, quoniam, etsi debilitet, minorem non dubiè accessionem reddet, & securiorem morbum, si per auxilia moderandus est; si verò in ipsa accessione nimis natura patiatur, nullatenus vena in ipsa die secabitur, sed omni distractionum genere, ne in partem principem impetuosè materia moueatur, impediemus, vt si cerebrum, aut cor moueatur, per assiduas crurum frictiones, oleis attractoriis, inunctis manibus, vt rutaceo, costino, liliorum alborum, irino, & aliis eiusdem naturæ vesicatoriis, si supra tales quatuor digitis applicentur, reuulsio etiam procuratur, vt ligaturis dolorosis; & quod magni momenti est cucurbitæ ante horam accessionis partibus inferioribus affigentur, & si opus fuerit cum scarificatione, vbi nimirum magnus humorum motus timetur; quod munus etiam completur, si clystere expurgante iuxta humoris ideam eo die vtamur ante alimenti sumptionem, non decet verò eo die nisi longè ante accessionem dormire, nam & ipsa vigilia reuulsio quædam est eorum, quæ ad intra mouentur, vt somnus conuocatio. Erit tamen hoc notandum, quòd si cor afficiatur, liganda sunt, fricanda, & calefacienda crura, & brachia ante accessionem; si cerebrum, eodem modo, sed crura magis; si iecur, crus dextrum nunquam attingetur, sed vtrumque brachium, & crus sinistrum. Et quamuis Galenus 1. *ad Glauconem, cap.* 14. ante accessionem hæc celebrare doceat, exercenda etiam in ipsa accessione sunt, frictiones præsertim, calefactiones, & ligaturæ; tunc enim magna fit succorum conuocatio ad intra cum periculo suffocationis natiui caloris, cui nihil magis succurrit, quàm reuocatio magna succorum ad extra, præsertim quando extremorum algor nimius molestat, in quo multi passim peccant, multo alimento, vino, & insculis huic virium præcipitio occurrentes, cùm lædantur ægri tantò magis, quantò magis replentur, & grauantur intra. Melius ergo est omni distractionum genere extrà excrementa retrahere, & odoribus spiritus instaurare, aut vini momento: ignis enim qui præ lignorum copia suffocatur, non reuiuiscit aliter quàm inducta ventilatione, & ablatione lignorum. Sic similiter calor noster vbi præ copia suffocationum interit, non reuiuiscit, si alimentum propinetur, sed si copia suffocans distrahatur, vt sic ventiletur, & reaccendatur.

Discutiendum tamen restat, si iam misso sanguine liceat expurgare ante materiæ coctionem? Respondeo quod si ad ventriculum, & iecur humores moueantur, nunquam expurgare sit licitum ob adductas rationes in principio contra Mercatum. Idem si ad vterum reiiciantur sentio, verùm si ad cor, aut cerebrum expellantur, maius dubium esse potest. Et respondeo quod si magna cacochymia in sanguine sit, vt alicuius humoris qui est materia antecedens; magnus excessus detur, non caret probabilitate, quòd expurgatio imperari possit, quia materia antecedens multa est, & in rigore non est cruda, quia nondum computruit, & directè ad partem distantissimam humores retrahuntur, & euacuantur: si verò talis excessus non detur, securius puto vlterius sanguinem mittere, & relatis antea auxiliis materiam distrahere. Sunt tamen tam acutæ huiuscemodi passiones, quòd rarò non interficiant, aut in melius mutentur, antequam sanguis sufficienter sit missus, vt rarò expurgationi locum aptum concedant, tanto verò expurgatio magis timebitur, quantò humorum crassitudo, & lentor abundauerint, aut obstructiones, & hypochondria tensa, & minus libera fuerint, & de virtute certitudo magna non sit.

Illud verò notabitur, quod si ex portione humoris in ostium ventriculi transmissa remaneat aliquid, quod in diebus intermissionis molestet, non est extra rationem illud medicamento idoneo euacuare, ea methodo dato, quòd partem directè respiciat, & ex toto non trahat, quod optimè perficitur si febris magna non sit, si duabus drachmis hieræ simplicis dum drachma dimidia pulueris diarrhodonis bolus formetur, & exhibeatur. Formabitur verò cum miua simplici

sitoneo

citoneotum, aut melle rosaceo persico; hoc si expur-
gatio maior desideretur, minua verò si minor eductio,
& corroboratio maior ventriculi. Si verò febris inten-
sio, aut ventriculi sicca distemperies maior sit, ob quam
hiera timeri debeat, celebre auxilium est serapium ex
pluribus infusionibus rosarum rubrarum cum decocto
cordiali, & medulla tamarindorum, & si opus fuerit,
drachma semis rhabarbari recentissimi puluerizati ad-
detur, quia mitè ventriculum roborat & expurgat: hoc
autem auxilium non imperabitur, nisi (vt dixi) ex eo
quod in ventriculo imbibitum ex prægressis accessio-
nibus maneat, cardialgia, & magna anxietas assiduæ
sint, nam si transacta accessionis die, ventriculi acci-
dentia quieuerint, securius est sanguinem mittere, ven-
triculum corroborare adstringentibus, & attemperan-
tibus, & reuulsionibus iamdictis à corde, & ventriculo
retrahere.

Vt dicta expurgatione euacuatur quod in ventri-
culo ex accessionibus imbibitur, sic oportet aliis auxi-
liis quod in cerebrum impingitur extrahere, vt sectio-
ne venæ cephalicæ, aut cucurbitis scarificatis super
humeros, aut in occipitio, aut in brachiis iuxta ce-
phalicam, & iis quæ per nares cerebrum expurgant,
si materia crassa, & pituitosa extiterit: quæ imperanda
sunt (vt notaui) quando cerebrum in diebus inter-
missionis, aut remissionis, ab eo quod in accessioni-
bus recepit, molestatur, & grauiter laborat, aut
laborare timemus, & corpus totum euacuatum est,
quo tempore vesicantia post aures applicita magni
momenti esse solent ad deonerandum cerebrum; & vbi
iam oneratum percipitur, importuna erit oxyrrhodini
appositio, vt opportunissima in mali principio ad eius
roborationem. Mercatus docet, quod si in die quietis
somnus, aut delirium duret, sit secanda cephalica,
vt diximus, aut scarificandæ cucurbitæ in bra-
chiis, quas (inquit) si parum ante accessionem ad-
hibueris, magis ex vsu facies: quæ praxis mihi non
probatur, quia vbi iam proxima accessio est, teme-
rarium puto quodcumque auxilium attractorium pro-
ximè cerebro applicatum, sed ad distantissimas par-
tes inclinandi sunt succi, auxilia vero euacuantia aut
deriuantia post accessionem, aut in die quietis, &
longissimè ab accessione imperanda sunt. Vnde quod
dicit Author de cucurbitis, nempe quod in die quietis
sint affigendæ à cruribus ad nates, in die verò accessio-
nis à ceruice ad nates per dorsum, non est perpetuò ve-
rum: nam præterquam quod in die quietis rarò cocur-
bitulis vtimur, quia maiora auxilia celebrantur, & in
ea die fluxio non fit, sed intra vasa humor disponitur
ad accessiones faciendas, & quietus est, si eo die aliquid
à cerebro euacuare, aut deriuare desideremus, par-
tibus superioribus etiam applicandæ sunt, vt euacua-
tio, aut deriuatio fiat, cum scarificatione eorum: in die
verò accessionis, si in fine illius applicentur, vt cere-
brum deoneretur, à ceruice ad nates per dorsum appli-
catæ vtilissimæ sunt, vt Mercatus docet: si verò vt præ-
caueatur raptus ad cerebrum cucurbitæ imperentur,
nullo modo partes supernas attingent, sed à medio
dorso vsque ad crura applicabuntur, vt in contrarias
partes succi inclinentur; & si pars affecta, & trans-
mittens agnoscatur, magnum erit auxilium supra illam
magnam cucurbitam affigere, & si opus fuerit, scarifica-
re; sic enim detinetur, & euacuatur quod in cerebrum
ab ea reiiciendum est: id verò fiet duabus horis ante
accessionem, quando iam tota copia succi transmit-
tendi in parte transmittente accumulata est. Si verò nul-
la pars determinatè transmittens agnoscatur, putandum
est vasa maiora in caput reiicere, & sic in regione dorsi,
vbi magna vena situatur, scarificandæ sunt cucurbitu-
læ. Conueniunt etiam vesicantia cruribus apposita, vt
ad distantissima succi retrahantur, quæ statim à pri-
ma morbi inuasione applicari possunt; & si vrgeat

A raptus, non semel, sed bis, & ter intra illas duas ho-
ras reiterandi sunt; mirè enim proficiunt, vt sæpè ob-
seruaui; id verò quod in cerebro impactum est, si pitui-
tosum fuerit, optimè per nares sequenti medicamento
deriuatur, & extrahitur. ℞. gummi ammoniaci ʒ. j.
pyrethri subtiliter puluerizati ʒ. iij. incorporetur opti-
mè cum succo radicis ireos ad vnguenti consistentiam,
& parum de hac mixtione extremitati baculi ad id ada-
ptati imponatur, & in narium profunditatem immit-
tatur; & statim magnam copiam serosæ aquæ distillari
percipies: aut sume succi radicum betæ ℥. iij. mannæ
electæ ℥. ß. misce, & tepidum per nares trahatur, va-
lidissimum est lactis caprini ℥. iiij. elaterij g. ij. miscete.
Idem auxilium in forma puluerum paratur hac ratione.
Radicis ireos, foliorum maioranæ, ana ʒ. j. seminis
B sinapis, cubebarum, cariophylorum, piperis albi ana
℈. j. castorei, & seminis fœniculi, ana ℈. ß. moschi g.
vj. misce, & in nares parum illius per calamum insuf-
fletur; in decocto etiam dictami, pulegij, stæchados
& maioranæ, pilulæ de agarico dissoluuntur, & per
syringam intra nares immittuntur, quod etiam efficaci-
ter præstat decoctum thymi, pulegij, seminis fœniculi,
& tymbræ in aceto albo paratum, & per syringam na-
ribus iniectum. Suauius auxilium est mulsa cum succo
foliorum betæ, & pauco castoreo, magnique momen-
ti est in serapio stæchados, & de hyssopo theriacam an-
tiquam, & mithridatum cum pauco puluere seminis
synapis dissoluere, & palato cælum inungere; sit tamen
magna cura extrahendi pituitam, quæ per dicta auxilia
C eliquari lentè solet.

Auxilia, quæ in corde impacta sunt, euacuat difficil-
lè, neque finem intentum assequuntur ob distantiam,
& quia intra cauitatem thoracis conclusum velut sepa-
ratum existit; per magnam tamen arteriam aliquid
communicari posse ab omnibus admittitur, & eius re-
gio oleo Mathioli inungitur, cui electuarium de gem-
mis, aut de hiacyntho Mercatus admiscet, quod mihi
non placet: quia in lapidibus, nec resolutio aliqua da-
tur, nec per poros, etsi in puluerem redacti exquisitis-
simè sint, facilè intromitti possunt, ob quod magis
laudo olei solius applicationem, aut oleum de Ange-
lica, quòd extra potenter trahat, & contentum in cor-
de resoluat, cui diamoschi, aut diambræ puluerem ad-
D miscere possumus, aut in aqua naphæ, & melissæ, &
borraginis iidem pulueres dissoluti cum serico rubro
cordi apponentur, si prius calefiant, & nunquam in-
frigidari permittantur, aut in butyro naphæ per-
misti commodè applicabuntur; interius dabuntur ad
materiæ resolutionem lapidis bezoar orientalis g. vj.
aut viij. cum aquis buglossæ, & melissæ, aut tabella
parata ex diamoschi puluere, lapidis bezoar orientalis, &
aromatici ros. cum saccharo dissoluto in aqua naphæ, &
post tabellam sumat aquæ melissæ ℥. iiij. aut cinnamo-
mi, aut naphæ, aut aquæ ex floribus chamæmali di-
stillatæ, quia mirè laxat vias, & ipsa excrementa ex-
tenuat, & versus cutem mouet, præsertim si cum aquá
cardui benedicti misceatur: semper tamen caliditas cor-
dis examinabitur, ne à resoluentibus augeatur, & ta-
E bidus æger fiat, quæ si timeantur, cucurbitis scarificatis
in dorso cordis situationi respondenti, quod impactum
est, educetur, ad cuius extractionem laudatur cucurbita
scarificata sub sinistra mamma, seu papilla, vbi magnæ
arteriæ sentitur pulsatio; per eam enim partem com-
modiùs quod cor obsedit, extrahitur. Scarificationes
verò oleo Mathioli, aut aliquo ex iamdictis fouebun-
tur, vt extrà excrementa euocentur, & si aliqua vtili-
tas ex hoc auxilio percipiatur, post sex, aut septem ho-
ras affigentur rursus supra vlcuscula cucurbitula sine no-
na scarificatione, vt virus extrahatur, vt *text. de febre ma-
ligna* docuimus. Sciendum tamen est, quod cor magni-
ficè cum liene compatitur ob communionem arteria-
rum, vt credimus rarò lienem affectum esse, quando cor

grauiter patitur, & ob id magna cura passiones lienis explorabuntur: quo commodius Mercatus hypochondrio sinistro in die accessionis cucurbitulas affigit, vt materia fluxura ad cor coërceatur, quod viscus si affectum sentiatur, non leue auxilium ab hyrudinibus bemorrhoidibus applicitis suscipiet, si obstructum, & onustum sanguine melancholico sit, aut affectum inflammatorium patiatur, cui etiam magnè auxiliatur cucurbita scarificata supra ipsam materiam intus latentem extrahere, eo modo quo de corde dictum iam est, & hoc non longè ab accessione, sed horis duabus ante illam.

Vbi ad iecur humores mittuntur, cauenda est omninò expurgatio, vt docui; sanguis verò copiosius mittetur, vt inflammatio impediatur, secabitur verò semper interna vena dextri brachij, nisi planè constet in diem intermissionis, aut remissionis omni suspicione doloris, grauitatis, aut tensionis carere, quod rarissimum erit; tunc enim ex alio brachio sanguis educetur, præsertim si corpus plenum extiterit; si verò iecoris accidentia semper molestent, interna dextri brachij perpetuò secabitur, post verò saluatellæ sectio eiusdem magni momenti erit, omnes enim indicationes inflammato iecori debitæ in hoc casu concurrunt, aut vt melius dicam, vt præludium inflammationis indicat hoc malum; illam enim perpetuò machinatur vt in principio communi oxyrrhodino roborandum sit, aut aliis moderatè astringentibus, & iecorariis attemperantibus, post verò omni auxiliorum genere quod impactum manet, discutietur, & si cauam partem excrementa afficiant, leuissimo expurgante educentur; si gibbam, per vrinam deriuabuntur, & si opus fuerit, scarificabitur supra iecoris regionem cucurbitula, similia obseruando, quæ in aliis partibus circa eius vsum adducta fuere.

Fundamentum verò quo Mercatus, & Magister noster ad expurgandam crudam materiam mouebantur, nullum est; nam materia turgens est omninò incoctilis quandiu mouetur, & eam natura mouet, & à sanguine secernit, ac per consequens à medicamento determinatur facillimè, vt per aluum eam euacuet, quia nondum pars certa datur, in qua à natura reponatur: omnes enim eius receptioni resistunt. At quando in partem principem directè mouetur in casibus nostris, est sanguini admista, neque à natura mouetur, & inde cum magna difficultate expurgatur, habetque hoc auxilium inconuenientia omnia à nobis adducta *quæst. de minoratiua purgatione*. Hic tractatus habetur *tom. 4. lib. 1. disp. 9. fol....* Et cùm iam in iis malignis febribus detur pars debilis excrementa & humores accessionem facturos recipiens, & receptura etiam quicquid commouetur, & non euacuatur, tentatur auxilium in opere incertum; & quia multa quæ non educuntur, exagitat, fluxura impetuosius ad locum, qui & debilis est, & ptæ calore ad attrahendum ad se quicquid commouetur validissimus, cum maximo periculo imperatur.

Quæ verò ventriculum roborant, & cardialgiæ medentur iuxta ideam causæ molestiam inducentis, ex *c. de cardialgia* petenda sunt, in quo & nos non pauca, & magni momenti auxilia adduximus. Sæpè verò quando materia vsta molestat, magnum, & gratum auxilium est aquæ frigidissimæ per interualla moderatus potus, aut succus granatorum acidorum gelidus, aut potio ex acido limonum, aut citri cum aqua gelida: si vires non satis constent, minor copia concedetur, in quo casu vini rubri (vulgo *aloque*) potio frigida securius conceditur, quòd virium instauratio necessaria sit, dabitur moderata quantitas, reiteranda tamen est, ne à multa calor iam debilis extinguatur; nam nisi frigida satis detur, molestiam mitigare non poterit. Est tamen auxilium vtile, quod Mercatus tradit, nempe in die accessionis, antequam ingruat, clysterem expurgantem imperare, sic enim reuulsio commodè fit, & si in ipsa accessione partem materiæ per vomitum natura reiicere tentet, iuuabitur à medico, si non satis euacuet, nunquam tamen licet ante accessionem vomitum imperare, ne excrementa in ventriculum dirigantur.

QVÆSTIO IV.

De febre perniciosa ob putredinem tenui humoris.

Difficile forsan alieni videbitur quod humorum tenuitas perniciosam febrem creare possit, cùm ad minima agendum, ad faciliorem resolutionem, & ad concoctionem tenuitas causæ semper conducat; tenue enim, & rarum vt minus operatur, sic agenti illud corrupturo minus resistit: & cùm febrium putridarum causa præcipua sit obstructionum multitudo, & nihil ad obstruendum ineptius, quàm succorum tenuitas, non videtur vnde propter illam malignitas, aut pernicies suscitari possit. Verùm iis non obstantibus tota schola Medicorum certam perniciem succis tenuibus putrescentibus dicat, quod & Galenus docuit *lib. 12. method. cap. 6.* putat enim sic affectos esse syncopi paratissimos, eo quòd spiritus vitales affatim, & violenter resoluantur, & causam resolutionis esse excrementorum putrescentium tenuitatem. Quomodo tenuitas syncopis author esse possit, ibi exquisitè non explicuit: solùm dicit, quòd ita affecti nisi quis sedulò sit attentus, syncope opprimuntur, eo quòd ocyssimè exhalent. Magister noster *lib. de febribus, fol. 1014. cap. 6.* in quo de febre syncopali minuta cum nostro Auicenna agit, tacuit etiam rationem ob quam ita affecti in syncopen incidant, quod etiam Mercatus fecit.

Sciendum tamen est, quod humores tenues esse possunt, aut biliosi, aut serosi, & crudi; pituita enim, sanguis, aut melancholia nunquam tam tenues præternaturaliter fiunt, vt ob præcisam tenuitatem syncopalis febris sint causæ, & si aliquando nimis extenuantur, est ob seri magnam copiam à qua diluuntur, & magnam tenuitatem acquirunt: serum ergo biliosum, & multum, si bili ipsi febrem causanti admisceatur, putredine, aut vstione plus extenuatur, acerrimum redditur, & sic est tam perniciosæ febris author: nam serosi humores, & frigidi, quales sunt aquei, nunquam hanc febrem syncopalem efficere possunt, quia corpus eis repletum redditur frigidum ratione materiæ antecedentis, vnde quando in febrem cadit, remissa satis est, quia aquosa excrementa nequeunt multum inflammari, & sic nec corpus, nec spiritus extenuantur, nec expultrix deprauatur, quia acrimonia carent excrementa illa. Putandum ergo est quod febris hæc syncopalis, quæ ab omnibus minuta apellatur, eo quod à succis tenuibus dependeat, non creatur ab aliis quàm à succis serosis, & acribus naturam bilis redolentibus, de quibus mentionem fecit Hippocrates 4. *de victus ratione in acutis text.* 1. dicendo: *Causus, idest febris ardens, fit cùm venulæ tempore æstiuo exsiccatæ, acres, & biliosas, quæ tenues sint, trahunt ad se humiditates, quas ichoras vocant*: quod etiam Galenus in eius loci expositione admittit. Hæ igitur acres humiditates, & tenues corpus ad syncopen nimis præparant, primò quia sunt nimis inflammabiles, & veluti sulphureæ, fitque per consequens magna earum resolutio, cum quibus necesse est vt magna copia spirituum euolet, & dissipetur, omnia enim intra corpus spiritibus plena, imbutaque sunt, vt nequeat cuiusque excrementi magna dari resolutio sine magno spirituum dispendio, quod indicat planè hydropicorum suppuratorum, aut magnorum abscessuum apertio; nam etsi in ea quæ pura sunt, excrementa euacuentur, si in magna

copia

copia eorum inanitio confertim fiat, anima deficit, eo quòd vnà cum excrementis vitalis calor educitur: quia verò acrium, & tenuium humiditatum, & naturæ sulphureæ inflammatio absque magna, & perenni earum resolutione fieri nequit, hinc fit quod assidua cum eis fiat vitalis caloris resolutio, & magna per consequens ad syncopen dispositio. Accedit, quod expultrix ab acrimonia humiditatum stimulata deprauatur, & sic abundantior fit excrementorum, & spirituum permistorum cum ipsis expulsio; habitus etiam corporis à calore illo acri, & mordaci extenuatur, & recluditur, & velut à causa erodente extenuatur quicquid pertingit; vnde fit, quod in fine accessionis, quando iam natura eam finire procurat, corpus totum laxetur, & magna tūc fiat spirituum inanitio simul cum excrementis, & cum sudore syncopali periclitentur, vt simul cum accessione vita deficiat: docuit enim Galenus 1. *method. cap*.... & 3. *de crif. cap*. 9. *Quòd virtus debilis in principio, augmento, & statu accessionis potest edurare, quæ tamen in declinationibus non potest*; & rationem reddendo, *cap*. 9. dicit esse, *quia in primis tribus temporibus habitus corporis compressus est, tempore verò declinationis a medio ad externa calore retrocedente, habitus corporis spargitur, atque dissoluitur; quorum* (inquit) *nonnulli subita morte opprimuntur, quidam verò paulatim intereunt, incipientes quidem omnes a statu accessionis, &c.* de cuius ratione egimus nos *text. de colliquantibus febribus, cap*. 3. & Auicenna *de hac febre* sic scripsit: *Est acuta, faciens cadere pulsum, & virtutem in paroxysmo vno, aut duobus, & quandoque non suffi it virtus in ea vsque ad quartum: & fit* (inquit) *ex chimis subtilibus, quorum plurimi sunt cholerici, vehementis subtilitatis & profundationis, mala substantia venenosa, & cui iam accidit putrefactio in corporibus calida complexionis, sicca valde, ex quibus etiam præparatio ad syncopen fit, quia talia corpora acerrimas fuligines creant, spiritus præter modum extenuantes, qui & pauci etiam, & nimis subtiles sunt, quia corpora calida, & sicca creationi spirituum, & ex parte efficientis, & materia inepta satis sunt; requirunt enim materiam humidiam, s[illegible]tuosam, aëream, & pinguem, qua corpora sicca carent, & inde ob multas causas linquuntur animo, aut in syncopen incidunt.* Neque parum confert, quod dicit Auicenna, nempè quod illa humiditas sit vehementis debilitatis, & profunditatis; sic enim omnia corporis intima penetrat, vt nihil sit quod eius prauitatem, & extenuationem effugere possit, quæ & retinentem debilitat, & expultricem deprauat, sicque tam ingens fit occulta resolutio, quod vsque ad quartum virtus sufficere nequeat: dixit verò Princeps, quod fit ex chimis subtilibus, quorum plurimi sunt cholerici, non quia à biliosis non fit, sed quia cum eis aliæ etiam ichorosæ substantiæ, & tenues permisceantur; quæ ad corporis laxitatem, & retentricis effeminationem conferunt, ob quod hæc febris eos qui fructus horarios nimis ingesserunt, prehendere consueuit, qui & multum seri relinquunt, & à calore æstatis, & siccitate autumni acritudinem comparant, & prauam naturam, præsertim si fructus ipsi praui sint succi, & mordacis naturæ. Hæ ergo sunt causæ perniciosam febrem creantes, eo quòd sint nimis tenues, pernicies verò consistit in immoderata virtutis exsolutione ab immodica spiritus resolutione emanante, ratione cuius deliquiis, syncopi, ac morti breuissimæ paratissimi sunt.

Est huius febris cognitio facillima. Signum velut essentiale est colliquatio per insensilem transpirationem; nam cùm vehementer resoluantur, contrabunt statim in facie extenuationem insignem, & cadauerosa fieri incipit, & hoc est quod præcipuè huiusmodi febrem significat; & cùm talis extenuatio ab immodica resolutione creetur, nequit pulsus non esse debilior, quàm morbi principio debeatur, paruior etiam, & crebrior; debilitas verò

A nunquam magis quàm in declinatione accessionum apparet, quia in ea magis resoluuntur ob dictas iam rationes, quando in reliquis febribus fortior, & æqualior solet esse pulsus. Quòd si sudor aliquis appareat, syncops minatur, à quo languidior pulsus percipitur, & æger etiam collapsus absque dolore aliquo, aut alia causa, à qua dissolui, & digeri possit; inde omnes facultates languorem contrahunt, quia calor vitalis, à quo robur, & constantia actionum seruatur, & pendet, diminuitur præter modum; nam vt forma huius febris per præparationem magnam ad syncopen sigillatur, & syncops est præceps virium omnium lapsus, sic necesse est, vt omnes actiones debiles sint in hoc malo; & hoc est signum essentiale huius febris, quia aliter ad syncopen vires præparari non potest,
B nisi per insignem languorem omnium facultatum. Solet etiam per interualla, & extra declinationem leuis sudor in facie, aut in collo, aut in vtrisque, cum leui etiam anxietate perniciem huius febris significare, hinc contracta debilitate ventriculus aut vomit, aut nauseat, à cibo præsertim, quia à retentrice non amplexatus grauat, & irritat. Vigiliis etiam infestantur sic affecti, tum quia per poros humiditas exhalatur & cerebrum nec petit, nec replet; exsiccatur etiam ob immodicam humiditatis resolutionem, & calor languidior factus minus euaporat, quia languidè coquit, estque in hac passione caloris influentis motio perpetua, quæ somni conciliationi vehementer obstat; & si im-
C modicè resolutioni statim non occurramus, & ipsa non moderetur, facies Hippocratica contrahitur, & syncope superueniente cum exitialibus sudoribus pereunt: sitiunt etiam non leuiter, & exuruntur ob bilis incendium & mordacem naturam.

Est tamen diligenter notandum, quòd multum resolui ægros per morbos bifariam contingit: aut quia debiles sint, aut quia humorum tenuitate, & corporis raritate constent, quod Galenus docuit 2. *aphor. text*. 28. in quo sic scripsit Hippocrates: *Febricitantium non omninò leuiter permanere corpus, & nihil minui, vel etiam plusquam ratio postulat, contabescere, malum: illud enim morbi longitudinem; hoc verò imbecillitatem significat*; dixit verò *plusquam ratio postulat contabescere*, id est,
D plus quàm ratio morbi, aut idea requirit; nam nullus effectus naturalis extra rationem esse potest, cùm omnis ex causa necessaria, & propria suscitetur. Debilitas ergo quam morbus ex se in corpore robusto non induceret, appellatur extra rationem, quando in corpore debili excitatur; hæc verò non pendet ex succorum tenuitate. Alia verò dispositio, sub qua magna fit consumptio, est vt refert Galenus *aphor. cit*. humorum quidem tenuitas, corporis verò raritas: cum enim hæc ambo conuenerint, celerrimè corpora euacuantur per eam quæ difflatio insensibilis nominatur; quæ etiam consumptio, partim plus quàm ratio expostulat est, ob corporis raritatem; ea verò consumptio est omninò secundum rationem, quæ ex sola succorum tenuitate originatur, quia tota ex morbo dependet, aut causa eius.

E Est grauissima huiusmodi febris; docuit enim Auicenna, quod in secundo paroxysmo interficere solet, & quod vsque ad quartum non durat virtus; pernicies verò inde innotescit, quod ipsa corporis transpiratio insensilis, quæ contra putredinem magnum est remedium quando corpus benè difflatur, sit causa mortis in huiusmodi febre, quia nimis transpirat, & quia vt immoderata resolutio cohibeatur, necesse sit poros occludere, & interim incrassantia, astringentia, & glutinosa applicare; quod totum auget putredinem, & resolutionem excrementorum, quia ventilationem retardat, & impedit, fortissimaque causa putrefaciens arguitur, quando corporis dispositio transpirationi tam commoda, & humorum tenuitas ad obstruendum

inepta, putredini obstare non potuerunt. Vnde si corpus astringatur, & densetur, excrementa detenta suffocant, & malignitate occidunt: si verò corporis dispositio permittatur, resolutus æger perit breuissimè.

QVÆSTIO V.

De curatione febris ex humorum tenuitate.

INitium curationis ab expurgante medicamento sumit Mercatus, consulitque expurgationem statim à mali initio, antequam vires labantur; vtitur etiam medicamentis leuiter expurgantibus, ne vitus exsoluatur à nimia euacuatione, cùm (vt diximus) paratissimi sint hac febre oppressi, vt in syncopen incidant. Potest verò huiusmodi auxilium suaderi ex doctrina Galeni *lib. quos, & quando expurgare conueniat*, dicentis: *Siquidem inter initia morbi, tenues, & aquosos humores euacuabis; vbi crassi, & tenaces fuerint, quales suapte natura sunt pituita, & atra bilis, coctionem expectabis.* Idem auxilium indicat propria humorum conditio, quando tota periculi ratio ex nimia eorum tenuitate pendet: sunt verò vt educantur paratissimi, qui nimis tenues sunt, vt 3. *prognost. text.* 23. Galenus docuit, in principio acutorum morborum expurgandum esse, eo quòd acuti morbi à succis tenuibus pendeant, qui & mobiles sunt, & facillimè educuntur. Eandem doctrinam Galenus tradidit *lib.* 1. *de humoribus, tex.* 1. dicendo: *Nam inter initia tenues, serososque humores licebit euacuare; at si crassi, glutinosique sint, cuiusmodi sunt pituita, & atra bilis, concoctionem expectabit.* Eandem praxim sequitur Magister noster Garzia *lib. de febr. fol.* 1078. *cap.* 59. *Si extra paroxysmum* (inquit) *vires constent, vtendum est medicamento expurgante*: quod etiam docuerat in *prælectionibus de arte curatiua ad Glauconem*, & Forestus *lib.* 2. *de febrib. obseruation.* 41. *in scholio.*

Hoc dubium de tenuibus, & serosis humoribus in principio morbi expurgandis, doctissimè tetigit Massarias *quæstione sua celebri de expurgatione in morborum initiis*, & meo iudicio planè conuincit, quòd humores biliosi, etsi tenues sint (si cum reliquis tribus conferantur) non sint expurgandi ante coctionem, nisi planè turgeant; nam cùm innumera sint authorum testimonia, affirmantia, quod morbi acuti à tenuibus, & calidis, facileque inflammabilibus succis dependeant, & in illis morbis tatò esse danda medicamenta expurgantia, vt *aphor.* 24. *lib.* 1. Hippocrates præcepit dicendo; *In acutis morbis rarò, & in principiis medicinis purgantibus vti, & hoc cum præmeditatione faciendum*; planè constat, antiquos Patres sensisse, quòd in morbis à succis tenuibus pendentibus, sit non minus quàm in aliis expectanda concoctio. Nec minus clarè meo iudicio id ex *aph.* 10. *lib.* 4. deducitur, in quo dixit Hippocrates, *medicare in valdè acutis, si materia turget, eadem die; tardare enim in talibus malum est.* Vbi planè nisi turgeat materia in valde acutis, expurgationem non admittit; si verò eo solùm quod humores sint tenues, forent in principio expurgandi, cùm valdè acuti morbi febriles à tenuibus, & calidis creentur, in omnibus esset in principio expurgandum. Qui aphorismus non minùs condemnat putantes, quod ob turgentiam crudum humorem expurgare sit licitum, cùm valdè acuti morbi vrgeant necessariò, in quorum principiis solam turgentem materiam expurgat Hippocrates. Et ratio validissima id suadet, quia coctio in materia putrida non desideratur, vt fiat tenuis, cùm potius omnia incrasset, vt Philosophus 4. *method. cap.* 1. docuit: ergo materia putrida cùm sit cruda, parum interest, quod sit tenuis, vt cruda expurgetur, sed ob aliam multò diuersam rationem coctio desideratur, vt omni materiæ putridæ conueniat aphorismus, *cocta medicari oportet, & mouere, non cruda, &c.* Sic Galenus *lib. de medic. expurgant. cap.* 1. bilem præparat antequam educatur, & in ardente febre, si materia non turgeat, coctionem ad expurgandum requirit; neque apud Galenum legimus quod humor biliosus, eo quòd sit tenuis, absque coctione debeat medicari.

Locum verò Galeni, à quo authores mouentur ad expurgandos sine coctione tenues humores, exponit Massarias, non de humoribus absolutè, sed de tenuibus, & serosis simul; hi enim (inquit) iam sunt consequuti coctionem, quam per artem & naturam possunt; & ideo statim debent educi, sicut sero euenit, quod à lacte separatum amplius concrescere nequit. Itaque putandum est, quod per tenues, & serosos, non intelligit diuersos humores, sed vnicam solùm materiam, eam nempe quæ serosa est, & tenuis; hæc enim incoctilis est, quia ob tenuitatem extremam nequit à natura conqui, eo quòd actione naturali nequit tantam tenuitatem ad crassiorem reducere, sine qua coctio non fit, cùm hæc incrasset omnia, teste Aristotele. Vnde sensus, & doctrina Galeni est, quòd humores tenues sint in principio expurgandi, dummodo serosi sint, non tamen tenues quomodocumque crudos expurgare præcipit: neque est putandum, vt insinuat Massarias, quod eos crudos expurgat, quia sint satis tenues, & nulla præparatione vt educantur indigeant; sed potius id docet, quia nullo modo sint coctiles. Ratio est, quia inconuenientia quæ eductionem crudorum comitantur, non pendent ex humorum crassitie, aut tenuitate, sed ex eo quòd sine emendatione, & correctione putrida materia agitetur, quæ etiam in eductione serosorum, si sint putridi, inuenitur est certum. Verùm quia serosi incoctiles sunt, indicant statim sui eductionem; quia nisi per illam, aut resolutionem incommoda eorum non potest viuens effugere: esse verò coctiles humores qui præ tenuitate facillimè exhalant, & syncopen ob nimiam resolutionem inducere consueuerunt, Galenus tradit 12. *method. cap.* 6. dicendo: *Quod si ex sententia nobis omnia respondeant, etiam carnei nutrimenti iis aliquid post alia dabimus, potissimum post quartum diem, succis qui febrem excitauerunt, iam ad concoctionem venientibus.* In quo capite nullius euacuationis à Medico efficiendæ Galenus meminit, imò quia affectus immoderata euacuatione per resolutionem occidit, assidua nutritione medetur, & cutis occlusione, quæ omnem euacuationem tam per sectionem venæ, quàm per medicamentum expurgans dehortantur; quod etiam facit, etiamsi viribus aliquando constare posse fateatur, ita verbis: *quod si à principio hos viribus adhuc valentibus curandos susceperimus, nec paulatim eos cibabimus*: possunt namque ij, vel quod liberius semel datum est, nutrimentum superare. Nunquam itaque Galenus sectionem venæ, aut expurgationem consuluit, imò econtrà, cibo, adiectione, & cutis occlusione sic affectis succurrit, quia inanitione periclitantur, quod etiam clarè insinuat *in fine cap.* dicendo: *Quippe qui multitudine succi grauatur, hunc si modò iustam semel vacuationem ferre posset, nec metus aliquis syncopis impenderet, semel arbitror, vacuatum à morbo explicaremus, eum verò cuius spiritus, & succi facilè exhalant, si ante accessionem cibare non cogeremur, longiorem illi morbum certè non redderemus.* Quibus in syncopali humorosa euacuationem consulit, minuta verò nullo modo, sed cibationem ante accessionem, ob cuius necessitatem longitudo modò superuenit. Eandem doctrinam sequuntur Paulus *lib.* 2. *c.* 38. Aëtius, qui absque censura alia *tetrab.* 2. *serm.* 1. *cap.* 38. Galeni verba transtulit: & *in fine cap.* omnes indicationes numerando dicit: *Et in summa omnia facienda, quò crassior materia fiat, & cutis densetur, & transpirationes impediantur.* Constat verò nec expurgationem, nec sectionem venæ aliquid dicto-

rum

rum à Galeno, & Aëtio complere, imò econtrà, sectio venæ transpitationea auget, & corpus magis perspirabile reddit. Sic Mercatus, non nisi quando iam morbus mitint conspicitur, & vires instaurantur, estque vrina rubra, sanguinis missionem consulit, aut ictetum vt in principio fecit, medicatur.

Est ergo curatio nostra, quod in febre ista, quæ propriè talis est, nec expurgate in principio, nec venam secare sit licitum. Ratio à priori est, quia morbus in inanitione consistit, aut vt loquamur propriè, habet vt accidens essentiale superfluam spirituum, & substantiæ resolutionem, & humorum etiam similiter, & per consequens indicationibus ab authoribus antiquis, & Galeno traditis occurrendum esse omni relata euacuatione: in hac enim febre, non copia, sed tenuitate materia lædit, & vt putat Auicenna, praua corruptione, quæ non inanitionem, sed repetitionẽ & emendationem materiæ indicaot, quod doctè Massarias docuit *lib. 5. de febrib. ad finem cap. 2. fol. 414.* dicendo: *Summa totius curationis talis esse debet, vt omni ratione studeamus succorum materiam crassiorem reddere, cutem densare, exhalationem inhibere, & vires instaurare: & nostra curatio sequenda magis est, quando corporis laxitas, & retentricis debilitas adsunt, quæ non dubiè augentur quauis euacuatione.* Notantiq; tamen dixi in conclusione, si febris hæc talis sit propriè, quia in hac semper datur resolutio immoderata, aut insensibiliter, aut per sudores, quæ omnem magnam euacuationem recusant; aliæ verò resolutiones quæ non comitantur essentialiter febres, vt accidens inseparabile, etiamsi suo modo debilitent, non tamen magna auxilia ex toto reformidant. Quam praxim Amatus sequutus *cent. 7. cur. 99.* Baiacetum quendam absque vlla euacuatione doctè curauit.

Quæ igitur interius materiam incrassant, optimè Mercatus tradidit: est autem syruporum farrago talis. De agresta citoneorum, oxalidis, violarum, papaueris, rosarum siccarum, & rosacei, granatorum, limonis, de acido citri, portulacæ, de nymphea, & si in nostra patria ex corallo pararetur, esset celebre auxilium, & cardiacum. Est mihi suspectus vsus syrupi papaueris, tum quia narcotica vis, qua somnum conciliat, malefica est, tum quia ad sudorem inclinat, vt multi docent: laudo magis decocta, & succos præbere, quàm syrupos, quia hi ob immoderatam decoctionem minus attemperant; & saccharum suspectum mihi est ob caliditatem, & detergentem naturam, & extenuatoriam. Ad incrassandum primas tenent syrupi citoneorum, rosarum siccarum, & rosaceus granatorum, & oxysacchara simplex, & de agresta; minus incrassant, qui ex acido citri, & limonia parantur, vt violaceus, & portulacæ. Verùm vbi acrimonia succorum expultricem immoderatè vellicat, violaceus cum eius tinctura, & de portulaca optimè imperantur; agnoscitur verò expultricis molestia ex vlcerosa lassitudine, & inquietudine, vt retentricis debilitas ex carnium laxitate, & mollitie, & motus impotentia, & inexcusabili exanimatione.

Huiusmodi syrupi diluuntur aquis, aut decoctis idoneis, sed decocta mihi probantur, quia virtus astringens in aquis debilissima est, & promptius resoluuntur, & sudorem mouent, aut ad illum inclinant. Dantur vtiliter aquæ portulacæ, lactucæ, plantaginis, endiuiæ, oxalidis, & esset mirabilis si ex hyppure, seu cauda equina distillaretur: præsertim auxiliatur quibus ob ventriculi effœminationem spiritus euolant, quòd siccet optimè cum astrictione moderata, & mordacitatis sit expers. Est mirabile decoctum radicum pentaphylli, aut eius aqua; quod etiam contra febres paroxysmales prærogatiuam habere Dioscoridea, & alij notarunt; hos æmolatur aqua auri, aut ferro chalybeata, est enim astringens, & siccatoria: pro ferro chalybem intelligo, quibus Mercatus frequentissimè vtitur, vt in debili retinente optimum præsidium ex decocto radicum

A pentaphylli chalybeato paretur. Aqua etiam rosarum rubrarum si per vitreum instilletur, confert, & cardiaca est, ex succis sic potio paratur. Succi citoneorum depurati ℥.j. succi rosarum rubrarum, & sonchi ana ℥.ß. decocti pentaphylli ℥.iiij. electuarij de gemmis ℈.j. misc. Est optimus puluis corallorum, aut margaritarum præparatarum, aut in decocto pentaphylli, vel aqua portulacæ abluere, boli armeni, aut terræ sigillatæ ℈. j. aut ʒ. ß. & loturæ præbere ℥. quinque cum ℥. j. serapij citoneorum, aut agrestæ: commodissimè dabitur decocti centinodiæ, & foliorum sonchi ℥. vj. serapij granatorum ℥.j. rosarum siccarum ℥. ß. pulueris coralli albi ℈ j. misc. dentur verò potiones niue infrigidatæ, quantum virtus permiserit, sic enim plus densatur morbi materia. **B** Cauenda, quæ etsi astringant, & siccent, habent nihilominus naturam sulphuream, & charabe, quod bituminis genus cùm sit, sulphuris multum participat, qua facultate vrinæ suppressioni à crassis succis auxiliatur: quod dico, quia Mercatus eo vtitur. Sed maturi reprehensione dignus est Duncanus Lydelius in pulueribus cordialibus lapidem bezoar admittens, scordium, conseruam borraginis, & buglossæ, & confectionem alchermes, & camphoram, & cornu cerui, quæ omnia, & calida sunt, & ad cutem mouent, sudoremque conciliant, quo nihil in his febribus perniciosius. Lac perlarum sic parari potest: Aquæ rosf. ℥. iij. acetosæ, cerasorum acidorum, & portulacæ ana ℥. ij. margaritarum præparatarum ʒ. i. ß. corallorum præparatorum ℈. ij spodij & eboris ℈. j. misc. & per **C** linteum rarum sæpe colentur, in fine verò dulcorentur per manus Christi perlati quod sufficiat, dentur cochlearia duo, aut tria; meliores verò sunt pulueres vnionum, & corallorum, si in acido citri, aut limonis dissoluantur, & puluerizentur, & cum serapio granatorum, & rosarum siccarum propinentur, notando quod est eligendum quod subsidet in dissolutionibus perlarum, non quod supernatat. Est in hac febre magni vsus tamarindorum pulpa, & eius decoctum, & in clysteribus iniecta, cuius vsu desperatam febrem Zacutus eradicauit *lib. 3. prax. c. 22.* Confert etiam sumere conseruam rosarum rubrarum, aut oxyacanthæ cum decocto berberorum, aut seminis arnoglossæ, aut portulacæ, aut florum nymphææ; semper enim miscenda sunt distributionem iuuantia, cùm contineatur materia in se**D**cunda regione, si verò in prima sit, in forma crassiori auxilia imperabuntur, in quo casu non est dubium quod leuis expurgatio sit magni momenti, multum enim cum leuissimo medicamento educitur.

Externa auxilia poros occludere debent, vt exhalatio, & resolutio spirituum impediatur, & obstent etiam ne sudores syncopales superueniant; nullum verò auxilium iucundius, & securius est, quàm flabello, aut linteo aqua rosacea, & aceto rosaceo imbuto aërem leuiter agitare; sic enim aura suauissima inspiratur, & absque emplastica auxiliorum qualitate spiritus inanitio impeditur, mens suspenditur, & velut semidormiunt ægroti, quod est magni commodi; sic enim leuissimo, & gratissimo auxilio caput, facies, & tho**E**rax occluduntur, per quas partes perennia spirituum digestio solet fieri: oxyrrhodinum etiam syncipiti applicatur & facies aqua rosacea cum guttulis aceti irroratur, semper occurrendo celerius, & magis partibus per quas manifestior resolutio celebratur, ita vt si per totum digestio fiat, sindone aqua rosacea madefacta inuoluatur, aut puluere foliorum myrti, & rosarum occludatur. Est etiam ad cohibendum effluuium auxilium celebre albuminibus ouorum recentium partes illinire, & totum etiam abdomen, si madefactum percipiatur; fugienda sunt olea, quòd excalefacta inflammantur, & minus attemperant, vt calore recludant quod adstrictio occludere tentat. Mixturas diuersas pro corde parat Mercatus, vtiles magis pharmacopolis quàm

quàm cordi, satius enim est aqua rof. & myrtillorum cum guttulis vini generosi, & santalorum puluere corroborata: antequam incalescat renouatur, iecur inungitur vnguento santalino cum succo endiuiæ, & facto linimento, aut fotu cum succo endiuiæ, rof. & citoneorum, & aceto rosaceo, aut linteis madidis in aqua plantaginis, rosarum, & solatri, cum guttulis aceti rof. Est optimum auxilium quod parat Mercatus pro hepate, & fronte, hac ratione: mucaginis, dragacanthi, seminis psillij, & citoneorum ℥. vj. albumina duorum ouorum misc. & relatæ partes illiniantur, & supera spergatus puluis santalorum omnium rof. & seminis plantaginis, quo linimento dorsum inungi potest.

Et etiam omni ingenio instaurandus vitalis spiritus odoribus optimis alimentorum, & rerum frigidarum, quiescat æger, & aër frigidus perpetuò præparetur rosis, aceto rosaceo, fontibus arte factis, & supra coria, vulgo *cordobanes*, cubare conuenit, sunt enim frigida, & cutem astringunt, hoc verò in præsenti malignum inuenitur, quod sine somno virtus instaurari nequeat, soleat tamen sudores syncopticos excitare, cui accidenti nihil magis succurrit, quàm inter dormiendum faciem, & pectus assiduè flabellare modo iamdicto, deceтque in augmento, & vigore accessionum dormire, ob plurimam virium resolutionem, & quia in his temporibus corpus occludi Galenus docuit 1. *method.* & 3. *de crisibus*, & inde sudoribus minus paratum est, vt 2. *aphor. com.* 1. notauit somnum esse aliquando vtilem in extremis partibus augmenti, & in ipso vigore; iis verò temporibus dormire securè nulli morbo magis quàm nostro conuenit, quia à tenuiori materia creatur, & corpus minus obstruitur, quo fit, vt in dictis temporibus suffocatio non fiat, vt in aliis febribus euenire solet. Vt in hoc malo corpus laxius, & succi tenuiores, quàm per naturam sunt, sic in somno non minus corpus ventilatur, quam in aliis affectibus in vigilia; quod maximè notandum est, vt Galenus intelligatur *loco citato*, vtilem dictis temporibus somnum prædicans. Alimentum dicit Galenus 11. *method. cap.* 6. talis naturæ esse debet, quod non promptè diffluat, non aqua mulsa, non ptisanæ cremor, sed panis, & sorbitio ex alica, & fructus austeri, & qui non facilè corrumpuntur per se, & cum pane exhibiti, aliquando (inquit) iis oua, præcipuéque eorum vitellos dabimus, album enim eorum ægrè concoquitur: præbet etiam testiculos gallinaceorum, qui lacte nutriti fuerint, suillum etiam cerebrum assum perfectè, aut elixum, porro, & anetho iniectis: circa quod duplex occurrit censura. Prima quod album ouorum reprobet, quando cerebrum suillum admittit, quod non dubiè difficilius concoquitur, & ventriculo graue satis est, quod indicat mixtura porri, & anethi qua eget, vt eius vitium emendetur: est verò secunda censura, quod alimentum præbeat egens correctione, quæ morbum non dubiè auget, vt ex porri, & anethi natura constat, quæ & extenuatoria est, & anethum sudores mouet, & praui sunt succi. Mercatus cibum commendat citissimè nutrientem cum moderata astrictione, vt carnes auium assæ, & gallorum testes elixi, & austeri conditi, magni momenti sunt assata citonea, granata acida mespilli bene maturi, pira cocta, aut assata, hepata gallinarum, aut pullorum, & caro perdicum tenerior cum succo agrestæ. Notanda tamen est doctrina Galeni c. 6. *citato* dicentis; *Nam siue multum excernant, siue vigilent, siue tristentur, siue non, citò nutriantur, pristinam eius faciem habent*; loquitur de facie mortuo simili. Ex quibus constat assidua cibatione esse opus, & quomodò periclitentur, si expurgatio imperetur, quando ob vigiliam, aut tristitiam, aut quod plurimum excernant, extenuari, & debilitari extremè fateatur Galen. ita vt Iacobus *in expositione c.* 57. in quo Auicenna noster commendat aquam fructuum, vt in ea panis infundatur, dicit: *Et licet hæc aqua sanguinis, & cholera feruorem reprimat, sanguinem clarificet, & choleram cum facilitate educat, suspecta tamen est in casu præsenti, quia ventrem laxat, & timendum est ne operetur ad casum virtutis*; verùm quando vires instaurari cupimus, succus carnis assæ exprimitur prælo, & cum iure excoquitur, rursus addendo parum amyli, succum agrestæ, aut granatorum, & oui vitellum: in corporibus autem calidæ, & siccæ complexionis, quæ his febribus paratiora Auicenna putauit, quæ mordacitatem obtundant semper in iuribus miscenda, vt si cum carnibus coquantur portulacæ folia, & plantaginis, coriandrum viride, frusta citoneorum, & pedes hœdorum, & cum puluere amyli, margaritarum, & crystalli propinetur ius illud.

Vinum Galenus concedit *loco citato* aquosum inter initia post cibum sumptum, carnes tamen non admittit, nisi morbo in melius tendente post quartum diem, humoribus iam ad coctionem venientibus. Quæ doctrina non caret scrupulo, quia alimentum crassius admittit, quando morbus concoquitur, contra *aphorismum* 8. *sect.* 1. Est tamen suo modo suspectum vinum aquosum, tum quia minus quàm decet, instaurat, tum quia distributionem nimis accelerat, sudores mouet, & lotium; requiritur ergo vinum robustius, & magis spirituosum, & subastringens, aut aliquid acerbi continens, quod aquâ hordei, aut radicum buglossæ diluendum esse Mercatus docet, magno quidem errore, quòd aquæ illæ sudorem creant, & aqua hordei detergat, & satis extenuet; & cùm Galenus ptisanam improbet, vituperabit magis non dubiè hordei aquam. Est ad hunc vsum optima aqua pluuialis, quia subastringens, & minus humida, aut chalybeata, aut deaurata, essetque mirabilis quæ ex succo granatorum acidorum stillaretur, aut ex cerasis acidis; si verò magna in succis acrimonia percipitur, aqua portulacæ optimè imperabitur, amygdalatum etiam cum saccharo, vitellis ouorum, & amylo pro cœna imperabitur; quia miré acrimoniam obtundit, & moderatè incrassat.

Est circa hoc diligenter notandum tempus accessionis, in quo animo linquitur æger, aut manifestius debilitatur, vt parum ante illud æger cibetur, ne syncope prehendatur. Modus cibationis ex virium constantia consulatur; dicebat enim Galenus *cap.* 6. *citato*, quod si à principio hos viribus adhuc valentibus curandos susceperimus, nec eos paulatim cibabimus; possunt namque ij, vel quod liberius semel datum est nutrimentum superare; contraria verò ratione si virtus non constet, crebrius cibandi erunt, talisque erit alimenti dispositio, vt syncopis præcaueatur, & morbus discutiatur paulatim. Si verò cum syncope prehendat, omnis sollicitudo medentis ad symptoma vertitur: ob cuius timorem (vt nuper dicebamus) in quouis accessionis tempore cibare cogimur, de quo legitur pulchra historia Galeni 10. *meth. cap.* 2.

Ex dictis constat huius mali grauitas, & pernicies, non solùm quia in quouis tempore accessionis cibare cogimur, & parum ante accessionem, & alimenta crassiora requirit, quæ debilis virtus commutare nequit, sed præcipuè, quod poros totius occludere sæpe necesse sit, & putridarum fuliginum transpirationem cohibere, & interim etiam densantia, & astringentia, ventilationemque impedientia propinare. Vsque adeo vera est Galeni doctrina 1. *de victu acut. text.* 18. dicentis: *Nemo siquidem astringentibus vtitur cibis, nisi vel propter symptoma, quod animi deliquium inducat; vel propter immoderatum ventris profluuium; cogunt siquidem, constringuntque corpora, viasque tum distributionis, tum alimoniæ, tum eius qua foras fit perspirationis conniuere faciunt, quas reclusas apertasque esse conducit*: insanabiles verò omninò ita affectos Galenus putat, si iecur, aut ventriculus phlegmone infestentur, *cap.* 6. *citato*. Auicenna verò oscitanter satis huius febris curationem retulit

tulit *cap. 57.* folum enim thoracem illinit cum aqua rosacea, & santalis, & virtutem paulatim cum cibo vinificat.

QVÆSTIO VI.

De essentia, & curatione febris ex deprauata humorum natura.

EX humoribus deprauatis ad bilis præternaturalis species pertinentibus rarò dabitur febris continua, hæc enim magnam copiam causæ requirit, quæ rarissimè in corpore creatur, & si aliquando id eueniat, desperata erit febris, & inter malignissimas reponenda; bilis enim vitellina, æruginosa, porracea (& si quæ sunt aliæ species præternaturales) naturam atræ bilis iam sapiunt, quia ex bilis vstione serum naturale humorum absumente creantur, quemodo atra bilis ex bile naturali, aut melancholia generatur, vt est omnium Medicorum consens doctrina. Constat verò quod omnis passim ab humore naturam atræ bilis æmulante absque magno periculo esse non possit, quòd crassissimus sit, & cancrosam dispositionem in partibus producat, præsertim si à materia sanguinaria secretus fuerit. exulcerat enim & erodit partes, ac difficulter separatur, quia crassus, & incoctilis ferè est ob humoris defectum, & quia partes affectas extremè debilitat. Hippocrates *lib. de veteri medicina, fol.* 14. sic reliquit scriptum: *Itaque cum amaritudo quadam diffusa fuerit, quam bilem flauam appellare solemus, quales statim anxietates, & æstus, & impotentia occupant.* Et paulò post: *Quo autem tempore eadem eleuata fuerit, & cruda, & meraca, ac intemperata, nulla arte, nec dolores, nec febres sedare possis, & quos quidem acuta, acrisque, ac æruginosa bilis affligit, quales mox rabies, & morsus viscerum, ac pectoris, & desperatio; non sedantur autem hæc prinsquam expurgetur, & prosternatur, & aliis permisceatur, &c.*

Bifariam creantur tam insolentes humores, aut quia bilis naturalis per causas exsiccantes, & humiditatem resoluentes serum naturale, à quo contemperatur, absumitur; vnde quod remanet, terreum, exustum, & acerrimum manet, quod non solùm causæ dictæ præstant, sed iecur etiam præter naturam calidum, aut quia alimenta sumuntur sicciora, & acria, vt allium, porrum, nasturtium, sinapis, & alia plura, quibus adiunges vetusta, & salita alimenta. Vacantur verò huiuscemodi humores quando iam sero naturali destituuntur, synceeti, & meraci; in quem sensum dixit Hippocrates t. *aphor.* 6. *In morbo diuturno fastidium cibi, & deiectiones syncera malum.* Galenus *in comm.* dicit: *Synceras verò deiectiones nominauit impermistas aquosa humiditati, quando solus humor, qui vacuatur, deiicitur, siue sit biliosus, siue melancholicus, siue porri colorem præ se ferat, siue bilis, quæ æruginosa nominatur; nam deiectiones huiusmodi exustam esse omnem natiuam humiditatem à calore febrili demonstrant.* Hæc Galenus. Ex quibus deduces facilè, quod absque ingenti intemperie huiusmodi humores non fiunt, & per consequens grande periculum innuunt. Sic Hippocrates 2. *epid. sect.* 2. *text.* 2. dixit: *Fines in meraciora putrefactionem significant, vt Dexippo*, hoc est finis longorum morborum in deiectiones synceras, & meracas solet terminari, quia febrium longitudine omnis humiditas ferè absumitur, & sic putrefactionem significant ingentem, non tantum quia omnem humiditatem depopulata est, sed etiam quia vnius tantùm coloris excrementa pelluntur: innuit enim fuisse magnam potentiam caloris, cùm omnia alterata ab eo, & corrupta, eandem formam acquisierunt, quod est signum efficacissimi agentis inæqualem materiam simili semper forma sigillantis. Constat verò magnum

A discrimen esse, si ex alimentis prauis tales succi creati fuerint; tunc enim non internam distemperiem, sed vitiosam victus rationem arguunt; quando verò inculpata ratio victus præcessit, intra distemperies accusari debet. Differunt verò huiuscemodi causæ in ratione periculi, vt differunt omnia mala ab extrinsecis causis, aut interna creata; minus enim grauia sunt, quæ causam externam vt originem habuerunt: & hinc intelligitur doctrina Hippocratis 4. *lib. de morbis*, dicentis, interdum febres diuturnitate grauiores, & calidiores, acutioresque fieri, eo quòd exhalatur humor aquosus, & manet biliosus, & pinguis, qui inflammatur nimis, & febris est nutrimentum aptissimum: quod incommodum aliquando expurgatio inducit, & blandioribus medicamentis celebrata, quòd hæc serosa potius excre-

B menta educant, quæ minus inflammabilia sunt, & quod intus manet, pingue magis, & inflammabilius relinquitur, ob defectum serosi excrementi.

Significantur febres huiuscemodi primò ex excretis, si vomitus, aut deiectio causa earum fiat, vt initio accessionis euenire solet, semper enim materia antecedens pellitur, & eius natura patefit; mordacitas etiam, & molestia magna cum inquietudine fatigant, vt *loco citato* dicebat Hippocrates; longiores sunt accessiones, quia materia crassa est, & difficilè resoluitur ob humiditatis defectum: si verò rigor fiat, molestus est, non ob vehementem concussionem, humor enim crassus non fertur celeriter per sentientes partes, sed quia longissimè molestat, cum sensu vlceroso: *Febris* (inquit

C Mercatus) *mox à rigore vehementer crescit, quòd humor suapte natura siccissimus, & exurentissimus sit; nam illi idem accidit, quod pici, & resinæ, dum succenduntur, quæ licet crassam habeant compagem, celerrimè inflammantur.* Quæ doctrina mihi non probatur, eo quòd humores quò sicciores redduntur ob defectum humiditatis, terrei fiunt, & minus euaporabiles, licet exurant, & mordeant: nunquam itaque magnam flammam concipiunt ob crassitiem, & naturam terream, & quia iam per vstionem præcedentem velut incinerati fiunt. Est itaque causa huiuscemodi febrium molestissimus, non præ intensione, sed acrimonia, ob intensam siccitatem, quæ cum aliquo calore in certis partibus humorum inuenitur, vt in cinere, & aceto contingit. Neque exemplum Mercati est ad rem, pix enim, & resina inflammabiles

D sunt, quia oleosæ; & pingues; humores verò ex bile assata creati, eis qualitatibus carent, quin potius (vt dixi) terrei redduntur, & si aliquid oleosum, aut pingue obtinuerant, illud in ea exustione deposuerunt, vt pici, & resinæ contingit, postquam semel flammam conceperunt. Nunquam itaque meo iudicio intensa febris expectabitur, sed molestissima ob caloris acrimoniam, & quia quod eleuatur, erodit, hinc inextinguibilis sitis fatigat, cum linguæ siccitate, & asperitate; quam sitim non magnum incendium, sed siccitas nimia adusti humoris, & terrei suscitat, in qua multi in consultationibus falluntur, & non sine ægrorum pernicie, infrigidantes nimis, & materiam crassiorem inde reddentes: & quia æger velut colliquatur, & re-

E soluitur, maciem in partibus contrahit, & facies Hippocratica efficitur, cum incendio quodam, eo quòd fuligo exurat, & velut causticum auxilium alteret, semper æger decubitum mutat, anxius est, ob exulcerationis sensus, & exustionem; aluus facessit, nisi colliquatio aliqua per sedem inferiorem detineat, aut pinguedinis, aut alicuius feruentis humoris, cum dysenteriæ periculo; vrina ignea, & velut lixiuium apparet, vt Mercatus rectè notauit. quòd humores illi incinerati (vt dixi) iam suo modo sint, & serum per illos percolatum, aut illis admistum, lixiuium repræsentat; pulsus durus meritò conspicitur, ob siccam distemperiem, & terream succorum conditionem, apparentque per consequens fortiores, quàm reuera sint, ob

ob eam atteriarum duritiem, vt robori ipsorum non omninò fidere liceat, quod planè conspicitur in die quieta; si febris intermittat, in qua debiles satis apparent, quòd minus tendantur arteriæ, quia minus dilatantur ob visus defectum: corpus exsucce apparet, & exsiccatum, nec sudoribus humescit, ob materiæ siccitatem, quæ in fuligines, siccasque exhalationes præter modum, non in vapores resoluitur, qui sudoris materia sunt; vnde si ita affecti sudent aliquando, aut propè mors est, aut quia iam colliquatio aliqua humiditatum sudoris materia fit; est etiam consentaneum quòd vigilent præter naturam ob siccam distemperiem, & sensum vlcerosum, & magnam respiratiuum citeiant, ob molestum calorem.

Est grauissima harum febrium natura ob causæ malignitatem; nam vt diximus, atræ bilis aliquid participat, & inde velut cancer incipiens partes afficit materia ipsarum, præsertim focum prauè disponit, quòd in eo succi stabulentur, & multò magis cinetitium ipsorum, quod erodens malignum, & inectile est, & in foco semper manens: & si accidentia relata, vt signa considerемus, prauitas harum febrium conspicua satis erit, omnia enim colliquationem, & marcorem machinantur, & per consequens commutationem in hecticam, quia causa harum febrium validissimè siccat, & omnem vtilem humiditatem depopulatur: anget periculum quod materia crassa satis sit, & inde effic. cissima. Neque vrget minus, quod vila non coquantur ob humoris defectum, sine quo suppuratio non fit: vires celerrimè effeminantur accidentibus dictis, vt ægri resoluti pereant, aut contabescant; docet enim Mercatus, quod quintam accessionem non transcendunt, quam si malum pertranseat, in aliud permutari putat, quod non est putandum perpetuum fore.

Dubia huius febris medela non minus eius prauitatem ostendit; nam sectio venæ in corporibus tam depravatos humores creantibus non caret periculo, ob siccitatem, & virtutis nimium dispendium, & quia sanguinis penuria corpora sic affecta comitatur; expurgare verò statim non minus periculosum, quia contra præceptum commune, quod cruda purganda non sint, & quia materia crassa longiori præparatione eget, & hæc multò magis, quia cùm sit mordacissima, & exedens, si à sanguinis consortio separetur, sine magna præparatione dysenteriam creat, & tormina intestinorum, estque commotio horum succorum non emendatorum periculosissima. Si verò prauitas humorum consideretur, & quod incoctiles ab omnibus iudicentur, quod & Auerroës docet *lib. 4. collect. cap. 28. ad finem*: *Peior specierum causonis* (inquit) *est illa quæ fit à cholera cineritia, aut prasina, & illius paroxysmus longus est propter inobedientiam illius humoris ad digestionem recipiendam*: videtur necessaria expurgatio, quia incoctiles humores intra corpus permittendi non sunt, & sic esse faciendum Mercatus putat, & ex Auerroë confirmat dicente, quod tales humores non solùm non sunt coctiles, sed corrumpunt potius formam specificam hominis. Vnde docet, quod si sponte natura in accessionibus huiusmodi humores per vomitum, aut aluum edocere tentet, iuuanda sit; si verò quieti detineantur, sint nihilominus statim expurgandi. Notat tamen, quod siue expurgatio fiat, siue non, periculo res non caret, quia succi acres per intestina delati malignam dysenteriam suscitant; si verò in corpore eos permittamus, aut perit laborans, aut rabidus redditur: docet rursus quod blandioribus, sed seligentibus pharmacis expurgandi sunt, sic enim dicta mala præcaueri putat; nam lenioribus datis medicamentis, non exacerbatur nimis humor, & electione citra aliorum turbationem humor peccans extrahitur.

Nos verò si humores prædicti intra vasa secundæ regionis contineantur, praxim Mercati non admittimus, sed si vires constent, sanguinem esse mittendum opinantur, parcè tamen ob dictas dubitandi rationes, quod probant communia præcepta Galeni in curatione febrium putridarum, & insignes vtilitates venæ sectionem comitantes, quas modò referre supervacaneum esset: & hîc locum habet commune etiam præceptum, quod nimirum sectio venæ expurgationi præferenda sit, quando vtroque auxilio morbus eget, præterquam quod si conueniat expurgatio in principio, sub lite est, non tamen quòd sectio venæ conueniat, si adsint scopi; possunt verò non dubiè esse in principio harum febrium, & si copia crudorum vbi adsunt scopi ad mittendum sanguinem, tanta esse nequit, quod tale auxilium impediat, minus illud impediet copia calidorum succorum si adsint prædicti scopi, cùm minus succi calidi tali auxilio obstent, quàm frigidi; quæ ratio mihi est efficacissima contra praxim Mercati; quod etiam suadet causi à pituita salsa curatio, quæ sectione venæ celebratur, & Hippoc. 4. *acut. sext.* 17. inter iudicationes idoneas sanguinem ex naribus manantem enumerat.

Quod verò expurgatio statim non conueniat, multa suadent. Sit primum materiæ magna crassities, & veluti terrea, quæ expurgationi vehementer obstat, non enim tales species bilis facilè fluunt ob seri defectum, quo fit, vt longa præparatione sit opus vt possint commodè educi, ob quod in principio si educendi forent, valido esset opus medicamento, nec sufficerent lenia, & blanda à Mercato adducta, alioqui bilis tenuior trahe-retur, cum qua maiorem affinitatem medicamentum sortitur, & facilius etiam alliciet. Accedit quod meritò Mercatus timet, quod est creatio dysenteriei affectus, cùm crassa materia lentè educatur, & multum eius partibus adhæreat, aut vt loquamur proprius, inculcetur ob crassitiem, & obstruat: est verò temerarium humores mordaces, & crassos simul à sanguinis consortio separare; nam si separati in partes impingantur, mortalem passionem suscitant, quia cancrosam. Est verò rationi consentaneum, quod huiusmodi inconueniens vitari non possit, si crudam hanc materiam mordacem, & crassam, absque longa præparatione, tum eius, tum etiam viarum tentemus educere. Mirum certè est, quod contractum huiusmodi humorum periculosum Mercatus putet quando per vomitum natura illos reiicit, & doceat esse admiscendos cibo, & multæ humiditati, & cum hoc statim curationem ab expurgatione incohoare doceat, absque aliqua præparatione; hæc enim consentanea non sunt, cum violentius magis, & breuior sit transitus humoris, dum euomitur, quàm si per secessum excernatur. Nec obstat, quod huiusmodi humores incoctiles ferè semper sint; nam præterquam quod hoc non est verum absoluto sermone, vt constat ex Galeno 4. *aphorism.* 22. vbi atræ bilis exquisitæ coctionem admittit, non licet materiam tam crassam, & erodentem cum cruditate omnimoda euacuare, quia & dubia est eius eductio, & sine multis incommodis tentari non potest. Neque obstat, quod Hippocr. *lib. de veteri medicina* docuerit, quod symptomata orta à bile non cessant, donec attemperetur, aut excernatur sponte, vel pharmaco exhibito; nam ibi non loquitur de bile putrida, sed de separata à consortio sanguinis; nec docuit quod sit educenda, sed quando oportet iuxta artis præcepta.

Est ergo praxis nostra, quòd si humores isti in prima regione sint, debeant statim educi, in quo conueniunt omnes Authores: est enim eorum facillima eductio ob amplitudinem viarum, & extrauasati coqui non possunt, & grauissimis accidentibus ægros excruciant; si verò sanguini in secunda regione admisti sint, sanguis verò extrahendus est iuxta virium permissionem, quia ob permistionem miniores sunt, minusque vrgent, & est eorum eductio difficillima per medicamentum ob crassitiem, traheturque bilis tenuior, & non morbi pro-

ptia

pria materia, suntque expectanda inconuenientia omnia, quæ crudorum expurgationi dicatunt authores, & commoda sectionis venæ impedientur, educenturque securius sanguini admixti, quàm seotsim, vt ex dictis iam constat; estque dignua graui censura Metcatus, cuius sunt hæc veba; *Verùm si vel simul sanguinem aliquo modo redundare (quod rarò exustis humoribus accidit) vel opus esse comperias, id quidem ex saluatella dextra manus facito.* Constat verò quod si sanguis redundaret, nil esset perniciosius, quàm primò expurgare, & rursus sanguinem mittere, vt ipse docet, cùm expurget corpus plethoricum, & simul crudam, & crassam materiam. Rursus non est docti Medici, nec implet munus Magistri, dicere, *vel si opus esse comperias*, quod cùm tradat velut quid distinctum a plethorica dispositione, tenebatur docere, quid esse posset in hoc malo, quod non existente plethora, sanguinia missionem exposceret, aut medicaretur, præsertim in quorum curatione venam secare formidat; quod tamen non dixit, neque docuit. Nec minus peccat saluatellam dextram secando: tum quia est sub dubio, si ita conferat, vt sectio basilicæ: tum præcipue, quia non minus potest esse lien author humorum atrabilaris naturæ, & bilis præternaturalis, licet sit minus frequens, nec methodicè primò secatur saluatella ante alias venas; quòd si intelligas id præcipere quando iam expurgauit, & alia tentauit auxilia, absurdius loquitur, cùm in plethora, vt dixit, primò medicetur, & pòst saluatellam secet: sine distinctione itaque loquitur, & confusè satis. Doctrina nostra Galeni est *lib. de vena sectione, cap. 7.* dicentis: *Quamquam in curationis initium illis amisso oriatur sanguine, ac si excrementa prauam etiam qualitatem habuerint, vna adhibeatur purgatio*; vbi planè in prauitate succorum primò mittit sanguinem, pòst expurgat.

Sanguine ergo misso pro virium ratione contemperandi tales humores sunt, & extenuandi, vt partim melius coquantur, & minus erodant; partim verò aliquid eorum per lotium deducatur, aut facilius extenuatum resoluatur, suntque imperandæ largiores potiones, quas nun dubiè succi imbibentes, velut nouo sero imbuuntur, & contemperantur potiones ex serapiis limonis, de acido citri, endiuiæ, borraginis, violarum, cum aquis buglossæ, borraginia, endiuiæ, oxalidis, portulacæ, cerasorum acidorum, & dulcium, cum puluere margaritarum, aut crystalli præparati, quam contra mordacitatem prærogatiuam habere Conciliator docuit. Est magni momenti lac hordei, præsertim si simul coquantur flores maluarum, violarum, vtriusque buglossæ, & liquiritiæ recentis parum, & iuiubæ etiam, cum radicibus graminis; sic enim mordacitas mitè obtunditur, & calor moderatur, vt decocto lupulorum, aut aqua stillatitia; desiderant enim huiusmodi humores humiditatem mulcebrem, seu cum quodam lentore, vt mordacitas cicuretur, & non erodant, cum moderata frigiditate, plus enim siccitate, & mordacitate, quam calore peccant: nec minus conferet succus malusrum clarificatus cum lactis sero, & sacchato violaceo propinatus: sint succi ℥. ij seri ℥. viiij. sacchari ℥. ß. & nisi infrigidatum propinetur, emulsiones etiam seminum frigidorum cum eodem sero, & sacchato violaceo vtiliter dantur, quibus contemperari possunt humores, & debent; deinde non dubitarem copiam lactis asinini præbere, quo & attemperatio non dubiè perfectissimè fiet, & eductio mordacium sine incommodo aliquo, & permutatio in marcorem præcauebitur; expurgatio enim leniente hoc auxilio si eueniat, optima, & securissima erit, quia sine magna turbatione succorum, etsi non expurgetur æger, multa commoda à lacte lucrabitur: constat verò lactis asinini corruptionem timendam non esse ob nimiam seri copiam, vt docent Authores. Sic Hippocrates 4. *de victu acut.*

A *text. 7.* lacte asinino in febre ardente expurgat, eius corruptionem non timens, quod Galenus admittit; & *eodem lib. text. 110.* in cholera sicca à succis acribus orta dicit; *Verùm si dolor non cessauerit, lac asinæ bibendum donec purgetur, dabis.* Galenus *in comm. Si fecerit quod dictum est, & dolor non soluatur, contristantis causa maiorem esse acrimoniam existimandum, atque ob id corpus purgare oportet.* Lacte asinæ vtendum præcipit, quod inter omnia medicamenta purgantia mitius, tranquilliusque existit, id quoque & lacte omni humidius est, & ventrem magis subducit; quibus constat ad expurgationem mordacium vtilissimum fore, & multò vtilius ad acrimoniam demulcendam, & obstandum maiori, extinguendam sitim, & conciliandum somnum: & Vallesius noster in fine expositionis eiusdem loci sic
B loquitur: *Hoc medicamento videe vix nunc vllum medicorum audere vti, quòd lactis incommoda pertimescant: ego scio me cum magna vtilitate in huiusmodi affectionibus esse vsum*: nec quidem de asinino, vt de aliis lactis generibus censere oportet, quia est valde serosum. Sic Cardanus *error. 99.* lac asinæ omnibus febribus conuenire docet: proinde censeo prædictum auxilium magni momenti fore si non sint, quæ illud prohibeant, quia omnes indicationes perfectissimè implet, alimenti nimirum, medicamentique multiplicis: est autem dandum in copia ad expurgandum capaci, vt docuit Hippocrates. Vallesius verò *7. epid. text. 4. in historia filij Eratolai*, quem dysentericum eodem lacte expurgauit Hippocrates, sic scripsit: *Quem vsum ego*
C *non sine magna vtilitate sum aliquando imitatus, cogens ægrotos accipere huius seri, aut huius lactis, quod etiam est valde serosum, plusquam duos sextarios: lac coqui debet, vbi non potest esse recens multum, & per se calens, ne acescat: serum datur melius frigidum*, &c. capiunt verò duo sextarij ℥. xliiij. quantitas verò varia esse debet, iuxta virium, & ardoris, copiæque succorum mordacium tenorem.

Si verò lac non inueniatur, aliis medicamentis euacuandum est corpus, vt manna in lactis sero, aut iure pulli dissoluta, aut serapio solutiuo regio, cum medulla casiæ fistulæ, aut rhabarbari drachma infusa in decocto violarum, florum maluarum, & vtriusque buglossæ parato, in aqua cichorij, & expressionis sunt ℥. iij. ß. serapij solut. regij ℥. iij. medullæ casiæ ℥. ii. ß. & super-
D bibantur seri lactis ℥. x. Ab expurgatione verò attemperandum est totum, quod mitè facit si semen recens psillij in aqua fragorum, aut oxalidis maceretur, & infusio cum serapio violaceo, aut limonia, vel de acido citri propinetur: infunduntur ʒ. ij. aut ℥. ß. mitè enim acrimoniam reprimit, & asperitati faucium, quæ in his febribus molestissima esse solet, succurrit, bilem etiam expurgare creditur.

Hypochondria etiam attemperanda sunt, iecur præcipuè considerandum, quod horum humorum author frequens esse soleat, & si totum corpus squalidum appareat, sic vnguentum parabitur. Olei ros. lactis muliebris, succi cucurbitæ, lactucæ, & endiuiæ ana partes æquales, misc. quo vngendæ sunt partes squalidæ,
E dorsum, & lumbi, & si manus, ac pedes ardeant, sintque squalidi, etiam inungi possunt; sic enim totum attemperatur; securius enim est viscera ardentia, & lumbos, ac dorsum inungere: imò Rodericus à Castro totum corpus inungere non veretur, ab Inunctione corpus cooperiri præcipit, & sudores roborata natura superueniunt; extinguitur enim calor totus febrilis, quo solo auxilio inquit à grauissimis, & molestissimis doloribus multos se liberasse, quibus auxilia frustra applicata fuere. Verùm quia in causa horum febrium sudor rarò speratur, ob crassitiem eius, vt diximus, attemperatio potius quàm sudor expectanda, nec extremæ partes, etsi nimis caleant, vngentur, nisi calor molestus totum corpus simul afficiat, quãdo si viscera non vrantur, & si

A vrantur partes extremæ, perniciosum esset basce inungere, vt intus repulso calore flagrarent interna. Talis ergo totius inunctio ab vrgenti totius incendio indicatur, ne hecticè imprimatur, vt solet, aut totum colliquetur. Iecur fouebitur succo endiuiæ, & sonchi, & rof. rubr. cum guttulis aceti rof. aut decocto eorundem simplicium, violariæ, nenuphariæ, linguæ ceruinæ, portulacæ, & foliorum plantaginis, cum aceto rof. ad penetrationem, aliaque innumera auxilia apud authores inuenies; cauebis tamen ne cerato santalino iecur temperare tentes; nam etsi refrigeret, non humectat, sed siccat, vt ea natura simplicium liquet; peccant verò potius viscera in prædicta febribus siccitate, quàm calore. Quod si iecur obstructum percipiatur, grauissimum est, quia tam siccus humor difficilè discutitur, B & facilè in schirrhosam dispositionem, & cancerosam degenerat, magnamque emollitionem requirit, vt discuti possit, eritque necessarium, aut saluatellam detrahere, aut cucurbitam in iecoris regione scarificare; ex alio enim trahens magni momenti esse solet, alioqui exsiccatus magis humore illo, cancrosa, & desperata passio creatur, tabe interficiens, si breui, vt solet, non necat.

Victu egemus nimis medicamentoso, humectante nimium, infrigidante, & mordacitatem obtundente, & quod facilè non corrumpatur; considerandumque diligenter, si in aliquo accessionis tempore æger extremè debilitetur, aut linquatur animo, vt parum ante illud cibo reparetur. Est laudatissimus cibus ptisana cum lacte amygdalarum dulcium, & seminum frigidorum, & C saccharo parata, aut iure pulli, lactuca, scariola, & cucurbita parato; lactucæ etiam eodem lacte conditæ optimæ sunt, & cucurbita etiam, licet non tam vtilis. Ranarum caro mirabilis est, quia contra cancerosas dispositiones egregiè pugnat, & acrimoniam strenuè obtundit, lacte iam dicto, aut iure conditi possunt. Laudatur caro pullorum assa, & eorum testes, sed hæc minus quàm decet, attemperant, verùm iura auium rebus humidis, & frigidis attemperata, cum succo limonum, aut citri commodè imperantur: potus aqua tamarindorum pulpa leuiter decocta, aut detur aqua limpidissima cum succo granatorum acidorum, ita vt fiat grata, & dilutissima potio; præcipuè conueniet, vbi ventriculus erosione molestatur, erit optima aqua D fragorum, & si vires vacillent, vinum propinabitur optimè dilutum, aut album, aut modicè rubrum, vulgo (*aloque*) & niue infrigidetur: nec cibi parcimonia, nec potus hic desideratur ob erosionem, & ad marcorem promptitudinem.

Si balnea aquæ dulcis conueniant, nullus in dubium reuocauit: ea renuit succorum crassities, verùm exustio, & ad tabem tam grandis dispositio, tale auxilium vehementer indicant, & extra dubium est, quod si coctionis signa se ostendant, magni momenti tale auxilium erit, vt à Galeno in notha tertiana imperatur, & meo iudicio, si ob vrgentiam, & deprauatam succorum naturam præcepta communia expurgationis materiæ iam coctæ irrita fiunt, sed meliori iudicio bal- E nea (etsi materia sit cruda) post euacuationem totius imperari poterunt, ad exustæ materiæ attemperationem, & vt humectata coquatur melius, & marcor præcaueatur; incommodum enim (si aliquod daint) incertum esse potest: vtilitates verò, & certæ, & multæ sunt, præsertim si æstate, aut autumno laborent, & corpora habitu biloso, & sicco distemperata sint.

QVÆSTIO VII.

De febre perniciosa ex miscella crassorum humorum cum serosis, & tenuibus.

INter perniciosas tertianas hanc Mercatus enumerans eam tam obscurè exponit, vt quid tenendum, aut rationi magis consonum videatur, sit difficillimum. Est in primis titulus obscurissimus, crassos enim humores crudos ex congelatione factos esse concedit, tenues verò, & serosos, ad biliosos reducit, vt nulla maior repugnantia esse videatur, quàm humores natura, & accidentibus tam discordes in vno corpore dari: & absurdum est, quod humores crudi, crassi, frigidi, viscidi, lenti (vt ipse docet) congelatione potius, & condensatione facti, tam breuiter vt bilis calida, sicca, & tenuis, putredinem concipiant, præterquam quod si typus tertianus seruatur in opinione Mercati, euidens est quod vterque ob eandem formam, seu temperiem debet reduci, vt in vnicum accessionis tempus, & vnam necessariò accessionem simul conspirent, cùm sit hæc non dubiè tertiana notha: vnde constans non est Mercatus dum scribit; *Circa primum coniectandum est, humorem hunc concretum, quem secum mouet biliosus, & tenuis humor, quia in accessionem prorumpit, cùm ad extrema venarum funditur, &c.* Vbi planè fatetur, humorem pituitosum concretum, & sub propriis accidentibus cum bilioso tenui ad fucum reiici, vnde iuxta sua principia, non potest eodem tempore cum bile tenui, & serosa putrefieri. Sed minus multò potest admitti, quod intra vasa humor factus concretione inueniatur, à quo enim agente tantum frigus suscepit, vt concrescat; & si talis factus est, quomodo fluidus, & ad focum eodem tempore cum bilioso tenui expellitur, & horrorem inducere potest? Est enim necessarium ad horrorem, quòd humor priuata vasa reiiciatur, & deinde per partes sentientes moueatur, quod humori concreto, & crasso omninò repugnat, nec à Mercato ratio idonea adducitur, cur humor ille concretus intra vasa maiora per partes pellatur, & quo principio humor biliosus tam crassos, & concretos secum deferat: cùm enim tam difformes sint in modo substantiæ, implicat quod ita sint per minima permisti, vt vnus sine alio expelli non possit, si verò intra vasa maiora putredinem concipere incipiunt, vt sic cum biliosis pellantur, non erunt concreti, sed fusi, & liquati, præsertim cùm in loco tam calido contineantur, & tam longissimo tempore. Rursus cùm tam magnum excessum in crudis, & densatis respectu biliosi, & tenuis admittat Mercatus, nescio qua ratione iuxta eius mentem tertiani circuitus suscitari possint. Si verò dicas, quod pituita illa ob crassitiem, & concretionem, & frigus resistit plurimum putredini, & sic vsque ad tertium diem impressio putredinis non fit, constat quod circuitus tertianus à solo illo humore fieri poterit, & perniciosè etiam, quia periculum huius febris humori crudo naturam grauanti, & suffocationem vitalis caloris inducenti Mercatus dicauit, eo quòd intra vasa minora liquetur, & ob plenitudinem auferat eius ventilationem. Accedit quod Galenus nullam speciem pituitæ frigidiorem vitrea admittit, eam verò liquatam esse docet, & non concretam, quia vitreo liquato assimilauit. Multa etiam in sui placiti explicationem Mercatus retulit, improbabiliora mihi, quia nulla ratione stabiliuntur, nec idoneam rationem ex modo, aut natura febris, vel symptomatum proprietate inuenire possumus; ad quid enim vt febris sit perniciosa, & tertianæ naturam referat, permixtio determinata crassorum cum serosis, & tenuibus

A requiritur: nonne si bilis serosa, & tenuis non fuisset, fuisset tamen eum crassa, & multis permista, euenirent similia symptomata? euenirent non dubiè; nam ad repetitionem per tertios, & ad inducendam syncopen, ob suffocationem vitalis caloris, serosis & tenuibus opus non est, cùm nulli humores syncopen ob suffocationem minus quàm serosi causare possint, & nulla bilis species magis quàm naturalis per tertios repetat: desiderat etiam Mercatus in causa huius febris, quod sit inæqualis crassitiei, quod ad perniciem huius febris impertinenter exposuit; ad quid enim inæqualis crassities pro suffocatione caloris vitalis requiritur, cùm humor multus si sit æqualiter crassus, multò melius repleat, & suffocet.

B Propterea mihi videtur huius perniciosæ tertianæ explicatio chimærica omninò, quia nullo fundamento stabilita ad inducendam perniciem (vt docui) permistio illa crassorum cum serosis, & tenuibus; & inde si in tertiana aliqua ob dictam caloris suffucationem periclitentur ægroti, eueniet quidem ob copiam humorum cuiusque naturæ sit: nam quod pituitosi efficiunt, quia liquantur, & de nouo replent, cuilibet ob copiam competere potest, quia hæc non minus suffocat, quàm pituita liquata, præterquam quòd Galenus *lib. de totius morbi temporibus*, omnes humores quando putrescunt, liquari, & fundi de nouo docet. Verba sunt *cap.* 3. *Cùm autem influxus cessauerit, & quod in particula inflammatione obsessa continetur, putrefieri inceperit, & fusio magis propter calorem, &c.* Constituetur ergo hæc perniciosa tertiana, aut quæuis alia febris, quia hu-
C mor sit tantus, vt vasa minora replendo, tum copiâ, tum liquatione ob putredinem, calorem vitalem suffocet, & destruat, ad quod non est opus humorum diuersorum permistione: nec si permisceantur, quod quidam sint crassi congelatione facti, & inæqualis crassitiei, cum serosis, & tenuibus, vt fuit machinatus Mercatus. Et id respiciens Auicenna duo solum capita febribus syncopalibus dicauit: primum syncopali humorosæ, aliud syncopali minutæ, & subtili: & inter causas humorosæ syncopalis, non solam pituitam, sed bilem crassam enumerauit. Natura verò humorum hanc perniciem inducentium propriis signis agnoscenda est, & ex methodo communi scienda sunt, quæ cuiusque
D succi prædominium, aut vt certorum accidentium causam necessariam ostendunt, sicut & alia indicia, quæ febres exquisitas, aut nothas esse declarant.

Hæc sora perniciosæ febris agnoscitur, quia accidentia caloris vitalis suffocatione pereuntis apparent absque eo, quòd cor vt foetus putredinis sit; sic enim distinguitur ab alia specie febris perniciosæ, quòd humor in cor in initio accessionum directè mittatur, estque velut essentiale signum mira inæqualitas pulsus præcipuè inter magnitudinem, & paruitatem, vehementiam, & debilitatem, cum hoc quod pulsus absolutè paruus ferè semper conspicitur, ob arteriarum oppressionem à copia succi obstruentis, & grauantis naturam. Galen. 1. *ad Glauconem, cap.* 14. sic scripsit, loquendo de magnis obstructionibus partium insignium. *Nosce verò*
E (inquit) *huiusmodi obstructiones, tum ex aliis pulsuum inæqualitatibus, tum maximè ex iis, quæ in magnitudine, & paruitate, vehementia, & debilitate inueniuntur, modò syndrome, id est concursus, quam plethoricam vocant, non adsit; nam istius quoque communes sunt; adest etiam accessioni in longitudo, tardèque accenduntur ob copiam, & quia calore vitali languente humorum inflammatio tardissima fit, quæ maiora erunt, si pituitosus succus sit qui obstruat, & vsque ad finem ascensus, seu augmenti tepor externus apparet, ob caloris defectum, & quia immoderata obstructio non permittit caloris, & fuliginum distributionem ad extra, sed intus omnia prohibita suffocant, æger oppressum se percipit, anxium, difficilè respirantem, cum magna pulsuum compressione, & velocitate in illa,*

A *quando iam calor febrilis molestare incipit; est enim ictus vehementer compressionis vsus, & quia externa breuissima est, interna vero maior.* Quod doctè notauit noster Princeps *cap. de syncopali humorosa*, dicendo; *Quare fit pulsus velox*: & propriè in constrictione sua, plus quàm sit velocitas aliorum, vnde si oppressio sit magna, solet pulsus intercipi. Estque etiam velut inseparabile huius febris, quod nunquam calor febrilis vniformiter, & continuè crescat, sed accensa flamma iterum extinguitur, quia multa materia suffocans nequit vniformiter in foco alterari, nec ob copiam vniformis fit transmissio eius ad focum; vnde quando noua portio mittitur, calor extinguitur, non tantùm quia nouum agens infrigi-
B dans accedit, sed quia maior suffocatio resultat ad nouam quantitatem agentis, & sic quando iam in augmento videtur esse accessio, ad nouum principium inopinatè redit, Medicos deludens. Quod si materia ob calorem febrilem extendatur, necesse est, quod suffocationis periculum, cum fusione, & liquatione materiæ intendatur, & sic præsens, maiusque erit, dunec extensio materiæ finiatur; non finitur verò vsque ad finem augmenti, ob quod in ipso suffocationis periculum ingens datur, quia multa fuligo cum incendio, & liquatione materiæ in illo vniuntur ad debellandam naturam, & per consequens in eo tempore erit semper dispositio ad syncopen, quia instrumentum omnium actionum suffocari incipit, & sic in omnibus actionibus debilitas manifesta contrahitur, quæ syncopis præludium est, cum extenuatione faciei, & coloris viridis
C perditione, nisi inflatio ob copiam crudorum extenuationi obstet: color tamen cadaueri similior erit, & non raro sudor frigidus in fronte, vel facie, vel collo apparebit, extinctionis caloris, & imminentis syncopis signum.

Ex dictis præsagium periculi satis constat, instat enim mors media syncope à principio vsque ad finem augmenti, quia sic perire debent, qui pereunt suffocatione: rationem iam dedimus tradendo signa. Putat verò Mercatus, quod in augmento, & circa vigorem potius periclitentur, tum quia materia liquatur vsque ad augmenti finem, tum præcipuè, quia natura semper vsque ad vigorem humores ad focum transmittit, & sic
D vsque ad illum causa suffocationis augetur. Verùm hoc vltimum mihi non probatur, primò quia repugnantiam continet, quod sit accessio in vigore, aut iuxta illum; & quod portio illa, quæ vsque ad focum augmenti mittitur, principium suffocans constituat; nam si symptomata principij vigent, repletio nempe, & suffocatio, non erit accessio in augmento, cùm sint tempora omninò repugnantia in simultanea existentia. Nec Mercatus probat, quod vsque ad statum accessionis transmissio ad focum duret, cùm iuxta mentem Galeni totum tempus fluxionis constituat principium, vt exemplo inflammationis *libr. de totius morbi temporibus cap.* 3. docuit, quia semper quod natura expulsionem continuat, præfocatur calor in membro, vt Auicenna noster exponens principium tradidit *fen.* 1.4. *tract.* 1.
E *cap.* 30. nec si materia iam sit accensa manifestè, quamuis noua portio mittatur, principium constituet, etsi aliquatenus calor remittatur, quia debet esse remissio magna, & magna etiam pulsus noua compressio, cum sensibili duratione, vt principium nouum accessionis sit; non enim quæuis mutatio in aliquo tempore nouum tempus, aut partem eius constituet, sed tempus quod mutat, inæquale reddit, nouum tamen non facit, vt Galenus passim nos docet tempora in vniformia, aut difformia diuidens: nec repletio à materiæ raritate ob putredinalem calorem eueniens, principium constituit, quamuis sine dubio suffocet, quia est effectus caloris augmentum constitutionis: ob quod Galenus docuit, quod

qui pereunt in augmento, pereunt partim suffocati, partim vehementia febris. Ergo suffocatio principio debita, est quæ à corporatura humoris antequam per calorem febrilem extenuetur, creatur: quæ verò ob raritatem, aut liquationem ab incendio accessionis emanat, non constituit, nec debet principium, sed augmenti est propria. Sic Galenus *de totius morbi temporibus cap. 3.* augmentum tumoris ob raritatem materiæ, quando putrescit, non reduxit ad principium, quia ex fluxione principium constituente non pendet, sed ab incendio: nec rursus maior distensio, ob quam dolores augentur, quando humor suppuratur, ad augmentum reducit, sed vigori dicat, quia nascitur ex nouo materiæ feruore suppurationi vigorem constituenti debito. Sic eodem modo suffocatio ob liquationem materiæ augmenti est quia calor liquans augmentum constituit, principium verò sola humoris ad focum transmissio. Est ergo timenda à principio vsque ad finem augmenti vitalis caloris suffocatio; nam suffocatio communis est vtrique tempori, neque est necessarium quod ad augmenti finem, aut principium vigoris sic affecti perueniant, vt male Mercatus putat, possunt quidem in ipso principio perire ob solam copiam materiæ transmissæ. Constat verò, quod hæc transmissio fieri debeat ad vasa cum quibus cor consentiat facilè, alioqui nunquam febris syncopalis, ex propria natura erit; nam etsi multitudo humoris ad vasorum extrema iuxta cutem pellatur, ipsaque repleat, febrem syncopalem inducet nunquam, quia suffocatio in dictis partibus syncopis causa esse non potest: sed vt syncopis absque cordis læsione fieri nequit, sic nec syncopalis febris, quin cor in consensum trahatur: trahitur verò dupliciter; aut quia ex partibus repletis quod regurgitat aut eleuatur, cor lædit, aut quia inducta in dictis partibus suffocatione resultat frigida distemperies, cordis calorem destruens. Sed primus modus febris media suffocatione necantis proprior est, etsi simplici modo dicto necare possit, quod nullus quem legerim, ante nos notauit. Constat verò, vel me tacente, quod si per arterias serpat putredo, dabitur syncopis magna causa; si ergo natura humorem ob magnam arteriam, aut venam arterialem, aut arteriam venalem mitteret, magnum mortis periculum erit, dicta iam ratione; sic de partibus reliquis cor in consensum trahentibus philosophandum est.

Est etiam periculum si syncopis non adueniat, vt benè Mercatus notauit, quod grauis febris, diutius tamen durans superueniat, ob debilitatem contractam, & copiam materiæ; aut in continuam diuturnam, aut subintrantem mutata; & cùm caloris vitalis effœminationem crudorum excrementorum magna creatio sequatur, malus corporis habitus superueniet, ob diminutam sanguinis concoctionem: quod dum hæc scribimus, in quadam infirma planè experti sumus; erat enim febris focus lienis regio, & quia per satis conspicuas, & multas arterias cum corde communicat, ingenti cordis passione, & molestia cum difficili respiratione, & palpitatione cordis premebatur, eranteque primæ accessiones vehementissimæ caliditatis cum implicabili siti, à tanto tamen periculo nostris auxiliis liberata: duplici nocha tamen tertiana cum malo corporis habitu, & totius ventris inferioris tensione flatuosa modò laborat, & non sine tympanitis timore: lumborum enim, & vmbilici doloribus diris per interualla torquetur, iuxta *aphorismum 11. lib. 4.* dicentem; *Quibus adsunt tormina, & circa vmbilicum labores, & lumborum dolor, qui nec à medicamento, nec aliter soluitur, hydrops siccus contrahitur:* in liene verò si focus febris à natura efficiatur, hoc inest periculi, quod venæ, & arteriæ in liene se contingant, vt Galenus docuit 9. *de vsu partium*, & inde cor ab eius affectibus non leuiter patitur.

A Curatio huius febris non habet aliquid peculiare à reliquis putridis, quarum medelam tradidimus, nisi quod syncopalis dispositio indicat vt præcaueatur, & quando in actuali accessione concidunt, subitò vires instaurare. Primum indicat magnam diligentiam adhibendam esse ad præcauendam accessionem syncopalem, quod consistit & in cordis roboratione, & in diminutione causæ syncopen machinantis; hæc verò in euacuatione eius consistere debet. Quæ verò euacuatio idonea sit, & prius imperanda, pendet ex regione in qua causa antecedens continetur; non enim implicat in prima regione & ex illa eleuari, quod replendo venas partis principis syncopen causet: in quo casu constat venæ sectionem perniciosam fore, & esse statim per medicamentum expurgans educendam, de quo B casu sæpè à nobis explicatum est, qua ratione operari Medicus debeat. Illud tamen notare placuit, quod si quod transmittitur in vasa quibus pars princeps consentit, non resoluatur, vt eius accidentia nunquam deficiant, poterit esse idonea sanguinis missio, quæ illud quod non resoluitur, euacuet, si vires constent, etiamsi in prima regione antecedens materia contineatur: quia vrget quod vasa partis principis obsedit, & aliter euacuari non potest, præsertim si expurgata iam prima regione (quod necessariò factum prius esse debet) vrgeat quod ad partem principem transmissum est, ita vt probabilissimè timeat Medicus, quod si augeatur plenitudo eorum vasorum, syncopis euenire debeat. Quia verò læsio, ex qua ea plenitudo significatur, est vi-C rium debilitas, vitalium præsertim, non est facile venam secare, & indiget casus Medico perito, qui debilitatem ab oppressione, & ab ea quæ essentialis est, planè distinguat. Distinguet verò optimè, si arteria tota circumferentia pulpam digiti tangat; si pulsationes inæquales sint, ita vt quædam vehementiores, & maiores aliis percipiantur; nam si arteria tota corporatura feriat, etiam paruus satis pulsus appareat, magnum indicium oppressionis est, quod confirmat ictus sub ea paruitate perceptus; nam etiamsi comprimatur arteria, à motu non cessat, sed resistit semper obstaculo motus: apparent etiam quædam pulsationes maiores, & vehementiores. Contraria eueniunt in debilitate essentiali; nam à leuissima compressione digiti cessat motus omninò, nec aliquis impetus internus perciDpitur, quo arteria impedimentum tollere tentet: semper languidè pulsat, & æqualiter absque vlla notabili differentia in magnitudine, & vehementia; nam vniformes omninò nunquam inuenies, etiam in debilitate essentiali, ob ineuitabilem mutationem corporis nostri, tam ex parte humorum, quàm spirituum, & varietatis corruptionis, aut alterationis, quod maximè notabitis.

Si verò in secunda regione materia sanguini admista sit, vena secabitur, si vires constent, pro præsente auxilio, & accessione futura. Est verò probabilius, quod semper ferè in hac specie febris contineatur intra vasa maiora causa antecedens, eo quòd syncopalis constituitur cum certa limitatione, nempe quod talis sit, quia vasa quæ cor in consensum trahere possunt, oppleantur, non verò quæ sunt propria, aut immediata parti E principi, vt maior copia non dubiè requiratur ad causandam hanc febrem, quàm ad perniciosam aliam constitutam, eo quòd in partem principem humor moueatur, eritque necessarium per consequens, quod non leuis copia materiæ antecedentis intra vasa maiora præcedat, vt mota ad minora ita repleat, quod calorem vitalem suffocet. Et quia nos contra Mercatum diximus, quod febris hæc à quouis humore suscitari potest, inde iuxta ideam illius, & virium vena secabitur, notando semper si occasio plenitudinis, aut excessus humoris alterius præcesserit, vt suppressio euacuationis alicuius consuetæ, aut copia maior alimenti, bonum aut malum succum creantis

Reliqua

Reliqua auxilia humores concoquentia, & deobstruentia, tandem variationem suscipient, vt humores indicabunt, quæ modò adducere opus non est, cùm in aliis speciebus tones sint repetita, & clarissima sint; quæ verò cor firmant, humores ne ita moueantur in partem nobilem obstent, syncopen præcaueant, & alia requisita sequenti tractatione de febre syncopali humorosa à determinata causa pendente, ab humore nempè pituitoso, quam vt exemplum Galenus, & Auicenna exposuerunt, inuenietis scripta.

QVÆSTIO IX.

De febre syncopali humorosa ex crudis humoribus.

ETsi ex dictis *quæstione præcedente* satis perspicuè constet modus febris syncopalis humorosæ, placuit de ea, quæ à crudis succis originatur, sermonem instituere, quia de illa etiam Auicenna noster Galenum æmulatus ex professo loquitur *fen. 1. 4. tr. 2. cap. 5.* & Galenus *12. method. cap 3.* Hanc definiens Mercatus *lib. 6. cap. proprio* dicit: *Febris syncopalis est illa, in qua natura morbo consentit ab ipso deuicta, quo corpus procedit in insignem lapsum, & virium iacturam.* Definitio omninò inutilis, & mala, quia omni syncopali malignæ, & pestilenti conuenit; oportet verò distinctè humoralem prout ab omni alia syncopali, & maligna differt. Auicenna sic loquitur: *Hæc secundum plurimum est propter phlegma crudum, quod est ex nausteatiua satietate, vel repletionali, quod facit febrem dispartitum plurimum, quia iam vincit virtutem.* Ex quibus definitio facilè potest tradi dicendo: Febris syncopalis humorosa est calor præter naturam, cuius causa multitudine sua ad syncopen semper disponit in calore præternaturali; cum omnibus conueniat, differt tamen à syncopali minuta, quia hæc non à copia suffocante, sed à resoluente calorem vitalem creatur; & ideo dixit Princeps, quòd causatur à phlegmate crudo repletionali, & dispartito plotimo, hoc est à causa replente, & plurimum per membra disseminata: nam quia multa est, per totum distribuitur, & sic suffocationem machinatur. Per illud verò quod ad syncopen semper disponat, differt ab aliis syncopalibus humorosis, quæ licet in accessionibus ad syncopen disponant, non tamen semper. Causa est frigus intensum pituitæ, à quo semper syncope quando superfluit ob copiam pituitæ, certum initium habet, quòd in aliis succis ob frigoris defectum non detur in omni tempore, sed solùm in motu paroxysmorum: itaque syncopalis dicitur, non quia causa febris syncopen prius inducat quàm febrem, vt fine ratione putauit Magister meus *fen. 1. 4. fol. 1046.* sed quia causa eius semper disponit ad syncopen: & quamuis nunquam syncopis succedat, potest esse syncopalis ob prædictam dispositionem: hæc verò dispositio agnoscitur ex debilitate omnium virtutum in omni tempore febris. Constat ex doctrina Auicennæ dicentis: *Quod virtus non tolerat in hac febre euacuationem per sectam venam, aut expurgationem, quia est illic cum sua quiete syncopis,* id est materia quando quieta est, & non agitatur, ad syncopen disponit, quia actu debilitat, quomodo ergo motionem eius & euacuationem virtus tolerabit, cùm tanta debilitas aote motionem, & euacuationem à causa febris semper sit inducta? Clarius id Galenus docuit *loco citato*, dicendo: *Maximum Medico, qui vtique in principio ipsos susceperit, videtur mihi dedecus esse, si in syncopen inciderint, quanquam per inscitiam Medicorum quotidie id fieri cernitur.* Ex cuius doctrina constat, quod non est de es-

A sentia huius febris; quod syncope sæpius corripiat febricitantes, vt malè Duncanus Scotus docet *lib. 2. de febribus, cap. 14.* Patet, quia signa essentialia morbi cuiusque impediri à Medico nequeunt sine morbi ablatione: at Galenus ignominiosum censet, quod semel susceptа curatione syncope adueniat.

Ex iis constat signum quod est huius febris velut essentiale, debilitas nimirum omnium facultatum, sed vitalium præcipuè, quam causa huius mali ob plenitudinem crudorum calorem vitalem suffocantem semper inducit; quod signum Auicenna posuit dicendo, *quod phlegma facit febrem dispartitum plurimum, quia iam vincit virtutem.* Et hoc signum maximè attendendum est, tum ad præcauendam accessionem syncopalem, tum ad præsagium periculi, & ad loquen-

B dum in consultationibus, vt Medicus magni nominis futuram syncopen prænoscens, absque actuali apprehensione syncopis dispositionem ad eam, eiusque possibilitatem prædicens. Constat verò, quod huiusmodi signum debet esse cum dicta inæqualitate pulsus, & quando non præcessit causa virtutem debilitans, à causa febris distincta: vnde Galenus *loco citato* dicebat: *Omnibus pulsus minores sunt, quam pro caloris ratione, præterea obscuri omninoque inæquales, sæpe ea inæqualitate quam systematicen Græci vocant, semper verò ea qua in vno est ictu.* Galenus *lib. de marcore, cap 5 ad finem* dicit ita: *Qui autem syn. opes appellatur, fit vbi qui syncope fuerint correpti, vehementiam quidem periculi in præsentia euitarint, relictum tamen deinceps ipsis fuerit*

C *aliquid syncopose affectionis.* Et *accidit* (inquit Auicenna) *in inceptione sui, vt effundatur ad cor res frigida faciens accidere syncopen, & minoratur pulsus, & tardatur, & fit rarus*: hoc est, in accessionum initiis, quando humor ad focum incipit moueri, infrigidatur cor, quia vapor frigidus ex pituita eleuari incipit, cor partim distemperans, partim replens & suffocans, quo fit, vt vitali calore extincto cadat in syncopen; hæc verò syncopis, non necessariò debet esse præceps omnium virium lapsus, so ablata actione omnium consistens; hoc enim est necessarium, etiamsi eueniте possit. Est ergo intelligendus Princeps de necessaria debilitate in omnibus accessionibus ventura, quando incipiunt: tunc enim suffocatio ne-

D cessariò crescit ob nouam motionem causæ ad focum, vt accessiones fiant: quod symptoma debilitatis omnium facultatum vrget magis nondubiè in vniuersali principio, quia in eo maior copia, & frigidior datur succorum frigidorum; & ita illa verba (*inceptione sui*) significant vtrumque principium, ita vt periculum cadendi in syncopen nunquam maius, & certius quàm in principiis particularibus, & vniuersalibus detur, ob allatam rationem: quippe vt paroxysmi procedunt, & minoratur materia, & accessionibus ipsis calefit, & frigus per consequens minoratur.

Sed dubium est, si febris hæc est continua, vt est reuera in Galeni, & Auicennæ opinione; quomodo cor infrigidari possit in accessionum initiis? tum quia si laborat continua febre, & hæc est calore naturali in-

E tensior, non infrigidabitur cor, vt ob distemperiem frigidam præter naturalem syncopis aduenist. Et confirmatur, quia materia quæ mouetur ad accessionem particularem faciendam, iam mouetur calefacta præter naturam; quia si est initium accessionis febrilis, est tempus febris & per consequens caloris intensioris naturali: calefit ergo cor, & non infrigidatur. Respondet Magister meus, quod per vapores frigidos non intelligit eos qui actu frigefaciunt, sed parum calidos, nisi antea incipiat syncopis quàm febris, aut aliquid aliud ex quo vapores frigefiant. Quæ doctrina dubium non soluit, quia Auicenna clarè dicit, quod in inceptione sui effunditur ad cor res frigida faciens accidere syncopen. Loquitur verò de materia, quæ postea calefit,

calesit, & accessionem facit, vt constat planè ex verbis traditis inferius. *Ergo euadit* (inquit) *cor à nocumento, & frigore eius, & cadit in nocumentum caloris eius, quare fit pulsus velox, & propriè cum constrictione sua.* Mihi videtur quod hæc doctrina Auicennæ non est intelligenda vt perpetua, sed tradit quod euenire solet, licet non semper, & quando accidit, non esse febris actualis, sed potius distemperies frigida cordis, donec materia frigida calefacta, & concipiens putredinem, febrem producat cor calefaciendo. Est enim possibile, quod materia, quæ ad focum mouetur, non sit tota calida præter naturam, quia non potest natura totam materiam reiectam segregare à parte calefacta, vt contingit in epiala febre: quæ verò calefacta non est, potest aliam vincere, & infrigidare, donec in foco detenta putredinem & calorem concipere incipiat. Tunc ergo syncopis contingere potest ob duo; & quia suffocatur calor vitalis, & quia frigore extinguitur, eruntque tunc pulsus debiles, tardi, & rari, ob vius diminutionem; postea verò si materia illa calefiat, sequetur accessio, & pulsus erit velox, & propriè in constrictione, eritque velocior (inquit Auicenna) plus quàm sit velocitas aliorum, quamuis illud quod vincit cum hoc sit paruitas, tarditas, & raritas: hoc est, pulsus erunt velociores, quàm præcedentes, & propriè in constrictione, quia multum vrget copia fuliginum, quæ constrictione expellendæ sunt: verùm illud quod vincit, est paruitas, & tarditas, & raritas in ordine ad alias febres, quia in nulla dantur pulsus paruiores, & rariores vt in hac, quia nulla ex parte causæ est frigidior, & sic minus inflammabilis: vnde & copia fuliginum minor est in ista quàm in aliis, licet sit corpulentior fuligo, ob quod grauatæ nimis arteriæ difficilius, & planè, ac tardius mouentur: Galenus 12. *method. cap. 3. citato*, sic scripsit: *Quod si huius* (*oxymelis scilicet*) *assiduus vsus tædio esse cœperit, transire inuicem ad mulsam & ptisanam conueniet, deinde rursus ad oxymel reuerti, maximè verò quibus tum paruus, tum tardus, ac rarus pulsus est, iis frigidos esse succos putandum.*

Sed fieri fortassè quod dictum est non posse cuipiam videatur. cùm nulli febricitantium, aut tardior, aut rarior pulsus fiat; & respondet: *Cæterum duplici ratione verum esse quod dictum est, comperietur: vna quod euidenter in accessionibus appareat, & tardiores, & rariores, quàm pro naturali ipsorum habitu pulsus fieri; altera, quod & reliquis temporibus præter accessionem horum arteria, tum rarius, tum tardius, quàm aliorum quorumuis, qualitercumque febricitantium pulsant.* Quæ doctrina Galeni vera esse non potest, si cor præter naturam calidius esse debet, vt febricitet; nam semel concesso calore intensiore quàm sit naturalis, implicat iuxta sua præcepta, quod pulsus rarior sit, quàm per naturam, licet tardior esse possit. Ratio est, quia vsu aucto cum extrema debilitate, pulsus formicans creatur, quia creberrimus, & tardus reuera, licet apparenter celer videatur, aut ab imperitis talis iudicetur: necesse ergo est, quòd vt pulsus rarior quàm naturali statui conueniat, appareat, cor in initio accessionum præter naturam infrigidetur, & inde rarior, & tardior appareat; itaque in nulla parte accessionis febrilis, in qua cor præter naturam calefiat, pulsus rarior, quàm per naturam apparebit, sed crebrior semper erit; ergo dum Galenus dicit, quod euidenter in accessionibus appareat & tardiores, & rariores, quàm pro naturali habitu pulsus esse, non sumit accessiones vt calorem præter naturam necessariò dicunt, sed omnem mutationem significantem nouam accessionem proximè venturam intelligit, qua ratione quotidie experimur extrema infrigidari, & nondum febrem esse; quod & ipse Galenus *lib. de morbi temporibus, cap. 7.* docuit dicendo: *Quæ verò alia symptomata, signaque accessionum initio* A *propria sunt prædiximus, alia frigori superueniunt, alia secus, &c.*

Signa itaque accessionum appellauit impropriè accessiones, in quibus pulsus rariores, quàm pro naturali habitu esse dicit, quo tempore febris omninò deficit, quia tota corrumpitur, si prius ob caloris suffocationem erat, frigidam potius distemperiem inducentem, omninò febri oppositam, quousque materia suffocans à calore superata reaccendatur, & febrem causet. Quem locum difficilem, & Lemosius, & Magister noster omni expositione nudum reliquerunt. Zacutus verò *lib. 4. historiarum, t. 1. quæstione 12.* dubium tetigit; tepidè tamen, & obscure, & non omninò ad rem, cùm tota quæstio sit non de celeritate contractionis, quæ ob debilitatem deficere potest, sed de raritate in continua febre. B Addit Galenus: *Quod si affectis hypochondria, & præcordia inflata sunt ob copiam flatus, & succorum crudorum, quibus totum corpus ampliore mole, quàm pro naturali habitu, & inter cutem aqua laborantium magis simile est mutatum, nonnullis etiam ad nigrius, aut liuidius, quos Medici plumbei coloris appellant.* Quam doctrinam Princeps transtulit *in hoc cap.* addendo, *quod labia eorum sunt sicut labia comedentis mora, oculi verò sunt fusci, virides, exeuntes valdè apud commotionem ægritudinis, & fit sicut maniacus.* Sunt ergo oculi turgentes ob copiam flatus, & humoris, & quia emergit vera nigrities, aut color plumbeus ob caloris vitalis extinctionem, maior verò à nigro significatur. *Est etiam*, inquit Galenus, *os ventriculi offensum*, hoc est obstru- C ctum, & tensum; nam etsi pituita tumorem laxum efficiat, quia mollem, flatus tamen copia cum frigore pituitæ tensionem, & concretionem simul causant, ad quod natura partis neruosa non parum conducit, quod in *hoc cap.* dicit Auicenna iis verbis: *Et secundum plurimum adiuuat super eam debilitas oris stomachi*: & inferius dicit; *Et quod est sub hypochondriis eorum est vehementis inflammationis, & similiter viscera eorum*; non tamen repugnat, quod tumor oris ventriculi, si detur, sit laxus, & quod offensum esse possit absque tumore per obstructiones, & imbibitionem crudorum. Celebris est Galeni doctrina *lib. 1. ad Glauconem, cap....* quod febris pituitosa rarò datur absque ventriculi offensa, quia frequentissima origo cru- D dorum est.

Subdit Auicenna: *Et quando mouetur, & incipit in putrefactione, vincit virtutem plus, & facit eam hæsitantem.* Hæc verba sinistrè meo iudicio à Iacobo exponuntur; ea enim exponit de motione ab arte facta, non de naturali: est autem intelligendus Auicenna de motione ad accessiones faciendas. Constat planè, quia dicit, *quod quando incipit in putrefactione, vincit virtutem plus*, id est quando incipit materia in foco putrefieri, vincit virtutem plus. Ratio est, quia succi crudi quando calefieri præter naturam, & putrefieri incipiunt, liquantur maximè & rarefiunt, & per consequens suffocant magis, quia magis replent, & sic plus virtutem vincunt; & inde nascitur, quod prædicta febre oppressi semper ferè in principio pereant, quia suffoca- E catione periclitantur, & interdum etiam in augmento, quia in eo etiam suffocationis periculum partim datur; frequentius verò est, quod in principiis accessionum pereant, quia in accessione vltima nunquam pulsus dilatatur, sed ab initio vsque ad interitum oppressus est, & vehementer contractus, etiamsi longior sit accessio, quod sæpe obseruauimus, & cum sociis fuit non leuis altercatio: putabant enim in declinatione perire, quia longius ab initio accessionis periclitabantur; ego verò asserebam, eos in principio defunctos fuisse, quia à principio accessionis suffocari cœperant, & principium longissimum fuisse, quia totum fuit pugnæ, in quo natura spatium aliorum temporum consumpsit. Et id ex pulsu perspicuum, indubitatumque

erat.

quia nunquam dilatationem incendio debitam obtinuit, sed semper oppressus percipiebatur; & per consequens nunquam materia flammam contraxit. Est etiam propriissimum huius febris, quod tria priora accessionis tempora sint inæqualia, quia materia heterogenea nunquam æqualem alterationem suscipit ab eodem agente, & sic in principio, quando iam vna pars materiæ calefacta est, alia incipit calefieri, & putredinem concipere, à qua noua eleuatio fuliginum excitatur, de nouo pulsum suffocans, & opprimens; quod damnum, & rarefacta de nouo causat: quod & idem in augmento, & vigore euenit, quod est dicere: quædam partes materiæ augmentum constituere incipiunt, quia tenuiores, & minus frigidæ facilius inflammantur, quando aliæ calefieri incipientes eam flammam extinguunt, & rursus principium redit, quia pulsus opprimunt, & eandem inæqualitatem in parte transmitiente dari posse est certum, quando alteratione irritatur, quia eadem diuersitas respectu partis mitientis inuenitur.

Addit Mercatus, quod calor tactui mitis apparet; & cum hoc lingua arida existit, & nigricans, quod febri tam pituitosæ, & corpori crudis referto dissonum est, nisi phlegmon oris ventriculi, vt solet, complectur: nam vstio tanta sub crudis excrementis, & tantis, vt lingua atra reddatur, extra rationem omninò est; quia frigiditas materiæ antecedentis calefactioni partium vehementer resistit. Verùm quia ipse, vt causam huius febris venenatam qualitatem à crassa bile elatam, & ad cor ascendentem tradidit, potuit etiam linguæ ariditatem, & nigredinem inter signa reponere; verùm tunc calor non erit mitis, sed acerrimus, & implacidissimus, quia à bile crassa cor supra modum exsiccante, & minus calefaciente, alius caloris sensus esse non potest. Notanter dixi *minus calefaciente*, in quo passim falluntur Medici triuiales, incendium magnum accusantes semper, quod linguam asperam, & siccam conspiciunt, cùm sæpe siccitas nimia cum moderato calore, & terrea natura, illorum accidentium sit causa, quod indicat calor remissus febris, & talium accidentium perseuerantia adhuc in accessionum inclinatione. Auicenna *in fine* sic scripsit; *Et quandoque accidit hac febris in quibusdam horis ex cholera dominante grossa, & fit cum ea in visceribus adustio, & euomunt choleram*; nos verò *in præsenti cap.* signa tantùm pituitosæ syncopalis tradidimus, vt Galenus fecit, in qua præter signa tradita erit ad somnum maior propensio, sitis tamen molesta esse non potest, vomitus etiam pituitæ acidæ, aut alterius naturam molestare poterunt. Sic dicit Auicenna *in hoc cap. Et quando vomunt acetosum, vrina perturbata apparebit.* Sed in modo substantiæ non poterit non esse tenuis ob copiam crudorum, & natiui caloris defectum, & multas obstructiones vasorum: si verò febris hæc à bile crassa dominante, vt Auicenna censet, creetur, signa diuersissima erunt, corpus enim non intumescit, sed aridum, & extenuatum ob excessum siccitatis, & terream succi naturam, sitis magna cum pulsus duritie infestabit, & aspera lingua, vigiles erunt, & inquietissimi ob siccam distemperiem, & mordacem humoris proprietatem, eruntque parati ad syncopen; non quia materia tam frigida, nec tam liquabilis, in initio, & augmento accessionum, vt socci crudi: & si minus infrigidat, & suffocat, crassitie tamen, irritatione, vigiliis, siccitate, & anxietate, & accessionum longitudine vehementer effæminat: & quia materia spirituum vitalium, sanguis scilicet, ineptissima est eorum generationi, quia atrabilaria, siccissima, terrea, pingui aëreo priuata, & inde paratissimi ad cadendum in syncopen diuersa multò ratione, quàm succis crudis oppressi. eritque vrina incensa igneo splendore potius, quàm aureo ornata, velut lixiuium, & paratissimi vt colliquentur, eritque tertiana perniciosa ob duo: & quia ex depraua- ta natura dependet, & quia ad syncopen semper corpus disponit.

Est perniciosa huius febris natura, vt ex dictis liquet, cùm & copia suffocante, & frigore crudorum extinctionem caloris vitalis poterit machinetur: erit tamen deterior, si ab acida pituita creetur, quia frigidior, dulcis enim & insipida actioni naturæ magis obediunt: notauitque Gentilis quod à vitrea pituita creari non possit, fortè quia tanta copia, quæ vi suffocet, & humoris tam frigidi, viuo homine accumulari non potest, & inde putat monstruosum fore, quod à vitrea pituita huius febris origo trahatur; & mihi probabile apparet, quod multa vitrea ob congelationem, & frigoris excessum cuicumque calori escedenti obstaculum ponet, & sic mortificatione potius, quàm febre necabit. Est alia ratio tam grauis periculi, quod ad eius creationem multa materia supponatur, & euacuationem eius virtus tolerare nequit, quod sequentibus verbis Auicenna prædixit. *Quomodo tolerabit, cùm sit illic cum sua quiete syncopis? si verò* (inquit) *dimissa fuerit cum materia, non sufficiet contra materiam, & si moderata euacuatio tentetur, & cum facilitate ob effæminatam virtutem sit materia inobediens, aut monetur* (inquit) *motu prafocante virtutem, quia cùm agitetur, & non educatur, obstruit magis, & frigidis vaporibus denuò suscitatus calor cordis extinguitur.* Indigent itaque sic læsi magna euacuatione, quam virtus non tolerat, & sic non datur tanto malo proportionatum auxilium. Addit rursus author nouam rationem periculi dicendo: *Et cibis indigent vehementer, quoniam in humoribus eorum non est quod nutriat corpus, & viuificet ipsum, & corpus est priuatum nutrimento: quod si studueris in cibando, additur materia diminuta, & si non cibatur, cadit virtus.*

Quæ doctrina difficilis est, & Galeno apertè refragatur 12. *method. cap. cit.* vbi scripsit: *Siquidem longissimam, qui ita affecti sunt, cibi abstinentiam ferunt, corpore scilicet ex crudis ipsis quæ continet succis coquendis alito*: & nihil communius in ore Medicorum quàm crudos humores in sanguinem tempore indigentiæ mutari, & corpus refici. Magister meus *lib. de febrib. fol.* 1049. dicit quod Galeni doctrina sit vera, si sola humorum cruditas consideretur; Auicenna verò non solùm cruditatem, sed humorum etiam corruptelam considerauit, qua materia ad nutriendum inhabilis redditur. Quæ explicatio apparet mihi sinistra, nec hos authores conciliare potest: est enim extra dubium, quod materia antecedens detur in magna copia, cùm sint propter illam ad syncopen paratissimi, & cùm materia antecedens putrida non sit, si est in sanguinem conuertibilis, corpus idoneè satis nutrire poterit. Et si attenta mente doctrina Auicennæ legatur, contrarium planè docet; absque vlla enim exceptione dicit, quod ipsi cibo vehementer egent, quia non est in humoribus quod nutriat corpus, & illud viuificet: vbi de omnibus humoribus absolutè loquitur. Nec Galenus constans videtur; passim enim docet, quod succi crudi in sanguinem verti possint, & inde corpus nutrire, quod videtur planè negare 1. *lib. de naturalibus facultatibus cap.* 11. vbi anasarca, & totius corporis intumescentia fieri docet, quia copia pituitæ aquosius alimentum reddit, & partibus agglutinari non potest, & propterea incommutatum omni ò maner partes intumefaciens. Verba sunt; *Verùm affluentis nutrimenti appositio quadam fit, quod tamen propterea quod aquositus adhuc est, nec ad suum sufficienter redactum, nec lentitiam, glutinisque consistentiam, quæ naturalis caloris ope prouenit, adeptum, adhærentiam consequi non valet, defluente nimirum, ac delabente ob tenues, & crudi humoris exuberantiam a solidis corporis particulis nutrimento.* Qui locus difficultatibus plenus videtur, cùm nihil certius quàm pituitosum humorem anasarcam creantem lentum satis esse, & tenacissimum, vt ob copiam eius sanguinea agglu-

tinatio impediri non possit; falsum enim est, quod leucophlegmatia à pituita tenui, & serosa semper fiat, cùm contrarium experimento constet, & indicat tumor, qui vt lenta massa, & crassa in se secedens, tactui, & compressioni non resistit, quod aquæ non conuenit, nec serosis succis, sed crassis, & lentis. Idem stabilitas, & difficultas resolutionis ostendit, tenacissimè enim partibus hæret, & ægrè tonnoe discutitur, & mirum certè, quod defectui agglutinationis improbam nutritionem attribuat Galenus, & tam frigidam distemperiem non accuset, cùm partes externæ tam algidæ percipiantur, vt cum tanto frigore etiamsi optimum alimentum applicaretur, meo iudicio incommutatum maneret, aut vt Paulus docuit, in frigidum succum verteretur, & non in partes viuentes.

Sed non est minus difficile, quod ait Auicenna, nimirum quod tales vehementer indigeant cibo, cùm constet, pituitosa corpora non resolui: quod indicant animalia sub latebris terræ tempore hyemis viuentia absque vllo alimento: quod si dicas, à pituitosis succis nutriri, hoc idem in laborantibus syncopali febre euenire poterit, & per consequens non indigebunt cibo vehementer, sed vt Galenus docuit, inediam multam ferre absque læsione poterunt.

Sed vt nodus hic difficilis dissoluatur, videtur mihi probabilior opinio Auicennæ dicentis, quod crudi succi syncopalem febrem creantes ad nutriendum sint inepti, & alimentum etiam vitiare, vt Galenus docuit loco de naturalibus facultatibus iam citato: quod euidenter indicat anasarca, cuius causa non coquitur; & quando ita affecti sanantur, tam extenuati sunt, vt mirum sit, quod cum tanta mole, quanta erat dum anasarca premebantur, tanta deinceps tabitudo inueniatur, & propterea inter tabis species anasarca enumerari debet, vt malum corporis habitum inter tabis genera reposuit Celsus *lib. 3. cap.* 22. Quod verò ita læsi multam inediam ferre possint, pendet ex iamdictis, quia nimirum paucissima fit resolutio: Auicenna verò opinatur, quod cibo vehementer egeant, non vt nutriantur, quia nullum viuens iam maturum, ob quantitatis defectum perire potest: indigent ergo cibo vehementer ob instaurationem spirituum, ad quos gignendos, nec idonea est materia, nec agens, sed materia idonea plus carent; debet enim esse spirituosa, pinguis, & aërea, qua pituitosi priuantur quando tanta copia crudorum iam datur, vt syncopalis febris eueniat: aquosum enim & incoctum excrementum abundat, omnis pinguedinis & aëreæ naturæ expers; ergo cùm sit tam grandis spirituum resolutio, aut ob suffocationem eorundem defectus, multa materia est opus, vt assiduè instaurentur, & corpus calefiat; si verò nutriantur copiosè ad syncopis præcautionem, adueniet syncope, quia cùm suffocationis causa augeatur, occasio syncopis crescet, & si cibus negetur, peribunt etiam ob spirituum defectum.

Galenus *cap. 52. cit.* desperatos putat, si phlegmon cum hac febre ventriculum aut iecur obsideat, quod in *hoc cap.* Auicenna transtulit, dicendo; *Et quando est apostHema in quibusdam visceribus, tunc non separatur omninò.* Idemque præsagiendum est, si alius grauis modus, aut symptoma complicetur: vnde Galenus dicebat, quod si non modò succi crudi sint, sed etiam eò corruptionis deueniunt, vt concoqui ad perfectionem non queant, eorum salus desperata est: ergo si magna sit in principio cordis compassio, breue vitæ periculum innuit; si verò mediocriter constat, non est desperandum: dixit enim Galenus *cap. 3. cit. Quibus verò spes est salutis* (est autem omnibus qui ita citra phlegmonem ægrotant) *maximum Medico, qui ipsos in principio susceperit, videtur mihi dedecus esse, si in syncopen inciderint.* Si autem eueniat vt in accessionum initio effundatur ad cor res frigida, faciens accidere syncopen, subita mors speranda est in accessionum principio, nisi accuratè à Medico præcaueatur: suspectè tamen satis Galenus loquitur dicendo, esse maximum dedecus, quod æger cadat in syncopen, si absque phlegmone talis febris detur, cùm non ex sola phlegmone, sed ex causæ copia, nimia cruditate, virium languore, & accessionum vehementia, lethalis esse possit; quæ autem talis est, omnia auxilia contemnens media syncope necat, præsertim in Galeni curatiua methodo, tam leuia auxilia contra morbum tam grauem proponente.

QVÆSTIO I.

De curatione febris syncopalis ex crudis humoribus.

Medelam huius febris Auicenna tradit *fen.* 1. 4. *text.* 2. *cap.* 59. Dicit primò, quod est difficilis curæ, modus eius est, quod incipiamus à leuioribus auxiliis, vt sit euacuatio gradata ex subtili ad fortem, & propriè quando natura non respondet ex se; tunc enim clysteribus mundanda sunt intestina, & venæ eis propinquæ, deinde in residuo curationis (inquit) administra subtiliationem cum fricatione, hoc est propina auxilia incisoria crassorum, & crudorum, & postea frica, aut simul vtrumque impera. Subdit: Et Galenus quidem dixit, quod defecit ab euacuatione plurium eorum, nisi cum fricatione: in quo planè errat Auicenna, quia Galenus non plures, sed omnes ita affectos sine sectione venæ, & expurgatione sanare intendit, quia putat nullum ex dictis auxiliis ob aptitudinem ad syncopen imperari posse. Verba sunt *cap. 3. citato: Nulli talium sanguinem mitti sine maximo dispendio solet, cùm tamen vacuationem desiderent; verùm nec sanguinis missionem, nec purgationem sustinent, vtpote quos sine iis syncope subitò adoritur,* quod Auicenna *cap. 52.* transtulit dicendo; *Et quando occupatur in euacuatione eius, cum solutione ventris, aut phlebotomia, cum labore non tolerat virtus, quomodo enim tolerabit, cùm sit illic cum sua quiete syncopis?* quos etiam sequitur Paulus *lib. 2. cap. 37.* Aetius *tetrab. 2. sermone* 1. aliàs *5. cap. 96.* & Rasis *lib. 16. cap. 2. fol.* 335. & nouiter Massarias, qui oscitanter satis, & tepidè tanti mali medelam scripsit.

Alij authores timiditatis Galenum accusant, quod absolutè aliquo magno auxilio tanti mali medelam tradideric, vt Tralianus, Vega, & Mercatus docent.

Mihi verò res definienda venit iuxta generalia præcepta, sectionem venæ, aut expurgationem suadentia, vel dehortantia. Est commune Galeni præceptum *lib. de sectione venæ, cap.* 13. quod si sint scopi præsentes ad mittendum sanguinem, non desint tanta copia crudorum, quæ sectionem venæ prohibere possit: est etiam notandum malum, quod ex crudorum copia ventriculus, & os eius præsertim experiuntur, & admittunt Galenus, & Auicenna, quod venæ sectionem extremè dehortatur. Tria ergo à medico sunt consideranda. Primum natura succorum crudorum; est enim in eis magna differentia ex parte frigoris, & humiditatis; secundum est ventriculi læsio, & debilitas oris eius, tertium virtutis constantia, non solùm respectu huius temporis, in quo de auxiliis maioribus fit consultatio, sed etiam respectu futuri, & constitutionis totius morbi.

Sit ergo certum, quod vbi os Ventriculi læsum est, & debile, eo quòd in se excrementa cruda imbibat, nullatenus vena secanda sit, augetur enim nimis eius debilitas, & crudorum copia per consequens, & excrementa quæcumque facilius recipit, & minus deinceps concoquit: vnde extemplò linquuntur animo, aut syncope apprehensi pereunt. Est ergo in hoc casu venter primò sollicitandus leuioribus clysteribus, & frequentibus, ne fortioribus commotio magna fiat, & impetuosè

in

in aliquam partem humorea, & excrementa confluunt: & hoc præcipit Auicenna in curatione huius febris,dicendo; *Et modus curationis est euacuatio gradata ex subtili ad fortem, & propriè quando natura non respondet ex se, tunc enim cum clysteribus mundes quod est in intestinis, & venis propinquis eis*, quod consilium imitandum semper est, quòd videatur impossibile, non dari semper in prima regione crudorum copiã dictum præceptum indicantem, nam si crudorum officina putatur, & meritò, ventriculus, nequeunt ad vasa distribui, quin in prima regione sit magna eorum quantitas: dum verò clysteres imperantur, dabitur assiduè oxymel simplex cum syrupo adianthi, rhodosacchato, serapio corticum citri, aut mixta cinnamomi: acetosus simplex, & mulsa ex optimo melle, vt celerius materia præparetur, & statim, leui pharmaco phlegmagogo, quod ex toto non trahat, sed solùm quod iam regionem, & ventriculi lædit,euacuet; nunquam enim ad ferendum huius mali auxilium, in morbi initio vires deficient, nisi planè desperatus sit, sic enim prima regio mundanda est repetitis auxiliis dictis, & roborato interim ventriculo, solctque esse frequentissimum vomere in hac dispositione, detersis, & attenuatis crudis succis, & iuuandus est vomitus, quia maximè confert: estque dignum dubitatione si oppressa prima regione copia crudorum, admittendæ sint assiduæ frictiones à Galeno imperatæ cum resolutoriis, cùm liceat timere crudorum attractionem ad intra, de qua praxi inferius agemus.

Expurgatio hæc leuis quando os ventriculi crudis infarctum est, præterquam quod tollit conditionem sine cuius ablatione non possumus absque periculo excrementis secundæ regionis occurrere, præsertim si vena secanda est, est etiam vtilissima; quia syncopis præcautoria, eo quòd à parte cum qua cor vehementer, & facilè consentit, excrementa educit, & cùm temporibus nostris tam benigna, & secura medicamenta se offerant, non licet timere quod Galenus, & Auicenna docent, præsertim quando crudorum præparatio idonea præcessit: extra dubium enim est, quod si prima regio crudorum copia scateat, omnis alimenti concoctio frustretur, & cacochymia augeatur perennem materiam febri perniciosæ præbens; optimèque notat Mercatus,non esse satis, quod semel huius generis auxilij celebretur, sed hoc quarto quoque die, aut per maiora interualla reiteretur. Præbet mellis rosac. persici ℥.iij. aut mannæ ℥.ii.ß. aut diacatholici ʒ. vj. aut ℥.ß. lactis feminis,ʒ.ii.ß. carthami cum ℥.i. mellis rosati persici: & notat quod si ex motu humoris vereamur caloris extinctionem, theriacæ modicum admisceatur, aut statim à prima motione medicamenti expurgantis propinetur vini odoriferi, & substantiæ tenuis modicum; peccat tamen si theriacæ impropriètatem consideret, enius legitimam probationem Galenus esse docuit, si data theriaca,postea sumatur medicamentum expurgans, & expurgatio nulla sequetur: quod si verum est de medicamentis Galeni temporibus consuetis, maior erit certitudo in nostris pharmacis, quod vis attractoria eorum lenior multò sit Verba Galeni sunt *lib. de theriaca ad Pisonem, cap. 2. Nonnunquam verò & hoc pacto, num adulterata sit experiri conuenit, data prius theriaca, postmodum exhibemus medicinam aluum subducentem, ac si qui assumpsit non purgatur, optimum indicamus antidotum fuisse, quoniam purgari prohibuit eum qui purgantem medicinam assumpserat, atque hac probatio nunquam nos fefellit.* Ex quibus infero sinistrè tanto malo occurrere Roderic. Fonseca *tom. 2. consultationum*: tum quia tentat ventriculi robur ante eductionem excrementorum os ventriculi lædentium, & prius secat venam, mox statim altera die expurgat, *consult. 20. de cardialgia cum febre*; nam irrationabile est, ventriculum astringere, quando de eius euadentibus, aut crudis excrementis imbutum est, & non educere prius excrementa, quàm vena secetur.

Iam verò mundata primâ regione, & ventriculo roborato, de secunda regione indicatio & solicitudo accedit, notando diligenter, si febris ex vitio illius dependeat; nam etsi crudis abundet, potest nihilominus esse putredo in excrementis primæ, sicut econtrà cum copia crudorum in prima regione corrumpitur pituita totus, & non extra vasa; seu in prima regione: id indicabit vrina, & duratio febris, etiamsi prima regio munita sit, sicut & defectus symptomatum ventriculo immundo consentaneorum, vt nausea, vomitus, inappetentia, fœtor excrementorum alui, præsertim si in accessionum initio nullum symptoma ex relatis appareat, sed vitium vrinæ id præcipuè indicare potest. Supposito ergo,quod in secunda regione causa febris contineatur, & iam non in conditio venæ sectionem impediens, magna controuersia est, si tale auxilium imperandum sit: Galenus enim, quem noster Auicenna sequitur, non solùm tale auxilium non consulunt, verum omninò illud dehortantur ob debilem virtutem, cruditatem materiæ, & aptitudinem cadendi in syncopen: & Paulus *lib. 2. cap. 37.* doctrinam Galeni ex *12. method.* transtulit.

Mihi autem videtur hoc dubium ex communibus præceptis, quæ velut prima principia sunt, discutiendum esse; vnde si scopi sint, mittenda est sanguis, quia vt Galenus docuit, præsentibus scopis, non datur tanta crudorum copia, quæ sectionem venæ impedire possit; quod præcipuè sequetur, si oris ventriculi læsio emendata sit, aut non præcesserit; est enim eius vitium vnum ex iis, quæ venæ sectionem vehementer impediunt, quòd in magnum langorem à secta vena incidat, quando à crudis offenditur: ergo si hoc impediens deficiat, secanda vena est, quia malum grauissimum est, & natura copiâ succorum obruitur, & hoc fuit Traliani consilium *lib. 12. cap. 3. fol. 712.* dicendo: *Salubre igitur est quantum ad copiam attinet, euacuationem per sectam venam moliri, eamque rursus iterare, imo non permittere vt humores crudi rursus in corpore redundent, metus enim est, ne vires prostrata humorem crudum nequeant concoquere, & distribuere, satis igitur arbitror, vt euacuationem potius vitemus, sin autem humor vsque adeo superauerit, vt periculum sit, ne vires suffocentur, non absurdum est tum ex copia modicum subtrahere, & grauatas ipsas leuare.* Et inferius scripsit; *Quapropter si vires robusta, & copia quæ offendit, admodum ampla fuerit, in eum modum est agendum; sin imbecilla fuerint, & cruditas multa subsit, frictionibus incumbendum, atque iis quæ sensim extenuare, ac discutere, crudosque humores, & incoctos possunt concoquere, &c.* Hoc auxilium etiam Mercatus consulit, si os ventriculi à crudis immune sit, si vires constent, & vrina rubicundior appareuerit, & malum adhuc molestius affligat: parce tamen sanguis mittendus est, vt ventilationi detur locus, & calor natiuus præ copia suffocatus reaccendatur, vt Tralianus tradit, & ex vtilitate, aut casu virtutis, indicatio ad euacuandum plus, aut ab eo auxilio supersedendum sumatur. In hoc tamen mihi Mercatus non probatur, quod postquam primam regionem mundauit, rursus secundam præparat; & electiuè prius expurgat, quàm sectionem venæ consulat; hoc enim non est perpetuò sequendum, cùm possit esse virtus constans satis ad ferendam sectionem venæ absque expurgatione crudorum; sunt enim expendenda Traliani verba dicentis: *Quapropter si vires robusta, & copia quæ offendit, admodum ampla fuerit, in eum modum est agendum*: vbi eum copia crudorum admodum offendente, sanguinem mittere non veretur, si vires constant; quod etiam Magister noster tradidit, & iuxta mentem Gentilis Galenum, & Auicennam conciliat: hic enim de pituita benigna,

benigna, & sanguini propinqua loquitur cum virium constantia, illi verò de frigidiori cum virium infirmitate; falsum tamen est, quod docet, nempe quod sit communis consensus medicorum, vt transacta accessione syncopali expurgatio imperetur, quia vrgentia tale auxilium indicat, cùm talis consensus communis non sit, nec vrgentia expurgationem magis quàm missionem sanguinis indicet, quin potius copia sanguinis crudi calorem suffocans, & ob suffocationem syncopen causans, venæ sectionem indicat, si vires constant, vt Tralianus docuit, & Galenus notauit 4. *de victu acut. text.* 112. de anasarca loquens. Verba sunt: *Nempe hic solus cum incipit, eget interdum sanguinis detractione, cùm scilicet ex retentione, vel hæmorrhoidis, vel muliebrium, vel ex quapiam, quæ ita plethorica sit, causa inceperit, &c.* Ex cuius loci doctrina Tralianus ausus fuit in syncopali febre ex crudis succis venam secare, cùm maior copia crudorum in anasarca detur, in qua venæ sectionem Galenus admittit, quæ securiùs celebrabitur, si euacuatio sanguinea suppressa præcesserit. Est ergo expectanda crudorum copia in secunda regione, vt expurgatio fiat, nihil enim communius in Galeni doctrina, quàm humores crassos ineptos esse, vt educantur ante coctionem, & nihil plus repugnat idoneæ expurgationi, quàm multa cruditas, vt 1. *aphor. text.* 24. tradidit dicendo; *Nam quicumque multa cruditate laborant, vel qui tenaces, ac crassos cibos absumpserunt, nequaquam sunt apti ad purgationes*; maléque Traliano, & Rasi Mercatus imposuit, quod in hac febre expurgationem consuluerint, vt ex eorum lectione constet eos non legisse. Quæ doctrina sequenda est, dummodo constet pituitam esse sanguini mixtam, & non dari supernatantiam illius; nam in hoc casu sequenda est Mercati, & communis doctrina omnium expurgantium ante sectionem venæ, vt *cap. de quotidiana* docebo.

Sic euacuato corpore, clysteribus assiduis aluus sollicitabitur crudorum eductiuis, vt si parentur ex decocto mercurialium, seminis carthami conquassati, seminis fœniculi, florum chamæmeli, centauræ minoris, cuius decocti sumes ℥. x. serap. solut. ℥. iij. electuarij indi, & benedictæ laxatiuæ ana ʒ. iij. mellis ℥. i. misc. sunt verò iniiciendi clysteres crudorum eductiui, quando prius aluus lenioribus sit defæcata: parari etiam possunt ex iure carnis, in quo flores stæchados, roris marini, anisum, lauri folia, & centaurij minoris incoxerint, colaturæ addatur mellis optimi ℥. i. ß. diaphæniconis ʒ. vj. misc. Est celebre ad expurgationem crassorum, & flatuum resolutionem oleum colocynthidos, vt à Quercetano paratur, & recipit herbarum siccarum rutæ, calamenti, origani, pulegij, ana m. j. seminis dauci, cumini, fœniculi, baccarum lauri ana ℥. i. olei communis lib. ij. vini rubri lib. j. coquantur ad vini consumptionem, & cum oleo sic præparato coquantur pulpæ colocynthidos ℥. ij. digerantur ad ignem, balneis misc. per duodecim horas, deinde bulliant per duas horas donec oleum totam vim colocynthidos attraxerit, deinde exprimantur, & colentur, cuius olei ℥. j. aut ℥. ij. cum iure pingui per aluum iniicitur, cuius vsus præcipuus esse debet, vbi copia crudorum primam regionem, & viscera naturalia infestat, & ad passiones lethargicas, & malum corporis habitum, corpus dispositum est, aut illis opprimitur.

Interius imperanda sunt crudos succos extenuantia, concoquentia, & detergentia, vt syrupi adianthi de duabus, & quinque radicibus cum aceto, bisantinus de stæchade, betonicæ, corticum citri, acetosi simplicis, oxymelis simplicis, cuius debet esse magnus vsus; aut parabitur mulsa ex mente Galeni, in qua hyssopum, pulegium aut origanum, aut radix acori vel incocta fuerint: est verò vtendum sola mulsa in primis

A diebus mali, aut aluus leniatur, iecur tumefactum non sit, deinceps coquantur quæ diximus. Vt verò syrupi ad vasa maiora commodè distribuantur, diluendi sunt decocto radicum apij, petroselini, eringij, seminis fœniculi, dauci, squinanthi, cinnamomi, & hordei integri: semper tamen intensio febris accuratè notabitur, vt calidiora auxilia minus imperentur; frequentius tamen in iis febribus vrget plus indicatio à causa ob lentorem, crassitiem, & copiam, contra quæ medicus egregius directè pugnare debet, nunquam frigida auxilia concessurus absque incidentibus, & extergentibus, & deobstruentibus, & ab infarctu liberantibus. Dixit verò Auicenna in curatione huius mali; *Et ad summum subtiliatio, non calefactio valde*; & si febres non vrgeant, iecur verò, & mesereum, aut ventriculi os succis crudis, & flatibus tensa percipiantur,
B celebre auxilium est oxymel ex acoro, vt à Mathiolo paratur: si verò appareant coctionis signa, etsi non sint omninò perfecta, expurgatio imperari potest, crudi enim, & crassi humores nunquam simul coquuntur perfectè, & sic per interualla purgandi sunt, vt est communis doctrina medicorum; timent enim, & meritò, ne quæ iam concocta sunt putrescant rursus, si totius materiæ coctionem expectemus. Fonseca *tom.* 2. *consult.* 19. alia auxilia tradit, vt elixir vitæ, & quod paratur ex ℥. iiij. oxymelis, & ℥. ij. aquæ vitæ primæ cocturæ, ex quo vnum, vel alterum cochlear per interualla præbet, & aqua vitæ inquit, plus multò confert in hoc malo quàm vinum; & si eam Galenus agnouisset,
C potius illam, quàm vinum præberet, quia in pauca quantitate plus præstat quàm vinum, etsi sit generosum: & quamuis detur inflammatio, danda est aqua vitæ, & vinum, vt docet Saxonia experimento motus, in quo casu sic parat Fonseca: Sacchari dissoluti in aqua ℥. iij. aquæ vitæ primæ cocturæ, & optimæ ℥. i. ß. aquæ ros. ʒ. j. misc. & detur cochlear per interualla, quam aquam vocat aurum potabile pauperum, quia omni syncopi conuenit, est suauissima, & vires optimè instaurat.

Subdit Auicenna: *Et administres in residuo subtiliationem fricatione*, cùm author noster Galenum æmulatus, nec sectionem venæ, nec expurgationem in curatione huius febris admiserit, sed totam spem curationis in materiæ subtiliatione, & frictionibus resoluentibus collocauit, quod fuit Galeni præceptum *cap.* 3. *citato*,
D dicendo: *Incipere statim in principio morbi oportet, ac primum à cruribus supernè deorsum, idque linteis non admodum mollibus, sed asperdinis mediocre quid habentibus, debet enim radi ab iis cutis, cùm simul & calefieri per eam, & digeri ægrotus postulet: dehinc tota brachia ab humeris vsque supernè deorsum simili modo sunt fricanda: vbi verò artus omnes abundè calere videbuntur, & metus fuerit, ne quis ex multitudine frictionis contusa iam carne lassitudinis sensus ipsi superueniat, oleo relaxante vteris, ab astringente verò abstinebis; hyems verò si fuerit, nihilo deterius fit, si ad digerentium aliquod transieris, cuiusmodi sycionium est, aut quod cum chamamelo componitur, vngereque oportet artus, & fricare tunc quoque quamplurimum debebis, postea verò oleum, quia tædium afferat, detergere, atque ad spinam dorsi transire, hanc quo-*
E *que pariter fricare, primum sicca frictione, post oleo, ab hac rursus ad crura te conferes, & ab iis ad brachia, exin denuo ad spinam, ita totum agens diem in domo pura lucis, nec madente, esto eius domus, & calor media temperie.* Hæc Galenus, cuius præceptum Princeps *in præsenti cap.* ad vnguem transtulit, solùm videtur discrimen, quod Galenus dicit, totum diem in frictionibus, & vnctionibus consumendum esse: Auicenna verò dicit; *Et ponatur medietas temporis dormitioni eorum, si possibile est*, de quo inferius dicemus.

Quam praxim Tralianus *loco citato* reprobat, quia & Galeni doctrinæ, & rationi dissonat. Est Galeno dissona, quia exponendo *aphorismum* 16. *lib.* 2. dicentem; vbi

vbi fames laborandum non est, docuit *in comm*: quod sermo aphorismi est communis ad ægros, & sanos; *Sanis* (inquit) *non sunt præcipienda exercitia simul cum cibi abstinentia, nec etiam ægris aliquis vehementior motus adhibendus vnà cum cibi abstinentia, nec sanguinem mittere oportet, nec citare vomitum, nec purgare, nec multa vel frictione, nec in vniuersum aliquo forti motu, vel corporis alteratione, &c.* Quod præceptum Galen. in huius febris curatione irritum facit, cùm tam continuas, & largas frictiones, tum siccas, tum cum oleis laxantibus, & resoluentibus consulat; & cum hoc, præcipiat aliud etiam alimentum dandum non esse in tribus primis diebus præter mulsam: & inferius dicit, *Quod si ita medicatis tres primos dies nihil occurrat incommodum, iisdem ipsis vteris vsque ad septimum, aqua dumtaxat & mulsa in qua incoctum hyssopum sit, contemus.* Hæc Galenus; quæ aphoristicæ sententiæ, & propriæ expositioni planè refragantur, & iis quæ *lib. de vena sect. cap.* 6. docuit.

Secundò, quia corpus tanta copia crudorum onustum, quod nisi vniuersalis euacuatio præcedat, tam assiduè, & fortiter fricare irrationabile videtur; tum quia cruda primæ regionis trahentur ad intra, & obstructiones geminabuntur; tum etiam, quia regio externa ob immoderatam frictionem crudis replebitur, quæ multa copia per illam auocabitur, & cùm sit iam lenta, & crassa, resolui non poterit; nam si ob eas proprietates sunt humores crudi expurgationi inepti, etiamsi per vias capaciores educendi sint, & à valida virtute medicamenti moueantur, qua ratione per poros poterunt excludi? id quidem non videtur possibile, sed rationabilius est, quod spiritus resoluantur & linquantur animo. Audiamus Galenum 4. *de sanitate, cap.* 5. non longè à principio dicentem: *Desectio verò in talibus termina, & erosiones creat, animique deliquia, cum eo quod nec notatu quippiam dignum educit, quandoquidem crudi omnes succi pigri, atque ad motum inepti propter crassitudinem, frigiditatemque sunt.* Qui locus maximè expendendus venit contra Galenum, cum humores crudos in prima regione stabulantes expurgare exhortescat, etsi via per quam deriuandi sunt, tam capax, & ampla agnoscatur; non ergo per poros euacuari poterunt: imò *eodem cap.* vbi crudi succi primam regionem possident, nec venam secare, nec expurgare, nec exercitium, aut motum, aut balneum admittit, & rationem reddit dicendo: *Eadem de causa, nec excitare, nec omninò mouere, sed nec lauare expedit eos, qui in primis venis crudorum copiam habent, siquidem omnes id genus motus succos illos in totum corpus agunt. Seruandi igitur* (inquit) *ij sunt in omni quiete, dandaque ipsis cibus, potio, medicamentaque sunt singula eius generis, quæ attenuent, dissecent, & conficiant succorum crassitudinem, idque citra manifestum calorem; nam qui excalefacti vehementius sunt succi, ij in omnem corporis partem feruntur, &c.* Constat verò quod frictio non aliter resoluat, quàm calefaciendo prius, & per consequens si tam valida est, quod resoluere possit, debeat plus vehementer calefacere. Obstat etiam hæc praxis communi methodo medendi diariis febribus ex obstructione, in quibus 8. *method. c.* 4. nec auxilia detergentia, nec cutis raritatem ante totius inanitionem Galenus admittit.

Ad primum dubium Traliani est communis solutio; quod datur alimentum internum ex quo viuentis nutritio toto eo tempore fieri possit, quod Galenus insinuat huic obiectioni Traliani tacitè respondens. Verba Galeni sunt; *Siquidem longissimma, qui ita affecti sunt cibi abstinentiam ferunt, corpore scilicet ex crudis ipsis, quos continet succis concoquendis alito*; ob quod docuit eodem *cap.* 4. vsque ad septimum diem sola mulsa contentos esse debere, si in tribus primis diebus nullum incommodum cum tali victus parsimonia, æger persensit. Nec huic doctrinæ Galenus opponitur

A *in expositione aphorismi*, quia in eo loquitur de labore corporali. Sic dubium soluit Magister meus *lib. de febribus, fol.* 1071. §. *sed hæc omnia.* Quæ solutio mihi non probatur, cùm constet ex ipsa lectione locutum fuisse simul de ægris, & sanis, & multam frictionem cum cibi abstinentia damnat in ægris; & quòd detur alimentum internum, eo quòd succi crudi in sanguinem verti possint, non potest absolutè admitti, vt antea ex mente Auicennæ notauimus contra Galenum, quia in anasarca, etsi cruda abundet materia, non nutriri ex ea ob defectum agglutinationis docuit, nec omnes crudi succi in sanguinem verti possunt, cùm sint omnes extra ordinem humorum naturalium, excepta pituita naturali, quam in sanguinem verti non B posse Magister meus *in parte naturali* docuit. Vnde iuxta eius mentem si ab ea syncopalis febris crearetur, non esset alimentum internum, neque acida pituita, aut vitrea, idoneum alimentum esse possunt, & in sanguinem verti. Videtur ergo periculosissima Galeni doctrina absolutè prolata, nimirum quòd ex crudis succis corpus sufficienter alatur: & minus multò Auicenna noster potest exponi, cùm expressè doceat, materiam huius febris esse ad nutriendum ineptam, & præcipiat nihilominus tam tenuem rationem victus, qualem Galenus consuluit.

Nos verò in rebus dubiis nulli fidendum esse censemus, sed accuratè omnia inuestiganda esse & melius perindè Authores docerent, quòd tenuis victus imperetur quamdiu cum illo virtus constat, nam ex ipsa vir- C tutis stabilitate duo inferuntur; aut quod succi crudi coquantur, & ex illis æger instauretur; aut saltem quod non resoluatur, & per consequens alimento non egeat. Propterea periculosam putamus Galeni, & Auicennæ praxim sic absolutè imperatam, quam victus rationem melius Rasis instituit dicendo: *Huic verò ægro si cum solam ptisanam sumit, non debilitatur, aliud non est dandum, nisi ipsa, & panis cum hydromelle: si autem debilitatus fuerit, cum cibis quos in febre phlegmatica prædiximus, erit nutriendus.*

Ad secundum multa, quæ non satis bene percipiuntur, Magister noster respondet. Nos dicimus quod in febre à Galeno depicta, sunt viscera nimis obstructa, ob quorum læsionem periculum syncopis datur; per fri- D ctiones verò non trahuntur cruda primæ regionis ad secundam, quando totum corpus succis crudis oppletum est, nec datur occasio tractionis, quia quod insensibiliter euacuatur, tractionis nouæ occasio non est, calor enim resoluens in extimis tantum est, & non extenditur ad intra, vt liquare excrementa intrinseca possit; quod si fortè ad corporis ambitum aliquid attrahatur ex intimis, non leuis vtilitas est, cùm viscera liberiora maneant, & lucrum sit, quod extrinseca, & non interna obstruantur: semper tamen tutum consilium est regionem primam omninò mundare antequam frictiones, & inunctiones tam assiduæ, & longæ imperentur, quicquid Galenus dicat.

Inde patet solutio ad illud quod ex 8. *method.* argue- E batur, & oppottunè soluit Magister meus; nam in illa febre erat malum obstructio internorum, quæ non moderatur cutem detergentibus, cutis verò attracta ad illam plenitudine obstruitur, & malum duplicatur; at in nostra febre minus malum est, quod ambitus corporis obstruatur, si viscera deobstruuntur, vt liceat partes extimas obstruere, si oppressio internorum moderatur, nec casus adductus ex 4. *de sanitate tuenda*, est ad rationem, cùm in sola prima regione supponantur cruda, in nostra verò febre totum, & viscera oppressa supponuntur.

Iis auxiliis insistendum donec materia moderatior, & concocta sit, vt feliciter expurgari possit, notando si aliquid phlegmonosum in ventriculo, aut in hepate detur, nam si detur, non licet propinare medicamenta ex

toto

toto trahentia, sed quæ ex partibus phlegmonosis solùm euacuent, vt in medela iecoris inflammati Galenus docuit; & quia succi crassi vnica expurgatione nequeunt educi, iterandum auxilium est, prius tamen prima regio ab excrementis mundabitur, deinde secunda, tertia verò frictionibus, & oleis resoluentibus inanienda est potius quàm expurgatione, vt fortè oleo chamæmelino, rutaceo, amygdalarum amararum, cum puluere nitri vsti. Est optimum oleum rutaceum, in quo sabinæ ramenta, semen anisi, & fœniculi efferbuerint: sint verò frictiones duriores, & commodæ satis erunt, si cum farina hordei, & orobi fiant.

Rursus medela opportunè perficietur mouentibus lotium, vt decocto radicum apij, fœniculi, petroselini, adianthi, liquiritiæ, dauci, anisi, & seminis milij solis, quod in pituitosis febribus mirè conferre solet: confert etiam decoctum radicum asari, baccarum iuniperi, & fructuum alicacabi, & squinanthi, & spicæ, & radicum graminis, quod semper clarificandum est, & aromatizandum cinnamomo: nec contemnendum auxilium Rasis dicentis: *Ægro quoque omni mane præter supradicta pondus duorum aureorum seminis apij, cum syrupo acetoso est dandum, debet vero subtiliter puluerizari*: & mihi videtur optimum auxilium, & facile. Sunt in officinis syrupi duarum, & quinque radicum, bisantinos, acetosus, diarrhodon, & alij ad mouendam vrinam, qui cum decoctis iamdictis dilui possunt, & debent.

Est verò ventriculi magna habenda solicitudo iuxta passionem illum molestantem, si obstructum solùm sit, aut phlegmonosum aliquod patiatur, quæ si deficiant, roborabitur vnguento optimè à Mercato parato, & recipit olei nardini, & nucis moschatæ, & absinthij ana ℥.ß. carioph. ʒ. j. gallæ muscatæ ℈. ß. ceræ quod satis pro vnguento: est in officinis paratum aliud ventriculum roborans, cor etiam firmabitur butyro naphæ cum pulueribus diamoschi, & diambræ, aut oleo naphæ, & iasminorum cum guttulis vini albi, quorum auxiliorum grandis copia ab authoribus traditur.

Cibandi verò duplex occasio inuenitur: vna quando actuali syncope apprehenduntur, cui occurrendum est statim optimis odoribus, frictionibus extremorum, & tenuissimo, facilique cibo, aut vino generoso, & odoro, accuratè notando, quod deliquium illud, aut syncopis melius tollitur strictionibus, & ligaturis distrahentibus humores ad corporis ambitum, quàm alimento exhibito; contingit enim talis virium casus, quod calor vitalis copia crudorum suffocatur, & inde quicquid replet de nouo, causam deliquij auget; ob id dandum alimentum tenuissimum, calefaciens, & aromaticum. Galenus 1. *ad Glauconem*, c. 14. sic loquitur: *Atqui ex multitudine non ita, verùm in illis artus quamplurimum fricare oportet, calefacere, atque alligare; à vino verò, & cibis abstinendum.* Et idem docuit in iis, qui præ inflammationis magnitudine animo deficiunt, *eodem cap.* dicendo: *Artus eorum fricare, ac calefacere, cruraque ac manus ligare, vigilias imperare, cibum, potúmque intotum circumcidere oportet*: quod de præparatis ad syncopen ob dictas causas verum est. Si tamen iam syncopizent, odoribus optimis, & vini odoriferi potu, in quo grana sex moschi, aut ambræ dissoluta sint, reuocandi sunt; tales enim non cadunt ita in syncopen ob spirituum defectum, quàm ob oppressionem eorum, & densitatem à compressione succorum contractam, quod vitium, nec alimentum, nec vinum emendant, sed retractio potius humorum ex internis, vbi comprimunt, ad extima. Sunt itaque spiritus in corpore, sed quia densati, non influunt; quod respiciens doctissimè Hippocrates 4. *de victu acut. text.* 24. in deliquiis, & in syncope à plenitudine ortis, venam statim secare præcipit, vt ex Galeni expositione perspicuum est: quo fit ve minus secutum videatur mihi Auicennæ præceptum dicentis: *Et cùm videris eum incipere debilitari, & cadere subitò, ciba cum pane infuso in vino commixto, si non prohibet apostema in visceribus; nam nec panis sine magno labore deglutitur, & difficilè coquitur, & multum granat, tardéque distribuitur.* Hippocrates autem *lib. de alimento* dixit: *Quicumque indigent citissima adiectione, humidum remedium ad recuperandas vires optimum est; vbi autem adhuc celeriore opus est, odoratum.* Et 2. *aphor. text.* 11. scripsit: *Facilius est impleri potu, quàm cibus.* Constat verò quod actuali syncope oppressi indigent adiectione citissima & per consequens non panis, sed odorata, & liquida debent offerri: creditur etiam, quod fumus ex charabe inspiratus deliquiis cordis, & cerebri auxiliatur.

Alia occasio cibandi datur in ordine ad totam febris constitutionem, de qua ex mente Galeni dicere cœperamus, qui tribus primis diebus solam mulsam admittit, & si nullum incommodum sequatur, vsque ad septimum in eodem cibo persistendum esse docet; quia, vt dixi, ex ipsa virtutis constantia infertur, aut quod æger non resoluatur, aut quod ex crudis alatur, & sic in tenuitate cibi manendum est, quia inedia ad crudorum coctionem, & resolutionem vehementer conducit; quia vt Hippocrates docuit *aphorism.* 59. *Corporibus carnes habentibus humidas, famem adhibere conuenit*; fames enim corpora siccat: & Galenus 1. *ad Glauconem, cap.* 10 duo docuit: Primum, quod inediæ ad concoctionem morbi conferunt. Secundum, quod in materia ad coctionem contumaci inediæ conferunt; vnde si succi crudi coquuntur difficilè, & corpus exsiccati exposcit, inedia quandiu vires constent, imperanda, præcipuè quod corpora crudis repleta difficilè resoluuntur, quod Galenus *in expositione aphor. cit.* notauit dicendo; *Quæ enim in latibulis iacent animalia, vt quæ nec extrinsecus calefiant, & nec intrinsecus vel nihil, vel parum dissoluuntur, atque ideò nonnulla eorum non egent alimento, nonnulla verò paucissimo omnino.* Quod si dicas id in febrientibus euenire non posse, cùm per totum corpus præternaturaliter calefiant, apertè Hippocrati refragaris 2. *aphor. text.* 28. dicenti; *Febricitantium non omnino leuiter permanere corpus, & nihil minui, vel etiam plusquam ratio expostulat, contabescere, malum; illud enim morbi longitudinem, hoc verò imbecillitatem significat.* Vbi clarè docet, cum febre non omninò leui corpus nihil minui, morbi longi esse signum: quod etiam docuit 2. *epid. sect.* 6. *text.* 10. dicendo; *Si venæ enim manibus pulsent, & facies rectè valet, & hypochondria non sint mollia, diuturnus morbus fit, &c.* vbi ex facici immutatione longum morbum præsagit. Quam doctrinam Princeps noster transtulit *f.* 1. *lib.* 4. *text.* 1. *cap.* 4. ad significandam distantiam summi vigoris in febribus putridis: vnde si imperata inedia virtus exsoluatur, cibo crassiori occurrendum est, quod sine magno ægri incommodo non fiet; quia vt dixit Auicenna *cap.* 52. additur in materia aggrauante, & si non cibatur, cadit virtus. Rasis verò vt diximus, dixit; *Huic verò ægro, si cùm solam ptisanam sumit, non debilitatur, aliud non est dandum, nisi & ipsa, & panis cum hydromelle.* Et noster Auicenna *cap.* 58. docuit iis verbis: *Cibus autem super quem sit dormitio, est aqua hordei, super quam non addatur, nisi cùm cadit virtus.* Nos verò loco istorum iuribus auium optimi nutrimenti cum multo petroselino, ciceribus, croco, & cinnamomo paratis non ineptè vtemur. Est optima caro perdicum, quòd sit minus humida, sicut & columbarum agrestium ob eandem rationem, & quia nitrosa est, & extergens: pulli verò si concedantur, assi potius, quam elixi propinentur ob superfluam humiditatem; ptisana verò si datur, præparari debet cum semine anisi, fœniculi radicibus, petroselino, & cinnamomo, & sacchato.

Potus paratur ex aqua cum cinnamomo, vel saxifraga indica decocta; est verò singularis, si cum ramentis ex ligno aloë coquatur, vbi ventriculus languet,

aut

aut iecur, estque cardiaca; optima est etiam cum corticibus citri parata, aut cariophyllis cum modico ambræ, parcus tamen semper erit potus; vinum in morbi initio suspectum habetur, ne in partem principem aut internam aliquam humores à vino exagitati impetuosè moueantur, & plus suffocent, aut inflammatio excitetur: quia verò in hac febre viribus nimis timemos, vinum conceditur, quod & noster Princeps docet dicendo; *Et vinum aquosum confertur eis in principio, & propriè si fuerint febres eorum fortes, & rarò fiunt, & rarò in senibus, & necessarium est eis vinum post cibum.* Galenus 12. *method. cap.* 5. *ad finem* sic loquitur: *His, & aquosum vinum idoneum ab initio est statim, si tamen vehementer non febricitent, quod haud sanè frequenter in hoc affectu fieri assolet; magis etiam, si qui laborant, senes sint.* Vbi notabitis quod in translatione, quam sequuntur Gentilis, & Iacobus, dicitur; *Et propriè si fuerint febres eorum sanguinea*; in *lib.* verò in quo omnes authores febrium collecti sunt, non legitur *si fuerint febres eorum sanguinea*, sed sic legitur: *Et propriè si fuerint febres eorum fortes, & rarò fiunt, & rarò in senibus.* Quæ translatio optima est, & Galeno consona, nec sensus est, quod vinum propriè conueniat, si fuerint febres fortes, sed quod si sint fortes, sit dandum vinum aquosum, quod à Græcis oligophorum dicitur, & parum à viribus aquæ distare Galenos docuit, & caput non tentat: quam lectionem, vt veriorem sequuntur Musa, & Bellunensis, & non est dubium, quod indicatio à viribus in hoc malo semper sit magna, & omni arte syncopis debet præcaueri. Est verò intelligenda Galeni, & Auicennæ doctrina, quando sic affecti syncope non sunt oppressi, nam si syncopizent, non conuenit vinum aquosum, nec crassum, sed quod mediæ naturæ est, & sic tollitur apparens Galeni contradictio: quia vt vidimus, vinum aquosum statim ab initio commendauit, post verò *cap.* 4. sic loquitur; *Ergo quibus ex abundantia crudorum humorum syncopis incidit, iis crassa vina cum noxia, aquosa cum parum efficacia sunt fugienda, deligenda verò eorum sunt media, quæque vt dictum est flaua sint, & calida.* Loquitur itaque de actuali syncope, in qua celeriori, & maiori spirituum restauratione est opus, quam vinum aquosum non præstat, sed quod mediæ est naturæ: quod clarius etiam docuit *eodem cap.* 4. inferius dicendo: *In penuria verò vini, quod accommodum vtrique syncopi sit, ei inquam, quæ ex multitudine crudi succi oritur, & ei quæ ex bile incidit, coactus prorsus vino vti, fugere (vt prædiximus) oportebit omnia tum austera, tum noua, itemque crassa, deligere verò aquosa, magisque si sint antiqua; talia enim, etsi non vehementer calefaciant, facilè tamen in omne corpus deducuntur.* En quomodo dicit, quod coactus vtebatur vino aquoso in actuali syncope; ergo quando illud commendat, est extra syncopen; potus verò nunquam frigidus concedendus est, nisi æstate, & vbi frigidi potus nimia præcesserit consuetudo, quod noster author sic præcipit: *Et in hyeme oportet, vt non sumat illam, scilicet aquam in potu penitus, & sit contentus aqua calida, & assumere calidum ex potibus est melius nisi apud necessitatem æstatis, & vehementiam caloris plurimi, & conuenientius quo potantur ad sitim est syrupus mellinus*, hoc est oxymel simplex, vt Iacobus notat; quæ omnia ex Galeno Auicenna retulit.

De somno, & vigilia solicitudo magna esse debet, quia vtrisque debito ordine vehementer egemus; somnus enim concoquit, & vires instaurat, vigiliæ resoluunt cruda, & contra internam suffocationem egregiè pugnant. Galenus *cap.* 3. *citato* sic loquitur: *At verò nec vberior somnus iis est salutaris, cùm nec crudos succos digeri sinat, & viscera grauiora reddat, sed si quis alius affectus est, qui somnum, & vigi-*

A *lias medicas desideret, hic profectò in iis est, quippe somnus concoquit, vigilia digerunt.*

Dubitabitis meritò, qua ratione in somno & vigilia possit seruari mediocritas, quia si mediocris somnus dicitur, quia minor esse debeat, quàm benè valentibus debeatur, non poterit esse vigilia mediocris, sed magna, & maior quàm temperato corpori debeatur. Auicenna dixit; *Et ponatur medietas temporis eorum dormitioni, & medietas temporis eorum frictioni si possibile est.* Vbi insinuat, & somnum, & vigilias æquales esse debere, vt æger dormiat duodecim horas, si possibile est, & alias duodecim vigilando absumat; nam quando fricatur non licet dormire, quia frictio sine frustratur; impeditur enim resolutio, & conuocatio succorum ad extra.

B Quæ doctrina vt benè notauit Herculanus *in expositione huius cap.* non potest docere quod duodecim horæ continuæ in somno absumantur; periculum enim esset suffocationis caloris: nec duodecim horis fricari, si continuè fiat, tolerabile est, ob immoderatam resolutionem, & lassitudinem ex carnis contusione, essetque periculum syncopis, si tanto tempore frictiones duriores absque alimenti sumptione celebrarentur. Et certè textus authoris difficilis est, quia nullum tempus cibationi idoneum derelinquit; nam absumpto cibo fricare perniciosum esset, ob intempestiuam alimenti distributionem, & quia calor ad extra reuocatur, & sic infelix coctio fieret, dormire verò statim à cibo, non licet ob repletionem crudorum, &

C quia oppressio internorum augetur cibo, & retrocessu humorum ad intra.

Nos verò nostrum authorem intelligimus, quod ex tempore idoneo auxiliorum applicationi medietas in frictione absumatur, & alia medietas in somni conciliatione, & ita hoc non intelligendum est, quod totum tempus frictionis debeat continuè fieri, sed certo tempore fricandus est æger, deinde dormire debet, rursus fricari, & rursus dormire, vt inter vtrumque mutua vicissitudo detur: vt si somnus spatio trium, aut quatuor horarum permittatur, deinde per idem spatium rursus dormiat, donec tempus idoneum cibandi adueniat, à cuius coctione fricatio sequitur, vt alimentum distribuatur, & quod halituosum eleuatum est discutiatur, nisi alimentum sit nimis tenue,

D vt mulsa, aut aqua hordei; post hos enim cibos statim dormire, nullius incommodi erit: ob quod dixit noster author; *Cibus autem super quem sit dormitio est aqua hordei, supra quam non addatur nisi cùm cadit virtus.* Sic intelligitur, qua ratione medietas temporis in somno, & medietas in fricatione sit proportionanda: & quod somnus, & vigilia debeant esse moderata, vt Galenus præcepit, id est, nunquam semel, & continuè multum dormiat æger, nec vigilet, sed moderatè dormiat, & vigilet rursus moderatè: quod insinuauit Galenus *cap.* 3. *citato* dicendo; *Ergo inuicem mediocriter adhibiti, iuuare se mutuò vtiliter possunt, quia quod somnus concoquit, vigilare resoluit*: hac ergo moderatione temperanda sunt hæc duo, notando quod somnus concoquit magis quæ sunt in internis, vigilia

E quæ in externis, vt meritò dicas, per somnum quæ corporis extima possident incrudantur, & per vigilias coquuntur felicius, & èconitra. Ratio est clara, cùm calor vitalis per somnum ad intra retractus extrinseca derelinquat, in vigiliis verò contrarium euenit.

Tandem Auicenna balneum vituperat. *Balneum (inquit) est his nocentissimum, & calidum, & frigidum valdè ex aere.* Est Galeni doctrina *cap.* 3. *citato* dicentis; *Sanè aduersissima propositis sunt, tum balneum, tum aer ambiens, quoties vel nimium calidus, vel frigidus est; lædunur namque non parum ab vtroque excessu, videlicet in balneo, æstate, & omni caloris incremento, liquatis crudis humoribus, ac per omnes corporis partes*

fluentibus, vt metuendum sit, ne ad pulmones, & cor ferantur; aliquando etiam, ne ad cerebrum subeant, cum longè prestet, vt circa secur, & primas venas adhuc ipsis subsistant: in domo verò immodice frigida, & hyeme, & denique ambiente frigido, succi qui crudi sunt, & inepti ad coctionem manent, & secinoris obstructiones, si leues sunt, augent, si nulla sunt, eas crassitudine sua herentes, impactique creant. Quam sententiam integram Auicenna transcripsit: *Cum calido* (inquit) *non sit securitas decursu humorum ad pulmonem, & ad cor, & ad cerebrum, & frigidum prohibet digestionem eius, & addit in oppilatione eius.*

Vsu assiduo mulsæ huic febri Zacutus auxiliatur *lib.3. obseru.23.* & nullo modo sectionem venæ admittit, quia putat vires deesse sub tanta copia crudorum, & læsione ventriculi, huic febri tam affini; mulsa enim multipliciter confert, quia cruda concoquit, lenta detergit, aluum solicitat suauissimè, meatus recludit, frigidos neruos, & frigidos succos contemperat, lotium mouet, alimentumque est.

QVÆSTIO X.

De febre perniciosa ob aliquod accidens superueniens.

A Calore febris quæ ex se perniciosa non est, solent excrementa commoueri, aut eliquari, & impetum capere in partem nobilem, aut aliud graue accidens suscitare, ratione cuius periculosa, & grauis ea febris redditur. Est primus modus, quando cerebrum crudis repletum, id quod calor ex crudis eliquat, in se detinet, & sopore opprimitur, vel quod eliquatur, ad inferiora detrudit, & pondere etiam præcipitatur, & in laryngé imbibitur cum certo suffocationis periculo, vel per asperam arteriam delabitur, & eam replendo asthmaticam accessionem commouet, aut catarrhum, aut ad pleuram, & musculos intercostales transmissum, dolore, tussi, & difficili respiratione excruciat, & si ad septum moueatur, similia accidentia, sed cum maiori periculo causat. Idem eueniet, si in ipsis partibus excrementa prius genita eliquentur, & commoueantur: quod præcipuè eueniet in thorace, & pulmonibus, aut in vtero; hæ enim partes ex lege naturæ excrementis semper ferè scatent, quæ eliquata, aut agitata, aut corrupta, vel in flatus mutata, grauissimè molestare solent. Eodem modo si articuli debiles sint, excrementa eliquata recipient, & dolore graui, & assiduo lancinant; sic ex liene flatus eleuati, cor obsidere solent, & difficilem anhelitum, anxietatem, & palpitationem, vel deliquia, aut syncopen suscitare. Idem de colico dolore dictum putabitis, & de quavis alia parte, cuius accidentia periculosa esse queant. Iam verò diximus, qualiter hæc pernicies ab ea, quæ ex partis principatu emanat, discriminetur; nam quæ huius capitis est, non pendet ex motu determinato humoris ad illam, vt in alia contingit, sed ex effectu per accidens, & secundariò, eliquatione nimirum crudorum nouam læsionem inducentium in parte distincta à foco; vnde non in principio accessionum ea læsio superuenire consueuit, sed in augmento, & vigore, quòd in iis temporibus calor eliquans potentior, & maior sit, secus quàm in alia specie contingit, quæ in principio accidentia periculosa inducit: à principio enim incipit causa partem principem efficere, quia in eam determinatè mouetur, estque eadem materia febris, & accidentium; in alia verò distincta omninò est, qua imminente periculum inducit ab ea quæ morbum febrilem creat.

Signis cuicumque parti debitis pars in quam fluunt humores agnoscenda est, quod facilius multò assequimur, quàm partem transmittentem inuestigare; hæc enim accuratè inquirenda est, si periculo citius occurrere cupimus; periculum verò maius succrescet, vt fuerit dignitas partis patientis per consensum, augetúrque periculum, si in remissione, aut intermissione febris accidentia non euanuerint: id enim eueniet quando multa, aut crassa materia fuerit, aut pars consentiens debilis satis, polliceturque ne continua fiat passio, & assiduè molestans occidat. Est verò periculosissimum accidens respiratio difficilis, eo quòd febris liberrimum, & multum aërem vt temperetur, requirat; proinde omnes fluxiones in thoracem periculosæ putandæ, & perniciosæ magis si septum obsederint: grauissimæ etiam esse consueuerunt accessiones hystericæ, quæ verò passiones inde oriuntur, omnibus citiùs occidunt.

Curatio varia est, vt discors esse potest accidentium superuenientium natura; tradere verò methodum curatiuam omnium passionum quæ superuenire possunt, extra institutum est, longior enim tractatio nostra fieret, & ex propriis capitibus accipi debet; vt si soporosa passio superueniat, ad *cap. de lethargo aut caro* recurrendum, si catarrhus suffocatiuus, aut accessio asthmatica periculosa, ex eisdem capitibus medela accipi debet, & sic de reliquis passionibus possibilibus. Illud verò notandum, quod quando vrgent mala superuenientia, possunt non dubiè curationem primi mali peruertere, vt si in vigore tertianæ exquisitæ accessio asthmatica vrgeret, non esset licitum frigidam aquam, quam vigor tertianæ exposcit, præbere, ne suffocetur æger; licet verò expectorantia imperare, quæ vigor accessionis recusat. Sic cucurbitulæ cum multa flamma brachiis sub cephalica, ad cohibendum humorum præcipitium conuenient, etsi febris incendium intendant: quod si suffocatio vrgeat, aut mittere sanguinem, aut cucurbitas scarificare licet, quamvis in augmento, aut vigore accessionis vrgentia eueniat: idem putandum de omni alio auxilio reuulsorio, aut euacuatorio. Quod si instans suffocatio in parte thoraci correspondente cucurbitas scarificare coëgerit, timere oportet, ne maior attractio fiat, præsertim si circa augmentum accessionis impetus fluxionis tam grandis sit; est enim maior in vigore timendus, ob quod omni auxilio detinenda materia est, ne inferius præcipitetur; id fiet dolorosis ligaturis brachiis impositis, & cucurbitis etiam cum asperioribus frictionibus à medio thoracis versus superna: per nares etiam fluxio deriuabitur, & si opus fuerit causticis post aures, & emplastro de tapsia syncipiti apposito, aut eiusdem syncipitis duriori fricatione, & cucurbitarum reiteratio fiet bis singulis horis si opus fuerit; & idem obseruabitur in quavis alia parte, si ex cerebro materia eliquetur. Notat tamen Mercatus, quod si dolor lateralis superueniat, cucurbitulis brachiis affixis cohibeatur fluxus, latus verò sacculis ex millio, furfure, sale, & chamemalo foueatur, iis resoluitur humor, & non laxatur pars, vt promptius recipiat, quod olea facient, vt notauit Mercatus. Quæ praxis dubia mihi est, nam etsi dictis sacculis latus non laxetur, trahitur tamen calore sicco materia ferocius, nec partis laxitas maiorem fluxum concitare potest, imò anodina propria, vt dolorem moderentur, sic fluxionem coërcent; à dolore enim magnopere promouetur; securius proinde censeo anodinis dolorem demulcere, quæ etiam cutem emolliunt, & laxant, vt extra recipiatur materia; sacculi verò eam siccant, robustamque reddunt, & inde interius fluxio manebit.

In doloribus articulorum, frigida & calida renuit Mercatus; hæc quia trahunt, illa ne in membra princi-

palia

palia materiam repellant, proinde blandioribus auxiliis cruciatus demulcer, velut si hæc articulos non effœminarent, vt melius fluxionem imbibant: est mihi auxilium familiare semen psilij recens in aqua maceratæ, cuius remanens mucago mirè dolorem mitigat, & articulos roborat ea illitos, aut idem semen coquitur in aqua ad viscositatem, & per linteum extrahitur viscositas, & semen reiicitur, viscositati colatæ adde ceræ æqualem partem, olei communis partem duplicem, liquefiant lento igne semper ea agitando, & deinde in pila diutius conterantur, diuinum auxilium esse dicit Montagn. aut sumantur tenera folia sambuci, & plantaginis, & cum axungia suilla pistentur optimè, quod vt præsentaneum Matthiolus tradit. Galenus verò ex Andromacho fœnugræcum in aceto coquit donec dissoluatur, deinde addatur mel, quod sufficiat, & coquatur rursus, & teratur, vt fiat cataplasma, & fasciis ligetur, mirabetis effectum si per triduum fiat, aut in lacte communi radices exsiccatæ althææ coquuntur, quo dolentes articuli balneantur, sed vbi morbi gallici suspicio habetur, singulare anodinum est emplastrum de Vigo cum mercurio; est etiam præsentaneum auxilium teste Mizaldo succus crudus brassicæ cum farina fœnugræci articulis applicitus.

Si accessio hysterica superueniat, ex proprio capite petenda auxilia; quod verò mihi magni fuit nominis post multa auxilia in relata ægrotante tentata, sed frustra, fuit auxilium quod ex aqua melissæ paratur, sic sumitur frustum caphuræ, & accenditur in lucerna, quod ardens pluries in ℥.iiij. aquæ melissæ extinguitur, & bibitur aqua magno successu, sit frustum vt duæ nuces auellanæ, quod in Schenckij obseruationibus legi: post verò idem auxilium scripsit Heurnius 2. *lib. method. fol.* 163. ad praxim dicendo: *Si aqua cyathus in qua caphura quantitas nucis auellana accensa conflagrarit, detur hystericis, statim liberantur, bardena maioris folia plantis pedum alligata vterum deorsum trahunt.* Vt verò præcaueatur accessio, vt mirabile tradit Matthiolus *cap.*176.*lib.*41. quod brionia in vino albo coquatur: sumatur radicis brioniæ ℥.j. vini albi ℥.xij. & vini sumantur ℥.ij. quando somnus conciliatur, potest maiori commodo in aqua melissæ concoqui; vinum enim hystericam passionem suscitare multi putant, aut quia odoriferum, aut quia flatuosum: agimus verò de hysterica passione, prout excrementa vteri à calore febrili commouentur, aut corrumpuntur, vel alio modo prauitatem suam ostendunt, nam quatenus humor accessionem facturus, in vterum reiicitur, ad caput aliud pertinet, in quo *de motu humoris ad principem* egimus; nam ibi non sumitur pars princeps in rigore, vt dicit partem influentem aliquid ad vitam simpliciter necessarium, sed comprehenditur etiam quælibet pars, ex cuius læsione vitæ periculum emanare potest.

In die intermissionis, aut remissionis, pars ex qua excrementa liquantur, aut in qua commouentur, diligenter inquiretur, & si accidens quod superuenit graue sit, parti illi accuratè occurrendum, vt deoneretur quantum possibile fuerit, sine sanguinis missione ex vena directè illam inaniente, siue alio auxiliorum genere, vt vterus pessariis, oleis resoluentibus, & exsiccantibus excrementa, aut secta vena ex talo si plenitudo eius detur, aut menstrua euacuatio, vel lochia suppressa præcesserint, petitque hæc sors febrium celeriorem medelam febris, ob vrgentiam accidentium superuenientium; quod si malum prædicta accidentia inducens in die remissionis, aut intermissionis non cessat omninò, ei celeriter occurrendum etiam est iuxta mali naturam, ne proprius & stabilis fiat, & pars recipiens roboranda, si princeps sit; articuli verò firmandi non sunt, ne materia in partes nobiliores reiiciatur. Decet verò considerare grauitatem mali superuenientis, quod si tolerabilis sit, & in die quietis eua-

A nuerit, leuioribus auxiliis moderabitur, & medelæ primi mali innitendum magis: econtrà verò fiet si malum secundum exitiale appareat; ita tamen medela vnius tentabitur, quod aliud non negligatur, ne ob contemptum deterius reddatur, & exitiosum, vt aliud fiat. Hoc itaque caput non describitur, vt exquisita omnium malorum possibilium, & superuenientium medela tradatur, sed vt occasio eorum animaduertatur, quod vt decet non assequentur, qui Philosophi magni non sunt, cùm nisi illi effectus secundarius, & accidentales, qui in arte medica innumeri sunt, a primariis discernere sciant.

B

QVÆSTIO II.

De febre Epiala.

PEr inæqualem intemperiem duæ aliæ febres constituuntur, grauissimæ quidem, & periculosæ, eo quòd contrariis passionibus ægri afficiantur: sunt verò huiusmodi febres, quæ ab authoribus epiala, & lypiria dicuntur, quarum mentionem fecit Galenus *lib. de inaquali intemperie*, & aliis in locis: noster verò Auicenna *fol.*1. *lib.*4. *tract.*2. *cap.*50. & 51. vbi *in cap.*59. hic titulus inuenitur, *de febre in qua occultatur frigus, & apparet in ea calor, & nominatur epiala*, quasi diceret; Epiala febris constituitur per inæqualem C corporis intemperiem, vt calor extrinsecus sit, frigus verò in internis: habet itaque iuxta mentem Auicennæ modum contrarium lædendi ab eo, quam in lypiria Galenus, & omnes authores admittunt, in qua interna vruntur, extrinseca verò algent, in Epiala verò econtrà extrinseca febricitant, algent interna, in quo modo explicandi epialam habuit Auicenna non dubiè mentem omninò à Galeno diuersam, vt postea constabit; & quamvis facillimè possit intelligi, qua ratione extrinseca caleant, interna verò frigeant, si humorem putridum in externis admittamus, vitream verò, aut acidam pituitam in internis; tamen noster author singularem, & difficilem simul philosophandi modum, vt suam mentem aperiat, adduxit. Verba sunt: *Et febris ista fit in phlegmate vitreo, sed est com-* D *prehensum in occulto, & profundo, quod infrigidatur vbi est, verùm ipsi accidit iam putredo, quare spargitur vapor eius, ex eo quod computruit, & dispergitur, & inflammatur in exterioribus, & illud quod non est putrefactum infrigidatur in interioribus.* Sic habet littera Gentilis. Verùm clarius traditur in translatione Andreæ Bellunensis sic: *Hac febris fit ex phlegmate vitreo comprehenso in occulto, & profundo, quod infrigidat locum vbi est, verùm ipsi accidit iam putredo, quare spargitur ex eo vapor eius, quod putrefit, & dispartitur, & inflammat in exterioribus.* Vbi notabitis, quod in opinione authoris est necessarium, vt in qualibet accessione sentiatur intensior frigiditas, & morbosa in interioribus partibus: putat ergo author, quod E pituita vitrea, quæ omnium specierum eius frigidissima est, iuxta mentem Galeni in partibus internis stabuletur, & infrigidet locos quos pertingit: verùm cùm accidit, & putredo spargitur, vapor putridus, & expulsus ad partes externas eas alterat calore febrili; quia verò non putrefit tota pituita interius habitans, infrigidantur interna à portione non putrida, & sic suam epialam Auicenna statuit.

Hæc doctrina magnas difficultates patitur. Sit prima, quod cùm id quod eleuatur à pituita intus existente, debeat putrefieri à causa potentissima (nam hæc sola est quæ tam frigidum humorem putrefacere potest) & hæc semper in internis esse debeat,

nunquam interna manebunt frigidiora quam antea, & per consequens non sentiet æger frigus de nouo in internis, quod est necessarium vt noua accessio febrilis molestet, nam vt in noua accessione est necessarium quod nouus calor molestet, sic & nouum frigus, & intensius quàm antea: id verò videtur impossibile, si pituitæ vitreæ, vt nouam accessionem causet, agens calidum putrefaciens de nouo applicari debet.

Secundò vrgentius argumentor, hæc febris in doctrina Auicennæ est periodica, vt ex vltimis verbis capitis patet: ergo agens putrefaciens semper debet esse præsens materiæ ex qua noua accessio ventura est: ergo nunquam datur occasio in hac febre, vt interna frigidiora percipiantur quàm antequam febris inciperet. Tertiò quod eleuatur calidum ex putredine pituitæ, prius afficit partes internas quàm externas, quia B in internis fit eius generatio; ergo implicat, quod interna non sint calida præter naturam semper quod externa febricitant; nam similis causa easdem partes communiter afficit; nam vt in externis manet quod eleuatur, sic in internis fit perennis eiusdem generatio, vt in internis calor seruetur. Quartò, quia ex omni febre pituitosa, cuius causa in internis existat, dabitur febris epiala, quia quod putrefit, eleuatur, & distribuitur per ambitum corporis; & quod non putrefit, infrigidat interna necessariò; aut reddenda ratio disparitatis, quæ nulla est. Quintò quia si interna sunt frigida, non erit possibilis febris constans, quia cor, & viscera contraria passione laborant, frigore scilicet præternaturali. Tandem quia vapor calidus qui eleuatur, distribui debet per totum, & non solùm per partes externas. Constat, quia in C omni alia febre ita contingit, & per consequens totum laborabit calore præter naturam: id verò esse ita indicat pulsus, qui in partibus omnibus maior apparet, & si cor debet calefieri præter naturam, vt datur febris, necesse est quod per totum distribuatur, vt distribuitur calor influens; vnde fiet, quod omnes partes magis, quàm antea calefiunt, & non sit occasio in accessionibus, vt nouum frigus in internis sentiatur.

Achilles harum difficultatum esse videtur, qua ratione si materia frigida incipit putrefieri, possit esse noua, & maior perceptio frigoris in ipsa accessione: quod dubium Princeps obsecit, & sequentibus verbis solutionem insinuat; *Et eius quidem non fuit apparens in huiusmodi tempore, quoniam fuit quietum, consuetum, & patitur ab eo id quod occurrit ei. Cùm ergo incipit in eo putredo, mouetur, & spargitur sparsione quadam, quamuis non perueniat ad hoc, vt communicet toti corpori.* D Alia Gentilis translatio sic habet: *Et eius quidem frigus non apparet in huiusmodi tempore, quoniam est quietum, & associatur ei, & non patitur ab eo quod occurrit ei; postquam ergo incipit in eo putredo, mouetur, & infrigidatur frigidatione quadam, quamvis non perueniat ad hoc vt communicet toti corpori.* Quasi diceret, quod ante accessionem, & putredinem eius portionis accessionem facturæ non sentiebatur eius frigiditas, quia humor ille erat quietus, & velut consutus iam partibus: quando autem iam putredo incipit, mouetur, & sic infrigidat, licet non tam extensè, quod totum corpus infrigidet, sed partes internas solùm, ad quas de nouo applicatur; & inde in E accessione frigus de nouo in internis percipitur, & calor extrinsecè, quia ad extra quod putrescit, pellitur: ex quibus constat, quod author loquatur planè de motu locali humoris.

Ex cuius doctrina duæ occurrunt dubitationes. Prima à quo moueatur illa portio, quæ infrigidat: Secunda, quid impediat, quod partes quibus antea erat applicata portio pituitæ, non sentiant eius intensam frigiditatem, cùm sit idem obiectum, & species quas produxit semel, possit perpetuò seruare. Multa circa huius textus explicationem expositores Auicennæ dixerunt, non minus difficilia quàm textus. Est verò sciendum, quod author noster occurrit dubitationi magnæ à nobis propositæ, qua nimirum ratione in accessionibus nouum frigus sentiatur, quod antea non percipiebatur: & fortè intelligendus est, non de frigore absolutè, sed de illo maiori, & nouo, quod in accessionibus debet sentiri: itaque fortasse non negat author, quod pars illa, in qua antea pituita continebatur, non sentiebat frigus aliquod, sed quod non sentiat tantum, quantum modò quando accessio incipit; & rationem reddendo dicit, quod causa non sentiendi tantam frigiditatem erat quies humoris in parte, postea verò quando mouetur, maiorem frigiditatem producit. Potest verò adduci prima ratio cur in parte in qua diutius pituita remansit, non sentiatur tanta frigiditas, nempe effectus secundarius, qui à frigiditate producitur; inducit enim densando stuporem quendam, quia influxum ad sentiendum requisitum densitas impedit, vnde quando de nouo aliis partibus applicatur, frigus eius intensius sentiunt, quia prius producitur frigus intensum, quàm densitas influxum ad sentiendum auferens. Secunda ratio est, quod pituita diutius partibus adhærens, non potest non esse nimis à calore alterata; nam cùm partem obstruat, & magnam copiam fuliginum intra se contineat, easque includat, quia quieta, & adhærens, frigus illius remissum satis est; commota verò ea euolat fuliginosum illud, quod intra se, & iuxta se continebat, & sic reducitur ad maiorem intensionem frigoris; pars etiam cui erat diutius applicata, ob easdem fuligines detentas calidior erat, & frigori pituitæ magis resistebat: quod in parte cui de nouo applicatur, non inuenitur, & sic magis à frigore patitur; & cùm calefactio præcipuè fieri debeat in superficie quæ est parti viuenti proximior, quando mouetur, & aliæ parti applicatur, non applicatur per illam superficiem prius, & magis calefactam, sed per alias frigidiores, & sic maius frigus sentitur à parte cui denuo applicatur.

Est alia ratio philosophica, quam insinuat Magister meus *lib. de febr. fol.* 1025. §. *quæri potest*: dicit enim, quod calor, aut frigus, quod est organo inhærens non sentitur: vnde necesse est, quod nec frigiditas in parte producta sentiatur; & cùm tactus semper debeat percipere excedentes qualitates, quando iam causa aliarum nimis fuit applicata, assimilabit sibi passum, & cùm æqualis ferè intensio fit in tactus organo intensioni existenti in pituita alterante, non est quod sentiatur: quia nullus ferè est excessus inter pituitam & organum tactus, & consequenter dixit, quod quamvis obiectum illud organum alterauerit, & totius qualitatis productæ in illo etiam speciem produxerit, tamen ad proportionem, qua organum assimilatur realiter, corrumpitur species repræsentans qualitatem organo inhærentem, & sic tandem cessat sensatio obiecti, quando per multum tempus est organo applicatum, quia iam aut illud assimilabit, aut necessariò à contrario agente debet corrumpi obiectum tangibile: & hanc rationem adducit etiam ad explicandum, quare non simus in perpetua sensatione caloris influentis. Quæ doctrina mihi non probatur, tum quia supponit rem dubiam, nempe quod primæ qualitates sentiantur per species, cùm multi cum Vallesio nostro contrarium opinentur, & noniter sustinet Hurtado de Mendoza in sua Philosophia, *cap. de tactu*; verùm quia contrarium mihi videtur probabilius, & doctissimè probauit Magister noster *in parte naturali, proprio* etiam *cap.* alia ratione contra Magistrum agendum est. Et in primis manifestè experimento refragatur, nam si manum agenti calido,

aut

aut frigido applicemus, nunquam sensatio caloris, aut frigoris deficit; esset verò necessarium, quod continuò moueretur obiecti tangibilis perceptio, sicut continua fit alteratio realis, quod est apertè falsum; imò cresceret continuè obiecti perceptio, si diutius obiectum sit applicatum, & ratio est, quia non datur occasio, ob quam species semel producta in organo debeat corrumpi, si manet agens illius productiuum: & hic eodem modo philosophandum est sicut in productione qualitatis realis, nam vt hæc (non obstante similitudine) conseruatur ab agente, quod eam qualitatem produxit, sic intentionalis species seruabitur in organo, si agens productiuum illius sit præsens, quamuis organum realiter sit assimilatum, quia species non repræsentat qualitatem inhærentem, sed extrinsecam, & quæ est in alieno subiecto: hæc verò quamdiu durat, similitudinem à se productam tuebitur, & seruabit, quia est agens adæquatum illius. Nec præsentia qualitatis realis in organo est indispositio ad speciem: quod euidenter constat in opinione Magistri & dicentium, quod ideo non sentiuntur, nisi excedentes primæ qualitates, quia alteratio intentionalis præsupponit realem: vnde si realis esset impedimentum, non sentiretur gradus ille qui præsupponitur ad speciei productionem, quod est contra communem sensum authorum, & veritatem. Et fundamentum Magistri probat potius nostram opinionem; nam si qualitates organo inhærentes non sentiuntur, quia nequeunt in illo producere species tangibiles sui, constat, quod si qualitates extrinsecæ intensiores producunt species sui, sentiuntur semper quod applicatæ maneant, etsi inhærentes organo non sentiuntur, quia in illo non producunt speciem, eo quòd illud non alterant prius realiter: si extrinsecæ qualitates realiter prius alterant, & post intentionaliter implicabit quod realis qualitas requisita vt dispositio ad intentionalem, sit occasio, vt hæc corrumpatur.

Pro solutione argumentorum notandum est, quod in hac specie epialæ datur magna copia, aut saltem multò maior pituitæ vitreæ iam genitæ, quàm sit portio illa, quæ ad faciendam accessionem putrescit, & hæc est quæ obstat internorum calefactioni efficiendæ à portione febrem in externis causante, de qua dixit in *hoc cap.* Auicenna: *Et illud quod non est putrefactum, infrigidatur in interioribus, & eius frigus non apparet in huiusmodi tempore, quoniam est quietum, &c.* Et rursus, *postquam ergo incipit in eo putredo, mouetur, & infrigidatur frigidatione quadam:* hoc est, postquam incipit in pituita putredo, monetur ad focum portio illa, quæ accessionem iam incipit facere, ex cuius commotione aliæ etiam partes pituitæ, quæ non sunt putridæ, commouentur, & agitantur, præsertim si cum rigore, aut horrore incipiant accessiones, sicque nouis partibus applicatæ, nouam, & maiorem frigoris molestiam concipiunt, vt hac ratione simul incipiat corporis ambitus calefieri, & interna refrigerantur, quia ob copiam vitrei humoris resistunt calefactioni, & ob nouam eius motionem frigus intensum sentiunt; nam sicut in lypiriis exteriora algent, ob crudum humorem ibi existentem, & interna calefiunt ab humore putrido; sic in epiala contraria ratione, portio humoris vitrei putredinem concipientis nequit interna calefacere ob copiam crudi phlegmatis resistentem; bene tamen calorem externa admittunt, quia contrario illo carentia resistere nequeunt, certumque est, quod cor vt æger dicatur febricitans, calefieri debeat in opinione communi, & sic per interna frigus sentiatur, non intelligitur cor: sed vt putant Gentilis, & Herculanus, partes ad ventriculum, intestina, & mesenteriim pertinentes: quæ si benè intelligantur, argumentorum solutiones perspicuæ ex dictis sunt, neque indigent maiori explicatione; nam nec focus potest totam pituitam calefacere, nec quod eleuatur putridum interna calefacit ob magnum frigus internorum, quod non contingit in omni febre pituitosa, quia non omnes species pituitæ sunt tam frigidæ, vt calori febrili resistere possint. Et hæc est ratio discriminis in argumento perita, ne quamuis fuligo per totum distribuatur, totum febricitet, ob copiam succi tam frigidi internas partes iamdictas obsidentis, cuius frigus tantum etiam non est, quod possit obstare calefactioni externorum. Sic explicatur mens Auicennæ, quam febrem aliquem molestasse hactenus non legi, nec audiui, nec vidi: credendum tamen est tantum authorem sæpius vidisse, cùm tot signa, & cum tanta diuersitate in tempore durationis, & repetitionis notauerit, quod inferius constabit; estque laudandus, quòd nouam doctrinam, & possibilem febrem à nullo excogitatam notauerit, & tam acutè exposuerit, quod viri ex nostris (etsi acutissimi) tantum authorem non callentes, sine ratione aliqua reprobent, & ignorantes suggillent. Constat etiam quod hæc febris potest esse intermittens, & continua, vt docuit Gentilis, nec Vallesius noster, nec Ludouicus Mercatus mentem Auicennæ assequuti sunt, & absque fundamento aliquo nostrum authorem suggillant, solutæque sunt eorum rationes in argumentis iam traditis.

Signa huius satis perspicua sunt, videturque esse essentiale signum iam traditum, nempe quod exteriora præter naturam incalescant, & interiora algeant eodem tempore; hoc enim est essentiale huius febris constitutiuum, nec alio signo est opus. Addit Auicenna, *quod eius vrina est frigida, cruda, minorisque caliditatis, quàm vrina aliorum sui generis*, hoc est generis febrium pituitosarum. Ratio est clara, quia pendet ex succo frigidiore, & interna obsidente, ac distemperante primam præcipuè regionem, in qua prima coctio alimenti celebratur: *inde* (inquit Auicenna) *pulsus est tardus, & rarus*: quod si in intermissione intelligatur, verum est, quia algent interna, si verò in accessionibus, sit sermo, nequit esse propriè tardus, & rarus, cùm verè æger febricitet, dicitur tamen talis comparatiuè ad alias febres, quia in nulla est minus celer, & creber. Hic addenda sunt alia signa copiam crudi succi innuentia, carentia nempe sitis, ad somnum propensio, difficilis caloris ascensus, & inæqualis, & impatientas intermissionis eum satis perspicua inæqualitate, ob crassitiem vaporum ex succo tam lento, & crasso, quorum discussio difficilis est, semper enim vt lignum viride effumat, quando incalescit.

Addit author, *quod hæc febris secundum plurimum additur omni die*, idest quotidiè, vt pituitosæ aliæ febres repetit; *verum* (inquit) *propter grossitudinem materiæ suæ, quandoque conuertitur ad quartanam, & tertianam, quoniam huius materia in corpore est parua, & parua putrefactionis, accidens rarò, & paucitas eius est ex causis elongationis periodi, & hoc non extrahit eam ab hoc quin sit phlegmatica, quoniam ipsa est phlegmatica, propterea quod putredo eius est putredo phlegmatis, non propterea quod paroxysmus redeat omni die, spatium verò eius paroxysmi est à quatuor horis vsque ad viginti & quatuor horas, & secundum plurimum consumitur ante illud, quoniam hæc materia non est cum illa multitudine.* Hæc Auicenna, cuius doctrina summè notanda est; confirmat enim opinionem nostram docentem, quod quilibet circuitus potest à quouis humore celebrari; & ita notat Author, quod huiusmodi febris interdum repetit per tertios, & interdum per quartos dies: & causa tam longæ repetitionis adducitur duplex, nempe materiæ crassities, paucitas eius, & quod leuiter putrefiat; crassities bifariam periodos remoratur, & quia nimis resistit causæ putrefacienti, & etiam quia tardè

tardè ad focum ob crassitiem mouetur, & si his addatur intensa pituitæ vitreæ frigiditas, erunt tres causæ accessionem tardantes; paucitas etiam materiæ eandem tarditatem inducit, quia ad irritandam, & causandam febrem requiritur quantitas certa, quæ sub parua quantitate materiæ tardius accumulatur. Addit author, ad tarditatem periodi conducere etiam quod talis humor sit paruæ, idest remissæ putredinis, quod videtur præter rationem, cùm remissa putredo citius quam intensa acquiratur. Sed author vera dicit, nam remissa putredo, etsi acquiratur citius, verùm naturam irritat minus, & inde remissè pellit ad focum, & lentè, sicque circuitus tardat. Et si instes, ex dictis sequi, quod pituita tardius, quàm bilis deberet ex propria natura repetere, nam & crassior est, & lenta, & frigidissima, & minus quàm bilis irritat; tardius ergo mouebitur, ob crassitiem, & minorem mordacitatem, & quia frigidissima omnium mágis non dubiè putredini resistit: respondeo, esse pituitæ naturalis magnam copiam, & ob hanc, & crassitiem, & lentorem obstruit nimis, sicque citius accumulatur agens putrefaciens, quod non dubiè ex defectu ventilationis suscitatur; est etiam quod eleuatur crassius, & ob lentorem minus resolubile; vnde intermissionis, aut remissionis maior impuritas, quæ ad maturius repetendum conducunt valentissimè, vt Galenus docuit *2. de differentiis febrium.* Itaque succi crassi, & lenti magnam copiam, quia nimis obstruit, celerrimè agens putrefaciens accumulat, quod non facit si in parua quantitate detur, nec frigiditas naturalis pituitæ tanta est, vt cum magna humiditate non putrefiat celeriter, & vbi magna copia, sufficit putredo ad irritationem expultricis: & ita patet discrimen inter pituitam vitream, & naturalem; cùm quo stat, vt vitrea etiam quotidiè repetere possit, vt in *hoc cap.* docet author, quia in quantitate eius magna varietas dari potest, vt in calore ægrotantis, & in sensus acuitie, aut hebetudine, quæ ad varietatem repetitionis semper faciunt.

Est etiam notandum, quod si repetat hæc febris per tertios dies, appellatur ab authore tertiaria, & si per quartos, quartana, quod aliqui sine fundamento negant; docent enim quod quamvis repetentia fiat per quartos, sit dicenda febris quotidiana, si causa illius fuerit pituita, quod est apertè contra Auicennam, & omnes authores antiquos, cuius etiam erroris fuit Hector Gilbertus *2. de diariis febr. cap. 6.* malè doctrinam Auicennæ intelligens.

QVÆSTIO XII.

De febre Epiala iuxta mentem Galeni.

GAlenus *lib. de inæquali intemperie cap. 1.* & *2. lib. de differ. febr. cap. 6.* diuerso modo naturam febris epialæ exponit; sic enim *initio cap. 6. citati* exarauit; *Ex hoc igitur genere est & febris ea, quæ propriè vocatur epiala, quando simul febricitant, & rigent, atque eodem tempore in toto corpore vtrumque sentiunt affectum.* Cap. verò *de inæquali intemperie*, sic scripsit. *Nam si pituitosus humor frigidus, quem Praxagoras vitreum appellat, & amara bilis, & calida simul abundent, & per sensibilia corpora moueantur, nihil mirum est vtrumque ab ægrotante pari modo sentiri.* Et inferius: *In febribus (inquit) epialis, tum intus, & secundum paruas, & propter hoc totum corpus videtur ambo sentire, quippe minimis portionibus aspersum est, tum calidum, tum frigidum, nec est aliquam eius partem sensibilem accipere, in qua non sit alterutrum*; quibus clarè naturam epialæ tradit, eamque dicit esse in qua simul calor, & frigus sentiuntur in eisdem partibus, vt nulla sit assignabilis, quæ calore, & frigore non molestetur.

Causa huius febris duplex adducitur à Galeno, & permistio bilis putridæ, & pituitæ vitreæ, facta per minima; & rursus *2. de differentiis febr. cap. 6.* solum humorem pituitosum, vt causam tradit; *lib.* enim *de inæquali intemperie, cap. citato*, dicit: *Quippe minimis portionibus aspersum est tum calidum, tum frigidum, nec est aliquam eius partem sensibilem accipere, in qua non sit alterutrum*; at *2. de differentiis febr. cap. 6.* dicit: *Acida verò, & vitrea, si per sentientes corporis partes deferatur, sine febre rigores generat, quod si modica aliqua in ipsis fiat putrefactio, febrem epialam appellatam inducit.* Per modicam verò putredinem intelligunt expositores, quæ vnam partem pituitæ corripit, & aliam intactam relinquit, & ab hac algent, ab illa putrida calesiunt, sicque Galenum noster Vallesius exponit; *Aut putrescit (inquit) sed leuiter, & inæqualiter, secundum particulas diuersas, & fit febris epiala, quia particulæ putrefactæ calefaciunt membra, non putrefactæ refrigerant.* Constat verò quod hoc admisso, debet etiam admitti aliqua diuersitas in humore illo, ob quam hæc pars putredinem concipiat, illa verò minimè, & quòd hæc inæqualitas vniformis sit per totam pituitam, vt nulla detur pars in qua talis diuersitas per minima non sit, si verum est quod Galenus opinatur, nimirum quod non detur in corpore pars aliqua sensibilis in qua sensus frigoris, & caloris non inueniatur, túncque redit contra Galeni mentem maior difficultas, à quibus agentibus illæ partes tam diuersæ in eodem humore produeantur; quod si ad passi dispositionem diuersam recurras, manet nihilominus grauis difficultas, cur scilicet non attemperentur ad inuicem huiusmodi partes, ita vt temperatissimæ maneant; nam si pars, quæ putredinem concipit, proprium calorem tuetur, non repatitur à parte frigida, ac per consequens vincere debet frigiditatem partis sibi proximæ, alioqui repaterentur ad inuicem, & mutuò se attemperabunt, & implicabit simultanea existentia caloris, & frigoris à prædominio, ita vt vtraque qualitas in quauis minima parte excedens, & molesta percipiatur. Et si externum exemplum expectemus, apertè contrarium inuenietur; quippe si rem frigidissimam cum alia minus frigida permisceas, & agens calidum applicetur, nunquam inuenietur huiusmodi varietas, vt vnica pars minima calefiat, & immediata minimè, & rursus alia calefiat, & sibi immediata minimè, & sic in reliquis: quia præterquam quod hæc positio partium sub tali ordine videtur omninò chimærica, constat, quod si pars immediata parti putridæ non solùm manet imputris, sed etiam cum frigore à prædomio, & tanto quod morbum frigidum causet, hæc pars cùm debeat esse medium, per quod alteratio in aliam migratura est, implicabit transitio, cùm frigida à prædominio maneat, & morbum (vt dixi) frigidum produeat. Rursus si frigida pars ita alget, quod nullo modo à calore febrili remittatur sensibiliter, videtur implicare quod immediata sibi putrefiat. Patet, quia & ipsa est frigida à prædominio: ergo si sibi immediata, ob eius frigiditatem maiorem calori partis iam putridæ resistere potuit, & hæc, & alia cùm sint ambæ frigidæ, resistent multò melius agenti putrefacienti, & inde nulla putrefiet. Tandem opinio Galeni actionem, & reactionem inter contraria intimè, & per minimas partes applicata tollit; vnde & mixtionem etiam destruet, cùm hæc fiat quando elementa æquis portionibus permiscentur, tunc enim nullum vincit aliud, sed mutuo se alterantibus resultat mista dispositio.

Quæ dubia etiam militant contra eam permistionem pituitæ vitreæ, & bilis calidæ à Galeno adductam per minimas partes, qua nimirum ratione non se contemperent,

contemperent, cùm quælibet sit in potentia ad recipiendam actionem alterius, & in actu formali ad mutuam actionem, & reactionem: mirum quidem, quod guttula aquæ in ignem voracissimum, & actiuissimum omnium iniecta, illum perspicuè extinguat, & remittat vim eius, & quòd partes calidæ, & frigidæ mutuò sibi applicatæ, & per minimas partes non se attemperent, sed quælibet in suo excessu tam sensibili maneat, quod morbos oppositos in quauis parte, etsi minima, induant.

Duplex ex dictis dubitationibus resultat problema, vnum si potest homo à calore, & frigore alterari in eadem parte; aliud est, etsi posito quòd alterari nequeat, possit tamen species caloris, & frigoris recipere in eadem parte, quamuis à frigore, & calore non alteretur simul; sunt enim multò diuersa recipere simul calorem, & frigus, & recipere simul species eorum; hæ enim non contrariantur, qualitates verò reales opponuntur; quia verò ad hoc præsupponitur duplex agens à quo omnes partes alterentur, contra cuius positionem argumenta proposita militant, id prius explicabitur, deinde problemata proposita discutientur.

Est ergo assertio prima, quod ea permistio humoris biliosi, & putridi, cum portione humoris crudi, facta per minima, vt Galenus docet, non potest admitti in vera Philosophia, ita vt pituita tam frigida maneat, quod morbum frigidum causet, vt calida morbum calidum producit. Et hoc planè probat ratio adducta de actione, & reactione inter contraria per minima permista, quæ iuxta communem explicationem auferenda omninò est: & hic habet locum communis doctrina, & receptissima Philosophorum, nimirum quod ad agendum concurrunt omnes gradus, ad resistendum verò formaliter vnicus solùm, & sic esse posse mutuam actionem, & reactionem, quamuis in æquali quantitate, & eadem intensione qualitatum agentia applicentur, dummodo sint contraria. Vnde necesse est quod mutuò se attemperent, & producant morbos apertè contrarios; videturque difficillimum, quod talis productio per totum corpus detur, quia nec per totum humores tam oppositi possunt simul distribui, nec ad febriendum id est necessarium, sed fuligo sola ex humore putrido eleuata est, quæ per totum disseminatur, vt totum verè febriat: cum hac verò quis non videat esse improbabile, quod portio humoris frigidi, & crassi, viscosique distribuatur? Itaque per totum, & per minimas omnes eius partes calorem, & frigus produci, improbabile omninò reputo; nec id existimo Galenum docuisse, præsertim quando febris intermittens est, & per ambitum corporis humor mouetur ad faciendam accessionem, in qua interiora perpurgantur potius à corruptorum humorum existentia, & ad externa mittuntur. Video id insinuare Galen. *lib. de inæquali intemperie, capite 8.* dicendo: *Quippe minimis portionibus aspersum est, tum calidum, tum frigidum, neque est aliquam eius partem sensibilem accipere in qua alterutrum non sit.* Sed id quomodo per totum corpus fieri possit, nec docuit, nec videtur probabile; quis enim ad pedes, & manus humores tam oppositos vnà mouet, & impedit quod non se contemperent sub tam minimis portionibus inuicem permixti, sibique videtur Galenus repugnans, qui 3. *de præsagatione ex puls. cap. 3.* si corpus cordis frigidius iusto sit, humores verò contenti calidiores, aut è contra, pulsus moderatis similes fieri docet, & rationem tradit dicendo; *nam medius quodammodo status hic efficitur ex duobus contrariis conflatus*: lege locum *clas. 4. fol. mihi 115.*

Igitur si probabilitatem aliquam habere potest opinio Galeni, non est intelligenda de tam minimis portionibus, vt in argumento proponitur; sed di-

A cuntur minimæ si comparentur ad partes, quæ in initio accessionum cum rigore incipientium, frigidæ, & calidæ simul percipiuntur: quod etiam in febribus lypiriis euenit; in iis itaque affectibus interna calent, & externa algent, & ita secundum magnas portiones, & nimis distinctas, & distantes, frigus & calor eodem tempore sentiuntur, & sunt; at in epiala non cum tanta distinctione partes alterantur, sed in minori multò distantia, & comparatiuè ad priores affectiones, minimas appellauit Galenus; sic tamen distant, quod pars calida possit sibi immediata calorem febrilem producere, & conseruare, & frigida eodem modo; nam cùm distantia actionem remittat, nihil mirum si pars frigida, aut calida, respectu agentis distantis actionem impediat,
B quia illud quod distat, agit remissius, & quod est immediatum efficacius. Et ita sustineri potest opinio Galeni ad productionem caloris, & frigoris, nam quòd in eadem numero parte possit homo à calore, & frigore alterari, non potest sustineri, quia mista perfecta semper habent impletam totam latitudinem contrariorum, & ita quod à duobus contrariis possit simul alterari, tam absurdum est, vt quod contraria non se corrumpant mutuò, & quod idem possit simul duobus motibus contrariis moueri; quod noster Vega *in scholio, cap. 6.* ex 2. *de differentiis febrium* etiam tradidit, licet nullam rationem adducat. Est verò mihi duplex ratio; prima, quod manifestè percipimus, siue à calore, siue à frigore alterentur, alterari successiuè, & paulatim, & idem
C experimur, quando reducimur. Secunda, quod malè Galenus, & cum eo omnes medici docerent, quod non dentur nisi nouem temperamenta, & morbos temperiei octo tantùm esse, cùm temperamenta possent esse vndecim, & morbi in temperamento decem, cùm esset possibile, quod calore, & frigore intensioribus, quàm status naturalis exposceret, homo alteraretur; posset enim solum petere calorem vt duo, & frigus vt vnum in statu naturali, & sic alterari violenter à calore, & frigore simul, & morbo calido, & frigido simul laborare, quod est contra experimentum, & communem authorum doctrinam.

Quod verò in corpore vniuerso sentiantur simul calor, & frigiditas, non capio qua ratione euenire queat; nam humor febrem creans non est præsens
D sub propria corporatura partibus omnibus febrientibus, sed in fuligines mutatus per totum distribuitur, aut per continuam alterationem calorem disseminat, si sit in fuligines versus, repugnat quod cum illis aliquid morbosè infrigidans distribuatur, quia in vaporem debet mutari, sub qua forma nunquam morbosè infrigidat, cùm à calore extenuetur quicquid vapor sit, & sit iste à prædominio calidus: nisi affirmes quod vapor separatus à foco se reducit ad natiuam frigiditatem, aut attingens partes se frigidiores, mittatur in aquam, vt contingit in operculo testæ, & sic partes calidiores infrigidat, non eas à quibus frigus vt concresceret, suscepit: nisi sustineas, quod est probabilissimum, nimirum quod forma aquæ de nouo introducta maiorem frigiditatem ab interno principio pro-
E ducat, & sic partes etiam à quibus concreuit, infrigidare possit, vt vitalis spiritus cor à quo fuit creatus de nouo calefacit, quia à propria forma maior ille calor naturaliter expellitur; dico verò quod mutetur in aquam, aut in mistum aquosum; idem enim est ad propositum nostrum. Constat verò quod sola pituita vitrea, aut acida potest esse causa epialæ, vt Galenus *locis citatis* docet, quia debet esse succus frigidissimus, qui tanto calori vt non attemperetur, resistere potest; sunt verò frigidissimæ omnium specierum pituitæ vitrea, & acida, sed vitrea magis; pituita verò dulcis nonnihil habens caloris, & insipida, quæ etiam

proxime ad sanguinem accedit, non sunt tam frigidæ, vt calori febris resistere possint, & inde nunquam epialæ authores esse possunt. Vnde patet cur in tertiana notha ob permistionem pituitæ cum bile non fiat febris epiala; nam præterquam quòd vterque humor putrescere debet, vt tertiana spuria excitetur, non est pituita permista tam frigida, quod calori bilis, cuius est comes, obstare possit; & si benè perpendas quod dictum est, inuenies, quòd quamuis pituita in tertiana notha non putresceret, & pelleretur cum bile, vt pellitur vitrea permista, efficeret non minus notham tertianam, quia & accessionem protraheret, & remissior esset calor, & rigor etiam moderatior, sitis placidior, vrina minus incensa, vomitus verumque humorem ostenderet, longior etiam foret morbi constitutio, à quibus tertiana notha planè ostenditur, & B constituitur. Hæc ante nos nullus quem legerim, aut audictim notauit, est tamen euidens quod docemus, si sit permixtio illa possibilis.

Quia verò Galenus docet, quod à simplici humore partim putrescente, partim non putrido, epiala interdum fit, putandum est euenire, quia leuis putredo in pituita vitrea, aut acida contingit; nomine leuis putredinis intelligitur, aut superficiaria, quia totam corpulentiam humoris non inficiat, eo quòd magna frigiditas obstet, ne calor intima humoris alteret; distant enim intima magis, quod contingere potest etiamsi humor vniformis concedatur, aut est admittenda inæqualitas magna in ipsa pituita in modo substantiæ, & frigiditate, merito cuius quædam partes C putrescant, aliæ minime. Quem modum Altimarus *parte 2. de febribus, cap. 9.* admittit. *Cùm hic humor* (inquit) *sit satis frigidus, tenax, & substantiæ inæqualis* (adderem ego & crassus, & corpulentus) *non promptè vniuersus putrescit, sed veluti semiputrescens, vbi modica in ipso fiat putrefactio, delatus per sentientes corporis partes, quatenus frigidus, frigus & rigorem sentiunt; quatenus verò putrescens, calorem, ita vt accessione tota non modò rigeant, sed etiam febricitent*, &c. Et mihi etiam videtur probabile, quod vt Galenus admittit permistionem bilis, & pituitæ vitreæ, ita potest admitti permistio dulcis pituitæ, & vitreæ, quia dulcis putrefieri poterit, & non vitrea ob remissiorem multò frigiditatem, & sic expelletur simul humor calidus, & D frigidus: debet autem vterque misceri secundùm magnas portiones, ita vt propter distantiam impediatur reductio ad mediocritatem, vt antea dixi, siue humor sit duplex, siue vnicus solùm: quæ si benè perpendantur, argumenta in contrarium adducta soluta manent. Solum illud de interpositione partium frigidarum impedientium transmissionem actionis, soluendum superest, cui respondetur, quod agens putredinale est fuligo, quæ in loco obstructionis, & in foco continuè eleuantur, & hæc omnibus partibus humoris ibi contenti applicatur, & nimis resistentes putrefacere nequit, alias verò potest, & quando pelluntur, quæ non sunt putrefactæ, reducuntur ad frigus sibi debitum.

E Vnum tamen discutiendum superest, quod nullus tetigit, vnde nimirum oriatur quod humores tam discordes, & dissimiles à natura simul pellantur; nam bilis calore, & siccitate, & putredine, mordacitateque molestat, pituita verò contrarias sortitur conditiones: rursus quomodo conspirant, vt simul ad focum pellantur; nam bilis vt pellatur, immutatur prius putredine, aut infectione quadam, ob quam ad focum reiicitur; pituita verò non mutatur præternaturaliter, quia frigida vt generatur, expellitur; inde nullam immutationem, vt pellatur, spectat, ac per consequens non est ratio cur cum bile vnita reiici debeat, cùm irritet natiuis qualitatibus: nec videtur facilè admittendum, quod humor tam frigidus intra vasa maneat, vt

A permistus cum bile, & vniuerso sanguine, & spiritibus vasorum, non attemperetur. Dubium est, quod intra vasa prædicti humores colligantur, & quod idonea quantitas colligitur in parte mittente, vt expellatur ad focum; at verò vt sunt intra vasa permisti, sic ab eis permistis grauatur natura, & molestatur, & simul pelluntur ab ea, beneque contingere potest, quod natura mutationem præternaturalem speret vt pellat: quæ mutatio si non veniret, maior copia expectaretur ad accessionem causandam: fit verò ea permutatio in bile, non in humore vitreo, aut acido; nullus enim istorum putredinem in epiala admittit, quando cum bile permisti epialam creant.

Duplex censura contra Mercatum superest. Prima quòd putet epialam ab vnico humore pendentem esse B legitimam, quæ verò à duplici, spuria nothaque est, cuius discriminis nullam adducit rationem; imò contra cum stat efficacissima, quia notha, aut spuria tertiana non solùm fit quando à duplici humore pendet, sed etiam quando ex vnico, si ille sit præternaturalis; nullus enim tertianam à bile æruginosa creatam appellauit hactenus legitimam, sed spuriam, & malignam, vnde si epiala febris fieri à naturali humore nunquam est possibile, nunquam erit possibile quod non sit spuria: quis enim dicet quotidianam febrem à pituita vitrea legitimam esse posse: est verò epiala quotidiana frequentiùs: quod si per tertios, aut quartos repetat, vt noster author putat, erit multò magis spuria tertiana aut quartana. Vnde in rigore, & propriè loquendo, C nulla epiala potest esse exquisita, quia aut ex humoribus præternaturalibus fit, aut ex duplici. Si verò proprietatem accidentium spectemus, est verò proprietas quod simul calorem, & frigus producat, tam legitima erit, quæ à duplici humore creatur, quàm quæ ab vnico, cùm quælibet essentiale signum eodem modo ostentet, sine imperfectione aliqua, ob quam spuria debeat dici; imò eo ipso quod ex propria natura morbos oppositos petit, causas etiam distinctas & discordes omninò requirit, vt legitima constituatur.

Secunda censura est, quod hic author putat leuem illam putredinem totam portionem pituitæ facientem paroxysmum afficere, vt non admittat quasdam partes D non affectas putredine: in quo planè peccat, nec potest rationem reddere, cur quædam partes frigiditatem morbosam sentiant; nam si leuis illa putredo febrem in corde inducit, omnes etiam partes calefaciet præter naturam: & clarè Galeno refragatur, qui *in fine cap. 6 1. iam citato* sic scripsit: *Siquidem totum id quod ex pituita putrescit, febrem accendit, reliquum verò, quod nondum putrescit, cuius causa rigescunt, non eandem habet cum putrescente qualitatem: si igitur ab hac quidem riger, à putrescente verò febris generatur, duplex semper aderit causa*, &c.

QVÆSTIO XIII.

E *Vtrum eadem numero pars calorem, & frigus possit sentire.*

Excluduntur ab hac quæstione opinantes quod tactus speciebus non egeat; iam enim diximus, quod calore, & frigore eadem pars numero mixti alterari simul non possit, quia est adimpleta latitudo contrarietatis, & moueretur simul motibus contrariis; quia verò inter species tangibiles ea contrarietas non admittitur, inquirit quæstio, si eadem pars possit simul recipere species caloris, & frigoris: videbitur tamen quæstio ridicula, quia si contrarietas tollitur, necessariò producetur quælibet species in qualibet parte, cui

applicat

applicata sint agentia; verùm etsi hoc ita sit, est tamen magna contrarietas inter Philosophos, si species tangibilis produci possit, vbi prius qualitas realis ab agente producta non fuit, & iuxta sic opinantes, vt nequit pars alterari simul calore, & frigore, sic implicat quod species vtriusque simul recipiat.

Vega 2. *de differentiis febr. cap. 6.* & Magister meus *lib. de febr. fol.* 1032. *cap.* 2. apertè sentiunt, quod Galenus insinuat, nimirum quod in eadem exquisita parte possit dari simul sensatio frigoris, & caloris, etiamsi quilibet ex dictis authoribus opinetur: quòd nulla pars calefieri, & infrigidari simul possit, diuerso tamen modo philosophantur. Vega enim, quia nullam contrarietatem admittit inter species tangibiles, absolutè id docet, oblitus omninò magnæ difficultatis iam propositæ, si possit species produci ab obiecto tangibili sine productione realis immutationis. Magister verò noster, etiamsi illam mutationem realem vt necessariam admittat, putat nihilominus, quòd ab obiectis possint produci species eorum, etiamsi de nouo nihil producant, dummodo productum inuenerint. Ratio est, quia in communi modo philosophandi intensio speciei non respondet intensioni qualitatis realis productæ in organo; sed est intensior semper species, vt ad sentiendum quintum gradum caloris non est necessarium quod gradus quintus sit productus, sed sufficit quartus; vnde si quartus est dispositio, vt producatur similitudo quinti, necesse est, quod quando corpori habenti calorem vt quatuor, & frigus etiam æquale, calidum vt sex, & frigidum vt sex applicantur, producant statim simul species repræsentantes calorem, & frigus vt quinque. Constat, quia est in passo dispositio ad eam intensionem, & sunt agentia applicata, & potentia eam producere, ergo sequetur necessariò effectus, & ita dabitur simultanea specierum productio in eadem omninò parte, in qua non potest dari obiectorum simultanea productio. Quod verò calor vt quatuor eodem modo disponat, siue ab hoc agente, siue ab alio productus fuerit, non eget probatione. Alio modo Magister meus defendit, quod possit produci simul species vtriusque obiecti, iuxta opinantes, quod tactus non requirit immutationem realem præcedentem, vt producatur similitudo, sed sufficere immutationem per contactum, quia vt in secondis qualitatibus non admittitur productio realis ante productionem speciei, quia secundæ qualitates non sunt productiuæ similium, nec aliarum, & ita vt in secundis non datur realis productio antecedens similitudinis productionem, sic nec in primis admittenda est, iuxta quam opinionem tota intensio caloris percipitur in instanti vltimo applicationis obiecti; quia cùm species contrario careant, instantanea est earum productio, nec intensior calor sentitur post vltimam applicationem, etiamsi per multum tempus obiectum maneat potentiæ applicatum. Quem modum philosophandi sequitur Pater Rubius 2. *de anima, cap.* 11. *quæstione* 3. & præter adductam rationem à simili, probat secundò eandem opinionem, quia tangibile, sicut & visibile in instanti producit species intentionales, & ideò in instanti fit sensatio tactus: sed alteratio realis organi fit successiuè, & in tempore, quia est verus motus successiuus; ergo fit post sensationem, cùm hæc instantanea sit. Ratio quidem friuola, quia supponit vt certum, quod controuertitur: nullus enim negat quod productio specierum seorsim considerata sit instantanea, sed controuersia est, si ea productio ante productionem qualitatis tangibilis possit produci ab obiecto. Nec obstat (inquit Magister) quod duo obiecta non possint eidem parti exquisitæ applicari, & per consequens nec poterit eadem pars duplex obiectum simul percipere.

A Patet; quia duo tangibilia, vt sunt corpora quanta, nequeunt sine penetrationis miraculo eidem parti applicari: vnde si contactus est dispositio, aut conditio ad productionem speciei, non fiet productio vbi contactus non datur, & inde solùm erit productio à duplici agente quanto in duplici parte quam tangit, non verò in vnica: si verò contactus actualis attendatur, eadem repugnantia inuenietur, quia virtutes productiuæ specierum sunt calor & frigus in gradibus intensis, quæ in eadem parte subiecti esse implicat, & per consequens distant virtutes non minus quàm corpora quanta in quibus subiectantur. Respondet Magister, quod etsi ea sit conditio, non producitur solum species in parte quæ immediatè tangitur, sed in aliis etiam proximis per extensionem, nam opinantes quod B caro non est organum, sed medium, necessariò concedunt speciei productionem in organo, quod tamen non tangitur ab obiecto, & cùm contactus detur solùm per superficies, producatur verò species in parte profunda, iam producitur vbi contactus non datur.

Mihi probabilior videtur doctrina dicentium, quod species tangibilis produci non possit, vbi non præcessit immutatio realis distincta omninò à contactu, ita vt hic solus non sufficiat: & quòd ille solus satis non sit, euidenti experimento constat, nam si aliquis frigidam manum per flammam lucernæ velociter moueat, nullum calorem percipiet: quod esset impossibile, si solus contactus foret sufficiens conditio ad productionem speciei tangibilis, quia cùm hæc in instanti debeat produci, quia caret C contrario, in eodem instanti vltimo applicationis produceretur tota similitudo caloris obiecti, quod in Philosophia est euidens: Et miror certè, quod tam clara, & facilis experientia ab authoribus oppositæ sententiæ notata non fuerit, quam doctè notauit Collegium Carmelitarum. Secundò, quia experimentum docet, quòd calor à nobis paulatim sentiatur intensior, & euidenter percipiamus calorem in nobis successiuè produci, & sentiri eo modo quo obiectum successiuè producitur. Tertiò, quia contactus physicus non potest esse conditio se tenens ex parte agentis, nisi quatenus illud passo appropinquat: quod commune est omnibus agen- D tibus naturalibus, nec per hoc distinguitur obiectum tangibile ab aliis. Sic explicatur hæc ratio, quæ contra adductam opinionem videtur efficax; per contactum physicum solùm producitur præsentia localis immediata passo, ita vt superficies vtriusque, agentis scilicet & passi, sint simul: per has verò immediatas præsentias nihil ponitur intrinsecum in passo disponens ipsum vt speciem recipiat, nec in agente ponitur aliquid sibi intrinsecum ratione cuius agendi fiat capax, & in actu primo constituatur; quia nullus Philosophus hactenus dixit, quod vbi locale ad agendum, aut patiendum disponat, sed sit solum forma intrinseca, quâ loco præsens constituitur: & in opinione dicentium, quod motus localis sit solùm ad acquirendum locum extrinsecum absque productione vbi intrinseci, E habet vim maiorem argumentum adductum, cùm nihil intrinsecum passo, aut agenti per motum producatur; in contactu itaque corporali nihil aliud datur nisi localis applicatio, aut impulsus resultans in contactu, qui nullo modo ad productionem noui effectus disponit: prætetquam quod impulsus hic non datur sine motione locali antecedente, quæ inter obiectum tangibile & organum non tenetur præcedere, cùm per medium omninò quietum calefactio in nobis fiat, & sentiatur: ergo realis contactus nihil præter applicationem ponit, quæ omnibus agentibus naturalibus, vt dixi, communis conditio est: modò autem modum immutandi tactui peculiarem, & debitum inquirimus, non communem.

Si verò inquiratis, vnde proueniat huiusmodi necessitas,

necessitas, vt nunquam species tangibilis producatur absque immutatione reali præcedente? Respondeo pendere ex propria obiecti natura, quia species tangibilis talia est naturæ, vt immutationem realem, vt producatur in organo, requirat velut necessariam dispositionem antecedentem, quæ varia est iuxta diuersitatem obiectorum, vt in qualitatibus primis ipsarum productio est necessaria conditio, vt in secundis aliæ innominatæ produci debent, vt in mollitie, & duritie, quia huiusmodi qualitates secūdæ non sunt productiuæ similium: sic grauitas, & leuitas sine impulsus productione antecedente non sentiuntur, vt si manum supra lapidem colloces, non senties eius grauitatem, quia non impellit deorsum, vnde non placet Murcia 2. *de anima disput.* 10. *quæst.* 1. in secundis qualitatibus realem immutationem non admittens ante speciei productionem: est enim expressa contra S. Thom. multis in locis, præsertim 1. *part. quæst.* 78. *artic.* 3. & *in solutione ad* 9. *eodem artic.* & *quæst. vnica de anima, art.* 13. Nec obstat, quòd non sint productiuæ similium, quod etsi verum sit, producunt tamen quod ad sui sensationem prærequiritur vt realis conditio ad speciei productionem: quod verò in instanti prædictas qualitates percipiamus, dubium est, nec probari potest. Verum, etsi hoc concedamus, non obstat, quod immutatio realis in instanti etiam producatur, quia contrario caret, vt ipsa intentionalis species, quæ produci debet iuxta conditionem realis qualitatis antecedentis, quia est velut comes illius, & in veriori opinione idem modus immutandi in gustu admittitur, nimirum quod species saporis produci nequeat absque reali immutatione præcedente, ob quod dixit Philosophus, quod gustus est quidem tactus, sunt enim hi duo sensus magis quam alij materiales, ita vt sine immutatione reali sapor, aut tangibile obiectum percipi nequeant.

Hinc constat primum, nempe quod species duorum obiectorum contrariorum nunquam possint esse simul, quia non producitur nisi vbi realis immutatio præcessit: hoc autem, vt dixi, dependet ex propria obiecti natura, & speciei; obiectum enim non potest producere speciem, quin prius realiter immutetur, species etiam illud vt dispositio requirit: ex quo constat secundum, solutio nempe dubitationis, aut argumenti, quod Magistrum conuincit ad opinandum, quod duo obiecta contraria possint in eadem parte exquisita sentiri: nam quamvis concedamus quod calor disponit ad speciei receptionem, & per consequens, quod si productus supponatur, produceret species absque immutatione reali, id solùm concedi debet si opinemur quod solum requiritur immutatio realis, vt antecedens dispositio: verùm in nostro opinandi modo non solùm requiritur vt dispositio, sed etiam ex parte agentis est subordinatio in ipsa productione, ita vt agens, aut sensibile proprium, quod realiter prius non operatur, nequeat speciem sui producere; & inde quamvis supponatur calor productus, non producitur species ab agente de nouo applicato, si prius non producat aliquid reale. Hæc est causa ob quam qualitates organo inhærentes sentiri non possunt, nec quod species producatur intensior, quàm sit qualitas producta, est tam certum vt putant multi; potest enim, & debet esse proportionata qualitati reali antecedenti, nec oppositum experimento communi conuincitur; quia cùm omnis separatio fiat medio motu locali, in tempore illo ad motum requisito, potest remitti intensio illa maior, quæ dolorem, aut molestiam causabat; estque mihi satis dubium, si sensatio ipsa, etsi sit caloris intensissimi, possit esse molesta, nisi quatenus dolorem inducit; de quo modo disputandi locus non datur. Vnde constat, quod iuxta nostrum modum philosophandi, non producitur species in alia parte subiecti, ab ea in qua realis qualitatis productio præcessit, & sicut implicat esse qualitates contrarias simul nisi in gradu remisso, ita & species eandem possibilitatem, aut repugnantiam cum obiectis participabunt. Et constat solutio fundamenti, quod nostrum Vegam suasit, vt ita sentiret, habent enim species tangibiles oppositionem, aut repugnantiam velut accidentalem, quia requirunt dispositiones contrarias, aut agentia nequeunt species producere, vbi non produxerunt qualitatem realem.

QVÆSTIO XIV.

De febre Lypiria.

IN *titulo cap.* 5. explicuit Auicenna quid intelligat per lypiriam febrem: *Est*, inquit, *in qua occultatur calor, & apparet in ea frigus*: quasi diceret, est in qua interiora calent, frigida verò sunt extrinseca. In qua definitione concors est omnium authorum opinio, & plura Galeni loca eam stabiliunt. Quomodo verò frigida sunt externa, interna verò vrantur, sic Auicenna exponit. *Hæc febris* (inquit) *secundum plurimum est phlegmatica, & quandoque est cholerica ex cholera grossa valdè, phlegma enim intrinsecum quando inflammatur, & putrefit, calefacit illum locum, & quoniam non resoluitur, non calefacit exteriora corporis, cum sparsione vaporis sui calefactione plurima: & quoniam virtus effunditur ad locum vbi est læsio, tunc euacuantur exteriora à calore, quare infrigidantur propriè quando in exterioribus sunt phlegmata cruda, vitrea, frigida, & iterum quoniam resoluitur multoties ex eo vapor qui non putrefit, sed ascendit, & separatur propter caliditatem, & associatur ei caliditas spatio paruo, deinde separatur ab eo separatione vaporis aqua calefacta: cum ergo separatur ab eo, & fuit in radice ante putredinem vehementis frigiditatis, redit & infrigidat corpus.*

His verbis quomodo externa sint algida cum calore interiorum exponit. Ante verò quàm sensus Auicennæ perspicuus fiat, notabitis, quod vt dicatur propriè febris lypiria, non sufficit quod interiora vrantur, & extrinseca non calefiant, sed requiritur, quod externa sint frigida præternaturaliter, nam si supponamus, quod extrinseca sint calida calore solùm naturali, & intrinseca calore febrili, non dicetur talis febris lypiria, sed requiritur frigus præternaturale externa afficiens; propterea in *tit. cap.* dixit Princeps noster, quòd apparet frigus in hac febre, idest sentitur extrinsecè. Galen. 4. *aphor.* exponendo aphorismum 47. dicentem: *In febribus non intermittentibus, si partes exteriores sint frigidæ, interiores verò vruntur, & sitim habeant, lethale est*, sic scripsit: *Dignum est animaduersione, numquid huiuscemodi casus in febre intermittente fieri possit, ego enim nec vidi, nec animo capio, videntur siquidem in solis febribus accidere, quæ causones ab incendio nominantur perniciosis, vel si aliter libeat appellare malignissimis, veluti lypiriis, nulla enim alia febris profundas partes vrit cute refrigerata.* Propterea Auicenna etiamsi supponat phlegma putridum esse intus, & tam crassum quod non sit euaporabile, sed intus contineatur tota materia putrida, quin in fuligines verti possit, ob quarum defectum extrinseca corporis non calefiunt, adducit rationes particulares extrinseci refrigerij. Est verò prima, quoniam virtus effunditur ad locum vbi est læsio, hoc est, spiritus vitalis effunditur ad locum vbi est putredo, & quia ex partibus extrinsecis effunditur, depauperatæ vitali calore algidæ percipiuntur, & interiora calent, non solùm ab humore putrido, sed à calore vitali intus expulso, aut attracto, eo modo quo in vehementi timore, aut rigore frigida extrinseca sentiuntur: producitur verò frigiditas illa ab interno

terno principio, ab anima nimirum, quæ quatenus forma mixti est, impletam latitudinem contrariorum exponit, potest tamen ea frigiditas esse nociua actionibus naturalibus, aut animalibus, etiamsi vt mixtum expetatur.

Secunda causa adducitur existentia pituitæ frigidæ in partibus externis, præsertim vitreæ aut acidæ, ab hac enim non solùm impeditur calefactio externorum, sed etiam positiuè infrigidatur. Est verò putandum probabilius esse, quod talis humor in partibus ipsis externis generetur; nam cùm sit crassior, & frigidior, si in internis generaretur cum alio, non esset ratio, cur crassior pelleretur, & non alius: generatur verò à distemperie frigida, & humida externorum. Tertia causa est, quando ex succis frigidis intus existentibus eleuantur vapores sine putredine, hoc est ex materia non putrida, & quia leuitate, aut expulsiona à loco in quo aleuabantur, separantur, incipiunt in antiquam, & debitam frigiditatem reduci, eo modo quo vapores ab aqua calefacta eleuantur, & separati à loco calefactionis sa reducunt, & in aquam vertuntur: propterea enim requiritur quod ex parte non putrida humoria eleuentur, alioqui essent calidi in facto, & reductio ad frigiditatem repugnaret, vt repugnat fuliginibus, & vaporibus ex ra putrida suscitatis; & inde febris per totum distribuitur, vt illi disseminantur.

Quæ Anicennæ doctrina, & difficilis satis vt intelligatur, notandum est, quod siue vapor specie differat à re ex qua eleuatur, siue non, potest esse verum quod Auicenna adducit: nam etsi differant specie, & per consequens calor sit formæ nouæ debitus, tamen attingendo partes frigidiores, potest in mixtum aquosum, aut aquam frigidam permutari, & formæ de nouo genitæ debebitur maior illa frigiditas, qua exteriora rigeant, vt vapores ex aqua feruente eleuati, operculum vasis pertingendo; quod etsi sit satis calidum, quia tamen minus tale est, & leuiter vapores infrigidat, statim concrescunt, & in aquam vertuntur, & grauitant: quod præsertim eueniet in corpore, in quo copia crudorum supponitur; talis enim semper est vbi lypiria ex pituita creatur. Constat verò eam reductionem, aut nouam generationem in externis debere fieri, quia interiora sunt calidiora, quàm tali effectui conueniat, non tantùm absolutè, sed etiam vt in hac febra, quia datur interius putredinis focus; debet autem esse maior multò vapor frigidus, quàm calidus in internis genitus, vt obstet frigidus, ne calidus vapor totum calefaciat; nam cùm calor actiuior concedatur, si pari mensura vterque vapor crearetur, calefieret totum, & non infrigidaretur in externis tam intensè vt ad lypiriam requiritur; quòd si semel concipias esse per totum distributus aliquis humor frigidus, concipies etiam facilè quod etsi vapor eleuatus sit putridus, poterit in aquam, aut mixtum aquosum facilè mutari, vt in opinione putantium, quod vapor semper specie differat à re ex qua eleuatur, quia in hac opinione tam calidus in facto est non putridus, vt putridus vapor; imò etsi non sit humor frigidus per totum dispersus, dummodo partes sint destitutæ calore, poterunt vaporem putridum, in aquam aut mixtum frigidum permutare, & infrigidari de nouo: quæ fortassis occasio est, ob quam multi iam proximi morti, etsi intensè intus febriant, frigidi exterius percipiantur, quia partes destitutæ vitali calore, vapores ex re putrida eleuatos in aquam, aut mixtum aquosum conuertunt, aut fuligines in terreum, aut aliud satis frigidum, quia vapores, & fuligines magnum calorem requirunt, vt in ea forma conseruari possint; & inde à leui remissione caloris propriam formam deperdunt, vt ignis, etiam qui nisi excessiuo calore conseruari non potest, & inde nunquam infrigidans concipitur: potest etiam dari duplex pituita, aut in eadem magna partium

A diuersitas, vt quædam sit nimis aquosa, alia crassior, & magis consistens, vt crassior putrescat leuiter, non tamen in vapores mutetur, sed putrida hæreat interius; ex aquosa verò eleuantur vapores, qui eo modo quo diximus se reducant, aut reducantur, & externa refrigerent. Constat verò quod siue pellantur vapores motu arteriarum, aut expultricis actione, aut impetu leuitatis, & resultu, semper est verum quod extrinseca infrigidentur, quia in maiori multò copia (vt antea diximus) frigidi vapores dantur in hac febre, vt talis constituatur, etsi negari non possit, quòd vapores partibus externis approximati possint illas infrigidare, & non calefieri à calidis internis, etiamsi sint in eadem copia ob distantiam; nec implicat quod frigidi vapores sint plus frigidi quàm calidi, calidi vt eleuati ex B pituita vitrea, aut acida.

Gentilis putat quod omnes partes pituitæ putrefiant, sed quædam leuiter, aliæ verò satis profundè, & superficialiter putridis infrigidari externa: quæ doctrina duabus limitationibus eget, vt vera esse possit. Prima quod pituita putrida superficialiter sit in copia maiori: secunda, quod per superficialem putredinem intelligatur remissa, ob quam remissionem caloris resistat minus conuersioni in aquam, aut mistum aquosum.

Ex dictis facilè intelligitur modus, quo ex bile crassa, intus accensa, lypiria creari potest: *Modus*, inquit Auicenna, *est quando cholera est pauca, & intrinseca, & putrefit, & calefacit locum, & non resoluitur ex ea* C *aliquid*; accidit quod diximus in simili ex phlegmate, hoc est extrinseca erunt frigida, quia moueatur calidum influens ad locum in quo est læsio, & propriè quando phlegma vitreum est in partibus externis; & cùm non adducat author aliquod discrimen, videtur quod etiam ex vapore eleuato, qui postea infrigidetur, possit causari huiusmodi febris, quod Gentilis, & Herculanus non admittunt; quia cùm bilis sit calida à prædominio, siue putrida sit, siue non, nunquam ex ea vapores suscitabuntur frigidi: quos etiam sequitur Magister noster, & putat quod nec Auicenna id potuit dicere, & meo iudicio ita est, & ex litera planè constat; quia supponit author, quod ex tali bile ob crassitiem nihil resoluatur: esset verò necessaria innumera, & assidua resolutio, si à vapore eleuato externa D infrigidari deberent: si verò in internis tam discordes humores esse possint, quod vnus sit crassus, adustus, & non vaporabilis, alter frigidus, ex quo tales vapores non putridi suscitentur, dabitur febris lypiria correspondens omnibus numeris pituitosæ. Potest verò dari duplex causa, ob quam ex materia putrida nihil eleuetur, aut crassities nimia, & densitas, quæ extenuationi requisitæ ad mutationem in vapores, aut fuligines resistant, & sic à calore non extenuanti materia putrescat: alia erit caloris putrescentis remissio, ob quam non extenuet, possit tamen putrefacere: quibus annectitur etiam quod pituita aduri solet in partibus solùm quibus viuenti adhæret; tales enim datentæ paulatim vruntur, & à reliquis partibus hu- E moris coopertæ non effumant, sed sibi immediatas calefaciunt, & vrunt eo modo quo possunt; reliquas verò minimè. Et si possibile iudices humorem putridum esse in loco nimis obstructo, intra quem conclusæ fuligines, & incarceratæ externas partes non petant, nec ad illas ascendere posse, percipies facilè, qua ratione extrinseca non calefiant.

Sed quod videtur difficillimum in doctrina Auicennæ est, adducere causam ob quam ad interna seu (vt ipse loquitur) ad locum læsionis calidum influens mittitur; ita vt externa eo destituta algeant ab interno principio. Ratio dubitandi est; quoniam si huiusmodi febris à pituita putrescente creatur, & calor est tam remissus, vt quod concepit putredinem, nequeat

in

in vaporem resoluere, nunquam dabitur tam intensus calor, quod trahat ad se calidum influens ex partibus extrinsecis, ac per consequens non est causa probabilis infrigidationis externorum quod esse verum constat ex Galeno, qui nunquam à calore interno tractionem ex internis admittit, nisi quando vehemens est. Verba sunt *aphor. 48. ad finem. Quando aliqua fortis inflammatio in corporis parte profundiori, vel erysipelas euenerit, totus ex toto corpore sanguis ad locum trahitur patientem, atque ideo vruntur profunda, sed cutis refrigeratur, vt fit in principiis accessionum.* Verùm quia hîc loquitur Galenus tradendo duplicis læsionis rationem, vstionis nempe internæ, & frigiditatis externorum, & ad internorum vstionem magna inflammatio requiritur, non probatur idoneè ex hoc loco, quod ad tractionem caloris influentis magna inflammatio requiratur; verùm si attentè legatur, id esse necessarium apertè ex ipso deducemus, nam expositio eiusdem aphorismi ita habet: *Dignum* (inquit) *animaduersione est, numquid huiuscemodi casus possint in febre fieri intermittente; ego enim nec vidi, nec animo capio, videntur siquidem solis accidere in febribus, quæ causones ab incendio nominantur, perniciosis, vel si aliter libeat appellare malignissimis, veluti lypiriis; nulla verò febris alia profundas partes vrit, cute refrigerata*; nec enim mitior causon, nec tertiana, quæ duæ febres præ cæteris sunt calidissimæ; ergo si duæ hæ febres præ cæteris sunt calidissimæ, & non trahunt tam valide, quod extrema calore influente destituantur, implicabit quod à calore tam remisso vt in febre pituitosa datur, trahatur ad intra, ita vt cutis, & partes externæ refrigerentur: nec in lectione Galeni hactenus inuentum est, quod pituita tantum calorem concipiat, vt velut cucurbitula trahat spiritus, & sanguinem, & externa refrigeret, vt de inflammationibus dixit, & Hippocrates 4. *acut. à text.* 1. *vsque ad* 12. etiamsi febrem ardentem ob vstionem linguam nigram reddentem delineat, refrigerationis extremorum non meminit inter eius signa, non alia ratione nisi quia ad illud symptoma extremus calor viscerum requiritur, quod Galenus clarissimè docuit 4. *acut. cit. in expositione text. 9. & 13.* dicendo: *Febrem causon medicos reperio appellantes, cùm vrens caliditas, sitisque incompescibilis hominem torquet:* vbi planè admittit vrentem caliditatem, & incompescibilem sitim absque vllo externorum refrigerio; constat verò quod a pituita nunquam vrens caliditas emanabit, & per consequens nec spirituum, & sanguinis ex toto ad interna attractio fiet ab ea.

Neque obstat si dicas quod in causo à pituita salsa ponitur tanquam signum eius ab Hippocrate extremorum frigiditas: nam 4. *acut. text.* 16. legitur. *Et refrigerata extrema.* Sed ex hoc loco iuxta Galeni mentem potius contrarium deducitur; dicit enim quod tale signum perpetuum non est in eo causo, sed solùm cùm malignus fuerit. Verba sunt: *Verùm si malignus fuerit morbus, refrigerantur extrema ob virtutis imbecillitatem, phlegmonesque magnitudinem totum ad se sanguinem trahentis; nam absque iis nunquam lethalis efficitur morbus*: requiritur itaque magna inflammatio, vt extrema refrigerentur, ob quod inter lethalia signa frigus extremorum in ardente febre collocatur à Galeno 3. *prorrhet.* 61. quod non esset verum si signum essentiale causi à pituita salsa creari putaretur.

Si verò dicas, quod talis caloris motio non celebratur tractione, sed quia natura illum in partem affectam transmittat ad superandam morbi materiam, & corrigendum putredinis focum, vt Argenterius Galenum reprehendens putauit: contra est, quia cùm in omni febre putrida præter continentem detur focus determinatus, in omni deberet dari frigus extremorum, quia deberet à natura pelli calor vitalis in focum, quod est contra experimentum: nunquam ergo ob hanc causam dabitur lypiria, quia non dabitur frigus extremorum: cur etiam in epiala non pellitur calidum cum sanguine ad intra, cùm detur etiam interior locus læsionis, in quo materia putrescit. Multa tradit Gentilis vt Auicennam defendat, non multum probabilia, & mihi videtur verior opinio nostri Magistri, nempe quod talis motio ad intra fiat tractione, & per consequens esse admittendum interius aliquod tractionis principium: erit autem aut dolor, aut siccitas, aut calor, aut aliqua ex dictis. Quod si mente concipias vt natura pellat calidum influens ad locum, in quo humor putrescit, ad victoriam illius, vt Argenterius putauit, in omnibus dabitur motio ad intra, non tamen in omnibus sequetur externorum refrigeratio, quia in omnibus est æqualis transmissio ob finis defectum, aut virtutis debilitatem, aut vias impeditas, & in abundantibus calido influente, erit copia vt mittatur, & maneat nihilominus extrinsecè, vt habitus corporis calefiat, ad quod non leuiter conducet copia vaporum ab humoribus putrescentibus eleuata, quæ & impediant talem retrocessum, & calefaciant etiam extrinseca. Quæ solutio magis placuit Gentili, vt aliquando non fiat lypiria, sed epiala; si verò natura ad interna trahit calorem, quando nimis dissipatur, aut quouis modo in internis deficit, ne omninò deficiat vita, causa quæ internus spiritus assiduè corrumpit, erit etiam occasio, vt interius assiduè trahantur, & per consequens in externis deficient.

QVÆSTIO XV.

De Lypiria in via Galeni.

Nunquam in Galeni doctrina legitur quod lypiris febris à pituitoso humore creari possit, sicut nec in Auicenna quod ab inflammatione interna; & id docet Magister noster, & cùm Auicenna in lectione Galeni tam versatus fuerit, putat quod vt certissimam, & publicam eam omisit: addit verò suam ex pituita. Verùm si attentè Galenus legatur 4. *de victu acut. text.* 16. à pituita salsa eam videtur admittere. *Si malignus* (inquit) *fuerit morbus, refrigerantur extrema ob virtutis imbecillitatem, phlegmonesque totum ad se sanguinem trahentis magnitudinem, nam absque iis nunquam lethalis efficitur morbus.* Vbi à tumore, seu impropria inflammatione à pituita salsa manante, ob magnitudinem eius refrigerari extrema confitetur, quia totus sanguis ad locum inflammatum reuocatur: nullo verò modo diuersa ab inflammatione propriè dicta lypiria oritur, nisi deprauata tractione caloris, & sanguinis, qui à pituita salsa etiam à Galeno fieri admittitur: quod etiam Musa in *eiusdem loci expositione* apertè tradit. Ego verò censeo probabilissimum, quod tractrix facultas deprauatur in causone à pituita salsa ob adiunctam siccitatem, hac enim tractionem fieri humidorum potentissimè in externis apparet: qua ratione textum Hippocratis *6. epid. sect. 5. text.* 32. aliter quàm Galenus, & Vallesius interpretor: dixit ibi; *Attractio, pulmo, aridum incendium*; vt disiunctim legatur, ita vt duæ causæ attractionis tradantur, & pulmo, & aridum incendium: inuenio tamen aliud discrimen inter Galenum & Auicennam, quod ille semper insinuat vt interna debeant ardere, & exuri, vt lypiria creetur. Auicenna verò tantam vstionem non admittit, cùm à pituita absolutè lypiriam creari fateatur: vnde Galenus *lib. de definitionibus medicis*, lypiriam definiens dixit; *Est febris in qua extrema, & superficies refrigerantur, vritur profundum, excretiones detinentur, aspera sitientibus lingua est, pulsus paruus, atque obscurus, quasi calor se intro receperit.* In aliis verò locis vt

essentiale

essentiale tradit, quod interiora vrantur, & externa, seu cutis refrigerentur, vt constat ex *aphor. 6. lib.4 r.* vbi clarè docet, quod præter causonem perniciosum, & febrem lypiriam, nulla alia febris vrit profunda cum cutis refrigeratione; & *in fine aphor.* fortem inflammatiooem, aut magnum erysipelas requirit, vt sanguis, & calor influans ex toto ad locum affectum trahatur; ergo io doctrina Galeni lypitia febris causatur ab interno ineendio potenter ex toto traheote, quod aut datur cum magna inflammatione, aut vehementi erysipelate, aut incendio sine tumore, vt in maligno causo; nam causus (inquit) mitior non vrit profunda cum cutis refrigerio; alio modo creatur ex dupliei humore, biliofo nimirum, & pituitoso: ille in internis putrescens ea adurit, hic verò externa possidens eam refrigerat, cuius mentionem fecit Galenus *lib. de inaquali intemperie, cap.8.* & clarius *7. aphorif. text.42.* vbi lypitiam febrem extra inflammationem fieri docet, & morbum, non accidens, ipsam appellat. Verba sunt: *In quibus autem sine partis inflammatione putrescentes in venis humores febrem accendunt, in illis solis dicebant hominem à febre molestari, & ipsum à febre haberi, atque in ipsis febrium scripsere diarias, epialon, & lypiriam, elodem, & typhodem, pestilentem & causum.* Vnde eum planè fateatur non esse effectum inflammationis, alio modo causari debet. Est verò adductus, qui & possibilis, & probabilissimus est; nam vt in epialis datur contrariorum succorum per minima permixtio, & sic in eadem parta calor, & frigus percipiuntur, sic inquit Galenus *lib. de inaquali intemperie, cap.8. in epiala in partibus distinctis sensu, calor, & frigus simul sentiuntur*; nam quod in his febribus per maiores portiones accidit, in epialis contingit minutis; quod etiam *3. de præsagat. ex puls. cap.3.* tradit. Ex quo loco etiam constat, quod ad lypiriam requiritur frigiditas morbosa sicut requiritur in epiala, & ob id vtraque febris inter morbos inæqualis distemperiei à Galeno reponitur.

Ex qua doctrina taxandus venit noster Vallesius *5. controuers. cap.23.* nullam lypiriam admittens sine interna inflammatione, falsoque putat Galenum docuisse quod semper lypiria eum inflammatione coniungatur, cùm nullibi Galenus illud docuerit. Et ratio contra Vallesium est satis euidens, cùm nulla sit repugnantia, vt detur exterius succus frigidus, & interius calidus, & putridus acutam creans febrem, & interna vrens. Accedit etiam quod inflammatio vera non trahit spiritus, & sanguinem vt tumor est, sed vt calidus: potest verò tantus calor in internis absque tumore dari, vt datur cum illo, & fiet per consequens sine tumore similis attractio, & constituetur lypiria, quæ non sit semper accidens, sed verus morbus. Nec potuit Vallesius Galenum nostrum interpretari idoneè, docuit enim *7. aphor. text.42.* iam *citato*, sine inflammatione aliqua dari lypiriam; cui satisfaciens Vallesius respondet, quod sit intelligendus non de inflammationa absoluiè, sed partis determinatæ, quia lypiria ex quavis parte interna inflammata creari potest, non sicut febris pleuritica, & pulmonaria, quæ determinatam partem inflammatam exposcunt. Sed contra est, quia Galenus *in eius aphorismi expositione* planè dicit, quod quando ex humoribus in venis putrescentibus circa inflammationem aliqoam febris creatur, dicebant antiqui hominem à febre teneti, inter quas lypiriam enomerabant; si verò inflammatio esset semper reqoisita, impertinens esset, quod iotra vasa humorum putredo consisteret, quando inflammatio fieri nequit, si intra illa homores putridi contineantur; minúsque sustineri potest, qood rursus interpretatur, nempe eo fuisse à Galeno lypiriam inter febres morbos numeratam, quia semper præter inflammationem, quam necessariò requitit, datur in vasis magna

A humorum putredo, eaque maligna. Sed contra est, qoia hoc omninò est extra rationem lypiriæ, si semper debet esse accidens: & supponit etiam Vallesius id quod necessarium non est contingere, cur enim humores intra vasa puttefieri necessariò debent, vt inflammatio causetur? potiusque dicenda esset febrium complicatio, iuxta doctrinam Galeni, vt simul sint febris accidens, & febris morbus, esseque impropriissima, & tanto authore indigna loquutio. Melius ergo Auicenna noster frigiditatem externorum in succi frigidi præsentiam reducit, aut in calidi influentis retractionem, in quam etiam Galenus per affectus inflammatorios magnos, aut erysipelaceos etiam reduxit, vt lypiria febris modò sequatur accidentis naturam, modò sic sit verè morbus à nullo priori dependens, & hanc opinionem antiquo- B rum planè Galenus admittit inter febres morbos lypiriam collocando: quod repugnaret, si semper inflammationem, vt Vallesius putat, requireret.

Dubitant authores si lypitia ex inflammatione sit dicenda vere talis, an verò quæ ex succis oppositis creatur? Mercatus pendentem ab inflammatione spuriam vocat, legitimam verò aliam. Apud Vallesium quæstioni non est locus, quia vnicam solam ab inflammatione ortam admittit: quæstio quidem parùm vtilis, quia de nomine, vnde varie de iis authores loquuntur. Aëtius *tetr. 2. serm.1. cap.89.* dicit: *Et si quidem circa ventrem fuerit ignis sacer, erysipelas Græcis appellatus, febrem ex iis accensam lypiriam nominant; si verò circa hepar, vrentem, siue fumosam: si circa pulmonem, algi-* C *dam.* Galenus verò vt vidimus *1. aphor. text.42.* antiquum placitum referens dicit, quod lypiria inter morbos sit reponenda, quia febres ab inflammatione creatas non appellabant febres, sed accidentia. Vnde noster Vega *2. prognost. text.4.* concludit dicendo: *Nec video Galenum velle lypiriam febrem habere originem ex inflammationibus, licet sit ex sua natura talis, vt per ipsam interioribus exustis extrema refrigerentur, vt lib. de inæquali intemperie, Galenus de febribus, in quibus calor adest, & frigus in partibus distinctis, manifestè dixit. Nam intus in ipsis visceribus calorem sentiunt, in extremis partibus vniuersis frigus: tales perpetuo febres sunt, & quæ græcè lypiriæ vocantur, præterea febrium ardentium quoddam perniciosum genus: & 4. aphor. textu 48. interiora exuri extremis refrigeratis, dixit in febribus, quæ ab incendio causi ap-* D *pellantur, perniciosis, vel si aliter libeat appellare, valde malignis, veluti lypiriis; an verò temporibus Galeni ea tantùm appellaretur lypiria, in qua interioribus exustis extrema refrigerantur, & omnem talem debere ex inflammatione viscerum originem trahere, non satis constat, &c.*

Mihi videtur opinio Mercati verior, nimirum quod propriè sit diceoda lypitia ea febris, quæ ex duobus humoribus contrariis constituitur; hæc enim sola est, quæ statim à prima febris inuasione, & per consequens semper habet accidentia lypiriæ debita, externorum nempe frigus, & internum incendium: reliquæ verò affectiones nunquam cum frigora externo iocipiunt, & si incipiunt, oon perseuerant. Hoc vltimum dico propter accessiones quasdam incipientes cum vehementi E rigora, & interius calor satis magnus percipitur, verùm frigiditas illa statim transacto rigore, & principio cessat, reliquæ verò affectiones, vt erysipelata, inflammationes viscerum, & causi maligni nunquam cum frigore externorũ incipiunt, sed inducuntur solùm, quando tantùm increuit incendium, quod attractrix deprauata totum sanguinem, & calorem influentem ad locum affectum trahit. Vnde Galenus (vt rectè notauit Mercatus) semper distinxit lypiriam à causone maligno, & inflammationibus internis vrentibus Intus, & extrinseca infrigidantibus ob vehementiam tractionis, vt nunquam lypiriam appellauerit febrem, quæ ex interna inflammatione, aut causo maligno pendens externorum inducit refrigerium, vt benè

notauit Vega; *lib. enim de inaquali intemperie, capite 8.* dixit Galenus: *Nam intus, & in ipsis visceribus calorem sentiunt, in externis verò partibus vniuersis frigus: tales perpetuo febres sunt, & quæ græcè lypiria vocantur, præterea quoddam ardentium febrium genus perniciosum, &c.* Quod etiam tradidit 1. *aphor.* 18. vnde omnes aliæ passiones ob incendium internum attractricem deprauantes, & infrigidantes externa, ob similitudinem ardentium, lypiriæ dicuntur, non tamen febris earum est propriè lypirica, alioqui non distingueret eas *loco citato* Galenus à causone maligno, & internis inflammationibus, quando iam præ magnitudine algent externa. Intendit hoc placitum Mercatus probare testimonio Hippocratis *lib. 4. coacar. prænotionum, com. 1. text. 7.* dicentis: *Lypiria non soluuntur nisi cholera superueniat.* Qua sententia (inquit Mercatus) iudicium traditur lypiriæ legitimæ, sed est ratio nullius momenti: nam Holerius, & Iacotius de inflammatione Hippocratem intelligunt, quando nimirum partem cauam iecoris obsedit, quæ, teste Galeno, deiectionibus, & vomitibus commodè expurgatur, etiamsi eorum expositio non sit absoluta, cùm tamen Hippocrates absolutè in lypiriis mortem præsagiat, nisi cholera superueniat, & non faciat mentionem determinatæ partis affectæ; verum tamen est quod ea iudicatio febri lypiriæ legitimæ magis conuenit respectu causæ internæ incendij; nam pituitosus humor ambitum lædens cholericæ passionis author esse non potest: *lib. de indicationibus* sic legitur de febre ardente: *Solet autem, & ad lypiriam deuenire, & detinet magis quadraginta dies, & in epialam transit, & lypiria eadem quoque die corripit, ac dimittit, fit autem & capitis dolor: si verò lypiria non dimiserit in quadraginta diebus, sed producta fuerit, & dolor habuerit caput, & deliret æger, ipsum purgato.* Quæ verba de lypiria humorali extra inflammationem traduntur, tum quia eadem die solui posse docet, & rursus quod vsque ad quadraginta dies possit extendi, quod est omninò extra rationem inflammationis, quando sola magna, & ardens, sanguinem, & spiritum ad se reuocat, hæc verò tantum tempus non spectat, nec eodem die iudicari potest: tum etiam quia expurgatio affectibus inflammatoriis nocentissima esse solet, etiamsi verius sit de purgatione capitis præceptum traditum esse, non per pharmaca attractoria, sed aliis auxiliis caput deonerantibus. Itaque febrium tractatio non de iis quæ alios morbos sequuntur traditur; hæ enim cùm sint aliorum priorum morborum accidentia, ablatio earum à curatione eorum pendet; vnde cùm antiqui lypiriæ, & epialæ mentionem fecerint, vt morbos seorsim consistentes, distinctamque constitutionem habentes tradiderunt, quod vt vidimus absque ratione Vallesius negauit.

Constat ex dictis quomodo quælibet lypiria causetur; nam quæ propriè talis dicitur, duplici humore constituitur; frigido nempe exteriora obsidente, & calido interna vrente, quod est verum in doctrina Galeni; nunquam enim alio nomine, quàm maligno prauitatem huius febris exponit, & sæpe valde maligno; prauitas verò consistit in vstione internorum, siue causus sit, siue inflammatio propriè dicta, tantùm enim est incendium quod ex toto corpore sanguis, & calidum influens trahuntur ad locum incendij, deprauata attractrice, aut eius actu immodicè aucto. Quod verò ex duobus contrariis succis creatur, praua redditur, quia frigidus humor exteriora molestans ea condensat, & putrilaginis internæ resolutionem tollit, viscera propterea obstruuntur, grauantur, sordida fiunt, & suffocationis magnum periculum instat. Est verò necessarium, quod præ copia vaporum, fuliginum, & succorum putrescentium, qui suffocantur, vrantur prius, cùm plus ad suffocationem requiratur, quàm ad sensum molestum vstionis. Arguit etiam

A oppositorum humorum præsentia partes affectas contrariis affectionibus læsas, vt vnius curatio alterius prauitatem intendat: longiusque tempus requiritur vt vtriusque partis vitium emendetur, vt de variegatis deiectionibus cum Hippocrate, & Galeno communis schola medicorum docet; propterea Hippocrates loco *ex Coacis* adducto, vomitum, & deiectionem vt lypiriæ febres soluantur exposcit, quia nullus lypiricus, absque magna interiorum, & externorum repletione inuenitur, quòd ob cutis, & partium externarum refrigerium resolutio, & ventilatio excrementorum tollatur, & vbi vehementia caloris interni tanta est, omnia intro trahit, & vehementer retinet, sicque resolutionem dupliciter tollit, & frigore exteriorum, & deprauata attractrice, & retinente; inde pulsus
B inæqualis nimis cum paruitate, & summa crebritate inuenitur; & vt dicebat Hippocrates 2. *de morbis*: *Foris ad contactum febris debilis est, intrinsecus autem ardet, & lingua ipsius aspera est, & per nares, & per os spirat calidum, quinta die præcordia dura sunt, & dolor inest, & color qualis in morbo regio apparet, & crassam, ac biliosam vrinam eiicit, &c.*

Est verò facillimum distinguere lypiriam ab inflammatione ortam, ab ea quæ ob existentiam pituitæ in partibus externis causatur; nam in prima adsunt omnia signa inflammationis internæ, ardor nempe nimius, pulsus durus, sitis implacabilis, lingua aspera, dolor in viscere affecto, & alia symptomata cuilibet visceri inflammato debita, & propria, in qua passione
C frigus externum præcesserunt omnia signa dicta, quæ tractio tanta vt externa refrigerentur, magnam inflammationem requirit; idemque inuenitur in causo maligno absque inflammatione, facies etiam, & totum extenuantur, peculiariterque incendium intolerabile in foco putredinis, aut parte inflammata percipitur; at in lypiria propriè dicta statim algida externa cum incendio interiori se ostentant, corporis superficies turgida potiùs quàm extenuata percipitur, & ad albedinem tendens, & mucida potius, ac mollis ob humectationem pituitæ, & madefactionem, ardor minor est, & reliqua signa inflammationis deficiunt. Quod verè dixit Hippocrates 2. *de morb.* quod color, qualis in morbo regio apparet, hoc est color ictericus, seu pallidus, est commune signum inflammationibus
D internis, & causoni maligno, solet enim sanguis totus bilescere ob nimium incendium, sæpe etiam ob victus errorem crudis humoribus aceruatis in venarum angustiis ad cauam iecoris pertinentibus, magna obstructio causatur; quibus obstructis flaua bilis etiam detinetur, ibique crassescit, & putredinem concipit, & more affectus inflammatorij externa refrigerat, & interna vrit, & per totum corpus bilis in copia distributa morbum regium æmulatur, in cuius medela grauiter peccatur, si copia bilis conspecta, magnam refrigerationem imperes, cùm succi crassi, obstruentes, det neo'esque bilem, crassiores fiant, & magis obstruentes, malum augeatur, & bilis plus abundet. In hoc enim casu plus causa quàm morbus indicat,
E vt tota species curationis in auferendis obstructionibus collocanda sit, & in assiduo vsu oxymelitis, quod nimis deobstruens non accendit febrem, quod etiam bilis iam crassa non minus indicat, circa quod passim Medici errant, etsi doctissimi, linguæ asperitate, & implacabili siti hallucinati, cùm hæc & alia accidentia eueniant sæpe ob bilem vstione incrassatam, & copiam pituitæ prius obstruentis, & iam exsiccatæ, & velut tophaceæ, quæ humectantia, cum partium nimia tenuitate, & moderata frigiditate, vt dissoluantur, exposcunt: hæc verò indicantur vrgentius, si exploratis hypochondriis dolentia, & inæqualia, & non cedentia tactui percipiantur obstruentem enim crassam, & impactam materiam indicant,

quæ

quæ intensè ftigidis deterior semper tedditor, ob quod Hippoctates *loco citato ex Concu* choleram morbum, vt rectè ac securè lypiria iudicetur requirit, sic enim crassa materia impetu voinitionis, & immodetata agitatione exturbatur, ac pellitur, & præsettim quæ in cauis iecoris tenaciter hærebat: notabitis tamen quod io multis translationibus legitur a. *de morbu: Et calor qualis in morbo regio apparet*: ego translationem hanc errotieam censeo, & legendum, *color*, nam motbus regius ftequenter sine febre datur, cot malè assimilaretur calor ardentis febris.

Signa verò, quæ lypitiam Auicennæ ostendunt, perspicua satis sunt in litera, nec examine egent: est enim omnibus lypitiis necessarium quod externa semper frigida sint, interna verò calefiant: quod verò materia huius sit pituitosa, illius verò bilis crassa, ex signis cuicumqoe humori debitis facilè agnoscetur.

Dubitat tamen Auicenna, qua ratione lypitia dicitur febris, si in ea non procedit calliditas in totum corpos ex corde: & respondet quod febris dicitur caliditas tntius, dummodo non sit quod per totum distribui impediat, vt aqua ex propria natura dicitur frigida, & humida, si non sit quod impediat calefaciendo, & exsiccando, & graue dicitur quod deorsum mouetur, si suæ naturæ relinquatur: ita, inquit, in omnibus istis caliditas peruenit ad cor, & procedit in atterias, & spargitur. At verò accidit prohibitio illius io quibusdam locis, sicut accidit ei super quem ponuntur pruinæ, hoc est, si homini febtienti applicaretur portio pruinæ, aut niuis, pars cui applicatur erit frigida non dubiè, & nihilominus talis homo febricitans dicitur. Sic iu lypitiis, & epialis contingit, datur enim in eis quod impediat distributionem per totum. Iam verò retulimus impedientia, est tamen inquit Auicenna, necessarium, *quod nocumentum earum sit actu*, hoc est, febres illæ, etsi non calefaciant omnes partes, lædere tamen actu debeot, vt tales dicantur, quia cùm sint omnes febres verè morbus, & hic lædere actu debeat, ita & febres actu inducere nocumentum teoentur, quem locum aliter intelligendo Gentilis contra veram philosophiam illum exposuit.

QVÆSTIO XVI.

De Curatione Epialæ.

AVicenna curationem epialæ, & lypitiæ simol in eodem cap. tradidit, quia putauit ab eadem causa (pituitosa nempe) eas febres oriti, vnde *in initio cap.* dicit: *Cura eorum propinqua est cura quam diximus ante eos, & sunt ambæ associatæ vni via*: antea verò medelam tradiderat quotidianæ intermittentis, & continuæ, quæ appellatur latica, & à materia phlegmatica creatur; & inde (inquit) oportet vt incipiamus imprimis à syrupo acetoso, mellino, & succharino. Primus appellatur oxymel simplex, secondus acetosus simplex, quilibet extenuat, & detergit, sed magis oxymel ob mellis maiorem detersionem, licet Princeps non minorem saccharo tribuat, estque magis calefaciens ob eandem ratiooem, & conueniet per consequens humoribus frigidioribus, & tenacioribus, magisque glutinosis, & quando pressiores obstructiones molestant. Dicit rursus: Et præcipitur in eis ambabus, vt administretur agrestæ decoctum cum melle, & syrupus rof. qoæ duo auxilia non tantùm ad pituitæ incisiooem, & detersionem imperantur; sed præcipuè ad ventriculi roborationem; succus enim agrestæ inspissatus astrictorius est, siccatorius, & frigidus, cum melle verò propinatus, adstrictionis, & frigoris multum deponit, & ita roborat absque incommodo aliquo: præcipuus vsus eius est euacuata iam materia cruda à prima regione, aliuqui suspectus erit eorum vsus ob adstrictionem, licet in syrupo rosaceo minus inconueniens detur, quia minus adstringens, & frigidus. Iis commodè miscebitur syrupus de corticibus citri, & absinthij, in quibus absque frigore datur roborario idooea, & in syrupo de corticibus citri cardiaca proprietas, quia aromaticus, estque nostræ naturæ familiarissimus: io iis quidem febribus plus indicat causæ conditio, quàm febris, non enim intensione, sed diuturnitate necant, quod causa earum obstruat tenaciter, & difficillimè concoquantur ob crassitiem, & frigiditatem, & quia materiam spiritibus creandis non præbet, & partes quas obsedit velut mortificat, si acida, aut vitrea pituita sit.

Deinde author commendat vsum seminum incidentium, & attenuantium materiam crassam, & quæ per vrinas eam deriuant, vt semina fœniculi, apij, anisi, dauci, ameos, pettoselini, aut aquam eorundem simplicium; potest verò dari pulueris seminū dictorum ʒ. ß. aut ℈. ij. cum mulsa, aut ptisana, vt docet Iacobus aut in aqua coquantur, & dentur cum sacchato. Rursus iam præparatæ materiæ expurgationem commendat, & etiam vomitum, & quod magis laudat est vsus clysterum in quibus sit acuitas, & ponuntur medulla cartami, centaura minor, chamæmelum, anethum, melilotum, tribulus marinus cum sale, & melle, sic enim detergitur, & attrahitur, liquatúrque materia tam tenax, & lenta, ad cuius feliciorem euentum valet nimis benedicta laxatiua, & electuarium indum, diaphœnicon cum puluere castorei, clysteribus addito, vt si decocti iamdicti sumantur ℥. x. olei chamæmeli, anethi, & amygdalorum dulcium, ana ℥. j. benedictæ, & electuarij indi ana ʒ. iij. misc. notando quod in clysteribus ex rebus acribus paratis non iniiciatur sal, sed saccharum, quoniam salis mistura augens acrimoniam ne detineantur facit, & sic saccharum nigrum, aut album, quia sine acrimooia detergit, iniicietur; humorum enim tam crudorum generatio io prima regione celebratur, quam si prius non mundes frustra curatio febris ab eis pendentis suscipitur, ob quod ab vsu clysterum concoquentium, detergentium, & liquantium excrementa tam cruda, magnam ægroti sentient opem. Constat verò vel me tacente, prius esse imperandos clysteres concoquentes, & liquantes excrementa illa, deinde attractorij imperaodi; quippe vt medicamentum expurgans præparationem succorum requirit, sic clyster expurgaos, & quando materia attrahenda crassa, tenax, lentaque est, materiæ præparationem accuratam requirit, vt fine noo frustretur, neque tormina intolerabilia causet: concoquunt verò, & eliquant si parentur ex iure pingui, in quo chamæmeli flores, anethum, melilotum, caricæ piogues, & radices bismaluæ, & semina fœniculi, & anisi, & duo lauri folia viridia incoxerint lento igne, & vase coopetto: colaturæ sume ℥. x. olei chamæmeli, seminis lini, & amygd. dulc. ana ℥. j. mellis optimi ℥. i. ß. castorei ℈. j. misc. Vtilius est ius ex capite arietis quod magis emolliat, & liquet, & concoquat. Consulit etiam Auicenna, vt ventriculi magna sit solicitudo, est enim (vt dixit, & docuit Galenus 1. *ad Glaucon.*) officina assidua crudorum, & ab eisdem in eo stabulantibus rursus reparitur, & effœminatur: opus ergo est vt inducendo eius robori consulatur, ne cruda generet, & genita concoquat. Et quia Auicenna censuit, quod materia lypiriæ sit frigidior vt in plurimum, docet quod indiget maiori subtilitate, hoc est auxiliis plus attenuantibus, vt exponit Iacobus. Hæc Auicenna in medela

harum febrium : quia verò eius opinio à doctrina Galeni nimis differt ; oportet vt iuxta Galeni mentem vtriuſque febris medelam adducamus ; eſt tamen recurrendum ad *cap. de curatione quotidiana*, ad quod author etiam ſe remittit, vt ex eo reliquæ indicationes capiantur : eſt autem intelligendus de lypitia pituitoſa, nam quæ ex bile ereatur, vt bilioſa tractari debet.

QVÆSTIO XVII.

De Curatione lypirtæ Galeni.

DVplex lypirla ex mente Galeni adducta à nobia fuit : vna ex inretna inflammatione propriè dicta, aut ardore nimio abſque tumore in partibus internis, de quarum curatione modò non agimus ; pertinet enim ad caput de inflammatione viſceris inflammati, & de ardente febre, ſeu cauſone maligno, multaque diximus in textu noſtro de malignis eryſipelatibus, quorum propriiſſimus eſſe ſolet externorum repor, aut immodica refrigeratio. Altera verò lypiriæ ſpecies, cuius cauſa erit bilis ioterius putreſcens, & pituita in externis abundans, non leuem diſcordiam inter authores in modo curationis inuexit ; dantur enim in illa vt oppoſitæ cauſæ, ſic contrarij morbi, peſſimè enim frigiditatem externorum ſymptoma appellauit Mercatus ; eſt enim verus morbus frigidus, vt calidus, qui à bile interius creatur : ergo cùm duplex morbus ægros moleſtet, calidus nimirum internè, & frigidus exterius, dubium eſt à cuius ablatione inchoandum ſit, & quibus auxiliis : præcipuè verò dubitatur de miſſione ſanguinis, & expurgatione.

Ludouicus Mercatus *lib. 6. de febrib. cap. proprio*, litem ſic dirimit, eſſe nimirum inchoandam medelam à bilioſis humoribus intus putreſcentibus, ij enim vrgent, quia calidi, mordaces, putreſcentes, & præcipuè quia interiora moleſtant, & afficiunt ; ſunt etiam faciliotis eductionis, quia viis euacuationum magis propinqui, cùm pituitoſi ambitum occupantes, plus diſtent non dubiè, & non ob hoc ſolùm, ſed quia frigidiſſimi, & craſſi longam præparationem expoſcentes vt extrahi poſſint, bilioſi verò tenuiores ſunt, ex quorum eductione morbus (inquit Mercatus) aufertur, habita interim pituitæ vitreæ prouidentia, vt facilius medicamentis cedat. Et dubio ex mente Galeni poſito, quod ſanguis ſit extrahendus, quia in omni febre putrida ſalubertimam venæ ſectionem dices eſſe, cuius naturæ lypiria cenſetur, præſertim cùm interna incendio laborent ; contrarium verò ſuadet humoris bilioſi ſynceritas, eſt enim à ſanguine ſeparatus, & vſtus, & ſimul etiam copia ſucci tam frigidi, & crudi, qualis eſt vitrea pituita, externa refrigerans : hæc enim duo venæ ſectionem maximè dehortantur. Quo poſito dicit, durante affectu in ea natura, quæ poſita eſt, nulla ratione ſanguinem mitti debet, niſi ſimul redundantiam adeſſe conſtiterit, ob aliquam ſanguinolentæ, & conſuetæ euacuationis ſuppreſſionem : verùm ſi ex interna vſtione viſcus aliquod inflammari conſtet, aut frigidorum humorum maior pars coctione, aut expulſione euanuerit, abs re non erit velut in quotidianis ſanguinem detrahere, vrina id expoſcente, & remiſſa externorum frigiditate : quod prudenter faciendum eſſe conſulit, quòd ex errore grauius lædantur, quàm ex benè inſtituto auxilio inuenitur, ob humorum repugnantiam, & contrarietatem.

Magiſter noſter *lib. de febribus, fol. 176. ¶. ſed*

A *in curatione ſe offert dubium*, contrarium docet ; eſſe nimirum mittendum ſanguinem in hac ſpecie lypiriæ, etiamſi nulla euacuatio ſuppreſſa ſit. Fundamentum eſt, quia ſunt ſcopi neceſſarij, morbi ſcilicet magnitudo, & virium robur ; nec enim ratio idonea tradi poteſt, cur robur virium eſſe non poſſit, & inde vena ſecanda eſt, præſertim cùm illam indicat vſtio internorum, & frigus quod datur, externum eſt, negàtque bilioſum humorem ſeparatum à ſanguine eſſe, cùm ratio contrarium ſuadeat, ſi febrem continuam cauſat, vt cauſat reuera ; nec frigus extrinſecum tam intenſum eſt, vt tam neceſſarium auxilium impedire poſſit, cùm facilè inunctionibus, & frictionibus emendari poſſit, & humor ille reſoluatur ; nec frigus aliud interna pertingit, vt conſtat ex propria morbi idea, cùm interiora vrantur : vſtio B verò eorum attemperationem euacuatione humoris bilioſi indicat.

In re tanti momenti multa conſideranda veniunt, nec poteſt difficultas ſine magna ſolicitudine dirimi : rectè quidem contingere poteſt, quòd copia pituitæ extrinſecus exiſtentis ſit tanta, & tam frigida, vt ſi ſanguis mittatur, refrigeretur totum corpus, & compreſſum, aut denſatum à frigore, & diminuto calore ſuffocatus æger pereat, aut impotens factus ob caloris diminutionem, nec concoquere, nec reiiecre quicquam notabile poſſit : in quo euentu timor Mercati iuſtus mihi videtur, nec implicat, quod docet, eſſe nimirum bilioſum humorem ſyncerum, & ſeparatum à ſanguine. Holerius enim, & Iacotius eam ſententiam ex Coacis exponendo, *quod febres lypiria non iudicantur, niſi cholera ſuperueniat*, in caua C parte iecoris cauſam lypitiæ conſtituunt, quam bilis craſſa obſtruit, ibique detenta vritur, & inflammatur, in quo euentu non poteſt ſine magno diſcrimine vena ſecari, quia nihil humoris bilioſi educitur, cum in vena porta, aut ramis illius contineatur, à quibus ſecta vena ad cauam trahitur, & intermittitur humor cum certo ægrorum exitio. Nec obſtat quod in cauæ partis inflammatione venam ſecet Galenus ; eſt enim ratio diſpar, quia in inflammatione propriè dicta, eſt cauſa in poris cauæ iecoria eam diſtendens, lethalemque creans paſſionem ; vnde ſi humor ab eo loco ſeparetur, magnum commodum æger ſentiet, eſtque certum quod ſanguis ex ſecunda regione in eam partem confluxit, ac per conſequens commodiſſimè vena ſecatur. At in noſtro caſu tumor præter naturam non eſt, ſed propter obſtructiones va-D ſorum cauæ iecoris bilis detinetur, & putreſcit, creatque febrem lypiriam ; vnde cholera ſuperueniens magnum auxilium putatur, ob communionem vaſorum cum inteſtinis, & ventriculo : in hoc autem caſu vena ſecanda non eſt, ſed clyſteribus aſſiduis, & ſerapiis, aliiſque potionibus attemperantibus, & detergentibus humorem bilioſum præparare, & poſtea leuiſſimis auxiliis ex toto non trahentibus illum paulatim educere ; in quo caſu magni momenti erit medulla tamarindorum cum ſero lactis propinata, aut manna in eodem ſero diluta, aut in aqua hordei, aut iure auis cum hordeo, & violis præparato, aut ſerapium regium cum aqua endiuiæ, & medulla caſſiæ fiſtulæ recenter extractæ. Præſtat etiam ſyrupus ex nouem infuſionibus violarum cum infuſo rhabarbari E facto in aqua chicorij cum floribus vtriuſque bugloſſæ, violariæ, & hordei, ſic enim humor in caua parte iecoris medicandus eſt, nec ad venam ſecandam accedendum, niſi conſtet planè ſecundam regionem vitiatam eſſe, & ſanguinem planè corrumpi : quod indicabit præcipuè vrinæ vitium, & acceſſionum certa repertentia. Quod ſi ob incendium cauæ partis attractio ſanguinis fiat, vt ſolet, vena etiam ſecari

poteſt

potest ad præcauendam inflammationem, quæ exitiosa esse solet, & plus iodicate, vrgeréque potest, quàm quod timetur: timebatur enim, ne vitium cauæ partis ad venam cauam distribueretur; hoc timeodum non est, vbi caua pars ob incendiùm trahere cœpit, quoniam impetus irruentis sanguinis eam tractionem tollit, & impedit: potest etiam vitium secundæ regionis vrgere, & ita iis exceptis casibus vena secanda non est, quando bilis cauam iecoris partem obsedit, & à sanguine secreta est, vt Holerius, ex quo mutuauit Mercatus, docuit.

Est etiam considerandum ventriculi vitium, quoniam si datur copia succi tam frigidi, qualis est pituita acida, aut vitrea, scrutari oportet, si in ventriculo generetur, vt solet: quod si sit, inquirendum est, si in prima regione copia succi crudi contineatur, quæ primò euacuanda est, & roborandus ventriculus, alioqui ioemeodabilis noxa sequetur, si ante euacuationem crudorum, & firmitatem ventriculi vena secetur; videtur tamen difficile, quod si ventriculus sit author humoris tam frigidi, & ex eo ad ambitum corporis reiiciatur, non sit etiam totum corpus crudis repletum, & obstet nimis sanguinis detractioni, & creationi etiam, atque incendio humoris biliosi; estque rationabilius, si bilis interius abundet, & viscera vrantur, corporis verò habitus frigidis succis refrigeretur, & algeat, quod in ipso ambitu corporis creata sit materia pituitosa, vt lypiriæ febris origo sit iecoris caliditas, aut alia idonea occasio, & habitus corporis refrigeratio, quæ ex alimento accedente pituitam illam præternaturalem generet, iuxta doctrinam Pauli. Consideranda sunt hæc omnia, vt fructuosè vena secari, aut non secari possit, qualiter nimirum se habeat prima regio, si contineat succos crudos, & si bilis in caua iecoris stabuletur, ibique detenta putrefiat; deinde consideranda copia crudorum io venis & corporis ambitu: nam si bilem excedat, aut tanta sit, quod secta vena videatur probabile frigus superaturum, & recrudescere denuò materiam pituitosam, secanda vena non est; si verò in secunda regione bilis accendatur, & copia crudorum non sit tanta, constėntque vires, sequenda est communis methodus, & secanda vena, vt docuit Magister ex mente Galeni: & hoc auxilium iudicatur vrgentius, quia ob frigus extrinsecum minus corpus difflatur, & iotetius calidis excrementis augetur putredo, & suffocatur calor vitalis; minus tamen sanguinis extrahetur ob cruditatem pituitæ, & eius refrigerium, præsertim si ventriculi robusti certi non simus. Considerandus etiam locus inceodij interni, vt vena cum eo communis secetur, nisi euacuatio aliqua suppressa determinatam venam exposcat, iuxta communem, & sæpè reiteratam methodum: notabisque solicitè, quod si caua pars iecoris focus putredinis sit, solet dari sitis lugentissima cum linguæ siccitate, & asperitate: quæ duo accidentia Medici contemplantes ad secandam venam vehementer incitant, cùm potius perniciosa esse possit, nisi iam timor inflammationis cœptæ detur, vt docui.

Nec minus occasio expurgationis sub lite est: docet verò Mercatus, quod humor biliosus sit statim educendus sine signis coctionis, non minus quàm in humore turgente fit. Ratio eius est, quia circa viscera continetur, & timendum est ne in aliquod præcipitetur, & lethalis morbus creetur: secundò, quia ex eius retentione, maior & insuperabilis putredo suscitabitur, quia cùm non ventiletur corpus ob densitatem frigoris externi, quò plus detinebitur, sordidior reddetur putredo, ob quod (inquit Mercatus) si expedit, eadem die purgans auxilium imperabitur; ego verò meo more distinguendum censeo. Iam verò

A dixi, quod si in caua iecoris parte humor biliosus detineatur, vt docuit Iacotius cum Hollerio, non sit mittendus sanguis, sed expurgandum, non tamen sine præparatione, si obstructiones in ea regione fiot: est tamen celeriter præparatio facienda, & lenientibus leuioribusque medicamentis celebranda expurgatio: si verò in secunda regione humor biliosus sit, & sanguini admixtus, secabitur vena pro morbi & virium ratione, & non expurgabitur crudus, quicquid Mercatus dicat, quòd eius rationes friuolæ & inefficaces sunt: non enim traditur ratio idonea ob quam communis methodus non educendi materiam crudam violanda sit, imò vstio internorum, quam ingenuè Mercatus in hac febre admittit, expurgationem statim dehortatur, cùm nihil magis quàm B incendium internum expurgationi obstaculum ponat, quia trahit ad se quicquid commouetur, & inflammantur interna, magisque obstruuntur, desperataque redditur affectio; estque consilium Hippocratis *lib. de affectionibus*, dicendo: *Si verò externæ partes non valdè frigidæ fuerint, verùm interna, & lingua aspera, & nigra sit, huic pharmacum ne dederis; curato autem frigefacientia adhibendo, & ad aluum, & ad reliquum corpus, &c.* Clarius 2. *de morbis, sub tit. febres à bile*, dicendo: *Cibum autem ne exhibeas donec febris remittat, vbi verò sedata fuerit, pharmacum deorsum purgans bibat*: in quibus locis vt putat Marinellus ioquitur Hippocrates de lypiria febre. Quod si dicas agere Hippocratem de causone maligno trahente ad intra C spiritum, & saoguinem, in hoc verò extra dubium est, quod purgare non liceat; & si hoc fateamur, constat tamen quod medicari recusat ob internum incendium: quod cùm sit etiam in lypiria Mercati, & vstionem internam concedat, amethodè medicari statim in principio docet, absque vlla coctione, & præparatione: quod verò dicit de vrgentia humoris biliosi, indicationem auxilij non mutat, vt antea contra communem opinionem notaui; sed quod celerius, & maiori auxiliorum copia occurrimus, & interdum illi soli aliis neglectis; non tamen quod expurgatio indicetur ob vrgentiam si citra illam non indicabatur. Constat etiam hoc, quia si febris ardens ob nimium incendium vrgeret, mutaretur indicatio ad expurgandum, quod tamen non fit, imò ad secandam venam D vsque ad deliquium, cùm vsque ad illud quando non vrget, non secetur: nec probat Mercatus, quod semper vrgeat humor biliosus si cum pituitoso conferatur; hic enim & multus esse potest, & frigidus nimis, & quatenus densat, & comprimit totum corporis ambitum, ventilationemque prohibet, vrgere potest magis quàm biliosus.

Aliud in quo Mercatus sequendus non est, est quia putauit non esse occurrendum simul humori pituitoso, & bilioso: tum quia vt docuit, biliosus habet vrgentis rationem, & faciliùs naturæ coctionem, & beneficium admittit, quàm frigidus & crassus; tum etiam quia viis euacuationis proximior est; quæ rationes inanes sunt, tum quia biliosus non semper vrget, vt do- E cui, & dato quod vrgeret, non tollit quod simul alio minus vrgenti occurratur, si in auxiliorum natura non opponuntur. Quod verò biliosus citius coctionem admittat, est propositio de subiecto non supponente, quia pituitosus coctione non eget, quia putredine infectus non est; & si biliosum sine coctione educendum est in opinione Mercati, non est expectanda naturæ elaboratio, vt expurgetur, quod verò sit in viis proximis euacuationi, si de viis ad aluum ducentibus loquantur, verum est, sed hoc non tollit, vt humor plus distans educi vnà possit; si verò de viis resolutionis loquatur, proximior pituitosus existit: quod verò non opponantur in auxiliorum applicatione simultanea, clarum est, cùm loco distent satis notabili, & quod vni applicatur,

alij nocere non potest sensibiliter, & ita nihil obstat quod vtrique simul occurramus, vt malè Mercatus censet.

Certum ergo est, quod si sanguis mittatur, vtrique humori occurratur: eodem modo auxiliis præparantibus simul pugnatur, danda enim sunt, quæ attemperantibus bilem detergant simul pituitam, & eam dissecent, & concoquant, vt serapium acetosum simplex, aut oxymel, aut adianthi, cum syrupo endiuiæ, borrag. limonis, diluentur verò decocto radicum graminis, apij, petroselini, hordei integri, & florum cordialium, semper diligenter notando excessum cuiusvis humoris, & distemperiei ab eo ercatæ, vt ille plus emendetur: quod si os ventriculi debile percipiatur, diluentur serapia aquis absynthij puntici, & Romani, simul mixtis, aut in decocto relato addentur cortices citri, cinnamomum, & lignum aloë, si febris hæc calida auxilia non recuset, alioqui extrinsecus roborandus est; est tamen magni momenti robur illius conciliare, ne crudam materiam assiduè suppediret, & quia rarum est illam non generare, & in prima regione esse semper crudum quod obstruat, & hærens distemperet, vomitibus, & clysteribus euacuationem illius tentat Auicenna: & Hippocrates dixit, quod non soluuntur hæ febres, nisi cholera superueniat, cuius rationem ex mente Hollerij, & Iacotij antea retulimus. Indicat verò multitudo hæc bilis crassæ & crudorum deobstruentia maiora, per syrupum de bisantiis, acetosum, diarrhodon, de duabus, aut quinque radicibus cum aceto, & repetitur expurgatio per interualla serapio de endiuia composito cum duplicato rhabarbaro: diluetur verò cum decocto pugini sine speciebus, aut cum illis, vt fuerit maior succorum crassities, aut minor, vel incendium febrile. Iam verò diximus quanti momenti sit assiduus vsus clysterum acutorum, & si bilis crassa, & erodens, vrensque (vt solet) visceribus tenaciter hæreat, decoctum sic parabitur, vt detergatur, & obstructiones auferantur. Radicum fragariæ, graminis, acetosæ, ana ℥.j. petroselini, eringiorum ana ℥.ß. hordei integri p.j.ß. macerentur in aceto albo, foliorum endiuiæ, scariolæ, fragariæ, agrimoniæ, fumariæ, adianthi, ana m. j. quatuor seminum frigidorum maior. & minorum ana ʒ.ij. passularum Corinthij, & liquiritiæ, ana ℥.ß. foliorum vtriusque buglossæ, & violarum ana p. ß. coquantur in sero lactis secundùm artem, & aromatizentur cinnamomo, de quo sumentur mane ℥.vj. & eadem dosis vespere cum saccharo, aut dabitur aliquod serapium aperiens, & deobstruens, & superhibetur decocti quantitas dicta.

Interim dum hæc fiunt, euacuato prius corpore externa regio calefacienda, laxandaque est, & crassi succi extenuandi, quod præstat inunctio cum oleo chamæmeli, amygdalarum amararum, anethino, & rutaceo, & linteo calido oleum detergetur, deinde puluis nitri vsti oleis adiicietur, aut cum hordei, & orobi farina totum dorsum fricabitur; siccat enim, & optimè humores tenaces detergit, fient verò si euacuatum corpus iam sit, asperiores, durioresque fricationes, vt cruda pituita eliqueretur, & resoluatur; certum tamen debet esse, quod hæc febris rarissimè eueniet. Est verò frequentissima lypiriæ alia species, vt sunt frequentes inflammationes, & erysipelata viscerum, de quibus tractationem nostram anno præterito publicam fecimus.

Sed non caret ambiguitate, si pituita tam cruda & frigida ambitum corporis ambiens, sit expurganda, nam præterquam quod ob longitudinem viarum per quas educenda est, fortiua medicamentum requiritur, quod cum interno viscerum incendio periculosè datur, vt docet Hippocrates, est etiam incertissima pituitæ tam frigidæ, & lentæ, & crassæ attractio; & si attrahatur, non caret periculo læsionis internorum, & nouæ obstructionis: & meo iudicio si non constet clarè dari in venis crudorum quantitatem expurgationa egentē, securius censeo pituitam ambitus corporis inunctionibus laxantibus, abstersoriis, & resoluentibus insensibiliter educere, & si sudare æger incipiat, prouocare sudorem erit vtilissimum, nam & ipsa prouocatio remedium est contra cruditatem, crassitiem, & distemperiem frigidam ambitus corporis, estque doctrinæ Galeni consonum *lib. 3. de Crisibus*, *cap. 30.* dicentis: *Sudores verò omnibus febribus proprij sunt, præcipuè incendentibus*: vtrumque verò lypiria participat.

QVÆSTIO XVIII.

De Medela lypiriæ ex inflammatione.

ANtequam ad curationem attinentia exponantur, notandæ sunt occasiones ob quas externa frigere solent, vt inde explicemus, quæ ad lypiriam propriè pertinent. Est ergo prima occasio frigoris externi, animæ passio, quæ timor dicitur, tristitia etiam idem facit: hac constituta differentia, quod timor subito frigus inducit, tristitia verò paulatim, præstant verò externæ refrigerationi occasionem, quia in timore, & tristitia retrahitur calor influens cum sanguine ad intra, & extrinseca calidis substantiis depauperata infrigidantur ab interno principio, vt *cap. de lypiria* retuli, retractio verò illa attractice cordis celebratur, est enim viscus hoc animæ passionibus subordinatum quantum ad motus diuersos calidi influentis, varios motus eliciens, vt est in passionibus animæ varietas: ad has appetitus passiones dolor reducendus est, extrinseca enim vehementer refrigerat simili retrocessu caloris ad intra, quia in animi dolore vehementi, aut est timor mortis, & periculi, aut vehemens tristitia ob molestiam illius. Nec minus virtus in dolore labescit ob superfluam vigiliam, tam annexam sibi; neque modò controuertere intendo, si tristitia vt timor subitò possit necare? nam quod interimere queat, extra dubium est, dicente Ecclesiastico *cap. 30.* *Multos occidit tristitia, & non est vtilitas in illa*, &c. Est etiam in doloribus alia occasio externi refrigerij, quòd iuxta mentem Galeni, spiritus, & sanguinem in partem dolentem natura reiiciat, vt causa cruciatus superetur, & resoluatur, quem meo iudicio malè Magister noster impugnat in parte naturali, improbabiliorem rationem quàm Galenus reddens: putat enim Magister, quod dolore ipso attractrix illius partis deprauetur, vt deprauatur à calore: contra cuius doctrinam, & resolutionem, nondum publicè scripsi, etsi multa sint quæ alios opinionem difficilem reddant. Vnde constare arbitror, quod dolor internus duplici causa extrinseca refrigeret, & mortem adducat; omnes dicti (timentes scilicet, tristes, & dolentes) pereunt suffocati, sanguinis copia ad cor in talibus passionibus collecta, qua onustum immobile redditur, compressum tamen ratione passionis, & pondere sanguinis attracti, ob quod citius pereunt, quibus locus dolens cordi proximior est, dolentes verò extrinsecus, tardius multò, quia commotio spiritus, & sanguinis in locum dolentem, suffocationis causam ad cor venturam diminuit, velut in contrariam partem reuellens; necat ergo dolor internus, vt timor, & tristitia simul, & rursus quia natura in partem dolentem mittit, & per consequens magnum externorum refrigerium inducere potest, si vehemens sit; ob quod Hippocrates 7. *aphor. 26.* dixit: *In forti dolore ventris partium extremarum frigiditas malum.* Galenus *in comm.* *Fit (inquit) partium extremarum frigiditas, propter dolorem vehementem medias corporis partes occupantem, ob quem natura in seipsam contrahitur,*

contrahitur, & ad eam consequitur sanguis, non solùm extremas corporis partes derelinquens, veluti pedes, & manus, & caput, sed & cutem vniuersam. Intelligit verò per natutam contractam, & tetractionem ealoris vitalis (quem naturam passim appellar) ad intta, & contractionem etiam membrotnm, quam natura velut fugiens molestiam molitur, seipsam vniens: quod docuit Galenus 2. *prognost. tex.* 10. exponendo sententiam Hippocratis dieentem; *si autem testes, & pudenda reuelluntur, dolor vehemens, vel mors significatur.* Verba sunt; *Caterum, vt dolores faciant contrahi facultatem ad sese, iam sapius didicimus; ita merito fit, vt ob eos partes ad originem reuellantur.* Per facultatem spiritus etiam intelligit à quibus pattes omnes distenduntur, & corporatura, & ealore eorum: vnde quando ad intra fugiunt, tabidæ pattes externæ, & frigidæ simul percipiuntur. Eadem occasio in tigoribus febrium inoenitur, in quibus ægri tristantur, quia dolent, & malum imminens timent.

Alia causa frigotis externi est caloris vitalis insignis diminutio, ob qoam extrema corporis calefieri nequeunt: est verò duplex occasio teporis externi. Prima quod natura intus ealorem retinet, vt vita seruetur in internis eonsistens. Secooda ipsa ealotis paucitas, præsertim respectu partium externarum, quæ frigidioris tempetamenti sunt, & à caloris fonte plus distant; sie per longos morbos extennati, & maeerati, senes, & conualescentes tepidi exterius apparent. Huius causæ Galenus meminit multis in locis, & *in expositione aphorismi* 16. *lib.* 7. & *in expositione prognostic.* immediatè citati dicendo; *Nam vbi vitalis facultas intermoritur, proindéque extendi ad fines vsque corporis impos est, sed accumbit, & ad suam cogitur originem, & celerius.* Et 2. *prognostic. text.* 4. Propterea malignitas febtium ex tepote externorum merito redarguitur, quia vitalem calorem insigniter diminuit, vt pro calefaciendis externis sufficere oequeat adhuc existente calore febrili; quod præsertim verum est, si ob multitudinam suffocatio, & extinctio non fiat, nam quod hæc distributionem impediat, dubitatione caret, non tantùm quia à copia viæ per quas distributio eelebranda est, oceluduntur compressæ, sed etiam quia spiritus densati, immobiles etiam redduntur, & arteriæ quarum motione præeipuè distribuuntur, tardè, & paroè mouentur. Hæc est causa ob quam in omnium aceessionum initiis, etiamsi ægroti noo rigeant, tepidi axterius appareant: fumus enim ex incipiente putredine suscitatus, multus, crassusque est, velut qoi ex lignis viridibus eleoatur, qui & vias obstruit, & spiritus comprimit, & densat, eósque partim suffocat; arteriæ lentè, & paruè mouentur, sicque vitalis calor ad externa distribui non potest; in deliquiis etiam & syoeope, vt Galenus *in expositione aphorismi ex lib.* 7. doeet, externa refrigerantur, non solùm quia ex eonsumptione grandi spiritnnm deliquinm, & syncopis oriontur; sed etiam quia natura calorem remanentem intus detinet, ne vita deficiat. Aliæ duæ causæ sunt in febre lypiria telatæ, positio oimitom succi frigidi in partibus externis, & ingens inflammatio, aut erysipelas, vel incendium in partibus internis, à quotum ealore attractrix depranatur, & spiritum, & sanguinem intrò trahit, quod millies Galenus docuit, vt *aphorism.* 16. *lib.* 7. & 4. *aphorism. text.* 46. & clarissimè 2. *prognost. text.* 4. dicendo; *Itaque per morbos acutos tales refrigerantur partes, propè dixerim propter affectionem contrariam illi, que per morbos diutinos sale accidens infert*; per illos enim calot natiuus præ debilitate nequaquam permeat ad extremas corporis partes; in morbis verò acutis, propter magnitudinem inflammationis viscerum, parnm sanguineæ substantiæ in omne permeat corpus, plurimum verò eius in patte inflammatione affecta includitur. Constat verò, quod si febris lypiria internam vstionem, & frigiditatem externorum requirit, quod illæ solæ affectiones lypiriæ dicentur, à quibus interna vruntur, & febricitat eorpus, & simol externa tepida apparent; ita tamen hæc duo coniungi debent, quod non solùm simul esse debeant, sed & continue vtrumque afficere debet, & inde constat, quæ sint excludenda à ratione lypitiæ febris.

Solum potest esse dubium si sint dicendi lypirici, qui ob malignitatem febris spiritus extinguentem, internè febricitant, & externè tepescunt, perinde enim tales refrigerantur, sicut qui ob internum incendium spiritus intro trahunt. Est quæstio de nomine, & nullum legi sic affectos lypiticos appellantem; videtur tamen probabilius non esse dicendos tales, nisi internè B vrantur, iuxta Galeni mentem, qui vstionem internam in lypiricis semper insinuat vt necessariam, quam si exeludas lypirici diei possunt, quia vtrumque symptoma simul, & semper habere possunt, vt per internas inflammationes contingit; iam verò dixi, quod distemperies frigida externorum debet esse morbosa, non enim quæcunque est satis, vt lypiria ereetur.

Iis suppositis eertum debet esse, quod lypiria febris ab interno incendio, aut inflammatione, vel erysipelate orta, cùm sit accidens inflammationis, aut erysipelatis, non petit aliam curationem à morbo illam creante; verùm inter authores controuersia est, si quando iam frigiditas externa molestat, sanguis sit educendus, timetur enim totius refrigerium, & totalis extinctio caloris natiui, si sanguis extraharut; certum C enim est, quod missio sanguinis refrigeret multis rationibus, vnde aucta frigiditate extrinseca, magna fiet, & vineere poterit calorem viscerum. Accedit etiam, quod cùm frigus extrinsecum partes per quas fluere sanguis debet, condenset: extrahetur solùm, quod in sanguine spirituosum est, & optimum, cum magno ægrotantium incommodo, quia crassum manebit, & extrahetur quod refrigetio extrinseco occurrere magis potest, & sanguis etiam, qui primò fluere debet, concretus erit non dubiè, nec fluere poterit, quia frigori externo vicinus concrescet: qood præsertim verum videtur respectu cerebri; est enim in hac passione frigidum præter naturam, cui passioni non potest non esse D vehementer nociua sectio venæ, cùm refrigeretur magis, & fatuitatem inuettere potest. Quod autem caput frigidum sit, constat ex Hippoerate 2. *prognost. text.* 4. dicente: *Si verò caput, manus ac pedes frigidi sint, ventre, costisque calentibus, malum est.* Exponit verò Galenus eam sententiam de inflammarione profundum corporis oecupante, & trahente ad se sangoinem, & spiritus, & lypiticum statum inducente, & expositionem sequentibus verbis claudit; *Caterum vt febris lypiria nominata relegetur ad hoc genus, cuiuis perspicuum est.* Inde patet quod cerebrum in lypiricis frigidum sit præter naturam: quod verò sectio venæ eapiti frigido noeentissima sit, historia Alicarnassensis 7. *epid. text.* 105. adducta confirmat satis. Laborabat quidem dolore auris, E & capitis, non mediocriter, & quia à causa frigida tormentum earum partium pendebat, & vena secaretur, læsum (inquit Hippocrates) fuit caput, & refrigeratum, & periit phreniticus, hoc est amens, & delirans, & vt Vallesius potat, lethargicus. Galenus etiam 1. *lib. de locis affectis, cap.* 4. *de læsa memoria*, sermonem instituens, & Archigenem reprehendens, quòd sine discrimine venam secare præcipiat, sic scripsit: *Si enim fortè fortuna, vt nonnunquam euenire solet, frigida, aridáve fuerit dispositio, sanguinis quidem detractio ad extremum ducit periculum.* Nil clarius proponi potnit; periculum, quod sectionem venæ, si caput sit frigidum, aut siccum, comitatur: tandem quia quando iam tam grandis inflammatio est, vt sanguinem, & spiritum trahat ex toto, præcesserunt neeessariò sectiones

venæ, quæ ſi auxilio non fuerunt, nociuæ deinceps putandæ ſunt.

Sed contraria ſententia videtur probabilior, eſſe nimirum ſecandam venam, ſi vires conſtent, eam quòd morbus ſit magnus, & curatiſit, indubitatum aſt, & per conſequens adſunt ſcopi ad mittendum ſanguinem. Ita docet Ludouicus Mercatus dicendo: *Verum ſi ex interna viſione aliquod viſcerum inflammari conſtiterit, aut frigidorum humorum maior pars coctione, aut expulſione euanuerit, abs re non erit velut in quotidianis ſanguinem detrahere, &c.* quod infeſtius tepetit dicendo; *Vel ſi vrgeat interna inflammatio, caute, prudenter, & pronunciato prius periculo facies, idque maximè ex ſalutella dextra, aut ſiniſtra manus, quoniam externa partes reſt gerentur, & interna manus beneficium recipiant.* Magiſter noſter *lib. de febribus, fol.* 1070. indubitatum eſſe aicit, quòd ſectio venæ celebranda ſit, quia adſunt ſcopi neceſſarij, aot ſaltem adeſſe non repugnat; quod intelligit, ſiue inflammatio primut morbus ſit, ſiua ſuperueniat alteri morbo, & ardenti febri, dummodo virtus ſit pro auxilio ferendo. Et ratio eſt, quia internæ inflammationes, & præſertim tantam magnitudinem nactæ, vt ſanguinem, & ſpiritus trahant, alio auxilio moderati non poſſunt: vnde aut in certa deſperatione æger relinquendus, aut ſecanda vena, & cum periculo aliquid tentandum. Idem docet Holerius *lib. 1. cap. proprio*, & Duretus ſuper eondem locum, & Foreſtus *lib. 2. obſeru. obſeru.* 36. etſi meo iudicio curationem illius adoleſcentulæ malè inſtituerit, & its mihi videtur, quod ſectio venæ conueniat, vt allati Authores docent.

Neque in contrarium dicta ſufficienter quod intendunt, probant, quia ſi ſectione venæ inflammatio moderatur, temperabitur per conſequens frigus externum, quia moderatur cauſa attractionis ad intra, vt eiſdem auxiliis quibus inflammationi medemur, frigori etiam externo occurramus. Eſt verò brachium, aut pars in qoa ſecanda eſt vena, calefacienda prius durioribus frictionibus, & in aquam calidam immittenda; ſic enim concretio ſanguinis, & viarum auſertur; frigus verò cerebri internum non eſt, & ſi ſit, non tollit auxilium, ſed ab eo (vt dixi) quod calefiat, lucratur, quia cauſa attrahendi ad intra remittitur, & vt primus morbus auſertur, frigiditas cerebri conſequenter deſtruitur, & caput calefacere extrinſecus facillimom eſt.

De vſu medicamenti expurgantis iam docui, quid tenendum ſit, & ſi in lypiria orta ex humore ſine inflammatione, non licet ſine coctione mediicari, minos hoc auxilium conueniet, quando inflammatio moleſtat; quod in arte medica videtur mihi primum principium. Expectandæ ergo ſunt declinationis notæ, in qua adhuc expurgatio non caret periculo, ſi non fiat taliter, quod medicamentum ea ſolo membro inflammato trahat: nam cùm membrum inflammatum (etſi ſit in declinatione) ſit neceſſariò obſtructum, & compreſſum, quia tumore præter naturam afficitur, impinguntur humores, qui ex aliis partibus commoti in illud deriuantur. De hoc argumento dixi multa in curatione iecoris inflammati, vbi docui iuxta mentem Galeni, leuia medicamenta, & cibis admiſta, etiam ſi nè coctionis ſignis imperari poſſe, dummodo à ſolo iecore trahant: eſtque hoc præceptum intelligendum de partibus inflammatis in naturali regione; nam ſi ad vitalem pertineant, minori periculo expurgantur, quia viæ per qoas humor educendus eſt, liberæ ſont, & nihil commotum impingitur, cauendo ſolicitè, ne expurgatio imperetur, quando natura accuratè mouet per ſputum; eſt enim tractio perfectiſſima, & nullo modo impediri debet. Expurgandum ergo eſt, quando ſputum ceſſauit, aut parum per illud educitur, manet tamen febricula orta ea terreo obſtruente, quod in ſputum mutari non potuit: ſi verò febris putrida cum affectu inflammatorio copuletur, expurgationem expoſcere poteſt ſibi propriam, in qoo caſu velut in morbis diuerſis operandum eſt; & ſi ſit inflammatio in parte naturali, expurgabitur locus inflammatus, omninóque recludetur, deinde humores vaſorum; ſi verò in thorace inflammatio conſiſtat, prios vaſa expurgabuntur, deinde locus affectus, etſi nullum inconueniens detur, ſi vaſa ſimul eum affecto loco expurgantur.

Topica auxilia varia ſunt, vt varia eſſe poſſunt membra inflammata, & in qualitate etiam magna variatio admittitur iuxta tempora diuerſa inflammationis; nec minus tamen in intenſione varientur ad portionem incendij, præſertim ſi eryſipelatis partieeps ſit affectio, de quo in ſingularibus capitibus authores longiſſimè tractant, & nos textu noſtro de malignis eryſipelatibus egimus.

Sunt alia duo auxilia magni momenti in curatione inflammationis naturæ. Primum appoſitio hyrudinum venis hæmorrhoïdalibus, quando ſanguis ob debilitatem amplius mitti non poteſt: quod auxilium in iecoris lienis & meſerei inflammationibus impetandum eſt, de quo contra Maſſatiam *textu noſtro de maligna febre* egimus: & contra communem methodum mihi etiam videtur, quod quamuis virtus ad ſectionem venæ conſtaret, ſit imperandum, & celebra huiuſmodi auxilium; non enim loco ſectionis ſubſtituitur, ſed per ſe velut deriuatorium requiritur, quia immediatius vaſa illas partes fouentia euacuat, quòd venæ hæmorrhoïdales ſint extremitates eorum; verùm magis non dubiè inflammationi, lienis & meſerei auxiliatur, ibique vnde oriantur huiuſmodi vaſa explicuimus latè, vt ex pſotum anatomia conſtarat, quibus partibus affectis plus conſerant.

Secundum auxilium eſt, & celebre etiam, locum inflammatum ſcarificare, præſertim quando ob phlegmonis magnitudinem periculum mortis, aut ſuppurationis timetur; eſt enim ſuppuratio ſemper ferè mortifera, vnde ad eam præcauendam eucurbita ſupra locum inflammatum apponitur, ſcarificata prius plagis profundioribus parte: vtuntur Medici prædicto remedio in iecoris, lienit, thoracis, & cetebri inflammationibus, & communiſſimè in dolore pleuritico. De oceaſione verò, in qua locum affectum ſcarificare liceat, magna ſolet eſſe in conſultationibus altercatio: ſunt enim quidam tam religioſè quædam præcepta obſeruantes, quòd non paucos petire prius permittant, quàm ſuapræcepta peruertere. Dixi meritò ſua, quia Patrum, & Magiſtrorum non ſunt. Ergo, dicunt iſti, cucurbita ſupra locum affectum applicanda non eſt, ſi iam inflammatio non declinauerit, ita vt ſi ante inclinationem præ magnitudine febris, reſpirationis difficilis, dolorum acerbitate æger manifeſtè periclitatur, tali auxilio nullatenus vti audeant, eo quòd ſuo iudicio plus damni, quàm commodi ſit recepturos. Fundamentum eſt quod ante declinationem vniuerſalem pius trahitur ad partem quàm per ſcarificationem euacuatur, adducunt in huius rei confirmationem aliqua Galeni teſtimonia. Primum habetur 11. *method. cap.* 18. in initio. Verba ſunt; *Eadem ratione in cerebri & eius membranarum phlegmone, cucurbitulis in morbi initio vtemur, verùm vbi nec infixit adhuc quicquam, & totum corpus prius eſt vacuatum*: & 13. *lib. method. cap.* 19. ſic ſcripſit: *Hac ratione, & cucurbitula (ſtrenuum plane auxilium) eſt inuenta, tum vt foras euocentur quæ ſunt in alto, tum vt eximantur atque erumpant, quæ iam in ſchirrhum abeunt*: verùm vtendum cucurbita in ipſa parte quæ phlegmone vrgetur, inter initia non eſt, imò poſteaquam totum corpus vacuaueris, ac neceſſarium ſit, eorum quæ inflammata parte continentur, aliquid educas, atque ernas, aut etiam foras verſus attrahas. Et expreſſius loquitur 2. *ad Glauconem, cap.* 2. *ad medium cap.*

cap. dicendo; *Sic & hepati, & spleni cucurbitas applicamus, sic & quodlibet aliud patiens membrum scarificamus, si non amplius humores insinuant (tunc enim magis irritaueris, ac malum duplicaueris) sed quando iam totum corpus expurgatum fuerit, nec iam aliquid influit, aliquid verò quod pridem influxerat, in membro continetur.* Quo loco clarè Galenus cessare protsus fluxionem cupit, vt absque noxa cucurbita scarificetur.

Hæc praxis admittenda in vniuersum non est, imò interdum decet, & est necessarium cucurbitulam scarificare, antequam vniuersalis declinatio adueniat. Ita Magister noster *lib. de febrib. fol.* 1071. §. *sed hæc non sufficiunt*; & ante illum doctissimè docuit Vallesius noster 6. *epid. sect.* 1. *text.* 6. & ante illos Galenus *eodem textu* 8. dixit enim Hippocrates eo textu: *derivare, cedentem retrahere statim, renitenti cedere*, in cuius loci expositione sequentia verba pulchra Galenus scripsit: *Sed Hippocrates reuulsionem silentio præteriens illicò ad illud se contulit, quod reuulsuris humores malè in aliquod membrum irruentes, vtilissimum cognitu erat; nec enim semper in retrahentibus auxiliis permanendum est, sed aliquod tempus, quod retrahentibus vacet, interponere oportet, vt succum, qui in affecto prius membro inhæserit, excernò permittamus: in membro enim remanens ipsum bifariam contristabit, & multitudine distendens, & qualitate discrucians. At si humores in particulam prius illatos exire permiseris, ipsam dolore liberabis, faciliusque reuulsoriis auxiliis aliquid proficies, non amplius in seipsum membro propter dolorem succos proritante, vltra eam quam à principio non rectè acceperant inclinationem.* Galenus hactenus: quibus planè docet, licere à parte euacuare, vt fluxio cesset, & postea reuulsoriis auxiliis vtilitatem maiorem afferamus. Rationem insinuat, quia dolor, & distensione, & alteratione præter naturam magnus esse solet, & cùm ille fluxiones ad partem dolentem vehementer concitet, si non moderetur, nunquam fluxio cessabit: ergo vt cesset, succus in parte contristans extrahendus est, & sic reuulsoriis auxiliis post eam inanitionem applicitis, magnam ægri sentient opem, quia dolor non trahit, & reliquis auxiliis, quod erat fluxurum, retrahitur. Quam doctrinam sequutus noster Princeps dixit; *Si velis ad diuersum trahere, dolorem membri à quo trahis, prius seda.* Legatur Vallesius pulchrè vt solet, & rationibus, & experimentis Medicos nimis methodicos, & non attemperantes omnia medica præcepta vrgentiæ indicatione suggillans: *Ita etiam* (inquit) *sæpe in eisdem inflammationibus, cùm reuulsioni non satis cederent, & timerem ne phlegmonis magnitudine anticiparent mori, alternatè vtens missione sanguinis secundùm rectitudinem, & scarificatione ab admotis parti cucurbitulis, plurimos mihi videor mirificè eripuisse, cùm alij Medici cunctari iuberent, & methodum non semper vtilem obseruare*; & hoc insinuauit Hippocrates, dicendo, *renitenti cedere*, hoc est si malum, aut fluxio renitatur, taliter quod communibus auxiliis reuulsoriis non cedat, cede tu ab eis, & quod in parte impactum est, euacua ob dictas iam rationes. Addo ego quod interdum euacuatio ita facta satis esse potest, vt omninò fluxio intercipiatur; potest enim dolor ipse esse causa totalis fluxionis, indéque moderato eo, omninò cessare; dolor enim non solùm superuacua, sed & ea quæ necessaria sunt, & naturalem mensuram non excedunt, sæpè trahere cogit, quo fit vt semel moderatè non fluat quicquam amplius: de quo argumento in medela plenitudinis longissimè egimus: estque sequendum Aëtij consilium, quod eodem die rursus cucurbita supra primas scarificationes applicetur, sine noua tamen scarificatione; quia in hac secunda appositione, non sanguis, sed virtus extrahitur, notátque vt oleo, & salis momento vlcuscula inungantur, ne claudantur ante secundam applicationem. Alij linteum oleo madidum superimponunt, vt minus excruciet acrimonia sa-

A lis, inunctio etiam cum oleo amygdalino dulci vnionem scarificationum impedit: neque mihi probatur Medicorum communis consuetudo, non enim nisi semel cucurbita scarificata supra locum affectum vtuntur: est non dubiè reiteranda, si opus sit scarificatione, quod etiam notauit Vallesius in fine expositionis sententiæ iam traditæ, dicendo; *Alternatè igitur reuellendum & euacuandum, cùm in loco magna molestia sentitur, vt reuulsio faciat, quominus aliæ partes mittant, & euacuatio quominus affecta trahat.*

Quando præ magnitudine inflammationis, aut incendio solo interno algent externa, opus est magna distinctione, nam magna inflammatio nisi magnis euacuationibus non sedatur, & quò plus frigida per os

B propines, crudiorem materiam reddes, & contumacissimam, vt resolui possit: quod maximè notabitis, né siti, & caloris intensione hallucinati, potiones plures, & frigidiores imperetis. Largior etiam potus in magnis tumoribus internis distensionem auget, & respirare difficillimè cogit, & fatigati hac ratione plus læduntur, & sitiunt, est enim in magnis tumoribus magna, & vrgens indicatio, quæ à causa sumitur, cuius euacuationem omni ingenio procutare debemus, quam omninò largior, & frigidior potus inhibet, & remoratur. Tradit Forestus *loco citato* incommoda quatuor largiorem, & frigidum potum comitantia. Primum est assidua vomitio, effœminato simul à frigore, & grauato à copia ventriculo. Secundum alui fluor, facilè in leuitatem intestinorum permutabilis, quæ duo acciden-

C tia cotationi inflammationis magnopere obstant. Tertium est quod tantus potus in ventriculo si detineatur, distensionem, & respirationem difficiliorem, crudorúmque tumorem reddat, quæ sunt vehementer nociua. Quartum est, quòd diabeticam passionem, seu vrinæ fluorem inducat, quod mihi videtur difficile. si diabetica passio ex renum incendio, aut siccitate oriri debet; nam qui immoderatius bibit, si multum lotium emittat, securior casus videtur, quàm si interius detineatur potus, fortassis debilitata retinente, renum serum non detinet, & sic assiduè ad vesicam transmittitur quod vitium immoderatus potus, & frigidus nimis inducere potest. Galenus 4. *acut. text.* 4. sic scripsit; *Cùm aluus liquida esse possit, tum propter ventris phlegmonem, tum*

D *propter contabefacientem, colliquantemque febrem, frigidæ potus phlegmoni contrarius est, colliquantibus verò febribus conuenientissimus.*

Si verò incendium vrgeat absque tumore, largior, & frigidior potus medela est, vt est etiam si erysipelas exquisitum viscera afficiat, de quo textu nostro *de malignis erysipelatibus* egimus. Constat verò quod in interno incendio absqoe tumore opus non est cucurbita scarificata, sed externis auxiliis refrigerantibus extinguendum incendium est, quorum multa textu dicto retulimus, & Aëtius, & Tralianus multa & optima recensuerunt, *cap. de affectu viscerum erysipelaceo.* Est tamen optima potio ex sero lactis curiosè distillato, cuius sume lib. ij. vitrioli g. xij. syrupi ex acido citri ℥.i.ß. misc.

E Quæ verò ex Galeno adducta fuere, intelligenda sunt, si malum non vrgeat, & communi, & regulari methodo fluxio cedat: quod si non fiat, euacuandum à parte modo adducto ex Hippocratis, & Galeni mente, præterquam quod in rigore loquendo testimonia adducta euacuationem totius ante cucurbitæ applicationem consulunt, non tamen omnimodam euacuationem. Nos verò addimus, quod effectus secundarij non sunt omninò certi, etsi sint possibiles, primarij verò omninò certi sunt: ita euacuare contentum succum à parte inflammata, est necessarium, si scarificetur cucurbita. Quod verò trahatur ad locum derelictum in parte nouus humor, certum non est, quia cùm pars inflammata esset distenta præter naturam; si euacuetur humor distendens;

distendens, concidet pars in sese, & non trahetur aliquid consideratione dignum, quia locus vacuus carne propria replebitur absque noua tractione, vt fit etiam in vniuersali declinatione, quando scarificatur cucurbita; tunc enim nihil trahitur, etiamsi quod impactum est, totum educatur, & fit eadem ratio trahendi, nempe gratia vacui. Vt ergo in declinatione pars propria concidit ad replendum vacuum; sic in quouis tempore concidere poterit, & non implebitur magis de nouo. Nec obstat quod si hoc ita esset, in quouis tempore liceret partem ab humore contento liberare, quia in quouis tempore concidet caro partis, & replebit vacuum; sed hoc nihil valet, quia si quod mouetur ad partem, fluit ratione doloris, vt cessat dolor, cessat etiam attractio. Si verò consideretur, quod totum transmittere poterit, non est dubium, quod cùm in principio vniuersali sit multum, inclinetur totum, & impetu magno in partem reiiciatur, & sic concidentia partis impetuosæ motioni resistere nequibit, & magis quàm antea implebitur; si verò quod transmittendum est, nimium non sit, impediri poterit à partis concidentia, & partium etiam vicinarum, ita vt amplius non fluat, & pars à dolore liberata non trahat. Est etiam considerandum, quod plenitudo post aliquas euacuationes prius factas, potest esse in venis proximis parti inflammatæ, & hoc est rationabilius, quia sectio venæ ex venis maioribus prius, & magis euacuat; quæ verò sunt loco affecto vicinæ, minus multò inaniuntur. Vnde probabilius est, quod si post aliquot totius sectiones fluxio durat, foueatur à plenitudine vasorum proximorum, quæ etiam facile ob viciniam à calore, & dolore trahitur: hanc verò plenitudinem loco affecto tam proximam cucurbitula scarificata mirificè tollit, & ad extra reuocat, quo facto, quod erat in parte contentum, mouebitur ad replendum vacuum vasorum vicinorum, aut si id non fiat, cùm iam non sit, quod in locum affectum reiiciatur, nec trahatur ab eo, & incipiat necessariò resolui quod partem obsidebat, minuitur malum, & omnia accidentia. Et opinio contraria adducta iam ratione manifestè conuincitur; nam si incendium, & dolor sunt tractionis causa potentissima, & hæc accidentia vrgent, quando inflammatio est in vigore summo, scarificatio causam doloris, & caloris educens tollet necessariò fluxionem, quia in vigore tumoris nihil iam mouetur: ergo si quidquid trahitur est ob vitium partis affectæ, declinato vitio, declinabit attractio. Est etiam aliud commodum in dicta euacuatione, quia præ copia humoris confluxi calor partis extinguitur, aut humor præ incendio malignè corrumpitur, & gangræna fieri incipit interius, cum ineuitabili morte; sæpè enim copia humoris, quæ nec febre, nec accidentium grauitate necaret, interficit, quia respectu partis magna est, & ab ea emendari non potest: inducta verò maiori putrescentia, quia non corrigitur, pars sphacelatur, & mors ineuitabilis est. Sunt ergo vtilitates euacuationis à parte, quòd attractio calore, & dolore efficienda præcaueatur, quòd suppuratio, & mutatio in gangrænam impediatur, & tollatur plenitudo parti proxima, à qua certius est fluxionem foueri.

Sed vrgeo magis falsitatem contrariæ opinionis. Duplex declinatio in tumoribus à Galeno adducitur, vna quatenus tumor præcisè, & hæc constituitur per minorem tumorem: alia adducitur penes alterationem materiæ iam fluxæ, vt principium tumoris sub hac consideratione sit totum tempus fluxionis; reliqua duo per alterationem materiæ iam fluxæ, & declinatio per mutationem factam in pus, aut quia fluor, qui suppuratur, aut digeritur, minorem tumorem, aut tensionem reddat, vt docet Galenus *de totius morbi temporibus, cap. 3. class. 3.* In prima consideratione est constans doctrina Galeni, & omnium, quod vigor constituitur per totale incrementum tumoris, in quo tempore iam nihil fluit; sed tumor sub eadem magnitudine stat, ergo si in hoc tempore scarificetur pars, non erit quod ex toto fluere possit. At verò secundùm aliam considerationem, idem argumentum habet vim maiorem, quia principium vniuersale definitur à Galeno per totum tempus fluxionis, quo transacto, nihil sensibile influit; tunc verò si scarificetur pars, nihil attrahitur, quia non superest, quod à natura pellatur ad locum affectum: ergo in prima acceptione securissimè scarificatur in vigore tumoris, in secunda verò in augmenti principio. Cur ergo tam obstinatè hæc opinio declinationem spectat, ad quam vt veniat, erit interdum necessaria scarificatio, quæ si non fiat, interficiet antequam declinet, vt Vallesius, & Magister noster docuerunt. Maiorem dubitationem habet, quam nullus proposuit, qua ratione humor impactus in parte inflammata, quando coctus non est, possit educi; nam in huc etiam casu vera est doctrina Hippocratis 4. *acut. text.* 22. quod cruda passio non cedit; secare etiam crudos tumores refugiunt omnes velut irrationabile, imò si secentur crudi, nihil tumor minuitur, sed manente eo quod prius confluxerat, sanguis è vasis partis inflammatæ syncerus emanat; vnde non videtur satis, quod docent authores relati, nempe quod tumor ob magnitudinem, aut symptomata vrgeat, vt scarificetur pars inflammata; sed expectanda est declinatio, vt contraria opinio suadebat, qua insinuatur materiam iam coctam esse, & extrahi commodè posse; experimento enim constat, quod si tumor crudus secetur, aut scarificetur, dolores intolerabiles exurgent, fluxio irritetur, & debilitato partis natiuo calore, quod impactum erat non coquitur, nec superatur, sed in fistulam, aut praui moris tumorem, & vlcera determinatur.

Verùm hoc non obstat in nostra praxi, non enim pars affecta scarificatur, sed cutis quæ sana est: est tamen interdum tanta potentia tractionis gratia vacui, quòd educatur, quod crudum omninò est, & sic in nostro casu contingit, quod si resistentia tanta sit, vt trahi gratiâ vacui non possit, per accidens est vt auxilium impertetur, cùm illud constare non possit. Sic Galenus 2. *de victus ratione in acutis* docuit, tam impactum interdum esse sanguinem in loco inflammato, quod nihil illius exire permittat, & ob id non semper conuenit mutationem caloris in dolore pleuritico expectare, estque non parui momenti adducto remedio venas loci inflammato proximas inanire, vt quod impactum est, resoluatur.

Est tandem notandum, quod Galenus *lib. de totius morbi temporibus cap.* 3. augmentum inflammationis sic exposuit; *Cùm autem influxus cessauerit, & quod in particula inflammatione obsessa continetur, putrefieri inceperit, calor quidam ob putredinem nascitur, & fusio magis propter calorem; vnde etiam spiritus generatur, atque ob hac magis quàm antea distenditur, etiamsi nihil influat, & duplex hoc tempus est inflammationis augmenti, quibus constat tumorem crescere posse, & accidentibus maioribus, ac febre intensiori vrgere, quando nihil influit.* Vnde explicatur magis, & stabilitur simul sententia nostra, quod non expectata declinatione possit locus scarificari, eo quòd crescere possit frigus externum, quando tumor præter naturam ob nouam fluxionem non augetur, sed incendium ex succi confluxi putredine intenditur, à quo attractio etiam maior fit: quæ attractio impeditur euacuato per cucurbitam humore intra partem impacto.

Est grauissimum etiam symptoma frigus illud externum, non solùm vt signum exitiale, sed etiam vt causa; tollit enim putrescentium succorum idoneam transpirationem, & densato corporis habitu repellit intrò,

quod

quod in poris continebatur, more repellentis auxilij A retinentem effœminat, & concoctricem, sicque excrementa intrò repellens tractricem partis inflammatæ adiuuat, & ocissimè æger suffocatus perit: ob quod omni atte, & ingenio temperandus, & calefaciandus est corpotis ambitus, vt per illum sanguis, & spiritus rursus disseminentur, fiatque reuulsio possibilis ab internis ad extra, ne irremediabilitet crescar affectio. Auxilia plurima contra tam exitiosum accidens, aut humores tentant. Primum est inunctio assidua óleis calidioribus, vt rutaceo, irino, chamæmelino, amygd. amar. cum pulueribus nitti vsti, aut sulphuris, deinde frictiones dutiores linteis calidis imperandæ. Est celebris inunctio cum oleo Mathioli, ab inunctione vtiliter cucurbitæ imperantur, cum moderata flamma, B non sint tamen ventricosæ, sed angusti orificij, sic enim potentius trahunt. Hippoctates *lib. de medico*, sic dictanir. *Quando enim finxus procul ab extima carne compactus fuerit, circulum cucurbita paruum esse oportet, ipsamque non ventricosam, sed oblongam, qua parte ad manum vergit, nec grauem*; quæ enim talis est, in directum traher, & serosos humores procul distantes probè ad carnem attrahet. Docuit etiam ipse, quod cum multa flamma trahunt minus, quod contra vulgus medicorum maximè notabitia; vritur enim, & siccatur cutis, & sic induratur, & densatur. Sed & multa flamma dolorem concitat, quo percepto adstringitur natura, & tristatur, & sic intrò spiritum, & sanguinem reuoear. Est etiam commune auxilium in syndone vino albo generoso madida ægrum inuoluere, C in quo coquuntur etiam herbæ, & florea calidæ naturæ, vt angelica, flores chamæmeli, hordeum, anethum, ruta, iuncus odoratus, & radices cypeti, & decoctum propinatur ad cutem mouens, vt si in aqua buglossæ flores papaueris rubri coquantur, & cum lapide bezuar propinetur decoctum: vesicantia etiam à multis laudantur, quod non solum calefaciant, sed trahant eriam ad extra, de quo argumenro ex mente ferè doctè egit Saxonia *lib. 2. c. 54.* Est optimum fomentum pro pedibus puluinar furfuribus ab omni farina depuratissimis plenum, & calidum pedibus applicatum: nunquam ego permitto, quod sint pedes, & crura denudata, sed ribialibus ex lana constructis perpetuò cooperiri præcipio, & floribus chamæmeli D tenuissimè tritis sindon seminatur, sub quibus æger iacet, & moderato illo calore perpetuò corpus foueatur, & absque periculo aliquo calefit; semper verò virtus attendenda, nam cùm hæc omnia calorifica spiritum resoluant, & aliqua subitò, solent ægroti extemplo syncope aut ptebensi perire, conandum tamen semper vt externis potius, quàm internis calor ad extra reuocetur, nam cùm interna vrantur, lædunt calida per se primò, & secundarius effectus est dubius.

Alimentum in inflammationibus internis tenue esse debet, & multò magis, si regio naturalis affecta est, vt doctè notauit Galenus 13. *method. cap.* 13. dicendo; *At si iecur phlegmone infestatur, exquisitissimo victu est opus aquè perfecto, etsi ventriculus sic laborat*: quod non E solùm est verum, quia cum crudo alimento pugnare debent, sed etiam inflammatio ipsa cùm ab ipsis alimentis tangatur, irritatur vehementer, quia comprimitur pars ab alimenti pondere: quod si nimium sit, ob debilitatem nequit, & pars distenditur, & de nouo excruciatur: & *lib.* 13. *method. cap.* 17. sic Galenus scripsit; *Nec enim sicut in iecinore & ventriculo, ita hic quoque tenuissime victu est vtendum, in illis namque alimentum concoquitur, metusque est ne ipsis phlegmone laborantibus, nec nutrimentum ritè concoquatur, & phlegmone augeatur; in pectus verò tantum alimenti iam concocti peruenit, quantum vni ipsi perfectè nutriendo satisfaciat*; docuit verò ipse 13. *method. cap.* 14. cuius naturæ esse debeant alimenta iecori inflammato idonea: & certum esse debet, quod aqua hordei, aut cremor illius primas teneat, quia attemperat mirè, & probè concoquitur, & detergit ichores à parte inflammata emanantes, sicque deobstruit, & aquæ hordei virtutem mouendi sudores multi tribuunt, eritque propterea ad reuocandum calorem ad extra admirabilis, vt omnes indicatione implere optimè possit. Est etiam vtile lac seminum frigidorum cum aqua hordei propinatum, aut cum iure æcis tenuissimo, aut cum lactis sero, vbi incendium internum vrget, & tenuissimo, & attemperato victu est opus: dixit enim Galenus *cap.* 14. *citato*; *Expelli à iecore oportet, quicquid in eo tum amara bilis, tum saniei, quæ ex phlegmone conuenit, est collectum; id vero fieri nequit, nisi vasa quæ sunt in viscere, detergeantur, & meatus qui ad ieiunum pertinet, sit apertus, &c.* ergo in omni phlegmone interno tenuis victus imperandus, sed in inflammatione ventriculi tenuior præ cæteris, in iecore inflammato minus tenuis, & minus si thoracem affectio molestauerit. Ratio ex dictis constat, ventriculus enim cum tota quantitate alimenti, & minus defæcati pugnare debet; iecur iam purius suscipit, & minorem copiam superare tenetur: quodlibet verò viscus ex dictis maiorem copiam quàm pro se suscipit, quia vniuerso corpori alimentum præparat; thorax verò illud solùm quo eget suscipiens, à copia alimenti minus offenditur.

QVÆSTIO XIX.

De Febre Gracè dicta Assodes.

Dicitur febris Assodes græcè, in qua ægri grauiter afficiuntur, & molestissimè, anxiéque laborant, vt dicatur propriè febris implacida cum tolerantia difficili: & quamuis à multis causis tolerantia difficilis, & implaciditas oriri possit, hic solùm agimus de particulari causa implaciditatis, seu difficilis tolerantiæ; illius nempè, quæ ob prauum succum in ventriculi tunicis imbibitum, aut in hypochondriis, cum magna anxietate morsum, & lancinationem assiduam inducit. Contingit sæpe absque magno dolore tanta anxietate ægros conflictari, quod indicibilis eorum inquietudo venenum sumpsisse innuere videatur, de quarum febrium sorte Hippocrates egit 4. *de victu acut. text.* 47. dicendo; *Quibus febres graues, & implacida sunt, & hypochondria contendunt, iacentesque ægri sese continere non possunt, atque extrema frigescunt, absolutissima tum diligentia, tum custodia indigent, &c.* Accidentia itaque quibus hæc febris assodes insignitur, sunt implaciditas, quæ grauitatem febris, prauamque naturam significat, & quod ægri sese in vno loco nequeant continere. Nascitur hæc inquietudo ex implaciditate, & molestia quadam, quæ cùm ex dolore non pendeat, nesciunt ægroti referre quid sentiant, quia implacidæ illi sensationi ventriculi, oris eius præsertim, nomen impositum non est, quo significari possit, & ita communi significatione angustiæ significatur: Galenus 7. *aphor. com.* 56. exponendo aphorismum dicentem, *anxietudo, oscitatio, horror, vinum aquale aquali potum soluit ægritudinem*, sic scripsit. *Dicunt igitur Alyen, idest anxietudinem habere illos sanos, qui semper præsentibus molestantur, & ab vno negotio, atque actione ad aliud transeunt; eodem modo & ægros illos anxios esse aiunt, qui accubitum non perferentes, figuras euariant, quia semper præsens aggrauat eos; hoc verè præcipuè illis euenire consueuit, quibus in ore ventriculi humoris aliqua propria qualitas continetur ventriculo molesta, quæ nec plurima est, neque in ventriculi fluitat cauitate; sed eam ipsa imbibère tunica.* In *expositione* verò *text.* 47. *ex* 2. *de victu acutor.* dixit: *Difficilis autem toleran-* *tia*,

tia, atque implaciditas, inquietatioque sequitur interdum febrem immobilem, & astuosam, sapius quoque, & stomachi malitiam, os autem ventriculi me dicentem audi. Notat verò quod per stomachum intelligendum veniat os ventriculi, quia propriè loquendo, illud nun significat, quod in expositione *aphor.cit.* etiam admonuit; vnde intelligitur locus difficilis 4. *de victus ratione, text.* 1. vbi Galenus enumerando partes vehementem sitim inducentes dicit; *Omnium autem primum, & maximè id facit os ventriculi, deinde ventriculus, atque ab eo stomachus, post pulmo, &c.* vbi planè distinguit os ventriculi, & ventriculum ab stomacho. Intelligit ergo per stomachum gulam ipsam, quam propriè significat, quia vt ipse docuit 4. *de vsu partium, cap.* 1. nomine stomachi intelligitur collum omni ventri præpositum instar isthmi cuiusdam angustum.

Ex dictis constat, quod febris assodes dicatur propriè, quæ ex vitio ventriculi, & hypochundriorum ob malam humoris proprietatem implacida est, eo quòd os ventriculi praue alteret, & indicibili sensatione molestiam, anxietatem, & inquietudinem pariat, nunquam tamen sine oris ventriculi læsione creatur, non solùm ob sensum exquisitum, sed etiam quia cor consensum magnum cum eo habet, ex cuius compassione febres graues, & implacidæ fiunt: graues ob partis præstantiam, implacidæ etiam, quia cùm vitales spiritus resoluantur, sentiunt ægri grauem languorem, & manifestè debilitari, & animo linqui, à quo anxij redduntur, quia pondus corporis ob debilitatem molestè ferentes, decubitum assiduè mutant, vt duplici causa anxietudo excitetur, & à molestia oris ventriculi, & à molestia ponderis alieni, quia alienum est pondus membrorum naturale, quando languorem contra naturam corpus contraxit. Et quamuis magna inquietudo & anxietas, si prauæ humiditates in tunicis ventriculi, & oris eius imbibitæ sint, excitetur; non tamen id est necessarium, vt febris assodes dicatur; satis quidem est si ob hypochondriorum, & ventriculi passionem molesta talis excitetur inquietudo, & si praui humores in tonicis imbibiti non sint, permanentiam tamen, & stabilitatem ad hanc passionem creandam requirunt, quam & ob lentorem, & crassitiem, & in vasis minoribus imbibitionem tenacem participant, & ad hanc febrem reduci meritò potest casus à Galeno adductus 1. *ad Glauconem, cap.* 14. dicente: *Age enim si quis febricitet, & adsit plethorica dispositio, verùm ex recentibus cruditatibus sit, ac morsum sentiat, afflictumque os ventriculi, vel si etiam humorem aliquem malum enomuerit, & in huius transitu non parum fuerit offensus, adeò vt grauiter se habeat, atque anxiè,* &c. Eadem ratione febres omnes cum cardialgia molestantes, implacidæ, graues, & molestissimæ sunt, & ad hanc tractationem propriissimè pertinent.

Causa harum febrium ex Galeni doctrina perspicua est, aliena nimirum, & corrupta humiditas in ventriculi tunicis imbibita, quæ erosione assidua lancinat: est tamen diuersa molestia, vt est diuersus humor, & vt dixi est sæpè ab ipso ægro indicibilis, interdum tamen vt docet Trincauellus 1. *ad Glauconem, cap. cit.* humor ille crudus, & crassus est sicut pituitosus, & melancholicus, & ab ægrotante percipitur, quasi grauetur, & prematur ventriculus, pondere enim, & impedita ventilatione molestissimi esse solent; comprimitur enim septum, aut hypochondria distenta motum eius impediunt, vnde laborantes suffocari videntur, non solùm ob dicta, sed etiam quia plena flatuoso spiritu instrumenta respirationis distenduntur, & obstruuntur simul: verùm si acrimonia succorum & crassities iungantur, pertinaci, implacabilique molestia seorsus vellicatur, qua tota quies adimitur, & intolerabili anxietate periclitantur, præsertim si absque sanguinis consortio acres humores permaneant, siue

A sint crassi, siue tenues: indicibilis enim est eorum lancinatio, tantamque afflictionem afferunt, vt eam natura tolerare nequeat. Sic Hippocrates *lib. de veteri medicina* scripsit: *Itaque cùm amaritudo quadam diffusa fuerit, quam bilem flauam appellare solemus, quales statim anxietates, & astus, & impotentia occupant? Et inferius: Et quos quidem acuta, acrisque ac æruginosa bilis affligit, quales mox rabies, & morsus viscerum, ac pectoris, & desperatio inde oriuntur? non sedantur autem hac prius, quàm eadem expurgetur, & prosternatur, & aliis permisceatur, &c.* Ex hac autem causa nascitur, quod & pedes nudentur, etsi non sint admodum calidi, & inæqualiter membra dispergantur, vt *prognost.* 3. *text.* 16. Hippocrates docuit dicendo; *Si verò nudos habeat pedes, nec admodum calidos, ac manus, collum,* B *& crura dispergat inæqualiter, malum est, significat enim inquietationem.* Galenus in huius loci expositione scripsit: *Quod si te præsente (vt dictum est) iacens æger statim commutet priorem figuram, ac alteram pariter, & membra dispergat inæqualiter, vel etiam ceruicis posituram, scias talem, aut propter oris ventriculi vitium, aut propter virium debilitatem inquietari.* Holerius *cap. proprio* inquit: *Materia crassa est humor, alioqui acris, & biliosus, tunicis stomachi & ventriculi imbibitus.*

Grauissima est harum febrium conditio, perpetua enim molestia ægri tristantur, & assidua decubitus mutatione extremè effœminantur, debilitatemque magnam ob cordis consensum contrahunt, suntque causæ mutuæ; debilitas enim teste Galeno, inquietatio- C nem parit, & inquietatio debilitatem: semel hæc prauitas febrium cum extremo periculo me inuasit, tanta tamen & indicibili molestia ventriculi oris conflictabat absque dolore, vt mortis molestia, quàm à ventriculo oria, tolerabilior mihi omninò appareret. Periculum verò exaggerauit Hippocrates 4. *de victu acut.* dicendo, *ita affectos absolutissima, tum diligentia, tum custodia indigere, vt seruari possint*; consentiunt enim cum ore ventriculi cor, & cerebrum facillimè, vt Galenus passim testatur, & nos *cap. de cardialgia* docuimus: dixit verò Hippocrates 4. *aphor. text.* 65. *In febribus circa ventriculum fortis astus, & cordis morsus malum*; D eueniunt verò symptomata, Galeno expositore, ob flauam bilem in tunicis oris ventriculi ebullientem, à qua & vruntur, & siti implacabili, ac indicibili anxietate torquentur, & exsoluuntur; ob quod Holerius 2. *de morbis internis, cap. proprio, in fine* dixit; *pessimum hoc genus febris est, in quo celeriter pulsus concidunt, & occasio præripitur remediorum maiorum:* & Galenus 4. *de victu acut. text.* 62. hanc febrem explicuit per huc quod æger sit fastidiis plenus, & grauiter affectus, in facie, & collo exsudans.

Curatio huius mali tepidè satis ab Hippocrate disponitur, cùm nullam euacuationem consulat, sine qua febris tam exitiosæ curatio frustra, & incassum suscipitur. Non minus Galenus accusandus venit, nullam methodum tradens obseruandam in medela morbi tam E periculosi; quam obiectionem & Trincauellus in Galenum adduxit 1. *ad Glauconem cap.* 14. cuius solutio mihi non satisfacit. Antonius Musa super *loc. de victus ratione citatum* dubitat, si curatio huius febris instituti debet, vt ab Hippocrate imperatur, nulla præcedente euacuatione? & respondet, quod cùm hic morbus sit magnus, si ætas & vires suffecerint, primum quod fieri debet, est venæ sectio, si prius clyster præcedat. Praxis quidem perniciosa sic absolutè prolata, cùm tota causa huius febris in prima regione absque vllo sanguinis consortio contineri possit; in quo casu nulla maior pernicies, quàm sectio venæ. Trincauellus, etsi Galenum vt diminutum accenset, non potuit idem crimen effugere. Forestus *lib.* 2. *obseruat.* 38. dicit; *Purgatio quamuis de ea non fiat mentio*

apud

apud Hippocratem, debet esse leuis ex rhabarbaro. Praxis etiam parum secura, tum quia hypochondria contenta eam dehortaoeor, tum quia non ducet, quando puegare liceat, & peccat magis, quod febris hæc venæ sectionem statim tequirere potest: simili peccato accusandus Hollerius, ex quo Forestus tranſcripsit.

Magister meus *lib. de febribus, fol.* 886. tractatum scripsit *de cardialgia in febribus*, & posita opinione cuiusdam Authoris sanguinis eductionem non admittentis, (eo quòd Galenus 1. *ad Glauconem citato*, si labutet ventriculus clarè docet, quod venam secare non liceat, etiamsi plenitudo detur, & pet consequens quando plethora noo datur, conuenier mious, præsertim si causa cardialgiæ in veotticulo contineatur, & eam aliunde non recipiat; nam in hoc euentu, si vena secetur, tetrahetur humor ad intra, & sanguis totus vitiabitur;) suam mentem sequentibus verbis exposuit. *Sed certè difficultas posita non debet ad id reduci, sed an sint scopi necessarij ad hoc remedium? & cùm nullus neget esse affectus magnitudinem, non adest tamen virium robur permittens, maximè enim probabile videtur, incidere in syncopen, & ita apud nullum legi, in hoc casu huius remedij mentionem fecisse; ex commotione enim, aut de nouo fluere humorem ad ventriculum, aut praexistentem agitari, & cordis spiritus dissolui, timor est.*

Hæc Magistri doctrina meo iudicio peccat in multis, tum quia supponit noo posse esse cum cardialgia robur sufficiens ad secandam venam, quod nec probat: nec est etiam temetaria doctrina, qoia etiamsi essent scopi xeqoisiti, potest esse tdta causa cardialgiæ & febris in prima tegione, in quo casu (vt antea documus) perniciosa erit sectio venæ. Est etiam diminuta, quia non distinguitur, si causa cardialgiæ ab aliis partibus traosmittatur, aot in prima regione creata sit tota, ibique stabilita solùm huius febris sit causa, in quo consistit exquisita, & fida auxiliorum deliberatio, iniustèque timetur, ne secta vena fiat maior cummotio ad ventriculum, si sectio venæ reuulsorium auxilium est, vt omoes testantur: non enim decet auxilium conueniens, & per se primò necessarium prætermittere, propter illud quod pet accidens seqoi potest, & potest absolutè non sequi, & non sequi sit certius, cùm in contrariam partem fluxio retrotrahatur, & causam diminuat. Tenendum ergo est in curatione huius febris, quod *in quæst.* 3. quando humor mouetur ad os ventriculi, docuimus, & latius scripsimus *cap. de cardialgia*. Est ergo inuestigandum accuratè, si ex vasis secondæ tegionis moneatur humor in tegionem ventriculi, aut econtrà tota materia in prima regione contioeator, ex cuius commotione paroxysmi fiant, & quod in tunicis continetur efferuescens, & agitatum, lædat de nouu, aut in os ventriculi expulsum focns à natura efficiatur. Consideranda rursus vrgentia molestiæ ventriculi, & an continua sit, vel intermittat; vtrumque enim euenire solet: si intermittit, propabilius est ab aliis partibos in os ventriculi reiici, si oon in ipso imbibitum esse, quod molestar, significat. Ergo si cardialgia intermittat, aut quæuis alia molestia, & ex secunda regione in ventriculum humor prauus moueatur, non est mihi dobium, si adsit robur, venam secandam esse, vt secatur in affectu inflammatorio ventriculi, quamuis molestiam quamlibet causet: sunt enim (vt antea docui) similes indicationes, quia humorom idem affluxus, & idem locus affectus: & cùm actualis molestia non sit, quia intermittit, sufficit ventriculum firmare idoneis astringentibus, vt vena secetur. Idem faciendum si continoa molestia sit, dummodo afflictio grandis non sit; in hoc enim casu moderanda prius est, & roborandus ventriculus antequam secetur vena: quod si fieri nequeat, quia fluxio continua est, & topicis, ac lenientibus, aut narcoticis non cedit, secabitur vena, si vires constent; moderatè tamen, & repetitia euacuationibos, vt cardialgia, & reuolsio causæ eius planè indicant: illa quia spiritus exsuluit, bæc quia reiteratis euacuatiooibus perfectius reuellitur. Et hoc est quod Galenus consuluit 1. *ad Glauconem, cit. cap.* quamuis eius doctrinam prauè Magister, & alij intellexerint, vt postea docebo.

Si verò causa molestiæ, & implaciditatis ventriculi in prima regione contineatur, non licet venam secare, sed tota intentio Medici esse debet, eam lenientibus, & assiduo vsu clysmatum deorsum trahere, & si opus sit, vomitoriis auxiliis exturbare, si regionem ventriculi superiorem infester, & æger facilè vomat: erit tamen maximè notandum qualiter hypochondria disposita sint, nam si tensa, flatuosa, & obstructa percipiantur, & materia sit crassa, & lenta, non decet statim expurgans medicamentum imperare, sed breuiter assiduis, & idoneis syrupis præparabitur, & quod erit magni momenti, clysterum crebro vsu; deinde expurgabitur, aut lenientibus, aut seligentibus medicamentis, in ea tamen quantitate, & virtute, quod ex toto non trahant, sed primam solùm regiooem inaniant, & si in ipsa expurgatione vomitum natura tentauerit, magni lucri erit, lenta enim impetu vomitioois, & concussione ventriculi eradicantur mirificè, quod sæpè medicamenta expurgantia facere nequeunt: trahunt enim quæ facilius cedunt, & nun adhærentia: clysteres parabuntur ex detergentibus, coococtoriis, & expurgaotibus excrementa peccantia; præcedent tamen emollientes, detergentes, & concoctorij, deinde expurgantes.

Syruporum diuersitas ex materiæ diuersitate determinabitur pro crassis, & lentis, & ex multa cruditate, & ingluuie pituitosi alimeori ereatis: nullum auxilium oxymelli excellentius, qood non erit tam aquosum, vt Hippocrates voluit, si in prima tegione materia cruda manest; potius enim desideratur crassius, & minus dilutum, vt contra crassitiem causæ, & lentorem egregiè pugnet, & in prima tegione magis detineatur. Est etiam optimus syrupus adiaotbi, acetosus simplex, & de corticibus citri, vbi materia pituitosa est, quæ paulatim expurgabitur: post verò conuenient syrupi magis extenuaores, & incisorij, vt de duabus, & quinque radicibus, accrosus, diarrhodonr bysantinus, & oxymellis variæ compositiones à Mesue descriptæ, contra crassos & tenaces bumores, expurgatur vtilissimè & securè bæc materia crassa cum serapio eichoriæ composito cum duplicato rhabarbaro, & decocto pugini cum speciebus, si febris permiserit, sin minus sine illis; aliaque suor innumera medicamenta crassis expurgandis idonea. & si febris intensa non sit, vt est probabilius quando à crassis, melancholicis, & crudis creatur, celebre est auxilium ad eorum exputgationem ius galli, vt apud Authores præparatum iouecitur, quo virum nobilem à molestissima febre liberauimus, in qualiber eoim accessiono spatio septem & octo borarum tam anxiè conflictabatur, vt metus esset ne in quauis deficeret; quo auxilio benè expurgatos, & moderato malo dioteticam potionem posteà aliquibus diebus summo manè sumpsit, & curatio perfectissimè, & non sioe admiratione fuit absoluta. Constat verò, quod quando causa huius febris in prima regione sola continetur, noo sit spetanda vrinæ concoctio, quia aut cocta semper erit, aut si viriata appareat, eo quòd aliquod vitiosum primæ regionis ad secundam distribuatur, non ob id exputgatio impeditur, in quo passim Medici peccant, nescientes distinguere, quando vitietor vrina per putredinem succorum secundæ regionis, aut per consensum cum prima: quæ ignorantia grauissima esse potest, non solùm quia expectatur coctio materiæ intra vasa secundæ regionis, qoando nulla coctilis in ea datur; sed etiam quia sectionis veoæ necessitatem

imponit, cùm nulla detur, quia tota mali, & vrinæ vitiatæ origo in prima regione est. Hanc doctrinam quia non calluit Zacutus *lib. 3. praxis, obseru.* 17. & febrem anxiosam ex excrementis primæ regionis cum humorum turgentia ortam sectione venæ auferre tentauit, in maius periculum ægrum deduxit, expurgatus verò statim conualuit.

Si verò ex secunda regione causa anxietatis in ventriculum reiiciatur, secanda vena est (vt diximus) & nullo modo expurgandum donec vrina appareat concocta, & si materia acris, & mordax sit, vt ex secunda regione videtur probabilius, & febris incendio cum lotio vitiato manifestabit, idoneis potionibus attemperabitur, & mordacitas mitigabitur: erunt verò duplicia auxilia; nam quæ ad vasa distribui debent, nullam adstrictionem desiderant ob putredinem causæ, & liquidiora imperabuntur; at quæ ventriculum firmare debent, & astringentia erunt, & in forma solidiori, aut non diluta propinanda, vt ibi detineantur, & plus ventriculi robori consulant; securius tamen est per extrinsecus apposita robur eius intendere, cùm astringentia omnia in febribus putridis, si intus sumantur, tam suspecta Galeno sint, ob impeditam ventilationem; & quia sicca cùm sint, coctionem impediunt, cum ventris constipatione, ob quæ totum excrementis obruitur, & morbus intenditur, conferunt potiones paratæ ex aquis oxalidis, buglossæ, burraginis, endiuiæ, scariolæ, portulacæ, & cerasorum dulcium, & violarum cum syrupis de acido citri, limonis, oxalidis, cichoriæ, borraginis, violarum, & portulacæ, & si opus sit ad moderandam mordacitatem papaueris, cum pulueribus crystalli præparati, aut margaritarum, aut smaragdorum, aut electuarij de gemmis, habent prærogatiuam ad demulcendam mordacitatem aquæ portulacæ, & cerasorum dulcium, & buglossæ, vt decoctum liquiritiæ recentis, florum maluarum, buglossæ, & iniubarum recentium cum succo clarificato foliorum sonchi, & saccharo violaceo, optimum lac hordei cum seminibus frigidis extractum, aut emulsio seminum frigidorum cum sero lactis, aut aqua hordei; & vbi acrimonia, & erosio ventriculi molestissima sit lac asininum propinabitur, quia est mitabile, & extergente vi impacta excrementa abstergit, & ventrem solicitat.

In principio mali, & fluxionis paulatim sumuntur moderatè astringentia, vt syrupi ros. siccarum, granatorum, cidoneorum, & in magno ardore, de agresta. Est optima aqua rosarum rubiarum frigida paulatim deglutita, hæc enim ventriculum firmant, ne tam facilè humor recipiatur, & singultus impediatur; quòd si erosio molestet, mucilago seminis psilij recentis vtilissimè bibitur cum aqua rosacea, aut seorsim frigida deglutitur, simulque biliosos humores expurgat. Est optimum auxilium succus granatorum dulciacidorum cum saccharo violaceo, & aqua portulacæ, si reprimere simul, & mordacitatem demulcere cupimus; sunt verò imperanda astringentia, quando constat, quod fluxio detur, & in principio sit, alioqui cauenda, ne materia magis impingatur, & resolutioni, aut delationi in alias partes incrassata resistat. Quo tempore (in principio nempe fluxionis) omne genus reuulsionis imperabitur per cucurbitulas, ligaturas molestas, frictiones, & alia quæ sunt in communi vsu, somnum prolixiorem cauendo; nam etsi indolentiam afferat, fluxiones ad interna concitat; vbi verò fluxio sedata fuit, magnam opem in somno prolixiori ægroti sentient, non solùm ob indolentiam, sed etiam quia impacta materia concoquitur, & resoluitur: aqua buglossæ mordacitatem demulcet, & quia ad ambitum mouet, reuulsoria etiam est.

Si materia impacta sit in tunicis, expurganda erit, si priùs detergentibus, & laxantibus tunicas præparetur,

A pro cuius eductione hieram simplicem antiqui composuerunt, vt auxilium strenuum, tam pro crassis, quàm pro biliosis humoribus, & recentiores pilulas de hiera cum agarico, ad exturbandam pituitosam materiam tunicis impactam commendant. Vnde Eustachius *lib. 2. practica, cap.* 8. vt expertum, & minimè fallax auxilium sic parat. Specierum hieræ simplicis ℥.ij. diarrhodonis Abbatis ℥. ii. cum miua cidoneorum simplici, seu non aromatizata, boli fiant, & propinentur; omnes (inquit) eadem die ab omni anxietate liberi euaserunt. Si verò plus expurgare velimus, cum serapio solutiuo, aut melle rosaceo persico boli parabuntur. Possunt etiam aliæ pilulæ parari hac ratione: aloes optimi ℈.i. rhabarbari ʒ. ß. spicæ g. iij. scammoneæ g. ij. aut iij. cum syrupo, aut succo rosarum Alexandrinarum, fiant pilulæ pro vna dosi; aloes enim tam biliosis excrementis, quàm

B pituitosis idoneum est, quia nimis abstergit, in quo absinthium æmulatur: confert etiam syrupus regius cum decocto tamarindorum, in quo rhabarbarum infusum sit, sæpè verò tam infarcta est anxietatis causa, quod nisi violentiâ vomitus expelli possit, & vbi fluxio non est, vtilissimè imperatur, si ægri natura inepta omninò ad vomendum non sit; tales enim irritandi non sunt. Galenus 1. *ad Glauconem, cap.* 14. ex morsu, & molestia oris ventriculi, non solùm anxietatem, sed & deliquia, aut syncopen timet. Animo etiam deficiunt (inquit) quibus os ventriculi malè affectum est, aut humorum vitio mordicatur, aut crassis, vel lentis, vel humidis, vel frigidis humoribus aggrauatur. Huic autem dispositioni succurrens dixit: *Qui verò exitiosis humoribus os ventriculi mordicantibus dissoluuntur, hos post aquæ calidæ, aut hydrelæi potum fac euomere: quod si difficilè euomant,*

C *prius concalefacere oportet quæ os ventriculi circunstant loca, & manus, & pedes; quod si nec hoc modo possunt euomere, digitos aut pennas immittendo irritare oportet; quod si nec sic euomant, rursus iis oleum calidum quamoptimum exhibendum, solet autem sæpius oleum non solùm ad vomitum irritare, sed etiam ventrem molliorem facere. Est autem hoc præsentibus rebus non parum vtile, quare nisi sponte accidat, arte procurandum est, præcipuè verò & glandibus suppositis hoc tentandum est facere; quod si nec istis factus fiat, etiam absinthij comam in melicrato decoquens ad potandum exhibeas, atque deinceps vinum, ac omnibus modis membra oportet corroborare, partim iis, quæ extrinsecus apponuntur, partim absinthij potionibus; non tamen id in principiis faciendum suadeo, sed postea quando partes, quæ circa aluum sunt, fuerint expurgatæ; quando verò humores adhuc in ipsis continentur, nondum astringere,*

D *sed tantum concalefacere (vt antea diximus) conuenit.* Hæc Galenus, quæ ad vnguem transtuli, quòd doceant multa scitu dignissima in negotio magni momenti, & in cuius medela passim medici hallucinantur, & errant.

In primis vituperantur, qui medicamentis fortioribus vomitum ciere tentant, cùm in anxietate, in qua deliquia, & syncope timentur, solo hydrælæo ex partium circumstantium, & extremarum calefactione vomitum moueat, aut decidentiam succorum imbibitorum procuret, vtrumque enim auxiliis à Galeno relatis euenire solet; ergo aqua calida mordacitatem obtundit. Est autem intelligenda tepida, alioqui vomitoria non esset, & præter hoc bonum, laxat, & recludit poros, vt natura vitiosum excrementum facilius reiiciat: videtur

E autem præter rationem, quod si vomitus procuratur, inhibeatur mordacitas, & irritatio, cùm nulla sit ad expellendum conditio certior; vnde si efficacius vomitum mouere voluerimus, acriora, & lancinantia medicamenta imperanda sunt, vt molestiâ eorum vellicatus ventriculus expulsionem moliatur. Verùm etsi hoc ita sit, est tamen Galeni doctrina sequenda, quia ex stabili molestia à succis erodentibus orta constat, quod ille modus molestiæ satis non sit ad expulsionem

materiæ.

materiæ: est ergo alios procurandus; inducitur verò potu aquæ tepidæ, aut hydrelæi, quia laxantur fibræ ventriculi, & retentrix debilitatur, vnde expulsio subsequitur: debilitatur verò dupliciter, & calore, & quia tepido; calore per se constat, cùm laxet; tepido, quia mulcebrem sensum inducit, ad cuius perceptionem ventriculus semper laxatur, vt corrugatur, & vnitur magis, quando molestiam sentit, ob quod nunquam licet tepidis roborare ventriculum, sed aut actu calidis, aut frigidis: oleosa etiam, & pinguia eadem ratione vomitoria sunt, quia nimirum ventriculum laxant, & retinentem effœminant, ideo hydrelæon laudatur, quod ex aqua, & oleo dulcissimo componitur, & ex oliuis maturitatem exactam nactis conficitur, ne adstrictionem participans vomitionem impediat, quam in oleo Hispano semper admittit Galenus: digitis etiam, aut pennis in fauces immissis vomitus procurandus, & loca ventriculo proxima, manus etiam, & pedes calefacienda prius: erit verò calor etiam moderatus, sic enim omnibus modis ventriculus calefit, & laxatur; habet enim cum dictis partibus communionem magnam per copiam neruorum. Et contraria ratione ne vomitus excitetur extremæ partes infrigidandæ sunt, quia densatur etiam ventriculus à frigore communicato per dictas partes; & sic commune consilium est ad impediendum medicamenti expurgantis vomitum, manus in aquam frigidam immittere, quod non solum dicta ratione meo iudicio impeditur, sed etiam quia sensatio frigiditatis minuit sensationem, & molestiam causæ ad vomitum iam inclinantis: quod etiam faceret causa calefaciens, si intensè, & molestè alterarer, ob quod dixit antea, esse calefaciendas partes extremas moderato calore, vt vomitus cieatur, estque mihi satis difficile, quod moderata etiam calefactio extremorum vomitum non retardet, vt nouam sensationem inducit, quia molestiam ventriculi minuet necessariò: quia tamen in vomitus violentia partes cum ventriculo communicantes mediantibus neruis conuelli, & retrahi cum magno dolore solent, ideo moderato calore laxari debent, vt tensio, & dolor non fiat, vt in cholera morbo cōtingit, in qua sutæ intolerabili dolore torqueri solent ob vehementem contractionem ventriculi, de qua Galenus egit 5. *Aphorism. text.* 10.

Est tamen dignum dubitatione, cur Galenus in anxietate à succis mordacibus orta, suppositoria, & non clysteres commendet; nam & magis attemperare posse causam vellicantem ventriculum, & excrementa mouere, indubitatum est. Respondet Trincauellus, quia primum Galeni institutum erat, futuræ syncopi occurrere: clysteres verò magis mouent, & agitant commotos humores, imò videmus aliquos qui iniectis clysteribus linquuntur animo, non ita autem suppositis glandibus. Ratio quidem inanis, quia eductio excrementorum absque commotione fieri nequit, præterquam quod si soppositoria expurgatoria debent esse, non minùs quàm clysteres commotionem excrementorum excitabunt, quia ex longiori loco attrahentes virtus commouens maior esse debet: si verò ad eductionem excrementorum communium imperentur, non erit in clysteribus aliqua virtus commouens humores vasorum necessaria, præterquam quod intentum Galeni mediis clysteribus melius assequemur, calefacere nimirum loca ventriculum circundantia, & ipsum ventriculum, vt laxatis partibus excrementa decidant; quod si causa anxietatis ab excrementis prauis primæ regionis communicetur, magno auxilio priuabitur æger, si clysteres omnino arceantur, & si ratio Trincauelli probabilis esset, liceret minus expurgans medicamentum imperare, cùm magis commoueat humores, quàm clyster, neque in syncopali humorosa tam vtiles putarentur & imperarentur ab omnibus.

Stephanus Atheniensis in eiusdem loci expositione dicit: *Fugiendus autem à nobis in his est clysterum vsus, quippe cùm sciamus ex iis prauam qualitatem quandam circa stomachum transmitti, ipsumque vitiare. Enim verò in quibus imbecillus est stomachus, vbi clystere vsuri sumus, prius aquam temperatam potandam præbemus, vt hæc ante omnia qualitatem à clystere prouenientem stomacho immediatè occurrere non permittat; tunc verò adhuc magis tempestiuum est clysteres fugere, quandoquidem suppositum est, animi defectionē fieri ex praua succorum qualitate, timorque est, ne hæc ipsa ex qualitate clysteris exhalante duplicetur.* Quæ doctrina admitti non potest, cùm non sit perpetuum, quod praua qualitas clysteribus debeat inesse, imò & optimam habere possunt, vt si pro succis mordacibus ex cremore hordei, sacchāro, & ouorum vitellis potetur, aut ex lacte asinino, aut sero cum eisdem rebus, aut ex iure pulli, aut gallinæ cum oleo violaceo, amygdalino dulci, sacchato, & ouorum vitellis: & quod dicit de potu aquæ temperatæ, *data ante clysterem, quando ventriculus debilis est, vt impediatur impressio mala qualitatis inducenda à clysteribus*, est doctrina planè absurda, cùm sæpe debili ventriculo qualitas à clystere communicanda mirificè succurrat, & nullum emolumentum à potu aquæ temperatæ, nulliusque momenti robur suscipere possit.

Nec Galenus, si attentè legatur, clysteres dehortatur, aut reprobat, sed dicit, quod si aluus spontè lubrica, & mollis non sit, arte procurabitur: præcipuè verò & glandibus suppositis id tentandum est facere, eo quòd anxietudini oppressi quiescunt nunquam, & non tolerant facilè iniectionem clysterum, ad quorum vsum maior non dubiè virtus requiritur, quàm pro glandibus requiratur, vt Hippocrates docuit 1. *de victu acut. text.* 45. Ideo vt virtus magis seruetur, eius custodia præcipuè cardialgici egent, glandibus magis aluus sollicitabitur. Quod verò clysteres, quibus ob stomachum ea soluuntur, imperari possint, Aetius docuit *tetr. 3. serm. 1. cap. 1.* dicendo: *Ptisanæ succum, aut alicæ per clysterem infundere oportet tepefactum, conquassato cum eo ouo crudo; vltra hoc enim, quod ea quæ stomachum molestia afficiunt, infernè euacat, & educit, etiam alimentum aptimè corpori sufficit, ex languore ob non acceptum cibum miserè affecto.* Sciendum tamen est, quod in translatione Martini Akakia non legitur, vt in aliis translationibus, sed ita: *Quocirca nisi sponte accidat, arte procurare oportet, maximè verò appositis remediis, ex quibus si facilius vomat absynthij coma, &c.* Febres istæ implacidæ ob affectionem ventriculi, & hypochondriorum tenuissimum victum requirunt, vt Hippocrates docet, dicendo: *Absolutissima diligentia, tum custodia indigent; eos itaque degere oportet, vt nihil præter oxymel aquosum tangant, sorbitionem autem non dabis, donec sese malum remiserit, & vrina maturentur.* Ratio præcepti insinuata à nobis iam est; sunt enim obstructa hypochondria, & flatibus tensa, languet nimis ventriculus, & assidua anxietate, & dolore spiritus dissipantur, quo fit, vt coctio ventriculi pessimè agatur, nisi tenuissimè cibentur, & deobstruantur viscera; crassior enim cibus ventriculum, & hypochondria distendit, & grauat, & cùm non coquatur benè, in flatus portio mutatur, & partim corrumpitur, quo nihil deterius ad morbi, & anxietatis incrementum mortale. *Porrigunt autem & ipsis* (inquit Galenus) *non absque causa oxymel, vtpote crassos, glutinososque propter humores fatigatis*: Quibus verbis clarè Galenus docet, causam febris implacidæ frequentiorem, esse humorum crassitiem, & lentorem, quibus excrementa hypochondriis tenaciter hærent, & corrupta, & vsta mordicant, & lancinant, tum ventriculum, tum membranas, & partes sensiles hypochondriorū, apertéque Vallesius Galeno refragatur docendo, quod Hippocrates in textu allegato de inflammatione viscerum loquatur, cùm nihil tale à Galeno dica-

tur, nec medela ab Hippocrate adducta & à Galeno exposita id suadere possit. Sunt ergo cibandi tenuissimè ob dicta, & dandum oxymel assiduè, in hoc enim potissima medelæ ratio, & felicitas consistit. Subdit Hippocrates: *Iacere autem in conclaui obscuro debent, & lecto valde molli, diuque positum eum sustinere, & quamminimè sese proiicere, & iactare, nempe id tales maximè iuuat.* Quibus docemur nihil esse per morbos acutos contemnendum, quia in illis quæ parua videntur, magna sunt, nullúsque, etsi minimus error, absque magna noxa committitur, quis enim crederet quod in lecto quiescere, & valde molli, & in conclaui obscuro, tantam opem esset allaturum? Dicit verò Galenus, quod decubitum in domo obscura, non tanquam concoctorium auxilium, sed tanquam correctorium tolerantiæ difficilis, & inquietationis ob anxietatem prouenientium adduxit, & idem censet de lectulo molli, in quo mihi non placet: quia quicquid conducit ad maiorem copiam caloris vitalis, conducit necessariò tanquam concoctorium auxilium, aut remedium: sic verò conducit locus obscurus, quia minus resoluitur æger, & viscera omnia à calore vitali plus fœcundantur: non datur verò correctionis excrementorum efficacius principium, quàm copia influentis caloris, quies etiam ob eandem rationem, & quia humores non agitantur, ad coctionem plurimum facit, ob quod idem Hippocrates 4. *de victu acut. text.* 44. consuluit corpus quieti permittere, vngere, & æqualiter contegere: & Galenus in fine expositionis dixit: *Quod si hæc concoctioni humorum conferunt, purgationes contrariæ existunt, &c.* Sunt ergo duplici ratione vtilia quiescere, & in loco obscuro iacere; vt enim per æstatem calor influens exterius attractus resoluitur, & viscera calore naturali magis priuantur in hyeme, econtrà calidiora sunt naturali calore, sic medium nimis illuminatum æstatem æmulatur, tenebrosum verò hyemem.

Subdit Hippocrates, *Hypochondrium autem lini semine illines, caue bisque ne cum apponitur, frigescat: sit autem tepidum, ex aqua, & oleo coctum.* Galenus mollit (inquit) lini semen, idque habet, vt non manifestè calefaciat, quod maximè expostulat omnis phlegmone: cæterùm, & aquæ, & olei mixtura tepidam generat caliditatem, mollitque, & mitigat, vtpote moderatam habens facultatem, cuius potissimum esse debent, quæ & maturant, & per halitum digerunt: quibus insinuat febrem hanc implacidam ex affectu inflammatorio à crassis succis creato, ortum trahere. Cuius contrarium contra Vallesium docuimus, & sic Musa in huius loci expositione sentire videtur; nos verò doctrinam Hippocratis generaliorem non sine ratione facimus. Quod implaciditas, & inquietudo ex aliis morbis extra inflammationem pendere possit, indubitatum est ex mente Galeni; non licet verò veras Hippocratis sententias communionem causarum, & morborum habentes, per vnam determinatam rationem contrahere, cùm sit consuetissimus Hippocrati modus (quia breuiloquus) sub vnica dictione multa, quæ vera esse possunt, comprehendere; nec excusari potest, tum Hippocrates, tum Galenus, quod diminutè tam grauis febris medelam tradiderunt, supposito quod ad auxilia particularia descenderint: imò topicum auxilium ex lini semine cum oleo, & aqua paratum suspectum satis est pro affectu inflammatorio viscerum, quia astrictione caret, & quia tepidum applicari præcipitur, quibus viscerum robur vehementer resoluitur, ventriculi præsertim, vt antea docuimus, & si ex affectu inflammatorio febris dependet, damnandi sunt tanti authores sanguinis missionem non commendantes, necesse ergo est, aut rosas, aut absinthium, vel spicam, aut mastichem, vel aliud tale, quod robur viscerum tueatur, miscere, de quo in particulari viscerum inflammatione latissimè egimus. Illud solum annotare licuit, quod Galenus docet, nimirum quod omnis phlegmon indiget emollitione, & calore quodam moderato, quia omnis humorum coctio, humore, & temperato calore celebratur: tensio etiam laxantia requirit, quam temperiem oleum & aqua si bene misceantur, acquirunt, ob quam, & facile, & celebre auxilium suppuratorium est, & Galeno vsitatissimum. Idem temperamentum lini semen participat, constat enim partibus oleagineis, quæ sunt calidæ, & humidæ, & aliis etiam siccioribus, ex quarum mixtura calidum in primo gradu remisso remanet; quia verò emollit, & resoluit humorem partis inflammatæ, dicitur esse frigidum, velut ex accidente, aut comparatum ad partem inflammatorio affectu oppressam, quam vt minus calidum temperat; & quamvis partes quasdam sicciores participet, maceratum tamen, & excoctum hydrelæo, humectantur non dubiè, vt totum semen humidum euadat. Galenus verò 4. *de victu acut. text.* 113. lini semen refrigersre, & siccare apertè docet.

Tandem taxandus venit Magister noster, quòd putet Galenum 1. *ad Glauconem*, egisse solùm de cardialgia orta ex bilioso humore, & acri, & pessimæ qualitatis; contrarium enim ex ipso textu *in initio c.* 14. constat. Verba sunt: *Age enim, si quis febricitet, & adsit plethorica dispositio, verùm ex recentibus cruditatibus sit, ac morsum sentiat, afflictumque os ventriculi, vel si etiam humorem aliquem malum euomuerit, & in huius transitu non parum fuerit offensus, adeò vt grauiter se habeat, atque anxiè, &c.* vbi humores crudos, vt molestantes recenset; & clarius legitur in translatione Acaciæ, quæ habet: *Sed cùm recenti cruditate os ventris mordente, prementéque reiecerit humorem aliquem vitiosum, &c.*

QVÆSTIO XX.

De natura hemitritæi, seu semitertianæ.

CVm febres possint variè complicari, velut singularem complicationem (nescio qua ratione) hemitritæum enumerant, de illa solùm mentionem authores faciendo, cui complicationi 2. *de different. febrium*, duo principalia capita, nimirum 7. & 8. Galenus dicauit. Constituitur à Galeno *loco citato* per complicationem tertianæ intermittentis, & quotidianæ continuæ: quod etiam sequitur Auicenna *fen.* 1.4. *tract.* 4. *cap.* 17. nam etsi complicationes aliæ, inter has duas febres fieri possint, vt quotidiana continua cum continua tertiana, aut intermittens cum intermittente, aut contrario modo, exquisita semitertiana à Galeno constituitur per coniunctionem solùm tertianæ intermittentis, & quotidianæ continuæ. Verba sunt (postquam historiam illius adolescentis c. 7. retulit.) *Et quid aliud hoc erat, quàm accessio exquisiti hemitritæi, duabus eadem hora inuadentibus febribus, quoniam quotidiana duabus horis celerius, tertiana autem totidem tardius accedebat, adeò vt quicumque facultatem haberet febrium figuras agnoscendi, tertianæ, ac quotidianæ continuæ accidentia in vnum confusa manifestè deprehenderet, nam cùm tertianam insultum rigor comitaretur, quotidiana autem sine rigore inuaderet, mixta ex vtraque febris horrorem continuò afferebat, rem quidem minorem rigore, maiorem verò refrigeratione, &c.* Et inferiùs: *Non abs re igitur inditum est huic febri nomen hemitritæi, idest, semitertiana, nam ex quotidiana continua, & tertiana intermittente tota eius natura confusa, dimidiam partem vtraque ex dictis febribus retinet, &c.* Ex quibus constat, quod vt dicatur semitertiana, aut hemitritæus exquisitus, nō solùm debeat esse cōplicatio ex tertiana intermittente, & quotidiana continua, sed etiam quod simul vtriusque febris accessiones molestent: sic enim resultat horror medius inter rigorem tertianę intermittentis, & exquisitæ debitum, & refrigerationem debitam quotidianæ continuæ.

Quippe

Quippe si acceſſio tertianæ ſeorſim inuaderet rigorem ſibi debitum cauſans, totam naturam tertianæ, non mediam participaret; ſumit verò præcipuè denominationem à tertiana, & non quotidiana, quia horror non eſt debitus quotidianæ continuæ, ſed ſimplex refrigeratio: vnde horror potius excedit accidens quotidianæ debitum, diminuit verò rigorem tertianæ proportionatum, & ſic mediam naturam participando per coniunctionem cum quotidiana, dicitur hæc febris ſemitertiana, ſeu hemitritæus, hemi enim dimidium ſignificat, tritæus verò tertianam. Vult etiam Galenus, vt bilis pituitam non excedat, nec econtrà, vt exquiſitus hemitritæus conſtituatur; ſic enim *in initio cap.*8. ſcriptum reliquit: *Aut neuter horum humorum alterum vincit, ſed ambo æquipotentes exiſtunt, quo tempore eſt exquiſitus hemitritæus, talem formam repræſentans qualem de eo Hippocrates manifeſtauit, cùm in* 1. *epid. in hanc ſcribit ſententiam. Erant verò eorum pleriſque paſſiones huiuſmodi febres horridæ, continuæ, acutæ, omninò quidem non intermittentes, modus verò erat hemitritæus, cùm alteram diem leniorem ferrent, altera verò inualeſcerent, ac ſummatim in acutiem augerentur.* Notat verò Galenus, quod hæc febris dicitur horrifica, quia ab horrore incipiat acceſſio: *Hæc enim* (inquit) *communis eſt quampluribus febribus, ſed talis appellatur, quia per tertios dies magna acceſſionis pars horrores aſſumit.* Sunt verò dies illi, in quibus tertiana, & continua quotidiana ſimul inuadunt, nam altera dies (inquit) ſolam habet quotidianam. Notat etiam, quod licèt Archigenes mixtionem tertianæ, & quotidianæ agnouerit, nunquam inæqualitatem vtriuſque febris retulit, in qua exquiſita hemitritæi conſiſtit: quomodo verò æqualitas vtriuſque, aut inæqualitas agnoſcenda ſit, *cap.*8. *citato* Galenus doctiſſimè tradit, & nos inferius latius exponemus. Hinc 3. *de criſ. cap.*3. docuit, ſemitertianam iudicandam eſſe euacuatis bilioſis, & crudis. Hanc Galeni doctrinam, & ab omnibus abſque lite ſuſceptam vrgent non pauca. Sit primum, quod Hippocrates 1. *epid. ſect.*3. *text.*2. inter ſimplices febres enumerauit ſemitertianam, imò vt primum membrum diuiſionis eam conſtituit: quod dubium olfaciens Valleſius, reſpondet, compoſitam eſſe febrem, & de illa peculiariter mentionem in partitione fecit Hippocrates, quia nulla compoſitarum tam inſignem diariam, & mentione dignam habet, quia in ſemitertiana morbi acciduut acuti, & aliarum omnium hæc eſt maximè mortalis. Solutio quidem falſiſſima, quia reddere rationem non poteſt, cur in ea complicatione fiant acuti morbi, & ſit illa complicatio maximè præter cæteras mortalis: nec Galenus reddere potuit rationem, & ſic ignorans vnde in ſua complicatione acuti morbi deberent fieri, aut cur deberet eſſe præter cæteras febres complicabiles maximè mortalis, abſque expoſitione textum illum quantum ad hæc reliquit, ad alia minus vtilia ſe diuertens, cùm ex nullius explicatione eſſentia ſemitertianæ melius conſtaret, quàm explicando, cur in illa fiant acuti morbi, & ſit tam deſperata.

Sit ſecundum, quod rigor tertianæ non videtur moderari poſſe per coniunctionem cum quotidiana continuæ. Conſtat, quia rigor iuxta mentem Galeni creatur, quòd humor bilioſus per partes ſentientes extra vaſa ſeminetur: in continuis verò febribus motum per eas partes non admittit, ſed intra vaſa putat humores moueri; vnde videtur, quod neque motus illius humoris bilioſi impediatur, nec minus ſenſatio eius, cùm diſtent loco, & per conſequens rigor excitabitur tertianæ debitus. Sed quod magis vrget Galeni opinionem eſt doctrina Hippocratis, quam in ſui confirmationem adduxit: 1. enim *epid. ſect.*1. *text.*23. hæc ſcripſit: *Infeſtabant illos pleroſque hæc incommoda, febres horrificæ, continuæ, acutæ, omninò non intermittentes, modus erat ſemitertianus, vno die leuiores, altero grauius iterum inuadentes, in*
A *ſumma in dies acutiores euadebant.* Quæ ſtare non poſſunt cum complicatione tertianæ intermittentis exquiſitæ, & quotidianæ continuæ, quia nulla iſtarum eſt acuta febris; nam vt acutus morbus conſtituitur per motum celerem, & periculum: ſic febris acuta vtrumque ex ſe participare debet; at tertiana celeris motus eſt, ſed ſine periculo, quotidiana verò continua tardi motus eſt, nec eſt periculoſa: & quamvis periculo non careret, caret tamen motus celeritate; non ergo complicatio earum acutiem inferre poteſt, ſi nulla acuta eſt; quinimò mixtio hæc accidentia vtriuſque moderatur; nam pituita celeritatem bilis remoratur, bilis verò pituitæ tarditatem, ob quam periculoſa eſſe ſolet, accelerat. Et modus loquendi Hippocratis apertè huic doctrinæ opponitur, quia dicit, quod infeſtabant febres horrifi-
B c.e, continuæ, acutæ, omninò non intermittentes, modus erat ſemitertianus; compoſitio verò adducta à Galeno intermittentem febrem neceſſariò includit, imò quæ præ cæteris citius intermittit. Nec doctrina Galeni explicat ſatis quomodo ſemitertiana ſit febris horrida, vt dixit Hippocrates, quia teſte eodem Galeno 2. *de different. febr. cap.* 8. *Febris horrida eſt, in qua magna acceſſionis pars horrore conſumitur*: at in eius hemitritæo non datur horror in acceſſione quotidianæ continuæ, nec in die tertiana maior para acceſſionis horrifica eſt, quia vt docui, non datur principium tam longi horroris, ſi rigor debetur tertianæ exquiſitæ: & quod Hippocrates dicit, *omninò non intermittentes*, apertè docet rigores illos, aut horrores, non eſſe debitos for-
C mæ febrium intermittentium, ſed extra ordinem, & legem earum, alioqui non eſſent febres omninò intermittentes.

Quod etiam ſuadetur alio teſtimonio Hippocratis 1. *epid. ſect.*3. *text.*5. dicentis: *In febre, quam ſemitertianam vocant, tum morbi eueniunt acuti, tum præter cæteras hæc eſt maximè lethalis.* Conſtat verò, quod complicatio tertianæ intermittentis, & quotidianæ continuæ, non poteſt eſſe præ cæteris complicationibus maximè lethalis, cùm deterior eſſet, ſi cum continua melancholica complicaretur, aut alia continente, aut cauſone, venitque meritò accuſandus Galenus, quod in huius loci expoſitione, cur maximè lethalis ſit ſemitertiana, tacuerit. Quinimò talis complicationis febrium obliuiſcitur, de ſemitertiana velut de quadam ſimplici febre, &
D non velut compoſita loquens: & res ita ſe habere videtur, quia ſi compoſita eſſet, cùm breuior ſit conſtitutio tertianæ exquiſitæ, quam quotidianæ continuæ, deberet ſamper ſemitertiana in continuam quotidianam ſolam degenerare, quando ad ſalutem terminatur; quod & ab Hippocrate, & antiquis animaduerſum neceſſariò fuiſſet, ſi ex ea complicatione, vt Galenus putat, conſtaret, & id Galenus notare debet. Accedit, quod febris quando denominationem ſumit ab aliquo accidente, debet eſſe velut perpetuum in illa: ſic Galenus 4. *de victu acut. text.*69. *ad finem* dicit, vt ſingultuoſa febris vocetur, permanere amplius debet ſingultus, vel etiam per totum morbum ſimul cum febre exacerbare. Idem verò putandum eſt, vt fe-
E bris horrifica dicatur, vt non ſit ſatis quod ab horrore incipiant acceſſiones, ſed quod per totum morbum, hoc eſt in quolibet tempore acceſſionum, horrere faciat; impropriiſſimè enim horrifica febris nuncupabitur, quæ per tertios ſolùm dies horrores quando incipit tertiana, inducit; & Galeni inconſtantia, & varietas conſtat clarè ex expoſitione *textus* 23. 1. *epid.* Verba ſunt: *Præ cæteris autem dicit, febres fuiſſe horrificas; quod quidem ſignificat, per aſcenſum, & incrementum acceſſionis horruiſſe diutiſſimè ægros, neque enim quibus initio acceſſionis horrores inceſſerunt, iſto nomine appellantur, ſed quibus per totam propè acceſſionem produceretur ſymptoma horroris.* Et inferius docet, *reduplicationes horrorum eſſe propriiſſimae*

in semitertianis. Quæ nullo modo tertianæ exquisitæ conuenire possunt, in qua solùm datur rigor in initio accessionum, non verò in aliis temporibus, neque reduplicatio horrorum tertianæ exquisitæ debetur, & si modus loquendi Hippocratis accuratè perpendatur, malignius quicquam relatam complicationem tertianæ intermittentis, & quotidianæ continuæ innuere videtur; dicit enim: *In febre quam semitertianam vocant, tum morbi eueniunt acuti, tum præter cæteras hæc est maximè lethalis*: Quasi diceret, in semitertiana, aut præcedunt acuti morbi ab ea distincti, velut eius origo, aut ipsa est eorum causa, velut si consistere nequeat ob eius prauitatem, absque acuto alio morbo eius authore, aut effectu: quæ omnia extra rationem complicationis dictarum febrium sunt. Vnde enim in hac complicatione acutorum aliorum morborum coniunctio esse debet? nec Galenus in huius loci expositione aperuit satis, cur nimirum in semitertiana febre morbi acuti euenire debeant, & sit ipsa præ cæteris maximè lethalis. Minus mihi probatur nostri Vallesij expositio, dicit enim semitertianam esse acutum morbum, nec hoc dubium esse, cùm sit altera ex parte continua febris, & præter eam habeat aliam intermittentem: constat verò ad acutiem non esse satis, quod sit continuus morbus, nisi habeat adiunctum periculum cum velocitate motus, vt antea docuimus. Rationem verò adducendo cur maximè lethalis, dicit, quia nulla febris acuta est, qua iam crebrò, & tam continenter variis symptomatis natura affligatur; sed cur facultas tam variis symptomatis torqueatur, non tradidit, vt inde constaret esse tantam afflictionem debitam complicationi tertianæ, & quotidianæ. Accedit quod Galenus *lib. de typis, cap. 5.* etsi admittat complicationem quotidianæ, & tertianæ, non nominauit eam hemitritæum: & *cap. 4.* semitertianam depingens, nunquam talis complicationis meminit, simulque asserit, quod in vniuersum ferus, periculosissimusque est typus hemitritæi, quod in ea complicatio inueniri non potest, cùm sint aliæ complicationes (vt antea notaui) multò periculosiores quàm ex tertiana, & quotidiana, in quibus tam multa, prauáque symptomata hactenus animaduersa ab antiquis non sunt. Nec mihi placet Galenus quando rationem tradit, cur horror diutius molestet; dicit enim loco *1. epid. cit.* quod horrifica dicitur semitertiana, non quia accessiones ab horrore incipiant, sed quia per totam ferè accessionem symptomata horroris producantur: cur verò per totam extendatur, & molestet hoc accidens, idoneè non tradit, causam verò scripsit *cap. 8. 2. lib. de different. febr.* dicendo: *Nam cùm æquales magnitudine fuerint, febris biliosa intermittens, & pituitosa continua, accessionis initium fit cum horrore, qui medium inter rigorem, & frigefactionem obtinet locum, quorum alterum tertianam febrem, alterum quotidianam comitatur; cum verò ab inuasione inualescit, tertiana quidem ratione citò calescit, ac festinat ad summum, at propter pituitosam tardatur, atque in ascensu retinetur nonnunquam, atque interrumpitur, estque inter varios affectus, veluti pugna quædam: cùm ægro inualescente nonnunquam vehementius calefiat, contra verò remorante, atque ad interiora reuocante ipsius motum febre pituitosa, vt quæ tardi, ac difficilis motus, frigidæque, ac lentæ existat naturæ: in hoc autem certamine, cùm humor frigidus superauerit, systola, id est, summissiones, horrores, atque extremarum partium, & cutis refrigerationes sequuntur, adeò vt videatur altera rursus accessio renouari: cùm verò calidior vicerit, tunc statim totum corpus calefit, ac iam videtur febris penè in summo consistere, mox paulò post ad pituitosam redeunte victoria, ægroti denuò contrahuntur, refrigerantur, & horrent, nec hoc terminum vllum habet, donec febris ad summum peruenerit, quod quidem citius accidit, quàm pro more pituitæ; tardius tamen quàm in bile fieri consueuit; nam huius celeritatem pituita cohibet, aut rursus pituitæ tarditatem atque hebetudinem excitat bilis: talis quidem est exquisitus hemitritæus ex æquali duarum febrium temperatura compositus, quoniam etiam ex duorum humorum æquali temperatura constat.* Hæc Galenus: quæ non explicant satis idoneè cur horrores inæquales fiant, & febris hæc sit iam exitiosa, & acuta; in primis malè docent, quod incipiat breuiter inflammari bilis, & postea à pituita detineatur, quoniam si humor vterque simul ad accessiones causandas mouetur, non inflammabitur citò bilis seorsim, & post refrigerata à pituita calor remittetur, cùm huiusmodi remissio in initio accessionis effecta iam sit, quia quod remittere calorem debet, præsens est, neque est, vnde pituita post accessionem bilis nouas vires acquirat, vt calorem bilis remittat. Et quod magis Galeni doctrinam vrget est, quod rigor tertianæ debitus nunquam datur, nisi in initio accessionis: vnde quod in horrorem mutetur, contingere nequit, nisi in accessionum initio; si verò iam semel accensa fuerit bilis, rigor esse non potest, tunc verò, etsi à frigiditate pituitæ calor accensus remittatur, non datur causa noui horroris, quia nec bilis mouetur de nouo per corporis ambitum, nec pituitæ motio horrorem inducit, quia intra vasa in opinione Galeni mouetur, intra quæ horrorem causare non potest: vnde etsi demus Galeno, quod inæqualis sit ascensus caloris, non tamen horrores adueniant de nouo, cùm ipsa pituitosa febris ob inæqualitatem suarum partium, & inæqualem ascensum, non molestet eorum inæqualibus inuasionibus, cùm horrorem vt continua non causet. Si dicas non esse sic intelligendam mentem Galeni, sed quod in initio accessionum simul moueantur bilis & pituita, & quia mouentur inæqualiter, inæquales etiam horrores fieri: contra est, quia in Galeni opinione mouentur humores illi ad loca diuersa, quia bilis ad corporis ambitum, pituita intra vasa maiora, & per consequens nequit bilis ob pituitæ mixtionem (vt malè putat Vega *in expositione cap. 9. lib. 2. de different. febr.*) inæqualitatem acquirere, vt modò horrorem causet, modò ab eo quiescat, & redeat rursus; sic enim ad eundem locum mouerentur, & tertiana notha, non exquisita fieret.

In dubio tam difficili quid sentiendum sit, inuenire non est facile; non enim inuenio rationem adæquatam, ob quam complicatio tertianæ intermittentis, & quotidianæ continuæ, tam exitiosa putetur, vt de hemitritæo Hippocrates retulit, & Galenus etiam clarè fatetur *lib. de morb. temporib. cap. 5.* non longè à principio, dicendo: *Quippe cum semitertiana sit deterrima febrium, tamen in declinationem manifestam multis peruenit*: & illud quod morbi acuti, & grauissimi in semitertiana fiant, aliquod adiunctum magni periculi innuit, vt rarum sit alium morbum non dari simul cum illa, à quo vita magis periclitetur, quàm ab ea febrium complicatione: ob quod existimo, quod semitertiana nunquam à bile naturali putrida creatur, sed à præternaturali & vehementer vsta, cum cancrosa, ac putredinosa dispositione partis foci putredinis rationem habentis, eiusque sedem esse in parte naturali, quæ vehementer vitiata excrementa cruda generet quotidianam continuam excitantia, ita vt ob vitium atrabiliarium horrifica febris reddatur, non quia horrores illi ex contemperatione bilis à pituitoso succo, vt Galenus putauit, creentur, sed à fuliginibus acerrimis per sentientes partes disseminatis, & membranas etiam, aliasque partes naturalis regionis acrimonia lancinantibus, vt non sit expectanda accessio tertianæ per tertios dies, vt horror ille non satis probatus à Galeno inducatur, sed in quovis tempore accessionis, & in quovis die horrores inordinati molestare possint, & debeant, etsi negari non possit, quòd per dies tertios molestiores,

&c

& plures esse debeant, quia in illis paroxysmus bilis adustæ suscitatur. Non habet aliud fundamentum nostra opinio, nisi inuestigare causas à quibus signa essentialia hemitritæi emanare possint cum periculo magno, ratione cuius præ cæteris febribus continuis, & intermittentibus, quas prius Hippocrates 1. *epid.* retulerat, periculosior, & maximè mortalis reddatur; & quod in ipso grauissimi, ac lethales morbi fiant, quæ (vt sæpius dixi) complicationi machinatæ a Galeno conuenire non possunt. Galenus *lib. de typis, cap.* 8. scriptum reliquit: *Periculosa porro est semitertiana, vt quæ non oris ventriculi tantummodo, ac neruosas partes, & summatim media attingat, sed & veternosas cataphoras, vigiliasque cum delirio, ac syncopesas diaphoreses inferat; linguam præterea validè exsiccet, atque animi defectionem efficiat, vehementer quæ in profundo sunt commouens, in vniuersum ferus, periculosissimusque hic typus est.* Quæ accidentia succis adustis primam regionem vexantibus, & ob debilitatem inductam excrementa cruda creantem propriissimè competunt, in qua regione, & firmæ, & inconcussæ obstructiones, & tumores, aut inflammatorij affectus, & quod experimentis multis anatomicis compertum est, eiusdem regionis corruptio, & putridi abscessus, quando semitertianæ molestant, & grassantur; semper ferè visa sunt, à quibus diuersis passionibus, & causis earum multa, & horrenda symptomata suscitantur, vt Galenus loco immediatè allegato notauit: vt mirum sit, dum tam exitialia, & varia symptomata hemitritæum causare fatetur, non obliterasse quæ 2. *de differentia februum* scripserat, aut superbè, ne videretur errasse aliquando, censuræ legentium commisit iudicium. Et hoc est quod dixit Hippocrates, in semitertianis fieri morbos acutos, & esse eas febres maximè lethales, quod etiam notauit Sennertus, multa tradens experimenta ex Adriano Spigelio *tract. de semitertiana*, quamuis modus exponendi mihi non probetur, quia non potest rationem reddere, qualiter vno die vnica tantum fiat accessio, & in tertio duæ; quod Galenus ad semitertianas requirit: meritóque ab authoribus hæc annotata sunt, quod nouam indicationem à Galeno traditam afferant, vt accuratè in semitertianis affectiones aliæ complicatæ inquirantur, & nunquam semitertiana accidentibus grauibus implicata, vnus tantum morbus putetur, sed multiplex, non solùm antecedenter, sed consequenter etiam, quia omnia interna commouet, vt Galenus dicebat, ventriculum, iecur, cor, & cerebrum malè afficiens; primam quidem regionem primariò, reliqua viscera per consensum, quoniam magnum primæ regionis nocumentum omnia in consensum trahit, & alimenta deprauat intemperie, & impedito eorum transitu. Nec solùm modo dicto est huiusmodi febris horrifica, sed etiam quia natura acrimoniâ succorum molestata, intempestiuas & symptomaticas crises sæpius tentat, & rursus, quia tam acris materiæ quantitas moderata ad causandam accessionem sufficit, vt nos iam experti sumus in viro nobili, qui septies quolibet die horrore torquebatur, & nouis accessionibus succedentibus cum mentis alienatione, idoneum locum auxiliis non concedebat. Et hæc est causa præcipua horroris tam crebri & inordinati, & accessionum plurium, præter ea quæ mox referemus. Legantur experimenta anatomica eorum qui à semitertiana periere, apud Sennertum *lib. 2. de febrib. cap.* 21. quibus planè ostenduntur vitia primæ regionis, & intestinorum in lethalibus semitertianis inuenta: & meritò ita euenit, cùm in ea regione excrementa diuersæ naturæ accomulentur, à quibus febrium complicatio, & confusio procedunt, & partes principes offenduntur, horroresque molestant, quia sanguinis permistione acria excrementa non contemperantur, & sic quæ atrabiliaria sunt, molestiam magnam inducunt, & partes horrescunt assiduæ, & in quouis accessionum tempore; faterurque Adrian. Spigelius, nullum se semitertiana pereuntem secuisse, in quo pulmones, aut iecur malè affecta non fuissent, & simul cum ipsis caput, lien, renes, mesereum, & intestina magna ex parte inflammata, & in aliqua parte etiam sphacelata, in eo præsertim loco vbi colum intestinum ileo coniungitur. Quæ doctrina mihi maximè probatur, tum quia experimentis stabilita, tum etiam quia exitiosæ conditioni & prauitati, ob quam præ cæteris mortalem semitertianam Hippocrates censet, satis consonat, & multò magis, quod in hemitritæo fiant acuti morbi. Et si mihi liceret ex pluribus febribus hemitritæum componere, vt hactenus cum Galeno fecere omnes, illum certè componerem ex pluribus quotidianis intermittentibus, & tertiana etiam exquisita intermittente; sic enim horrifica esset febris ex propria idea, & complicatione, & tertio die ingrauesceret, nunquámque sine febre esset æger, quia cum pluribus quotidianis quolibet die repetentibus, à febre liberari implicaret, quando cum vna sola vestigia febris nunquam deficiunt: verùm nec hac ratione, ne dicam fictione explicatur idoneè Hippocrates, quod in semitertiana fiant acuti morbi, & quod præter cæteras sit magis mortalis.

Ex dictis constant multa. Primum quod non sit idem febrem aliquam horrificam, & mortalem esse, & esse semitertianam: nam talis esse potest, etiamsi quolibet die accessiones habeat cum molestis & assiduis horroribus, vt in viro nobili à nobis relato euenit: at verò vt semitertiana dicatur, præter mortalem, & satis periculosam proprietatem, tenetur per dies tertios repetere, & in opinione Galeni duabus accessionibus, & in die intermedia vnica tantùm, ea nimirum, quæ continuæ quotidianæ respondeat: horrores tamen Galenus solùm per tertios dies admittit, nos verò in omnibus, etsi magis per tertios. Quia verò Galenus modum non inuenit, quo semitertiana horrifica sit, nisi per complicationem quotidianæ continuæ, & tertianæ intermittentis, nos verò alio modo euenire posse docuimus: non est necessarium in mea opinione ad hemitritæi constitutionem, quod in die intermedia accessio quotidianæ inueniatur, quia hæc illa horrifica febris, & per tertios repetens, inueniri potest, ac per consequens vnica sola febris erit semitertiana, quia & continue molestat, & horrores habet plures, & per tertios dies grauius afficit: semitertiana enim per comparationem ad exquisitam tertianam intermittentem à Galeno denominatur, vnde quicquid aliquid illius participat, non tamen totum, semitertiana dicitur, ob quod nondum constat, quid in rigore semitertianæ dicendum sit.

Secundò notandum venit, quod in hemitritæo Galeni, pituita & bilis proprias febres creant, vt altera sit quotidiana, alia verò tertiana: in tertiana verò notha, quæ maioris famæ dicitur, etsi ad eius constitutionem bilis, & pituita concurrant, non faciunt febres diuersas, sed vnicam solùm & simplicem, quia bilis, & pituita mouentur simul ad eundem focum, & simul etiam accenduntur, & resoluuntur: quomodo verò id contingat, *cap. proprio de tertiana notha* docuimus.

Constat tertiò, quod semitertiana propriè dicta iuxta mentem Hippocratis, debet esse continua febris ex parte, & ex parte horrifica, non in inuasionibus, sed per totum ferè tempus, ex quo symptomate prauitas succi eam creantis agnoscitur simul cum periculo magno, quia tam prauæ naturæ est, quod aut intempestiuas crises, & plures tentare cogat, aut quod ex causa febris eleuatur, partes sentientes vellicat, & molestat, & horrores plures, & inordinatos inducit, à quibus prætérquam quod facultas dissoluitur assiduâ con-

cussione, corpus etiam densatur, & transpiratio tam maligni succi impeditur, & etiam eius concoctio remoratur, quia quiete indiget. Significant etiam horrores illi intempestiuum facultatis expellentis collapsum, & assiduam irritationem naturæ, & materiæ crassitiem, quibus resolutio impeditur: interdum etiam calor humoris biliosi crassos humores eliquat, secumque deferens resolutio impeditur, & partes sentientes molestans, horrores multos causat, & caloris retractionem, totúmque corpus repletur cum offensione partium principum, & neruosi generis. Attentè obsecro legas Vallesium 1. *epid. sect.* 2. *text.* 4. vbi iuxta mentem Galeni, & suam, semitertianam exponendo, nihil rationi consentaneum dixit, nam si ex tertiana intermittente semitertiana necessariò componitur, quomodo intermittentia excludi potest à ratione constitutiua hemitritæi? rigorum etiam sine ordine multi, id est non vno ordine, quotidiano, aut tertiano, sed videntur sine ordine omninò fieri, ob complexum duarum febrium, accidit que hodie vnus, cras duo, vt nullus videatur esse ordo: quod implicatorium est, si hodie vnus, cras duo fiunt, sic enim repetentes fiunt cum ordine vt constat. Addit; *quin etiam præter hos incidunt intempestiuè quibusdam horis sine ordine rigores ob varium motum, quem facit succorum contraria natura*: quod etiam non intelligitur si quotidiana exquisita nullum rigorem, aut horrorem causat; & in tertiana notha idem inueniri deberet, quia ex contrariis humoribus constat, & multò magis, quia simul ad causandum rigorem mouentur, & tamen non fit talis inordinatio rigorum, & si tales fiunt, quomodo vno die vnus, cras duo.

Tandem constant signa semitertianam perniciosam demonstrantia, debet enim esse continua febris, & per ternos dies magis molestare cum horroribus assiduis, sed per tertios grauioribus, & frequentioribus. Et in Galeni doctrina duæ accessiones in eisdem tertiis diebus affligere debent, aut simul confundi, quando simul incipiunt: quod Galenus ad exquisitam semitertianam requirit, & per consequens illegitima erit, quando seorsim accessiones adueniunt, in die verò intermedia accessio sola quotidianæ continuæ apparere debet; quia verò Hippocrates præ cæteris febribus grauiorem, & maximè lethalem semitertianam prædixit, symptomata hanc exitiosam naturam significantia debent adesse, inter quæ horrores sæpius, & inordinatè repetentes enumerandi sunt, quòd non solùm vt signa sint pessima, sed etiam vt causa: vires enim frangunt assidua motione, & cutis contractione transpirationem impediunt, omnia excrementa interius commouent, coctionem eorum, & alimentorum retardant, somnum naturalem auferunt; quippe si cum horroribus ægri dormiant exitialis est casus, quia magnus sopor arguitur, vbi à continua, & molesta sensatione non expergefiunt, vnáque succorum magna acrimonia indicatur, cùm à soporosa passione non obscuretur: in Galeni doctrina omnia intra corpus patiuntur, nam & oris ventriculi, & partium neruosarum, cerebri, & cordis læsionem, vt propria huius mali recenset *lib. de typis, cap.*4. vt antea eius verba referentes vidimus, vt dixerit propterea typum hunc serum, periculosissimumque esse. Et cùm rursus Hippocrates doceat 1. *epid. sect.* 3. *textu* 5. in hoc malo acutos morbos fieri, inquirendi accuratè sunt, si præcesserint, aut ab eo machinentur, vt omni arte præcaueantur, aut curentur. Pernicies verò eorum latere sæpe potest, quando nimirum partium putredine (vt ex anatomia constat) vitæ insidiantur, suntque accuratissimè vitia primæ regionis, aut iecoris, aut pulmonis inuestiganda, cùm experimentum doceat, absque horum pernicie, grauique passione nescire generari: quæ si speciatim ab Hippocrate non adducantur, satis mentem suam aperuit dicendo, in semitertiana vocata sæpe acutos morbos euenire, & esse præ cæteris maximè lethalem: quod sine expositione Galenus reliquit, vt malè contrarium asserat Eustachius Rud. *libr.* 3. *capite* 33. *fol.* 363. *ad finem*: credendumque est satis probabiliter, tam plenam esse regionem primam variis & prauis excrementis, atrabilariis præcipuè, quod omnes partes principes non leuiter se offendant, & vt docui, in consensum trahantur, & tam prauorum excrementorum expulsionem (sine fructu tamen) natura procurans, rigores tantos, & sine ordine causet, pessimasque crises tentet: & quod probabilissimum est, ex partibus quas sphacelat, aut exulcerat, rigores illi, aut horrores causentur, membranas prius mordendo, vt de rigoribus, quando suppuratione fiunt, Galenus putauit, vt propriè semitertianam diras tertianam acutam nouam sui ratione, quam ob complicationem aliorum morborum prauorum, aut symptomatum inordinatè euenientium à malignis excrementis cum causa tertianæ coniunctis, aut à morbis quos causa illa ob malignitatem de nouo suscitat: inter quæ horrores inordinati essentiales esse debent, reliqua verò perniciosa pathemata varia esse possunt, quæ solicitè attendens Hippocrates seorsim enumerare non potuit, sed in communi dixit, in semitertiana acutos morbos fieri, & ob id esse præ cæteris lethales.

QVÆSTIO XXI.

De Cura Hemitritæi.

SI iuxta mentem Galeni, & Auicennæ curatio hemitritæi instituenda est, mista semper erit ex auxiliis tertianæ, & quotidianæ debitis, & per consequens bilem, & pituitam respicientibus. Princeps noster *fen.*1. *lib.*4.*tract.*4.*cap.*15. curationem instituens dicit: *Necessarium est in hemitritæo, vt vehementem habeas solicitudinem in euacuando materiam secundùm species euacuationis, ex solutione ventris, & vomitu, & prouocatione, & sudatione, plus quàm vehementia, qua est per extinctiua.* Quod præceptum maximè notandum venit, quia vt docent expositores, semper hemitritæus ex multa materia, & repletionali dispositione dependet, ratione cuius plus omni genere euacuationis, quàm attemperatione indigemus; causæ enim contrariæ mutuò attemperant, quantitas tamen vnius quantitatem alterius minuere non potest, & per consequens euacuatio duplicis abundantis materiæ vrget, attemperatio verò minimè: quantitas vnius quantitatem alterius auget; qualitas verò remittit; quia etsi quælibet materia febrem efficiat, est tamen quotidianæ materia minus calida, & sic tertianæ calorem remittit, quod respectu materiæ antecedentis magis verum est; cùm sit pituita frigidissima omnium quæ sunt in corpore.

Inter euacuationes idoneas recenset Princeps ventris solutionem, vomitum, vrinæ motionem, & sudores; sunt verò imperandæ quando conueniunt, non enim indifferenter statim idoneæ esse possunt, sed occasio earum ex communi methodo accipienda est, vt lenientia medicamenta, & vomitus conuenient statim in principio, si prima regio excrementis, & crudis scateat, quæ mouent vrinam: euacuato iam corpore magna ex parte, & concoctis humoribus conuenient, vt quæ sudores mouent, etiamsi ad eas, quæ vrinas mouent, non semper sit opus perfectam materiæ coctionem expectare, vt *in nostra communi methodo* cum Galeno docuimus: quæ verò vomitione corpus totum expurgant, similem dispositionem ac expurgans secundam regionem requirunt, de quibus inferius rursus incidet sermo.

Est

Est etiam consideratione dignum, quod sectionis venæ non recordetur Princeps in curatione huius mali, cùm sit tam celebre auxilium, & ad deponendam dispositionem repletionalem tam efficax, & mirandum, quod nec Gentilis de hoc dubitauerit. Herculanus verò super *hoc cap.* necessarium auxilium esse putat, & ab authore velut clarissimum, & ex communi curatione febrium putridarum suppositum, hic traditum non fuisse: quod mihi videtur verum, quando causa vtriusque febris intra vasa secundæ regionis continetur, & adest virium robur, quod solicitè inuestigandū est: nam si in prima regione varia excrementa authores sint huius mali, vt sæpè contingit, arcenda omninò est sectio venæ, velut perniciosum remedium, de quo sæpè dictum iam est; vnde malè Iacobus absolutè docet, quod sectio venæ prætermissa fuerit, quia non conuenit in hoc malo, sicut nec cucurbitæ, nec hyrudines, quia materiæ facientes hanc febrem (inquit) sunt phlegma, & cholera, quibus educendis, non sectio venæ, sed pharmacia conuenit.

Subdit Auicenna; *Et cum solutiuis oportet vt conueniat digestio, nisi sint ex genere, quæ leniunt naturam, & soluunt, & non inquietant, sicut aqua alubleb cum geleniabin, si fuerit quod superat phlegma, & sicut terenabin, & siracost, & infusio tamarindi, & syrupus violatus, si dominans fuerit cholera, & sicut quod componitur ex istis, si fuerint duo humores quasi pares, & post apparitionem decoctionis, si euacuatio fiat cum fortibus, pertransit.* Est textus hic celebris pro stabilienda opinione dicentium, quod materia morbi absque vlla coctione in certis casibus potest minorari; dicit enim quod oportet, vt coctio materiæ præcedat solutiua (fortia scilicet) & quæ ob vehementiam tractionis multam perturbationē naturæ, & materiæ inferunt: verùm coctio non est requisita, si medicamenta lenientia, aut quæ electionè soluunt, sed ob debilem tractionem non inquietant, imperentur. Quæ doctrina sic accipienda est. Ad omne medicamentum expurgans optimum est, quod coctio materiæ præcedat, verùm si opus sit, tectè dari possunt sine coctione, quæ solùm educunt leniendo, aut si præter lenitionem electiuè etiam soluant, sed hoc sine corporis, & humorum notabili perturbatione operentur. Rationem reddit Gentilis, quia quæ leuiter trahunt, euacuant solùm quæ sunt paratissima eductioni, reliqua verò non commouent: vnde si non sint, quæ leui tractione possint educi, euacuant solùm leniendo absque vlla perturbatione, & læsione naturæ. Est occasio horum medicamentorum, quando satis euacuato corpore per sectionem venæ coctio materiæ fit tardè, aut quia copia alicuius succi à sanguine eam retardat, aut quia vires non constant ad missionem sanguinis, aut putredo talis est naturæ, quod inemendabilis putetur: nam & Massarias, qui minoratiuam expurgationem tam proterue impugnat, hæc medicamenta libenter admittit, vt *tractatu de febre maligna* retulimus, etsi materia sit cruda. Non potui inuenire quid sit propriè alubleb, nam Gentilis speciem lacticiniæ cuiusdam herbæ esse dicit, quod mihi non probatur, quia omnia simplicia, quorum lac expurgatiuum est, vehementissimæ sunt operationis, & maximè turbatoria, quia excedunt. Iacobus speciem volubilis, quam minorem appellant, esse docet, cui nec Dioscorides, nec Mathiolus, nec Laguna vim expurgatoriam attribuunt. Eam fortassis expertus fuit Princeps, & est fortassis clematidis species, de quibus Ruellius *lib.3.cap.8.* egit, & vim eductoriam alui ipsis attribuit, de quibus etiam Dioscorides *lib.4.cap.7.* pituitam, & bilem expurgare prædicat: sunt verò non contemnendæ vis, & acris naturæ, sed hoc parum interest, quando nostris temporibus tot salubertima, & mitissima medicamenta possidemus, quorum vsus vtilis esse potest, si coctio tardè à natura celebretur, aut

A copia succi illum indicet. Putandum verò est, quod cùm alubleb cum melle rosaceo Auicenna propinet, mistura fiat ad correctionem medicamenti expurgantis pituitam: quando verò bilis superat, præbet authur terenabin, & siracost, sunt verò species mannæ; dat etiam infusionem pulpæ tamarindorum, & syrupum violatum; securissima quidem & optima medicamenta, quorum loco syrupus solutiuus regius optimè dabitur, aut ex 9. infusionibus rosarum Alexandrinarum cum modico rhababari.

Addit author; *Et post apparitionem decoctionis si euacuatio fiat cum fortibus, pertransit*; hoc est si coctio appareat, non sit tamen perfecta, & detur medicamentum ex fortioribus, ad expurgandam materiam pertransit, hoc est admittitur, quia copia, & crassities pituitæ
B tanto auxilio eget, & quamuis esset securius integram coctionem expectare, non tamen ob periculum dandum est medicamentum fortius, quia maior vtilitas sequitur, postea verò residuum coquetur melius, & expurgabitur. Sic exponit Gentilis nostrum Principem; Iacobus verò dicit, quod si coctio materiæ perfecta sit, securius est, quod per vices educatur, & non tota simul: verùm si tota per medicamentum fortius euacuetur, tolerabile est, hoc est, non est præter rationem. Mihi videtur expositio Gentilis pulchrior, quia tradit præceptum magis necessarium, quando febris ex crassis dependet, quorum si integra coctio expectetur, recrudescere solent, quia prius concocti fuerint, vt sæpe nos alios increpantes, quòd
C expurgationem non impetrauerint, experti sumus; crassi enim humores, nec simul omnes concoqui possunt, nec quos natura prius domatur, potest reiicere, aut resoluere, & inde si non euacuentur, de nouo corrumpuntur, & vrina rursus vitiatur, accrescitque malum: quod etiam clarè in huius loci expositione Herculanus tradit, Gentilem vt solet sequutus; quia vt dictum est (inquit) *cap. de febre phlegmatica*, in iis humoribus repletionalibus oportet paulatim digerere, & paulatim euacuare. nam apparente coctione, & non completa, nocet expurgatio aliqualiter agitando, maius tamen est iuuamentum nocumento, & ideò dixit Auicenna *pertransit*.

Est hoc præceptum etiam maximè notandum pro tertianis nothis productis, in quibus tardissimè coctio
D apparere solet, eo quòd obstructiones stabiles sunt, & nunquam permittunt bonam vrinam apparere, & prius æger tabidus, aut cachecticus fiet, quàm coctio perfecta appareat, ob quod expurgantur vtilissimè longa facta succorum præparatione, vt nos quotidie experti sumus mediocribus medicamentis propinatis; sæpe enim in pertinacibus obstructionibus, tam terrestris redditus est humor cuiusque naturæ sit, quod ob humoris defectum incoctilis omninò sit redditus, qui si non educatur, cancrosus, & malignus efficitur: aut schirrhum creat incurabilem; pituita enim tophacea, gypseaque redditur, bilis crassa, & melancholia in atram mutantur, partemque corrumpunt: dixit enim Galenus 2. *aphor. com.* 19. quod in morbis longis
E sunt humores impacti, atque fixi, ita quod eorum dispositione magis schirrhis, quàm inflammationibus assimilantur.

Subdit Auicenna; *Et prouocatio oportet vt fiat cum eis in quibus est inæqualitas, & cum festinatur in ponendo decoctiones, ante digestionem timetur sirsen, vel birsen.* Est doctrina communis auxilis mouentibus vrinam, & sudorem; ea enim temperata requirit, ne ob calorem immodicum febris intendatur, & multa commotio fiat, corpusque exsiccetur; propterea dicit, *quod prouocatio fiat cum eis in quibus est æqualitas*, hoc est, temperatior sit natura intra limites prouocantium vrinam, & sudores, de quibus *in methodo communi* latissimè egimus. Est verò intelligendus textus de calidis

&

A & siccis medicamentis; addit verò, quod *quando festinatur in potando decoctiones ante digestionem, timetur sirsen, vel birsen*, hoc est euenire possunt inflammationes cerebri, aut pleuræ: loquitur verò, vt putat Gentilis, de solis vrinam prouocantibus, quæ propriè sint talia. Rationem reddit, quia humores vehementer agitant, & faciunt eos fluere ad caput, vel ad pectus, vel ad alias partes supra partem nutritiuam, quia alia medicamenta humores inflammant, & mordaces reddunt, sicque sursum ascendentes, vitalem regionem, aut cerebrum lædunt. Iacobus verò tam de lotium mouentibus, quàm sudores, Authorem intelligit, quod mihi verius videtur, quia sudores mouentia, si materia cocta non sit, agitant humores vehementer, & corpus adhuc obstructum timetur, quod indicat coctionis de-
B fectum, & sic extenuati ad partes diuersas fluere possunt, & inflammationem causare, certiusque est in agitatis per sodorifica venturam inflammationem in partibus superioribus, & thorace; quia tam extenuata materia sursum facilè rapitur.

Subdit Auicenna: *Medicina verò mutatiua in via perueniente ad statum, ad rectificandum materiam, & maturandum ipsam, & succurrendum nocumento eius, ex singularibus, est absinthium, verùm post 7. & apparitionem digestionis, ita vt sit Romanum, quod ex ipso bonum est, & cùm tu festinas cum eo, mouet humores, & non euacuat eos: cumque sumitur, facit accidere angustiam, & tristitiam, & nauseam, deinde reuertitur super eos cum sua caliditate, & exsiccant eos, & cum sua stypticitate facit eos pigros.*

C Iis verbis tradit vsum absynthij, tanquam auxilium magni momenti, si in debita occasione propinetur: est occasio in via ad statum perueniente, id est augmentum vniuersale. Iacobus exquisitius exponit dicens; à medio augmenti vsque ad finem febris vtilitates sunt, quod materiam rectificat, idest, putredinem cohibet, eam etiam maturat, seu ad coctionem eius conducit, & succurrit nocumentis materiæ; sunt verò non pauca, vt cibi abominatio, debilitas viscerum naturalium à superflua humiditate prouenientes, obstructiones etiam non paucæ, & difficilis solutionis, vrinam mouet, & aluum, os ventriculi expurgat, & simul roborat quod in hac febre præcipuè labefactari solet. Constat itaque astrictoria, amara, & acri facultate,
D calefacit, siccat, & non leuiter detergit, sed sicca facultas caliditatem excedit, siccat enim in tertio gradu, & in primo solùm calefacit; vnde intelligetis, cur tam strenuum auxilium ad appetendum sit; est enim inappetentiæ duplex occasio, aut bilis in tunicis ventriculi imbibita, aut humiditas superflus neruos oris ventriculi laxans, & corrugationem, sensumque suctionis impediens, bilem imbibitam extergente vi extrahit, eamque expurgare. Dioscorid. docuit *lib. 3. cap. 23.* Quæ verò appetitum tollit, ea præcipuè est, quæ multo sero abundat cum quadam dulcedine, calora enim, & multo sero laxat, & extenuat ventriculi neruos, & tunicas: eam verò extergendo, & expurgando, humiditatemque omnem exsiccando, ventriculum mundat, & firmat, quod etiam astringente facul-
E tate mirificè præstat, indeque contra anasarcam magnum auxilium est.

Dubium tamen est, si coctio ad eius vsum expectanda sit, quod in curatione tertianæ nothæ discussimus, vbi ex menta Galeni probauimus, expectandam non esse quando pituita abundat, & os ventriculi vitiatum percipitur: satis enim est ad eius vsum corpus inanitum essa, & primam regionem excrementis vacare. Nec obstat, quod hic dicat Princeps, *quod post 7. & apparitionē digestionis sit imperandum*: nam duas occasiones tradit, primā post septimam diem, secundam post signa coctionis, septimam verò requirit, vt corpus deoneretur, vt requiritur eius euacuatio ad omne auxilium deobstruens, & detergens, & vrinam mouens. Et hoc est, quod Galenus præceperat 8. *method. cap. 4.* dicendo: *Præstat enim vitiosi succi maiori parte emissa, ad detergendas deobstructiones accedere, &c.* Quem sectatus Auicenna dicit: *Et cùm tu festinas cum eo, mouet humores, & non euacuat eos*, idest, si illud ante totius inanitionem propinaueris, humores mouet, & non euacuat, quia impinguntur magis, eò quod corpus inanitum non est, nec deobstructum, & inde angustiam, tristitiam, & nauseam inducit, quia commota excrementa, & non euacuata, naturam miro modo lacessunt, & cùm non euacuentur, exsiccantur, redduntur que crassiores, & vi astrictoria stabiles magis, & immobiles fiunt. Esse verò nostram doctrinam veritati consonam, facilè inuenies, si proprietates absinthij Romani ad amussim callueris, nulla enim materiæ coctionem requirit, & plurimæ eius ad materiæ coctionem conducunt.

Docet rursus Auicenna: *Et Galenus quidem, & qui ante eum fuerunt, curant eos cum aqua hordei, in qua sit virtus piperis.* Non inueni hactenus vbi Galenus hemitritæo aqua hordei cum pipere succurrat; sed 2. *ad Glauconem*, tertianam notham eo auxilio curare docet; in ea enim similes indicationes, quæ in semitertiana occurrunt, si causas antecedentes expectemus, pituitam nimirum & bilem, & quia causæ illæ oppositæ sunt, indicant opposita auxilia; bilis enim aquam hordei, pituita verò piper exposcit; eandem ergo mixturam hemitritæo Auicenna cum Galeno accommodat.

Deinde contra praxim adductam tradit obiectionem cuiusdam Contradictoris; fuit verò Alexander Trallianus *lib. 12. cap. 6. fol. 752.* qui nullo modo prædictum auxilium admittit, eo quòd piper febrem intendit, & aqua hordei pigram materiam efficit, hoc est, frigiditate condensat, & incrassat, & sic pigram ad motum resolutionem, & etiam reddit. Hunc authorem Auicenna reprehendit, quia morbus compositus aliter quàm medicina composita nequit auferri. *Et talis permixtio facta* (inquit) *est in adiutorium naturæ, & quia est qui curet hemitritæum absque hoc.*

Sed hæc solutio Auicennæ videtur insufficiens, estque dubium non leue à quibus indicetur huius mali contrariorum permixtio, ita vt cum vtilitate, & securitate certa imperentur contraria remedia. Ratio dubitandi est, quia calidum auxilium bili applicari potest, vt frigidum pituitæ, ac per consequens bilis exasperabitur, & inflammabitur, pituita verò infrigidata considerabitur, & minus resolubilis reddetur, magisque obstruens. Si autem dicas, quòd contrarium etiam contingere potest, iam curatio casualis est, & periculo exposita, & rationali Medico indigna, qui non cum probabilitate lædendi, sed cum certitudine vtilitatis operari tenetur. Secondò, quia talis permixtio ex calido, & frigido necessariò debet reduci ad certam temperiem, cum mutuò agant inter se simplicia contraria; vnde perinde esset propinare medicamentum simplex eo gradu constans, ac si contraria permiscerentur. Constat, quia similis gradus in agente inuenietur; nam si ptisana, & piper admixta mutuò se oppugnant, certus gradus temperiei producetur, quem si alia simplex medicina habeat, eandem vtilitatem afferet, & per consequens permixtio contrariorum inutilis erit, aut saltem non erit necessaria, vt hic Auicenna cum tota posteritate putat. Et confirmatur, quia pituita, & bilis intra vasa permixtæ, aut ob æqualitatem non alterant, aut quia vna aliam excedens eam trahit ad se, calor maior in massa sanguinaria, aut frigus intensius resultat, prout bilis, aut pituita excesserit. Cùm ergo gradus ille præter naturam debeat auferri, non est opus contrariorum mixtione, sed simplex quodlibet illum gradum præternaturalem corrumpens, proficiet æquè, ac si compositum eiusdem intensionis propinetur.

Tertiò

Tertiò quia calidorum admistio in morbo febrili, non requiritur ratione febris, cùm exposcat frigida, nec ratione causæ immediatæ febris, quia hæc putrida est, & calida præter naturam, & per consequens frigida indicat, nec ratione causæ antecedentis, hæc enim bilis, & pituita in hemitritæo sunt, quilibet verò horum humorum ab interno principio innatam temperiem seruat, vt non sit opus extrinseco conseruante: non est ergo talis permistio requisita.

Auicenna *in præsenti cap.* solutionem insinuat dicendo; quod frigida requiruntur pro febre, & calida pro materia, & quod natura ipse discernit inter calidum, & frigidum, & frigidum applicat febri, & partibus cordis, calidum verò materiæ, hoc est causæ phlegmaticæ, vt extenuetur, & calefiat, vt in expositione Iacobus tradit: *nec hoc* (inquit) *est mirabilius in natura sensu, & cognitione carente, quàm quod ex eodem simplici cibo quatuor humores generet, & excrementa ab eis secernat, & quod ex seminibus in loco tenebroso, vtero scilicet, cum sanguine menstruo, tam diuersas partes efformat, vt nulla deficiat*: Et addit Auicenna vnum consideratione dignum iis verbis: *Et si natura non est fortis ad discernendum, tunc non prodest curatio quocumque modo fiat.*

Hæc doctrina nostri Principis sustineri non potest, vtinam probabilis esset: nam ex illa sequeretur, quòd si daretur aliquod auxilium lædens naturam, statim illud deberet extra corpus reiicere, quia nulli parti posset illud applicare, & sic in nulla detineretur; & contra opinionem traditam agitur in parte naturali, vbi contra hanc virtutem à Barbaris discretiuam vocatam ex professo agitur, & exempla adducta à Iacobo in huius doctrinæ confirmationem, sunt tanto authore indigna; nam si natura, quia eget quatuor humoribus, ex quouis cibo producit, simili indigentia & naturalitate non deberet eos producere extra naturalem proportionem, sed ex quouis plus sanguinis, & minus pituitæ, & minus bilis, & multò minus melancholiæ producere teneretur, quod tamen non facit, sed si alimentum biliosum est, plus bilis producitur, & sic de reliquis.

Dubitatio proposita duo inquirit. Primum à quo inducitur contrariorum auxiliorum admistio. Secundum, quomodo cum vtilitate, & sine noxa ea permistio fiat, & propinetur? Ad primum respondet Gentilis, quod calida permiscentur in passione febrili, quia pituita infrigidat bilem, & eam reddit minus mobilem, & minus resolubilem, ob quod accessiones longiores fiunt, & crisis etiam, & morbi iudicatio tardius eueniunt. Sed contra est, quia ex hoc sequeretur, quod non liceret in hoc malo frigida dare, quia resolutio, & morbi constitutio tardius euenirent; nam si productio frigiditatis in bile à pituita calidum auxilium indicat, non potest frigidum indicari, quod est contra rationem, & communem praxim. Secundò, quia calor bilis pituitam etiam alterat, & eius motum, atque accessiones accelerat: ergo potius calida deberent propineri ad liquandam, & extenuandam, calefaciendamque pituitam, quàm ad bilis emendationem; imò pituita videtur esse commodum auxilium ad attemperandum incendium bilis, quia Galenus in curatione tertianæ exquisitæ frigida & humida auxilia, & rationem victus eiusdem temperiei commendat; & ita ego existimo, quod calida auxilia ad emendationes frigoris, crassitiei, & lentoris pituitæ imperantur, quia nunquam huiusmodi febres inuadunt absque copia causæ ipsas creantis: vbi verò pituita superabũdat, frigus augetur, præsertim in ea parte, cui crudorum generatio propriùs conuenit: est verò ventriculus cum mesaraicis, partes quas corrigere oportet pipere adiecto, & succos frigidos ibi infarctos extenuare, incidereque. Est etiam vtilis piperis admistio, vt prisana minus in pituita vertetur, cum qua analogiam habet, vt doctè Stephanus Athenienſis notauit; flatus etiam quia hypochondrium in hoc malo molestare solent, discutiendi sunt, & emendandum etiam quod flatuosum ptisana habet; hæc sunt, quæ piperis admistionem hortantur.

Maius dubium est, si absque noxa aliqua piper admisceri possit, & quod timuit Tralianus (incendium nempè febris augeri) videtur soluere noster Princeps dicendo: *Et non sciuit* (Tralianus scilicet) *quòd possibile est vt piper infrigidetur minoratione sui, ad hoc vt frangatur eius calefactio, & non abbreuietur eius subtiliatio a subtiliatione apij plurimi, &c.* hoc est, permistio aquæ hordei, aut prisanæ calorem piperis remittit, non tamen remittit eius subtiliationem, quæ sit proportionata plurimo apio; nam quia piper plusquàm apium extenuat, etsi in frigiditatem extenuet minus, extenuet nihil minus quam apium plurimum, & inde citra damnum sensibile calefactionis, non segniter, sed efficaciter extenuet, & prodest. Aliter exponitur Auicenna philosophico principio receptissimo, nempe quòd actio minuitur, si quantitas agentis minuatur. Vnde piper in parua quantitate exhibitum calefacit remissè, & quia nimis extenuat tam efficaciter vt plurimum apij, & quando cum ptisana miscetur, facit ptisana, vt piper per eam ad vasa distribuatur, & materiam extenuet, ad quod non solùm confert, vt vehiculum, sed etiam quia materiam humectando confert, vt piper facilius eam penetret, & incidat. Propriùs tamen soluitur difficultas ex alio principio philosophico, nimirum quod quæ sunt similia non patiuntur adinuicem, quæ verò dissimilia patiuntur multum: ergo piper in bilem, aut non auget, aut parum; in pituitam verò suam actiuitatem exercebit, quam incidet, & extenuabit, & per consequens magni momenti erit eius permistio, vt incommodum calefaciendi, aut augendi febrem, si aliquod est, paruipendendum sit, si cum vtilitatibus conferatur: vtilitates verò in causa febris exercentur, quas interdum vrgentius, quàm ipsa febris indicat ob crassitiem, lentorem, & copiam, & irresolubilitatem, quibus firmiter obstruens, diuturnitate potius, quàm intensione febris periculose esse solet, & ita vt ptisana efficaciter attenuatoria, & extersoria reddatur, lucratur ex pipere, vt Galenus docuit *de attenuante victus ratione cap. 6.*

Tandem Auicenna diuersas compositiones trochiscorum, & expurgantium adducit: trochiscos ad deobstruendum, & roborandum viscera naturalia, & aliquibus accidentibus occurrendum; purgantia ad euacuandas materias heterogeneas: laudat verò, & merito sequentes pilulas: aloes, mastiches, myrobalanorum citrinorum, rhabarbati, succi eupatorij, & absynthij, rosarum rubrarum, ana ʒ.j. croci ʒ.ß. cum aqua endiuiæ, formentur pilulæ, dosis drachmæ duæ, cum syrupo acetoso, conferre dicit non solùm hemitritæo, sed omni febri chronicæ viscera deprauanti, & præcipuè quando pituitosus succus excedit; alias compositiones ex ipso accipietis.

QVÆSTIO XXII.

De cura hemitritæi secundum aliam opinionem.

EXposuimus quæstione præcedente hemitritæi medelam iuxta mentem Auicennæ, & Galeni, & meo iudicio non discrepat, aut parum à curatione tertianæ nothæ maioris famæ, & proinde ex dictis in curatione huius capienda sunt præcepta ad semitertianæ medelam. Si verò alium modum contemplemur, quo tertiana horrifica, & grauis esse potest, considerare oportet complicatos affectus, quos sequi solet, aut

præcauere

præcauere quos exitialiter machinatur, & simul etiam causæ prauitatem, & locum, in quo stabulata tam exitiosam febrem creat. Malignitas causæ, qua horrifica febris redditur, in vstione & atrabiliaria proprietate consistit, quss partes lancinat, & quod ex ea eleuatur eandem molestiam imprimit, quod præcipuè contingit, quando in prima regione focus putredinis est, & nec a sanguine moderatur, aut mitigatur eius acrimonia, & alimenta assumpta corrumpit, & deprauat, multiformiaque excrementa generans, variè naturam torquet, & omnia viscera vitiat, & confundit, & vt dicebat Galenus *lib. de typis*, omnia interiora commouet. Quo consilio nos monet, vt omnium viscerum magna habeatur consideratio, quando semitertiana molestat, aut vt solet, epidemicè grassatur, cùm experimentis adductis ab Adriano Spigelio constet, semper in pereuntibus à semitertianis in prima regione magna vitia inuenta fuisse, & interdum in iecore, aut pulmonibus: omnes enim authores concordes video in eo quod semitertiana ventriculum, & iecur, regionemque primam vehementer lædit, & labefactat, quod *in fine expositionis cap.* Iacobus tradidit. Si materia vsta, & atrabiliaria sit, cancrosa præcedit dispositio, & incendium hypochondrij cum implacabili siti, deiecta appetentia, & delirium superuenit, cum superflua vigilia, & indicibili anxietate, summoque periculo hypochondrium durum, tensum, & ardens percipitur, & interdum pulsatio magna in eo percipitur, & si materia sit multa, vomitus, & secessus plurimi adsunt, vt ex historiis à Foresto traditis constat, docentibus simul semitertianas præcipue molestare, quibus deprauata victus ratio familiaris fuit, & multo vino replentur: quæ occasio mihi videtur probabilissima, quia varia excrementa, & praua resultant, horrificas febres, & malignas creantia: ob quod notauit Adrianus Spigelius, quod medicamenta expurgatoria in huius mali principiis propinata eum deobstruentibus summè contulerunt, euacuabant enim primam regionem vsque ad cauam iecoris, quibus si prius secta vena fuisset, certa pernicies esset, & hoc summe notandum est, velut si affectus adesset inflammatus. Similis pernicies contraheretur, si statim in morbi initio expurgatio imperaretur: quod si simul complicetur cum affectu inflammatorio copia excrementorum in prima regione, clysteribus attemperantibus, & lenientibus, si fieri possit, quæ supernatant excrementa exturbanda sunt, & melle rosaceo, solutiuo, aut manna, aut serapio ex nouem infusionibus violarum, aut regio solutiuo, aut medulla cassiæ cum decocto tamarindorum, si multa sint excrementa, leuis expurgatio fiet, instat enim affectus inflammatorius, & sectionem venæ celerrimè exposcit, & ideo cum aliquali incommodo leuis illa expurgatio tentanda est, vt sine magna noxa vena secari possit. Optimum etiam erit lac asininum in hac complicatione, quod sine tractione primam regionem inaniat, & inflammationem simul attemperet, notando accuratè, ne venter tensus nimis sit, nam in hoc casu, solis clysteribus, & vomitibus exturbanda excrementa sunt; dato enim pharmaco, etsi ex lenioribus sit, quæ commouentur, non educuntur, sed inculcata potius inflammationem augent, & singultum suscitare solent, vt iam experti sumus in eo cui pee consilium aliorum, cum ventre nimis tenso, pharmacum, etsi leue (fuit enim manna) propinatum fuit.

Sunt itaque vitia diuersa in prima regione inquirenda, & iuxta naturam eorum medelam instituere: vitia sunt, aut obstructiones cum viscerum debilitate, aut affectus inflammatorius, aut cancrosa dispositio à succis atrabiliariis, aut abscessus, & suppurationes, & interdum partium corruptio, & exulceratio, ob vim putrefactiuam, & erodentem humorum, à quibus varia excrementa emanant, & variè etiam alimentum corrumpitur, & sic horrores, & rigores inordinati molestant, qui (vt notauit Sennertus) non semper sunt nouæ accessionis initium, sed inflammationibus, suppurationibus, & excrementis corruptis, aut vstis proprissimi; vnde horrifica febris propriè creatur, aut quia (vt dixi) tam maligna causa est, quod eius expulsionem crebrò natura coacta procuret, & per partes sentientes eam reiiciat, & horrores symptomaticos, & minimè iudicantes suscitet.

Qua ratione cancrosæ dispositioni à bile vsta in hypochondriis occurrendum sit, & à qua tabidi homines pereunt, *tractatu de hectica febre*, latissimè docui: vlcerum curatio ex *cap. de dysenteria*, si intestina obsideant, petenda est, si pulmones ex *cap. de phtis.* & sic de partibus reliquis; multitudo verò excrementorum cùm obstructionibus innumeris primæ regionis, repetitas lenes expurgationes desiderant, & apozemata, quæ simul deobstruant, & excrementa leuiter expurgent; parabuntur verò ex simplicibus viscus affectum respicientibus, cùm tam diuersa sint, quæ pro iecore, ab iis quæ pro liene, aut ventriculo Medici imperant: cui tamen ventriculi præcipuè auxiliandum est, quia maximè labefactari solet, vt Galenus *lib. de typis* admonuit, notando semper, quod ex visceribus præcipuè læsum sit, vt ei occurratur magis, & si plura sint læsa, mista etiam parabuntur auxilia. Sic parat Sennertus potiones deobstruentes, attemperantes, & expurgantes leniter. ℞. radicum graminis, taraxaci, cichorij ana ʒ.ij. endiuiæ, agrimoniæ, adianti ana p.j. foliorum senæ ℥.ß. agarici trochiscati ʒ.j. foliorum cordialium p.j. zingiberis ℈.j. passularum ℥.ß. infundantur in sufficienti quantitate aquæ simp. aut seri lactis caprini, decocti sumantur ℥.iiij.ß. in quibus dissolue mannæ ʒ.vj. coletur, & fiat potio: rectius fiet si decocti propinentur ℥.iiij.ß. aut quinque, cui vtilissimè addentur radices rumicis, filicis, & fragariæ, si iecur obstructum sit, aut incendium febris sit magnum, sicut & semina frigida.

Sunt etiam viscera attemperanda exterius appositis, si ardeant, aut affectu inflammatorio laborent, scarificandæ etiam in eorum regione cucurbitæ, si timeant, & dolentia sint, secandæ saluatellæ si iecur, & lien obstructa, dolentia, & inflammata percipiantur: præcedent verò sectiones venæ scarificationem partium, de quibus auxiliis *tractatu de malignis erysipelatibus* abundè egimus.

Illud verò annotare libuit, quod si copia excrementorum, & humorum prauorum in prima regione sint, abstinendum omninò est à cucurbitulis dorso applicatis, ne excrementa ad vasa, & secundam regionem attrahantur, nisi dolor capitis vehemens, aut aliud graue accidens affligat: quod si detur, in magna copia partibus infernis prius affigentur, & postea partibus supernis, quæ satis esse videantur ad deonerandum cerebrum, & si opus fuerit, aliquæ scarificabuntur. Vbi verò succus atrabiliarius hypochondrium obsidet, magni momenti esse solet hyrudinum vsus, præcipuè si caput, aut cor in consensum trahantur; si verò pertinaces obstructiones primam regionem & lienem, ac iecur occupent, maioribus deobstruentibus opus est, & paulatim concoquenda, & expurganda materia illa crassa, & velut tophacea; docent enim authores, & notauit Galenus, quod in diuturnas febres semitertiana degenerare solet, ad marcorem ducentes; illæ verò tophaceæ obstructiones non egent siccioribus auxiliis, sed medicamenta paranda, quæ cum magna partium tenuitate emolliant etiam, alioqui exsiccata magis obstruens materia lapidescit, & schirrhosa facta tabe ægros conficit, ob quod summa ratione à Medicis iure deobstruentia parantur; pingui enim substantiæ admista simplicia partium tenuium, penetrant optimè, quia

emolliuntur

emolliuntur humores terrestres, & humectantur, sicque non solùm penetrantur magis, sed resoluuntur etiam, & mobiliores redduntur. Itaque exempli loco sic parabitur. Corticum radicum apij, & petroselini, & fœniculi, ana ℥.ß. radicum graminis ℥.j. rumicis ℥.ß. seminis vrticæ ʒ.ij. sebinaori ʒ.i.ß. florum chamæmeli p.j. florum centauri minoris p.iij. vtriusque buglossæ p.j. radicis eringij ʒ. ij.ß. passolarum Corynthi ℥.ß. foliorum teneriorum borraginis, & maluarum ana p.iij. radices minutim incidantur, & omnia permista ad amussim in ventrem pullæ pinguis immittantur, & exquisitè suatur, decoquaturque lento igne ad ossium separationem, coletur ius, de quo dabuntur quolibet mane ℥.v. aut vj. sumendo prius serapij acetosi diarrhodon ℥.j. aut de acido citri, si æstus fatiget. In vase verò in quo pulla incoquitur, cicera nigra mulsa cum foliis petroselini etiam iniiciantur, & cum pauco cinnamomo ius præbeatur, cui si spiritus tartari permisceantur, mirè excrementa tenaciter hærentia detergentur, & per aluum deriuabuntur, & efficacius deobstruetur.

Quin verò in malignis constitutionibus solet hemitritæus perniciosè grassari, vt ex Hippocrate & aliis authoribus constat. Notanda est doctrina Cornelij Gemmæ, qui decocto smilacis asperæ innumeros hemitritæo oppressos liberauit, cuius praxis mihi videtur rationi consentanea, vbi ingens, & prolixa aëris humida constitutio præcessit, vt fiat illa, sub qua relato auxilio fuit vsus; totum enim corpus superflua humiditate obruitur, & nulla est pars, quæ ob tantum humorem putredinis labem effugere possit, velut si lanam fingas nebuloso, & pluuioso aëri expositam, cuius nulla porositas dabitur, ex qua humorem exprimere non possis: sic sub humidis constitutionibus corpus totum madidum, & superflua humiditate distemperatum, plerúmque inuenies; hæc autem constitutio sudorificis eget, vt sanetur, nam nullum aliud auxilium totum corpus expurgare tam facilè, & feliciter potest, est enim necessarium quod humiditates etiam intra poros conclusæ, non minus quàm reliquæ putredinem concipiant, quæ si non educantur, perpetuo contagio reliquos humores inficient, vt laudandum sit Gemmæ iudicium, vt tanti auxilij inuentoris in passione febrili, & exitiosa, etiamsi ipse rationem à nobis adductam non tradat, nec modum, quo liberati tam innumeri fuerunt. Debet autem parari decoctum in vase duplici, seu balneo Mariæ, ne spirituosa vis, & præcipuè extenuans euolet, sed vt ipse dicit, per reflexus continuos cum tota decoctione exquisitè permisceatur; sic enim contra morbos pestiferos, & venena, & ad fouendum calorem nostrum mirabilem vim concipit, quicquid alij statuant, sed nimia caliditate clamirantes, nam & in ardentissimis febribus, biliosis naturis, & regione calida (inquit Gemma) ventre paululum expurgato, & statim à primo rudimento crisis, plus centies eo decocto fui vsus, ac rationalem viam successus vbique felicitas consequuta est. Dicit rursus in hoc vno medicamento vim nutriendi mirabilem dari, quòd constet parte quadam pingui, & alimentitia: esse etiam in illo vim alexipharmacam contra malignitatem, & vehementer attenuare, & deobstruere, quia partium tenuitate eximia constat cum leui quadam amaritudine. Est etiam eius calor suauissimus, non acris naturæ, sed velut est calor pueri, quia cum quadam pingui humiditate coniunctus, vt in hoc solo simplici ad sensum medicamento mira compositio sponte inueniatur, vt tot commoda præstare possit: non tradidit dosim & quantitatem huius medicamenti, solùm dicit esse adhibendum modum secundum morbi speciem, quantitatem, ordinem, & mistionem aliorum simplicium. *In multis* (inquit) *adiunxi maiorem partem radicum plantaginis, eringij, asparagi, cariophylata, in aliis lignum aloës, cinnamomum, aut aliud quicquam, imò cæteris decoctis parum dumtaxat ipsius zarzæ, quo velut additis aliis, quod reliquum foret, celerius multo, vel in corporis penetrale, vel in externam circumferentiam permearet.* Est dignus certè hic author sua reprehensione, quòd determinatè dosim non tradiderit, & modum decoctionis, & occasionem determinatam, in qua illud auxilium imperabat, & reliqua simplicia miscenda cum illo: semper tamen videtur rationi consonum, quòd si virtuti smilacis asperæ salus tantorum tribuitur, aut sit sola propinanda, aut aliorum simplicium quantitatem excedere debeat, non dico omnium, sed cuiusque seorsim considerati. Occasionem insinuauit, dum dixit: *Ventre purgato paululum, & statim à primo rudimento crisis.* Verba quidem impropriissima pro negotio tanti momenti, nam nec docet si coctionem expectauerat ad lenem illam alui expurgationem, nec intelligitur bene, quæ sint prima crisis rudimenta; ego censeo esse dandum illud decoctum euacuato bene corpore eo modo quo possit in hac febre, cùm quibusdam alui lenitio magis conueniat, aliis verò magis venæ sectio, alij vtroque egeant auxilio, nec sit expectanda humoris concoctio, vt alij syrupi deobstruentes, mouentes vrinam, coercentes putredinem, & exsiccantes humorem superfluum, coctionem humorum non desiderant: si verò ad mouendum sudorem imperetur, securius est coctionem adesse, etsi in humidis nimium constitutionibus, & vbi putredo per per totum sparsa timetur, non sit necessaria concoctio, sed corpus exsiccandum est, si iam vniuersaliter sit inanitum: ergo salsa pars illa, & vt vehiculum aliorum inseruire potest, tuncque in moderata quantitate dispensabitur; si verò tanquam auxilium tot dotes includens, in dosi maiori propinabitur, etsi ad mouendum sudorem in maiori, existimoque in omni maligna constitutione à superflua aëris humiditate originem trahente, eodem modo vsurpandam esse, in illis nimirum subiectis, quæ sordida, & mucida putredo infecit, absque affectu inflammatorio viscerum naturalium, & vbi sudores syncopales, aut diaphoretici malignæ constitutioni (vt solent,) communes non fiunt, vbi tamen totum corpus madidum est, mirabile est auxilium, quia ob summam partium tenuitatem totum penetrat, & vitia tertiæ regionis, & infectiones cutaneas mirè exstirpat, meritòque Gemma eius caliditatem non timuit; putauit enim Eustachius, Rud, sed malè, quod sit frigidi temperamenti, melius Cardanus, qui calidam in primo gradu constituit; constat enim sapore subdulci, & amaro simul, non enim quia nimis calida tam efficaciter sudorem prouocat, sed quia in partium tenuitate chinam, & lignum sanctum excellit, si paretur decoctum ad mouendum sudorem, ℥.j. smilacis asperæ in libra aquæ, aut duabus infundetur, & coquatur post infusionem vnius diei ad medietatem, in quo decocto permisceri possunt, aut carduus benedictus, aut semina citri, aut scordeum, & alia iuxta indicationes occurrendi malignitati, aut calori febrili, aut exsiccationi, aut obstructionibus. Hic inserendus est, & dandus tractatus de febribus eradicatu difficilibus.

DISPVTATIO II.

De natura Febris Puncticularis.

CAPVT I.

A quo in eſſe malignæ conſtituatur.

NIHIL communius quàm puncticularis febris, nil tamen difficilius, quàm eius naturam inueſtigare, & exponere: ſunt enim Authorum mentes tam diuerſæ B circa explicationem huius morbi, quod rarò vnius cum alterius mente conſentiat: ſunt tamen duo principaliſſima opinantium capita. Quidam enim eo malignam eſſe hanc febrem putant, quòd putredo in ea ſordidior, intimior, excellentiorque in ſuo genere ſit, vt inter febres putridas tres gradus putredinis enumerent. Primum ſimpliciſſimum appellant, eſt verò ille qui (exempli gratia) in tertiana exquiſita, aut quotidiana, aut quartana inuenitur, quando nulla harum febrium praua conſpicitur, nullumque malum morem acquiſiuit, ſed habet quælibet ea ſigna, quæ Galenus retulit per *lib. de criſibus, & de differentiis febrium.* Secundus gradus putredinis eſt iamdicto deterior, eo quòd præter ſigna cuicumque febri debita, alia ſymptomata maligna, ſeu mali moris aſciſcat, à C quibus periculum vitæ emineat, & vt loquuntur communiter ita opinantes, non correſpondeant calori febrili; hic enim ſemper ferè remiſſus per malignas febres conſpicitur, cùm tamen in eis grauiſſima experiamur ſymptomata, quæ à calore tam tepido oriri non poſſunt. Tertius putredinis gradus pernicioſiſſimus eſt, per quem etſi remiſſa ſatis ſit febris, tam prauè, & exitioſè homo diſponitur, vt veneno lethali affectum eſſe putes, & ab hoc gradu febres peſtilentes creari dicunt, vt à ſecundo malignas, ſeu puncticulares, vulgo *tabardillo*; à primo verò gradu ſimpliciſſimæ febres fiunt, & maximè ſecuræ intra genus putridarum febrium. Eſt ergo inter Authores diſcordia magna, num ea ſymptomata calori remiſſo, & febrili non proportionata, aliam cauſam diſtinctam à D putredine obtineant, hoc eſt, ſi in ea materia putrida præter calorem, qui febris eſt cauſa, detur alia qualitas venefica, & maligna, à qua talia grauia accidentia calori non reſpondentia creari debeant: dari verò huiuſmodi ſortem febrium malignarum, quæ cum exiguo, remiſſóque calore, prauitate tamen, & magnitudine ſymptomatum exitium inferant, experimento frequentiſſimo conſtat, & Galenus docuit *cap. de bolo Armeno*, & *lib. 3. de criſibus, cap. 4.* dicendo: *Debiles quidem, & praua febres, quandoque valdè maligna ſunt, & aliæ calida, atque incendentes, vt nonnunquam inde faſtidio langueat ſtomachus, æſtuet, & intolerabili ſiti crucietur, nihil tamen habent nonnunquam periculoſum*; quam doctrinam paſſim repetit diſtinguens magnitudinem morbi à benignitate, aut prauitate; E has enim morem eius appellat, vt latè docet *1. de criſ. cap. 3.*

Fernelius *lib. 4. de febribus cap. 17.* malignam febrem morbum compoſitum facit ex calore & venefica qualitate, & per hanc ſuperadditam qualitatem diſtinguitur ab omni alia putrida febre, quæ ſimplex eſt, & nullo modo maligna. *Maligna febris* (inquit) *eſt, quæ non modò calore, ſed & qualitate venenata cor fatigat, quæ enim febris eſt, calore; quà maligna, pernicie mole-* A *ſta eſt; venenata qualitas vtraque appellatur, & pernicies ſupra conditionem vulgaris putredinis eſt*; quem ſequitur nouiſſimè Sennertus *lib. 4. de febrib. cap. 7. num. 438.* & clariùs *num. 439. §. ſi quis.* Verba ſunt; *Et cùm in malignis etiam febribus, præter putredinem & calorem, occulta & venenata qualitas adſit, &c.* Eſt horum authorum placitum communiſſimum, quo fit vt omnes ferè Medici ad vſum alexipharmacorum velut ad remedium celebre, mox ac vident aliquod graue accidens calori non correſpondens, confugiant, nullam ferè febrem continuam tantiſper ægros affligentem non appellantes malignam. Quod ſequitur etiam Ludouicus Mercatus *lib. 7. de febribus, tract. 2. de febre maligna.* Ratio efficax hanc opinionem ſtabiliens eſt, quod dentur in hac febre grauiſſima ſymptomata, quæ calori, & putredini proportionari nequeunt; vnde dicunt aliud B principium à quo tam grauia accidentia originentur, quærendum eſſe; id verò aliud eſſe non poteſt, quàm ſecunda qualitas venenoſa tam exitialium accidentium author: ſunt enim (inquit Mercatus) longè diuerſiſſima, à remiſſa febre, nauſea, vomitus, capitis dolor, vigilia, & inquietudo, & penè innumerabilia, quæ ſuapte naturâ maius malum portendunt, quàm calor febrilis permittere videatur. Hoc placitum Neothericus quidam ſtrictiſſimè ſequitur *tom. 1. de febribus, lib. 4. diſp. 14.* in qua contra Doctorem Aguiar noſtræ ſcholæ doctiſſimum Primarium acriter pugnat, quia putauerit malignitatem in morbis non oriri ab aliqua occulta qualitate, ſed omnem à manifeſtis naſci, velut ſi ille primus, & ſolus huius opinionis fuerit author. Placitum verò affirmans, quod detur operatio à tota ſubſtantia per qualitates occultas à primis omninò diuer- C ſas, tot teſtimonia Galeni confirmant, & adduxit Neothericus in illa diſputatione, quod foret faſtidioſum illa recenſere: deſumpſit omnia ex Euſtachio *lib. 1. de venenis, a cap. 3. vſque ad 7.* Eſt locus celebris *ex 5. lib. ſimplicium, cap. 1. & cap. 8.* vbi planè admittit operationes à tota ſubſtantia diſtinctas omninò ab eis, quæ per primas qualitates nobis eueniunt.

Placitum noſtrum tribus concluſionibus ſtatuendum eſt. Prima ſit iuniorum argumentum, quo malignam qualitatē diſtinctā à calore conuincere intendunt, quod inane omninò, & fallaciſſimum eſt; dicere enim, in hac febre dari grauia accidentia calori non reſpondentia, ergo adeſt maligna, aut venefica qualitas, à qua talia ſymptomata emanent, abſque vlla ratione phyſica dicitur. Ratio eſt efficax, quia inquietudo, anxietas, implacabilis ſitis, & alia huiuſmodi, nec egent calore D intenſo, nec venefica qualitate vt fiant. De anxietate, & inquietudine manifeſtum eſt, cùm hæ oriantur ob mordaces humores, aut aliquem ichorem acrem in ventriculo imbibitus, à quibus inquieti & anxij omninò redduntur: quod ſine venenoſa qualitate fieri poſſe, nemo negabit, ſed cardialgiæ, nauſea, & vomitus abſque vlla ſuſpicione veneni queunt moleſtare, vt quotidie experimur. Galenus *7. aphor. 56.* anxietatem præcipuè euenire dicit, *quando in ore ventriculi humoris aliqua propria qualitas continetur ventriculo moleſta, quæ neque plurima eſt, nec in ventriculi fluitat cauitate, ſed eam ipſa imbibere tunica*; non enim ad veneficam qualitatem, anxietatem reduxit ſemper. Idem effectus ſequetur, ſi humor mordax ſit, vt per ſentientes partes acres fuligines ſeminet, à E quibus ægrotantes compuncti, & velut exulcerati ſumma inquietudine fatigentur; ſitis verò implacabilis moleſtabit, ſi humor ſicciſſimus ſit, aut ſalſuginoſus, aut acerbus, focúmque putredinis proximum ori ventriculi obtineat, aut propè iecur, aut pulmones, vt *cap. de febre ardente* retulimus. Quod ſi debilem vim vitalē mihi opponas cum leuiſſima febre, nihil inde deduces, cum à cauſa febris abſque magno calore fieri optimè poſſit; tum quia extenſa nimis putredo ſit, & materiam, ex qua ſpiritus creandi ſunt, ineptam reddat, vt ex ipſa fieri poſſint.

possint. Vt enim quod computruit alitioni ineptum redditur, ob eandem mutationem, vt ex ipso spiritus ereentur, incapax fiet. Quod vrgentius confirmatur si intra cordis ventriculos putredo suscitetur, vt in pestilentibus, & malignis febribus plurimi docent, vt sint eo ipso malignæ, aut pestilentes, quòd intra cor succi putredinem contrahant; non enim sub dubio cadere potest, quod tam grauia symptomata ob partia patientis principatum fieri possint, imò & multò sæuiora, quàm si maligna qualitas detur; citius enim obstructio cordis necat, quàm alteratio à qualitate maligna; nam sub peste per plures dies extenditur vita, quæ ab obstructione cordis subitò tollitur; inflatus ergo, & putridus humor cordis ventriculos alterans simul, & obstruens, & sanguinem ratione putredinis creationi spirituum ineptum reddēs, maligna omninò, & exitiosa accidentia creabit, quæ breuius multò quam alteratio venefica ægros de medio tollent, etsi remissa sit febris. Est Galeni locus elegans, & difficilis simul *lib. 5. de locis affectis, cap. 1.* in quo sic scripsit: *Igitur exigua quidem cordis intemperantia, pulsus arteriarum pro sua quaque natura varians, de quibus in lib. de puls. iam dictum est, maiores verò per proprias quidem similarium partium intēperies subitam mortem non inducunt, per eas verò quæ ad instrumentales partes pertinent, subitò enecare possunt, sed præcedentibus prius signis quibusdam, quorum vnum ab Hippocrate dictum est 2. aphor. 41. qui sepè & multum exsoluuntur absque causa manifesta, ij repente moriuntur, &c.* Ratio à priori nostræ assertionis est, quia teste Galeno 1. *de tuēda sanitate*, latitudo sanitatis in eo quod magis & minus est, magnam variationem suscipit: vnde calor remissus potest esse respectu huius indiuidui malignissimus, quia magnam actionum læsionem infert, eo quòd ob latitudinem sanitatis contractam potest esse maximè præter naturam huic indiuiduo, quod noster Vallesius doctè notauit *in prognosticis*, exponendo quid nomine caloris maligni intelligere debeamus. Sed si colliquationem attendamos, quæ malignis febribus frequens esse solet, inueniemus planè nō egere qualitate maligna, cùm circa hanc calor hecticus, qui & remissus est, tam validè colliquet; calor enim erodens, aut nimis putrefaciens, facillimè eliquāt, præcipuè quando superflua humiditas humores, & corpus validè madefacit, sub qua distēperie calor præter naturam remissus satis, partes mordicat, media putredine inducta. Constat igitur fallacissimam esse argumentationem: calor febrilis remissus est, & graue aliquod symptoma simul datur; est ergo maligna, & venefica qualitas à tota (vt aiunt) substantia operās tale symptoma inducēs, cùm tot sint occasiones sine venenosa qualitate, à quibus grauia symptomata emanare possint. Quam doctrinā vrget nō minus, quòd vstio, & putredo, sine quibus humores febrem producere nesciunt, sunt mutationes præter naturam à duabus qualitatibus ortæ, vstio nimirum à siccitate & calore, putredo ab humiditate superflua. Vnde non mirum quod dentur symptomata iis distemperiebus respondentia, & nullo modo calori.

Secunda assertio sit. Tam variè Galenus loquitur quādo operationem à tota substantia fatetur, quod ex eius doctrina quid sit ita operari, operosissimum sit colligere, nunquam enim clarè docuit quid sit, nec in vna sententia perstitit, quod tā perspicuè colligitur ex eius doctrina, vt varietatis notam effugere nequeat: operationem itaque à tota substantia clarè fatetur, quid verò sit, nec ille, nec alius quem ego legerim, clarè docuit, vt semper idem fateantur. Legatur Eustachius Rud. qui omnia loca, in quibus Galenus de operatione à tota substantia agit, adduxit, & ex ipso mutuauit Neothericus, & quod modò asserimus, clarè constabit; & sic de Galeno sentit Magister noster Petrus Garzia *in prælectionibus de simplicium medicam. facult. lib. 5. c. 18.* Vnde mirari licet quàm certè recentiores quidā asseuerēt, non posse dubitari de mente Galeni, quòd senserit, operari à tota substātia, esse operari media quadam potentia naturali distincta realiter à forma substantiali, quæ qualitatē altioris ordinis, quàm sint primæ, aut secūdæ qualitates ex primis creatæ, producit, omnibus sensibus occultā, nisi per affectus, quos tam mirādos in venenis, alexipharmacis, deleteriis, antidotis, & virtute attrahēte experimur. sed de hoc placito, & nostro *in sequēti quæstione* videbimus quid tenendū sit, eritque nostrum tertia conclusio nuper promissa.

QVÆSTIO II.

Quid senserint Recentiores.

Communior doctrina in scholis est, quod ea quæ operantur à tota substantia, non operantur media aliqua qualitate ex primis, nec ex secundis, quæ à primis ortum traxere, sed media naturali potentia, quæ velut passio formæ, & effectus productus, sit qualitas occulta sensibus nostris, ita vt nisi per effectus agnosci. & (vt proprius loquamur) diuinari possit; & inde sub certa indicatione non cadere, sed solo experimento. & hoc fuisse Galeni placitum pluribus in locis, non quia illud determinatè expresserit, sed quòd ex eius scriptis idoneè, consentaneèque deducatur, quippe cùm fateatur sub methodo non cadere huiuscemodi morbos, sed obseruatione sola, & experimento, quid vtile fuerit, si de eorū medela constaret? Fateri necesse est, quod illa qualitas in nobis producta, occulta sit, & insensilis, & inde directè, seu methodo rationali determinatū contrariū applicari nequeat, nemo enim agnoscit, quid facultas attrahens sit, nec quid in re allecta producit vt moueatur; sic nec quid hyacinthus producat, vt corroboret, nec quid napellus vt tā celeriter occidat. Estque cōmunis hæc doctrina pro venenis, bestiarū virulentia, antidotis, alexipharmacis, amuletis, omnibusque aliis qualitatibus ignotis, quarū natura per sensus acquiri certò non potest, sed solo discursu, & per effectus quos experimur, dari aliquod agēs eorū accidentiū authorē assequimur, qoid tamen sit, omninò ignoratur. Et cùm tale principiū operatiuū sit accidens determinatam formam sequens, à qua dimanat, seu determinatū ens substantiale, inde operatio à tota substantia dicitur, quia forma substantia rei est, & multò magis compositum, vt sit propriè loquendo operatio quædam specifica à determinata substantia, seu substantiali ente promanans; resoluroticque dicunt communiter, eam qualitatem nullā ex primis, nec ex secundis destruere, quia est altioris ordinis. essétque per consequens sensibilis, vt sunt sensibiles primæ, & secundæ ab eis ortæ: cum hoc tamen fatentur aduersissimam esse, & exitiosam qualitatem illam à venenis, aut venenatis animalibus productam: quod constat ex celeri, & inopinata morte ab eis causata, & provt in malignitate differunt, citius, aut tardius necare. Eodémque modo in antidotis philosophandum est: quædam enim celerius venenis occurrunt, quædam tardius, suntque per consequens magis, aut minus nobis vtilia; & hinc fieri, quod febris maligna, de qua agimus, provt contra pestilentem distinguitur, non differat à pestilente in hoc quod est verè constitutum per hanc qualitatem occultam nobis aduersam; discriminari tamen in malignitate, quia ferocior, maligniorque est qualitas pestilentem febrem constituens, quàm quæ malignam, seu puncticularem. iis capitibus placitum commone continent, neque aliud quippiam aduersus illud obiiciunt.

De operatione à tota substātia agit Galenus *lib. 5. simplicium, cap. 1. 17. & 18. & lib. 6. cap. de abrotono, & 6. epid. sect. 6. com. 5. & 1. simpl. c. 3. & lib. 4. cap. 9. & 6. de tuenda sanitate, cap. 3. & 2. de alimentorum facult. cap. 6. & 4. simpl. cap. 15. & 9. lib. simpl. cap. de lapidibus. & lib. 11. cap.*

de dracone marino, & 1. lib. compos. pharm. secundum genera cap.16.& 8.secundum locos,cap.8.& 13.method.cap.6. Ita verò esse concedendum,constat in primis ex eo,quòd dentur maligna, & periculosa accidentia,quando calor febrilis tepidus satis, remissúsque percipitur,tum etiam ex breuitate mortis, quæ à primis qualitatibus tam celeriter nequit induci : & multò magis constat ex multitudine,& clade morientium in pestilenti constitutione, & maligna, quod ex alio principio pendere non potest,quàm ex ignoratione remedij. Nam cùm maligna qualitas occulta (vt retulimus) sit,ignoratur contrarium à quo exstirpari debeat : nam cùm vni vnum tantùm opponatur, frustra varia antidota propinantur, cùm vnum tantùm sit à quo corrumpi possit ; quod si non detur, reliqua alexipharmaca nociua potius quàm vtilia sunt,si Galeno credendum est *5.simplic.cap.*18.cuius doctrina inferius tradetur. Quod etiam suadet malignorum symptomatum varietas, plures partes,easque principes offensas ostendens, quæ multiplex, variaque læsio vim magnam in agente ostentans,primas qualitates excludit, cùm calor præ cæteris primis qualitatibus actiuior agnoscatur, & in nulla febre magis quàm in ardente molestet,in qua pauciora,benigniorâque accidentia inueniuntur, neque cum inuentis in pestilente, aut maligna febre comparari possunt. Accedit auxilium ab antidotis, & alexipharmacis in talibus febribus susceptum, quod non à primis qualitatibus, sed ab occultis emanat ; clarè suadetur, quod theriaca calida, & sicca satis sit, & pestilentem febrem fugat, vt etiam venenum rabientium refrangit, & omninò superat, cùm tamen venenum illud siccissimum sit, vt Galenus *de theriaca ad Pisonem* docet ; & de antidoto ex cancris, & gentiana contra Pelopem præceptorem Galenus tradidit, quod cùm in primis qualitatibus simile veneno sit, ad operationem, & repugnantiam à tota substantia, vt problema Magistri dilueret Galenus confugit.Idem suadet Eustachius Rud.quia gypso siccissimo stercus muris (Mustela dictum) proprietati substantiæ opponitur estque eius bezoar, & theriaca iam vetusta, & præ antiquitate calida, & sicca, venena plurima calida, & sicca (vt dixi) vincit, & superat. Idem confirmat magnetis attractio, vt succini, hoc enim paleas, ille verò ferrum ad se allicit. Et Galenus *lib. de vtilitate respirat. cap.5.* exemplo torpedinis piscis confirmauit, cuius potentia tanta est, vt per piscatoris tridentem brachio stuporem inducat. Sunt aliæ innumeræ antipathiæ, & simpathiæ rerum, quarum arcani, stupendique effectus absque confugio ad occultas qualitates, & operationem à tota substantia, inexplicabiles sunt, de quibus Fracastorius Mizaldus, Leuinus Lemnius, & Fernelius, & nouiter Sennertus cum aliis multis doctissimè egerunt.

Hic philosophandi modus non leues patitur angustias, & difficultates, quas nullus ante nos ad vnguem exposuit,& in medium adduxit,vt mirum sit, quomodo tanti Authores,quod venenum à nobis corrumpat,non explicuerint, vt tam celeris, & inopinati interitus author sit. Ratio dubitandi est, quia illa qualitas occulta producta à veneno in nobis, aut tollit, quatenus talis, aliquam ex primis aut secundis qualitatibus, aut aliud occultũ, quod in nobis naturaliter detur,à quo non minus quàm à primis, & secundis conseruemur : primum non esse, apertè fatentur ; ergo secundum fateri necesse est,ac per consequens tot erunt in nobis qualitates perfectiuæ naturaliter,quot sunt differentiæ venenorum, à quibus occidimur : hoc autem quis non videat ridiculum esse, & à nullo hactenus dictum ? Necesse ergo est, quod vt nos occidant venena, operentur non occultis qualitatibus, sed primis, vt inde destruant temperiem à qua conseruamur. Si verò dicas non esse inconueniens, quod dentur in nobis tot qualitates perfectiuę,& ad vitam necessariæ simpliciter, quot sunt operatiuæ in venenis nos enecantes,contra hoc argumentor vrgentissi-

A mè. Primò quia cùm tot venena sint tam diuersæ naturæ,& temperamenti, vt tam diuersæ formæ substantiales producantur, quarum sunt illæ potentiæ passiones occultæ, & diuersæ, implicat, quod ab vnica temperie humana possit produci tanta qualitatum occultarum varietas, quæ in nobis sint perfectiuæ & à tam diuersis venenis debeant corrumpi, vt nos ad interitum ducant. Et constat efficaciter, quia cuicumque veneno dicarunt authores proprium alexipharmacum, vnde cùm in isto detur temperies tam diuersa ab alio, & in quolibet detur particularis qualitas, quâ occultè infringit, superatque venenum, omninóque ab alio diuersa, & temperaturæ alexipharmacorum sint inter se tam diuersæ, & multò magis à nobis distent in temperatura, repugnat quod in nobis detur temperies,à qua omnes qualitates

B inuentæ in antidotis, in nobis etiam oriantur.

Dices quod cùm tales qualitates sint occultæ, non pendent à temperie primarum, sed à sola forma substantiali : Sed contra est, quia sequeretur quod in vnico antidoto darentur etiam omnes qualitates alexipharmacæ ; sed hoc non negabit : & Galenus docuit, quod theriaca omnia venena destruat, est tamen contra experimentum. Deinde quia caro humana deberet vt antidotum sumi contra omne venenum : patet, quia in ea datur contraria qualitas occulta naturaliter venenis opposita,quod nullus hactenus dixit. Nec obstat,quod cum iam anima separata sit à carne,non manebit in hac potentia illa qualitas occulta productiua : sed contra est, quod animalia non minus sunt venefica mortua ;

C ergo vt in eis deficiente anima remanet vis venefica, sic in cadauere humano virtus alexipharmaca, aut alexiteria manere poterit ; aut reddenda ratio diuersitatis idonea, cur in animalibus mortuis detur venenum, & non in hominibus defunctis virtus alexipharmaca. Præterea, quia si hoc esset verum, doctrina Galeni rueret, docet enim venena calida tam aliena, inimicáque nobis esse, vt nec in minima quantitate nos nutriant, quia nequeunt à nobis superari ; si verò daretur in nobis contraria qualitas, qua venenum posset expugnari, vinceretur non dubiè in minima quantitate, & in alimentum posset conuerti : ergo defectus victoriæ pro tam minima quantitate nascitur ex carentia contrariæ qualitatis,per quam expugnari possit.

Sed & hoc subterfugium esse expressè contra Gale-

D num, quem ipsi tam anxiè sequuntur, ostendo. Docuit enim *lib.5. simplic.cap.*18. quod alexipharmaca, & alexiteria auxilia habent mediam naturam inter venena, & nostrum corpus : vnde aduertit, quod si in maiori quantitate sumantur quàm expediat, vehementer corpus læditur. Quam doctrinam secutus Vallesius *in expositione illius cap.* docet, quod alexipharmaca, & alexiteria sint semivenena : hoc autem stare non posset si darentur in nobis tot qualitates perfectiuæ, quot sunt venena. Patet, quia qualitas alexipharmaci,quâ veneno opponitur, tam naturalis deberet esse nobis, sicut qualitas ab interno principio procedens. Constat, quia sunt eiusdem rationis specificæ, cùm vtraque eidem qualitati venenosæ opponatur ; vnde planè repugnaret, quod alexipharmaca, aut alexiteria medica-

E menta haberent naturam mediam inter venena, & corpus humanum, & quod nos læderent vehementer, si in maiori quantitate sumantur, quia qualitates perfectiuæ, nec habent naturam mediam, nec possunt esse semivenena, nec lædere possunt, etsi intensæ sint ; nam nunquam visum est, quòd pulsus lædatur, quia cor intense influat, aut sensus, aut motus prauè, aut læsè fiant, aut omnes actiones malè agantur, quia calor vitalis quomodocumque augeatur, aut intendatur. Est ergo doctrinæ Galeni omninò aduersum, quod in nobis dentur qualitates occultæ non perficientes, inuentis in alexipharmacis, & alexiteriis omninò similes, & eiusdem naturæ.

Magister meus Petrus Garzia in codicibus manuscriptis, *lib.5. de simpl. medicamentorum facult. tract. de venenis*, tanquam certum admittens quòd venena interficere nequeant, nisi à nobis aliquod ad vitam requisitum corrumpant, opinatur quod venena omnia nos lædant, quia qualitati quam calorem vitalem Medici appellāt, opponuntur, eamque destruunt: sicut enim (inquit) in calora vitali influente, quo partes omnes ad operandum indigent, non solùm reparitur calor, quia prima qualitas est, sed etiam esse vitalem, quod necessariò dicit aliquam qualitatem vltra primas: ita venenum calidum, quod à tota substantia corrumpit spiritus, talem effectum producit, non tantùm intendendo calorem, sed corrumpendo qualitatem illam vitalem, quam partibus communicant; nam & illa ad conseruandus spiritus conducit, & est requisita pro omnibus viuentis actionibus, & ita inducitur morbus à tota substantia.

Varùm hæc opinio eodem fundamento reiicitur; nam si antidota, & alexipharmaca directè venenum expugnant, eique opponuntur, nequit venenum calori illi vitali opponi. Constat, quia calor ille vitalis ita est passio propria spirituum, vt illi soli eum calorem producant: constat verò, quod si calori vitali, & qualitati alexipharmacorum venenum opponitur, quod qualitas alexipharmaci, & calor vitalis nostri erunt eiusdem naturæ specificæ, quod nullus somniauit; tum etiam quia in hac opinione omnia venena eadem qualitate in specie infima necarant, & inde quolibet alexipharmaco omnia venena destruerentur, quia voi vnum tantùm datur contrarium; hoc verò esse absurdum non eget probatione, cum fateantur Medici, dari determinata alexiphatmaca contra determinata venena, & quod vnum venenum destruit, non conferre pro omnibus: esset que, vt insinuaui, in quolibet alexipharmaco calor ille vitalis, qui datur etiam in nobis, quæ meræ nugæ sunt. Nam si hoc ita esset, in syncope deberet applicari alexipharmacum, vt in nobis produceret calorem vitalem, defectu cuius actiones omnes deficiunt: tum etiam quia calor ille vitalis omnibus animalibus perfectis communis est, & tamen non quodlibet venenum omnia animantia necat, imò quod respectu vnius exitiosum est, est respectu alterius alimentum, vt de cicuta Galenus notauit, & de Hellrboro.

Accedit etiam contra vtrumque placitum adductum id quod docet Matthiolus, nimirum dari duo venena, quorum quodlibet seorsim nos necat, si tamen vnum post aliud sumatur immediatè, mutuò se impedire, vt vnum sit alexipharmacum alterius: quod quidem arcanum omnem captum excedit, implicaretque talis effectus, si venena omnia tenderent directè in corruptionem vitalis caloris, cùm deberent operari eadem qualitate in specie infima, & per consequens, vt duo agentia similia potiùs se iuuarent. Sic Plinius *lib. 27. cap. 2.* docet, aconitum maximè vtile esse homini aduersus venena, cùm sit venenum efficacissimum. Vrget deinde vtrumque dicendi modum, quod hydrophobia solo aquæ potu, & balneo auferatur, vt constat ex historia Philosophi relati ab Aëtio, & ex Galeno *de theriaca ad Pisonem*, dicente: *Bibere reformidant, quia corrupto mentis iudicio, quid ipsis prodesse possit, ignorant.* Cùm verò fateantur publicè Medici omnes, dari in veneno rabientium operationem à tota substantia, & Galenus doceat apertè in historia sui Præceptoris Pelopis, quod sine ratione negauit Capibacius *lib. 7. cap. 12.* non posset exstirpari solo aquæ potu, cùm in aqua nulla alia temperies, nisi frigida & humida, hactenus à Philosophis admissa, aut cognita fuerit; quomodo ergo à tota substantia operari, est operari aliis qualitatibus à primis, & secundis diuersis, si aqua sola tam perniciosum venenum infringit, & superat? Est enim historia illius medici, qui mulum rabientem ferocissimè vi magna in flumen submersum sanauit. Fa-

A tetur rursus Galenus, omnibus venenis theriacam resistere, & de mustela idem Galenus prædicauit *11. simpl. cap. proprio*: id verò impossibile omninò videtur, si diuersis qualitatibus occultis venena nocerent, cùm tot qualitates oppositas in eadem compositione, aut vnico viuente inueniri repugnet.

QVÆSTIO III.

Quid tenendum sit?

IN tam difficili problemate mihi certum primò est, quod si venena, aut maligna febris nihil à nobis auferrent, nullo modo possent esse nociua; durantibus
B enim omnibus requisitis ex parte temperamenti, conformationis, & tenuitatis, nulla occulta qualitas nobis aduersa esse potest. Ratio à priori est, quia manet adæquata dispositio pro omnibus actionibus, & per consequens ita perfectè eliciuntur, vt per bonam valetudinem: non ergo erit principium aliquod à quo vita deficere possit; estque ridicula solutio dicentium, quod sola additio illius qualitatis est sufficiens dispositio vt noua forma introducatur. Contra est, quia illa qualitas nullo modo ad venenum disponit, cùm sit posterior illo, hoc est, producitur à forma specifica veneni, postquam iam creatum est: vnde sicut passiones, quæ ab essentia iam producta dimanant, nequeunt ad illam disponere, sed sunt velut perfectiones ad operati, & non ad esse conducentes: ita potentia illa ope-
C ratiua veneni, quæ à primis, & secundis qualitatibus diuersa est, nullo modo disponit materiam ad aliquam formam, sed potius ab ipsa forma nascitur, vt passio illius. Tum vrgentiùs, quia eodem modo nos corrumperet qualitas antidoti, sicut veneni. Patet, quia nulla earum aliquid tollit à nobis; ergo si veneni qualitas eo quod additur solùm, ad nouam formam disponit, eadem ratione alexipharmaci qualitas, quia additur de nouo, ad aliam formam disponit, & inde tam perniciosum erit mihi antidotum, sicut venenum. Ratio à paritate est efficax, quia si nulla qualitas mixti opponitur, quia nihil à me tollit de conuenienti temperie, conformatione, aut vnione, non est mihi vna magis quàm alia dissona, aut conueniens, & sic aut nulla lædit, aut ambæ, quia additæ sunt, & quatenus additæ lædunt, & nulla alia
D ratione, & si occulta veneni, cum reliquis mihi naturalibus ad venenum disponit, ita qualitas antidoti ad illud eum meis disponet, quia ratio est par.

Circa quod malè philosophatur Santes de Ardoinis *lib. 1. venenorum, cap. 6.* Quærit enim qua ratione venenum nos necat, si ad actionem corruptiuam ex mente Philosophi requiritur contrarietas; supponit enim naturam nostram nihil contra venenum agere occulta contrarietate, sed solùm venenum agere contra naturam. Et respondet, quod proprietas veneni corrumpit complexionem humanam, eo quòd est ei maximè contraria contrarietate, qua corpora cœlestia absque aliqua eorum repassione agunt in hæc inferiora, & non contrarietate requisita ad actionem agentium per complexiones elementares, quæ semper in agendo repatiuntur,
E de quibus loquebatur Aristoteles. Contra quam solutionem militat ratio à nobis adducta, nimirum quod si nihil tollit à nobis ea qualitas venefica, quia nulli rei nos componenti opponitur, implicat esse tam vehementer nobis opposita omnia venena, vt experimento constat, haberentque non dubiè maiorem veneni rationem elementares qualitates, eo quòd directè nobis opponuntur, & temperiem permutant contra naturā. Quomodo enim venena toto genere nobis contraria dici possunt, si vt talia nihil à nobis destruunt? Meritò tamen idem author consentaneè putat, quod venenū, si à nobis superatur, non aliter eueniat, quàm media alteratione

per primas qualitates elementorum,& sic per accidens, aut secundariò veneno opponitur, vt tale est quia quatenus mixtionem eius dissoluit, mediis qualitatibus primis, sequitur corruptio veneni, & per accidens, aut secundariò eius veneficæ qualitatis.

Dico secundò, quod si venena, aut maligna febris non necant nos, corrumpendo vitalem illam qualitatem à vitali spiritu communicatam, non datur alius modus interficiendi, quàm producendo primas qualitates, & secundas à primis oriundas, siue id fiat putrefaciendo, aut erodendo, vt putat Galenus, siue alio modo indicibili corruptionis, qui putredo, aut vstio non sit; loquor de venenis calidis. Et cùm fateantur omnes Medici febrem non dari absque putredine, aut vstione, constat iuxta meam doctrinam, quod causa malignæ febris, aut iis mutationibus, aut qualitate, quæ vitali calori opponatur, necare debeat. Ratio est clara ex iam dictis in prima conclusione, quia in nobis nullus agnoscit hactenus alias qualitates præter primas,& secundas, & qualitatem illam vitalem à spiritibus communicatam; & per consequens quicquid nos alteratione necat, alicui ex dictis rebus debet opponi. Estque probabilius quod venena crudelius,& citius nos occidentia, debeant esse quæ calori vitali directè & rigorosa contrarietate opponuntur, quia nulla mors citius inducitur, quàm quæ sine sensatione primarum qualitatum celebratur, vt omnia venena breuissimam mortem inducentia, eandem qualitatem in specie infima participant, quando non agnoscitur vstio, aut putredo, magnumve aliquod incendium, aut ob summum frigus congelatio, in quæ mortis occasio reduci possit: quod certius erit, si opinemur, quod qualitas illa perfectiua spirituum à nullo alio ente produci queat, quàm ab ipso spiritu; sic enim nullum dabitur ens a quo remittatur qualitas veneni, vt non sit alexipharmacum proprium, nisi quod venenum illud trahendo ad se, aut expellendo extra corpus, separet illud à corde, aut visceribus, aut quod ad creationem vitalium spirituum maximè conducat, vt eorum copia aucta veneni qualitatem contrariam retundant, & corrumpant, & sic viuens durare possit, donec venenum resoluatur, & expellatur. Fieri etiam potest, quod antidotum opponatur entitati veneni, & non qualitati ab eo productæ in nobis, quod etiam Galenus insinuat *cap.18. lib.5. simpl.* & est modus traditus ab Ardoino, quod si possibile, aut probabile iudices, in aliis entibus dari posse eam qualitatem quam spiritus vitales communicant, ea omnia erunt vera alexipharmaca, aut alexiteria, quia directè qualitatem venenosam corrumpent: vtrumque enim est probabile, etsi hoc secundum minus videatur rationi consentaneum, eo quod omnia quæ determinatè à viuentibus perfectis expetuntur, non dantur nisi in illis. Est verò qualitas illa, quæ à spiritu communicatur, necessaria simpliciter omnibus actionibus viuentium, & inde in solis entibus à viuentibus expetitis inuenietur. Et à simili constat, quia in nullo ente naturali inuenta hactenus est qualitas illa, quæ ad pulsandum à vitali spiritu, & ad sensum, & motum ab animali partibus communicatur, quia illæ expetuntur vt viuens sensibile est; ergo nec qualitas illa vitalis, quæ à spiritu communicatur, in alio ente, quod viuens non sit, & est effectus eius, inuenietur. Verùm si aliquis proteruè defendat huiusmodi possibilitatem, demonstratione conuinci non poterit, nobis tamen satis sit probabilia magis ostendere. Eodemque modo philosophandum est, si admittantur venena cerebro propria, quatenus qualitati productæ, ab animali spiritu opponuntur, & sic occidunt ob respirationis defectum.

Sed dices, si id quod diximus, esset verum, omnia animantia venenosa occiderent seipsa. Patet, quia omnia constant, seu indigent illo influxu vitali, & animali: ergo vt in nobis corrumpitur à venenis, etiam in ipsis animalibus, & inde seipsa occident. Nec obstat, quod non sit ille influxus eiusdem speciei cum nostro, & sic nostro opponi poterit, & non alteri. Sed contra est, quia si actiones illorum animalium sunt eiusdem speciei cum nostris, requirent necessariò eundem influxum in specie infima, quod est certum in vera philosophia: & inde videtur, quod nulla animalia venenosa occidant occulta qualitate calori vitali opposita, sed sola alteratione primarum, & secundarum: venena verò ex solis vegetabilibus orta occulta illa qualitate necare possunt, quia ipsis non opponuntur, carent enim motu, & pulsu. Aut dicendum est, quod cùm venena calida indigeant actuatione à calore, vt possint operari, non datur in illis animalibus calor requisitus, vt ad actum reducatur venenum in illis creatum, siue in toto corpore, siue in parte, in qua venenum stabulatur; debet enim comminui, & dissolui in partes, vt queat operari, & talis dissolutio non potest fieri à temperamento proprij animalis, aut partis in qua venenum creatur, præsertim in opinione dicentium, quod actuatio à calore non fiat, sed ab alia qualitate, quæ omnibus propria non est, sed in illis, quorum proprium venenum censetur.

Ex dictis constat, quod omnia, quæ prædicto calori vitali non opponuntur, aliter necare non possunt, quàm primas qualitates, aut secundas animali conuenientes destruendo, & præsertim (vt putat Galenus) putrefaciendo, aut vrendo, seu erodendo, & iuxta modum opinandi Galeni docentis venena dici tripliciter: aut quia putrefaciant, aut quia excedant, aut quia à tota substantia alterent: eodem modo malignas, & pestilentes febres tripliciter lædere posse, & malignas propriissimè dici, aut quia humor causa earum insignem vim erodendi, aut putrefaciendi, aut operandi à tota substantia, vitalem illam qualitatem destruendo acquisierit, quibus ex parte loci intra quem humor putrescit, alia malignitas addenda est. Quia verò hæc, si agnoscatur, apertam indicationem præbet, & nihil occultum includit, non dicitur operari à tota substantia, quando tam exitiosam conditionem, grauemque motem ob loci dignitatem induit, maligna erit non dubiè, quia grauia symptomata ob loci præstantiam cum exiguo calore creat. Vt enim Galenus magnitudinem certam morbi ob loci præstantiam, aut partis principatum admittit, diuersam tamen ab ea magnitudine, quæ ob propriam magnitudinem in morbi essentia causatur; ita malignitas ob eandem rationem à partis principatu emanabit, distincta omninò ab ea, quæ ob propriam rationem causæ molestat. Qua ratione Galenus *3. de præsag. ex puls. cap. 4.* hecticam pestilentem vocat eam febrem, quæ ex cordis putredine emanat, quæ si aliam partem non nobilem obsideret, læderet, sed non grauiter, fueretque securissima. Eodem fundamento, articulorum, & tendonum vlcera vocauit maligna, quòd ratione partis difficilem curationem admittant, nunquam tamen à malignis morbis periculum potest seiungi, ob quod Galenus dixit *1. prorrh. textu* 14. malignum morbum esse, qui cum periculo spem salutis non adimit.

Videturque mihi omninò improbabile, quod quidam recentiores dicunt, esse necessarium ad hoc, quod aliquis morbus dicatur in rigore malignus, quod aliqua grauia symptomata inferat, quæ in causam manifestam reduci nequeant: est enim conditio hæc ad libitum dicta, & sine fundamento probabili; tum quia cordis putredo, vt pulmonum, & iecoris, malignos morbos, & pestilentes creat, in quibus nil datur occultũ: tum etiã quia datur ratio malignitatis per id, quod est in cõtrouersia positum, cùm adhuc incertum sit, si detur qualitates occultæ læsionem inferentes: mihi verò morbus malignus est, qui alio distincto principio grauiter lędit, siue illud occultum sit, siue non. Explicatur sic. Cùm videmus aliquẽ febrite, si febris remissa appareat, non ex-

pectamus

pectamus ab ea magnitudinem, & prauitatem accidentium, quatenus calorem solum dicit, quia tamen (vt dixi) potest esse extensa nimis putredo, vt materiam nutritionis, & ex qua vitalis spiritus debet creari, destruat, vt inde virtutis vitalis magna collatio fiat, dicimus eam esse febrem malignam; idémque fiet, si cor vt focum putredinis habeat, eo quòd in ipso accessionum initio grauia inducet accidentia, aut deliquij, aut syncopis cum frigido sudore, & mira anxietate, cum indicibili pulsus inæqualitate, & anxiosis suspiriis. En prauus mos, & maligna conditio absque vllo occulto principio tantæ læsionis? nemo negabit dysenteriam ab atra bile malignissimam esse, & propriissimè, quia erosionem cum intolerabili dolore causat, & est inemendabilis ferè, & desperata, quia parum distat à cancro vlcerato. Sic Galenus lypirias febres, & ardentes appellauit valde malignas 4. *aphorism.* 48. quia extra rationem febris omninò est, quod quædam partes extremè algeant, cùm sit de ratione febris quod totum corpus prætee naturam incalescat, ob quod symptoma frigiditatis, relatas febres valdè malignas appellat; videtúrque mihi ridicula doctrina dicentium quod morbus malignus occultè vitæ nostræ insidietur, aut fallaciora symptomata inferat; nam quod occultum est, erit eo ipso insensile, & extra Medici obiectum, præterquam quod est falsa locutio, quia si grauia, & lethalia accidentia inducit, & Medicis nota, certos nos reddit periculi, & malignitatis, & non clam, vt loquuntur, sed manifestè nos monet, fortassisque melius, & securios, minoribúsque expensis eum ægrotis ngeretur, si causæ innumeræ, ob quas morbi praui redduntur, & mali moris, ad amussim inuestigarentur, vt eis diligenter occurrerent, & non confugerent statim ad occultas qualitates, quas nec noscimus, neque contrarium à quo expurgari debent, assequimur.

Tandem contra dictam opinionem est, quod operari à tota substantia, non est operari occulta qualitate, sed esse talis naturæ quod operatur, vt nequeat à nobis commutari; quod si vehementer operetur, vt nos celeriter necare possit, erit venenosæ naturæ, si verò commutari possit à nobis, venenum non erit; & inde Galenus 5. *simpl. cap.* 18. docuit, quod alexipharmaca, & alexiteria, debent habere mediam naturam inter venena, & corpus nostrum; quia si nobis essent omninò similia, non possent venenum superare; si verò similia venenis, essent nobis non minus venena; debent ergo esse talis naturæ, quod non sint inferiora viribus, si ad venena comparentur; non tamen tam rebellis naturæ, & impossibilis commutationis, vt venena, alioqui non minus quàm venena læderent. Quæ obiter dicta sunt, vt constet, quid sit operari à tota substantia, & quod non eo ipso, quod in febre inuenitur aliquod graue accidens non correspondens calori, putemus statim venenosam qualitatem adesse, illius grauis symptomatis authorem, sed ab innumeris causis (excepta illa occulta qualitate) emanare posse, præsertim cùm authores omnes maculas illas, quibus puncticulares febres præcipuè agnoscuntur, & redarguunt, in feruorem materiæ reducant, & sæpè inueniantur in febribus, in quibus nullum prauum accidens datur.

Certum ergo debet esse, iuxta nostrum modum opinandi, tot esse posse malignarum febrium sorties, quot sunt causæ complicatæ calori febrili, ob quas praua inueniantur symptomata, & periculosa, quæ in calorem nequeant reduci. Iam verò exposuimus occasiones, aut causas, ob quas talia accidentia euenire possint, estque non dubiè hic philosophandi modus securior, & vtilior, quòd doceat causas symptomatum diuersas inquirere, & non statim quod inuenitur aliquod accidens calori febrili nō correspondens, ad ea quæ à tota substantia operari creduntur, confugere, cum sæpe au-

A geant mala illa, quæ talium accidentium sunt vera principia, nihil interdum commodi afferentes. Lege de hoc argumento expertissimum Platerum *quæstione* 91. in qua experimento firmissimo tradit, nullam virium instaurationem per lapides pretiosos, & inæstimabiles gemmas ægris euenisse, etsi illa experiundi gratia sæpius propinasset. Melius ergo saluti humanæ consulet Medicus, si cachochymiam, & succorum corruptionem, si extensam nimis putredinem, si viscerum (cordis præsertim) obstructiones, si ineptitudinem sanguinis, vt ex eo spiritus instaurari nequeant, si principatum partis intra quam focus putredinis stabulatur, aut in quam succi confluunt, diligenter inquirat, & accuset hæc velut malignitatis certissimas causas, aut magnam vim putrefaciendi, aut erodendi in causa febris, & quòd eo ipso incoctilis sit, &

B incommutabilis more veneni, quia partem cui approximatur, & à qua concoqui debet, erodit, & corrumpit. Nec minus ægri effæminationem, facilèque, vel à leuissimis causis, non leuiter alterabilem accuset, ob quam in pulsus debilitatem, anxietatem, sudores, syncopes, peruigilium, alui fluxiones, colliquationem, & alia innumera, grauiaque accidentia incidit, etsi calor remissus satis est, quia vt doctè Vallesius notauit, est huic indiuiduo maximè præter naturam: ex iis salubres indicationes elicimur, directeque contra ea quæ nos occidunt pugnamus, & non tam idoneam praxim obliuioni mandantes incerta auxilia, & magno pretio empta, absque vllo commodo ægrorum debemus imperare. Est in gemmis duplex periculum; primum, quod in controuersia sit positum earum emolumentum. Secundum, quod omnia adulterata, aut vera

C non sunt, vt *lib.* 4. *method. cap.* 2. docuit noster Vallesius. Quibus accedit, quod obstruant, terrea sint, & difficillimè penetrantia, & quòd ignoremus si supposito quod à tota substantia operentur, sua alteratione veneno opponantur suntque propterea mihi ridiculi Medici omnes, qui planè consitentes qualitatem occultam malignæ febris differre specie ab ea, quæ in pestilente datur, iisdem antidotis, & alexipharmacis contra vtrumque febrium genus egregie se pugnare putant, cùm sit omni Philosophiæ aduersum, eandem qualitatem posse duas specie diuersas expugnare, docente Aristotele, *vni vnum tantùm contrarium dari.* Loquor de oppositione per alterationem, nam de veneni expulsione, aut tractione alia est ratio, ibi enim

D effectus à diuersis agentibus euenire possunt, vt melancholiam expurgant epithymum, polipodium, helleborum, & senna, quia in omnibus datur similis vis attractiua: at eandem antidoti qualitatem expugnare posse duas venenatas qualitates specie diuersas, est omninò improbabile; meliusque philosopharentur, si eundem modum læsionis, & per idem principium in maligna, & pestilente febre admitterent, vehementiorem tamen in pestilente febre, ratione cuius prauitatis, & vehementiæ, maiorem partem ægrotum de medio tollit, in quo pestilentis epidemiæ rationem di-

E stinctiuam à maligna authores collocant. Cum quo stat, vt in epidemicis malignis citra pestem aliquando sit visum maiorem partem ægrorum periisse, nec hoc mirum, cùm aliquando eueniat, vt à puncticulari febre plures quàm à peste perierint, vt tradit Coyttanus *tract. de febre purpurea, capite* 16. *fol.* 145.

Igitur si malignam febrem, prout distinguitur contra malignitatem à magnitudine febris ortam, definire exquisitè desideras, dices *esse calorem, qui ob adiuncta cum illo grauia producit accidentia, quibus salutis opem non adimit absolutè*; nam per illa verba, *quæ ob adiuncta cum calore grauia accidentia producit*, conuenit cum febre pestilente; per ea verò, *quibus spem salutis absolutè non adimit*, differt à febre pestilente, quæ ex propria idea tam exitiosa est, vt nullus Medicus salutem

polliceri sit ausus, cùm experimentum doceat, & tradit Sennertus, fuisse suo tempore epidemiam febrium malignarum cum puncticulis, in qua neque sexagesima pars ægrotum è medio fuit sublata. Differt etiam per priora verba ab omni febre, quæ ratione magnitudinis praua inducit symptomata; hæc enim non ratione adiuncti, sed intentione caloris, maligna, periculosaque euadit. Galenus 1. *epid. sect. 2. text. 25. circa finem*, sic morbum malignum explicuit: *Nempe ex libris de diebus indicatoriis, malignis morbis hoc fieri constat, vt parum remittantur, & citò ex remissione violentius inuadant.*

QVÆSTIO IV.

De causis malignæ febris.

SI quæstione præcedente rectè dictum est, quod malignitas nascitur ex aliquo diuerso à calore, in quod periculosa, & grauia accidentia reduci debeant, inquirenda sunt diligenter, quæ possint esse illa. Iam verò diximus, vnam ex occasionibus esse partis principatum, nil enim malignius excogitari potest, quàm quod natura ad causandas accessiones moueat in cordis ventriculos causam earum, aut iuxta radicem arteriæ magnæ, aut ad leues arterias. Sic si ad os ventriculi, non per communes cauitates, sed per vias, per quas alimentum suscipit, causam accessionum præcipiter, maligna, & grauissima suscitabitur febris, præcipuè si æger cordis sit debilis. Eodem modo humorum pessima corruptione ineptos illos reddente, vt ex ipsis spiritus creentur, perniciosè afficiuntur, quòd languor omnium virtutum (vitalis præcipuè) statim se ostendat, vt rarum sit, si auxiliis magnis ex parte virtutis aliqua se offerat occasio; nec minus maligna febris eueniet, si cor debile sit, ex natiua, aut intemperie vitiosa post ortum contracta; nequit enim vapores ex putredine ad ipsum delatos resoluere, aut expellere, sed oppressum, & obtutum debiles pulsus elicit, & inæquales, anxiusque æger nullibi quiescit, quia velut suffocari se sentiat cum cordis oppressione, & thoracis angustia, & assidua anhelatione. Sic quibus vitales, aut animales spiritus facilè resoluuntur, aut quia rari habitus, aut quia ipsi spiritus ob eandem raritatem facilè exhalabiles sunt, aut quia retentrix languida sit, aut quia ob calorem febrilem (etsi non intensum nimis) acriores, mordacioresque fiant, malignè laborant, quòd deliquiis, syncopi, & omnium facultatum languori paratissimi sint, & virtus vitalis ad auxilia non constet, præcipuè si tempore æstiuo laborant; periclitantur enim ab augmento particulari vsque ad declinationem, quia calor ab augmento extenuat; sed pereunt præcipuè in declinatione, aut extremis partibus vigoris, quòd iam quatenus per morbum possunt, extenuati spiritus sint, & corporis habitus rarios efficiatus ab extremis partibus vigoris vsque ad omnimodam inclinationem accessionum. Et hoc quod facit prædicta corporis dispositio, facit etiam nimia succorum tenuitas, aut acre serum, quando putredinem concepit, vt dicat noster Auicenna, *quod ad quintam accessionem sufficere non soleant, sed in tertia, aut quarta, aut quinta euolent; tales statim habitum, seu faciem hippocraticam contrahant*: & vt tract. *de febribus colliquantibus* retulit; *Colliquantur occultè, & ocyssimè pereunt, exsudando syncopticè, interdum etsi rarò, nonnunquam verò sine sudore, aut leuissimo madore tenaci, & glutinoso*, præcipuè si ad deponenda excrementa surrexerint, vt Galenus 3. *de cris. cap. 9.* docuit. Obseruatum enim mihi fuit, in Epidemica maligna constitutione per sudores syncopales tot hominum millia è medio tollente, non solùm humores, sed serum totum massæ sanguinariæ corruptum extra me se ostendere, à quo pernicies tota emanabat, quia inutile est ex propria natura, nedum iam malignè corruptum, quod non dubiè sudorum necantium erat materia. Frequentissima tamen causa magnæ febris est magnus corporis apparatus ad concipiendam putredinem extensiuam, & mucidam, cuius subiectum tenacius hæret, multúmque est; ob id difficilimè venæ, & arteriæ ventilantur, & quod ex putredine eleuatur, ineptè resoluitur, cùm alioqui inflammabile multum non sit, sed totum corpus replens, omnia viscera lædit, & obruit, & inde languor omnium facultatum contrahitur, & pulsus parui, inæquales, & crebri redduntur: quæ differentiæ puncticulari febri proprissimæ sunt, & ex nullo alio signo maior mihi & certior cognitio, quàm ex immodica crebritate cum paruitate, & inæqualitate desumitur, præcipuè quando ob detentionem, & adhæsum lentæ materiæ, acritudo in vaporibus contrahitur, à quibus cum linguæ siccitate, siti, & inquietudine crebertimi redduntur pulsus ob duo; & quia parui ob languorem, & quia acrimonia stimulant, & multi sunt ob ineptam ventilationem, & quia vsus vrgentia duplicatur ob calorem præter naturam, & spirituum defectum. Et hæc præcipua causa est, quæ Medicos in malignæ suæ qualitatis putredini adiunctæ falsam opinionem attraxit, quod præcipuè euenit, quando immoderata aëris humiditas cum vapore caliginoso, & turbido inspiratur, à quibus totus sanguis impurus, facilèque putrescibilis, & calori vitali creando ineptissimus redditur, fouetque sine multa caliditate, quòd humida aquea inflammabilia multum non sint: quod si cum humiditate medij calor coniungatur (vt in malignis, & pestilentibus constitutionibus euenit) feruor maior contrahitur, & acrimoniam sicciora excrementa acquirunt ob adiunctam putredinem, fiuntque febres intensiores, & acutæ, vt 3. *Aphor. comm. 11.* Galenus docet dicendo: *Quare totum tempus medium habebit febres acutas, propter caliditatem, & humiditatem.* Est verò proprissimum malignarum constitutionum, & pestilentium, vt humor calorem excedat, vt hic sit tepidus, humiditas verò magna, vnde ingens, magnáque fit putredo extensiuè, non verò intensa ob dictam rationem: cum calore quidem tepido, & intensa humiditate putredo grauissima suscitatur, quia ad ceneritium difficulter reducitur caloris defectu, sicque totum corpus putrilagine imbuitur, quia ob defectum extenuationis materiæ resolui, & ad ceneritium, quia non satis siccatur, nequit reduci; ob quam causam in malignis febribus leuissimæ, & breues fiunt accessionum remissiones, quia difficilè materia porrida exhalat, ad quod plurimum conducit obstructionum copia; rarò enim sub humidis, & caliginosis aëris constitutionibus totum corpus vndique obstructum non est, quia vehementer repletur, vt Galenus docuit: inde pulsus oppressus, paruus, inæqualis, & nimis creber, & omnium facultatum collapsio sine aliqua qualitate à tota substantia; nihil enim plus calorem vitalem extinguit quàm humor immodicus, ad quod valde conducit, quod sub humidis constitutionibus multa frigida excrementa cumulantur, antequam corpora putredinem in succis concipiant; non enim humiditas aquea abundare potest, quia sibi statim frigida excrementa associet, vt 7. *method.* Galenus notauit, & ob excrementorum diuersitatem, tam varia symptomata in malignis febribus videntur, quod iuuat nimiè eorum seminario per partes principes, & diffusa putredo; putandumque est, quod vt in iis humidis, & caliginosis constitutionibus corpora copiâ excrementorum replentur, in iis etiam, qui citra epidemialem aëris constitutionem maligna febre laborant

similis

**ſimilis diſpoſitio ob prauam victus rationem inuenie-
tur, ſemper enim iidem effectus eandem in cauſis ana-
logiam requirunt.**

Inde non ſolùm in curatione, ſed & in præcautione
malignarum conſtitutionum tam vtilis acidorum, &
exſiccantium vſus putatur, quod eam putrilaginem mu-
cidam, & ſordidam vehementer coërceant, vt de oleo
vitrioli tam publicè iam authores prædicant, & de
theriaca, quam vt ignem exſiccantem, & putrilaginem
reſoluentem commendant: exiſtimo enim in relatis
conſtitutionibus multa excrementa ſitum contrahere,
ea nimirum quæ ſunt præter modum humida, & glu-
tinoſa, alia verò ob detentionem exſiccari, acerrimèque
& exedentia fieri, à quibus ſymptomatum varietas,
confuſio Medicorum, & medelæ inſignis difficultas,
inordinatique motus naturæ, & variegatæ expulſio-
nes oriuntur: ſic cum lingua nigra, & ſicca, ſitique
inexplebili ſomnus profundus moleſtat, & extrinſe-
cus calor remiſſus apparet, interna verò exuruntur,
quòd ob multitudinem obſtructionum, & materiæ
lentorem non reiiciantur extra aduſta excrementa.
Tanta itaque eſt interdum ad putrilaginem interna diſ-
poſitio, quod omnia ferè excrementa eius vim expe-
riantur, & per omnes vias expulſionem eorum natura
procuret. Vidi non ſine admiratione in eodem febris
malignæ iudicio per ſudorem, vomitum, deiectionem,
& vterum morbi materiam reiectam, & cum ſummo
periculo, quòd quælibet ex dictis euacuationibus ma-
gna eſſet, & ſimul à natura tentarentur; nulla itaque
maior malignitas, quàm plures partes principes à
ſiccis excrementis putridis obſideri, aut diuerſitatem
excrementorum putredinem ſentire, aut extenſam ni-
mis putredinem fieri, & humiditatem aeream, & pin-
guem, quæ vitalis ſpiritus materia idonea eſt, ab hu-
miditate aquea corrumpi, aut ita alterari, quod crea-
tioni ſpirituum inepta reddatur, & viuidum calorem
concipere nequeat, quòd cauſatur humidior ſemper
cum tepido calore aëris permutatio, totumque corpus
plenum madore, & humidis excrementis obſtruitur,
& commodè difflari non poteſt; humiditates etiam ca-
lefactæ cùm de nouo extendantur, corpus de nouo re-
plent, poros occludunt, & extra excrementa reiici
non permittunt. Sic partes internæ obruuntur, gra-
uantur, & ſimul omnes compati ſolent cum inſigni vi-
rium collapſu. Ergo quod Mercatus *lib. 7. de febribus,
tit. de cauſis huius febris in fine* notauit, reſpectu diuer-
ſorum ſubiectorum in ordine ad accidentium varieta-
tem, eo quòd ſanguis vnius melancholicus ſit, alius
bilioſus, alius pituitoſus, eidem ſubiecto à me accom-
modatur, quando vt variè excrementa putreſcant, in-
terna datur diſpoſitio; datur verò quando ob aëris vi-
tium iamdictum epidemica conſtitutio maligna graſ-
ſatur, omnia quidem vt putreſcant in eodem homi-
ne paratiſſima ſunt, omnes etiam partes principes de-
bilitatem contraxere, eo quòd omnibus effæminatio-
nis cauſa communis, ineuitabiliſque eſt, quod (cum
Lud. Mercato loquor) expendiſſe plurimum decet:
hinc enim pendet vniuerſa medendi ratio, & felix cu-
rationis euentus, ex cuius rei ignorantia cùm omnes
eiſdem medicamentis, & vna eademque via curentur,
fit vt multi, qui ſanitati poſſent reſtitui, miſerè inte-
reant; addo ego, & abſque firma ratione qualitas oc-
culta, & venenoſa, eorum ſymptomatum author tra-
datur.

Hactenus loquuti ſumus de malignitate orte ex alio
principio, quàm ex intenſione febris, interdum ve-
rò contingit, quod maligna ſit ob intenſam putredi-
nem, & magna detur febris cum aliis accidentibus
prauis, etiamſi ex intenſione caloris non pendeant,
quia ſub intenſa putredine, & magno ſanguinis feruo-
re poteſt eſſe nimis extenſa, & eſſe incapax coctio-
nis: & quod ex illo nequeant ſpiritus fieri, & partem

A principem obſidere, docuit Galenus 1. *de differentiis
febrium, cap. 4.* ceris immoderatum æſtum peſtis fuiſſe
cauſam. Id verò dupliciter euenire poteſt, aut quia
nimiam humiditatem abſumere non poteſt, & inde
vtrumque corruptionis principium magna efficacia
coniunctum exitioſam illam Atheniensium peſtem cau-
ſauit. Si verò humiditati modicæ magnus calor ad-
iungatur ſanguinem, & corporis excrementa exu-
rens, carbunculos peſtiferos creat, partes internas exe-
dit, colliquat, & præ incendio cordis, & viſcerum
ocyſſimè necat: vehemens enim delirium euenire ſo-
let, deliquia, & tandem reſoluti ſyncope pereunt. Quod
verò frequentius euenit eſt, quod docet experimentum,
eſſe nimirum malignas febres tepidiores, quia eas præ-
cedit humidiſſima, & caliginoſa aëris conſtitutio, cum
B moderato calore, aut ſimilis diſpoſitio in corpore ob
indexteram victus rationem, ratione cuius corruptio
ſuccorum multa eſt, & non inflammantur nimis ob
dicta, contraxeruntque viſcera omnia inſignem debi-
litatem, ſicque grauia, multáque occurrunt, & exci-
tantur ſymptomata. Eſt verò frequentiſſimum, quod
in prima regione detur magna occaſio curationi huius
febris, quòd in ea grandis excrementorum copia cu-
muletur, ob prauam victus rationem: quia verò pu-
tredo malignam febrem ſuſcitans, contagioſa nimis
eſt, regioni ſecundæ, & tertiæ promptiſſimè vitium
ſerpendo communicat, ob quod experimur multa da-
ri intempeſtiua, inordinatáque incrementa ſine anno-
tatione aliqua in iis malignis febribus, & rurſus quòd
C declinationes impuræ ſatis ſint, & non multum à ri-
gore diſtantes, ſed leuiter remittentes, nouas acceſ-
ſiones ſuſcitant cum illis inordinatis incrementis, &
cum periodis intruſis occultè, quia vt retulimus, pu-
tredo malignæ febris efficax eſt, & contagioſa, & ſer-
pendo ſine motu determinato ad focum portionem
ſuccorum contaminat, qua intruſa, illa, inordinatá-
que, ſed breuia incrementa creantur maiora tamen in
temporibus in quibus plus viget putredo.

Nullus hactenus in dubium vertit, quod ſanguis,
& reliqui humores malignarum febrium poſſint eſſe
cauſa, cùm omnes malignè putreſieri poſſint, & aliam
quamlibet conditionem pro malignitate requiſitam in-
duere: habet verò cum ſanguine maiorem analogiam
cauſa punćticularis febris, vt omnes docent, confirmat
D etiam color punćticularum, qui frequentiſſimè appa-
ret ruber, rarò verò aliorum colorum, & cum maiori
periculo. Eſt verò de ſpiritibus non leuis diſcordia, ſi
malignæ, aut peſtiferæ febris authores, materiáque eſſe
poſſint; diſcutietur verò præſens controuerſie in de-
terminato capite, in quo de anglico ſudore ſermo in-
ſtituitur, ibi enim videbimus, ſi maligna illa, aut peſti-
fera febris vno die tam exitioſè necans ex putredine
ſpirituum, aut alterius ſubſtantiæ emanauerit.

QVÆSTIO V.

De Signis maligna febris.

E

MAgna cura circa cognitionem huius febris ha-
benda eſt, cui ſi ob ignorantiam ſtatim non oc-
curramus, inexpugnabilis fit, & inopinato delirio, aut
ſudore ſyncopali, vel deliquiis, cordiſque oppreſſione
de medio hominem tollit: quando verò pernicies hu-
ius febris ob decubitum in partem principem venit,
clarior eſt eius cognitio, quia in initio acceſſionum
grauia ſymptomata per læſionem actionum parti prin-
cipi propriarum perſpicue ſatis ſunt. Quando ergo
cor, aut cerebrum, aut os ventriculi focus putredinis
ſunt, aut ſeptum, aut pulmo, vel vterus, cognoſcitur
eius pernicies quàm facilè, neque de huius morbi ma-
lignitate

lignitate sermo in hoc tractatu præcipoè iostirnitvr, sed de fallaci cooditione huius febris, quando ob solam putredinis prauitarem, & modum lædendi à calore alienum periculosa sympiomata apparent, aut quod magis uotandum, adnettendumque est, si statim à febris initio præludium, leueque signom alicuius grauioris mali, aut symprematis detur; accidentia enim quæ superuenienria esse solent, & grauia, non incipiunt statim cum tanta malitia (aut quod incipiant rarissimum est) vt actu eorum perniciem ostentent. Verùm cum superuentura sint necessariò ob prauum morbi morem, & hunc ab initio morbus induat, implicat quod ab aliquo, aut aliquibus accidentibus eius perniciem, & prauum morem detegeotibus omuinò denudetur; hoc ergo veiut oraculum primò tenendum est, si fallscem huius febtis natutam primo insultu venari cupimus, curiosè nimirum, summoque studio actiones læsas, qualitates mutatas, & excreta, aut retenta, in quibus tota signorum farrago continetur, inquirere, simulque calorem febrilem cum eisdem conferre, & si aliquod graue symptoma, aut eius præludium appareat cum remisso calore, alia causa inquirenda est, quæ taoti symptomatis, aut alterius mali authot esse debeat.

Est ergo, vt iam ex dictis liquet, velut essentiale, & pathognomonicum signum huius mali, quod detur calor remissus, cui grauia accidentia, aut aliquod ex grauibus non correspondeant, vt id quod triuialibus Medicis vt fallantur occasiu est, sit doctis, & peritis tanti mali monstratio; nam vt doctè Mercatus, quis statim non agnoscet malignitatem, si leuem febrem inueniens, molesta nausea, vomitos, cardialgia, capitis dolor, vigilia, inquictudo, & alia innomera accidentia ægros statim fatigant? febris enim illa tam grauibus accidentibus ornata, etsi remissa sit, benigna non est, sed praui moris magnum periculum pollicentis, vt quò remissior apparuerit, sit verò graui aliquo symptomate molesta, exitialior putanda sit. Quod si aliquando eueniat, vt magna sit febris (id enim possibile est) & simul maligna, erunt nihilominus grauiora accidentia quàm calori magno debeantur, quia semper mos prauus morbi qui ab essentia eius diuersus est, vt Galenos testatur, sua praua accidentia infert, vt semper sit verum, ac firmum, esse nimirum essentiale huic febri prauiora symptomata inducere, quàm calori debeantur; prauitas verò partim consistit in vnius signi malitia, aut vehementia, partim in accidentium multitudine, etiamsi quodlibet intensum, vehemens, aut prauum non sit; necesse verò est, quod ubi in pluribus partibus contracta debilitas est, nequeant excrementa vapores, & fuligines expellere à se, sed inquinatæ partes omnes, & tanta copia rerum præternaturalium imbutæ, earum pereant actiones sine magno calore.

Est tamen dubitatione dignum vnde eueniat, quod sub calore tam remisso, tam pauca accidentia, & eorum præludia se ostentēt, à quo dubio facilè se expedit Mercatus, triplicem causam reddens. Prima est venenata qualitas, quæ cùm sit in lædendo tam efficax, si hæc orta sit, parum refert quod calor sit tepidus; potest verò coniungi cum leni putredine venefica qualitas, & inde cum remisso calore, magna, prauáque accidentia molestabunt. In qua opinione notandum est, non posse illud contingere sine mutatione, vt in omni febre maligna, pestilente, & hectica eiusdem naturæ, necessariò illud fatendum sit: & ratio est euidens, quia illa venefica qualitas, aut principium productiuum illius, nequit à forma humana, aut humorum naturalium emanare, & sic debetur formæ de nouo per putredinem, aut aliam violentam dispositionem introductæ, cui formæ naturalis sit ea potentia, aut qualitas, præsertim in opinione dicentium, quod potentiæ à forma non distinguantur. Verùm hæc ratio Mercati non soluit dubium in omni opinione, cùm sit probabilius, non dari

A aliquam corruptiuam dispositionem sine interuentu primarum qualitatum, quas non producit in opinione Mercati illa venefica qualitas. Et contra eius placitum militant omnia argumenta à nobis adducta contra modum occultum operandi venenorum. Addit rursus Mercatus, quod cùm maligna qualitas cordi prædominetur ob sympathiam, potius in illo viget calor, quàm in externis, & hanc esse potissimam causam, ob quam interiora caleant, & exteriora sæpè frigeant, vt à vera lypiria distinguatur. Ridicula quidem solutio, tum quia si in corde calor prædominaretur, vt interna vrerentur præ intensione caloris, nunquam per pulsum incendium cordis occultaretur, nec esset in proptia essentia febris remissa, sed maxima, quod est contra communem doctrinam Galeni, & Medicorom dicentium, ma-

B lignas febres tepidiores, & paruas esse reuerà, & non solùm tales apparere in externis, tum etiam quia nulla sympathia est inter calorem huius febris, & cor, quæ non sit inter reliquas partes, cùm calor communis sit omnibus rebus, quia omnes velut transmutabiles respicit. Quando verò dicunt authores, venena cor appetere, minus probabile est, quia nec mouentur ad illud impetu interno, nec ab eo trahuntur; ad quid enim, aut ob quem finem? Motus verò arteriarum communis est partibus ferè omnibus, vt earum motione non magis ad cor, quàm ad reliquas partes trahantur venena. Malè ergo Mercatus in effugium caloris ad cor externorum teporem reducit, nec sibi constat hic author, cùm planè magnam febrem admittat cum malignitate,

C & hanc non esse tam exitialem, cùm contrarium deberet euenire, citius nimirum interfecturam magnam febrem, si calor ob sympathiam malignitatis in corde residere deberet. Putandum ergo est iuxta mentem Galeni, & Authorum, malignas febres absolutè, & frequentissimè remissas esse in partibus omnibus, læsionem verò illam magnam ex alio principio pendere, & non à calore, præterquam in eis, quibus ob contractam ex alia occasione insignem debilitatem, calor remissus est eis maximè præter naturam, & sic vehementer, & exitiosè læduntur, vt ex mente Galeni antea retulimus.

Quando verò remissa putredo est; & inde remissa febris, si grauia illa accidentia non oriantur ob locum principem, quem vt focum errans natura constituit,

D non pendet ex alio principio, quàm ex modo, aut specie putredinis ineptam materiam reddente, vt ex ea spiritus vitales regenerari possint: ex qua occasione communis debilitas partes omnes fatigat, quia spiritus, & vitalis caloris defectus, omnibus partibus communis cùm sit, omnes effæminat, & eas plus, quarum opera maiorem copiam vitalis caloris requirunt. Constat verò, quod vt succi corrumpantur, aut alterentur, ita vt inepta materia spiritibus regenerandis fiant, non est opus intensa putredine, sed quælibet sufficit, dummodo ea corruptio, aut alteratio afficiat modo iamdicto; verùm quia spiritus ex materia corrupta aut putrida nunquam fiunt, probabilius apparet, extensam esse putredinem, & ob id materiam deficere ex qua fiant,

E aut in cordis ventriculis materiá corrumpi à vaporibus malignæ putredinis, aut quod vapores ex putrido humore eleuati, & in cor emissi, cum sanguine eius permixti, ineptam eodem modo reddant, aut quia (vt antea insinoaui) sanguis totus aquea humiditate, aut caliginosis vaporibus imbutus, pars aërea, & pinguis, seu spirituosa, quæ creandis spiritibus idonea materia est, destruatur, aut malè disposita sit: quod in epidemiali constitutione ob aëris immoderatam humiditatem mihi verissimum apparet, existimóque hanc esse principaliorem, & vehementiorem occasionem malignitatis in hac febre, defectū scilicet spirituū vitalium ob ineptudinē materiæ ex praua corruptione sanguinis, præsertim intra cordis ventriculos contenti: quod vitium insigne

est

est, & facilè cor in consensum trahitur, quando intra arterias succi corrumpuntur, quod esse possibile Galenus docuit, & ratio suadet. Et hæc videtur mihi malignæ, & pestilentis febris occasio grauissima, nequit enim non esse virtutis potentissimæ agens, quod intra arterias sanguinem contaminat, tum ob sanguinis perfectionem, tum quia intra locum tam ventilatum habitans, non potuit vim agentis putrefacientis effugere: nulla malignitas in hac febre proprior agnoscitur, quàm omnium facultatum debilitas, quòd spiritus sine quibus operari nesciunt, assiduè deficiant, non solùm ob materiæ commodæ defectum, sed etiam ob corruptionem ipsorum à praua putredine, & maligna euaporatione eius: qui operandi modus indicibilis est, vt constare nequeat dispositio spirituum conseruatiua, cui opponitur.

Quod verò extensa nimis putredo succorum sit, inde agnoscimus; videmus enim sæpè, quod in malignis febribus vrina cocta perfectissimè appareat, & nihilominus æger pereat, quod euenire non potest, nisi quia in partibus ex quibus vrina decidit, coquitur, & emendatur succorum vitium, non verò in aliis partibus, & inde pereunt; loquor modò de vrina, quæ prius cruda, & vitiata satis apparuit; nam de ea quæ à principio morbi cocta percipitur, alia ratio fortasse est, de qua inferius agitur.

Est etiam remissa febris (inquit Mercatus) *vbi humores putrescentes crassi sunt, à quibus flamma non insurgit, qua per ambitum possit spargi: verum internas partes vehementer exurunt more febris lypiria.* Quæ doctrina mihi non probatur, quia contra manifestum experimentum; non enim maligna febre laborantes internum incendium tam magnum habent, vt exuri percipiantur internè, nec succi crassi cuiuscunque naturæ sint magnam flammam in se concipiunt, quòd tersei sunt, si ad melancholiam, & atram bilem pertineant, ob siccitatem immodicam, & pingue eorum consumptum: pituitosos verò interna exurere non posse, non eget probatione. Admitto itaque remissionem febris in partibus omnibus, quando in crassis succis putredo subiectatur; malignos verò eos iudico, si ad atræ bilis naturam accedant, quia acerrimi, & molestissimi, & exedentes, incoctiles, peruigilij, & deliriorum authores, & implacabili siti excrucianses, & ob id malignam febrem creantes. Quod si ita affecti dormiant, (quod rarum est) timores, & motus tremuli in somno fiunt, à quibus velut perterriti expergefiunt magna molestia; quod damnault Hippocrates 4.*aphor.text.*67. dicendo: *In febribus ex somnis, timores, vel conuulsiones malum.* Galenus in *comm.* scripsit: *Atqui non sæpe vidimus in morbis exitialibus, & timores, & labores, & conuulsiones factas ex somnis.* En humor maligna inducens symptomata absque aliqua occulta qualitate venefica ratione putredinis acquisita: quam etiam humoris prauitatem Hippocrates *lib. de veteri medicina* perbellè depinxit, de quo Galenus 3.*epid.sect.*3.*text.*..sic scripsit. *At non erat nunc talis, qui sacrum ignem excitauit, humor, sed malignus, qui eroderet, putrefaceret, &c.* & *text.*12. cacboëtes passiones appellat ex bile flaua putrescente ortas.

Confert etiam vt febris remissa videatur, caloris vitalis paucitas, & sanguinis immoderata humiditas, ob quam inflammabilis multum non est; dixit enim Auicenna, calorem febrilem distribui medio sanguine, & spiritu; succus enim, qui putrescit, nisi spiritus, & sanguinem calefaciat (intelligo verò per sanguinem vaporem eius inflammabilem, qui spiritum in agilitate æmulatur) non potest per corpus totum satis idoneè calorem distribuere; quod indicat lypiria febris, quæ atsi in loco affecto inflammato vehementissima sit, non potest totum calefacere, eo ipso quòd spiritus, & sanguinem, & præcipuè partam eius tenuiorem intrò re-

A uocat, & inde partes externæ spiritu, & vapore sanguinis priuatæ algent nimis, quia carent medio, per quod calor febris distribuendus per illas, communicandusque est. Iam verò diximus in humidis constitutionibus malignas febres afferentibus, defectum spirituum, & succos crudos, & sanguinem non inflammabilem necessariò esse ob aquæ humiditatis copiam; vnde fit, vt medium per quod febrilis calor communicandus est, ineptissimum sit, quia contrario succo constat, calori distribuendo resistente, vt remissa febris sit, non solùm ob id quod sanguis inflammabilis multùm non sit (idemque de spiritu putandum) sed etiam quia medium per quod communicanda est caliditas, contra eam pugnet frigidis & aqueis excrementis.

De pulsuum differentiis iam cœpimus dicere, quod B sint ferè semper parui, languidi, celeres, & insigniter crebri, quà vltimâ differentiâ huius morbi natura præcipuè innotescit. Fracastoreus tamen dicit, quod pulsus erat raros, & humilis: nunquam verò mihi contigit rarum pulsum in principio mali percepisse. Melius Roderic. à Fonseca *t.a. consult.*31. dicendo: *Vapores praui, & maligni sua mala qualitate cor offendentes, pulsum longè frequentiorem, quam magnum, & celerem cum languore faciunt*: frequentia enim alias differentias superans cum pulsus languore, signum est pathognomonicum malignæ febris. Est etiam inæqualis vt putat Mercatus, quia non est magnum instrumenti vitium, vbi crassi & multi succi abundant, & cum hoc statim debilitas notabilis in morbi insultu inducitur, idque præcipuè eueniet vbi præcessit aëris immoderata humiditas omnia membra grauans, & replens: inæquali- C tas verò magis molestat, quando iam natura portiunculas materiæ feruentis ad cutem reiicere tentat, & pòst maculæ apparent cutem fœdantes. Has differentias putat Mercatus esse communes omnibus affectis hoc malo, ob maximum vitalis virtutis laborem ex maligna qualitate, & oppressione à copia quæ semper molestat, & grauat; statim verò huius doctrinæ oblitus dicit; *Cæterùm alia frequenter reperiuntur pulsuum differentia pro temporum varietate, aut morbi diuersa conditione ludentes, nam connaturalis, aut parum ab eo diuersus in principio apparere solet.* Quod si verum est, non erunt illæ priores differentiæ omnibus malignè febrientibus communes, vt constat: interdum ve- D rò contingere quod pulsus naturales ferè appareant, omnes scribentes testantur, & cum iuramento Angelucius affirmat *lib.*1.*de natura, & curatione maligna febris, cap. vltim. fol.*26. *Ego enim* (inquit) *cum iuramento possum affirmare, aliquot ægrotos malignè febricitantes omni hectica suspicione carentes tetigisse, quorum pulsus nihil differebat à naturali*; quod & Iosephus Struthius, & Thomas Iordanus docuerunt, & Ioannes Coyttarus *cap.*18.*lib. de febre purpurea*: desumpserunt omnes ex celebri doctrina Galeni 3. *lib. de præsagat. ex puls. cap.*3. dicente; *Nonnunquam percipitur in corde huiuscemodi pugnantia temperamentorum, nam modò frigidius visceris* E *corpus æquo est, & in ventriculis contenta substantia calidior, modò è diuerso substantia frigidior, cor autem calidius, vbi etiam pulsus fiunt moderatis similes; nam medius quodammodo status hic efficitur ex duobus contrariis conflatus, qui sanè affectus, vel optimos medicos fallunt, quod nunc quoque in maxima pestilentia accidit; quidam inde ab initio ad finem vsque, alij per totum morbum probum pulsum habebant, qui perparum deflexisset de natura, qui quidem præter cæteros perierunt, &c.*

Qui locus aureus strenuè refragatur affirmantibus, quod in malignis febribus & pestilentibus, læsio determinata in pulsibus à qualitate illa occulta & venefica datur. Ingenuè quidem Galenus fatetur, & experimento tradit, in pestilente, & exitiosissima constitutione dari pulsus, aut naturales, aut parum à naturali statu deflectentes;

deflectentes; & rationem reddendo dicit, quod ex duobus contrariis pugnantibus, status medius resultat, nam calor contentorum malignus emendabatur à frigore cordis, aut econtrà: nulla ergo læsio in pulsu à venefica, & pestilente qualitate emanabat, nam si hoc ita esset, parum obstaret calorem succorum putridorum malignè & pestilenter à frigore cordis remitti, cùm maligna qualitas, & pestilens nullam emendationem à calore, aut frigore in ea opinione suscipere posset, quia cum ea nullam oppositionem ex natura habent. Audiamus rursus Galenum: *Animaduertimusque* (inquit) *eos primis statim diebus, & pestilentiâ laborare, & pessimè affectos esse, ex acredine caloris, atque ipsa caloris specie, denique quod pulsus parum præter naturam immutati, iis in eo statu perpetuò maneant, &c.* Vides quod non ex accidentibus calori improportionatis, sed ex acredine, & caloris specie pestilentem febrem agnouit, & ad obiecta, & principia sensata, & manifesta satis argumentum cognitionis reduxit, & non ad occultum venenum, aut operandi principium, quo aliquid distinctum à primis, & secundis qualitatibus producatur. Et *in fine cap.* sic reliquit scriptum: *Deprehenduntur affecti hac peste, si febrem primum percipiant, deinde si non æqualiter perpetuò febricitent, ad hæc si pulsum non habent præualidum, siquidem qui intemperiei corporis ipsius cordis comites sunt, imbecilli sunt omnes.* En rursus quod non ex accidentibus improportionatis pestilentem febrem agnoscere docet, nec malignæ qualitatis recordatur, cui grauia accidentia dicanda solùm sint, sed caloris solùm putredinosi, corpus cordis, aut humores in eo contentos afficientis meminit, hecticam pestilentem vocans, si cor obsessit putredo; & humoralem, si cordis humores: & paulò antea dixerat: *Neque iam quicquam habet admirationis, si eos pulsus, quos memorauimus, tali peste affecti habeant, nec si pestilentem respirationem, nec si omninò mortui sint, quam enim excogites medicinam ad putredinem, quæ in corde fit?* Non itaque dixit ad cordis venenum, sed ad cordis putredinem, quam irremediabilem putat, quia sit cordis putredo, & non ob aliam rationem.

Ex quibus constat, non esse differentias pulsus determinatas in maligna febre, sed variationem miram suscipere: frequentiores tamen sunt pulsus parui, celeres, & crebri magis, cum inæqualitate iamdicta, præcipuè quando instat macularum apparitio.

Non me latet multa à Galeno *in eo cap.* scripta esse difficilia satis. Primum sit, quod operationis à tota substantia in eo non meminerit, in quo de tam pestilente constitutione agit ex professo; & mirandum magis, quòd nullius accidentis veneficæ qualitati debiti recordetur. Secundum, quod tepidè, & remissè satis pestilentem febrem agnoscere doceat, dicendo; *Deprehenduntur affecti hac peste, si febrem primum percipiant, deindè si non æqualiter perpetuò febricitent, ad hæc si pulsum non habeant præualidum.* Quæ doctrina ad cognoscendam pestilentem febrem tam diminuta, ne dicam falsa est, vt nihil absurdius dici posset; nam & sentire febrem in principio, & post non febrire æqualiter, cuicumque febri putridæ conuenit; non esse verò pulsum præualidum cuicumque intemperiei morbosæ proprium est, quia nulla robur vitale auget, sed minuit potius. Tertium est, qua ratione à principio morbi vsque ad finem potuit esse pulsus tam similis naturali, in iis præcipuè qui certo periculo necabantur; vnde enim sub tam pestilente febre & desperata, euenire potuit tanta in pulsu naturalibus differentiis similitudo, & durare à principio vsque ad finem morbi? Vrget non minus, quòd sit substantia contenta in cordis ventriculis calidior est, vt febrem pestilentem creet, & eam necessariò putridam, non potuit non esse magna differentia in pulsus contractione; hæc enim ad expel-

A lendas fuligines ordinata est. Vnde etsi ob contraoperantiam cordis frigidi, & calidorum contentorum, media temperies resultet, & inde dilatatio pulsus erit naturali simillima, contractio tamen talis esse non potest, quia vrget eius finis, præsertim quando intra cordis ventriculos succi putrefiunt. Et hoc est primum principium in Galeni doctrina, & docuit expresse 1. *de differentiis febr. cap.* 11. dicendo: *Proprium verò, inseparabileque est generi febrium ex humorum putredine accensarum, contractionis pulsuum velocitas, &c.* eam verò debere apponi, & multò magis crebritatem, euidens est, si mediocre robur admittitur, vt constat ex pulsu in magnitudine moderato; vnde si debilissima facultas cum vsu aucto creberrimum pulsum creat, qualis est formicans, dabitur necessariò satis creber B cum celeritate præternaturali in contractione, si humores intra cordis ventriculos putrefiant. Vrget etiam quod in Galeni opinione tradita *lib. de vsu pulsuum*, arteriæ non mouentur propter finem cordis, sed propter finem ipsarum; vnde etsi cor ob eius frigiditatem non calefiat à succis intra illud putrefactis, partes tamen reliquæ calefieri poterunt, & per consequens arteriæ brachiorum calefactæ à fuliginibus non mouebuntur moderatis differentiis, sed debitis calori febrili; per has verò iudicat Medicus de febris præsentia: sed hæc per otium sint dicta.

Addit Mercatus, *quod interdum in primo morbi accessu apparere solet pulsus formicanti similis, paruissimus nimirum, & frequentissimus, quòd ex copia maligna grauante euenire credendum est.* Nos hanc pulsus læsionem C dum hæc scribebam, vidimus non in maligna febre, sed in tertiana duplici perniciosa ob motionem humoris in os ventriculi: durabat verò tanta paruitas cum summa crebritate per sex horas, & interdum pulsus deficiebat omninò; effugit verò periculum, quia robustissimus erat æger, complicata dysenteria cum pernicie febris. *Est etiam magna inæqualitas* (inquit Mercatus) *& aliquando intercadens pulsus, transactis primis diebus, quando nimirum maculæ prorumpunt, quod ostendit naturæ conatum, & impotentiam simul, ob quam opus integrè perficere nequit. Quæ differentiæ diuersa multò sunt ab eis quas copia sola causat; nam plenitudo solam eam inæqualitatem parere nata est, quæ inter magnitudinem, & paruitatem reperitur; maligna verò plenitudo (qualis est in hac febre) omnem inæqualitatem, & ordinis* D *perturbationem.* Quæ doctrina apertè est falsa iuxta Galeni mentem, qui omnem pulsus inæqualitatem ad vitium instrumenti reduxit, quod maligna qualitas nullatenus causare potest, vt est euidens.

Notat rursus Mercatus, quod frequenter Medici falluntur in cognitione huius febris, quod pulsus videant vehementes, & citra præternaturalem aliquam differentiam aliquando; & cùm ob dictam pulsus bonitatem, salutis spem concipiant, aut polliceantur, subitò in mortem inopinatam degenerat illa bonitas, multis adhuc signis secundum naturam existentibus; ob quod (inquit) non minus ostendit huius febris naturam talis pulsuum simulata bonitas, dum alia signa à principio malignitatem ostendunt, quàm si inæquales, & varij omninò essent pulsus. Ratio Mercati est, E quia primum humoris venenosi accessum robusta cordis natura renuit, & se ab eo expedit, ex quo pulsus actiones placidissimæ admodum apparent, verùm à secundo accessu lassata vitalis facultas primò succumbit, quia crescit veneni malitia, & plus cordi approximatur, ac subitò cor aggreditur. Loquitur Mercatus impropriissimè, nam bonitatem pulsus, & eius robur, malignitatem significare posse, absurdum est, & dictum tanto Medico indignum. Diceret melius, robori pulsuum fidendum non esse, vt salus polliceatur, si alia signa veneni, aut malignæ qualitatis æmula dentur, quia non est necesse in mali exordio omnes

potentias

potentias æqualiter in consensum trahi, poteritque cor robustissimum non succumbere in principio mali, periturum postea si malum non moderetur; tradit Hippocratem 1. *Prorrhet.* text. 17. vbi sic legitur: *Perniciosa sine signis leuantia mortem indicant.* Authoritas quidem ad rem non adducta; loquitur enim ibi author de falsa remissione morbi, & accidentium, quæ prius praua extiterant; at cor robustum, & pulsus inde constans, nunquam prauum signum esse possunt, & si in principio mali eam bonitatem habet, nullum leuamen præternaturale & falsum habere potest, cùm fallacia consistat iuxta mentem Hippocratis in hoc, quod quæ prius praua apparuerint, simulata, & falsa bonitate se ostentent, quando nulla euacuatio, neque coctio materiæ præcesserit; cessant enim, aut leuius molestant ob naturæ extinctionem, & mortem iam proximam. In quem sensum text. 22. dixit: *Sitis quæ non ex ratione in acutis soluitur, mala est*; etsi non lateat ob deliriũ sitim sedari posse, quod tam exitiosum non erit.

Ex respiratione nullum signum magni momenti sumitur à morbi principio, nisi quod interdum anhelando respirent, ob cordis oppressionem à succis in illo, aut iuxta illud putrescentibus, quod grauculens exspiratio ostendere solet, sæpe verò velut lassati respirant, quando subitò vitalis, & animalis spiritus consumptio notabilis fit, aut flatibus prauis subitò excitatis cordis ventriculi opplentur: quidam capite dolent vehementer, alij minimè, sed ventriculi morsu, & anxietate magna molestantur, cum cibi abominatione, quæ tunc præcipuè vrget, quando circa ostium ventriculi, aut partem cui nimis consentiat, focus febris habitat, maximè si biliosa causa extiterit, aut dulcis pituita putredinem conciplat. Illud verò frequentissimum est in hoc malo, quod impotentes ad motum localem statim ægri reddantur, lassati vehementer ob spirituum defectum, à quo etiam nascitur, quod interdum minus quàm par erat proprium morbum, & laborem sentiant, sintque quietissimi, & sine quærelis, vt in quibusdam animaduertimus; hebetantur enim, & obstupent sensus omnes ob spirituum diminutionem; soletque hæc tanti morbi insensibilitas aliquando delirium præsagire, quòd iam cerebrum obiecta circa quæ deliraturum est, vehementer contempletur, & alia mala non sentiat, quod indicabit respiratio si attentè contempletur; incipiet enim maior quam antea & ex longioribus interuallis fieri. Nonnullos enim maligna febre oppressos offendimus, pertinaciter asseuerantes nullo morbo teneri, & postea delirarunt, aut in insignem facultatis animalis languorem inciderunt; quidam statim cataphorerici fiunt, quando nimirum succi crudi abundant, qui à febre in vapores crassos, & humidos, ac lentos mutantur, & cerebrum petunt, aut ob peculiarem corruptionem succorum narcoticam vim contraxerunt, qualem in absynthio viridi, anetho, thure, styrace, & aqua vitæ, Dioscorides, Galenus, & recentiores conceduot; quod summè notandum est, ne perpetuò succis crudis somnolentia inexpugnabilis tribuatur. Magnum negotium Galeno fecit coma Hermocratis 3. *epid. sect.* 1. quo vndecima die molestari cœpit, non enim (inquit) succi crudi eo die in cerebrum præcipitari potuerunt in morbo qui à principio siccus, & calidus fuit, siquidem lingua adusta, vigilia, febris vehemens, sexto die æruginosa perfusio, excrementa alui combusta, totam igneam esse affectiunem corporis declarant. Non capiens ergo Galenus quomodo sub tam calida, & sicca passione succi crudi somnolentiæ authores esse possent, duas rationes veterni adduxit, dicendo: *Reliquum ergo est, perfrigerationem insignem cerebri, aut facultatis imbecillitatem, Hermocrati coma induxisse die vndecimo.* Quia verò non videt cerebri refrigerium implicare in morbo, in quo tam calida, & sicca distemperies à Galeno admittitur, vt ob eam causam crudos hu-

A mores tanquam causam soporis excluserit; à qua enim causa tantum cerebri refrigerium introductum est, non à succis crudis, non à morbo, à quo igitur est? Si dicas, consumptio magna spirituum id fecit, cùm consumptio ea à calore fuerit, necesse est quod & cerebrum calidius etiam sit, præterquam quòd si tantum frigus à dissipatione spirituum emanauit, vt inde dormiret, non constaret mente, vt Hippocrates refert; & si ob defectum spirituum coma crearetur, non esset causa distincta à facultatis languore, vt constat, nec esset somnus, sed impotentia vigilandi, aut deliquium virtutis. Galenus verò vt distinctum omninò tradit, quia inquit, *virium ac idem sit horum, extremè est perniciosum.* Quod verò debilitas coma non induxerit, constat, quia decimaquarta erat à febre liber, & dormiebat, & mente constabat, & vsque ad vigesimumseptimum durauit, quod impossibile vide-
B tur, si ob languorem virtutis obdormisceret iam in die decimaquarta. Dicendum ergo est, aut fuisse in distemperate crudos aliquos succos, à quibus sopor fiebat, præsertim in cerebro, & à calore liquati somnum inducebant, aut humorum corruptio talis fuit quod virtutem narcoticam contrahentes, somnum præternaturalem induxerunt, etiamsi calidi essent: & ab eadem causa potest causari, sentiri minus quam debere morbi molestiam à morbi initio, eritque pernicioſum præsagium; timendum enim est inexpugnabile coma.

Alij econtra dormiunt nunquam ob contrarias causas, calidas nempe, & siccas, & lassitudinem, si ob hanc vigilent securius est quia deposita plenitudine dormiit, ob distemperiem verò siccam, & calidam vigilare periculosissimum est, quia rarò non delirant quod symptoma tremuli motus, seu conuulsiui efficaciter satis polli-
C centur, vt in præsagiis videbimus iis enim deprauatis motionibus maligna febris in notescit, quamvis rarum sit à principio mali apparere, sed dum ingrauescit.

Alui excrementa miræ variationis apparent: Est frequentissimum aluum siccari, vt in omni febriente, verùm in iis minus, quòd calor remissior sit, & humiditas superfluat; semper verò graueolentia excrementorum intolerabilis esse solet, ex quo Mercatus malignitatem deducere tentat, esseque præter communes causas putredinis aliud comprincipium tanti fœtoris authorem, quod ridiculum est, cùm maligna qualitas nullam primam produceat, sine quibus nec putredo excitatur, nec fœtor per consequens, qui putredinis accidens à Galeno
D putatur. Arguit ergo fœtor extraneam corruptionem, & determinatam putredinem, cui odor ille ingratus debetur, nec minor solet esse in multis affectionibus à venenositate alienis, vt quotidie videtur in iis qui iam morti proximi sunt. In coloribus etiam excrementorum magna diuersitas datur, quædam nigricant, alia liuescunt, alia sunt erucea, alia nimis cruda, & spumosa, multa viridia, & si alui fluxio in principio appareat, summum periculum innuit: neque minus si dato pharmaco largiùs quàm pro ratione medicamenti aluus fluat, vt Fracastorius notauit; indicatur enim maligna corruptio, quam natura ferre non potest, aut copia succorum corrupto-
E rum, interdum debilitas retentricis, quæ vel leui commotione io humoribus facta retinere non potest; pessimæ verò sunt pingues deiectiones, quòd corpus colliquari significent. Dato verò pharmaco leniente ob cruda, & vitiata primæ regioois, si superabundans expurgatio sequatur, non solùm in malignis, sed in simplicioribus febribus continuis, periculum magnum timebis, si statim à tanta purgatione malum non moderetur, quod non sine honore præsagire soleo: significat enim (vt dixi) copiam insuperabilem materiæ & inimicam naturæ, aut languorem insignem retentricis, ob quem velut turgens interius natura semper molestatur, quia non retenta semper molestant, & incoctilia redduntur; molestant verò quia non retenta ponderant magis, & sic expultricem incessanter solicitant.

Similis varietas in lotio visitur: interdum tenuis, & cruda vrina percipitur, aliquando perturbata, & velut iumentorum, sæpe rubore quodam, velut bilioso saturata, cum medioeri perturbatione, cum certo exitio liuida, aut nigra aliquando apparet, certiori verò si detineatur, vt docuit Fracastorius. Id verò euenit, si ob exustionem humiditas absumatur, quod ratum est, aut quia crassitudo succorum vias vrinæ obstruat, aut quia ob prauam corruptionem in sudorem, aut maculas vertatur ad cutem reiecto sero, quod mihi minus probatur, quicquid dicat ille Author; verùm quando ob languorem attrahentis, aut expellentis lotium non emittitur, desperatus est casus. Sed quod magis mirantur Authores, est quod cum certa pernicie naturalissima aliquando appareat cum perfecto sedimento, & modo substantiæ, & colore, & hoc bifariam contingit; primò per totum morbum sic apparet; secundò, etsi in principio cruda, aut variis modis vitiata extiterit, post coquitur perfectè, & manet nihilominus æger in eodem periculo, quia morbus non minuitur, sed æquali pernicie molestat, quod mirum magis est, quam si per totum morbum cocta perpetuò obseruetur.

Circa hoc signum eundem errorem, quem in optimo pulsu Mercatus, contraxit, contendit enim ex vrinæ bonitate malignitatem arguere, velut si eius bonitas ex causa maligna creari posset, & non foret perniciosius cum signis malignitatem innuentibus, prauam, aut vitiatam esse, ergo optima vrina nihil mali significare potest, cùm incorruptos humores in locis ex quibus emanat, ostendat, quod semper est bonum. Non me latet, melius & securius interdum fore, quod lotium vitiatum esset, & in penitioribus locis putredo deficeret. Sed de hoc non est quæstio, sed quid significet vrinæ bonitas in febre maligna? & respondet, quod innuit humores in locis ex quibus emanat, inculpatos, incorruptosque esse, & perinde quod alibi sit putredo, vbi verò sit bonitas vrinæ, non monstrat, sed accidentia & læsiones partibus affectis debita quæ nun dubi, si vrinæ vitiatæ iungerentur, ampliarent ægri periculum: naturale itaque signum, nunquam enim malum vertere licet, vt fecit Mercatus. Iam ergo constat quid vrinæ bonitas in morbis febribilibus malignis significet, quando ex humorum corruptela oriuntur, nam si febris maligna sit, nullum vitium in lotio expectabitur, deficientque signa putridæ febris, & erunt diariæ tantummodò, quando verò vitiata in morbi principio apparebat, & postea cocta, malum non emendatur, pendet ex extensa putredine. Et quamvis quæ inficiebat locos, à quibus lotium emanabat, emendata à natura fuerit, non tamen quæ alios: salus verò ex totius materiæ, non ex partis correctione consequi debet, quia bonum ex integra causa. Passim etiam experimur, quod vrina cruda sit, mox coquatur, & tandem tenuis, & cruda reddatur cum magno ægrotorum periculo, quod summè notandum est, ne in præsagio salutis fallamur. Est verò eius permutationis causa, quòd portio succorum in aliis locis, à quibus lotium non exiit, non emendata vincit. Rursus naturam, & coctionem in locis à quibus vrina emittitur conseruare nequit, estque velut partialis recidiua ob nouum contagium, vbi coctrix portionem succorum emendauerat, estque facillima huius permutationis præsagatio, & agnitio; quia quando bonitas vrinæ monstratur, si rursus vitianda est, non remittitur malum, aut si remittitur quantum ad entitatem, seruat nihilominus suum prauum morem, & vt dixi, simili vt antea periculo necat, quia in aliis locis, & partibus principalibus, quæ extitit corruptio, sufficit ad interimendum; nec est improbabile quod ob periculosum de nouo humorum decubitum, vt melior vrina appareat, occasio detur, nam succi crassi, & corrupti in locis vrinæ eam vitiantibus, si alibi transponantur, melior reddetur vrina, & si eorum decubitus in partem principem natura tentet vt solet, cum meliori vrina periclitabitur. **Ob id in morbis malignis omnia signa ad** amussim inquirenda sunt, cùm non rarò videamus plurima bona ab vnico malo signo superari; omnis enim causa morborum malignorum actiuissima est, vt vel à parua portione nouum contagium timere liceat, recordantibus nobis quod in aphorismo *lib.2. aphor.19.* dicitur: *In acutis morbis non sunt omninò certa prædictiones, aut salutis, aut mortis.* Quod ex materiæ mobilitate, & incitamento molesto procedit, quo natura irritata agilem materiam de loco in locum facillimè mutat, necans si ad nobilem ab ignobili, aut liberans si à nobili in ignobiles transmittat, vt exponit Galenus. Nos addimus huic expositioni actiuitatem magnam morborum malignorum, & causarum eorundem, quæ cùm in locis non præcipuis lethalia signa non præbeant, sæpius quàm facilè in nouam materiam contagium, & ad partes principes accedens inopinatum periculum inuehit: nec me latet quam discors sit Argenterius à Galeni expositione, de quo modò agendum non est.

Mirum tamen est quanta Authores diuersi scripserint, vt idoneam rationem bonitatis vrinæ in malignis & pestilentibus inuestigarent. Conciliator terrorem naturæ accusat (velut si mente constaret) non audentis cum causa venenosa bellum committere, futurque si eius doctrina esset vera, quod nunquam vitiata appareret, quod est falsissimum. Idem de pulsu docet, simili errore, præterquam quod vrinę prauitas effectus morbi est, non naturæ, & inde etsi natura nil operaretur, vitiata appareret. Ludouicus Mercatus tradit multa, verùm improbabilia, & ad rei explicationem obscurissima. Scaligerus *exercit.32.* ideo putat vrinam optimam, & naturalem pulsum apparere, quòd venenum nondum læserit cor, velut si vrinæ vitium cordis læsionem requireret, aut sine læsione cordis febris natura constare posset in doctrina Galeni. Angelucius *lib.1. cap. vltimo*, ineptè reprehendens doctrinam Iordani, ideo bonam esse vrinam publicat, quia vitium putredinis non serum, sed humorum substantiam inficit: vrina verò serum est, non humorum entitas, quæ à sero diuersissima est: corrupta igitur humorum entitate, & inalterata manente parte serosa, lotium optimum apparebit. Doctrina quidem improbabilis, quia à tam pernicioso, & actiuo vitio (vt est pestilens) corrumpi, & tam malignè humorum substantiam absque permutatione seri intra eandem substantiam imbibiti, est miracula petere: maléque Galenus tam assecuranter doceret, esse signum proprium, & inseparabile febrium in humoribus putridis accensarum, vrinæ cruditatem, vel obscuram coctionem, si ad eius permutationem requireretur seri corruptio Et cùm tradat illud signum in omni febre putrida à simplicissima putredine orta, necesse est vt multò magis vitietur in maligna putredine, non enim potest humor corrumpi absque sui seri permutatione, aut quia similem alterationem patiatur, aut quia sibi associet semper aliquid humoris putridi; nec de contento in vrina aliquid tradit Angelucius, quod non minus quàm serum vitiatum, & crudum esse debet: inconcussa ergo assertio sit, quod si in vasis à quibus lotium emanat, putrescant humores, vt excent febrem putridam, repugnet vrinæ bonitas.

Illud verò maioris considerationis est, qua ratione Galenus tam indubitanter docuit esse proprium, & inseparabile signum febrium putridarum, vrinam crudam, aut obscurè coctã in primis diebus apparere, si in malignis, & pestilentibus putridis oppositum passim obseruatur. Nec obstat, quod quãdiu lotium optimum apparet, non sit putrida febris, sed diaria, aut hectica; contrariũ enim euidenter docent accessiones, & paroxysmi cum optimis vrinis, & diu simul durantes. Tenendum ergo est, quòd si febris putrida fit, & lotium inculpatũ omnino, humores vasorũ, ex quibus lotium trahi non potest, infecit putredo, ob quod dicebat Thomas Iordanus *tract.1. pestis, c.14.* vrinas interdum optimas, quia focus putredinis in

corde

cordc eſt, à quo renes non trahunt. Ego cum optimis vrinis a principio vſque ad finem fœminam ſolam hactenus vidi periclitari. Nec mihi placet Sennertus *lib. de febribus, cap.* 1. cuius ſunt hæc verba. *Qualitas enim illa maligna, & venenata, cùm non in putredine conſiſtat, ſenſim primò, & ſine inſigni aliqua humorum agitatione, & perturbatione cor oppugnat, vndè eius indicia in vrinis quidem non apparent.* Certum mihi eſt, quod maligna qualitas vrinam non mutat. verùm cùm non ſolùm ea detur, ſed ſucci etiam maligni putredo eſſe debeat, cùm detur neceſſariò febris putrida, non ſed ſit rationem dubio adæquatam, in quo etiam peccauit Mercatus, quia nimirum ratione ſi tam pernicioſa, & ſordida (vt Mercatus loquitur) putredo datur, non vitiat vrinam. Peccat etiam horum Authorum doctrina bifariam; tum quia datur per id quod eſt in controuerſia poſitum, tum etiam, quia non conſtat, quod putredo in malignis febribus non antecedat productionem qualitatis venenoſæ, id eſt non dubiè philoſophiæ conſonum, quia venenata illa qualitas non poteſt produci à forma bilis, aut alterius humoris naturalis, & per conſequens alia noua forma ſubſtantialis introducēda eſt à qua venefica qualitas, cui ſit naturalis, emanet. Et cùm ſit euidens, quod in malignis febribus humores media putredine corrumpantur, & nouam eam formam eorum materia acquirat, cui venenoſa qualitas, velut potentia naturalis actiua conueniat; neceſſe eſt, quod putredo maligna ſit, quia cogit formam mutare, & quòd etiam vt diſpoſitio antecedat; & indè conſtat, non eſſe traditam ab iis Authoribus rationem probabilem bonitatis vrinæ, cùm putredinem ſordidam, & malignam in ſuccis admittant, à qua ſi in locis à quibus lotium emanat, alteraretur, non ſolùm vitium, ſed magnum in eo crearet. Ob quod Anton. Portus *lib.* 1. *de peſte c.* 3. dixit, *Vrina in dicta febre aquoſa & tenuis reperitur, etſi interdum in colore, & contentis ſimilis ſit ſanorum vrinis:* hoc autem euenit, quia nocumentum non eſt in hepate, & venis, vnde naturalibus bene ſe habentibus validè cor pati poteſt.

Verùm præter dicta, quod plus malignam febris naturam oſtendit, eſt à principio morbi aliqua inutilis euacuatio tentata. De alui fluxu iam diximus, authore Fracaſtorio, quàm pernicioſus ſuo tempore fuerit; & Galenus 3. *epid. ſect.* 3. *textu* 57. dixit; *Peſtis longiſſima, quæ noſtra ætate vulgata eſt, ex iis quæ per aluum vacuantur, omnes propemodum ſuſtulit*; quod Hippocrates eodem text. retulit, tam in longis, quàm in acutis morbis. Neque minori pernicie ſudores tentantur, & malignitatem oſtendunt, ſi fœtidi, parui, inæquales, & in quouis acceſſionis tempore fiant, hoc enim vltimum magnæ perniciei eſt, cuius eſt ratio pulchra, nimirum quod in principio, & augmento acceſſionum corpus aſtrictum ſit, vt Galenus 10. *method.* & 3. *de criſibus* tradit, eo verò tempore, quo ſolet natura aſtringi, & coarctari, contrariam diſpoſitionem tentare, malignam irritationem innuit, cùm non ſolùm quæ ſolebat, non faciat, ſed oppoſitos omninò motus celebret, nulla quippe maior prauitas excogitari poteſt, ſuntque ob id pernicioſi magis in principio acceſſionum, & in augmento, & vigore minus, & minus adhuc in declinatione, quia prioribus temporibus congruunt minus. Eſtque eadem ratio de vniuerſali principio, & augmento, nulli ta nen conuenientes ſunt; ſi acuta ſit paſſio, quando materia cruda eſt, quod in omni euacuatione Hippocrates damnauerat 2. *lib. epid. ſect.* 1. *text.* 9. dicendo; *Etenim eorum qui ſtatim morituri ſunt, celeres iudicationes; etenim labores celeres, continui, & vehementes, quæ autem iudicant in melius, ne ſtatim appareant iudicatoria non iudicantia, partim lethalia ſunt, partim difficilis iudicationis, quæ tra. indicata, ſi cum cruditate iudicata ſint, recidiua, ſin minus acriſia, fuerint autem lethalia, quæ non parua*: Quæ aurea ſententia apertè iudicationes intempeſtiuas damnat, quòd intolerabile irritamentum ſignificent, ob

A quod natura ante coctionem materiæ tentat eius expulſionem, niſi ob impotentiam retentricis eueniant, quod peius eſt, & per conſequens nulla euacuatio in crudo morbo malæ ſignificationis notam effugere poteſt: nam ſi ob impotentiam non fiant, erit ob prauam ſucci corruptionem, aut magnam copiam. Si verò hæc duo coniungantur, deſperatus eſt caſus, quia prauitas vires ocyſſimè deiicit, requiruntur verò validiſſimæ, & diu durantes ad copiam ſimul, & malignitatem ſuperandam. Si verò copia ſola ſit abſque corruptione maligna, longitudinem morbi potius quam mortem ſignificare ſolet; malignitas verò ſine copia econtra, periculoſiſſima enim eſſe ſolet, quia ingens vitium arguitur, quando ſine multitudine in morborum principiis expulſio tentatur. Sed periculoſius

B non dubiè laborant, qui ſtatim ob impotentiam euacuationes tentant, quia euacuatio vſque ad diſſolutionem extenditur, cùm ſucci non contineantur, ſed velut pondere proprio præcipitentur, datúrque mutua largioris euacuationis occaſio; debilitas enim retinentis expellentem ſuſcitat, & deprauat: euacuatio rurſus retinentem effœminat, ob quod & expultrix ferocius ſuccos non retentos extrudit. Quòd ſi hæc ſatis valida non ſit, vt extra excrementa reiiciat, agitantur continuò interius, & turgent, aſſiduis doloribus ægros lancinando, donec in parte aliqua interna firmati mortalem decubitum faciant; ſin minus malignis recurſibus interius permanentibus (vt dixi) ſine intermiſſione vexantur, inquietiſſimi, an-

C xiique ſunt, vt in mortis proximis quotidie experimur, & in peſtilente conſtitutione notauit Hippocrates 3. *epid. ſect.* 3. *text.* 55. Rarum verò eſt, quod quando in morborum initiis retentrix tam debilis eſt, non copuletur aut ſuccorum prauitas, aut magna intemperies paulatim contracta retinentem deſtruens. Quod ſi expultricis debilitas ſit in principio, raro non infert mortem, quia omnia excrementa, & ſucci corrupti interius ſtabulantur, & vt dicebat Hippoc. *in text. allegato, celeres labores, continui, & vehementes fiunt*, quia quicquid corrumpitur, interius detinetur; vnde non ſolùm acceſſiones grauiſſimæ, ſed etiam eodem die ſæpius repetentes, quia breuiſſimè ad nouam repetitionem materia accumulatur ob expultricis languorem. Vidi nobilem virum, qui quarto die ſtillam

D ſanguinis habuit, ab Hippocrate *in prorrheticis*, vt ſignum pernicioſum damnatam: & in hoc morbo dum exitium pollicetur, non tardò inuenitur. Et quia in illo ægroto ob impotentiam expellentis euenit, ſepties quotidie nouis acceſſionibus moleſtabatur, cum inordinaris rigoribus, & non ſine admiratione Medicorum, & aſſiſtentium; commotæ verò materiæ magnam partem cerebrum ſuſcepit, in quo firmata, delirus obiit, erat ſenex, & ſanguinis miſſionis timidiſſimus, ob quem timorem vſque ad diem ſextum Medicos non vocauit: impotentia verò expultricis ex nullo melius quàm ex inceptis euacuationibus, & ſtatim ceſſantibus arguitur, vt in narium ſanguinis ſtilla exēplificauit Hippocrates. Eſt verò eadem ratio in omni alia euacuatione tentata, &

E diminuta, vt *in eius loci expoſitione* Galenus notauit.

Et vt ad propoſitum ſignum reuertamur, ſudor etiam frequenter in hoc morbo contingit, debilitas verò retentricis largas euacuationes concitare ſolet, ſi totius corporis ſit, quia multum eſt quod intra corpus per morborum principia retineri debet, non enim ea ſolùm quæ ſecundùm naturam ſunt, ſed & ipſa morbi materia donec concoquatur, & ſic quando collabitur, bonum, & malum abundanter deiicitur, & hoc eſt quod damnat Hippocrates *in fine textus* dicendo: *Fuerunt autem & lethalia, quæ non parua*, hoc eſt decretoria, quæ quando non decet apparent, ſi parua non ſint, lethalia erunt, quia vires breuiſſimè, & nimis deiiciuntur, vt à multitudine ob debilitatē euacuata vires confertim deficiant.

Neque inde colligaris, quod si parua fuerit excretio, redderetur morbus securus, nam excretio diminuta ob expellentis languorem, non minus est exitiosa, quàm ob debilem contentricem abundans, etsi tardius necare soleat, quia minus debilitat. Estque hoc discrimen notandum, quod retentrix debilis vtilia, & inutilia æquè indifferenter permittat fluere, & ob id extreme debilitet; expultrix verò quando vitio suo solo reiicit, nunquam expellit nisi quæ sunt nobis aliena, quia naturalia irritant nunquam, & si naturalia euacuant, est ex accidenti; aut quia in excrementis irritantibus imhibita, inclusáve sunt, aut quia materia maligna, & non emendata (quia in principio agitatur) plurimum lædat, quia actiuissima est ob correctionis defectum. Et hæc est causa ob quam periculosæ putentur iudicationes sine coctione à natura tentatæ; fit enim magna materiæ commotio, quæ quia maligna, & sine emendatione, omnes partes lædit, quia omnes praua euaporatione replentur, & magna fit spirituum resolutio: nam si in crisibus, quando coctio supponitur, tam varia, & grauia accidentia experimur, eo quòd materia, etsi iam emendata, commoueatur, quæ damna, si vitiata agitetur, speranda non sint?

Sudores ergo minuti, & inæquales in principio huius mali prauitatem innuunt, præsertim si circa faciem, & collum appareant, & frigidi, absque vllo naturæ, & morbi leuamine, & si eos horripilatio præcedat, malignior materia indicatur: est enim horripilatio sola inordinatè & intempestiuè veniens, prauum accidens, vt signum, & huic morbo familiare, ob exustionem materiæ, & eius acrimoniam, cuius halitus molestiam natura non ferens, ad eius expulsionem concutitur; & cùm rigor etiam decretorius esse soleat, sitque horripilatio paruus rigor, si statim appareat, malignum est, de quibus duobus accidentibus, & *in Coacis prænotionibus*, & *in prorrheticis* multi aphorismi traduntur. Ab eadem prauitate, & acrimonia pendet indicibilis ægrorum inquietudo, & velut lassitudine molestissima fatigari, decubitum assiduè mutantes, quos anxios Galenus appellare consueuit, ex quo accidenti venenosam qualitatem venatur Mercatus. Ratio (inquit) est, quia cùm maligna causa citra manifestam qualitatem operetur, sentiunt quidem laborantes molestiam, rationem tamen eius quod sentiunt, reddere nequeunt. Ratio quidem implicantia simul, & à ratione alienissima tradens, quia si maligna qualitas aliam manifestam non producit, repugnat molestiam inducere, & si molesta est, occulta non est, quia verè à tactu percipitur; repugnat itaque cuicumque occultæ qualitati, quod sentiri aliquo sensu possit, ob id enim occulta est, & talis dicitur: quod verò ægri tam anxij quod sentiunt, nesciant referre, aut explicare, pendet ex eo, quod non omnibus obiectis, quæ tactus percipit, data sunt nomina (quod & in gustu experimur) talis obiecta directè explicantia, & sic sentiunt illa, nesciunt tamen nominare, sed nomine solo communi molestiæ seipsos explicant. Eodem modo fallitur, quando tremorem brachiorum, si primo die appareat, in venenatam qualitatem, non in putredinem materiæ reducit; nam præterquam quod non implicat statim primis diebus tam acrem esse materiam, aut multam, vt neruos, & musculos vellicans, & grauans concutere cogat, constat planè quod nullus iuxta mentem Galenicos motus tremulos, seu conuulsiuos admittit, nisi præcedat partium concutientium molestia; & inde venenata qualitas si occulta est, molesta esse nequit, quia obiectum cognoscibile non est, sed captum omnium sensuum transcendit. Nec video quod tremores isti difficiliorem generationem habeant, quàm rigores, ij verò statim cum febribus perniciosis & acutis incipiunt, vt ex innumeris historiis ex *libris de morbis vulgaribus* liquet; & contra Mercatum stat historia Chærionis *lib. 4. epid. sect. 2.* qui tertio die tremorem

A capitis, & præcipuè labij inferioris habuit in febre maximè biliosa, & multa copia, vt in *com.* Galenus docet. Sed clariùs constat ex historia Pythionis *eodem lib. 3. sect. 2. ægroto 1.* qui primo die manuum tremore laborauit, & Galenus *in com.* docet, quod quia vires à plenitudine opprimebantur, ortum habuit manuum tremor, nullius qualitatis malignæ, aut venenosæ memoriam faciens: quinimò si sarcina humorum tremores inducit; nunquam magis quàm primis diebus apparere debent, quia nunquam sunt, quàm in illis corpora pleniora, quòd nulla euacuatio præcesserit, vt inde vobis constet maior, aut minor tremorum malignitas; quippe si statim appareant, grauantem plenitudinem arguunt, teste Galeno locis citatis: plenitudinis verò est facillima medela, euacuatio nimirum; si verò tremuli motus **B** iam inanito corpore eueniant, maligniores non dubiè putabuntur, quia & virium languor esse potest, & praua succorum corruptela neruos instigans, quorum quodlibet deterius est plenitudine.

Ego verò si liberè quod sentio, affirmare debeam, nunquam putabo à plenitudine in acutis febribus huiuscemodi tremores causari, sed à mordaci succorum natura, quæ extrauasata neruos feriens, conuulsiuè eos moueri cogit; non enim sunt veri tremores, sed conuulsiui, ad expellendum obiectum molestans, & ob id rarò non terminantur in delirium, vt ex duobus ægrotis relatis constat, quod in aphorismo Hippocrates *lib. 6. c. 16.* notauit dicendo: *Quibus in febribus ardentibus tremores fiunt, delirio soluuntur.* Galenus *in com. Quæ enim hanc febrem* **C** *efficiunt causæ in venoso genere existentes, quando ad neruos transferuntur, primum tremores faciunt, compatiente verò principio, etiam deliria*; & notat, non solùm ardentibus, sed omnibus febribus id commune esse. Quid ergo obstat vt primo die tentet natura eam expulsionem, & tremores absque venenosa qualitate suscitet? Lege historiam mulieris morosæ *3. epid. sect. 3. ægroto 11.* quæ ex cessatione conuulsionum facta fuit phrenetica.

Si omnia signa relata contemplemur, inueniemus non dari aliquod determinatum, quod proprium, & inseparabile sit malignæ febris, sed illud velut essentiale putatur, nempe quod considerato calore febrili dentur aliqua, aut aliquod graue accidens, quod calori non correspondeat: ego verò censeo, quod etiamsi à calore pendeat accidentium prauitas, erit nihilominus fe- **D** bris maligna, quia exitiosa, & mortalis. Verùm iuxta communiorem loquendi modum, quia malignitas morem sequitur, & hic vt quid distinctum ab essentia à Galeno traditur, tenendum est quod antea *in fine quæstionis 2.* diximus, & per consequens esse velut essentiale signum febris malignæ, quod dentur accidentia aliqua grauia, quæ licet periculosa sint, non tamen prima facie salutis spem adimant; ea verò debent ab alia causa diuersa à calore emanare, siue sit magna corruptio, seu excellentia putredinis, aut extensio nimia, aut cordis, aliarúmve partium principalium offensa, aut habitualis debilitas ægri, ratione cuius praua eueniant symptomata, etsi calor remissus satis sit. Ea verò accidentia non semper eandem legem, & naturam obseruant, sed varia satis sunt, vt quæ in vno ægroto mali- **E** gnitatem ostendunt, in alio non dentur, sed alia distinctissima; quod cùm experimento constet, est mihi argumentum firmissimum, quod non detur maligna illa qualitas tam celebrata à iunioribus scriptoribus; nam cùm illa sit eiusdem naturæ, tenebatur inducere semper similia accidentia, quia semper eodem modo lædit, quia eodem in specie infima corpus præter naturam disponit. Dùm lego Galenum *3. epid. comment. 3. textu 58.* quod in grauissima illa peste, in qua fuit inappetentia, & abominatio ciborum tam maligna, quod quidam mortem experiri mallent, quàm comedere, & quod fortiores, qui vim sibi ipsis inferentes cibum oblatum sumpserunt, omnes ferè superstites

fuerunt;

fuerunt; antidotum illius pestis cibi erant in mea opinione, & tam propriissimum, quod si omnes virilitec comedissent, omnes ferè liberarentur, & tamen in cibis nulla occulta qualitas contra venenum pugnans admittitur: necabat ergo illa pestis, quia materiam, & sanguinem ita viciabat, vt ex illis spiritus vitales fieri non possent, & quia ex cibis assumptis, antequam corrumperentur, creabantur spiritus, durabant ægri quovsque natura venenum superaret, si virilitec comedebant. Et mirum certè est, quod in tota narratione Hippocratis, & expositione Galeni, mentio non fiat in tam pestilenti constitutione occultæ qualitatis aut venenosæ à tota substantia operantis: & quòd nesciant iuniores tam grauia accidentia in easdem causas, quas Galenus adduxit, reducere, sed ad occultam confugiant, non intelligentes, quid sit operari à tota substan- B tia. Et quod Galenus planè docuit 3. *de præsag. ex puls.* hecticas pestilentes aliud constitutiuum quàm cordis putredinem habuisse, cùm nullius alterius causæ recurderetur, tenebatur exponere, & docere si pestis venenosam qualitatem diuersam à putredine requireret. Notabis tamen accuratè, quod si omnes ferè qui virilitec comederunt in peste illa, prauitatem eius superarunt, nullus morbus tam malignus est, quod si adæquatum contrarium illius inueniatur, non superetur: nullus enim crudelior morbus febre pestilente, & nihilominus comedentes virilitec, omnes fere euaserunt, vt constet non esse de ratione intrinseca pestilentis morbi, quod maior pars ægrotantium pereat, sed ubi id tantos perituros esse, quia ignoratur contrarium quo superari C debet, vt non sine ratione Cardanus putauerit omnes morbos curabiles esse.

QVÆSTIO VI.

De maculis in febre maligna.

COmmunissimum est in maligna febre maculas in dorso apparere, quæ cutem non eleuant, sed velut si à pulicibus vulneratum esset, se ostentant. Quæ excretio vulgaribus *tabardillo* est, & talis nuncupatur, solentque Medici vulgares, si talis excretio non sit, nec per totum morbum appareat, & aliàs æger periclitetur, causam mortis in harum macularum defectum re- D ducere, velut si earum apparitio causa salubris sit, quia foras malum eruditur; opinantur itaque sic sentientes, quod maligna febris dari, & esse certè possit, etiamsi maculæ illæ nullo modo appareant, arguitur enim aut extrema expellentis virtutis collapsin, aut densitas nimia cutis, & carnium, quæ corpus non permittit difflari, & inde omnia interius conclusa, & stabulantia excrementa ægros suffocant, & contagio omnia corrumpunt, quem defectum causant etiam, & succorum crassities, & lentor, & multitudo, & obstructionum copia: hæc enim omnia apparitioni macularum obstaculum esse possunt. Addo ego, & interdum prouenire, quòd non appareant, ob mortis breuitatem; rarum enim est huiuscemodi maculas ante se- E ptimum, aut quintum apparere, cùm mors contingat aliquando antea, iuxta Hippocratis decretum 3. *prognost. text.* 2. dicentis: *Deterrima autem febres, & signis deterrimis firmata quarto die, aut citius interimunt.*

Ludouicus Mercatus *lib.* 7. *de febribus, tit. de signis maligna febris*, tam essentiale putat, quod huiusmodi maculæ appareant, vt sine illis nullus morbus sit hic morbus. *Par* (inquit) *est, & conditio, qua morbi huius natura integratur, citra quam nullus morbus est hic morbus: non enim est, & multi falsò putant, symptomatica euacuatio, quæ potest esse, & non esse in hoc & in aliis morbis, sed verè est pathognomonicum signum, & proprium illi quarto modo, & actio naturæ qua nititur expellere, non* A *quidem morbosum apparatum (quia tunc symptoma esset) sed veneficum seminarium; & sicut rationale animali additum constituit hominem, ita veneficum contagium cuiuis febrium additum constituit hanc febrem, & eius specialissimam speciem; est enim velut forma, & integrum naturæ huius mali complementum.* Quæ doctrina falsa omninò mihi apparet, & in eius explicatione repugnantia manifestè dicit; nam morbus qui in temperamento consistit, nequit constitui per aliquid excretum, cùm hoc symptoma esse debeat, cui vt tali ratio morbi repugnat. Est verò in eius opinione maligna febris morbus compositus ex calore præter naturam, & venefica qualitate; nullum verò istorum per maculas illas potest constitui, vt est euidens; & si constitutiuum verè sunt maculæ illæ, implicat quod B signi rationem possint habere; nam vt exemplo eius stemus, rationale additum animali non significat hominem, sed est vera pars metaphysica, aut prædicatum differentiale hominis constitutiuum, non signum hominis. Dicere (vt Mercatus dicit) quod maculæ illæ apparentes, sunt prauum signum, si sunt signum essentiale, vt ipse putat, contra Galenum, & communem medicorum consensum est, docentium, quod signa essentialia morbis, nec possunt esse bona, nec mala, sed solum essentiam significant: minus verò philosophicè loquitur, & inconstanter, quando proprium appellat quarto modo huiusmodi maculas, & simul docet, quod sint constitutiuum partiale huius morbi essentiam integrans, cùm sit proprium quarto C modo quid posterius ipsa essentia, cuius est proprium, quia est propria passio essentiæ. Sed quis non videat ridiculum esse, quod maculæ apparentes in quinto, aut septimo, & interdum tardius, appellentur ab hoc authore signum essentiale morbi, quia per tot dies tale signum præcessit, & præcedit semper, taliter quòd si in primo die febris illæ maculæ appareant, signum prauum putetur, quia magnum stimulum, & acerrimum naturæ significat. Rursus si sunt maculæ illæ non pars materiæ, sed mali seminaria, ergo illæ causa corruptionis humorum erunt, & per consequens non passio quarto modo, nec pars integrans morbi essentiam. Dicendum ergo est, quod huiusmodi maculæ sunt excretionis naturæ effectus, aut feruoris interioris, & per consequens esse ex acciden- D tibus superuenientibus, & symptoma in excretis contra naturam, & eandem naturam febris malignæ morbus participabit, quamvis tales maculæ non apparerent. Ratio est clara, quia si maligna febris earum apparitionem præcedit, etsi non apparerent, esset nihilominus febris maligna, nec periti harum apparitionem ad admittendam malignam febrem sperant; & si quod talis febris sit, ex eo agnoscitur, quod dentur nimirum accidentia praua calori non respondentia, & sint innumera accidentia huius naturæ ante macularum apparitionem, euidenter constat, quod ante macularum exitum erat iam febris maligna verè constituta. Eundem lapsum Vallesius noster admisit *lib.* 10. *method. cap.* 1. *num.* 386. maculas istas pathognomoni- E cum signum appellans: quod verò tale esse non possit, vel ex eo constat, quia ante febrem soleant apparere; vt docuit Hippocrates 5. *epid. text.* 9 dicendo: *Euphranoris filio exanthemata velut morsus pulicum, exiguum autem tempus, postridie febricitauit.* In cuius loci expositione Vallesius ipse, & antecedere, & succedere apertè fatetur, & quando succedunt, significare malignitatem, quando verò præcedunt, significare morbosum apparatum, & magnum. Mercatus dicit tria huiusmodi maculas significare: Primum humorum sæuitiam, feruorem, & incendium, non ex calore coquente, sed ebullitionem, & agitationem in succis causante. Secundò significare deterrimam qualitatem putredini adiunctam, ob quam ante coctionem stimulata natura

illam reiicit. Tertium significat virium effœminationem, quæ nec resistere insultibus huius mali, nec opus inceptum perficere valent. Hoc vltimum non est perpetuò verum; quia constante satis virtute, huiusmodi expulsio celebratur, quod indicant aliæ expulsiones passim post macularum apparitionem perfectissimæ à natura tentatæ per aluum, sudorem, & sanguinem narium, aliosque abscessus, præterquam quod sæpe cum magno commodo ægrotantium apparent, imò & interdum indicatoriæ esse solent, & omninò morbum finire, quamuis id rarum sit; si verò per prauam qualitatem quam significant, intelligat Mercatus veneficam, falsum est; vnde enim, cum sine tali qualitate aliæ expulsiones à natura fiant? præterquam quod illa irritare non potest, quia occulta, vt notauimus contra eundem authorem, si verò intelligat mordacitatem stimulantem per putredinem, aut vstionem acquisitam, verum est.

Sed duplex dubium circa maculas statim insurgit. Primum cur magis in dorso, quàm in aliis partibus appareant? Secundum, vnde eueniat, quod huic sorti febris iam familiaris sit ea tam minutarum macularum apparitio, vt solius huius morbi propria esse videatur. Ad primum est communis solutio, quod arteria aorta, & vena caua dorso adhærent, & quia rationabile est in iis maioribus vasis putridos humores contineri, cùm in malignis febribus cor præcipuè patiatur, inde in dorsum magis quàm in reliquas partes natura se exonerat, & exanthematis præcipuè fœdatur. Est tamen notabile, quod in facie nunquam huiusmodi maculæ appareant, vt notauit Vallesius noster, non tamen rationem adduxit: præcipua tamen mihi est, quod aëri semper sit exposita, a quo infrigidata densatur, & repellitur faciìè, aut impeditur, ne cutem penetret quod eleuatur ex feruore interno: dubium enim esse non potest, quod cutis faciei densior sit ob perpetuam aëris frigidioris alterationem, cum quo stat, vt non omninò repugnet faciem maculari, quia nulla ratio efficax id suadet.

Secundum dubium est difficilius, quod nullus absoluit quem legerim, quia nullus id dubitauit: est tamen credendum aliquid particulare huic sorti febrium inesse, ob quod tam familiare sit, (& vt putauerunt Vallesius, & Mercatus pathognomonicum)huiusmodi symptoma: neque dissimile multum est si de morbillis, & variolis idem dubitemus. Mihi videtur, quod causa sit materia morbi ita disposita, vt pars eius in solas portiones crassiusculas apta sit mutari, quæ ob crassitiem poros cutis penetrare nequeunt; & ob id detinentur in illa, estque probabile quod pinguedinem quandam, & lentorem sortiantur, ob quæ cuti hæreant, & detersoriis auxiliis sit opus, vt euanescant. Calor itaque in materiam huius mali agens, nequit totam quam alterat, in fuligines tenuissimas vertere, quia nec calor immodicus est, vt constat, & materia ob lentorem, & fortem permixtionem, nequit in fumum tota abire, sed quædam portiunculæ crassiores corrumpuntur, & veluti iam incineratæ, & friabiles redditæ frustatim separantur, & in ea forma pelluntur: eodemque modo in variolis, & morbillis contingere, in quibus, etsi magna interdum sit febris, materia tamen eam habet dispositionem, vt nequeat nisi in determinata frustula diuidi quando interius assatur, & efferuescit. Galenus 5. *method. non longè à fine, cap.* 12. sic reliquit scriptum: *Cæterùm qui ex pestilentia hoc vitio laborarunt, propterea mihi facilè sanati videntur, quòd praexsiccatum iis, perpurgatumque totum corpus fuerit, quippe cùm euomuerint ex iis nonnulli, & omnibus venter profluxerit, atque cùm ita iam vacuati essent, iis qui euasuri erant, pustula quas exanthemata vocant, nigra toto corpore confertim multa apparuerunt, vel serosa quidem plurimis, omnibus certè sicca, eratque intuenti perspicuum, reliquias eas esse sanguinis, qui in febre putruerat, quas veluti cinerem quempiam natura ad cutem trusisset, sicut etiam ex superuacuis nonnulla trudis, &c.* Hincque constat, cur huiusmodi febres tam periculosæ sint, si talia exanthemata non appareant; nam cùm materia ipsarum eam habeat dispositionem, vt tota in fuligines verti nequeat, portiones illæ crassiores molestissimæ sunt intus detentæ, quas si natura non pellat, exitiosè laborat: fuit obseruatum in pestilente constitutione eos perire, quibus paruam, & minutam expulsionem ad emunctoria natura fuit molita. Estque summè notandus locus Galeni proximè adductus, quod cum nigris pustulis multis, & confertim apparentibus, tantæ pestis malignitatem, & ferociam ægri effugerunt, cùm soleant esse nigræ pustulæ signum omninò exitiale: credendum tamen est, quod post signa coctionis apparuerunt, quæ si præcesserint, securitatem semper pollicentur, etsi prauissimus succus expellatur: quod Galenus docuit 4. *aphor.* 12. dicendo: *Quando igitur post morbi coctionem aliquis humor vitiosus excernitur, tunc corpus à natura expurgatur, & propter hoc atra bilis, & omnis alius huiuscemodi humor, vbi signa coctionis in morbi processu apparuerint, bonam significant euacuationem, &c.* Si verò citra coctionis signa nigræ pustulæ appareant, aut exanthemata nostra, exitium significant, quia prauissimam materiæ conditionem arguunt, assatam nimirum, erodentem, & crassam, & omni vtili humiditate depopulatam, quibus coctionem impossibilem ferè facit, præcipuè quod expulsio ante coctionem tentata arguit, quod natura humores non retinet, sed valde turgens est, & inquieta, & per consequens rarò in bonam crisin eum morbum terminari posse, quia quod non detinetur, non coquitur.

Hinc constat etiam, quòd materia febrium malignarum, & pestilentium, rarò crassa non sit, quia quando putret, aut assatur, nequit tota in fuligines verti, sed magna pars in eas portiones crassiores mutatur, quæ in pestilente carbunculos, in malignis verò febribus maculas iamdictas, si foras expellatur, creat. Et hinc sumitur non leue indicium malignitatis, quia mutatur humor in tam crassas portiones, & summè putridas, aut vstas, quæ cùm difficillimè resoluantur, interna semper inficiunt, & velut seminaria efficacissimè sanguinem corrumpunt, & partes exurunt, ac colliquant, crassiorque multò putanda est causa febris pestilentis, quàm malignarum, quod indicant carbunculi febrium pestilentium, & tumores in inguinibus, & sub alis statim apparent, & inde lethaliores esse, quia crassior natura actiuior est, & emendationi naturæ, ac resolutioni plus multò resistens. Et hinc etiam patet, cur in ardentibus febribus, & aliis putridis, quæ malignæ non sunt, non dentur huiusmodi exanthemata; est enim earum materia apta, vt in fuligines quod putret, vertatur totum, & sic per poros insensibiliter quidquid pellitur, exhalat, & cutem non fœdat; quod si noteris, ratio probabilis satis adduci potest malignitatis harum febrium absque vlla venefica qualitate, & quid intelligendum sit per profundam putredinem, per quam multi ex authoribus venenatam, & malignam febrem exponunt, nihil distinctum præter putredinem profundam, aut sordidam admittentes: est enim tantæ actiuitatis causa pestilentium, & malignarum febrium, quod humorem totum secundùm partes tenues, & crassas omninò corrumpat, vnde quia quod crassum est, nequit resolui, & in fuligines verè mutari, intus manens perniciosè (vt diximus) & efficaciter lædit; verùm pestilens febris crassiorem materiam sortitur, & magis exustam, maligna verò benigniorem, & minus à natura distantem, nec tam intensa est putredo, aut vstio, & portiones ab humoribus decisæ, quæ in fuligines verti nequeunt, minus corpulentiores sunt in puncticulari, & ob id pelluntur, & vincuntur faciliùs, suntque propterea minus exitiosæ febres malignæ.

QVÆSTIO

QVÆSTIO VII.

De Præsagiis huius febris.

QVod in aphorismo dixit Hippocrates; *Acutorum morborum non sunt omninò certæ prænunciationes aut salutis, aut mortis*, nulli morborum generi magis quàm malignorum conuenit: in eis enim semper natura succorum prauitate molestatur, & extensam, malignámque putredinem ferre non potest, sicque quàm facilè decubitum periculosum tentat, aut econtrà quando oppressa, & velut succumbens videbatur, separat à partibus principalibus excrementa opprimentia, & in melius morbus mutatur. Nec obstat quod Galenus in aphorismi expositione ad materiæ mobilitatem, incertitudinem præsagij reducat; nos verò docuimus materiam horum morborum crassiorem esse, & ob id in fuligines totam resolui non posse, nequit verò quod crassum est, esse facilè mobile. Sed Galenus non dixit, nisi quod fallax sit aliquando præsagium, propter subitam in iudicatione permutationem, quæ naturam humorum morbificorum sequitur, & quia noxius humor ex vno loco ad alium transfertur: neque nos docemus quod crassitudo materiæ in his febribus tanta sit, quod motum naturæ retardet, aut impediat, quinimò ea crassitudo impediens, ne totum quod corrumpitur, fiat fuligo, est conditio aptissima, vt ab vno loco in alium materia morbi transferatur, quia cùm totum putridum sit, & ob crassitiem in fumum verti non possit, vt extra corpus insensibiliter pellatur, necesse est quod natura eius expulsionem procuret, & si extra non potest, mittit in partem internam, quam contingit esse debilem, & nouum morbum creando necare, aut econtrà, quando iam exitiosus monstrabatur, fieri securior ob eandem materiæ permutationem à loco nobili in vilem: ob hæc bonum signum est in hac febre quòd in eius principio, seu primis diebus nihil excernat natura, sed astricta omninò sit, & velut quieta; arguitur enim modestior materiæ conditio, & natura fortis, quæ non à quavis prauitate irritatur, & quietam materiam tenens eam emendat, & concoquit. Contrarias verò significationes præbent euacuationes statim tentatæ, vt iam ex mente Hippocratis docuimus, semper tamen diligentissimus debet esse Medicus motum naturæ obseruando; solet enim statim ab initio sensim in aliquam partem principem noxios humores traducere, & postea quando crisis expectatur, subitò in eam, quam primò cœperat, humores reiicere cum magno ægrorum periculo, aut continuando expulsionem magnum morbum creare: quod etiam contingere solet, quando pars aliqua interna debilis nimis est, quæ non coquens, nec expellens quod recipit ex succis feruentibus, grauatur tamen, & nouo morbo fatigat; sunt enim huiusce modi impetus omni auxiliorum genere impediendi. In quem sensum Hippocrates 4. *aphorism. text.* 33. dixit: *Sed si ante morbum aliqua pars doluerit, ibi morbus statuitur*: non solùm quia dolor excrementa ad se conuocare consueuit, sed magis quia ex dolore infirma & debilis iam agnoscitur pars, in quam aut superfluitates reiicientur, aut quod ex alia quavis occasione suscipit absumere nequibit. Contingit tamen aliquando, quod natura nullam expulsionem tentet ad extra, sed omnia excrementa interius permittens partes omnes grauantur, & longiori tempore necat, quia nec ad salutem, nec ad mortem crisim aliquam tentat, ob cuius defectum interdum vsque ad vigesimum, aut vigesimumprimum extenditur hæc febris: quomodo verò huic incommodo occurrendum sit, dicemus in curatione.

A De sudorum præsagiis tam inconstanter, & variè
Mercatus loquitur, quod nihil certum nos doceat; di-
cit enim: *Sudor etiamsi cum requisitis accidat conditioni-*
bus, & in die decretorio, rarò solet hunc affectum ex to-
to iudicare, sed primo die à sudore febris remittitur, de-
inde æger grauius laborat, & postea aduenientibus nouis
sudoribus, etiamsi in diebus criticis, in medio sudoris labo-
rans deficit. Ratio, inquit, est quia venenosa quali-
tas tam immersa est toti materiæ, vt etiamsi per sudo-
rem tenuior pars resoluatur, manet nihilominus pars
crassior, à qua facultates deficiunt, quia ex prægres-
sis sudoribus fuerint etiam collapsæ. Ego verò nun-
quam putabo, quòd sudores necantes fiant cum signis
perfectæ coctionis, & aliis optimis conditionibus, vt
dicit Mercatus; sed si necant, ideo esse, quia non
B fuit tota materia emendata, etiamsi coctio appareret,
de quo iam diximus de vrinæ bonitate agentes, cum
qua ægri periclitari solent. Vnde quod infert, si à su-
doribus non cesset febris, crassum remanere, & expur-
gandum esse statim, perpetuum esse non potest, & in-
de temerarium præceptum adducit, vt in communi
methodo curatiua febrium contra eum docuimus, &
agentes de expurgatione à nobis reperietur. Dixi verò
quod tota materia emendata non fuerit, quod bifa-
riam contingere potest: aut quia cocta fuerit in vasis à
quibus lotium emanat, & non in reliquis partibus;
aut quia respectu eiusdem humoris pars tenuior cocta
sit, non verò crassa. Quodcumque horum sit, non ce-
lebratur crisis cum optimis conditionibus, quas Ga-
C lenus desiderat, cùm præcipua sit perfecta coctio, &
quoad intensionem, & extensionem materiæ: quod si
pars crassior humoris concocta perfectè supponitur,
ad mediocritatem redacta est, vt possit expelli, nec
mortem inferre poterit, nisi de nouo corrumpatur. Ga-
lenus 3. *de cris. cap.* 3. dixit, quod etiamsi millies dum
crises fierent, interesset, neminem vidit interemptum,
qui præcedentibus coctionibus crisim habuisset.

Dicit vlterius Mercatus, experimento constare, lon-
gè vtilius esse, si frequentibus sudoribus æger à prin-
cipio inundetur (dummodo ex sudore non se habeat
deterius): significat enim quod natura materiam at-
tenuet paulatim, & per sudorem excernat, nec est
idem inconueniens, quod in sudoribus criticis quia in
iis in interuallo, inter vnum & alium sudorem vene-
D nosa qualitas firmius materiæ adhæret, & grauius
redditur malum, cui incommodo non datur locus, si
sudores frequentes sint. Doctrina quidem malè intel-
ligibilis, cum quia laudat sudores frequentes in mor-
bi principio, & damnat quos natura per coctionem, &
emendationem materiæ solicitat, contra communem
Medicorum consensum: nec mens capere potest, qua
ratione tentare eandem crisem in eadem materia sit se-
curius, si cocta non sit, quàm si emendetur prius, cùm
nihil à Galeno magis *lib. de crisibus* vituperetur, quàm
iudicium sine coctione tentatum: nec quod dicit eue-
nire inter vnum, & alium sudorem criticum, est per-
petuò verum, quia vt ipse docet quod venenosa qua-
litas inter vnum, & alium sudorem radicetur magis,
E dicam quod emendatur morbi materia, aut intensiuè,
aut extensiuè, & inde securius iudicium fiet. Incon-
stans etiam Mercatus est, nam quod de principio di-
xerat, inferius augmento accommodat improbabilio-
ri doctrina, dicendo: *Qua ratione sudores multi in au-*
gmento (vt dictum est) sunt laudabiles, eadem in statu
sunt perniciosi & eisdem frequenter laborantes moriuntur;
nam arguunt nullam, aut quamminimam præcessisse humo-
rum elaborationem, & facultatis esse maximum dispen-
dium, & similiter solidarum partium, citra qua profectò
nequit status optimum efficere indicium; quapropter lau-
dabilior est eo tempore subita euacuatio, præsertim si reli-
quis temporibus morbus fuerit astrictus. Verba quidem
omninò inintelligibilis, nam si morbus est in statu

vniuersali, quomodo sudores multi arguunt nullam, aut quamminimam elaborationem præcessisse, cùm status vniuersalis nequeat sine perfecta coctione constitui, vt nullam maiorem elaborationem in ea materia expectare liceat, cùm in doctrina Galeni sit summè cocta; quæ si talis est, non potest esse facultatis alicuius maximum dispendium ratione illius, quia est provt in morbo emendata. Docuit etiam Galenus 2. *aphor. text. 29. ad finem*, quod vitalis, & naturalis facultas sunt in vigore maximè fortes. Et quis dubitare potest, quod materiæ non emendatæ commotio grauiora symptomata quàm emendatæ excitet, & per consequens sudores frequentes, & multi, maligniores vt causa erunt in augmento, quia materia non correcta agitatur, & deprauatior natura agnoscitur, & plus irritata. Ergo per sudores euacuari seminaria contagij commodissimè puto, vt non desint Authores ante quamcumque euacuationem sudorem monentes, ab iis incipiendum m. delam. Estque de sudoribus vt de omni alia euacuatione ferendum iudicium, erunt enim optimi si conditiones obtineant ab optima crisi expetitas; sin minus, erunt inutiles, aut lethales; quas omnes *lib. 1. prognost.* doctissimè Hippocrates retulit. Illud habet malum, quod sine magno virium dispendio morbum soluere nesciant, est enim conferta euacuatio per totum emanans, & magnam spirituum euacuationem sibi allocians, nec tam commodè crassum euacuatur per illos, & nihilominus docuit experimentum epidemicas aliquas constitutiones febrium malignarum fuisse per sudores felicissimè iudicatas.

De alui fluxione eodem modo philosophatur Mercatus, vt in sudoribus: indicat enim diarrhæas salubriores in principiis, quando materia malignior est, & venenosior, quia non permittunt, vt materia tota maligna qualitate imbuatur, nec per totum distribuitur venenum; putat enim hic author (sed sine fundamento, nullum enim adducit) quod maligna qualitas non emendetur coctione, & per consequens toto tempore quo materia vt coquatur, detinetur, augebitur putredo, & venefica qualitas cum illa: inde censet securius alui profluuium, si statim à principio fiat: econtrà verò euenire si putredo magna sit, erit enim alui profluuium in initiis perniciosum, quia grauari naturam, & irritari prauitate significat: cocta verò materiâ securius est, quia cùm ratio periculi in putredine stet, & hæc coctione emendetur, fit euacuatio secura. Indè docet quod signis coctionis apparentibus, & morbo iam in statu, alui deiectio potest esse exitiosa, & lethalis, quia cùm venenosa qualitas toti materiæ immersa est, & diuturnitate iam partibus internis communicata, eisque infixa, etiamsi putridus humor excernatur, & coquatur, perit æger à qualitate maligna operante, & hoc esse experientia obseruatissimum docet. Ratio, inquit, potissima est, quia maligna qualitas coctos & incoctos humores apprehendit, & inde multi pereunt cum signis coctionis manifestis, & perfectis, vt multi euadunt, in quibus putredo magna erat, venenositas tamen moderata.

Verùm tota hæc doctrina fallacissima est, quia traditur per id quod est in controuersia positum, cùm sit probabilius, nullam dari qualitatem malignam; supponit etiam, quod venefica qualitas coctione non emendetur, quod non videtur probabile; tum quia sine putredine non nascitur, & inde videtur dispositio ad illam, & per consequens emendata putredine remittetur qualitas illa, aut deficiet omninò, præterquam quod si per coctionem inducitur forma sedimenti veri, vt Galenus 1. *de differentiis febr.* docuit, non potest manere illa maligna qualitas, quia erat potentia naturalis formæ introductæ per putredinem, quæ cùm desinat esse ad introductionem formæ sedimenti, etiam & qualitas illa corrumpetur. Aduersatur etiam Gale-

A ni doctrinæ, qui in pestilentibus febribus putridis ex nullo alio certius salutem præsagit, quàm ex coctionis signis, quod esset ridiculum si per coctionem non corrigeretur quidquid in humore malignum putatur, deberétque malignos, & pestilentes affectus excludere ab aphorismo celebri Hippocratis dicentis; *Coctiones iudicij celeritatem, & salutis securitatem significant*: quod tamen non fecit, etiamsi illud oraculum passim Galenus repetat, & tam crudeles pestilentes constitutiones viderit; & contrarium apertè insinuat 4. *aphor. text. 2.* dicendo: *Quare ab initio quidem nunquam ad bonum fiunt huiuscemodi deiectiones* (loquebatur verò de deiectionibus in pestilente febre) *ad morbos verò consistentes* (inquit) *sequuntur sæpius, natura superfluitates expurgante.* Sed & *aphor. 22. eiusdem lib.* placito Mer-
B cati perspicuè refragatur, cuius sunt hæc verba: *Morbis quibuslibet incipientibus, si atra bilis, vel supernè, vel infernè exierit, lethale.* Expendo verba (*morbis quibuslibet incipientibus*) quæ generalissimum significatum habentia nullum morbum excludunt, vt adhuc in malignis verior sit sententia, quia nulli maligniores agnoscuntur, quàm ab atra bile pendentes, in quibus alui deiectio in principiis vt exitiosa damnatur, quod luce clarius *in comm.* Galenus tradidit dicendo; *Quando igitur post morbi coctionem aliquis humor vitiosus excernitur, tunc corpus à natura expurgatur, & propter hoc atra bilis, & alius omnis huiuscemodi humor; vbi signa coctionis in morbi processu apparuerint, bonam significat euacuationem.* Turpiter ergo hallucinatur Mercatus,
C deiectiones cocto iam morbo maligno vituperando, & exitiosas censendo, si verò in principiis eueniant, laudando, cùm nihil ita ab omnibus Authoribus vituperetur, vt excretiones in principio factæ; semper enim maligni morbi suspicionem facit quæcumque euacuatio, quæ à principio assidet.

Sed quid experimento dicendum, contra quod nulla ratio valida esse potest? Respondeo, quod si coctionis signa præcesserunt, & aluus fluens ægros necauit, non fuit tota materia concocta, sed quæ in vasis, à quibus lotium emanat: quæ verò in aliis partibus concocta non fuit, necem induxit. Nec implicat quod in ipsa euacuatione, cùm nondum morbus declinauerit, quia & vires labuntur, & euaporatio maligna ex succorum commotione maior multò suscitatur, nouum contagi-
D um, nouáque succorum corruptio fiat, à qua æger periclitetur, quia nondum ad veram declinationem vniuersalem morbus peruenit, antequam etsi materia cocta sit, nunquam tutus est. Et hoc est præcipuè notandum in iudiciis febrium malignarum, vt salus non polliceatur, etsi signa coctionis præcesserint, quia aut non est concocta tota materia, aut si est in ipsa euacuatione, quæ & debilitat, & euaporatione maiori lædit de nouo, potest noua succorum corruptio euenire, à qua æger pereat: rarum tamen est hoc, notandum tamen ne in præsagio fallamur.

Vrinæ in iis febribus nullum habent proprium præsagium, quod in aliis morbis non sit, & inde communis doctrina hîc transferenda, nonnulláque à no-
E bis dicta iam sunt *quæstione de signis.* Damnat Mercatus vrinam quæ circulum habet variegatum, aut alterius coloris: rationem non reddit, nec causam talis circuli tradit. Sciendum tamen est, quod in suprema regione apparere debet, & ab aliis vocatur corona, quæ aliquando nigra, aut viridis est, non pinguedine, nec spuma, sed substantia circulo obducta ab humido substantifico per magnum calorem internum colliquata. Exitiosæ sunt vrinæ nigræ, liuidæ, & extremè tenues, vt quæ nimis graueolentes excernuntur; crassa, & nimis perturbata, & velut iumentorum, phrenitidem, aut delirium significat, ob id capiti prouidendum, nam dolere certissimum est, iuxta *aphorismum 70. lib. 4.* dicentem: *Quibus febricitantibus vrina crassa*

sunt

sunt velut iumentorum, iis dolor capitis aut adest, aut aderit; subitæ mutationes timendæ, quia succorum translationem significant, quæ perniciosa esse potest, si in partem principem fiat, de quo iam diximus, & de eius suppressione ex mente Fracastorij; semper tamen suprema vrinæ superficies contemplanda, si aliquam colliquationem ostendat, quæ iis febribus familiarissima esse solet, cui nisi diligenter occurratur, hominem absumit, & contabescacit, de quibus Hippocrates *in prognostico* dicit: Et pinguia supernatantia araneorum telis similia vituperanda, consumptionis enim sunt signa: solet in hoc malo esse vrina impensè rubra, & crassa, quæ calorem sanguinis vstiuum, & torrefacientem significat, estque satis periculosa.

De maculis multa ab Authoribus traduntur consideranda, sed tria præcipuè, tempus nempe apparitionis, multitudo, aut paruitas, vel mediocris quantitas, & calores diuersi. De tempore omnes statuunt deterius esse, si statim primis diebus appareant, quia prauior conditio, & copia magna causæ indicatur, & quò crudior existit morbus, deterior est expulsio, melior verò si coctionis signa præcesserint, & cum iis melior adhuc si in die decretorio se ostendant; frequentissimum tamen est ante coctionis signa apparere, quia rarissimum est per huiusmodi expulsionem morbum indicari, & sic experimento constat à tertio die solere incipere earum apparitionem: & cùm tam tenuis, & minora soleat esse earum corpulentia, vt iudicet clarè, non humorem, sed portiunculas reiici, inde nunquam ferè prædictam febrem indicant, in quo à morbillis & variolis differunt, quia in iis passionibus (præcipuè in variolis) corporatura tota humoris putridi excernitur, in puncticulis verò minimè, quo fit vt morbilli, & variolæ indicatoria exanthemata sint, non verò maculæ febris malignæ, nisi aliquando contingat paucam esse materiam, & totam in eas portiunculas resolui posse, tunc enim eueniet ab earum apparitione perfectum iudicium, vt omninò cesset febris, aut saltem magnopere declinet, vt aliquando experti sunt Authores. Sed id rarissimum est, & propterea vt signum semper ferè sunt malæ, quia irritamentum, & prauitatem materiæ significant, & quia earum exeretio nunquam ferè quantitati causæ febrilis proportionatur. Inde infert Mercatus, quod nisi protinus aluus erumpat, perniciosissimum sit (quod in variolis malignitatis erit signum, & ob id summè perniciosum.) Ratio, inquit, est quia vacuatio illa non satisfacit naturæ, & morboso apparatui. Quod de alui eruptione dicit, improbabile est, si semper putat eam conuenientem à macularum apparitione, & mirum quod expurgare non præceperit, vt in sudoribus fecit, si vtilem alui euacuationem iudicauit. Ratio contra Mercatum est euidens, quia apparitio macularum non habet certum tempus, sed in quolibet exeunt; quodlibet verò tempus censere aptum vt natura aluum moueat, irrationabile est, & contra mentem omnium authorum, & ipsiusmet, qui astrictionem naturæ in primis diebus laudauit. Constat verò quod macularum apparitio nequit idoneam iudicationem, nec tempus conueniens ad expurgandum præbere, præsertim quando morbus in principio, & augmento extiterit, & causa earum feruor sanguinis est: & quando feruet est ineptissimum tempus vt salubrem alui fluxionem efficere queat, quia nulla maior cruditas quàm sanguinis feruor, qui vt totam massam confundit, repugnantiam ponit vt malum à bono separari possit.

Quod verò dicit Mercatus de alui fluxu in variolis, quod sit scilicet signum malignitatis, absque vllo fundamento dicitur, cùm non arguat maior malignitas in causa, quòd per aluum excernatur; vnde enim? quin potius sæpe experti sumus oppositum, terminari feli-

A cet optimè alui fluxo superueniente, nec in alui fluxione vt signum noua malitia includitur, quin potius melior non dubiè euacuatio est, quia extra corpus reiicitur; quod si in cute reponeretur, nouum morbum crearet, & sæpè ob copiam periculosum, & magis ob malignitatem, si copiæ adiungatur; quod verò timent Authores, & metuò, est ne intestina exulcerentur, quando per illa tam maligna materia deriuatur, & hoc ad causam reducitur, non ad signum; extra dubium enim est, quod nisi exulcerationis periculum timeretur, securior esset per aluum euacuatio, quàm per carnes ad cutem, non tantùm ob dicta, sed præcipuè quia si non suppurentur benè, exitiosæ esse solent, & etiam quia retrocessus periculum est cum certo exitio, quæ incommoda si extra corpus materia pellatur, absunt.

B De quantitate docent Authores, quod multæ maculæ timore sint plenæ, vt paucæ, sed diuersa ratione; multæ enim magnam copiam materiæ significant, paucæ verò debilis, & effœminatæ expultricis sunt signum; vnde mediocritas laudatur, quia vtrumque vitium respuit: quod si iam cocta materia pullulent, laudanda est earum multitudo, quia est euacuatio critica, & id obseruauit Fracastorius dicendo; *Salubrior erat expulsio, quæ per maculas tentabatur, propter quod multò eorum euadebant, quibus largè fiebat; multi verò peribant, quibus rara, & sparsa erumpebant maculæ.* Si verò crudus morbus sit, macularum copia timeri debet, quia magnum irritamentem, & copiam causæ significat, præsertim si ab earum exitu malum non mouetur. Imponit Mercatus Fracastorio, quòd plures maculas damnauerit, paucas verò meliores vt signum iudicet.

C Contrarium constat ex verbis à nobis relatis; certum tamen esse debet, quod paucæ maculæ rarò non sint perniciosum signum, verùm si in primis diebus appareant cum robusta virtute, vt paucitas earum in expultricem debilem refundenda non sit, securiores sunt, quàm multæ in primis diebus, & sub crudo morbo, quia cùm effœminatam expultricem non arguant, ex paucitate materiæ corruptæ pendere significant: sciendum enim est, quod quando humor aliquis corrumpitur, non corrumpitur totus semper æquali prauitate, quia non semper causa partes diuersas, seu heterogeneas humoris æqualiter vincit, quia est in partibus diuersa resistentia; vnde quædam corrumpuntur malignius, illæ nimirum, quæ minus resistunt, reliquæ verò minimè, sed leuiori putredine, aut nulla. Vnde cum magna febre contingit paruam esse, aut moderatam macularum copiam,

D & optimam significationem præbere; id verò constabit ex signis, erunt enim pulsus fortiores, æquaiores, & omnia alia signa motum morbi ostendentia, moderatissima, aut pauciora apparebunt, quia paucum fuit in humore, quod malignam putredinem suscipit.

De coloribus laudantur rubræ, quia author febris sanguis existit, qui etsi corruptus videatur maiorem læsionem inducturus, quia deficit humor familiarior, & plus necessarius; quia verò facilius quàm reliqui emendatur, & coquitur, hæc bonitas, & facilitas correctionis cum eo quòd leniora accidentia inferat, defectum tam vtilis substantiæ superat; & cùm sanguinis sit tanta copia, superest sufficiens portio non læsa, ex qua spiritus creari, & partes nutriri possint. Exitiosæ nigræ putantur, quia aut in humore melancholico corruptio subiectatur,

E quia longum tempus vt coquatur requirit, & illud non concedunt morbi malignitas, & acuties, aut magnam in sanguine vstionem significat, qua atrabiliarius redditur, & insuperabilis, quia crassus, terreus, & tostus, & nimis erodens est. Vtrique causæ communis est linguæ nigredo, & vna causa ab alia distinguitur per adiuncta alia signa; nam vbi humor melancholicus in causa est, lingua sine siccitate notabili, & absque asperitate nigricat, quia solo vapo-

pore melancholico imbuitur; si verò ob assationem sanguis atrabilarius reddatur, est cum siccitate, & asperitate nigredo, quia materia siccissima, mordax est, & astringens: non sunt tam malignæ maculæ liuidæ, vt nigræ, sed sunt non dubiè nimis periculosæ, quia ex sanguinis incendio causantur, minori tamen quàm dum nigricant: loquor de liuore nigrum colorem, sed remissum æmulantem, vulgò *color pardo*, cum splendore leui, seu remisso, qui si cum virore mixtus percipiatur, vstionis est certius signum, vnde violaceæ maculæ prauæ etiam sunt, pallidæ securiores, quia minus incendium significant; tamen ne obliuioni tradatis, quod quando tempus apparitionis instat, antequam erumpant maculæ, plurimum ægri anguntur, delirant, & somno graui solent teneri, quia commotio humoris viscera lædit, & caput replerent vaporibus sanguinis crassioribus, a quo hoc malum semper creatur.

Hic dubitari potest, si pituita malignè putrescat, quæ macularum species, aut quis color sit expectandus? Existimo quod cutis inficietur maculis furfuraceis cum quadam inæqualitate, & asperitate albicantibus, hic enim modus inficiendi pituitæ vstæ debetur, quando in tenues portiones diuiditur: est autem omnibus maculis communis pernicies, si retrocedant subitò euanescentes; significat enim quod externæ partes rursus intro peccantem materiam reiecerunt, & quod internæ recipiunt materiam expulsam, non quidem eædem, quæ prius cutem macularunt, cùm sint non dubie fortiores: recipiunt ergo aliæ partes internæ à quibus expulsio ad extra facta non fuit, nisi probabile putes internè viscera debiliora partibus externis reddita fuisse, quod erit desperatum præsagium: sæpè euanescunt omninò particulæ absque retrocessu, quod etiam malignum esse solet, quia ex debilitate magna expultricis oritur; nam quia expulsio non continuatur, resoluitur tamen quod expulsum fuit, immaculata cutis apparet.

Aliud signum perniciosum satis has malignas febres comitari solet, tremuli nimirum motus brachiorum; significant enim materiam acrem neruos offendentem, & quod periculosius est, phrenitidem, aut delirium præsagiunt, iuxta Hippocratis oraculum 6. *aphor*.16. dicentis: *Quibus in febribus ardentibus tremores fiunt, delirio soluuntur*; de cuius sententiæ intelligentia longissimè *cap. de ardente febre* egimus, modò satis sit dicere, quod capiti timendum maximè est, quando huiusmodi signum apparet, quia vt docuit Hippocrates, soluuntur delirio; sed de his motibus particularem tractationem in vestrum commodum, si liceat per tempus, vobis offero libentissimè.

Est etiam periculosum, si secta vena sanguis purissimus extrahatur, & omninò inculpatus; duo enim Mercatus colligit ex eius bonitate. Primum quod affectio plus venenositatis, quàm putredinis habeat. Secundum, quod putredo iuxta cor stabuletur, à qua regione non facilè per sectionem venæ sanguis educitur. Primum est omninò falsum, quia cùm febris necessariò putredinem requirat, nunquam sanguis inculpatus apparebit, si ex locis in quibus corrumpitur, extrahatur, nec quod sit minus putridus, quàm venenosus, deterius est, si venenositas non est maior, eo quòd sit minus putridus; difficilius enim maiorem putredinem cum eadem venenositate vincit natura, vt per se notum est. Vnde secunda ratio est rationi conformis, licet non semper, quod sit iuxta cor humor malignus, colligere liceat; sunt enim aliæ partes, quæ non facilè secta vena exonerantur, præsertim si in prima regione focus putredinis sit. Constat itaque quod putridus sanguis reconditus est in locis cum vena quæ secatur non communicantibus, & inde augetur periculum, quia non extrahitur peccans materia, & educitur bonus, necessariùsque sanguis, & vires deficiunt; excipiendus est ab hoc præsagio error in sectione venæ, sæpè enim ob culpam chyrurgi, aut ægri timorem bonus extrahitur, quin reconditus prauus sanguis sit; si verò sanguis attenuatum solus putrescat, non erit mirum quod bonus venarum extrahatur, quod etiam malignum est, ob nimium cordis consensum, & quia intensissimæ solent esse febres, & causa corrumpens actiuissima.

Surditas ambiguum est signum, vt *cap. de phrenitide* docuimus; constat enim ex historiis *de vulgaribus morbis*, quosdam cum hoc signo euasisse, alios è vita discessisse, quod nos experti sumus; & etiamsi statuant alij à toto genere esse salubrius signum, & plures liberari, quàm mori, hoc tamen habet formidolosum, quod humor surditatem causans, cerebro tam proximus est, & nunquam magnam copiam succi expulsi significat; verùm quia pauca, si iuxta cor existebat, aut in cerebro, magnam læsionem, si ibi duraret, erat effectura, salubre signum esse potest, etsi moderata expulsione causetur. Est interdum signum fluxus sanguinis per nares venturi, interdum parotidum, aliquando delirij. Et quia signa dubia (vt sæpè dixi) ex adiunctis quid significent venandum est, si surdus æger reddatur, diligens Medicus contemplabitur, si aliqua signa, aut accidentia mala surditatem præcedentia mitiora sint, aut cessauerint; nam tunc velut crisis eorum surditas habenda est, & inde securior putatur, quando post praua signa apparet, si verò ante illa detur, formidolosior, & minus secura putatur: cerebro enim insidias parat, aut moueri in ipsum humorem significat, cuius portio neruos auditorios, aut sensus organum offendens, ibique manens, surdum ægrum reddit, propterior tamen distinctio est ex signis coctionis, vt in omnibus aliis crisibus, & abscessibus; si enim statim surditas appareat cum signis cruditatis, prauum signum erit; si verò cocta iam sit materia, optimum erit. Lege Zacutum *lib* 1. *dubio* 4.

Huius symptomatis, & macularum, de quibus iam diximus, mentionem fecit Hippocrates 2. *epid. sect*.5. *text*. 3. secundùm diuisionem nostri Vallesij: est verò narratio Hippocratis vtilissima, & notatu digna, sic habet; *Superueniebant autem in æstiuis febribus, circa septimam, octauam, & nonam, asperitates in cute miliaceæ, culicum morsibus maximè similes, non admodum pruriginosæ, hæ persistebant vsque ad indicationem, nulli autem viro vidi has floruisse, mulier autem nulla mortua est, cui hæc accidissent: auditu erant graui, & comatosæ, prius autem non valde erant comatosæ, quibus futura erant*. Ex qua dictione constat primùm, quàm salubre signum sit tardius apparere huiuscemodi maculas, vt antea docuimus, quippe septima, aut nona, aut octaua die apparuerunt, quibus saluabantur omnes, eo quòd iam coctionis signa præcesserant, & per consequens erant iudicatoriæ illæ maculæ, durabant enim donec perfectè morbus iudicatus esset, & indè non semper apparent symptumaticæ, vt in huius loci expositione Vallesius putat: Constat secundum, quod & mirum est, viros scilicet huiuscemodi efflorescentia fœdatos non fuisse, sed fœminas solùm, cùm tamen omnes simili epidemica febre, viri inquam, & fœminæ, afficerentur, alioqui non narraret illud Hippocrates tanquam singulare, & notandum: nam si diuersa specie febris viri quàm fæminæ affecti essent, & narrarentur seorsim, & non miraretur quod viris non accidisset ea efflorescentia, præterquamquod ipsa narratio id apertè ostendit, cùm sine distinctione aliqua de omnibus ægrotantibus tradatur. Cur verò fœminæ solæ talibus maculis fœdatæ fuerint, pendet ex eo quod cute densiore sunt, & minus calidæ, & causa eiusdem morbi crassior non dubiè. Primum facit, vt minus penetret quod ad cutem reiicitur, & propterea in ea reponatur,

natur : quod sint minus calidæ facit quod minus succos extenuent, & crassiori forma pellantur, ad quod conducit maior etiam causæ crassitudo, extenuationi, & commutationi in fuliginem magis resistens, quæ cùm in viris non sint, eo superueniente symptomate affecti non fuerunt, sed tam validè succi extenuabantur, vt extra corpus in modum fuliginis pellerentur. Accedit quod expultrix fœminarum, vt in eius loci expositione dicit Iacobus Esteue, debilior est quàm in viris.

Hic sunt notanda duo. Primum, quod idem morbus sine exanthematis in viris erat, & inde (vt docuimus) non potest esse signum essentiale. Secundum, quod in ea constitutione cum illis periculis nulla fœmina mortua fuit, quia vt dixi, iudicatoriæ erant; surdastræ, & grauis auditus absque periculo mortis ob eandem rationem: dicit verò Hippocrates, quod maculæ illæ non fuerunt valde pruriginosæ, quia latæ sine altitudine erant, & inde ventilantur, & moderatur acrimonia. In quem sensum dixit Hippocrates *6.aphor. 9. lata pustula non admodum pruriunt*. Galenus *in expositione* dicit. *Ob duplicem causam lata pustula non admodum pruriunt, difflantur enim in latitudinem extensa, & humorem ipsas facientem minus acrem habent*, quia calidi humoris proprium est in acutum terminari, eo quòd in ipso ignis præualet, qui si materiam obsequentem habeat pyramidalem figuram semper induit, & sic fastigiatum, non verò latum tumorem creat: quod Plato notauit, & indicat flamma. Addo ego, quod maculæ istæ tam paruæ molis sunt, vt repugnet magnum pruritum inducere, ob quantitatis defectum, cum quo & ignis actiuissimus omnium, lentè & remissè operatur: de latis pustulis non admodum pruriginosis agitur *6.epid.2. in historia Simonis, text.30.*

Tandem ex differentiis malis aut bonis vitalis facultatis, & animalis, magna indicia capiuntur ad salutem, vel mortem prædicendam, & inter signa animalis facultatis, magni momenti est respiratio bona ad salutem, quia vt *in prognostico* dixit Hippocrates, habet valdè magnam vim ad salutem in morbis acutis. Ratio est, quia cor non patitur multum quando respiratio bona est; econtrà verò si multum lædatur respiratio, graue signum est ob contrariam rationem. Illud verò accurate notabis quando brachium vt pulsum explores petatur: in morituris enim, postquam illud subleuauerint, subitò concidit, velut si inanime sit, quia pondus illius facultas animalis tolerare non potest. In summa cùm nulla facultas maligni morbi communis, qualis est febris, prauitatem effugere possit, omnium facultatum symptomata, aut eorum carentiam attentè contemplabuntur à Medico, vt hanc febrem statim agnoscat, ei breuissimè occurat, & præsagia proferre possit; nec est leue mortis præsagium, quando tardè huiusmodi malo occurritur, quia vt Tralianus *lib.7.cap.14.* notauit; *Si dilatio in omnibus morbis acutis nociua est, in exitiosis nequit non esse mortalis.* Est morbis malignis propriissima quædam fallacissima accidentium remissio, non ex bonitate, sed ex maiori malitia proueniens, quando nimirum iam facultates incipiunt extingui, de qua peculiaris sermo incidet inferius, & eius meminit Hippocrates *2.aphor.17.* dicendo; *his qui ob iniustam causam leuius se habent, non oportet fidere, &c.* quod semel dictum sit, vt in præsagio Medicus non decipiatur, & est singulare exemplum historia Hermocratis, vt à Galeno exponitur *3.epid. sect.1.text.8.*

Ex motibus conuulsiuis adducenda præsagia. Dantur continuæ febres, in quibus ægri vigiles omninò sunt, manent tamen quieti sine vlla querela, nullo modo loquentes, nisi interrogentur: quibus si pulsus contrectetur, contrahunt statim manus, velut fugiendo contactum, & fugiunt tremulè velut vitæ periculum

A timentes, eos omnes valedixisse rebus vidimus; infinitos sic vidisse narrauit Doctor Petrus Pachequos Rinetio amico suo *obseru.64.*

DISPVTATIO III.

De Curatione Febris maligna.

QVÆSTIO I.

A quo sit incipienda curatio.

B MIROR certè quod Sennertus contra communem omnium opinionem, triplicem febris malignæ naturam constituat; vnam pestilentem propriè, aliam vocat malignam, & rursus aliam describit *lib.5. de febribus, cap.13.* cuius titulus est *de febribus petechialibus*, quæ propriè nostro tabardillo correspondent, & in curatione harum à pestilentibus, & malignis quodammodo euariat. In petechiis, seu petechialibus ab exhibitione expurgantis medelam incipit, mox sanguinem mittit, deinde sudorifica præbet; in pestilentibus verò & malignis econtra à sudoribus incipit, & mox ad alia auxilia pergit. Miror in primis, quod tria membra malignarum febrium constituat, cùm hactenus C Medicorum scola pestilentes solùm, aut malignas, aut ex simplici putredine solùm pendentes agnouerit; & mirum magis, quod cùm in triplici illo membro malignitatem, & qualitatem veneficam tam planè admiserit, non admittat eandem medendi viam. Nos verò qui malignam illam qualitatem difficilè admittimus, quæ actiua sit, & aliquid à primis, aut secundis diuersum producere possit, quod nos offendat, quin potius à tota substantia materiam harum febrium esse nobis inimicam passiuè magis quàm actiuè asserimus, & ob id securiorem esse medelam, quæ alias indicationes febrium putridarum exequitur, aut non liD ceat propter id quod est in controuersia, & sub dubio medelam variare. Seruata ergo communi methodo de cruditatibus ventriculi, & rursus si causa mali in prima regione contineatur, quæ omninò mittere sanguinem dehortantur, cruditas quidem vt conditio, sine qua non, hoc est primò indicat auferri, quàm mittatur sanguis, ne trahatur crudum ad intra, & quod in prima regione manet, difficilius coquatur; si verò mali tota radix in prima regione sit, nonquam licet venam secare, quia nullius commodi est ad mali minorationem, & magna sequuntur incommoda, tractionis nimirum succorum corruptorum ad intra, & inde sequitur humorum vasorum infectio, & duplicatur febris: aut fit malignior, & prima febris deterior redditur, quia debilitata natura ab auxilio amethodè, E & sine necessitate facto, necesse est humores minus posse emendari, & augeri putredinem; at si contingat eadem labe excrementa, aut humores primæ regionis, & secundæ simul fœdari, est primò occurrendum primæ regioni ob causas dictas, deinde secundæ, nisi planè constet febrem à secunda regione creatam vigere; id enim interdum contingit, & cogitur Medicus venam secare ob vehementiam, & prauitatem accessionum secundæ regionis. In quo casu est celebre nostri Vallesij præceptum *4.method. cap.2. fol.33.* nimirum quòd à missione sanguinis clyster infundatur, quo impediatur recursus ad intra, & excutiatur quod primam regionem inquinat, etsi doctrina eius in posito casu non tradatur: neque clyster iniiciendus post missum sanguinem tollit necessitatem illius qui præcedere

cedere debet, nam in posito casu vtroque indigemus, & in acutis passionibus aliis. Et quod nos diximus, non solùm habet locum, quando putredo secundæ regionis vrget, sed multò magis quando interna inflammatio vitio primæ regionis copulatur. Verùm hæc exercitato Medico egent, qui & vitia vtriusque regionis agnoscat, & quod vitium secundæ plus vrgeat, & antequam venæ sectionem imperet, vitio primæ regionis quantum fieri possit, satisfactum iam sit; nam cùm hæc complicatio venæ sectionem impediat, est primæ regioni breuissimè occurrendum, & quod in secunda est vrgere satis debet, vt vena secetur. Est verò diligenter inquirendum, ne malum primæ regionis à vitio secundæ erectur, nam in hoc casu praxis adducta imitanda non est, sed secundæ statim occurrendum, quæ cùm pars transmittens planè sit, si eam deoneremus vena secta, vtrique parti magnum commodum afferemus. Ergo quod diximus, solum est imitandum, quando vitium vnius regionis non pendet ex alia, sed quælibet propria excrementa creat, illaque vitiat, & febres complicatas, & confusas, aut symptomata omninò diuersa suscitare solent, de quo documento habetur historia celebris 3. *epid. sect. 2. text. 7.* in qua mulier illa cum ardente febre habuit aluum perpetuò liquidam cum deiectionibus multis tenuibus, & crudis, & vrinas tenues, & paucas. In cuius expositione sic Galenus loquitur: *Par est, aut huic mulieri in toto corpore collectum fuisse biliosum humorem, in primis autem venis, meseraei scilicet, & sima hepatis cruda fuisse contenta. præterea, & vrinas* (ait) *fuisse tenues, & crudas similiter, crudis deiectionibus, crudis redundantibus humoribus, non in primis venis solùm, sed in gibba hepatis.*

In hac ergo complicatione communis praxis est, dare statim medicamentum expurgans, quod leniens magis sit, quàm catharticum, ne humores secundæ regionis ad secundam violenter trahantur, & eius vitium geminent, fiatque simul in succis secundæ regionis commotio magna, si quantùtque commoda tantopere prædicata, si succi crudi expurgentur; quo facto roborandus ventriculus, & assiduis clysteribus venter inferior solleuandus; sic enim celerrimè vitio primæ regionis occurritur, & venæ sectio à vitio secundæ indicata securius celebratur. Circa quod peccauit crassissimè Sennertus *loco citato*, indifferenter omnes laborantes febribus petechialibus antequam venam secet, expurgando, nec minus quod medicamenta cathartica imperet, & præcipuè rhabarbarum, cùm nihil minùs quàm illud vitiis primæ regionis conueniens esse soleat, cùm constet planè causam frequentiorem in prima regione crudos succos esse. Est itaque extra controuersiam, quod si in prima regione malum non sit, perniciosè statim expurgatio imperetur, cùm corpus plenum sit, & obstructum, humores crudi omninò, & viæ non præparatæ, & indicationes ad mittendum sanguinem vrgeant: estque non dubiè praxis Sennerti contra communem antiquorum Authorum consensum docentem, cruda non tantùm non expurganda, verùm nec alio motu locali agitanda in morborum principiis, *aphor. 22. 1. sect.* vt Hippocrates, & Galenus docuerunt, & alibi millies; & quod si morbus egeat sectione venæ, & expurgatione, sit primò secanda vena, pòst expurgandum.

Contra hanc communem praxim de expurgatione humorum primæ regionis egit Massarias celebri illa *quæstione de expurgatione in morborum principiis*; vbi *ad finem* ferè *quæstionis* Fernelium reprehendit, quod à loco in quo humores continentur, sumat indicationem ad expurgandum crudam materiam, & inter exempla Fernelij adducitur, quando materia in prima regione continetur: habetur sententia Fernelij *lib. 3. method. cap. 12.* vbi scripsit: *At primum si vitiosus, corrupiusque humor, aut in ventriculo, aut circa hunc consistere signis deprehenditur, siue pituitosus, siue biliosus, siue alio quouis præter naturam genere corruptus sit, primo quoque tempore expurgandus est, præsertim si impetu quodam sponte mouetur, nec locis illis tenacius adhærescit, alioquin leniter est præparandus; eius verò concoctio nequaquam expectanda, vt quæ propriè futura non est, nec eius ab vrinis mutatio quærenda. Qui autem vitiosus humor altius, aut in liene, aut circum pancreas, atque iecur, aut in mesenterio conditus erit, siue lentam febrem, siue intermittentem, siue melancholicam, siue diarrhæam, siue cachexiam, siue ingentem obstructionem protulerit, protinus quoque detrahi potest, nisi aut admodum lentus, crassusque sit, aut ventriculi impuritas obsistat; hæc enim cùm adsunt, primum quidem leniter detergendus est ventriculus, deinde attenuandus, ac detergendus humor, postremo, aut vniuersè, aut partitò vacuandus.* Hactenus Fernelius, contra quem Galeni affert doctrinam 6. *epid. sect. 2. text. 33.* quæ mihi videtur conformior opinioni Fernelij, quàm Massariæ. Verba Galeni sunt; *Id vero modum significat, quo euacuationes facimus, vt in iis quæ in ventre sunt per clysterem, per glandulam, per subducens medicamentum, & in singulis horum per quædam certa; nam & clysteres, & glandulæ, & subducentia vocata medicamenta multiformiter componuntur, &c.* Locus itaque intra quem humor vacuandus continetur iuxta Galeni mentem, medicamentum determinat genericè, hoc est clysteres, aut glandulas, aut expurgantia medicamenta, & quæ intestina inferiora molestant, per glandulas, aut clysteres, quæ verò regionem ventris superiorem, per expurgãtia melius educuntur, aut per vomitum. Constat verò ex *titulo cap.* Fernelium supposuisse quod humores expurgatione egeant, & tunc docet quod si humores circa ventriculum, & alias partes primæ regionis molestent, sint statim euacuandi; quia coctio in eis expectanda non est, nec mutationes eorum ab vrinis petendæ sunt; hoc est vrina non ostendit mutationes excrementorum, aut humorum primam regionem obsidentium. Si primum Fernelius ostendisset, nempe quod sint incoctiles, probabile satis fundamentum erat pro expurgatione statim facienda, sed id nec fecit, nec insinuauit, nec inuenio aliquam probabilem rationem: sunt verò multa hinc expurgationem in nostro casu suadentia. Primum quod præsentia eorum in dictis partibus impediat auxilia debita malo secundæ regionis, quod malignum fieri potest, si ei statim non occurramus. Secundum, quod distribuentur non dubiè ad vasa corporis, & secundam regionem, quod est magnum incommodum, ob corruptionem quam vniuerso sanguini possunt inferre. Tertium quod alimenta corrumpunt chylum præcipuè, vnde cacochymia augetur, corpus non instauratur, & ventriculo incommodant ob affinitatem, & non rarò molestissimas anxietates afferunt, quod ventriculus, & venter inferior sensiles nimis sint, & corruptos humores anxiè ferant. Audiatur Galenus 2. *aphorism. text. 10.* de corruptione alimentorum agens; *hoc verò* (inquit) *præcipue fit, quando ventriculus quibusdam humoribus vitiosis plenus extiterit, &c.* Est etiam quando prima regio vitiosis humoribus molestatur magna inappetentia, præcipuè si ventriculo proximiores sint, & tandem cùm contineantur in viis tam capacibus, & aluo inferiori, per quem vel leuissimo motu facilè educuntur tam proximi, non licet eos ibi permittere, sed leniente medicamento, aut seligente, seu ex lenioribus statim educere conuenit, præsertim in nostro casu, in quo vitium secundæ regionis complicatum admittimus.

Hæ sunt rationes expurgationem suadentes ex ratione loci; in quo humores vitiati contineantur, quæ nullo modo succis in secunda regione contentis conueniunt: ij enim vt educantur vehementius medicamentum exposcunt, per vias arctissimas trahuntur, magnáque

guáque non solùm in ipsis, verùm & in sanguine vniuerso commotio, & agitatio, vt separentur, suscitatur, & per vias longiores attracti, plus euaporantes viscera offendunt, estque maior non dubiè incertitudo expurgationis, quo per vias longiores, & magis occlusis humores educendi sunt: quæ omnia si considerentur, & Massarias aduerteret, prærogatiuam quam habent excrementa primæ regionis, vt statim educantur, non verò secundæ, facilè inueniret; hi enim præter dicta sanguini, & reliquis humoribus admixti sunt, & sic difficilius educuntur; qui verò in prima regione stabulantur, separati à sanguine sunt, & sic & facilè, & absque periculo educuntur. Incommodum verò quod Massarias timet de attractione nimia succorum totius ad ventriculum, & primam regionem, nullum est, si detur medicamentum leniens ex leuioribus attrahentibus: & nos in hac praxi supponimus, quod excrementa, & humores corrupti primæ regionis expurgationem ob copiam requirant: nam si moderati sint, clysteribus educentur, inediaque absumentur facillimè, vt opus expurgatione non sit; negare tamen non licet quod temerariè Fernelius docuit, esse statim expurgandos humores, quando ingentes obstructiones patiunt, est enim perniciosum præceptum, quia medicamentum eos educere non poterit eo ipso, quod tam magnas obstructiones creant, & trahuntur ex aliis partibus ad eam regionem, quam cùm tam obstructam inueniant, penetrare non poterunt, & ibi inculcati, aut inflammatio, aut aliud graue malum emerget, longáque præparatione opus est, vt humores magnas obstructiones causantes educi vtiliter possint medicamento expurgante.

Medicamenta securissima in dicto casu propinanda sunt: Syrupus Regius, aut solutiuus ex rosis Alexandr. cum decocto pugini, aut florum cordialium, quibus aliquid catholici, si opus sit, addere licet, aut rhabarbari, vel agarici modicum, si pituita, aut bilis in copia sint. Est etiam optimum medicamentum manna, si antiquata non sit in aere auis dissoluta, aut in lactis sero, & si nimis debilis agnoscatur ventriculus, est optimum auxilium in vnciis tribus serap. ex nouē infusionibus, ros. Alexádrinar. ℥.ij.ß. & decocti pugioi sine speciebus iniicere, aut ʒ.ß. rhabarbari in substantia, aut ℈.ij. sit verò rhabarbarum recens, quia mirè roborat. Est adductus casus ex grauioribus nostræ artis, tum ratione expurgationis in principio, tum ratione cognitionis abundantiæ excrementorum in prima regione, quæ ex venis totius communicata non sit, sed in prima sint accumulata, cujus cognitio non solùm ex perseuerantia accidentium in prima regione, sed ex vita anteacta, aut debilitate illius regionis præcipuè agnoscenda est: quippe si præcesserit inordinata ratio victus, & aliqua debilitas contracta supponatur, vt est frequentissimum, probabilissimum est primam regionem excrementis esse refertam, quæ prius quàm vena secetur, euacuanda sunt, deinde roborandus ventriculus, mox secanda vena, vt vitio secundæ occurratur. Quod si ex vrinæ bonitate constet, quod in secunda regione virium, aut corruptio non sit, eadem methodus seruanda quantum ad expurgationem, & roborationem: deinde verò assiduis clysteribus detergentibus, & recipientibus medicamentum aliquod expurgans iuxta ideam succi peccantis: venter solicitabitur, & concoquentibus, attemperantibusque syrupis correctio prauorum fiet; nunquam vena secanda in hoc casu, in quo plurimos errare, & non sine magno ægrotorum periculo, sæpè enim morte vidi, qui etsi agnoscerent esse in prima regione corrupta excrementa, & statim expurgarent ob dictas rationes, cùm tamen tota radix mali in prima regione esset, & per primam expurgationem causa tota ablata non fuisset, & accessiones repeterent, venam secantes dicta pericula, & mortem causarunt.

Si verò in prima regione vitium, aut cruditas non sit venæ sectionem impediens, secanda statim vena est, quia nullum celebrius auxilium ad compescendam putredinem, & curandas febres putridas hactenus inuenit Galenus, de cuius vtilitatibus multa in communi methodo adduximus: de quo auxilio tam ignoranter agit Iulius Palmarius *c.23.* vt integer liber necessarius foret, si quæ *eo capite* tradit, examinare, impugnareque liceret. Hinc Crato *lib. 5. cons.* 58. controuertens de sectione venæ in pestilente febre acriter impugnat: est semper secanda vena basilica, seu interna brachiorum, nisi statim à principio mali ingens dolor capitis molestet; tunc enim communis vena secanda, quia aut plenitudinem cerebri arguit, aut multum ex toto recipere, quod resoluere nequit; non decet verò tam no-B bile membrum, cuius plenitudo grauissima mala machinatur, sine auxilio relinquere. In fœminis verò menstrua euacuatio semper in consultatione trahenda, quæ si defecerit, aut minus euacuauerit, aut iam instet, in talo secabitur vena iuxta mensuram sanguinis suppressi, aut diminuti, aut quantitatis, quam naturaliter euacuare solet, deinde ad brachia veniendum; dixit enim Galenus 4. *de victus ratione in acutis, text.* 24. venam internam velocissimè & multum à partibus principalibus euacuare, & ob id in acutissimis morbis eam secat Hippocrates: estque extra dubium, quod quando huiuscemodi auxilium requiritur, quantò maturius, & citius celebratur, tantò magis pericula præcauet. Et cùm hoc malum graue sit, & causa eius actiuissima, aut breui contagium per totum corpus communicetur, & distribuat, raró non pereunt, quibus tardè se-C cta fuit vena: quod non tacuit Fracastoreus euenisse, quando morbus hic grassari cœpit; cùm enim febris tam remissa se ostenderet, auxilium differebatur, postea verò malo vehementer aucto, & exitialibus accidentibus ægros opprimentibus, vena secabatur, à qua deterior morbus apparebat, quia iam ingens corruptio, & nimis extensa totum sanguinem infecerat, ratione cuius tam magnum auxilium non sustinebat vires, & ab eo vehementer cadebant; iam enim ingens erat cacochymia, & vnde vires instaurarentur, nutrireturque corpus, paucissimum erat, indéqua inter medicos illius temporis magna fuit discordia, & altercatio, si in malignis febribus secare venam liceret, fuitque multorum opinio pars negatiua; verùm quod diximus, sequendùm est, quando malignæ febres non dependent ab aëre prauè disposito; si verò pendeant, quid tenen-D dum sit, docebimus.

Quia verò in præsagiis diximus, esse prauum signum, quod secta vena probus sanguis appareat, arguit enim reconditam putredinem, notat Mercatus, quod si secta vena, naturalis & inculpatus sanguis appareat, non desistat Medicus à tali auxilio, sed repetenda venæ sectio ter & quater, donec extrahatur aliquid eius quod est in minera, & vitiatum. Ego verò existimo altius id considerandum esse, nam si non repugnat quod vitium succorum sit in ambitu corporis, & in tertia regione, aut saltem in venis cuti externæ proximis, non caret temeritate sanguinem mittere, & auxilium, vt docet Mercatus, ter & quater reiterare, eo quòd naturalis sanguis appareat; cùm necessarium sit in hoc casu vitium externorum vasorum intro recurre-E re, & malignior, & lethalior non dubiè morbus reddetur; ob quod soleo ego quando sanguis perfectus extrahitur, & certum mihi est in prima regione malum non esse, antequam toties sanguis extrahatur, cucurbitas aliquas scarificare profundè, & si corruptela humorum in sanguine attracto appareat, venam non seco amplius, sed repetitis cucurbitis scarificatis, & frictionibus, & inunctionibus laxantibus, & extra attrahentibus, totam curationem, & satis feliciter perficio, moderatum somnum permittendo, & acida, & exsiccantia

[inquit] *mittendi sanguinis scopos in laborante inueneris, in eo auxilium illud adhibeo, etiam si vel vigesimus is ab initio exiierit.* Estque chimærica ratio Fracastorij de permistione seminum contagionis, quia est sub dubio si dentur, deinde quia extrahuntur cum sanguine, & multò magis educitur de materia corrupta, ea qua noua semina concitantur, & inde exemplum de atramento, aut felle cum aqua agitatis extra rem est, quia nihil aquæ educitur, nec de felle, aut atramento; nec animaduertit ille author innumeras vtilitates, quas sectio venæ affert ad cohibendam putredinem, & extra omnem Philosophiam totam vim corruptiuam seminibus, & non humoribus corruptis attribuit, cùm habeant eandem vim si per contagium corrumpuntur, ne dicam maiorem, quia corruptio in solidiori substantia est, humoribus scilicet: certum tamen debet esse, quod vbi putredo plurimum diffusa est, si virtus satis non constet, cum magno periculo vena secatur, quia & paucissimum est ex quo reparatio fieri potest, & id secta vena educitur, & statim virtus collabitur extremè, estque iam grandis cacochymia, quæ solùm cum robusta virtute sectionem venæ admittit: adest verò robusta virtus cum magna corruptione succorum ob cordis resistentiam, quia nondum in consensum adductum est, & habet in se temperiem, & materiam ad creandam copiam idoneam vitalis caloris, in quo omnium virtutum stabilimentum, omnisque firmitudo datur. In hac ergo corruptela sanguinis, si virtus constet, commodissime vena secatur, & cum magna ægrorum vtilitate, & tenerari debet, si constet facultas, quia (vt insinuaui) cor non compatitur, & habet ex quo & cum quo vitales spiritus creet, vt constet virtus; & quamdiu facultas vitalis constat, spes magna de vita ægri concipitur, quia sine vitio magno cordis non accidit mors, vt Galenus docet *lib. 5. de locis affectis, cap.* 1. Neque admitto quod Vallesius docuit, quod homines alantur suo, etsi prauo succo, nam si hoc esset verum, nunquam alimentum deficeret, etsi vena pluries secaretur quando vitiosus sanguis extrahitur, vt non liceret ob corruptelam (vt ipse notat) nisi moderatè euacuare, quod ego libenter admitto, sed contraria ratione; nimirum, quia vbi magna corruptela fangat, & à succis prauis corpus nutriri nequit, moderatè euacuandum; quia paucissimum boni esse potest quod nutriendi sit capax: illud verò prauum cum malo educitur, & inde virtus extremè cadit. Non itaque inferendum necessariò est: sanguis extrahitur nimis corruptus, ergo statim moderatè euacuandum, quia potest in corde esse materia ea qua creentur spiritus, quæ vt durat, durare potest sectionis venæ reiteratio, etsi corruptissimus extrahatur, imò quo plus corruptus concipitur, plus extrahendus, quandiu vitale robur consistit. Vt enim Galenus docuit, quod si adsunt scopi ad mittendum sanguinem, non datur tanta copia crudorum, quæ sanguinis missionem prohibeat; sic eodem modo, si scopi adsint, non datur tanta corruptio, quæ idem auxilium impediat; & in hac consideratione robur virium cum humorum corruptela Galenus admittit 1. *aphor. com.* 17. Quæ speculatio nostra securior, & conformior Galeno est, quàm tradita à Fonseca *loco citato* dicendo, rarò, vel nunquam vltra tertiam diem, & multò minus vltra quartam secandam esse venam; quia experientia compertum est, ex sanguinis missione vires prosterni, & plurimos medicorum culpa vitam amittere, &c.

Est aliud dubium si venæ sectio imperanda sit quando iam maculæ apparent. Respondet Mercatus, quod multis rationibus est imperanda, si deposita non sit plenitudo; tum quia natura deonerata validius expellit, tum etiam quia maculæ illæ non sunt iudicatoriæ, cùm semper materia huius mali in crassis succis sit, qui per eam macularum apparitionem euacuari nequeunt: tum quia si detur plenitudo, multis incommodis æger si non tollatur subiicitur, putredini nimirum, & quod agens corrumpens habeat multam materiam, in quam agendo magna corruptio propagetur, & quod copia in venis maioribus existens incommodè per poros cutis deponatur: vnde dicit, turpe esse ob incertum periculum retrocessus macularum, cessare à tanto remedio; imò censet quod etsi retrocederent maculæ, esset minus inconueniens quàm si natura non deoneraretur: vnde concludit esse secandam venam, etiamsi appareant maculæ. *Cæterum* (inquit) *si aut plenitudo sit mediocriter deposita, licet non ex toto, aut æger sit imbecillis admodum, dubium non est, quod sectio venæ magnum damnum sit allatura, & periculum, quia viribus infirmioribus factis, non pellet ad cutem natura, nec alia euacuatione poterit, nec minus concoquere corruptam materiam.*

Hæc resolutio accuratior non dubiè desiderabitur, in primis, quod si æger sit admodum imbecillis, non sit tentanda euacuatio per sectionem venæ, est omninò extra dubium positum, quia cum tanta imbecillitate, etsi maculæ non apparerent, tentare tale auxilium non licet, non tantùm in hoc, sed in quouis alio morbo. Quod dicit de plenitudine mediocriter deposita, etiam est falsum, nimirum quod debeamus à sanguinis missione cessare: nam si crudus sit morbus, irrationabile omninò est non secare amplius venam, quia illa euacuatio macularum non concocta materia est omninò symptomatica, & copiam adhuc arguit respectu virtutis, aut magnum feruorem, & prauam conditionem materiæ stimulantis naturam, & inde temerarium esset à tanto auxilio cessare ob euacuationem symptomaticam. Et tantum abest quod putem retrocessuras maculas, etiamsi sanguis copiose educatur (dummodo non linquatur æger animo) quod censeam potius impossibilem retrocessum, eo quòd materia illa discontinua omninò est à sanguine fluxuro, & inter se etiam: non enim trahitur gratia vacui, nisi quod immediatum est corpori quod mouetur, sunt verò maculæ illæ iam in cute repositæ, & diuisæ inter se. & multò magis à sanguine, trahi verò à natura non possunt, quia quod semel sub obiecto expulsricis accidit, nunquam trahitur, quia non est similitudo ratione cuius rursus alliciatur quod semel expulsum fuit, vt mihi timor retrocessus macularum tam leuem indicationem præbeat. quod illam omninò contemnam, si sit indicatio ad maiores euacuationes celebrandas.

Opinamur ergo in hoc casu, esse considerandum tempus apparitionis, & quid in ea constitutione quando apparet, euenire soleat; nam si (vt insinuaui) materia morbi sit cruda, & non sit æger satis inanitus, ita vt si non apparerent maculæ, secaretur amplius vena, id etsi appareant, faciendum est. Si verò iam cocta materia, & iuxta vigorem, aut in illo apparere incipiant, securius est cessare, donec Medicus videat expulsionis illius effectum: & si mitior, remissiorque morbus appareat, eam euacuationem permittere, aut iuuare decet, cùm soleat esse indicatoria, vt ex historia tradita ab Hippocrate constat, qui nullam fœminam non vidit cum hac expulsione liberatam. Estque consilium Hippocratis 2. *aphor.* 29. & Galeni *in expositione*, esse cessandum à missione sanguinis, quando morbi consistunt, & vigent; verùm si in quouis tempore appareant, si morbus non remittatur ratione apparitionis earum, parui pendenda est ea euacuatio, & operandum velut si non apparuissent, quantum ad venæ sectionem, de qua in communi methodo, si in augmento, & vigore fieri possit, disputauimus. Semper tamen licet motum illum materiæ ad cutem non impedire, sed idoneis auxiliis iuuare, quia vt optimè notauit Sennertus, est euacuatio materiæ peccantis: &

inde quamuis symptomatica ex parte temporis sit, quia cum cruditate materiæ ex parte causæ semper est conueniens, quia planè quod peccat, euacuatur: iuuatur verò præcipuè cucurbitulis, inunctionibus laxantibus cutem, & moderatè attrahentibus, & in potionibus medicatis dando aquam buglossæ, scordij, & cardui benedicti, de qua indicatione inferius agemus.

Sed circa missionem sanguinis notandum venit, quod tradit Mercatus, nempe sibi obseruatissimum esse, quod sectio saluatellæ dextræ magni momenti sit in curatione huius mali, quando iam totum inanitum est: non docet clarè si in omnibus malignis febribus impetanda sit, videtur tamen quod loquatur de malignis febribus, in quibus circa viscera (iecur præsertim) feruentes humores stabulabantur, sectione enim illius venæ extra validissimè trahuntur, vt ipse putat; trahuntur enim ad partem distantissimam, & in quam iecur exonerare se solet, & calida excrementa deponere: putatque hic author quod minori virtutis exsolutione saluatella quàm venæ brachiorum secetur, quia minus exsoluit vitalem spiritum. Quæ doctrina probabilis est, vt quæ docet in affectibus iecoris plus conferre saluatellam quàm internam secare: Verùm si ex liene malè affecto, & melancholico sanguine febris oriatur, non minus conueniet sinistram saluatellam secare, præcipuè quando iam pro sectione maiorum venarum minus constat virtus.

Docet etiam idem author *lib. 1. de recto vsu præsidiorum, cap. 2. fol.* 108. quod quando incipiunt apparere maculæ, etiamsi plenitudo omninò non sit deposita, tutissimum esse consilium non extrahere vlterius sanguinem, donec compleatur integrum apparitionis tempus; interim tamen expedit auxiliis nuper dictis ad cutem euocare, & nonnihil humoris deponere; mox tamen si plenitudo supersit, deponetur secta vena (vt in expositione historiæ Simonis expresse Galenus docet) si vires permiserint, alioqui minimè; coniectandum enim est, malitiam morbi plus lædere, & vtendum esse præcipuè euacuantibus ad cutem, & roborantibus. Hæc doctrina sequenda non est; ratio est euidens, quia natura solet per aliquot dies maculas repunere, & ratum est, quod per quatuor, & quinque dies non duret illa expulsio: quod etiam indicat cucurbitarum appositio, nam si semel inceperint apparere maculæ, semper sub cucurbitis exanthemata illa, & maculæ apparent, donec morbus manifestè declinat, & feruor sedatus est: esset verò temerarius Medicus, si totalem expulsionem macularum expectaret, vt rursus sanguinem mitteret. Res ergo definienda est vt dixi, maléque in sui tutelam tradit Galenum in historia Simonis, *epid. com. 1. text. 39.* cùm ex eius lectione planè constet nihil attinens ad Mercati præceptum ibi scripsisse.

Consultò omisi controuertere, si sanguis in febre puncticulari mittendus sit: censeo enim absurdam esse opinionem negantem ex toto tam celebre & necessarium remedium, cuius fundamenta tam leuia & ficulnea sunt vt non liceat illa proponere: deberet enim cohors illius doctrinæ docere auxilia, quibus venenati & putridi humores sanguinariæ massæ permixti extrahendi sine sectione venæ erant, quod impossibile mihi est, & temerarium censeo, indicationes tam euidentes, & tam vtiles à Galeno & tota posteritate confessas & expertas per sectionem venæ lucratas, ad cohibendam putredinem & eius contagiosam conditionem coercendam omittere, propter malignam qualitatem ex putredine ortam. Ratio est euidens, quia venefica qualitas creatur à maligna putredine; vnde qui putredinem impedit, obstat propagationi qualitatis malignæ: nihil verò plus obstat quàm venæ sectio extrahens venenum in humore maligno, & impediens fluxionem ad focum, reddendo simul corpus perspirabilius.

QVÆSTIO II.

De Hirudinibus.

Est communissimum auxilium hirudinum appositio venis hæmorrhoidalibus, quam Mercatus extollit vt magnum, & vtile auxilium: conferunt præcipuè vbi sanguis melancholicus est, & non licet per sectam venam illum educere, quòd vires satis non constent, præcipuè quia melancholicæ complexiones, quibus præcipuè conueniunt, magnam sanguinis eductionem per venæ sectionem non admittunt; fit enim euacuatio per hirudines paulatim, & citra sensibilem virium iacturam. Estque auxilium magni momenti, quando circa lienem, mesenterium, & iecur, sanguis atrabiliarius ob assationem est factus, aut melancholicus sanguis febris puncticularis est author; & nos referre possumus summè prodesse, quandò ob sanguinem in dictis partibus detentum, caput tentari incipit, & paraphrenitide laborat, rarumque mihi est quod magnum commodum statim non attulerint, vt licet non semper liberent, semper tamen leuamen magnum suscipiant infirmi, nisi iam exitiosè laborent. Magna verò indicatio, vt applicentur, præbet, si æger per mariscas sanguinem euacuare consueuerit, aut eas turgidas, & inflatas obtinuerit; verùm etsi nihil horum fuerit passus, applicandæ nihilominus sunt, non enim sunt audiendi Medici triuiales, qui si per valetudinem hæmorrhoides non molestauerint, non audent eas applicare. Sciendum enim est, quod hæmorrhoides quædam sunt internæ, aliæ externæ. Primæ oriuntur ex ramo venæ portæ, qui spleneticus dicitur, & per mesereum circa colum intestinum, & rectum extenduntur, & terminantur in musculos ani, & partem interiorem recti intestini: externæ verò hæmorrhoides oriuntur ex ramo venæ cauæ, qui epigastricus dicitur, & in partes extrinsecas, seu externas recti intestini, & eius musculos disseminantur. Quilibet ramus ex dictis habet adiunctum ramum etiam arterialem: internæ quidem hæmorrhoides ex arteria meseraica, quæ versus partes infernas ramos propagat, disseminant; externæ verò hæmorrhoides, seu ramus ille ex vena caua nascens, habet secum adiunctam arteriam, seu ramum pendentem ex arteria hypogastrica. Sunt verò duplices venæ, quæ à caua originem suscipiunt, & duæ etiam arteriæ illas comitantes: ramus verò spleneticus, vnus tantum est cum vnica arteria comitante; vt inde constet affectibus lienis, meserei, & partium inferiorum ventris, morbisque à vena porta, & caua iecoris parte creatis, magnum commodum afferre posse hirudinum applicationem. Hieronymus Fabricius ab Aquapendente putat, quod vtiliores sint hyrudines mariscis applicatæ, quàm sectio basilicæ in febribus malignis, quia venæ cauæ (quæ in lumbis maxima est) propinquiores sunt vasa hæmorrhoidalia, quàm vasa brachiorum.

Indistinctè tamen cuilibet puncticulari febri hirudinibus velle mederi, paradoxum est, & minimè mirandum, de quo argumento latissimè egit Massarias *tract. de scopis mittendi sanguinem, fol.* 672. qui in duobus nobis displicet. Sit primum, quod semper putat hirudinibus solùm euacuari sanguinem melancholicum, & ob id si morbus dependeat ab aliis humoribus, importunum esse hoc auxilium; quia non ducet peccantem sanguinem & materiam; quod quidem absurdum est, quia hirudines sanguinem quemcunque

educunt

educant, illum nempe quem immediatè tanguot, & con sequentia tractionis, & suctus, qui immediatius rursus est extrahitur; vnde cùm non implicet, in venis hæmorrhoidalibus sanguinem cuiusque naturæ contineri, sic non implicabit quod ab earum suctu quilibet sanguis euacuetur, imò necessarium erit. Secundum sit, quod ferè vult, vt hirudines non applicentur, nisi aut suppressæ fuerint, aut turgidæ modò sint, aut saltem per eas aliquam euacuationem natura tentauerit, hoc enim (vt dixi) necessarium non est, si semel Medicus agnoscat quod causa mali in venis dictis contineatur, quia vt natura, quando in dicta regione à causis morbificis opprimitur, eam euacuationem tentat primò salubrrimè, etiamsi antea per hæmorrhoïdas nihil mouerit; ita Medicus vtilissime poterit eam euacuationem primò tentare cum magno commodo, si causa febris in ea regione contineatur, quamuis nondum euacuationem aliquam per hæmorrhoidas natura prius molita fuerit. Et cùm sit frequentissimum ex colluuie excrementorum primæ regionis malignas febres, & alterius cuiusque fortis creari, inde tam frequens iam est huiuscemodi auxilium. Diximus verò esse præcipuè vtile melancholicis naturis, non quia sanguinem melancholicum electiuè trahant, sed quia quando abundat, eum per dicta vasa solet materia deponere, aut in illis eum accumulat. Multa certè argumenta contra vsum hirudinum in *eo tract.* Massarias adduxit, futilia ferè omnia, si bene perpendantur, & diluit Angelucius *lib. 1. cap. 6.* imò, & nonnulla satis absurda proposuit, inter quæ vnum est, quod sit securius venas hæmorrhoidales ferro aperire, quàm hirudinibus, & quod ad eas prouocandas conducat crura scarificare, aut secare venam in talo, cùm primum sit periculosissimum, secundum verò auxilium tam incertum, vt constat. Et cùm multa incerta præter dicta ad confutandum suum aduersarium adduxerit, non potuit prætextu iodagandi veritatem suam petulantiam celare. Legatur Daça *l. 1. fol. 555.* vbi exemplum tradit periculi, & mortis Serenissimi Principis, quòd hæmorrhois ferro aperta fuerit.

Notabitis tamen quod hirudines applicandæ paruæ non sint, quia præterquam quod debiliter, & tardissimè sugunt, vulnus strictum nimis infligunt, per quod potius sanguis velut percolatus efluetur, & qui tenuior est, & non crassus, & melancholicus, cuius eductio desideratur; semper tamen indicatio virium, & naturæ corporis summè considerabitur, robustiora enim, & densiora, grandiora hirudines desiderant, debiliora verò & teneriora moderatiores. Estque notandum, quod si non satis euacuauerint hirudines, aut quia satiatæ, aut alia causa fugere nequeant, sedeat æger in vase in quo decoctum foliorum maluarum, florum chamæmeli, origani, & violarum modreatè calidum contineatur; vapor enim calore mulcebri venas recludit, & sanguis stillat. Legendus Galenus cum Oribasio de hoc argumento, ibi enim docentur omnia, quæ ad vsum huius auxilij conferre possunt, *clas. 6.*

QVÆSTIO III.

De Cucurbitis.

Est magni vsus, & non minoris vtilitatis cucurbitarum in febribus malignis applicatio, per quas, vt docuit noster Vallesius, morbus hic sæpe redarguitur, quia antequam exanthemata illa expellat natura, si applicentur cucurbitulæ, statim apparent, quod multi Medici tentant, quando nondum certi sunt de malignitate febris, aut non omninò in consultationibus de febris essentia conueniunt; tunc enim si partibus inferioribus multæ applicentur, dorso verò io regione ve-

A næ magnæ duæ tantùm, & non cum multa flamma, soleot hæ duæ, si sit febris maligna, maculas illas statim ostendere: dixi notanter, *& non cum multa flamma*, quia si magna sit, & ignis vehementior, morbusque sanguineus, violentia caloris, & attractionis eiua maculæ rubræ sub cucurbitis apparent: quod si beoe considerentur, maiores solent esse quàm inuentæ in maligna febre, quamuis hoc perpetuum non sit, est tamen frequentissimum.

Bifariam verò cucurbitulis vtimur, aut siccis, aut sacrificata parte prius, & postea cucurbitæ firmantur, vt sanguinem extrahant. Est quidem vtroque modo auxilium validissimum, quia trahit celerrimè, & gratia vacui, quæ tractio potentissimè semper à natura ce-

B lebratur. Tractionis verò celeritas pendet ex copia flammæ, nam quò maior hæc est, tantò celerior, & validior fit tractio, & si cucurbitula magna sit, & ventricosa, multò validior. Est verò intelligendum quod dixi taliter, quod multa flamma sit intra limites non impedientis tractionem: legitur enim apud Oribasium ex mente Antilli, quod cucurbitæ sint applicandæ cum modico igne, nam si vehementes apponantur, vapore inflammantes, contendentesque corpora, nihil effatu dignum attrahunt. Galenus sic loquitur; *Cucurbitula purgatis prius corporibus vtiles quidem, sed in repletis prætermittenda sunt.* Vtilitates verò earum exponendo dicit: *Cucurbitula exhaurire materiam, dolores soluere, phlegmonem minuere, inflationes discutere, appetentiam cibi excitare, imbecillo ventriculo vires restituere, animi*

C *deliquia leuare, si qua profundas partes fluxiones infestent, eas transferre, & siccare, sanguinis eruptiones prohibere, & quicquid menstrua vitiauerit attrahere, iisque alleuationem præstare potest.* Est ergo magna earum vtilitas quando largiori euacuatione sanguinis opus est, & vires per venam sectam eam non permittunt; cucurbitæ enim cum minori virtutis collapsu sanguinem minuont, ob quod, inquit Mercatus, quando vires prima sanguinis missione labuntur, eisdem vti tutò licet, quia sanguinem minuunt, & à corde distrahunt, & virium robur conseruant, ob id etiam io iis qui exsoluuntur sanguine misso, & imbecilles sunt, ob quamcumque causam maximam fiduciam præstat sanguinem per cucurbitas extrahere, quia veritati consonum videtur, in iis esse sanguinem tenuiorem, qui promptius, & facilius ve-

D neni contagium suscepiant, qui nullo auxilio tutius & citius extrahitur, quàm cucurbitis, quibus datum est tenuiores substantias corporis attrahere.

Est ergo tempus idoneum earum applicationi, quando sanguine iam misso, laborans anxius, inquietus, ac defatigatus est, impotens tamen vlteriorem missionem sanguinis tolerare; eodemque modo imbecillibus quibus venæ sectio repugnat, maximè conferunt, quia plenitudinem ad extra euocant, & ea ratione viscera attemperant, maximè si reiteratas scarificaueris. Præterea vbi venenositas maior est, quàm humoris copia, quia mirè venenosam qualitatem trahunt; notat tamen Mercatus, quod diu detinendæ non sunt, si pars scarificanda est quia sanguis concrescit sub cucurbita, si nimis

E detineatur, & postea ob crassitiem, & minorem fluxibilitatem, à cucurbita non sugitur, nec trahitur. Sunt etiam vtilissimæ feminis enixis, & non bene purgatis, aut quibus menstrua defecere, si suris affixæ multùm sanguinis extrahant. Sed mirandum magis est, quod de illis Galenus retulit *libello* cui titulus est, *præsagium experientia confirmatum*, & *lib. de cucurbitar. scarificatione, cap. 10.* dicendo: *Et sanè dum pestilentia vehemens Asiam deprehendisset, multósque perdidisset, méque etiam morbus attigisset, secunda morbi die remissione febris facta, crus scarificaui, duasque ferè sanguinis libras detraxi, hacque de causa periculum vitaui: plerique etiam hoc præsidio vsi superstites euasere; erant enim plenitudinis signa, illique præcipuè seruabantur, qui sanguinem copiosum exhauriebant.*

hauriebant. Hæc Galenus: Rationem verò tantæ vtilitatis Mercatus adducit, quia morbus cum plethora erat, quæ per crurum scarificationem idoneè deponebatur. Sed maior vtilitatis causa erat, quod venenum ad partes distantissimas (ad crura nempe) reuocabatur, vnde cor minus à veneno offendebatur, secus ac contingit quando propè cor cucurbitæ scarificantur, quia cùm magna copia sanguinis circa cor existat, mox ipsum copia rursus apprehendit, quia iuxta illud derelinquitur: contrarium verò in crurum scarificatione euenit, ob quod hoc auxilium Mercatus extollit, & tanquam expertum commendat. Vnde etiam deducit à simili, quod qui primò ex talo in fœminis sanguinem mittunt, optimè faciunt, nulla habita menstruorum consideratione, quia abundant circa vterum semper plurimo sanguine ex propria lege naturæ: nec viris (inquit) incommodare possunt crurum scarificationes, præcipuè si plenitudo, & venenositas molestent, quia multum extrahitur, & simul à corde nimis separatur, tum venenum, tum sanguinis copia.

Hæc praxis Mercati acerbè à Mercuriali suscipitur, *lib.5. de febribus*, in curatione febris pestilentis, §. *cùm itaque sanguis, &c.* putátque plenitudinem totius non tolli per crurum scarificationem, nisi sit mediocris plenitudo: & hac ratione interpretatur Galenum 4. *de sanitate tuend. cap.* 10. dicentem, quod plenitudo tollitur, aut secta vena, aut cruribus scarificatis: *Intelligendus* (inquit) *est, de plenitudine mediocri orta ex menstruis, aut hæmorrhoidibus suppressis, non verò de magna plenitudine.* Vnde putat quod quando plethora datur absque tali suppressione, sint scarificandæ cucurbitæ in dorso: si verò menstrua, aut hæmorrhoïdes suppressa fuerint, scarificanda sunt crura. Primum in quo consistit controuersia, & Mercato opponitur, suadet iis fundamentis. In adhibendis, inquit, cucurbitis scarificatis, triplex indicatio proponitur: Prima, quod plenitudo tollatur; Secunda, quod à corde euacuemus; Tertia, quod hoc celeriter fiat, quia in tam acutis passionibus celerrimè operandum est. Quod plenitudo melius tollatur, si dorsum scarificetur, constat ex doctrina Auicennæ dicentis, *cucurbitulas spatulis applicatas gerere vicem basilicæ*: de scarificatione verò crurum dicit, quod sit proxima minutioni; gerere verò vicem basilicæ est idem operari, quod basilica operaretur; esse verò proxima minutioni, est facere quod sectio venæ, sed minus. Quod cucurbitæ in dorso scarificatæ trahant à corde, extra dubium esse debet ob proximitatem, & Galenus docuit contra Archigenem; probando, quod si cor distemperie frigida, & sicca laboraret, esset perniciosum remedium dorso applicare cucurbitas scarificatas, quia humiditates à corde traherent, & inde plus exsiccaretur: quod verò citius à corde trahatur, si dorsum scarificaretur, quàm si crura, non eget probatione ob loci proximitatem, & inde auxilium præsentaneum est quando cor venenatum putatur ad extrahendum venenum scarificare dorsum. Addit rursus, quod crurum scarificationes solent tam esse molestæ, & dolentes, quod sæpe deliquium, aut syncopen inducant, vt Rasis, & Albucasis notarunt.

Quia verò tota discordia est, si pleno corpore, & scarificato dorso, trahatur ad cor, vt dicebat Mercatus, respondet Mercurialis se non posse capere quomodo id fiat; nam scarificatio dorsi à corde trahit, & illud euacuat, non trahit ad illud; & id Galenus docuit 13. *method. c.*19. docendo, quod cucurbitæ ob id inuentæ fuerunt, quia cùm trahant potentissimè, trahunt ex profundo ad extima; non ergo ad profundum trahunt. Verba Galeni sunt: *Hac ratione, & cucurbitula (strenuum planè auxilium) est inuenta, tum vt foras euocentur quæ sunt in alto, tum vt eximantur, atque eruantur, quæ iam in scirrhum abeunt.*

Sed vrget opinionem Mercurialis doctrina eiusdem Galeni eodem *cap.* 19. dicentis; *Verùm vtendum cucurbita in ipsa parte, quæ phlegmone vrgetur, inter initia non est, imò postea, quando vacuaueris, &c.* quod antea *c.* 17. docuerat in curatione inflammationis pulmonis *lib.* 11. *methodi* dicendo; *Itaque etiam cucurbitula vtiliter iis qui sic laborant, si prius sint vacuati, applicabitur; si verò abundantia succorum, quam vocant plethoram, in iis sit, non magis ex pulmone in pectus aliquid excrementi transferet, quàm ex toto corpore attrahet in vtrumque*: Respondet id esse verum, quando plenitudo magna datur, non verò si sit mediocris; hæc enim (vt dicebant authores) scarificatione tollitur, & à corde trahit, non verò trahit ad illud.

Mihi videtur opinio Mercati securior, quando corpus plenum supponitur, & vena secari non potest; est enim temerarium quod incertum est, & periculo magis expositum, eligere: est verò periculosum corpore pleno in cordis regione scarificare cucurbitulas, etiamsi sit mediocris plenitudo, quia non constat quod conuocatio succorum versus locum & partes ei proximas, non erit maior quàm euacuatio à loco cui applicantur, vnde nullum leuamen cordi eueniet: si verò partes infernæ scarificentur, omni periculo caret auxilium. Et cùm certum sit, experimentoque constet, ratò non trahi cerebrum, & cor in consensum in prædictis malignis febribus, quo longius succi à dictis visceribus retrahuntur, plus delitia, & cordis damna præcauentur. Accedit contra Mercurialem ratio efficax, nimirū quod non semper cor in malignis febribus patitur primariò: & vrgetur, ita vt liceat, aut sit necessarium, statim in principio febrium illud euacuare; imò oppositum frequentius euenit, & per consequens temerariè cucurbitæ scarificatæ cordis regioni in principio applicarentur, cùm inclinarent non dubiè versus illud totam excrementorum colluuiem, quam morbi decursu paulatim erat suscepturum; vt si caput in mali initio non leuiter doleret, temerarium esset occipitio scarificatam cucurbitam affigere, cùm sit non dubiè maior sine comparatione quantitas quam totum continet, & in caput iam inclinat, quàm illa quæ per occipitiis scarificationem educitur, quod in corde similiter euenire certum est: non potest certè comparari quantitas in toto contenta, quando mediocriter plethoricum est, quæ superfluit, & potest transmitti, cum ea quæ per cucurbitas scarificatas educitur. Et quod Oribasius tradidit ex mente Apollonij, magnam vim habet, quia experimentum quamcumque rationem vincit. Et absque ratione putat Mercurialis, quod Apollonius sic intelligendus in præcautione, & non quando iam febre pestilente æger obsidetur; aut intelligendus sic in peste, & non in febre pestilente: nam cùm pestis (inquit Mercurialis) ex aere vitiato fiat, extremè debilitantur vires, & inde vt seruentur scarificare licet, non verò sanguinem mittere. Est quidem vtraque expositio falsa, vt constat ex verbis authoris dicentis, quod cùm fuisset peste apprehensus, secunda die morbi remissione febris facta, crus scarificauit, duásque ferè sanguinis libras detraxit, &c. Erat ergo pestilens febris, siquidem diem secundum expectauit, vt in febris declinatione sanguis detraheretur. Nostram opinionem adduxit Horatius Augenius *t.* 1. *epistolar. lib.*5. *epist.*1. ex quo fortasse desumpsit Mercatus, & nihil vtilius putat, quàm crura scarificare, & ad ignobiles, & partes extremas venenum traducere, vt à corde distet, idque esse sibi obseruantissimum, vt vtile, & magnum remedium, quod etiam tradit Sennertus *lib.*4. *de febribus, cap.*11. *fol.*457. dicendo: *Applicantur autem commodissimè partibus inferioribus, cruribus nimirum, vt vnà etiam humores vitiosi quàm longissimè à corde, & cerebro, nobilissimis corporis partibus, ad inferiora reuellantur*: adhoc verò commodior, multique vsus est venarum in pedibus apertio.

Zacutus *lib. 3. praxis admir. obser. 44.* in pestiferis febribus saphænam secat, & crura scarificat, & tanquam expertum, & mirabile auxilium laudat, & commendat.

Illud verò notabilis, quod si caput, aut alia superior pars in mali principio dolore tentetur, rectè possunt imperari cucurbitulæ, etsi totum euacuatum non sit, dummodo partibus inferioribus tantùm affigantur; nam quod Galenus dicit non esse vsum earum commodum ante corporis euacuationem, verum est si à parte affecta euacuare velimus, non tamen quandò reuellere intendimus, cùm humor in partem contrariam reuocetur; & si inter auxilia reuulsoria ab eodem Galeno reponuntur, constat in principio applicandas esse, cauendo ne super partem nobilem, aut iuxta illam affigantur: & id Galenus docuit, aut ex eius mente Oribasius *cap. 15. in fine*, dicendo: *Dum vero affectus etiamnum fiunt, cucurbitula minimè membris laborare incipientibus, sed iis qui eis continuata, sunt reuulsionis causa, imponenda est.* Verum quidem est, quod si corpus plenum sit, non erit facilis attractio, & ita optimum consilium est inanire primò corpus, verùm nihil nocebunt, si partibus ignobilibus, & oppositis parti, in quam humores incipiunt decumbere, statim affigantur; nunquam enim tam plenum corpus est, quod omnis tractio impediatur.

Illud tamen tacere non licet, quod quidam Neothericus Sanctorellus dictus *lib. 18. antipraxis medicæ, cap. 15.* Medicis Hispanis imposuit dicendo; *Vt foras educant venenatum humorem, admouent Medici cucurbitulas, vbi exanthemata in cute apparere incipiunt, nec aliud Hispani faciunt, nostri expurgant, & sanguinem mittunt, vtrique benè, nam ut apud Hispanos sufficienter solet natura vbi illam crisim molitur, terminare morbos, hic nunquam videre est, fortasse quia humor crassior, nam aer humidior, neque ita feruidus.* Est enim vtrumque falsum, nam & apparentibus maculis sanguinem mittimus, & rarum etiam est in nostra regione, quod maligna febris apparitione sola peticularum iudicetur integrè, & nunquam iudicatam vidimus aliquam febrem per macularum apparitionem. Augenius *loco citato in fine epistolæ* tradit, nec illud ad regionis temperiem reducit, sed quia huiusmodi febris a crasso sanguine pendet, sed est rubescente, qui etsi maiore ea parte sit biliosus, est tamen crassus in eo genere. Vallesius noster (vt inferius videbimus) à multis excrementis, & crassis originari docet; vnde facilè deducitur, quàm rarum esse debeat, quod per macularum apparitionem perfectum iudicium fiat, cùm nec multitudo, nec crassities per tam minima exanthemata euacuari commodè, & integrè possit.

Est deinde aduertendum, quod quamuis expulsio macularum sit semper materiæ peccantis, non debemus ob id vti semper proliaa cucurbitarum appatitione, vt multi faciunt, quia quando cruda est omnino materia, & intus efferuescit, est apparitio macularum omninò symptomatica, & feruore, aut praua irritatione à natura tentatur: hanc verò iuuare tam assiduo cucurbitarum vsu non licet, quia calore eorum feruor augetur; & cùm causa morbi sit (vt diximus) crassa, & tunc efferuescat, obstruere solet partes in quas attrahitur, & magna commotio inducitur in sanguine, alioqui intus magno feruore agitato, quâ coctio vehementer impeditur. Nam quod Hippocrates dixit *in aphorismo, non esse mouenda cruda*, non solùm de motione per expurgans medicamentum, sed de omni locali motione intelligitur. Galenus enim 4. *de victu acuter. text. 44.* expurgationes contrarias esse humorum coctionibus dicit, quia succi commouentur, nam coctio *eo text.* ab Hippocrate procuratur dicendo; *Corpus quieti permittere, vngere & æqualiter contegere oportet*; & inferius: *Si ventrem moueris, vrina non mutabi-*

A *tur, febrisque tum citra sudorem, tum indicationem in longum protrahetur tempus.* Omnis itaque succorum commotio quando natura symptomaticè euacuat, & per eam vacuationem morbum iudicare nequit, pessimè agitur, quia corpus turbatur, & frangitur, & commodè succi concoqui nequeunt, quia vt coquantur, quiescere, & retineri debent, vt *in fine loci citati* analogistica ratione Galenus ex mente Hippocratis probat.

Nec obliuioni tradendum, quod quando in initio accessionum mouetur humor in partem aliquam nobilem, magnum auxilium sit cucurbitarum applicatio partibus oppositis, hora vna, aut dimidia ante ipsam accessionem; detinetur enim impetus ille, & ad diuersam regionem reuocatur. Et si à Medico pars transmit-
B tens agnoscatur, si supra illam, aut regionem eius affigantur, maiorem vtilitatem afferent, & si impetus periculosus fuerit, si scarificentur supra partem mittentem, aut in oppositis recipienti, maioris momenti erit. Quod si post accessionem pars quæ recipit, grauata percipiatur, timendum est ne in illa notius morbus creetur, & lethargus, aut phrenitis, aut alia cerebri exitiosa passio, & deonctanda est omni ingenio cucurbitis scarificatis in loco, cum quo pars affecta communionem proximam habeat, vt euacuetur quod illa resoluere nequit. Idem de corde, & de quauis alia parte intelligendum est: constat enim experimento, huiuscemodi febres semper ferè necare, eo quòd in parte aliqua nobili succi firmentur. Columbæ pedibus appli-
C catæ per dorsum incisæ, & calidæ, ad retrahendum vapores malignos cor, & cerebrum petentes, vt expertum auxilium laudatur, vt Dodoneus apud Schenkium tradit, *fol. 837.*

Ne tamen ignores diuersitatem figuræ cucurbitarum variam esse debere, si ea profundo ad extima trahere humores desideras, aut si solùm cuti proximiores, de quo argumento lege Hippocratem *lib. 11. de veteri medicina, & de Medico.* Est etiam auxilium commune, & necessarium, vngere totum dorsum, & partes omnes, quibus cucurbitæ applicatæ fuerunt, vt resoluatur quod attractum fuit, & cutis laxetur, vt promptius recipiat quod natura per eam reiicere tentauerit, & sic effœminata, & laxata cutis, nequeat retrocessum malignorum rentare. Est commune auxilium olei
D chamæmeli ℥.ij. amygd. amar. & dulcium ana ℥.ß. pulueris nitri vsti ℈.ij. lento igne misceantur, & colatura moderatè calida partes inungantur moderata frictione, & mox linteo calido oleum blandè detergatur moderato impetu; sic enim resoluitur quod fuit attractum, & ambitus corporis perspirabilior redditur. Alij oleo solo Mathioli relatas partes inungunt, occurrentes simul indicationibus dictis, & veneno, quæ inonctiones, frictiones, & cucurbitulæ tantò erunt vtiliores, quantò per expulsionem macularum Medicus agnoscat, quòd natura leuatur, & morbus benignior redditur, & per consequens crebrius reiterari debent. Augenius *loco citato*, vngit oleo amygd. dulc. & chamæmelino, addendo corroborationis gratia mo-
E dicum vini albi subastringentis, quod mihi non probatur, quia cutem roborare est omninò præter rationem, quando intendimus, quod natura in eam prauos humores reiiciat, præsertim in hoc malo, in quo nunquam periclitatur cutis, aut corporis ambitus. Et constat planè quod opponatur astrictio laxitati cutis, & resolutioni humorum, aut excrementorum, quas per olea non dubiè Medicus intendit, imò econtrà Mercatus ex authoritate aliorum, aquam oleis iniicit, & feruent simul, donec aqua absumatur; sic enim attemperatur oleorum, & nitri calor.

Vallesius noster cum hordei farina maculas illas detergit, calefiet verò prius, & cum illa cutis fricabitur: obseruandum tamen, vt aër calidus sit, quando &

-rentbitæ, & dictæ inunctiones, & frictiones celebrantur, ne infrigidato ambitu corporis, attractio non fiat, aut quod attractum est, retrocedat: sunt enim in frigido tempore dicta auxilia magis necessaria, & in fœminis magis quàm in viris, quòd excrementitiæ magis cum crassitie succorum, si corpore minus perspirabili sint, notando diligenter, ne in maligna constitutione (vt solet) sudoribus syncopalibus ægri periclitentur, tunc enim omnia quæ ad cutem trahunt, eámque laxant, & emolliunt, & rarefaciunt, suspecta nimis mihi sunt, cùm liceat potius aërem frigidiorem parare, & minus coopertum in lectulo ægrum continere, vt moderato frigore sudoris prouentus impediatur, & humores contineantur in quiete, & à frigore coërciti in vaporem abire nequeant, ob cuius perniciem, & metum, cauendæ sunt potiones ad sudorem inclinantes, & omnia alia eiusdem proprietatis; tanta enim est aliquando humani ingenij tenuitas, quod hæc etsi conspicua, & notissima, liceat annotare. Cùm enim nos tertiana perniciosa laboraremus in fine æstatis, in quinta accessione quæ mihi fuit molestissima, & cardialgia indicibili, & vomitibus biliosis in eius principio, & augmento eum iam inclinauerat, leui somno detentus, & ab eo expergefactus, sudore copioso, & syncopali, & frigidis extremis cum debilissimo pulsu me inuenerunt Medici; vnus eorum, qui & senior erat, & maioris nominis, debilitati, & veneno celerrimè occurrere cupiens, lapidem bezoar statim dispensat. Taceo, & eùm iam à me discessisset, mecum loquens dixi; si Medicus non essem, & huius Medici (ne dicam vindicis) præcepto, & auxilio ob secundasséem, subitò non dubiè cum sudore animam etiam exalarem. Ego verò ius optimum cum succo granatorum acidorum, & puluere margaritarum bibens, & cordis regione frigidis cordialibus, & moderatè astringentibus stipata, & flabello aqua rosacea, & aceto frigidis imbuto, faciem totam, & collum moderato eius motu condensando, & spiritus exhalantes cohibendo, roborato ventriculo, & optimis, frigidis tamen, odoribus spiritu instaurato, rursus somnum conciliaui: erat enim debilissimus, sic sudor moderatior redditus fuit, & in somno vires instaurati, ita vt in die sequenti, qui intermissionis erat, ingesto medicamento expurgante, sexta accessio fuit lenior, & septima magis, vt iam in nona morbus absolueretur omninò. Nec mihi obiiciatis qua methodo rursus dormiui, si somnus prior tantam perniciem medio sudore attulerat, & constans sit Medicorum doctrina, quod somnus sudorem augeat. Dormiendi necessitatem iam insinuaui, quia eram debilissimus, & extremè lassatus, cum magna, & assidua vomitione, assistentibus tamen dixi, vt attentè si sudore inundaret inter dormiendum, contemplarentur, quod si fieret, statim expergefacerent.

Frigus autem condensans cauendum accuratè est, ne exanthemata intrò vt solet repellat, circa quod notanda est sententia Hippocratis 3. *prognostic. text.* 19. dicentis; *Sciendum autem, vt abscessus hyeme potius fiant, ac tardius desinant, & minus retrocedant*; quod vltimum non pendet ab aëris frigore, hoc enim semper retrocessui interno auxiliatur; verùm quia hyeme humores crassi, & tenaces abundant, recedunt minus abscessus, quia plus valet humorum crassities ad quietem quàm frigus, vt intrò rursus moneantur; at de periculis contrarium sentire licet, cùm sint ex tenuiori portione humorum efferuescentium, & inde facilè intrò repelluntur à frigore medij.

QVÆSTIO IV.

De Expurgatione.

Est celebre dubium si in hac febre expurgare liceat minorante pharmaco in eius principio vniuersali, antequam materia coquatur, non enim est quæstio de exhibitione medicamenti lenientis ob cruditates, aut excrementa primæ regionis, de hoc enim dubio iam in principio quæstionis egimus, & quid agendum sit exposuimus *tom. 4. lib. 1. disp. 9. fol.*.. Quæstio ergo est de minoratiua expurgatione, quæ ex secunda regione humores educere debet in principio vniuersali, vt minorata materia possit natura quod remanet facilius concoquere. Celebratur verò sanguine missu prius, cùm sit concors Authorum doctrina, quod quando iis duobus auxiliis alicui morbo occurrendum est, prius sit secanda vena, & interim corpus præparandum idoneis syrupis, vt expurgatio hæc minoratiua commodè fieri possit: semper enim oraculum Hippocratis obseruandum, nimirum quod si corpora purganda sint, debeant prius fieri fluida, alioqui sequuntur incommoda in eius aphorismi expositione a Galeno relata.

Inter auxilia verò validius, & commodius præparantia primas non dubiè sectio venæ tenet: quia si nihil magis obstat expurgationi, quàm corporis, aut vasorum plenitudo, & hanc venæ sectio tollit, nihil magis ad expurgandum præparat, præterquam quod vt constat ex Galeni doctrina 8 *meth. cap.* 4. nullum auxilium deobstruens secure datur, nisi vitiosi succi maiori parte emissa. Itaque sectio venæ, non tantùm strenuè ad expurgandum disponit, sed & necessaria est, vt reliqua auxilia deobstruentia absque periculo propinari possint. Est etiam venæ sectio auxilium magis vniuersale, quàm expurgatio, vt hæc velut topicum auxilium sit ad sectionem collata; & si vniuersalia auxilia imperanda sunt ante topica, sic sectio venæ ante expurgationem, vbi vtriusque auxilij occurrit simul necessitas. Accedit quod venæ sectio expurgationem supplere potest, non econtrà, nam expurgatio debetur humorum vitio, sectio venæ plenitudini sanguinis. Vnde cùm secta vena extrahatur simul eum sanguine biliosum, est sectio venæ (vt docuit Vallesius) expurgatio quædam: at expurgatio non educit sanguinem, & inde, etsi sit euacuatio, non tamen sanguinis tedundantis, sed solius humoris vitiosi, quem electiuè trahit: & inde fit, quod sola venæ sectio curationem febrium absque expurgatione compleat frequenter, quia non solùm plenitudinem tollit, sed est etiam expurgatio quædam, nec vt natura per aluum moueat, ponit repugnantiam. At expurgatio non conducit vt sanguis à natura eiiciatur, quin potius, vt eum amplius retineat, quia quò defæcatior, & purior redditur, tantò minus molestat, & auidius detinetur. Est ergo primò secanda vena, & corpus præparandum deobstruentibus, attemperantibus, vsu assiduo enematum emollientium, & ventris inferioris vnctione, vt minorans pharmacum vtiliter detur.

Quæstio ergo est si in maligna febre ante signa coctionis expurgare liceat. Antequam quæstio discutiatur, notabis accuratè quod materia febris est duplex, antecedens, & quæ iam actu putrida est, & febrem creat. De antecedente non est quæstio præsens, hæc enim cruda non est, nec minorari petit, quia nondum putredinem concepit, sed ad focum fluxura est. Controuersia ergo de iam corrupta, & putrida malignè agitatur; nam hæc sola cruda appellatur, & concoqui petit, & ob ignorationem huius discriminis multa inculcantur in hac quæstione ad illam non pertinentia,

nec

nec fine hac distinctione loqui possint consentaneè hoc dubium exagitantes, & meo iudicio duplex quæstio examinanda seorsim erat: vna circa materiam actu putridam, alia circa antecedentem, quando simul tota genita iam supponitur, an præsentia materiæ putridæ & crudæ tollat omninò non solùm sui expurgationem, sed etiam materiæ non putridæ, quæ continens futura est?

Ludouicus Mercatus *lib.7.de febribus, tract. de maligna febre, tit. de purg.* sic loquitur: *Dum praest magis venenositas, quàm putredo, mihi non est dubium, quin ante septimum expurgante aliquo levi sit vtendum, & ante sanguinis detractionem cruditatibus existentibus in primis venis; sin aliter detracto sanguine sufficienter, sexta die purgare oportebit, dummodo non fiat maculis apparere incipientibus. Crimen profectò* (inquit) *& supplicio dignum arbitror id tentare, præter id quod nullus Authorum, ne dubitanter quidem, nedum fecerit, quia actus ille tantoperè natura expetitus, & proficuus præpeditur, quinimò innanda semper est huiusmodi actio naturæ, nedum contrarianda, quod purgantia efficiunt; quippe hæc vacuationis sors symptomatica non est, sed proficua, & à natura intentata, vt antea probatum est. Quod si quis vsu probauerit aliquando huiusmodi purgationem profuisse, erit ex accidenti, aut melius terminaretur morbus, si id factum non fuisset; iis enim quæ præter rationem eueniunt non oportet fidere, verùm si maculæ apparere nondum cœperint, tunc quidem purgare erit necessarium.* Rationem huius præcepti, & necessariæ expurgationis antea reddiderat dicendo; *Iuuandum namque perpetuò est in hac febre maiorem humiditatis partem à principio minuere, nam pestilentes, & malignæ febres, nunquam efficiunt iudicium ad salutem, quia venenosa qualitas coctione non corrigitur, & ob id præcedentibus signis optimæ coctionis suspectum & dubium est bonum iudicium expectare; namque euacuatio salutem factura in vigore expectanda non est in pestilente affecta, ob quod securior est ea morbi solutio, quæ paulatim fit, quàm quæ necessariò pugnam requirit, ex qua nunquam victrix euasit natura, &c.*

Idem author tradit aliud præceptum notabile, nempe quod si laborans hac febre sudore inundetur, & non liberetur per illum, neque per secundum sudorem, purgandus est æger, vt quod crassum, & venenosum post sudorem manet, extrahatur: his continetur huius Authoris placitum, quod etiam sequuntur multi Authores, vt constat ex Mercuriale *lib.5. de febribus, cap. 8. fol. 636.* adducente pro hac opinione Auicennam, Auenzoar, Paulum, & Galenum. Et quamuis ibi de pestilente febre loquantur, militant non dubiè rationes pro maligna febre. Idem sequitur Vallesius noster non solùm in controuersiis, sed clariùs in propria huius mali curatione. Sic enim loquitur *7. epid. text. 78.* in historia Fullonis: *Verùm vsus iam indicauit missiones sanguinis satis magnas in principiis huiusmodi febrium esse necessarias, & alui subductiones vtiles, tametsi nec per scammonium, aut aliud eiusmodi, sed per mitiora medicamenta, aut acriores clysteres. Nec sanè ratio repugnat, nam tales febres pendent ex malignis, & multis, atque adeò crassis, hæcque est maxima curationis difficilis causa: quia enim maligna sunt, vrgent: quia multa, & crassa, longo tempore indigent, vt soluantur. Vix autem est vlla facultas, quæ plurimum vrgentem morbum possit diu sustinere, &c.* & inferius; *Opus ergo est ante omnia multitudinem deponere missione sanguinis, quia non aliter quàm ea deposita potest corpus ventilari, quoniam verò tantam missionem sanguinis, quanta ad totam deponendam, esset opus, facultas præcipuè malignitate labefactata sustinere non posset, subductione per aluum opus sit; ea enim est secundo loco magna euacuatio pro multitudine deponenda, quæ etiam id habet boni, quod à capite reuellit; ne sint autem fortia medicamenta ob febrilem ardorem, sed*

A *moderata, & assidua subductio alui, &c.* Quod argumentum ex professo discussit *7. lib. controu.* & rationibus suo videri efficacibus ostendit crudam materiam vtiliter euacuari posse, quod etiam latè reperit *4. lib. method. fol. 341. cap. 2.* & rursus exemplo illo celebri Regis Philippi, & rationibus idem suadet, præcipuè verò sunt duæ. Prima quod à natura fiunt aliquando euacuationes per aluum vtiliter in morborum principiis, idest quando nondum coctionem aggressa est. ergo quando ob impotentiam non potest euacuare, si à Medico iuuetur, poterit etiam salubriter excernere. Secunda est, quod multitudo, aut malignitas sæpe ita vrgent, quod si statim à principio non euacuaretur causæ multitudo, aut humor malignus, in certa desperatione ægri relinquerentur, cùm nequeat natura tantam copiam, aut tam prauam materiam tempore tam breui,
B quale morbi acuti permittunt, superare.

Addit Mercurialis, quod maligni, & pestilentes humores in iis febribus cor, & cerebrum statim afficiunt; vnde si in turgentia, timendo ne in partem principem decumbant, statim expurgamus, vt Hippocrates *4. aphor. 10.* præcipit eodem die, quia tardare in talibus malum est; constat eodem fundamento in malignis febribus expurgandam esse statim materiam, ne antequam coquatur, cor & cerebrum irremediabiliter obsideat. Sic enim Galenus *2. aphor. text. 19.* dixit, non esse certas prænunciationes, aut salutis, aut mortis in acutis morbis, quia humor noxius ex vno loco transfertur ad alterum, hoc est facilè mutatur, vt quando æger securus videbatur, quia non erant signa mortalia, transfertur humor in partem principem, & periclitatur; & econtra quando periclitabatur, quia partem
C principem humor noxius obsidebat, expellitur ab ea parte in ignobilem, aut extra corpus, & præter spem liberatur. Hoc verò euenit, quia in acutis semper natura patitur multum, & irritatur à causa, grauitate accessionum molestatur, & est per consequens velut in quadam propensione ad expellendum, & quasi turgens occultè. Vnde si pharmaco determinatur, vt deorsum materiam peccantem incliner, sequetur eius euacuatio, & minorabitur materia maligna.

Addit Mercurialis, quod prauus succus semper est excrementum, & maximam cacochymiam inducit, quia est nimis alienus à natura, & emendari non potest; quod verò tam prauum est, statim à corpore debet reiici, vt Galenus docet *4. de sanit. tu. ad. cap. 4.*
D Et quod hanc opinionem stabilire plus potest, est eiusdem Galeni locus *lib. 1. de crisibus, cap. 9.* vbi insinuat, quod morbi acuti sint suo modo turgentes; sic loquitur: *Quod verbum* (turgere scilicet) *propriè de animalibus dici consueuit, quæ ad coitum rapiuntur; translatum autem est ad eas quæ properant, & celeriter mouentur ægritudines, & præcipuè cùm laborantis sensus ab inordinata humorum, & spirituum agitatione irritatur; nam in iis tantùm quispiam rationabiliter pharmaco vtetur, cùm per se habeat adiuuantem ad faciliùs attrahendum superabundantium humorum motum.* Quem locum accuratè
E notando Gentilis dixit, nomine turgentiæ non solùm esse intelligendum motum vagum humorum ab vna parte in aliam, sed etiam prauam naturam, & multitudinem succorum: nam quæuis malitia, ob quam incoctilis materia redditur, potest dici furiositas, siue quia venenosa, siue quia praua, siue quia multa; & inquit quod etiam Galenus de omnibus his furiositatibus potest interpretari. Estque locus celebris *1. prorrhet. com. 2. text. 37.* in vltimis verbis, quæ sunt; *Nullus itaque ita affectos purgare aggreditur, vt dictio ostendit, cum hoc, quod præcedente morbo fieri hæc commonstret, & non circa principia, quando in acutis solùm purgandi est occasio.* Putat ergo Galenus in principiis esse expurgandum in acutis morbis; nec idoneè explicatur,

catur, si de turgente materia intelligatur, cùm in omni tempore possit turgere, & dicar quod solùm in principiis est occasiu expurgandi.

Hoc dubium de minotatiua purgatione exposui latissimè in communi methodo febrium putridarum, vbi explicui incertitudinem magnam huius auxilij ex mente Hippocratis *lib. de medicamentis expurgantibus, in initio* dicentis, *Medicamentorum purgantium res non ita se habet, quemadmodum vulgo putatur; eodem enim medicamento purgantur, & non purgantur, quandoque vero alia purgat, quam quæ purgare soleat, aliquando nimium purgat, aliquando ea quæ debet, facit.* Quibus verbis constar plura esse timenda in eius vsu, aut quod non expurget, aut quod multum educat, aut quod extrahat quæ non solet. Quæ inconuenientia Galenus animaduertens 2. *de victu acut. text.* 11. dixit; *Imò nullum ex eo quod per venæ sectionem fit, periculum impendet, eo discrimen maximum subeunte, quod per purgationem tentatur, & potissimum si laborantis naturam expertus quis non fuerit; si enim naturam hominis non noueris, tutius est ne plus iusto vacues, vel nullo pacto vacuationem moueas; aut si moueris, non tamen sufficienter vacues: quæ omnia magnas in morbis acutis pariunt offensas, quæ non facilè, vt in iis qui non febricitant, emendantur.* Hæc Galenus, quæ diligenter notanda sunt cùm tradantur velut reprehendendo tacitè Hippocratem expurgationem statim in principio descendentis pleuritidis imperantem. Quibus ego addo, quod etsi ægri quando natura bene valebat, erat idonea expurgationi, potest per morbum facilè mutari, aut quia obstructiones sint in viis per quas deriuandus est humor, aut quia per morbos febriles corpus exsiccatur, aut quia focus putredinis nimis ardeat, & trahat ad se multum ex eo, quod medicamentum commouit, vt de carnibus calidioribus Hippocrates dixit *lib.* iam *citato*. Et cùm Authores crudam materiam expurgantes fateantur eam esse malignam, & corruptam, magna inde oritur dubitatio, si eam iam corrupta habeat cum medicamento familiaritatem, vt educi, & trahi ab eo possit, nam si cum bile naturali habet rhabarbarum conuenientiam, & eam reuera expurgat, vt docuit Hippocrates *lib. de natura humana*, quando malignè corrumpitur, & in mea opinione formam priorem amittit, videtur probabilissimum, quod cum tali humore corrupto non habeat analogiam. Quo fundamento multi putant in principio expurgandum non esse, quia cum humore putrido non datur in medicamento aliqua conuenientia. Et à simili ratio non leuis adduci potest; nam rhabarbarum si putrescat, aut carie corrumpatur, non expurgat, quia vis actiua in eo deperditur, & euanuit ob putredinem, & cariem; ergo eadem ratione ob eandem mutationem putredinalem amittet bilis eam qualitatum proportionem, qua familiaris rhabarbaro erat, cùm mutetur non dubiè modus substantiæ, in quo ea familiaritas consistebat. Quod si adhuc dicas, quod per putredinem non amittitur tota similitudo, alioqui materia turgens non esset educibilis, quod est contra omnes Medicos, saltem negare non poteris, quod maior multò similitudo detur inter bilem naturalem, quàm inter putridam, & medicamentum, & per consequens naturalis non dubiè efficacius trahetur, & prius putrida, aut omninò derelicta, aut leuissimè purgata, quod erit magnum incommodum: præterquam quod materia turgens non constat, quod sit iam putrida, & mutauerit formam; mouetur enim, vt in foco putrescat, & febrem generet; & quia omnes partes robustæ satis sunt, vt nulla sit alia debilior, ideo in nulla detinetur, sed per totum diuagatur, donec in aliqua parte firmatur, & febrem generat ibi putrescens.

Et in hac febre habet hoc dubium magnam vim: fatentur enim Authores, & notauit doctissimè Fracastorius, quod seminaria contagionis habent analogiam cum sanguine, & deducit ex eo, quòd ferè semper maculæ rubræ in hoc malo conspiciuntur: sanguis verò non cadit sub obiecto expurgationis, quando materia antecedens est, sed quando iam malignam corruptionem acquisiuit, multò minus quia non mutatur in humorem naturalem, neque in præternaturalem. Si verum est, quod datur febris sanguini propria, & ex ipsis maculis rubris euidenter constat, quod non sit mutatus in alium humorem, alioqui aut pallidæ, aut nigræ apparerent perpetuò, quomodo ergo tam indubitanter authores huius opinionis expurgationem consulunt, si materia mali ex propria natura eam recusat.

Et quod dicit Mercatus esse expurgandum sexta die, est omninò præter rationem; nam in primis, si morbus per pares moueatur, aut eo die maior, & vehementior accessio fiat, vt est frequentissimum, quando more duplicis, aut duarum tertianarum maligna febris periodicat, esset perniciosum in sexta expurgare: deinde quia eo die potest esse iam morbus in augmento, aut vigore, cùm sæpè in vndecima terminetur, & aliquando in septima, interdum verò ad vigesimum extendatur, in quo euentu etiam post septimam diem expurgatio poterit esse vtilis; summum enim peccatum putat, quod transacta septima die expurgatio impetetur, quod non probat. Nam si post septimam materia sit omninò cruda, & nondum maculæ apparere cœperint, quid impedit expurgationem, si à malitia indicatur; & ex ipsa cruditate constat, nec coctionem esse inceptam, nec succos firmatos, & naturam esse impotentem ad concoquendum. Multa itaque dicit ille author legislatoris more; non decet verò peritos Medicos ita docere, sed rationem dictorum, & præsertim ad praxim pertinentium ad amussim tradere, vt scientiam, aut probabilitatem generent. Est enim euidens, quod post diem septimam potest esse morbus cum eadem dispositione, in qua erat in sexta, vt eodem modo expurgatio indicetur; nil enim contra Hippocratem acerbius tulit Galenus, quàm quod à numero dierum sumatur indicatio ad medica auxilia celebranda, quippe in quolibet die, in quo indicationes concurrunt ad aliquod auxilium, debet imperari. Quid Mercatum mouet, vt in die sexta expurgationem imperaret? nil certè aliud quàm prauitas, & malignitas causæ, & quod sanguis sufficienter missus iam sit, & quod nondum natura coctionis signa ostenderit, & inde vt leuetur à prauitate humorum, quos ob malitiam non esse coctiles timet, minorare illos procurat: at hæ indicationes post septimam dantur, & magis vrgentes, vt idem auxilium imperetur. Constat clarè, quia non dantur signa coctionis post septimam, imò & maioris cruditatis esse possunt; & constat magis de naturæ impotentia, & morbi efficacia, quia sub maiori tempore, & diutius ab arte adiuta coctionem non potuit inchoare: ergo maior timor de victoria naturæ, & maior corruptio in causa; quid ergo obstat, quod dies septima transacta iam sit, vt expurgatio, si conuenit, non imperetur.

Sed quod hos authores ad expurgandam crudam materiam inuitat, alios deterret; eos enim inuitat malignitas causæ, quæ dehortatur alios, quia vt in malignis febribus, & morbis timet Mercatus, quod natura crises tentet, & taliter reformidat, quod adhuc cocta materia iudicia praua fieri doceat, eadem ratione est timenda expurgatio, & multò magis. Ergo vt Medicus tentare non potest, quod natura materiam malignam, crudam tamen moueat, ita nec expurgare. Patet discursus, quia ad mortem ferè semper ea iudicia terminantur, eo quòd materiam non coctam euacuat; ergo cùm euacuetur à medicamento cum simili cruditate, eadem incommoda sequentur. Si

ergo

ergo commotio à natura facta in materia maligna, tam grauia symptomata causat, etiamsi natura secernat prauam materiam à bona, & eam reiiciat: quod tam commodè, & tam naturali operatione medicamentum efficere implicat; idem periculum ab expurgatione sequetur, quod crisis symptomatica inducere potest, quia est etiam expurgatio suo modo crisis symptomatica, quando cruda est materia, quia intempestiua. Aduertite me loqui de crisi symptomatica, vt causa est grauiorum accidentium, non vt est signum. Inquiro enim, cur tam exitialia symptomata, quando materiam non coctam natura euacuat, suscitantur? quicquid vt causam tradas, inuenies non dubiè quando à medicamento trahitur; ergo excitabit idem periculum. Si rursus consideres quod directè natura euacuat quod sibi molestat, & malignum est, & hoc faciendo, vtile retinere potest, & quod medicamentum non habet tantam conuenientiam cum humore malignè corrupto, sicut cum naturali, & quod naturalem non trahere repugnat, & quod fortassis non trahit vnde oportet, neque quod moueat multa, & pauca euacuet, aut quod cum multa motione euacuet superfluè, aut non sufficienter, vt dicebat Galenus *de vict. acut. citato*, deduces facilè cum quanto periculo expurgatio tentetur, & erit multò maius, quò malignior, & acutior morbus fuerit, ita vt aliqui Authores minoratiuam expurgationem consulentes, eam reformident, quando materia venefica, & pestilens est, quia commotio malignorum, & pestilentium est periculosissima, quia cor ei consentiens debilitatur extremè; & cùm causa malignarum, & pestilentium febrium actiuissima sit, non potest non esse eius agitatio perniciosa, quia actiuior redditur in ordine ad nouam materiam, cui de nouo applicatur, quippe si vncia humoris maligni erat sibi continua, non operabatur tota, quia non erat tota nouo passo applicata, & quando commouetur, applicatur non dubiè nouo passo, quod de nouo corrumpere incipit. Et hoc est quod Princeps noster timuit, dicendo; quod *expurgatio in principio fortassè permiscet malignum cum bono*. Itaque ego existimo, eadem mala debere timeri ab expurgatione, quæ in crisi symptomatica crudam materiam euacuante Galenus timet; nam expurgatio crisis non dubiè est suo modo, seu ab arte facta, quia euacuat eodem modo, & per eandem regionem qua natura, quando per secessum morbum iudicare tentat.

Audiamus Galenum 3. *de cris. cap.* 5. dicentem: *Esto igitur, vt in die quatuordecimo spes sit fore statum, & aut ob morbi magnitudinem, vel eiusdem velocitatem, vel propter aliquod aliud extrinsecum irritamentum crisis die vndecimo anticipet, neque ipsam perfectam, nec omnino bonam quimus sperare, sed hoc tempore omnino timendum est, præsertim si neque in totum morbus periculo vacat: quod si salubris apparuerit, verendum est ne crisis, vel cum grauibus fiat accidentibus, vel non perfecta, vel omninò reuertatur, adeò magnam habent vim coctiones, ac propterea etiam morbi status, &c.* Constat verò tot pericula, eo quòd natura materiam non emendatam exagitauit, venisse; & extra dubium est, quod expurgatio inter extrinseca irritamenta enumerari debeat naturam irritantia, vt symptomaticam crisim tentet, nam expurgatio pellente natura fit, vt pellit in crisibus, & irritata ab extrinseco, medicamento scilicet; expendoque illa verba, *quod etiamsi morbus salubris apparuerit, verendum est ne crisis cum grauibus fiat accidentibus*; quid ergo non timendum, quando materia maligna, aut pestilens commouetur, & morbus tam periculosus est, in quo præsertim timendum esse Galenus docet. Omitto Galeni locum ex 4. *aphor. com.* 22. vbi scripsit; *Quo enim tempore à causis morbum facientibus natura grauatur, & adest cruditas humorum, tunc aliquid vtiliter euacuare est impossibile.* Quæ verba magni ponderis certè sunt,

A tum quia supponit naturam grauari, & ob id expellere, & quia materiam crudam euacuat, etiamsi euacuet id quod eam grauat, esse impossibile quod cum vtilitate euacuet: qua ergo fiducia poterit Medicus commodum aliquod ex euacuatione crudæ materiæ grauantis separare, si id impossibile ipsi sagaci naturæ Galenus iudicat? Est verò quod mouet Authores contrarium sustinentes, multitudo materiæ naturam grauantis.

Est alius locus celebris Galeni *lib. aduersus Iulianum, cap.* 7. Verba sunt; *Enimverò quemadmodum cùm bilis multa in corpore continetur, sæpius facile fit, dum febris absit, eam ipsam euacuare, si ante acuta correptus febre homo fuerit, difficillimum id redditur, nec enim licuerit absque periculo purgante tunc vti medicamento.* Quid clarius, etiamsi supponat multam bilem tanquam materiam antecedentem; B maiori tamen rigore loquutus fuit 1. *de cris. cap.* 9. exponendo *aphorismum* 22. *lib.* 1. nam de turgentibus succis loquens quando cruda est materia, & in principiis, dicit; *Nam in iis tantùm quispiam rationabiliter pharmaco vteretur, &c.* Ergo in iis tantùm turgentibus, sicut in nullo alio humorum statu, quando crudi sunt, rationabiliter expurgari possunt. Estque notanda doctrina Galeni 2. *aphor. com.* 36. in quo dixit Hippocrates: *Qui sanitate corpor. fruuntur medicamenta expurgantia assumentes, statim debilitantur, & qui prauo vtuntur cibo.* Galenus *in com.* *Qui verò vitiosè vtuntur alimento ob malorum humorum superabundantiam, facilè exsoluuntur in purgationibus*: nulla verò abundantia malignior, quàm in iis febribus, & pesti- C lentibus datur; ergo si expurgentur, debilitabitur æger statim.

Est ergo sententia nostra, quod in malignis febribus non sit expurgandum, nisi in sequentibus casibus. Primus est quando in primis viis, seu in prima regione origo mali continetur, de quo iam diximus, in principio esse inchoandam medelam ab expurgatione lenioribus medicamentis celebrata, deinde roborandus ventriculus, deinde si malum in secunda regione sit, venam esse secandam.

Secundus casus est, quando natura actu mouet humores vitiatos, & malignos turgentia propria, aut impropria. De turgentia propria quæstio non est, cum sit concors omnium sententia cum Hippocrate 1. *aphor.* 22 & 4. *aphor.* 1. esse statim educendos; D *Medicare* (inquit Hippocrates) *in valde acutis, si materia turget, eadem die, tardare enim in talibus malum est*: & primo loco, cruda non esse euacuanda nisi turgeant. Turgentia impropria est, quando natura mouet in vias ventris inferioris, & mouet segniter, aut nihil euacuat; constat enim per alui murmur, aut eius intumescentiam, quod natura in eam regionem humores incliner, licèt nihil, vt solet, reiiciat. Ratio est, quia humores à natura commouentur, & per partem, seu regionem idoneam; vnde dato leuissimo medicamento felix euacuatio sequitur; & quod natura præ onere, aut debilitate reiicere nequibat, leui auxilio adiuta euacuationem perficit. Hæc est expressa doctrina Hippocratis 4. *de victus ratione in acutis, text.* E 64. dicentis; *Hos si ab initio purgare volueris, antè diem quintum facito, vbi venter murmurauerit; si non, à medicamentis abstineto, verùm si murmurauerit, fuerintque excrementa biliosa, scammonea mediocriter purgato.* Ratio est, quia humores exagitati naturam molestari ab eis significant, ita vt eos ante coctionem euacuet, quos cum non retineat, coquere etiam repugnat; Educendi ergo statim sunt, quia noxæ, & incommoda ex commotione intempestiua iam adsunt; vtilitas verò ex eorum euacuatione sequenda deficit, quia à natura non euacuantur; educendi ergo sunt. Quam sententiam in eius loci expositione Galenus admittit dicendo; *Ait siquidem considerandam esse aluum, quam per murmurationes cognitam purgandam*

esse

esse præcipit, & si biliosa deorsum repant, scammoneam biliosa expurgantem exhibet. Et Vallesius noster in eiusdem loci expositione dicit, esse traditum ab Hippocrate præceptum quoddam generale pro curatione omnium acutorum morborum, vt dicebatur etiam 1. *aphor. 29. Inchoantibus morbis, si quid tibi videtur mouendum, moue*; videri autem debet cùm materia turget, nec solum cum verè, ac propriissimè turget, hac & illac reciprocè acta, sed vtcumque succi quieti non sint, & ex parte in partem ferantur, præcipue cum feruntur versus ventrem; nam *quò vergit natura per loca conferentia, eo ducere oportet.* Itaque murmurare ventrem, & deiectiones biliosas apparere, non propriissimam, turgentiam tamen quandam significat, ferri enim bilem sponte versus ventrem. Cùm ergo hæc apparent, meritò valet ab initio purgare; id verò quod hic Hippocrates docuit, in filio cuiusdam Pythionis execuit 7. *epid. text. 106.* est hæc historia: *Pythionis filio febris statim incepit magna, & delapsus in somnum mutus, cum vocis interceptione somni fiebant, & aluus dura per totum tempus; apposito verò suppositorio ex felle, multa egerebat, & statim remittebat, breui verò rursum aluus in tumorem eleuabatur, & exacerbabatur febris, & cataphora per eadem, existente verò eodem ductu, datum est quiddam eorum quæ ex cnico, & cucumere siluestri, & meconio; & biliosa eruperunt, & statim sopor sedatus est, & febris facta mitior, & omnia subleuata, & iudicatus est die quatuordecima.* Est historia celebris ad confirmandum præceptum quod expurgare liceat quando natura in ventrem inferiorem excrementa inclinat, etiamsi nihil euacuet, velut huic euenit; ei enim ob commotus humores in aluum hæc intumuit, & nihil egerebat; apposito verò suppositorio ex felle, multa reiecit, & omnia remittebantur; quia verò natura per eandem regionem excrementorum expulsionem sollicitabat, tertius venter intumuit, & quia non euacuabat excrementa detenta febris, & cataphoræ nouum incrementum afferebant, quod cùm duraret, datum fuit medicamentum expurgans, quod biliosa, & pituitosa educens, soporem eradicauit, & febrem leuiorem reddidit, ita vt cùm essent omnia subleuata ratione expurgationis, in die quatuordecima perfectè iudicatus fuit. En exemplum perspicuum expurgationis in febre ardente cum cataphora in mali principio, quia per alui intumescentiam constabat in eam succos naturam reiecisse, & ibi detentos somnum grauem, & febrem magnam induxisse; qua methodo quando venter non inflatur, nec intumescit tam manifestè, sed per murmur vt solet, vergentia humoris in illum se ostentat, leuiori medicamento exhibito, multitudo detenta, commota tamen, facillimè absque vlla noxa educitur, & maximè confert; alioqui iustè timendum est, ne succi exagitati, & non educti recurrant rursus ad interiora, aut in infernis detenti inflammationem, aut insignes obstructiones, & molestiam causent. Quod si simul cum murmure aliquid natura deiecerit, clarius constabit quod dato medicamento iuuari desiderat, diligenter tamen notando, ne murmur solum ventris vos seducat, à flatu enim esse solet; rarissimum tamen erit, quod non euacuetur aliquid humoris, quando succi agitantur, & si non educatur aliquid, venter intumescet vt in filio Pythionis, in quo euentu per tactum hypogastrium & venter inferior diligenter explorabuntur, & si non sit tumor durus, aut aliud tactui renitens, expurgatio securissimè imperabitur; si verò aliquid inflammatorium, aut pertinaces obstructiones adfuerint, cauenda vt perniciosa expurgatio, quia succi attracti in loco inflammato, aut obstructo inculcati, & inflammationem, & obstructiones geminant, & inde malum etiam duplicatur.

Hunc locum meo iudicio non intellexit Massarias *in sua disp. de purgatione in morborum principiis*; nec ego A existimo, quod expurgatio ob vergentiam humoris in vias euacuationis naturalis, est reuulsoria, sicut neque illa, quæ ob turgentiam celebratur, quia humores firmati in aliqua parte non sunt, sed a natura agitantur, quos quia non euacuat, a medicamento dirigitur, vt per vias naturales eos detrudat, in quo etiam Vallesius peccauit 2. *Epid. sect. 3. text. 18.* Galenus *com. 1. de humoribus, text. 11.* non adduxit aliam rationem ob quam turgentes humores sunt euacuandi, nisi quia a natura actu mouentur, & sic à medicamento commodè, & facile trahi possunt, quod cum non dubie inueniatur in casu nostro, non minus quam in turgentibus educi debent, mouet enim plus multò, quàm euacuet natura. Est verò periculosissimum humores iam exagitatos interius permittere, quia nisi euacuentur, in parte interna firmari necesse est, in ea scilicet, quæ debilior
B præ cæteris sit. Est verò omnis decubitus ad interna periculosus, etsi ad partem principem humor præcipitetur desperatus, vt in filio Pythionis constabat; nam succi in ventrem aspulsi, quia non excernebantur, cerebrum cum cataphora, & cor cum febre ardenti expugnare cœperant, qui si non educerentur, apoplexia, & febre acuta mortem non dubiè forent allaturi.

His casibus exceptis, securior praxis mihi videtur, non esse minoratiuam expurgationem imperandam in maligna febre, ad euacuandam materiam putridam actu iam febrem efficientem, & cum sanguine mixtam; nam de materia antecedente alia quæstio sit, vt in fine
C decebo; sed secanda vena est iuxta mali grauitatem, & virium permissionem, & deonerandа natura citissime, & quantum vires (vt dixi) permiserint: in hoc enim consistit euentus felicior, & post missionem sanguinis quiescendum esse, vrgendum ægrotantem, attemperandos humores, deobstruendum corpus, concoquenda putrida, & impediendum ne putredo serpat; & antidotis expugnanda venefica qualitas, præcauendæ etiam partes principes, si tentari cœperint, alioqui minimè; semper enim perniciosa praxis mihi apparuit, quod caput statim oxyrrhodino, cor vnguentis, aut liquidis epithematis, ventriculus roborantibus, hypochondria fomentis, aut iecur attemperantibus muniantur, vt sine discrimine imperari faciunt; tanta enim auxiliorum farrago, præterquam quod ægris fastidiosa, & mole-
D stissima est, & de seipsis periculosius cogitant, quòd tantis auxiliis vt liberentur, egeant, naturam etiam valdè debilitant. Nam si Galenus de medicamento aut auxilio ad vnguem propinato dixit, quod non potest aliquo modo non nocere, quid sperandum vbi tot auxilia simul, & assiduè applicantur, si quodlibet eorum aliquo modo nocere debet? Exspirant etiam tot medicamenta ingratos, molestosque odores nobis omninò insuetos, & extraneos, quibus inappetentes fiunt ægri, & sibi intolerabiles. Quod si in applicatione tot auxiliorum aliquod peccatum committatur, quod non euenire rarissimum est, aut quia in occasione non debita, aut quia non vt decet, attemperata, aut quia non legitimè præparata applicentur, virtus, & natura destrui-
E tur, quia molestissimè fert tot auxilia, quia aliquo modo nocentia, & multò magis quia insueta, ob quod si caput non doleat, si cor non patiatur nimis, nec ventriculus debilis percipiatur, absque vllo remedio relinquenda, cùm laxia sint omnia extrinseca auxilia, & contra tantum morbum inualida, paruique momenti. Medicus enim generosus contra morbi causam egregiè pugnare debet, eam statim minuendo; & eius actiuitatem, putredinosamque naturam, contagionemque remorando, ne in humores sibi proximos serpat, nec leuioribus accidentibus terreatur, vt eis statim tanta auxiliorum diuersitate occurrat ægros mille modis molestante: symptomata enim, quæ grauia non sunt, auxiliis non egent, omnia enim, si morbus vt

decet

decet curetur, mitiora redduntur, aut breuiſſimè euaneſcunt.

Ratio à priori pro noſtra curatione eſt, quod in antiquis Patribus, Hippocrate nimirum, & Galeno, etiamſi diuerſi, & grauiſſimis peſtilentibus febribus ſuis temporibus miſerè graſſantibus occurriſſe legamus, nunquam legimus, quod præ malignitate ſuccorum febres acutas creantium ſit expurganda cruda materia: imò quò acutior eſt morbus, tantò magis expurgare extimeſcunt, quia quodlibet erratum (vt Galenus notauit doctiſſimè) in acutis morbis inemendabilem noxam parit. Nullum autem auxilium eſt meo iudicio in arte medica infeliciori euentui, maiorique infortunio, aut errato ita expoſitum, vt expurgatio in acutis febribus, vt ex loco iam tradito ex *lib. de medicinis expurgantibus* Hippocratis conſtat, vt ipſa auxilij incertitudo pro ſolutione ſit omnium argumentorum expurgationem ſuadentium, & magis eneruantur ob pericula, quæ ſi non benè ſuccedat, inemendabilia fiunt, vt Galenus 2. *de victu acut. text.* 11. aduertit: & vt antea diximus, ipſa malignitas, & prauitas putredinis, expurgationem dehortantur, quia commota materia maligna extremè debilitat, & ſuccis aliis exquiſitius miſcetur, eóſque corrumpit, nec conſtat ſi cum tam prauæ corruptionis humoribus, per naturalem modum ſubſtantiæ, in quo familiaritas cum medicamento conſiſtebat, habeat iam medicamentum analogiam, aut conuenientiam aliquam, vt eos trahere poſſit. Ob id Hippocrates 3. *epid. ſect.* 3. *text.* 56. conſultò notauit, quod in illa peſte plurimi expurgati perierunt, in cuius rei confirmationem *lib. de humoribus, in com.* 1. *Galen. text.* 21. ſic reliquit ſcriptum; *Multa autem purganda ſunt, eaque non propè indicationem, ſed longius, rarò autem in acutis multa ducenda ſunt, in delaſſatis verò totum.* Galenus *in com.* ſic loquitur; *Facultas igitur quæ aliena expellit, ea eſt, quæ indicationes in morbis facit, proinde cùm omnia ea quæ in animante ſunt, iam concocta ſint, tunc optimæ indicationes fiunt; prius autem expelli, ac indicationem præuenire, malum eſt, propterea quod cum iis quæ noxia ſint, etiam vtilia excernantur: id quod fieri ſolet, cùm natura vel à medico, vel ab iis quæ corpore continentur, irritetur.* Quæ verba, ſi rectè expendantur, magni momenti ſunt, nam ſi natura, quæ in ſuis operibus tam ſagax agnoſcitur, quando humorem putridum, & crudum moleſtantem reiicere tentat, nequit bonum à malo ſeiungere, & ſeparare, ſed cum noxio ſucco quæ ſunt vtilia vnà detrudit, & ſic lædit, & tam grauiter; quomodo ab arte id fieri poterit ſine hoc incommodo? Et inferiùs ſic loquitur; *Quod autem addit, rarò autem in acutis multa ducenda ſunt, rectè cenſuit; eſt enim explicata ſententia in morbis acutis, ſolùm in principio interdum vtiliter adhiberi purgationem poſſe, ſicut in longis morbis ſemper eſt expectanda maturatio, in acutis verò etiam in principio purgante medicamento vti poſſumus, ſi turgeant, idque erit magna animaduerſione faciendum, ſiquidem non mediocre periculum impendet, ſi quis in morbo acuto malè medicetur; debet enim Medicus hoc attendere, vt æger maiorem fructum ex noxiorum humorum euacuatione ferat, quàm noxam quâ corpora à medicamentis expurgantibus neceſſariò afficiuntur. Erit autem maior vtilitas, ſi omnis humor moleſtus cum tolerandi facilitate, ac ſine moleſtia euacuetur; cùm verò morbus, non modò acutus ſit, ſed vehementiſſimam febrem adiunctam habeat, tunc multò magis ne purgans medicamentum demus, vitandum erit, ac potius per venæ ſectionem facienda euacuatio, ex qua minor quidem extiſtit, quàm ex purgatione vtilitas, multò tamen ſit futura ſecurior, cùm maximum à purgatione periculum immineat, præſertim verò ſi quis naturam ægroti cognitam non habuerit; quidam enim ita naturâ comparati ſunt, vt ægrè purgentur; quidam vel exiguo epoto medicamento copioſè purgantur. At ſi hominis naturam ignores, periculum eſt, ne aut maior quàm par ſit fiat euacuatio, aut ne omninò purgatio moueatur, aut ne tantum quod ſatis ſit, euacuetur, quæ omnia maximas in morbis acutis noxas afferunt, quæ res fecit vt ipſe in aphoriſmis hanc ſententiam ſcriptam reliquerit, in acutis morbis rarò, & in principiis purgante medicamento vti oportet, atque id conſideratè admodum efficiendum:* hæc Galenus.

Eſt locus celebris ob duo, & quia in humoribus turgentibus venæ ſectionem admittit, & multò magis, quia adhuc in turgentibus humoribus ſic Galenus expurgare exhorreſcit: quod quamuis videatur eſſe adæquatum, & proportionatum eorum remedium, eſt nihilominus periculoſiſſimum ob incertitudinem proſperi effectus, qui ex tam multis pendet, vt venam ſecare ſit tutius, etſi minoris commodi ſit, quàm cum dubio, etſi indicato remedio, tot periculis quot in ſe includit, ægros exponere. Si igitur in acutis, quando humores turgent, tam periculoſa eſt expurgatio [illegible] in principio, erit non dubiè periculoſior, quando humores quieti, & firmati ſunt; nam expurgatio erit magis dubia quòd naturam adminiculantem non habeat, vt in turgentibus, & incommoda euacuandi crudam materiam ineuitabilia ſint: idque Galenus perſpicuè tradidit *eodem comment.* 2. *de humoribus, text.* 15. dicendo: *Quo ſanè caſu tantummodo quiſpiam in principio medicamentis conuenientibus rationi, & accommodatè vtetur, quippe qui motum humorum, ſuccorum in corpore redundantium ad faciliùs attrahendum adiuuantem habeat, quod ea quæ ex toto incocta ſunt, ſtabilia, infixaque ſint, idcoque vix, & difficulter trahi à medicamentis purgantibus queant, &c.* Et inferius: *Cæterum in crudis abſtinendum omninò à purgatione eſt.* Rectè (inquit Galenus) cenſet Hippocrates medicari oportere concocta, & non cruda, nec in principiis, niſi turgeant, hoc eſt niſi motus ad excretionem ipſa concitet, nec ad vnam partem adhuc vllam firmam inclinationem, ac ſtationem habeat, ſed humores ita contineat vt moueantur, ferantur, & fluant. Inclinatio firma eſt motus in partem determinatam, vt quando ad pleuram, aut cerebrum, aut aliam partem determinatè natura expellit humores, vt ibi putreſiant; & hoc idem reſpectu humorum, qui ad focum putredinis mittuntur ad faciendas acceſſiones, intelligendum eſt; mouentur enim, vt in partibus inflammatis, aut rationem foci determinati habentibus ſtationem habeant, & firmitudinem, & ſic adduci non poſſunt purgante medicamento; debent ergo expurgari humores, qui ita in partibus ſunt, aut ab eis continentur, vt moueantur, ferantur, & fluant, vt continentur quando turgent; expelluntur enim à qualibet in aliam.

Repetamus igitur ſine quibus expurgatio felix eſſe non poteſt, vt inde conſtet huius auxilij temeritas. Primum ſit idonea quantitas medicamenti in ordine ad hoc indiuiduum. Secundum, quod medicamentum rectè actuetur, & non corrumpatur. Tertium, quod humor corruptus attrahendus ob corruptionem familiaritatem cum medicamento non perdiderit, vt inde inculpati trahantur, & manentibus corruptis ſyncerioribus, quia cum bonis minus emendati ſunt, eo quòd per expurgationem boni ſint reiecti, crudelius ægros (quod par eſt) afficiant, hoc enim eſt mihi magnæ conſiderationis. Quartum, quod humor attrahendus malignus in diſtantia ſit, à qua commodè trahi poſſit. Quintum, quod educatur in quantitate, quæ auxilio eſſe poſſit, & non in maiori, aut minori; nam illa virtutem debilitat, & ſi alui fluxio duret, idoneam curationem febris & putredinis omninò interturbat, & impedit, cùm ſit pernicioſa complicatio diarrhæa cum putrida febre, hæc enim deobſtruentia, attemperantia, & largiorem potum, liquidioremque cibum requirit: alui fluxio hæc non

admittit, sed crassiora alimenta, & potus parsimoniam exposcit, & quod deterius est, astringentia, & glutinosa auxilia petit, quæ pro putredine, & obstructione pernicies certa sunt. Omitto debilitatem, & molestiam ab alui fluxione, inexcusabile fastidium cibi, & somni intermissionem, aut ablationem, corporis lassitudinem, & implacabilem sitim; hæc enim alui fluxiones, corruptorum humorum præcipuè, comitantur perpetuò: si verò minus quam decet, euacuetur, præterquam quod æger vehementer tristatur, quòd in largiori euacuatione spem salutis vulgus semper collocauerit, nullius fructus extitit auxilium, incommodi verò maximi, quia cum multorum, & malignorum commotione paucissimum euacuatur. Galenus verò *com. 2. de humoribus, text.* 21. vt sit maior expurgationis vtilitas, quàm noxa, vt omnis humor molestus cum tolerantia facultatis, ac sine molestia educatur, requirit; est verò impossibile id in principiis morborum euenire, est & omninò extra institutum minorantis expurgationis, quæ partem materiæ peccantis extrahere solùm intendit, non totum humorem.

Sextò requiritur, quod humor crassus, glutinosúsque non sit, quia difficilè trahitur, & medicamentum efficacius requirit, quod eo ipso periculosius est, vnde opinio nostri Vallesij mihi non probatur in historia Fullonis; docet enim, quod febris maligna à succis multis, & crassis dependet, & nascitur, & cum hoc expurgationem minorantem consulit, cùm nihil felici expurgationi plus obstet, quàm copia succorum crassorum, repugnat enim corpus obstructum vehementer non esse, si multitudo crassorum simul admittatur, qui vt dixi, perdifficilè trahuntur, & medicamentum quod magnam commotionem efficiat, requirunt, & idonea corporis præparatio, qualis ad crassorum expurgationem requiritur, in tempore tam breui, quale acuti morbi permittunt, fieri repugnat.

Septimò requiritur, quod in iecore, liene, mesenteco, & viis aliis per quas humor est deriuandus, obstructiones, aut aliquis affectus inflammatorius non detur, alioqui exitium certum, & non remedium erit expurgare: ilia inflata, distenta, & incensa esse non debent, quod tam rarum est in principiis acutorum morborum, sicut per tertianas iecur non pati, per quartanas lienem, per quotidianas ventriculum; quod Galenus 1. *ad Glauconem* docuit, estque eius doctrina in acutis verior, quia eo ipso acutæ, & continuæ sunt febres, quòd vitia maiora, magisque firma viscera obsideant, quæ semper diuinus Hippocrates per tactum diligentissimè explorauit, vt foco putredinis, & origini mali statim occurreret, indicans rarò affectum non esse, aut incendio, aut obstructionibus, aut inflammationa vera, aut ex cruditatibus flatuosa distensione.

Neque authores hactenus definierunt, quando cessandum sit à missione sanguinis, & imperanda expurgatio, quia si sanguinis missio purgationem debet præire, aut est inaniendus æger tantum quantum morbus requirit, & virtus sustinere potest, & quando iam non constat virtus pro mittendo sanguine, expurgandum esse, & si hoc dicatur, oritur controuersia magna, si virtus maior ad axpurgationem requiratur, quod iam in scholis non sine fundamento defenditur. Si verò vlterius ad secandam venam virtus constet, non videtur idonea expurgatio, quia si ante expurgationem celebranda est, semper quod ad secandam venam constat virtus, & morbus non coquitur, adsunt indicantia venæ sectionem, quæ cùm non dubiè sit auxilium securius, & vt diximus, expurgatio quædam, semper quod indicatur, debet celebrari. En multa quæ felix expurgatio requirit, & quia tanta, eam dehortantur acutæ passiones febriles, quia cum magna incertitudine, & non cum minori periculo imperatur, præcipuè quando febris in-

A taosa est, vt Hippoc. *lib. de medicinis expurgantibus* docuit: intensio tamen, si in internis sit, & si exteriora tepida appareant, hoc auxilium multò magis recusat, quia incendium vbi fit, absorbet; trahitque ad se quicquid à medicamento agitatur; est enim malignarum febrium formula fallacissima, cùm vrant interna, & velut exulcerent, & externa tepescant, quod triuiales Medicos vel facilè illudere potest, & in malignis & pestilentibus febribus est periculosior, quia in illis semper ferè natura ad ambitum expellere seminaria contagiosa procurat, cui inclinationi expurgatio intro omnia trahens aduersatur directè. Ad huius doctrinæ confirmationem magni semper feci præceptum Hippocratis 4. *de victus ratione in acutis, text.* 22. dicentis;
B *Quicunque autem ea quæ inflammantur, statim inter initia morborum medicamento soluere conantur, ij non solùm ab intenta, inflammatáque parte nihil adimunt, cùm non cedat, obsequaturque quæ adhuc cruda est affectio, verùm quoque, & quæ morbo aduersa, & sana sunt, absumunt, contabefaciuntque, ductóque ad imbecillitatem corpore, morbus superior euadit, qui vbi corpus vicerit, remedium non habet.* Hæc Hippocrates, Quæ meo iudicio eandem veritatem in acutis sortiuntur, nimirum vt in inflammationibus datur certus locus, in quam natura humores violenter, determinatéque reiicit, sic in acutis febribus datur locus determinatus, quem Galenus focum putredinis appellat, in quem (non minus quàm in locum inflammatum) molestos, & vitiatos humores natura præcipitat, vt accessiones faciat, in
C quo, & incendium internum, & obstructiones stabiles, humorumque cineritium seruantur, & à quo nihil, vt à loco verè inflammato potest educi, implicatque febrem moderari, si quæ in foco sunt, non corrigantur, & inde, vt amethodè in principio inflammationum expurgatio imperatur, sic in initio febrium quandiu cruda est materia, quia quod in foco vbi inquinantur humores ad nouas accessiones continetur, educi repugnat, quia crudum, obstruens, reconditum, impactumque est, & quando iam natura in partem determinatam, quin eam debilem agnoscit, excrementa, aut humores transmittit, & ipsa pars incalescens non minus ad se trahit, quò maior fit in succis, & excrementis commotio, maior etiam fit eorundem confluxio, & morbus augetur.

D Est etiam locus Hippocratis 7. *epid. text.* 60. in quo à simili docet, quod expurgatio in principio morborum reddit eos longiores. Verba sunt; *Ob hoc autem non purgandum in principiis, quòd sponte in diuturnis his, an diuturna periculosa?* Quasi diceret, si morbi in quibus quando incipiunt, euacuat sponte sua natura, eo ipso fiunt longiores, eadem ratione si Medicus in principio euacuet, morbum longiorem reddet; est verò perniciosum acutos morbos longiores reddere, quod etiam 4. *de victu acut. text.* 44. elatiùs ita dixerat; *ventrem ab initio clystere duces, sed medicamenta purgantia non admouebis, nempe si ventrem moueris, vrina non maturabitur, febrisque tum citra sudorem, tum indicationem in longum protrahetur tempus*; quod Galenus in eius loci
E expositione sine exceptione aliqua admittit vt verum, quod etiam *texeu* 43. docuerat. *Si vrina* (inquit Hippocrates) *inter initia tenues fuerint, tales non purgabis.* Et pro coronide sit ratio nostra, sequeretur enim, quod si in morbis malignis, etiamsi sit cruda materia, esset licitum purgare, id in omnibus morbis etiam liceret, quod nullus dixit. Patet, quia si contra præcepta, quod cruda non purgentur, expurgatio potest morbum lethalem reddere salubrem, etiam salubres morbos, & dubios, etsi lethales non sint, poterit salubriores reddere, & breuiores: si ergo in iis purgatio damnatur, sub cruda materia non erit ob aliud, nisi quia morbus salubris deterior redderetur, & fieri poterit lethalis qui salubris erat, ob intempestiuam expurgationem: ergo pari

ratione

ratione ob eandem lethalis morbus redderetur lethalior, quia ſimilia inconuenientia in omnibus ob expurgationem crudæ materiæ reſultabunt, aut è contra ſi lethalis ſecurior redditur, etiam ſalubris, aut dubius ſecuriores & breuiores manebunt, & per conſequens in omnibus in principio expurgandum, quia ſemper Medicus citò ſi poſſit, mederi tenetur, & multò magis ſecurè. Cardanus *lib.3. de venenis, cap.20.* in tota peſtilentis febris expurgationem in principio, niſi turgeat materia, reprobat, & rationem reddit, quia omnia detrimenta, quæ in febre non peſtilente obſtant, augentur in peſtifera.

Hæc ſunt, quæ mihi proponere libuit, vt minus ſecurum, quàm contraria opinio putat, in acutarum febrium initiis expurgare iudicem: eſtque mihi praxis conſueta ſi remedium ſit opinabile, & periculis expoſitum, & quod illud præſtitutum eſt, poteſt natura ſine illo tentare, & efficere, tanquam certam perniciem illud effugere, & contrariam opinionem amplector, quia mala timenda, & quæ venire poſſunt, non poſſunt impediri deuorato pharmaco: vtilitas verò ab illo expectata, poteſt à ſola natura præſtari, quia illa ſola poteſt aluum mouere, & ſecurius quàm à medicamento, quia mouet quod irritat, & à loco in quo ſtimulat, abſque vlla alteratione de nouo, & receptione ſemiveneni, vt eſt medicamentum expurgans, naturam in actuatione moleſtans, calefaciendo, & ſiccando, affligens torminibus, & tuctibus abominabilibus diſcruciaos, caput tentans, & interdum phrenitide, vt ego vidi, etiamſi felix expurgatio præceſſerat: commotio enim prauorum praua, & periculis magnis expoſita eſt, vt quod multos ſuadet expurgare, vitium nempe ſanguinis extracti, ne deterret, motionem tam prauorum ſuccorum timendo, & damna inemendabilia, quæ includit. Et pro coronide ſufficiat, quod Hippocrates tradit. *3. epid. ſect.3. text.56. & 57.* vbi narrat purgationes læſiſſe plurimos: & Valleſius in expoſitione ſcripſit; *Pharmaca verò rarò non lædunt in morbis peſtilentibus, quia conuocant malignos ſuccos verſus cor, & in os ventriculi, niſi mox in initio turgentibus ſuccis, nam & ſpontanea fluxiones rarò ſunt vtiles, accommodatiores enim ſunt, quæ ex alto corporis in cutem euocant, & tales ſunt arte procuranda per frictiones, cucurbitas ſcarificatas, & ſudoris prouocationem, non tamen ante hac nego debere antecedere miſſionem ſanguinis, & expurgationem turgentium, text.7.*

Quæ ſi te non deterreant, & Hippocratis, ac Galeni doctrinam, quæ tam clara eſt, paruipendas, monſtrationem contra illos teneris adducere, quæ vt ſecurum, ſic inculpatum te reddat: & vt facias, mittes primò ſanguinem, & interim dum mittitur, corpus, & humores diligentiſſimè præparabis, & ventrem inferiorem aſſiduis clyſteribus ſolicitabis, quæ partim emolliant, & partim ſuccos in eum inclinent; idoneam quãtitatem medicamenti cum proprietate diſpenſabis: eſtoque certus, quod humor malignè corruptus non amiſerit cum medicamento familiaritatem, quod ſit in loco à quo commodè educetur, & in quantitate idonea, vt nec ſuperfluat, nec commoueatur multum, & pauciſſimum euacuetur, quòd craſſus, & lentus non ſit, quod regio hypochondriorum non caleat, non ſit obſtructa, nec tenſa, nec affectu inflammatorio laboret, aut aliud viſcus internum, quod febris ſit intus moderata, ne carnes quas medicamentum commouerit, abſorbeat; quòd æger ſit ex iis, qui nec præter modum, nec difficile expurgantur, quòd natura coquere non incæperit, quòd ſanguinis miſſione neceſſitas expurgandi ſuppleri non poſſit, lingua ſcabra, & aſpera non ſit, & venter inferior clyſteribus obedierit; quòd cauſa mali ſanguis non ſit, ſed ingens potius cacochymia, & ſuccorum corruptio, de quorum emendatione deſperans ad remedium tam incertum te impuleris, à quo ægrari remedium, & non calamitatẽ, quam tibi Hippocrates promi-

A ſit, ſperes, nimirum quod æger moriatur, aut quod ab expurgatione deterius ſe habeat: nam quidquid euenerit, culpabit te vulgus, & non grauitatem affectus. Scito enim quod mala ab expurgatione improſpera acutis paſſionibus ſuperuenientia, & ſtatim prehendunt, & grauiſſima ſunt, quia aut phrenitide corripiuntur, aut vt ego vidi, catocho, & apoplectica paſſione, aut diarrhæa inemendabilis, & maligna excitatur, aut incendium intenditur, quod eſt frequentiſſimum, & ſitis maior cum inappetentia fatigat, ad quorum emendationem rurſus ſecare venam neceſſe eſt, & ſi fieri non poſſit (vt eſt probabilius) ideo auxilio æger deſtitutus peribit; quæ pericula certius euenient ſi ægrorum venter ſiccus fuerit, & in aliquam partem ſuperiorem cœperit natura

B humores mouere.

Solutiones argumentorum contrariam partem probantium ex dictis patent, tum quia omnia ſupponunt, crudam materiam eſſe, quæ mouenda non eſt, vt Hippocrates & Galenus docuerunt, & in ſumma tam dubium, & periculoſum eſt auxilium, quod indicatur ab humore maligno (ſi reuerà indicatur) quod cum tanta incertitudine, & periculo imperandum non ſit. Legite Maſſarium *queſtione in principiis morborum*, doctiſſimè enim eam diſcuſſit; & omnia loca expurgationem crudæ materiæ conſulentia dilucidè explicat, vt indubitatum videatur, contra Hippocratem, & Galenum apertè opinari crudam materiam expurgantes extra turgentiam. Nos etiam locum ſingularem adduximus *lib. aduerſus Iulianum, cap.7.* in quo bilam multam an-

C tequam putreſcat, expurgationem indicare Galenus docuit: ſi tamen putredinem concipiat, nullo modo eam admittit Galenus, donec concocta materia ſit; eſtque primum argumentum Valleſij non ſolum inane, ſed periculo plenum. Eſto enim quod aliquando natura, etſi ſymptomaticè euacuet, euacuet vtiliter, id tamen rariſſimum eſt, cùm contrarium ſit frequentiſſimum, euacuare nimirum lethaliter, aut cum magno periculo. Eſt verò temerarium præceptum, quod in omnibus malignis, & peſtilentibus morbis, aut ex multa materia pendentibus, ſit indefectuosè euacuandum, eo quòd natura aliquando vtiliter ſymptomaticè euacuet, cùm id ſit rariſſimum, frequentiſſimum verò exitialiter crudam materiam mouere, vt loco ex 3. *epid.* ex eius

D doctrina conſtat.

Illud tamen notandum eſt, quod Maſſarias, qui tam acerbè expurgationem crudæ materiæ tulit, eam ſolum reprobet, quæ medicamentis ſeligentibus fieri debet: nam *lib.5. de febribus, cap.16. ad finem*, ſic reliquit ſcriptum: *Quod ſi altera ex parte coctio humorum tardiùs procedat, ſicut procedit ſæpenumerò, ratio perſuadet, & longior experientia mihi iamdia confirmauit, ſumma cum vtilitate lenientia medicamenta ſemel, atque iterum poſſe adminiſtrari; itaque tunc Socrati rurſum, vel caſſiam, vel quid ſimile exhibeatis, nec ſine integra coctione ad valentiora expurgantia medicamenta audeatis deuenire.* Hæc Maſſarias. Qui ſi rationem idoneam huius præcepti reddidiſſet, magnæ non dubiè æſtimationis eſſet, cur ſcilicet tam expertum auxilium minorando materiam

E crudam non lædat, ſed ſit vtiliſſimum: ſi verò rhabarbaro, & aliis benignis medicamentis minorare intendamus, tam exitioſum, & periculoſum ſit. Non videtur alia ſolutio idonea, niſi quod hæc auxilia maiorem commotionem in humoribus cauſant, aut maiori impetu trahunt, & ſic humores maiori quantitate impetuoſius attracti per vias non ſatis deobſtructas (quia ſi eſſent, non præualeret tam pertinaciter putredo) ſe in illis inculcant, & obſtructiones, & febris augentur: crederem potius eam lenientem purgationem tam felicem fuiſſe, quod in prima regione manebat adhuc cauſa, & origo febris; quæ humores ſecundæ regionis contaminabat, aut à prima in ſecundam deriuabantur; nam contra Maſſariam & eius doctrinam

tam acriter materiæ crudæ expurgationem reprehendentem: stat hæc ratio efficacissima, nimirum, quod si materia cruda eo purganda non est, quia quieta manet, & à natura retinetur, indiget non dubiè medicamento efficaciore, quàm quando cocta iam est. Patet clarè, quia plus tractioni medicamenti reluctatur, quò crudior: non ergo videntur idonea laxantia solùm, aut lenientia auxilia ad minorandam materiam secundæ regionis, vt vtilis esse possit euacuatio, sed solum erunt vtilia quando (vt dixi) in prima regione humor vitiosus continetur, præcipuè in causa iecinoris, à qua & facilè educitur, & in qua hoc incommodum facit, nempe quòd alimentum per eam transeundum contaminet, & sic magnæ vtilitatis eam expurgationem fuisse. Eandem doctrinam Argenterius tradidit, à quo fortassis mutuauit Massarias. Vbi notabitis vnum magnæ considerationis, quod quando in iecoris caua humor biliosus continetur, ingentem sitim inducit, & linguæ asperitatem, cum ventriculi ardore, & molestia, quæ accidentia expurgationem dehortantur; non decet tamen, si constet ibi esse humorem, ob illa expurgationem lenientem omittere, aut cassia, aut manna, aut sero lactis cum pulpa tamarindorum, aut syrupo Regio, quia educitur facilè ob proximitatem ventris inferioris, & est separatus à secunda regione, & massæ sanguinariæ non admixtus, eritque vtilissima, & facilis eius eductio, & maximè necessaria, quia secta vena non potest extrahi, quin potius nociua erit, quia sine vtilitate imperatur, & quia intrò bilem corruptam attrahere potest; constatque ea doctrina Galeni humorem putridum obsidentem cauam partem iecoris, sitim magnam, linguæ siccitatem, & asperitatem causare, quia ventriculus plus patitur, & inde gula, & lingua, quàm si gibba pars iecoris offensa solùm sit.

§. VNICVS.

De expurgatione iuxta singularem doctrinam Mercati.

Hic Author (vt vidimus) præcipit, quod si natura per sudores febrem iudicare tentet, & ab eis non fiat iudicium perfectum, sed febris maneat, sit statim imperanda expurgatio, vt id quod crassum per sudores nequiuit expelli, à medicamento educatur; quæ praxis sequenda non est, quia si in principio febris id eueniat, est perniciosa, eo quòd est cruda materia, & simul crassa, & per consequens inepta vt à medicamento trahi possit, in quo si Galeno credendum est, non potest esse dubium; si verò contingat sudor in vigore, aut augmento febris, cùm coctio humorum tunc celebretur, & febris magna sit, impedietur natura ab incepta coctione, quia impedietur retentio ob agitationem. Et de vigore loquens Hippocrates 1. *aphor.* 29. dixit, quod quando morbi consistunt, quiescendum sit: & Galenus rationem reddens inter alia incommoda addit, quod nec sectio venæ, nec expurgatio in morbi vigore celebrandæ sint, quia coctiones morborum tunc maximè fiunt, ac per consequens cùm fortiter à natura retineatur humor iis temporibus, ineptus omninò expurgationi reddetur, & natura proprio actu eductioni succorum repugnat, & hoc est velut primum principium; nec ego credam, quod si materia cocta iam est omninò, non educatur tota per euacuationem à natura tentatam, quia per coctionem humor quilibet mediocrem conditionem acquirit, vt possit expelli, & omnes facultates in vigore robustæ sunt, etiamsi animalis maximè sit fatigata, vt *in fine eiusdem aphorismi* Galenus notauit. Vnde potius inferre licet, quod natura, si per sudorem non iudicauit febrem, non eo-

A coxit totam materiam, sed partem solùm expulsam, aut sine coctione aliqua iudicium intempestiuè tentauit. Oportebat etiam probare, quod quando natura sudorem excitauit sine morbi iudicio, non reiecit totam materiam ob crassitiem, & non quia multa esset, aut tota vt dixi, non cocta, aut quia virtus debilis erat: est verò frequentissimum, si semel cœpit natura per sudores morbi iudicium, in aliis diebus subsequentibus decretoriis eandem euacuationem tentare rursus, & morbum finire; nec est tam tutum, vt putat Mercatus, si iam natura per ambitum materiam peccantem reiicere cœpit, in aliam regionem naturam inclinare; potest enim in tertia regione esse copia humoris expulsa, quæ sine graui incommodo ad intra non potest retrocedere: id verò fiet, si detur medicamentum expurgans, & vt

B doctè Vallesius notauit, in malignis, & pestilentibus febribus tota intensio esse debet ad cutem mittere excrementa, vt ipsa natura facit; expurgatio verò contrarium motum intendit.

Præterea contra Mercatum est, quod non doceat, cur non sit licitum post sudores non iudicantes, si febris molestat, rursus secare venam, quod est tutius auxilium; nam vt ille crassitiem materiæ accusat, & ideo expurgat, sic ego ob eandem crassitiem expurgationem dehortor, & cruditatem, aut multitudinem causæ, aut corpus obstructum accuso, quibus sectio venæ certius, & securius succurrit, quàm expurgatio, quæ semper cum incommodis traditis imperatur. Ego quidem sic faciendum iudico, si virtus constet, & per

C sudores non minuatur febris, nec coctio materiæ appareat, quæ non dari certius est, si sudor febrem sensibiliter non minuit, quàm si reuerà diminuit, & si in sequentibus decretoriis natura sudorem non reiterauit, coctáque appareat materia, tunc optimè expurgatio imperabitur.

Vnum tamen inquiretis scitu dignissimum, cuius nullus hactenus quem legerim, rationem tradidit, imò nec ipse Galenus: hic enim *com.* 20. *de humoribus, text.* 21. iam citato, inter incommoda iudicationis materiæ crudæ tradit, quod vtilia cum noxiis excrementis simul euacuentur, & inde infert malum esse, quod natura ante noxii humoris concoctionem crisim aliquam tentet, quod etiam tradidit *lib.* 3. *de cris. c.* 8. dicendo; *Praeuenire autem crisim, quod Hippocrates prærumpere, appellare*

D *consueuit, malum est; nam idonea simul cum iis quæ lædunt excernuntur*: videtur enim difficillimum, quod natura noxiam materiam à bona secernere nequeat, nec illam sine bonæ coniunctione euacuare. Est enim contra Galenum hæc ratio efficax, quia sequeretur, quod nec quando mouet humorem ad focum putredinis ad faciendas febrium accessiones, mouere possit illum sincerum, ita vt semper deberet esse febris omnis spuria, quia cùm moueat in principio vniuersali, & sit materia cruda, non mouebit illam sine bonæ coniunctione, quod est contra experimentum: imò vomitus, & deiectiones, quæ in initio accessionum natura excitat, contrarium planè ostendunt, cùm frequentissimè solam bilem, aut pituitam absque miscella aliqua trudat. Quid ergo obstat, quod in principio vniuersali febris,

E aut ante coctionem perfectam, nequeat corruptum absque boni permistione reiicere? cur enim non retinebit bonum, si hoc nec lædit, neque irritat? Si verò dicas quod Galenus non sit intelligendus de expulsione boni humoris cum malo, sed de vitali spiritu, qui simul cum excrementis reiicitur, manet etiam dubitatio, quia & quando materia cocta est, euacuantur spiritus, ob quod adhuc in inflammationibus bene suppuratis, si magnæ sint, aut in vstione suppuratorũ, aut sectione hydropicorum, non permittitur totius puris, aut confertæ materiæ euacuatio, ob inanitionem vitalis spiritus, iuxta *aphor. lib.* 6. dicentem: *Quicumque suppurati, aut aquam intercutem patientes, vruntur,*

aut

aut secantur, si pus, aut aqua vniuersim effluxerit, omnes moriuntur. Et inde si ob euacuationem spirituum cum humore crisis in principio vniuersali timenda est, eodem modo post coctionem, quia nunquam ab euacuatione spirituum euacuati potest, & cùm in vigore sit maior copia humoris expellenda, quàm in principio, maior fiet spiritus dissipatio, aut inanitio, & inde cum maiori periculo crisis tentabitur in acutis totam materiam ad vnicam criticam euacuationem seruantibus. Nec ratio Argenterij *in expositione aphor.* 22. *lib.*1. quam ipse tanti fecit, mihi satisfacit: dicit enim quod per coctionem separat natura bonum à malo, & quia post coctionem sola manent excrementa à bono separata, ideo non licet crudam materiam expurgare, quia expurgatur bonum simul cum malo. Sed contra est, quia ab humore putrido (& magis si sit maligna putredo) nihil vtile potest natura sumere, quia veneni naturam iam induit: ergo si illum statim reiiciat, lædetur minus, quàm si illum tanto tempore ad coctionem requisito intrò detineat. Deinde si bilis exsuperabat ante malignam putredinem, etsi eam euacuaret natura, non læderetur, cùm iam putrida sit, præternaturalior, & habeat minus boni & vtilis (cùm possit habere nihil) & quia tota corrupta potest esse, cur lædetur, si eam tam præternaturalem expellat, & non sit antea quàm præternaturalis fieret per malignam putredinem? Præterquam quod sine fundamento dicitur; quod illud bonum (si datur aliquod in humore putrido) quod cum illo excernitur, tantam debilitatem inducere queat, vt in iudicationibus symptomaticis experimur, præsertim quando bilis abundat præter naturam, ex cuius portione non putrida potest natura sumere vtile quo indiget, nec est explicabile, quid vtile possit natura sumere ex bile putrida, cùm nec nutrire possit, nec esse idonea spirituum materia.

Galenus 8. *aphor. com.* 21. & alibi millies sic loquitur: *Quo enim tempore à causis morbum facientibus natura grauatur, & adest cruditas humorum, tunc aliquid vtiliter euacuari est impossibile.* Rationem verò reddendo dicit: *siquidem oportet coctionem præire, subsequi verò discretionem, & postea euacuationem, vt bona sit crisis, sine indicium.* Vbi tria distincta enumerat ad bonam crisim, primum coctionem, secundum discretionem, tertium euacuationem discreti, quod prius concoxerat. Vnde videtur inferri, quod cùm in principio morbi coctio non sit, non potest esse facta discretio illius, quod euacuandum est, & per consequens simul bonum cum malo euacuari. Sed adhuc manet insoluta nostra difficultas, cur natura non possit humorem putridum aliis permistum seorsim separare, & sine aliis euacuare, nam si habet vim expellentem nociua, & retinentem vtilia, cur hos effectus quando humor putridus est, non molitur? præterquam quod falsum est per coctionem fieri discretionem boni à malo, vt constat, quia coctio, alteratio sola est, non motio localis.

Ego quidem quid sentiam paucis exponam. Est inprimis certum, quod Galenus loquitur de humore putrido intra vasa, & per consequens quando est aliis succis admistus, nam si separatus à consortio aliorum esset, non esset opus discretione aliqua, & ideo diximus, quod quando in prima regione excrementa, aut humores corrupti sunt causa febris, sint absque coctione aliqua expurgandi, qui si separati à consortio sanguinis sunt, nullum incommodum ex eorum euacuatione sequetur: quod etiam tenet Sennertus ex mente Eustachij *lib.* 2. *de febrib. cap.* 6. §. 3. obseruandum; oportet ergo inquirere, quid esse possit in humorum putredine, ratione cuius nequeant seorsim excerni. Videtur autem quod lentor esse nequeat, quia hæc qualitas non datur in omni humore putrido; nam bilis naturalis si concipiat putredinem, lenta non fit necessariò, nec melancholia, imò nullus humor, quia lentor

A causatur ex forti permistione humidi cum sicco; in putredine verò humidum exorbitat, vt Aristoteles docet, & potius mistio humidorum cum siccis dissoluitur, quàm fortius misceantur, quod clarè indicat dissolutio rerum putrescentium, quæ in vapores, & fuligines omninò mutantur, & euanescunt. Vnde potius videtur, quod per coctionem reddatur humor glutinosior, & crassior, quia humidum superfluum absumitur, & humida cum siccis permiscentur, quod est causa lentoris, vt Aristoteles docet, & ob id ex hac parte humoribus coctis reliqui immediati agglutinabuntur melius, & omnes expellentur. Quod verò per putredinem quilibet humor extenuetur, cum à calore, & humiditate oriatur, manifestum est. Vnde non ponit putredo aliquam conditionem expulsioni repugnantem B ex hac parte, nec vt alij simul cum illis reiiciantur, cogere potest: si verò febris causa sit vsta, lentore potius priuabitur, cùm exsiccatur.

Duo ergo veniunt notanda in expulsione humoris putridi non cocti: Primum, quod totus in partes diuidatur, quia per putredinem (vt patet in externis) vel leuissimo impulsu partes putridæ ab aliis, & inter se separantur; vnde cùm intra vasa ferueant, & agitentur, necesse est quod magna permistio partium putridarum cum inculpatis aliis humoribus fiat, & inde repugnat quod natura possit eas partes cum aliis permistas seorsum excernere; nam si non potest ob permistionem spirituum hos retinere, sed simul cum humoribus (etiamsi perfectissimè natura euacuet) eos reiicit, reiiciet multò melius, quæ minus naturalia sunt: quia verò per co- C ctionem quæ putrida fuerũt, vniuntur, & velut coagmẽtantur, vnumque fiunt, inde ipsa vnio eorum quæ erãt separata, est quasi separatio à bonis, & discretio, quia vniuntur reuera, quæ per putrilaginem diuidebantur; & sic impellere potest natura seorsim, quæ per coctionem vniuit, & firmiora fecit, ne quovis impetu diuiderentur, vt diuidebantur quando erant putrida. Rursus quando humor emendatus non est & quia malignus ante coctionem expellitur, omnia quæ contingit, praue etiam disponit in fieri, hoc est alterat illud, non tamen corrumpit: hoc verò foret vtile naturæ, quia separato agente alterante, reduceret se ad antiquam naturam, & hoc potest etiam irritare expultri- D cem, quia vitiatũ in fieri, & per consequens expelletur quod erat & foret vtile: & ob id tam pessimæ significationis sunt crises intẽpestiuæ & materiæ non emendatæ, in acutis morbis præsertim, quia arguitur tanta malignitas, aut prauitas in humore putrido, quòd permistio bonorum succorum non potuit eius prauitatem, & irritamentum moderari, & per consequens omnia videntur ab eo contaminata, & acriora, aut alio modo inimica reddita, vt simul cum prauo, & inutili humore, quæ vtilia sunt (quia nondum omnino corrupta) reiiciantur. Et si contingat tunc sanguinem etiam expelli ex ipsis vasis, non per mariscas, perniciosissimum erit, quia quod est amabilius præ cæteris succis, retineri non potest. Est etiam magna læsionis occasio, humorum E non emendatorum commotio, quod à simili suadetur; nam quando instat crisis, & secretio, aut commotio à natura fieri incipit, terribilia accidentia suscitari solent, vt Galenus notauit, & quotidie experimur. Si ergo materiæ iam emendatæ commotio tam grauia accidentia inducit, quid non expectandum quando putrida, & maligna commouetur? Læduntur itaque viscera omnia, & spiritus absumuntur, omniaque fœtido, & corrupto vapore inquinantur; & præterquam quod magnæ virtutis destructio inducitur, omnia quibus ea maligna euaporatio miscetur, alterari incipiunt, & corrumpuntur; quod etiam periculum in expurgatione necessariò datur, quando imperatur sub cruda materia. Est ergo cruditas in febribus humorum feruor, & quædam ebullitio à putredinali

calore exsitata, qua durante vitiosum à bono separarum non est: & philosophandum est, vt in musto feruenti, in quo omnia tam confusa sunt, vt etiamsi sæpius per linteum percoletur, nunquam clarum, & limpidum, defæcatumque apparebit, quia natura partes heterogeneas nondum separauit; cessante verò ebullitione, & fermentatione absoluta, postea vinum clarescit. Eodem modo antequam humores in venis deferbuerint, nec à natura, nec ab arte eum vtiliter purgatio instituitur, nec facile fit: at feruore sedato, quia coctio finita est, omnia sunt quieta, & partes heterogeneæ separatæ iam sunt, neque confusæ cum aliis, sicque quæ expurganda sunt, seorsim excernuntur, quod etiam indicat vrina, quæ dum feruet sanguis, turbida apparet, coctione finita clarescit.

QVÆSTIO V.

De auxiliis attemperantibus, & putredinem coërcentibus.

VT auxilia attemperantia, & putredinem inhibentia cum magno ægrotantium commodo imperentur, prius diligenter inquirendum est, si causa malignæ febris vsta sit, aut vere putrida; quia licet quælibet, vt febrem causet, refrigerantia petat, est in alia oppositione magnum discrimen, nam vsta humiditatem cum frigore, putrida econtrà siccitatem exposcunt. Est verò facillimum id per signa distinguere, vsta enim ingentem sitim, linguæ siccitatem, nigredinem, & asperitatem, calorem mordacem cum quodam cutis squallore, vrinam intensam satis, & igneam, & crassioris modi substantiæ, velut lixiuium, magnam corporis & animi inquietudinem ob acrimoniam succorum, & fuliginum, inappetentiam magnam, peruigilium, deliria, corporis extenuationem breuiorem inducunt, & in excrementis alui vstio magna iodicatur, quando humiditate priuata synceriora, & corpulentiora, magisque compacta, & diutiùs eiciontur cum molesta caliditate, in vrina præsertim, à qoibus fœtor nullus molestus exspirat, quia vstio illum potius coërcet, quo præcipuè signo vsta à putridis secernuntur; hæc enim in malignis febribus graueolentiam, molestissimumque fœtorem emittunt, frequentius tamen est putredinem, eamque malignam in caussis huius febris dati, quia semper ferè sub humidis aëris distemperiebus maligna constitutio grassatur. Quia verò putredo humores contaminat, etiam sua auxilia requirit, & vt inhibeatur, similes indicationes dantur, quæ in omni alia putrida febre, & maiori vi, quia febrium malignarum putredo fordidior, actiuior, & excellentior est: vt ego censeo, in iis indicationibus resistendi putredini, principalior medela consistit; est enim ridiculum quod Mercatus docet, nimirum quod concoctio, etsi putredinem coërceat, & emendet, non tamen qualitatem veneficam; id enim gratis, & absque vllo fundamento docuit, vt iam contra eum probani.

Potredo igitur maligna quatoor requirit, vt emendetur, & impediatur, ne serpat irremediabiliter, refrigerationem, exsiccationem, deobstruere, & moderatam quandam astrictionem, qua virtutes, quæ in hoc malo plurimum effæminantur, stabilitatem quandam acquirant: vbi enim præ nimia humiditate mucidæ nimis corporis substantiæ redduntur, retentrix facultas, & expultrix contractionem ferè deperdunt ob defectum siccitatis, eam verò moderatè adstringentia conciliant, & vehementer adiuuant. Et quamvis putrida febris astringentia omninò recuset, vt Galenus docuit 11. *de victu acut.* 18. vt non nisi gratia alicuius

A symptomatis imperari possint, quia ventilationem suo modo impediunt, nihilominus quæ moderatè astringunt, in maligna putredine necessaria sunt vrgentiæ ratione, quia ob mucidam putrilaginem omnes potentiæ labescunt, & insignem debilitatem contrahunt; moderata verò astrictio robur omnium tuetur, & magni momenti est, ita vt vices alexipharmaci obtineat, vt notauit Mercatus. Hanc indicationem mirificè acida omnia moderatè astringentia implent, calorem reprimunt, siccant, extenuant, & partes stabiliunt, gratissima sunt, putredinem coercent, appetentiam excitant, sitim extinguunt, vt Medici summa ratione malignarum febrium antiphatmaca putent, habéntque talem naturam, quod biliosis extremè opitulentur, quia amarulentiam eorum strenuè reprimunt,
B & pituitosis etiam non leui auxilio sunt, quia incisione, & siccitate suot vtilissima; & cùm pituita caleat præter naturam, eam etiam contemperat.

Huius naturæ sunt serapia in officinis parata de succo limonis, de acido citri, de succo acetosæ, syrupus acetosus simplex, oxysaccbara, & syrupus granatorum: qui verò cum succo agrestæ parator, ob nimiam astrictionem suspectus mihi est, nisi quando ventriculus bilis affluxu molestator: iis syrupis miscentur qui cor respiciunt, & venenatam naturam, vt syrupus borraginis & condrillæ, & scorsoneræ: verùm qui ex acido citri parantur, inter omnes omnium consensu primas tenent; est enim succus ille tenuior, magis incidit, & plus exsiccat, & cor à venenata putredine magis tuetur,
C diluuntur verò aquis idoneis; est præstantissima, quæ ex succo limonum stillatur, & aqua ex oxalide, condrillæ, pentaphylli, quibus etiam ad inclinandam materiam ad cutem, per quam natura eam reiicere consueuit, miscentur aquæ buglossæ, borraginis, cardui benedicti, & lactei, seu carduus Mariæ, scordij, pimpinellæ veræ, & si motus conuulsiui adsint, cerasorum dulciom, & tiliæ. Nec mihi placet Socius noster Serna aquam cerasorum vituperans tanquam noxiam, quia si cerasa ex quibus extrahitur, vt alimenta damnantur, nequit aqua eorum conuenienter sumi; quod argumentum si validum esset, ratò in natura daretur, quod tanquam medicamentum posset assumi, vt constat. Notat Mercatus, quod diluantur largius, vt ad interna permeent, & obstent, ne nimis potredo extendatur: verùm si con-
D stet in ventriculo, aut prope ipsum esse, aut ad illum partem aliquam humorum confluere, eosdem syrupos oportet adhibere absque alicuius liquoris permixtione. Hoc vltimum mihi oon probatur, nam si ex internis in ventriculum humores præcipitentur, non decet absque attemperatione, & malignitatis correctione internorum vitium deferere; timendum enim est, ne si ventriculus roboretur, & internorum excrementa attemperata non sint, in aliam partem internam impetum capiant, & grauius malum emanet. Est facillimum dilutos syrupos, vt interna corrigant, propinare, & aliis auxiliis ventriculum vt non recipiat firmare, aut eisdem syrupis per interualla in pauca quantitate robur, & attemperamentum conciliare, in quo casu potiones
E largiores, & vt dixi ad cutem inclinantes, reuellunt excrementa in ventriculum derinanda, & simul eam contemperant, præterquam quod serapia robur ventriculo conciliatura, astringentia magis esse debent, quàm internæ putredini conueniat, in quo planè errauit Mercatus. Nam syrupum agrestæ, aut citoneorum, aut myrtinum, nemo in putridis febribus ausus est propinare ob immoderatam astrictionem; conuenient tamen ad robur ventriculi, ne tam facilè excrementa maligna suscipiat: & si humor erodens sit, erit optimus syrupus portulacæ prædictis permixtus, qui tamen incommodus satis erit, ob naturam emplasticam, & glutinosam vasorum putredini fauens, pro qua illum inter alios reponit sine ratione Mercatus.

De

De oleo vitrioli controuersia est, si in malignis febribus dari tutò possit, summis enim laudibus ad coercendam putredinem, & exsiccandum mucidum illud, quod ex superflua humiditate vdum, fœtidúmque redditur, ab Authoribus Spagyricis extollitur, estque reliquorum auxiliorum celerrimum vehiculum, vt minus alterare, vique maiori interna excrementa contemperare queant. Hanc controuersiam *lib. 5. instit. fol.* c218. Sennertus exagitauit, & contra Baptistam Syluaticum authoritate multorum vtilissimum esse prædicat, & meo iudicio ita censeo, quia quod experimento confirmatum ab Authoribus publicatur, non potest habere validam rationem contra se, & adductas à Syluatico, quia leuissimas, vel facillimè Sennertus diluit. Et in eius vsus confirmationem efficax argumentum est, quod de acidulis aquis retulit, acorem enim illum ex vitriolo acceperunt, & tamen in magna satis quantitate bibuntur cum magno cõmodo. Vnde idem Author *lib. 4. de febr. c.* 11. sic loquitur. *Magnus etiam hic vsus est spiritus vitrioli, qui insignem vim sistendi putredinem, obstructiones aperiendi, incidendi, attenuandi, abstergendi, corrupta separandi, reliquorum medicamentorum actiones intendendi obtinet*; idémque aliis etiam de causis commodissimè aliis medicamentis admiscetur; nam cùm syrupi ob sacchari admistionem soli extinguendis febribus vix sufficiant, & vel in bilem mutentur, vel bilem certè non satis doment, nec sitim extinguant, si iis spiritus vitrioli addatur, vt aciditatem aliquam contrahant, sitim longè felicilius sedant, calorem extinguunt, omnésque suas operationes rectius expediunt. In huius tamen vsu id obseruandum, læsis pulmonibus, vel rupto aliquo vase, vel exulceratione interna aliqua, in phthisi, sputo cruento, dysenteria, sanguinis mictu, renum ac vesicæ vlceribus, pleuritide, ventriculi inflammatione, & omnibus ferè pulmonis affectibus, nisi forsan à crassa pituita pulmonis vasa obstruente ortum habeant, vt & senibus macilentis, ac tabidis, ab eo abstinendum esse. Hæc Sennertus. Mathiolus, & Felix Platerus in curatione febrium pestilentium illud præbent, etsi quantitas nimia videatur, dat enim ℈.j. Mathiolus, cùm satis sit pro quauis dosi guttulas quatuor, aut sex miscere in syrupis, aut aquis, vel decoctis idoneis.

Tota difficultas est, quomodo vitrioli oleum, cùm sit causticum, possit esse vtile sumptum interius; nam vt vehiculũ dari, si aliàs tam calidum est, videtur irrationabile, cùm sint multa distributionem iuuantia absque læsione aliqua: de quo argumento legatur Quercetanus *de medicinis antiquorum cap. 3. fol.* 24. vbi probat dari in vitriolo, & sulphure spiritus, quos vocat Mercuriales de natura aërea, qui flammam concipere non possunt, sed potius parti sulphureæ, & inflammabili opponuntur, qui spiritus frigidi sunt, vt eorum aciditas testatur, quæ aciditas cum frigore, & corpora dissoluit, & fermentat, & est etiam coagulum rerum naturalium; hoc (inquit) spiritu inter omnia salium genera maximè abundat vitriolum, &c. Verùm quia hac parte acida nequit eschatoticum reddi, manet adhuc dubium ob partem causticam. Nos putamus hanc ob mixtionem cum rebus frigidis perire, quia est de ignis natura; manet verò spiritus Mercurialis, & acidus, frigidusque. Quercetanus *tract. de artritide, & calculo, fol.* 135. sic loquitur; *Sed sulphuri inflammatorio febrem excitanti opponatur sulphur acidum vitriolatum, quod summè refrigerat, sulphureósque illos commotos spiritus coagulat, & compescit*: Addo ego, quod sicut exterius applicatum actuatur pars calida, & sic causticum est, quando miscetur rebus frigidis, calida extinguitur, & actuari nequit, si aliquid remanet; quod verò frigidum, & acidum est, perseuerat, mirè calorem reprimens. Legatur Quercetanus *lib. de preparatione spagyrica medicamentorum, cap. 9.* & Duncanus Lydelius Scotus *lib. 3. de febr. in curatione*

A *febris pestilentis, fol.* 246. sic potum parat: Syrupi limonis, oxysacchari simpl. ana ʒ. j. aquæ acetosæ ℥.iij. endiuiæ, buglossæ ana ℥. j. ß. spiritus vitrioli rectificati ad gratam aciditatem, misce & aromatizentur ℈. ij. diamargarit. frigidi, sed sufficiet pro illa dosi scrupulus vnus pulueris.

Est iam in communi vsu ex aqua cinnamomi, rotulis limonum cum cortice, & succo, & saccharo albo selectissimo potionem gratissimam, & salubertimam parare, in declinatione propinandam. Sint limones maturi, virides enim & immaturi, ingrato, & amaro sunt cortice, à quibus solus succus extrahitur, & cum saccharo, & aqua cinnamomi mistura fit, miscendus succus, & saccharum in quantitate aquæ gratum saporem reddentis. potestque parari cum aquis oxalidis, buglos-
B sæ, vtriusque cardui benedicti, scorzoneræ, endiuiæ, vel aliarum conuenientium, præsertim deauratæ. Si decoctum ex rebus idoneis parare velisis, hoc à Mercato laudatur. Hordei integri benè mundati, p.ij. cichorij m.j. florum vtriusque buglossæ p.ß. pimpinellæ, & scabiosæ ana m.j. seminis acetosæ, & citri ana ʒ.ij. contundantur omnia præter hordeum, & coquantur in lib.vj. aquæ ad consumptionem tertiæ partis, colentur cum leui expressione: colaturæ adde sacchari albissimi ℥.iij. succi granatorum acidorum, aut limonis ℥.iij. quod frigidum propinabitur. Est decoctum hoc clarificandum, & si opus fuerit aromatizandum cinnamomo, aut puluere santalorum; sic enim gratiosius, minúsque corruptibile redderet magis defæcatum, quod non notauit Mercatus: semper tamen huiusmodi potiones, quæ in
C magna dosi dispensantur, suspectæ mihi sunt, quando ex decoctis parantur, quia facilè corrumpuntur, & sitim contrahunt; melius enim est quòd pro vno solo die idonea quantitas paretur. Idem dico si ex aquis stillatitiis, serapiis, & antidotis conficiantur; mutuò enim se alterant, & corrumpunt, si permista diutius seruentur, in quo nostris temporibus omnes ferè errant.

Duo notanda circa vsum apozematum febrilem calorem extinguentium. Primum quod pro libra decocti, aut aquarum conuenientium vnciam vnam serapij Mercatus solùm admiscet. Heurnius verò ℥.iij. & hoc videtur mihi vtilius, quia aquæ stillatitiæ ob nimiam tenuitatem à calore febrili facilius vincuntur, cum maiori verò syruporum copia resistunt magis non dubiè, & plus calorem febrilem extinguunt. Secundum est, esse
D in communi vsu mane serapia propinare, in fine verò accessionis dare potionem largiorem, vt æger temperetur, & siccitas ab accessione contracta corrumpatur, nec aliud tempus idoneum ad attemperandum, & deobstruendum à Magistris accepimus: Mercatus verò ita de his potionibus scripsit: *Quibus frequenter (dummodo non sit mox à pastu) vti oportebit; nam potissima coctionis ratio est correctio humorum peccantium per contrarias qualitates ois quibus calor præter naturam ad putredinem vtitur.* Doctrina quidem confusissima, & ad errandum parata; nam nec in principiis accessionum, nec in augmento sine magno incommodo attemperantes potiones imperari possunt, quia nondum accessionis materia extenuata satis est, & cùm obstruatur corpus suo modo per frigidas potiones, recrudescit de no-
E uo materia, & nouam accessionem prima molestiorem create incipit, fiúntque diuturnissimæ accessiones si nouæ non fiunt. Sententia nostra est, semper esse expectandam vltimam partem vigoris, in qua materia accessionis inflammata omninò iam est, & extenuata, & corpus satis perspirabile; tunc enim si sitis fatigat, & æger vtitur, magno auxilio potus attemperans detur, quia extinguitur calor absque noua materiæ incrudatione. Vt enim Galenus coctionis notas requirit ad dandam frigidam, sic ego vigoris particularis summam, seu extremam partem vniuersali vigori respondentem specto, de quo latè scripsi *in curatione tertianæ febris*, vbi

ex

ex mente Galeni probaui nó esse expectandam accessionis tertianæ exquisitæ declinationem sensibilem, vt potio attemperans detur, sed in extremis partibus vigoris danda est. Peccat etiam doctrina Mercati, quia correctio humorum putridam febrem creantium, non ita pendet ex attemperatione, sicut ex ablatione causarum putredinem inducentium, iuxta methodum resolutiuam à Galeno *lib.* 11. *Methodi* traditam. Ergo vt repetatur potio attemperans, est opus & multa sitis, & quod adhuc in declinatione accessionis molestet, & prima potio distributa iam sit, ne ventriculus grauetur, & hypochondria distendantur; tunc enim commodè reiteratur, quia internum incendium id requirit. Si verò à prima potione non molestet sitis, non est reiteranda potio, quia etsi frigiditate attemperet, nocet tamen quando materia cocta non est, & adhuc corpus obstructum nimis esse, & minus perspirabile; iustè timebitur, quibus frigiditas vehementer nocet, præsertim si ex crassis succis malum dependeat: quod si eueniat, scito non leue fore frigiditatis incommodum. Interdum verò cum crassis succis, si vsti sint, magna sitis molestia esse solet, in quo euentu decocta, aut aquæ, quæ nimis deobstruant, dabuntur; sic enim virtute deobstruente incommodum frigiditatis corrigitur, ad quod vehementer conducent guttulæ spiritus vitrioli potionibus additæ; iniicientur verò guttulæ quæ ad gratam aciditatem sufficiant. Si verò cor nimis æstuet, potio cordialis paratur sic. Aquæ rosarum rubrarum per vitreum stillatæ lib. j. ß. sacchari albi lib. j. oui albumine clarificentur, & coquantur ad Iulepi consistentiam, huius recipe ℥. j. ß. aquæ limpidissimæ, & optimæ ℥. vj. succi de acredine citri ℥. j. m. & frigidũ detur, cum quo ʒ. ß. confectionis hiacynt. miscebis, si iis antidotis fidem præbes, mirè ardorem internum extinguunt.

Decet tamen, sanguinis naturam, & aliorum humorum diligenter notare, & vnicuique sua auxilia, seu appropriata medicamenta parare: bilem enim aquæ hordei, endiuiæ, oxalidis, scariolæ, ex acido limonis, & citri, & si exusta nimis sit bilis, portulacæ domant, & reprimunt, vt syrupi de acido citri, limonis, &c. quæ etiam sanguini putrido maximè opitulantur, vt olei vitrioli guttulæ quatuor, aut sex potionibus additæ. Est etiam laudata potio vbi magnus æstus fatigat, salis prunellæ drachma cum vnciis octo aut duodecim seri lactis limpidissimi & curiosè defæcati, nive infrigidati. Melancholiam respiciunt aquæ buglossæ, borraginis, cardui benedicti, & cardui Mariæ, & lupulorum, quæ etiam pituitam concoquunt, vt aqua adianthi, & præcipuè melissæ, vbi planè febris pituitosa est: est enim cardiaca, & venenata expugnans, & contra insomnia molesta strenuum auxilium, & proinde etiam melãcholiæ opportunissima. Illud verò accuratè notandum, quod si succorum crassities, & obstructiones molestant, indicatio à causa vrget magis quàm attemperatio caloris, & in aquis distillatis minor efficacia ad deobstruendum datur quàm in decoctis, & ob id paranda sunt apozemata ex radicibus graminis, rumicis, endiuiæ, apij, petroselini, & fœniculi, semine citri, adiantho, scabiosa, & carduo benedicto, cum floribus cordialibus, & huic decocto clarificato (vt antea diximus) deobstruentia serapia miscebuntur, vt acetosus simplex, oxymel simplex, adianthi, aut duarum radicum, & endiuiæ: est enim vbi obstructiones à crassis dantur (etsi sitis ob defectum ventilationis molestet) timenda nimis infrigidatio, cùm ea quæ deobstruunt, etsi minus attemperantia sint, verùm vt deobstruunt, summè conferunt, & suo modo attemperant, putredinemque futuram inhibent, ob nouam ventilationem inductam: frigidis etiam succis limoniata ex aqua cinnamomi conducit ob saccharum, & aromaticum, & calorem, quæ à cortice lucratur, & succus etiam acidus cas strenuè dissecat, & siccat

Mizaldus *centur.* 1. *text.* 98. sic potionem pro febre maligna, & pestifera parat. In succum limonis immittitur numisma auri purissimi, aut bractea, aut folia auri, sic maneant per diem integrum, & postea succus extrahatur, de quo sumantur ʒ. ij. vini albi generosi ℥. ß. pulueris radicis Angelicæ ℈. j. aut decocto radicis Angelicæ succus limonis dissoluatur, & propinetur: quod auxilium etiam deploratis prodesse dicit. Dubium tamen esse non debet, quod si in auro aliquid vtile pro malignitate datur, sit vtilius panes illius in succum limonis iniicere, quia melius dissoluuntur, & à calore nostro si deglutiantur, actuari poterunt; aurum tamen inter auxilia cordialia Auicenna noster retulit *tract. de viribus cordis.* Vnde Mercatus aquam frusto auri chalybeatam pro communi potu commendat, sæpe verò inueniuntur multi nullam potionem medicatam admittentes, loco quarum ad virium instaurationem, & attemperationem succorum, optimũ inuentum est summo mane ius gallinæ, aut pulli, cum succo limonis, aut citri propinare, & si in iure coquantur scorzoneræ radices, & graminis, & borraginis cum petroselino, efficacius auxilium parabitur; coqui etiam poterunt, quæ alios humores respiciant, cauendo ne ob eorum mistionem abominabile ius reddatur.

Iam verò notauimus, quod si sitis cum siccitate, & asperitate linguæ implacabilis sit, largiores potiones & earum reiteratio conueniant; quod si cum inextinguibili siti coctionis signa appareant, potus copiosus aquæ frigidæ imperabitur, quia summè opitulari solet, dummodo ob affectum inflammatorium cum tumore tanta sitis non adueniat; in hoc enim securè aquæ frigidæ potio propinabitur, aut cum certo periculo, nisi perfecta signa coctionis præcesserint, de quo auxilio in medela febris ardentis, & colliquantium abundè egimus.

Tandem notandum, quod etsi mulieribus inimica soleant esse acida, quia vterum feriant, tentandum nihilominus est eisdem curationem perficere, quod habeant non dubiè magnam prærogatiuam in hac febre, sæpe enim calor febrilis incommodum acidorum mitigat, & securissimè dantur, & si per bonam valetudinem vterum nullo modo tentabant, absque vllo timore imperari possunt, vt in suis obseruationibus Forestus facit, præcipuè *in observatione* 30. *lib.* 6. Est itaque acidorum vsus ob vitriolatam naturam magni momenti in potionibus, serapiis, & alimentis; vnde Mena *text. de febribus, cap.* 45. sic loquitur: *Omne acidum, siue cibus, siue potus, arcet pestilentiam, & demum quæ refrigerant, & siccant, modò non astringant, &c.* Sed de moderata astrictione, quid sentiendum sit, iam in principio quæstionis docuimus, quam etiam Mercatus consuluit, & velut alexipharmaca contra debilem retinentem, & assiduam spirituum resolutionem extollit, præsertim verò astrictione moderata indigemus, si sudoribus perniciosis, & syncopalibus causosa constitutio periculum mortis, vt solet, minetur, & vbi mucida putrilago ob humiditatis excessum sordidam putredinem cum retentricis collapso inducere constat; quoniam contra vtramque causam astrictio pugnat egregiè.

Frictiones cutis suo modo putredinem inhibent, quia corpus perspirabilius reddunt, vapores etiam malignos ex visceribus ad ambitum trahunt, & extra erumpunt, quod in hac febre maximè desideratur; constat verò duras non debere esse, quia cutem occludunt, sed molles, & laxantes, quia aperiunt; est verò oleum detergendum calido linteo, ne poros obturet, ob quod damnum in variolis ab Auicenna damnatur.

QVÆSTIO

QVÆSTIO VI.

De vsu Alexipharmacorum.

EST huiusmodi quæstio celebris, quod magnam difficultatem faciat Galeni doctrina, & multò maiorem Authorum varietas. Circa eius intelligentiam notabitis primò, quod alexipharmaca, & alexiteria medicamenta dicuntur, quæ contra venena pugnant, etiamsi in rigore loquendo (vt Galenus testatur) quidam velint quòd alexipharmaca propriè dicantur, quæ venena à non viuentibus inducta corrumpunt; quæ verò venena à bestiarum ictu, aut morsu introducta B opponuntur, & sunt eorum auxilia, dicantur propriè alexiteria. Galenus ergo *lib.6. simpl. cap.* 18. dicit quod qualitates alexipharmacæ, aut alexiteriæ quædam alterant, quædam verò euacuant ex corpore patiente, aut venenum corrumpens, aut deleterium medicamen. Alterant igitur, aut vna qualitate, aut duarum coniugatione, aut denique a tota substantia euacnante totius substantiæ similitudine, & caliditate subtilium partium: vnde infert, quod vtilitates alexipharmacorum sunt quatuor, duæ alterantes, duæ verò euacuantes; estque notissima alteratio, quæ qualitatia contrarietate auxiliatur, nam si frigidum sit medicamen deleterium, aut venenum animantis, ab excalefacientibus petendum remedium, si calidum à refrigerantibus, si verò humidum ab exsiccantibus, si siccum ab humectantibus. Sic etiam si ab calefacientibus, & exsiccantibus, humidum fit, & frigidum, sin calidum, & siccum, ab humectantibus, & refrigerantibus, & in reliquis duabus coniugationibus ex proportione. *Sed neque obscura* (inquit) *est alteratio, quæ fit per totius substantiæ facultatem, vtique iis qui memoria tenent, quæ demonstrata sunt in commentariis de naturalibus facultatibus, & de temperamentis; siquidem facultates quæ deleteria medicamina alterant, naturam habent mediam inter corpora perpetientia, & medicamenta ipsa lædentia, vt eadem sit proportio corporis ad facultatem alexiteriam, quæ illius ad deleteriam, & rursum deleterij ad alexiteriam, quæ alexiterij ad corpus; quapropter propemodum omnia quæ deleteriis aduersantur, si largius sumpta fuerint, grauiter animantis corpus oblædunt, quam ob rem ea moderatione quantitatis omnes id genus facultates exhibere oportet, vt nec copia nimia nimis offendant, nec exiguitate sua à deleteriis vincantur.* Hactenus Galenus.

Huius capitis doctrina est, quæ opinantibus quod detur alteratio per occultam qualitatem, & venenosam, præcipuè fauere videtur, quando Galenus eam clarè distinguit ab illa alteratione, quæ à primis omnibus qualitatibus fit, & meo iudicio nihil magis eorum opinioni refragatur. Ratio est, quia si venena nos necarent, producendo qualitatem illam occultam, & veneficam, & nobis iam inimicam, ea quæ ab antidotis in nobis produceretur, & est corruptiua venenosæ qualitatis, non posset non esse nobis naturalissima, & perfectiua, ac per consequens antidotorum natura non esset media inter nostrum corpus, & venenum, vt in maiori copia assumptum antidotum grauiter nos offenderet, nec esset possibilis ea proportio addncta à Galeno inter corpus nostrum, venenum, & antidotum. Ratio est, quia omnia auxilia alterantia, & morbos nos actu offendentes corrumpentia non habent mediam naturam inter corpus nostrum, & morbum, cui medentur; sed sunt morbo omninò contraria, nobis verò naturalissima, quia eo quod in nobis producunt, indigemus, vt in statu salubri constituamur, & rectè operemur: hoc verò implicat, quod habeat mediam naturam inter

A noa, & venenum, cùm planè venenosam qualitatem per contrariam alterationem corrumpat, & ei opponatur non minus quàm calor frigori, & è contra, nullus verò dicet frigus corrumpens calorem febrilem, habere mediam naturam inter corpus nostrum, & calorem, vt eadem sit proportio corporis ad frigus, quæ illius ad calorem; & caloris ad frigus, quæ huius ad corpus, nam frigus eo ipso, quòd est omninò caluri contrarium, est etiam nobis omninò contrarium quando ab eo lædimur; & quando non, sed morbum calidum destruit in debita intensione, vt sani simus, eo indigemus: alexipharmaca verò, & alexiteria, in quocumque euentu habent mediam naturam inter corpus, & venena, vt *loco citato* Galenus docet; vt sit impossibile penitùs lædi alexipharmacis, vt lædimur à venenis, quia habent mediam naturam inter nostrum corpus, & venenum, & in nulla quantitate assumpta alexipharmaca, sunt omninò nobis naturalia, quia semper sunt media inter nos & venena: & cùm hæc medietas sit per participationem, necesse est quod alteratio, quæ ab alexipharmacis fit in nobis, habeat per consequens aliquid venenosum: quia si media sunt inter nos, & venena, in eo quòd venenis assimilantur, erunt nobis opposita. Vrget etiam opinionem contrariam sequens dubitatio, quia si venefica qualitas, & occulta nos lædit, quin aliam nobis naturalem corrumpat, sequitur quod omnia venena eodem tempore nos occiderent, si sumerentur in quantitate, quæ occidere posset, Patet, quia C cùm non detur in nobis contrarium quod corrumpi debeat, producetur ea qualitas venefica in instanti, & per consequens omnia venena semel actuata instantaneè nos interficerent, quod est contra experimentum: operantur ergo contrarietate determinata, ratione cuius vnum venenum tardius quàm aliud nos necat, quia eam contrarietatem non possunt omnia venena eodem tempore vincere, aut quia contrarietas diuersa est, aut quia respectu eiusdem non sunt omnia venena æqualiter actiua; hæc verò inæqualitas in actionibus instantaneis admitti non potest.

Quod vt intelligaris, notandum est, quod si Galenus *loco citato* attentè legatur, docet, quod alexipharmaca non sunt vtilia, quatenus à nobis tollunt, aut corrumD punt aliquid, quod à venenis productum nos destruat, sicut quando ardente febre laboramus, & frigida copiosè bibitur; tunc enim frigus corrumpit calorem febrilem, qui nobis inhærens distemperiem commundam tollebat. Opinatur ergo Galenus, quod alexipharmaca eatenus sint vtilia, quatenus venena ipsa alterant, & illa destruunt, & indè destruitur effectus à venenis in nobis productus, quia destruitur agens à quo producebatur. Id clarè docent verba Galeni quæ sunt: *Sed & id hic quod fieri poterit, maximè medium natura alexiterium sit oportet, corporis videlicet, quod curatur, & veneni lædentis; nam si aduersissimum foret corpori, in ipsum ageret potius, sicut deleterium, nec euacuaret venenum: etenim vt claritatis gratiâ summam repetam, scire oportet deleterias faE cultates vniuersas, esse temperatura aduersissimas corporibus, quæ ab ipsis læduntur. Itaque si à similibus temperie medicamentis euacuarentur, erunt & hæc naturis corporum contraria: sanè & sunt quadantenus contraria, non tamen adeo vt interimant, sed ambigant potius, in medio sita eorum, quæ ex professo corpus animantis lædunt, & quæ iuuant.* Hæc Galenus. Quæ si bene perpendantur, inueniemus, quod alexipharmaca sunt nobis planè nociua, non tamen vt venena, & indè non conferunt, quatenus in nobis aliquid vtile producunt quo ad operandum indigemus, sed solùm quatenus venena corrumpunt, aut extra trahunt. Constat verò doctrinam Galeni esse intelligen

intelligendam, non de alteratione per primas qualitates, nam hæc & à nobis tollit, quod venenum produxerat, & quod antidota producunt, est nobis naturalissimum; nam si venenum calorem magnum produxit, & antidotum frigidum detur, frigus illud naturale nobis est, & à nobis consequabitur, & non habet naturam mediam.

Sed dicetis; ergo iam constat planè in Galeni doctrina, quod detur alteratio distincta omninò ab ea, quæ per primas qualitates fit, nam si alexipharmaca semper sunt quadantenus contraria nobis, & talia esse nequeunt, vt infrigident, aut calefaciant, quia sic tam naturalia esse possunt, vt quævis alia auxilia alterantia, & auferentia à nobis morbos temperiei; necessariò fatendum est, dari in venenis, & alexipharmacis aliam speciem alterationis, ratione cuius, & venena nos occidant, & alexipharmaca etiam præter naturam nos alterent, licet non tam efficaciter vt venena: quomodo enim alexipharmaca in opinione Galeni semper sunt nobis quodammodo contraria, nisi quatenus alia qualitate à primis diuersa, & nobis non naturali nos alterant, nam (vt dixi) quatenus calefaciunt, aut infrigidant, aut siccant, aut humectant, non solùm possunt non esse contraria, sed naturalissima esse possunt, producendo in nobis qualitates, quibus indigemus.

Respondetur quod venena, vt vincantur, indigent alexipharmacis, quorum operatio sit efficacissima, licet non tam efficax, vt venenorum esse ctu nostri, ac per consequens nunquam alexipharmaca, quæ sunt verè talia, possunt esse similia nostræ temperiei, sed dissimilia satis: vnde necessariò nos immutant efficaciter, & indè semper sunt nobis quodammodo contraria, vt Galenus dicebat, quia nunquam possunt esse similia, nec à nobis assimilantur nisi difficillimè, non tamen corrumpuntur intra corpus, vt venena calida; quo fit, vt quia venenis assimilantur, vt ea trahant, aut commutent in se, aut saltem dissoluantur, & corrumpantur, necesse est quod nobis sint quodammodo contraria, quia si venena sunt contraria omninò nostræ naturæ, quæ sunt venenis similia aliquo modo, erunt etiam aliquo modo necessariò nobis contraria. & hoc non quia nos alterent aliis qualitatibus distinctis a primis, sed quia primas habeant efficaciores, & intensiores nobis debitas, quo excessu egent, vt venena superare possint, & modus substantiæ alexipharmacorum est etiam difficilis commutationis à calore nostro, & inde nos efficacissimè alterant quia quandiu non commutantur, manent dissimilia, & cùm sint efficacia in agendo, nos immutant vehementer. Id deducitur ex Galeni doctrina *lib. 3. de temperam. cap. 4.* vbi lato sermone id ostendit, dicendo: *Vinum autem quod facilè fiat sanguis, pari modo mel, & caro, & lac, atque hæc quidem totis ipsorum alteratis substantiis, nutrimenta se alterantium sunt. Quæ verò vnaqualibet qualitate alterantur, ac mutantur, ea medicamenta tantum sunt, medicamenta itidem sunt, & quæ nulla substantia sua mutata parte, sed tota seruata integra, corpus ipsum afficiunt, cæterum grauia, & natura animalis corrumpentia, vnde & totum eorum genus deleterium, & pestilens dici reor.* Et inferiùs; *Nequaquam igitur sic deleteria iudicanda sunt, imò totius naturæ sua contrarietate. Porrè indicabitur contrarietas ex ea quæ media intercedit mutatione, &c.* Vbi planè docet, quod alimenta nos leniter alterant, & à nobis immutantur, taliter quod substantiæ eorum omninò permutentur; alia sunt alimentis omninò contraria, quæ à nobis non vincuntur, etiamsi alterentur, verùm nulla substantiæ suæ mutata parte, sed tota seruata integra, corpus ipsum afficiunt grauiter, & hæc esse venena; alia sunt quæ secundum vnam qualitatem à nobis alterantur, ac mutantur, & hæc (inquit) medicamenta tantum sunt. Per hæc verò intelligit, quæ à nobis non commutantur in nostram substantiam, aut parumper, sunt tamen

A vehementis actiuitatis, licet non tantæ, vt venena; quod inferius explicuit exemplo castorei, & piperis, dicendo; *Siquidem castoreum, & piper, agere magis in corpus nostrum, quàm pati ab eo valent; vinum, & mel, & ptisana pati magis, quàm agere: eorum verò quæ celeriter nutriunt, conuenientissima, reliqua omnia media inter hæc sunt, quorum alia magis, alia minus agere, ac pati à corpore nostro possunt.* Ex quibus patet, qua ratione sit intelligendus Galenus *loco allegato ex 5. libro simplicium, cap. 18.*

Ibi enim proposuit hanc proportionem dicendo; *Siquidem facultates quæ deleteria medicamina alterare, naturam habent mediam inter corpora perpetientia, & medicamenta ipsa lædentia, vt videlicet eadem sit proportio*
B *corporis ad facultatem alexiterii iam, quæ illius ad deleteriam; & rursum deleterij ad alexiterium, quæ alexiterij ad corpus.* Quasi diceret, corpus humanum eandem proportionem habet ad alexiteria, quam habet ad venena; consistit verò hæc in eo, quòd ab alexiteriis, & à venenis vinci & superari potest, sed cum hoc discrimine, quod à venenis necatur breuissimè, quòd sint vehementissimæ operationis, ab alexipharmacis grauiter offenditur, sed non tam lethaliter, quia & maiori multò copia est opus, vt ab eis lædatur grauiter, aut intereat, & longiori tempore egent ad grauiter offendendum, quia nec sunt tam actiua, nec tam intensa, nec modus substantiæ tam repugnans commutationi à nostra natura. Dicit rursus; *Eadem est proportio deleterij ad alexiterium, quæ alexiterij ad corpus.* Quasi diceret, sicut venenum habet
C cum alexiterio talem proportionem, quod ab alexiterio vincitur, & commutatur, ita alexiterium habet cum corpore eandem proportionem, nempe quod alexiterium potest à corpore nostro vinci, sed cum magna difficultate, vt difficillimè vincitur venenum ab antidoto, seu alexipharmaco; & ita alexipharmaca videntur habere mediam naturam veneni, seu sunt seminaria, quia nos vehementer alterant, & difficillimè à nobis superantur; venena verò alterant vehementius, & nullo modo à nobis commutari possunt, vt nec in minima quantitate nos nutriant, aut in bonum succum possint permutari.

Quæ si benè perpendantur, inueniemus, quod operari à tota substantia, non est operari per facultatem producentem necessariò aliquid occultum,
D prout dicit aliquid omninò diuersum à primis, & secundis qualitatibus, cùm nihil tale à Galeno dicatur nec *in lib. 5. simpl.* nec *in 3. de temperamentis, cap. 4.* vbi ex professo agit de venenis, & modo operandi eorum; ergo operatio secundum totam substantiam, aut à tota substantia, est quando viuens alimentum in se conuertit, quia non solùm immutatur secundùm primas qualitates, ad quas est in potentia, sed etiam secundùm modum substantiæ viuenti conuenientem, & hoc in alimento est pati propriè secundùm totam substantiam, quia tota mutatur in primis, & secundis qualitatibus, viuens verò quia secundùm omnes assimilat sibi alimentum, & ab alimento non vincitur, dicitur agere à tota
E substantia; & è contra, quia venena sine mutatione substantiæ suæ nos occidunt, dicuntur agere à tota substantia, sicut & alexipharmaca dicuntur eadem ratione operari à tota substantia contra venena, quia illa alterant, & in sese mutantia reddunt venena mitiora; quæ omnia per primas, & secundas qualitates celebrantur, quin dentur aliæ occultæ altioris ordinis, à quibus tales effectus proueniant. Et hic est principalissimus modus operandi à tota substantia in rebus se corrumpentibus maligno, aut pestilente modo. Vnde quando putredo tam validè humores inficit, quod inemendabiles reddat, operantur à tota substantia contra viuens, si illud erodant, aut putrefaciant: resistunt verò viuenti à tota substantia, quia nullo modo

modo coctilea sunt, vt venena calida: hoc verò esse consonum doctrinæ Galeni, constat ex dictis *cap. 4. lib... de temperamentis.* Sic loquitur; *Non dissimili ratione, papaueris succus hominis corpori prorsus est contrarius, vt quod in eum quicquam agere, ne vna quidem qualitate possit, multo minus etiam tota substantia possit, atque vnum deleteriorum genus huiusmodi est.* Vides, quod dicit non posse viuens agere tota substantia in papaueris succum: constat verò quod viuens non vincit illum occulta qualitate, sed primarum temperie: Et inferius de omnibus venenis loquens dicit; *Ac talium omnium natura hominibus maximè est contraria; sanè naturam cum dico, vniuersam substantiam, ac temperiem, quæ ex primis elementis conflatur, significo, calido, frigido, humido, sicco.* Nil clarius dici potuit, cùm nullam aliam temperiem, nisi primarum enumeret: per substantiam verò intelligit modum substantiæ ex primis qualitatibus emanantem, aut ex partibus elementorum, nam si substantiæ nihil est contrarium, vt Philosophus docet, non potuit nisi modum substantiæ per illam intelligere. Et *circa finem eiusdem cap. 4.* sic scripsit: *Memoriá que tenendum perpetuò est, cuiuslibet corporis proprietatem quandam temperamenti esse, quæ huic quidem natura sit consentiens, ab hac verò dissentiens*; & id *in fin.* magis explicans dicit: *Liquet igitur ex iis, quod huiusmodi omnia ex eorum sunt numero quæ relata ad aliquid dicantur, cùm ad proprietatem mutantis natura, quicquid assumitur, vel nutrimenti, vel medicamenti, vel vtriusque rationem sortiatur, v. g. cicuta sturno nutrimentum est, homini medicamentum: rursus coturnici veratrum nutrimentum est, hominibus medicamen, siquidem coturnicum temperies assimilare sibi veratrum potest, quod hominis temperies non potest.* Quibus locis nullius occultæ qualitatis mentionem facit, sed omnibus corporibus viuentibus commune esse dicit, quod habeant talem proprietatem temperamenti, quæ sit relata ad ea quæ assumuntur, ita vt cicuta, quæ nobis ob incommutabilitatem, & magnum frigus venenum est, sit sturnis commodum alimentum, quia eam commutare possunt; & veratrum, quod est respectu hominis venenum, quia actiuissimum, & incommutabile, est proportionatum alimentum coturnicibus, quia operando à tota substantia, id est cum modo substantiæ, & primis qualitatibus, illud in se conuertunt. Quia verò hanc proportionem agnoscere est impossibile, nisi per experimentum, ideo occulta proprietas dicitur, & operatio à tota substantia, quia proprietatem modi substantiæ sequitur, & eadem ratione quæ operantur potentiis occultis, aut qualitatibus quæ sensibus agnosci nequeunt, dicuntur operari à tota substantia, vt magnes ferrum alliciens, & expurgantia medicamenta humores trahentia, & alia multa in rebus se mutuo corrumpentibus, aut resistentibus corruptioni aliorum. Aliud principium corruptionis, & resistentiæ non datur, quàm primæ qualitates cum secundis, à quibus miro modo ad operandum iuuantur, & ad resistendum etiam: ergo alimenta, vt Galenus docet, sunt nobis familiaria secundùm totam substantiam, aut à tota substantia, quia nos nutriunt, & secundùm totam substantiam mutantur; venena sunt nobis aduersa secundùm totam substantiam, quia nequeunt in bonum succum, & nutribilem à nobis conuerti: imò quo magis detinentur, & alterantur à nobis, prauiorem conditionem, & nobis magis aduersam acquirunt, quia cùm erodant, aut putrefaciant, quò plus actuantur, & incalescunt, contra nos ferocius operantur; id enim necessariò sequitur, supposita eorum incommutabilitate: quod Galenus notauit *cap. 4. lib. 3. de temperamentis*, dicendo; *Alterum est eorum, quæ ex nostro calore momentum aliquod mutationis accipiunt, ac deinde in multifarias alterationes vertuntur, quibus corrumpi substantiam nostram accidit; eiusmodi enim omnia deleteria genere sunt, &c.*

A alexipharmaca verò mediam naturam participant; nos enim vehementius multò quàm alimenta alterant, & difficilius nobis similia fiunt, suntque parata magis ad agendum in nos, quàm ad patiendum à nobis, vt Galenus dicebat: quia verò venena ad sui naturam trahunt, & in se mutant, ideo vtilia sunt. Ex quibus deducetis, quàm difficilis sit venenorum medela, quando solis semivenenis celebrari potest, & quæ nostræ naturæ aduersa satis sunt.

Sed dicetis quod Galenus sibi videtur pugnare, nam *cap. 18. citato*, ex *lib. 5. simpl* præcipit, quod si venenum sit calidum, detur alexipharmacum frigidum, & eodem modo aliis contrarietatibus; ergo ita venenosum erit alexipharmacum sicut venenum, quia cùm extremè distet ab eo, habebit cum nobis vtrumque B eandem repugnantiam, & dissimilitudinem; nam si frigiditas alexipharmaci destruit calorem veneni, tam ferox est, & potens vt calor, & per consequens si alexipharmacum seorsim sumatur, non minus quàm venenum nos interimet. Respondetur quod læsio venenorum non solùm consistit in alteratione primarum qualitatum, sed in eo præcipuè quod quò magis à nobis alterantur, redduntur prauioris naturæ ob impossibilitatem commutationis, & reductionis in benigniorem naturam: hanc verò repugnantiam non habent alexipharmaca, quamuis (vt dixi) difficulter permutentur, & vincantur, & inde non occidunt vt venena, etsi nos satis vehementer alterent; multa enim tam calida vt venena dantur, quæ venenatam rationem exclu- C dunt, eo quòd à nobis superari possunt, & in meliorem naturam permutari. Sic cæpas calidas in quarto gradu Galenus constituit, & quia modum substantiæ commutabilem habent, venenum non sunt, cùm tamen nullum venenum sit calidius quarto gradu; vnde in alexipharmacis non requirit Galenus tam principaliter oppositionem inter primas qualitates, sicut proportionem commutabilitatis venenorum in se, eorum substantiam immutando, & trahendo ad alexipharmacorum naturam, quæ facilior est non dubiè si extremè non distent; nam quæ inter se distant extremè, quando inuicem alterantur, in tertium distinctum permutari ambo solent, potius quàm quod vnum in aliud permutetur, vt dicere possis, quod alexipharmacum habeat proportionem ad conuertendum in se, aut corrumpendum vene- D num, sicut habet illam corpus nostrum ad conuertendum in se alimenta, licet non tam facilè semper, etsi aliquando tam facilè fiat.

Hæc ergo de veris alexipharmacis dicta breuiter sint, iuxta mentem Galeni, vt suæ opinionis aliquam notitiam habeatis: est enim inter disputationes Philosophicas, quæ adhuc torquet, & retorquebit ingenia, ob arcanum modum operandi venenorum, & alexipharmacorum. Illud verò notabitis, quod venenum erit respectu nostri, quicquid incommutabile cùm sit à nobis, vehementem, & celerem, lethalémque immutationem in nobis efficiat, siue id præster calefaciendo, aut infrigidando, aut astringendo, aut resoluendo, & extenuando, aut pellendo E spiritus vitales, aut animales, aut quia eam qualitatem, quam calorem vitalem appellamus, subitò corrumpat; & venena breuissimè necantia sunt, quæ spiritum vitalem, aut animalem, aut eorum influxus corrumpunt, aut impediunt: sunt enim ob tenuitatem corruptibiles nimis, & calor vitalis tam necessarius, vt ipso corrupto omnes actiones statim cessent, & animal pereat.

Habet tamen Galeni doctrina magnas difficultates, quæ huius loci non sunt, & partim Vallesius noster doctissimè tetigit *in sibelio cap. 18. ex 5. simplicium*, cuius est doctrina à nobis adducta.

Quod verò ita intelligenda sit, constat ex eius doctrina, quæ etiam est communis. Docent enim omnes

scriptores cum Galeno, quod Antiquitas sedulò componere curauit auxilium, quod omnibus venenis aduersaretur, & theriacam confecerunt, qua omnibus venenis occurrunt: hoc autem esset impossibile, si occulta qualitate operaretur, nam illa non posset omnibus venenis opponi. Est ergo commonis antidotus, quia talem modum substantiæ habet, vt à venenis non commuteretur, sed potius è contra, theriaca venenum dissoluat, & ob id est iam efficax, quod corpora puerorum eliquet, vt Galenus docet, & nos etiam, si in maiori quantitate sumatur, vehementer alteret.

De medicamentis cordialibus dictis, quæ ad debellandam malignam qualitatem in hac febre imperantur, est etiam magna discordia inter authores, si aliquam qualitatem occultam producant cordi amicam, à qua robustius factum venenatos humores reiiciat, aut concoquat. Medicamenta cordialia vocamus lapides pretiosos, & gemmas, aurum, argentum, lapidem bezoar, & confectiones pretiosas ex eis paratas, vt confectionem hyacinthorum, electuarium de gemmis sine speciebus, aut cum illis, & confectionem alchermes, & alias in authoribus passim inuentas: de quibus Massariæ iudicium est *lib. 5. de febrib. cap. 24.* non longe à fine, quod vt siccant, & attemperant, possunt esse aliquo modo vtilia: quod ego intelligo si febris ex putredine oriatur, nam quæ vstionem habet vt causam, exsiccantia omnia, & calida renuit. Nunquam auxilium alicuius momenti ab vsu eorum expertum fuisse fatetur, quod etiam multi asserunt, etiamsi gratia experiundi eorum vtilitatem ea omnia antidota propinauerint. Cui sententiæ nos maximè addicti sumus, qui minus qualitates has venenosas, & pestilentes admittimus: nam si consideratis, quod tam minima quantitas assumpti veneni, aut ab animali venenoso eiaculati, tam difficulter superetur, vt rarò non interimat; quid sperandum esset, vbi tanta est copia humoris, vt ad causandam febrem continuam requiritur, si venenosu modo corrumperetur, vt relati Authores putant? nullus certè æger meo iudicio mortis molestiam effugeret, cùm ridiculum videatur tam paruam quantitatem antidoti communibus potionibus infectam, posse tam grandem copiam humoris maligni & venenosi corrigere. Lapides ergo pretiosi, & reliqua auxilia cordialia conferre possunt, quatenus superfluam humiditatem corporis, & humorum absumunt, & quatenus intermixti pulueres, eo quòd sunt incorruptibiles, impedire possunt, ne tam facilè putredo serpat ab vna parte humoris in aliam, vt doctè notauit Fracastorius; & hac ratione à tota substantia operantur, quia incommutabiles sunt ab humoribus putridis, inter quos interpositi, si eos exsiccando pretiosorum lapidum pulueres vtiles esse possunt. Sic odorata spiritibus creandis idoneam materiam præbent, alia vim resolutoriam malignorum vaporum præstantia, non leuiter conferunt, alia deobstruendo, & detergendo vtilia satis sunt, quas intensiones, vt principalissimas, & directè contra putredinem pugnantes, doctus Medicus exequi tenetur, & non ad occultas proprietates, quarũ operatio & oppositio, nec constat, nec hactenus aliquis expertus directè, & securo iudicio est, confugere. Vnde doctè Massarias dicebat *loco cit.* *Illud vnum mihi sufficiat in præsentia, ex vna parte in febre nostra pestilente præcipuam rationem resistendi putredini illam esse, vt impedita perspirationes tollantur, obstructiones aperiantur, & putrescentes humores quatenus licet coquantur, &c.* quæ non dubiè si à Medico vt decet, celebrentur, magno erunt auxilio.

Ego enim vt robustissimos homines facit optima temperies, conformatio debita, & magna copia spirituum, & has solùm vt adæquatam causam robustarum actionum agnosco; sic nihil aliud vt in suo vigore seruentur, & perditum restituant, admitto, nisi quod optimam temperiem conciliat, & spiritus in magna copia creat; & indè nisi aurum, & reliqua cordialia homini dent aliquid eorum, ex quibus dum sanissimus est, componitur, nociua potius censebo, quia semper corrumpent aliquod ex requisitis. Neque occultum aliquid in auro admitto ad virium instaurationem, temerariumque medicum putarem, qui in deliquio, aut syncope, ad aurum vt cardiacum recurreret, & vinum, benéque odorantia prætermitteret: rectè enim Felicius Platerus *q. 88.* dixit, quòd minima vini quantitas in viribus recolligendis in animi defectu, deliquio, syncope, etiam iam animam agentibus, & morituris plus possit, & præstet, quàm vel alia præstantiora alimenta, & medicamenta pretiosiora à gemmis, auro, serico, vel ab ipsis Indis extremis petita; quod vt quotidiana testatur experientia, ita longiori probatione non indiget, & *q. 91.* de auro, perlis, & gemmis omnibus pretiosissimis, & pulcherrimis loquens, dicit: *Si enim experientiam obuciant, possum hoc apertè fateri, multa expertus & ipse, nunquam me aliquid tale deprehendisse, nec deprehendisse etiam alios, nisi forsè si quod casu accidit, illud gemmis adscribamus. Nec enim video Regibus, aut aliis diuitibus vitam prolongari præ cæteris illorum applicatione, aut vsu; in virium restauratione, & confortatione vnicum vini haustulum, brodioli exhibitionem, odorem aceti in deliquiis, micam panis, &c. plus efficere aio, quàm sit quis auro penitus obruatur.* Vnde concludit hic Author, ad virium instaurationem nihil conferre, & meras nugas esse aliter sentire: quinimò, quia durissimi, & siccantes lapides omnes sunt, esse nobis aduersi, si sani verè simus, humidam verò distemperiem corrigere, & vlceribus prodesse, extra dubium putat ob vim exsiccantem; & cùm omnes absque odore, aut sapore aliquo idoneo percipiantur, sintque incommutabiles, nihil habent quo vires nostras reficiant, nec ex quo spiritus regenerari possint: cui opinioni si adiungamus adulteratos esse ferè omnes lapides, libentius ab eis abstinebimus.

Notandum tamen primùm, quod si antidoto hyacinthorum, aut electuario ex gemmis vti velitis, aut propter confidentiam, aut vulgi credulitatem, securius puto, si confectio hyacinth. imperetur, quia etsi lapides adulterati sint, multa tamen simplicia & vtilia eam compositionem ingrediuntur, quæ absque adulterio sunt, vt radices, semina, flores, & alia. Secundò notandum, quod alexipharmaca, & cordialia efficacius operantur, si seorsim sumantur; nam cibis admixta (præterquam quod horribilem cibum reddant, & nauseabundum etiam ventriculum, quod magnum malum est, quia alimentum non coquitur) debiliora redduntur, & si venenum in se commutatura sunt in Galeni opinione, planum est quod cibus interpositus commutationem veneni impediet. Legatur Cardanus *lib. de erroribus Medicorum, error. 35.* vbi permistionem pulueris cordialis cum cibis irrationabilem esse rationibus validis, & authoritate confirmat. Est authoritas Auenzoar 1. *theisir. cap. 1.* sed in meo est *in proœmio* dicentis; *Et qui sumpserit theriacam, vel smaragdum, non recipiat cibum, nec potum nisi post septem horas.* Rationem reddit dicendo, quod theriaca non est obediens membris facientibus digestionem; & cùm iam sit mista cibo, tunc recipit cibus dispositionem, ex hoc quod est difficilis digestionis: vnde accidit bibenti inquietudo, & dolor, donec expellatur cibus, antequam corpus recipiat nutrimentum. Et Princeps noster Auicenna sic loquitur *fen. 6. lib. 4. tractat. 1. capite primo. Et cùm timeatur veneni exhibitionem, multoties cibi plenitudo nos securos reddit, quoniam veneni virtus validissima cibo obtunditur*: quod si Mercatus legisset, non imperaret permistionem alexipharmacorum cum cibis. Rationem reddit, quia cùm alimenta auidius natura amplectatur, eò vberius, & citius

eorum

corum medicamentorum beneficia fruitur. Contrarium dicit Cardanus, quia cùm cibus medicinæ tali permisceretur, si citò transit, obstructiones maximas facit, quia crudus distribuitur; si tardè amittent vim medicamenta permista longa coctione permutata, nam non tantùm alexiteria, sed & venena suam vim perdere solent, si diutius coquantur, & cùm alexipharmaca sint fortia medicamenta, quomodo innoxiè cibis iungentur? Sed circa vsum alexipharmacorum multa tradit Mercatus, partim repugnantia, partim omni rationi dissona, quæ si examinanda forent, tempus deficeret. Zacutus 3. *prax. admir. obseru.* 86. refert, quod in eadem domo omnes clientes contagio suæ dominæ inficerentur, quæ febre malignissima laborabat: illa sola euasit, quia magnam copiam lapidis bezoar ingessit, nam vnico haustu drachmam deuorauit, clientes verò quia in parua copia sumpserunt, periere. Hic accommodanda ratio ex aliis inferius adducta, non enim lapis commutatur, estque efficacissimæ resolutionis, & mouet ad cutem, sicque venena superat. Docuit verò Avenzoar *loco citato*, quod semina citri, venenorum acuitatem retundunt, de quibus illud excellens Angelucius retulit, nimirum quod habeant proprietatem trahendi ad se venenatos vapores, eos à corde separando, & inferios ducendo: cauendum tamen ne antiquata sint, rancida enim, oleosa, & nimis calida, ingrataque vetustate redduntur, pugnant verò contra venena, quia difficilè commutantur, & calida satis amara, actiuaque sunt, cum resolutione ob partium tenuitatem; sic infringunt venena; quas proprietates, quia allia participant, omnia venena expugnare, & serpentum virus præcipuè reprimere, domareque, concors est omnium scribentium consensus, vt ob eorum eximiam vim theriaca rusticorum dicantur. Quod ignorans Mizaldus, ad odorem, & spirituum instaurationem vim alexipharmacam allij reduxit, cùm consistat potius in modo substantiæ difficulter mutabili, in vi actiuissima, & partium nimia tenuitate, quibus venena resoluit, & dissipat; & cùm odoris sit tam ingrati, & tam difficilis commutationis, & siccissimum, idoneam materiam gignendis spiritibus præbere credendum non est. Est ergo antidotum ob adductas rationes, & sic meritò scripserunt rei rusticæ authores, quod qui allia prægustauerit, si venenum hauriat, nullum sentiet incommodum.

QVÆSTIO VII.

De Cibo, & Potu.

NEc leuis discordia est, si cibus crassior, aut tenuis huic febri dicandus sit, tenuem enim acuties indicat, crassum petit nimius virtutis languor, & magna succorum corruptela; quod maximè suadet illud quod Galenus in ea peste retulit, omnes enim viriliter comedentes liberabantur: qui author 1. *aphor. com.* 17. hoc argumentum sequentibus verbis definiuit; *Si vires laborantis debiles fuerint, & ea quæ in corpore est dispositio, sit ex corruptione humorum, vel defectu, parum alimenti, & sæpius talibus offeremus: parum quidem, quia virium imbecillitas non potest totam simul multitudinem alimenti sustinere; sæpius autem, quoniam multis indiget dispositio: defectus siquidem exigit adiectionem, corruptio verò contemperamentum; si verò viribus debilibus, nec defectus aliquis simul adsit, nec corruptio, humores autem secundum naturam moderatè se habuerint, vel etiam superabundauerint, iis rarò, & pauca offeremus, & multò magis istud agemus, si cum natura robore humores superabundauerint. Si verò cum humorum defectu, vel corruptione vires validæ fuerint, tunc multos cibos, atque multoties, iis qui ita* **A** *laborauerint, dabimus, vtpote multos exigente dispositione & natura robusta potente illos concoquere; si verò accessiones non permiserint, nec multas alimenti afferendi occasiones præstiterint, rarò plura exhibemus, at si vires validæ fuerint cum plethorica dispositione, rarò, & multa offeremus, nam etsi quod cibum debet concoquere robustum habeamus, quia tamen dispositio multis non indiget, rationabile est, vt rarò, & pauca offeramus.* Hæc Galenus. Ex quibus facilè deducitur, quod cùm in hac febre detur non solùm humorum corruptio, sed etiam maligna, & sit per consequens dandum alimentum in magna copia, quia magna contemperatione est opus, quod etiam suadetur quia humorum corruptio non potest sine defectu eorũ dari, quia quicquid corrumpitur, deficit in naturali statu, nam si quatuor libris sanguinis eget **B** viuens vt idoneum alimentum, & contemperamentum habeat; perinde est quod euacuetur vna libra, & quod corrumpatur, quia idonei alimenti tres tantũ remanebunt, & per consequens alimentum deficiet per corruptionem vnius libræ, sicut deficit per eiusdem extractionem: vnde, & æqualem alimenti additionem vterque euentus indicat, & ex alia parte maius contemperamentum petit corruptio, quàm inanitio. Vnde si ob illud docet Galenus multo alimento in humorum corruptione, ad contemperandum esse opus, plus alimenti corruptio humorum, quàm inanitio petet: quod verò corruptio contemperatione plus egeat, non egee probatione, quia inanitio solum defectum dicit, corruptio verò, & defectum eundem debiti alimenti, & **C** rursus includit agens, quod ægrum alterat violenter, & contemperationem petit.

Hæc doctrina Galeni tria continet difficilia. Primum, quoad eam copiam, quam humorum corruptio indicare docet, quod nec exposuit, nec dixit, si maior esse debet quàm per statum naturalem æger sumere consueuerat. Secundum, quod eius doctrina opponatur planè sententiæ aphoristicæ *lib.* 2. dicenti; *non pura corpora, quantò plus nutries, tantò magis lædes.* Ex rationem reddens Galenus dicit; Corrumpitur enim adueniens alimentum vnà cum vitiosis humoribus, qui iam in corpore præexistunt, ita vt ipsorum quantitas augeatur, qualitas verò seruetur. Vnde colligitur nil magis irrationabile videri, quàm in humorum corruptela nimium cibum imperare, si cacochymia auge**D**tur. Tertium est, quod adducta doctrina repugnet etiam communi, & receptissimæ cibationi, quam omnibus febribus putridis idoneam esse Authores omnes tradunt; nimirum quòd si virtus constet, & absque vllo cibo febris constitutio transigi possit, nihil sit dandum, ita quod omnis humorum putredo, & corruptio alimentum potius impediat, quia & eius coctio impeditur, & morbi causa semper augetur, cùm sit necessarium omnes humores ex quouis alimento creari: non ergo videtur methodicum plus cibi in humorum corruptela donare, nec videtur probabile, quod contemperatio ipsorum per cibum fiat, si hic ab eorum prauitate corrumpitur, cùm potius eorum vitium intendatur. Tandem quia Galenus 12. *method. cap.* 3. in **E** febre syncopali humorosa tenuissimè cibat, in ea verò & datur humorum corruptela, & magnus virium languor, ob quem, nec venam secare, nec expurgare in tali febre Galenus fuit ausus.

Duplex dubium ex dictis discutiendum proponitur. Primum de quantitate cibi febribus malignis idonea. Secundum, qua ratione tam dissentientes opiniones Galeni conciliari possint. Hoc secundum huius loci non est, in quo tam discordes expositores inuenio, vt Galenum ipsum: & longa, prolixáque disputatione esset opus, si vt tam grandis difficultas requirit, exponenda foret.

Primum tamen dubium variè ab authoribus defenditur. Quidam plenum cibum imperant ob malignam

corruptionem; Sic Ambrosius Nuñez 1. *aphor. com.* 17. Galeni mentem sequutus 3. *lib. epid. sect.* 3. *text.* 53. vbi docuit in ea peste omnes fere comedentes viriliter periculum mortis effugisse. *Datur verò cibus plenus in corporibus tam impuris, quia ex humorum malitia magnus virtutis languor contrahitur, quem antequam adueniat, præcauentes, cibare plenius cogimur.* Hoc consilium (inquit) sequuntur optimi Medici in curatione febrium malignarum, & *tabardille* Hispanè vocantur, in quibus conuenientia alimenta multò abundantius quam in cæteris febribus putridis exhibentur. Ludouicus Mercatus, nec omninò multum, nec paucum alimentum admittit, sed mediocrem in quantitate, & substantia, & id obseruandum esse in quolibet tempore morbi: putat enim quod morbosus apparatus cibo pleniori augebitur nimis, venenum etiam nimis extendetur, at cibo tenuiori virtus deficiet, & ipsa venenata succorum conditio mixtionem alimenti desiderat, vt eius actiuitas impediatur, & inde victus medius conuenientior est, quia sine magno incommodo vtrique damno modo quo potest, occurrit.

Ego verò, & humorum corruptionem, & modum quo vires labefactantur, consideranda existimo; certum enim est, quod magna succorum corruptio, vt non admittit longam sanguinis euacuationem, ita neque multam inediam, vel victum tenuissimum, quia tales paucissimum habent, vnde inficiantur, & multum quod virtutem destituat, & inde vberius cibandi. Id verò ipsa virtutis constantia, aut debilitas indicabit statim, & nullum signum efficacius est ad id inueniendum, vnde si constet virtutem non pati plurimum, securius est ad tenuitatem victus declinare, vt 1. *aphor. text.* 9. Galenus docuit, & clarius *aphor.* 4. *eiusdem sectionis*, dicendo: *Magna verò ex parte properamus in longis quidem morbis fouere vires, in acutis verò parum debilitatas conseruare; nam si eas tales quales accepimus properemus seruare, vel etiam augere, semper addemus ad morbum*; estque, & esse debet constans assertio, quod omnis ratio victus sit instituenda comparata distantia vigoris summi cum viribus, & non plus dandum alimenti ægrotantibus, quàm ad consequendum vigorem requirant: rectè enim Galenus 1. *ad Glauconem* docuit, quod inedia ad humorum concoctionem summè conducat, & non minus ad eorum resolutionem. Vnde *aphor.* 4. *lib.* 1. dicebat: *In omnibus morbis quibus vigor, & indicatio primis quatuor diebus futura sit, modò natura sit fortior, integram inediam seruare debemus, quæ est victus extremè tenuis. In quibus verò non vltra primam septimanam protrahatur, forti existente natura, solo vtendum est melicrato, qui fuerit & ipse victus tenuissimus, non tamen in extremo. Quod si natura robori non satis fidamus, ptisanæ succo vtemur, rationabiliter autem huiusmodi victus tenuis diceretur, sicut qui per ptisanam hordeaceam non est quidem tenuis exquisitè, nisi omninò pauca assumpta fuerit, non tamen propterea plenus, qualis qui fit per oua, & alicam, & pisces, atque alia huiuscemodi.* Hæc Galenus. Quibus apertè tradit, quod est vt primum principium, nempe, quod si victus absque vllo cibo iudicationis tempus attingere queat, non esse dandum aliquid alimenti, & per consequens vbi sine cibo tale vigoris, & iudicationis tempus attingere nequeat, non esse dandum plus quàm indigeat, quia semper debet esse constans etiam principium, quod cibus coctionem retardat materiæ morbificæ, non tantùm quia natura ab eo repatitur, sed etiam quia inter naturam coquentem, & humorem coquendum interpositus distantiam maiorem inter agens, & passum posuit, & inde actio minuitur necessariò, vt replet etiam cibus, ventilationi obstat, & non minus resolutioni humoris vitiosi, vt multa sint incommoda à cibo timenda, sicut quod detur (vt dixi) noua materiæ morbi creatio; vnde cùm detur solùm propter

A virtutem, si hæc ex interno alimento satis restauretur, extrinseco opus non est.

Inde intelligetis, quomodo speciem victus Galenus appellet, nihil dare; non enim quia nihil dare talis species sit formaliter, sed quia internum alimentum est, ex quo virtus instauratur, externo non eget; est verò internum quod talem speciem constituit, quinimo de interno ipso distrahere sæpè cogimur, vt in plenitudine acutissimum morbum creante, in qua non solùm nihil dabimus, verùm & vasa inaniemus, vt detrahamus alimenti interni immoderantiam, & causam morbi, quia tanto alimento virtus non eget. Est enim sciendum, quod alimentum in morbis à materia pendentibus, non requiritur nisi ob spirituum generationem, qui si ex interna materia fieri possint, non est opus

B alio alimento. Esse verò idoneam materiam, ex virtutis constantia agnoscitur, vnde quamdiu virtus constat, non potest non esse nociuum alimentum de nouo assumptum, ob dictas rationes, & tunc humorum corruptela copiam alimenti non indicat, quicquid Galenus dicat; nam vt dicitur 1. *aphor. text.* 67. *Si quis cibum febricitanti dederit, sano quidem robur, laboranti verò morbus*; quod in eius expositione Galenus admittit in fine dicendo; *Quod cibus non est robur, sed roboris effectiuus; nec morbus, sed morbi effectiuus, vel quod rectius sit dicere auctificus.* Meritò ergo reprehenduntur, qui ob solam malignitatem cibum crassum imperant, vnde & in pestilentibus febribus, quia malignioribus plus quàm in malignis cibant, cùm contrarium sit rationabilius ob summam pestilentium acutiem & breuio-

C rem constitutionem. Peccant verò bifariam, & quia alimentum in magna copia dant, & quia ne facilè corrumpatur, sub crassiori consistentia. Hæc verò duo incommoda nequit effugere; primum, quod à virtute tanta symptomatū oppressione labefactata liquari, & concoqui implicat sub tanta quantitate, & forma tam solida propinatum. Secundum, quod cùm longo tempore opus sit, vt tantum, & tam solidum alimentum concoquatur, nunquam accessiones venire vacuo, & concocto alimento prehendent, quod est perniciosissimum: ob id enim Hippocrates, quò acutior morbus est, non solùm cibat tenuius, sed & alimentum in forma commutabiliori propinat, quia non solùm virtus magis reparitur, sed etiam quia accessiones in peracutis, aut longissimæ sunt, aut repetentes, & inde longum tempus ad alimen-

D ti coctionem negant, & per consequens in ea dispositione propinandum, sub qua commutationi minimum resistat, vt iam instaurata sit virtus, & corpus non obrutum alimento, quando paroxysmus adueniat, in quo alimentum infeliciter coquitur, quòd calor naturalis maximè patiatur, & præternaturalissimus redditus sit. Accedit, quod in acutis passionibus, sola copia spirituum vitalium indigemus, ij verò ex tenuiori alimenti dispositione facilius creantur, partes verò alimenti crassiores & excrementitiæ nullius commodi cùm sint, corpus grauant, vasa opplent, ventilationi obstant, multa excrementa derelinquunt, proinde quoad fieri possit, alimentum defæcatum, propinandum est, vt sic spirituosius sit, coquatur facilius, & relata incommoda non inuehat: peccántque per consequens, qui victum tenuem

E sola immutata quantitate, & non mutata consistentia alimenti in morbis acutis instituunt, cùm ab eadem consistentia excrementitium magis sit, tardius coquatur, & minus sit spirituosum, & plus obstruat: quod pulchrè notauit Hippocrates *lib. de veteri medicina, fol.* 10. dicendo: *Quicumque verò homines in hac affectione existentes siccam cibum absumunt, aut mazam, aut panem, etiamsi valde modicum, decuplo magis, & manifestius læduntur, quàm si sorbitione vsi essent, ob nullam aliam causam quàm fortitudinem edulij ad affectionem, in qua sorbere conducit, edere autem non.*

Iis suppositis, si vstio, aut putredo humores obsederit,

diligenter notabitur, quia etsi frigidum alimentum semper sit necessarium, in humiditate tamen, & siccitate, magna variatio esse debet; nam si putredo ob superfluam humiditatem sit, sicciora alimenta conueniunt, timendum enim est ab humidis putredinis augmentum, quod munus efficacissimè complent acida omnia, iuribus, aut carnibus, si concedantur permista; siccant enim, & putredinem futuram inhibent, & moderatissima astrictione, qua pollent, dissolutioni mistionis, quam putredo semper machinatur, mirè resistunt, appetentiam suscitant, sitim extinguunt, & partibus etiam tenuioribus crassa incidunt, & deobstruunt, vt nullum celebrius alimentum quàm ius ex carne pullorum, & gallinarum, & arietina paratum cum succo limonum, aut citri, hactenus inuenerint Medici, dummodo omnis pinguedo à carnibus extrahatur, & quod ego præcipio, vt coquantur leuissimo, & suaui igne. Neque obstat quod dixerit Hippocrates 1. *aphor.* victum humidum omnibus febrientibus dandum esse, nam id perpetuum non est, si putrilago ob humiditatem superfluam (vt in malignis & pestilentibus constitutionibus esse solet) contagiosa fit: illa enim humiditas, si ad præcauendam siccitatem à calore inducendam imperatur, vt putant Medici, sæpè in malignis, & pestilentibus constitutionibus necessaria non est, non solùm quia, vt diximus, superfluere solet, sed etiam quia breuis est harum febrium constitutio, & intensæ non sunt, vt propterea humiditas sit necessaria ad præcautionem tabitudinis.

Est etiam vituperanda vulgi consuetudo in iuribus parandis, nimiam enim carnium quantitatem concoquont, putantes sic ius magis vires instaurare: quod etsi verum sit, est tamen nocentissimum, quia difficulter coquitur, & nimis inflammatur, minùsque attemperat, euadit enim succosum nimis, & distribuitur difficillimè: quod si succus limonum, aut citri non sit, arantiorum acidorum substituemr, aut acetum limpidissimum ex vino albo, aut succus agrestæ, qui quia nimis astringit, minos conuenit, nisi quando fluxione biliosa ventriculus molestatur, aut sudores syncopales grassantur, aut fine his diuitissimi dantur. Carnes verò fugiendæ sunt, nisi pullorum gallinaceorum, aut perdicum, & in moderata quantitate; assæ magis quàm elixæ conueniont, sale & acidis conditæ, audius enim sumuntur, nutriunt, & potus quo tantopere delectantur ægri, & egent, suauius, securiusque sumitur, & ventriculus plus assis roboratur; putauitque Laur. Ioubertus carnes assas facilius elixis concoqui, & quia humidiores substantificæ sunt, de assis esse intelligendum aphorismum, quod victus humidos omnibus febrientibus conueniat, quod modò non disputo; & dum carnes assatas consulo, loquor de cibatione tam communi in nostra regione, & tam aduersa cibationi antiquorum Patrum.

Vbi verò vstio humorum datur, humidior cibus parabitur cum lactucis, scariola, cucurbita, hordeo excorticato, aut ptisana dabitur, quæ celebre alimentum est. Conuenient similiter pisces saxatiles cum aceto, aut limonum succo: in prima mensa vtiliter imperatur acida arantiorum cum modico sacharo, aut cerasa acida, aut oxalidis folia, aut fructus fragorum. In fine prandij vtiliter datur citonei carnis non doræ, & beoe maturi frustulum, mirè enim ventriculum roborat, & fumos ne caput petant, coërcet, & reprimit; nec timenda est eius astrictio, quia in parua quantitate datur, & si carnis teneræ non inueniatur, assum propinabitur. Alia multa sunt, quæ imperari possunt, præcipuè conseroæ, quæ Hispanè aleæ dicuntur ex citoneis, aut malis cotoneis, granatis acidis, cerasis acidis, aut agresta; suauissima enim sunt, & optima. Oua etiam recentia, & sorbilia conceduntur, si tremula sint, cum aceto, aut aliquo ex succis acidis. Est

A mihi familiaris cibus vbi languet facultas, & somnus conciliandus est, ius pulli cum lactucis, & scariolis paratum, & acido limonis, in quo nunquam permitto, quod ouorum vitelli dissoluantur, vt est communissimum, sed seorsim illos à iure propino, & mirè reficiuntur, somnusque conciliatur; & si opus sit cum iure lac amygdalarum dulcium coquitur, aut seminum frigidorum, & cum modico sacchato datur.

Potus in principio semper aqua esse debet, quia & virtus constat, & fluxionis impetus est, quia corpus plenum. Communiter decoquitur cum radicibus scortioneræ, & pauco cinnamomi; creditur enim scortioneram venena expugnare, alij decoctum ex medulla tamarindorum extollunt, aut permistam cum acido limonis, aut citri, aut acero optimo; mirum enim quod

B Oribasius *lib. 5. cap. 11.* ex doctrina Ruf. de aceto prædicat. *Est, inquit, cordi accommodatissimum, & cibo aptissimum, & concoctiones adiuuat, & pituita amicum*; quod verò putredinem inhibeat, notissimum est, quod & sal strenuè facit, ob quod vituperanda consuetudo vulgi salis mistionem in carnibus, quando elixantur, non admittentis. Est enim vsus perniciosus, nauseabundum ventriculum reddens, quòd iura ingratissima sint eo modo parata, & omnino insueta, quod *loco citato* Oribasius notauerat dicendo; *multa sine aceto esca non sunt*, sique aliquis eo non vtatur, maximè læditur, non secus quàm si etiam sine sale cibo vesceretur is, cui sal conueniret: & præterquam quod cibis gratiam conciliat, vt medicamentum requiritur vbi putrilago molestat.

C Quod verò Mercatus extollit, est aqua nitidissima auri frusto sæpius chalybeata: hanc (inquit) tanquam magnum præsidium semper magni fecimus. Felicius verò Platerus *in quæstionibus therapeuticis, q. 1.* contrarium docet, dicendo; *Aurum enim limatum, vel foliatum exhibent, vel etiam aurum decoquunt, vel candens extinguunt in liquore, quem postea bibendum propinant, sordes potius ablutas quam efficaciam propinantes*, sicque Medicos quouis modo auro vtentes irridet, videturque eius opinio probabilior: quia cùm ignis purius aurum reddat, & defæcatum, id non aliter facit quàm excrementa eius separando: hæc verò probabilius est in aqua deponenda fore, cùm minus permutat aurum quàm excrementa sui dissolutionem. Ego in hac sum

D sententia, nunquam nimirum fidendum esse solis auxiliis in controuersia positis, & si aquam auro chalybeatam imperarem, duo prius requirerem. Primum, quod idoneo medicamento parata esset, & postea chalybearetur auro. Secundum, quod aurum purissimum sit, & omnis alienæ mistionis expers, quo vitio nunquā denudatur, quod in Hispania nostra in numismate fit, multum enim habet glutinis, quod in aqua deponendum foret, & non auri aliqoid certius, vt dixi. Cardanus *errore 58.* sic scripsit; *Igitur præstantissimum potius arbitror, auri frusta ignita iure extinguere, nam hoc non modicam habere vim potest, quandoquidem cauterium ex auro innoxium magis sit, quàm ex ferro, testante Princi-*

E *pe.* Et inferius sic loquitur; *Memini me cùm hæc scriberem, ex frequenti igniti auri extinctione in vino albo, saporis quandam gratiam sensisse, quæ non ex igne, sed ex auri substantia pendere videbatur; perceperunt & alij, quibus hoc consulueram vtile futurum.* Quod si hoc probabile appareat, nescio cur aqua gemmis pretiosis ignitis non chalybeetur, quæ & potiores sunt auro, & absque mistione solphuris, & argenti viui, quæ ab omnibus metallis inseparabilia putant Chymici, & facilius in aqua virtutem depositura extra dubium est, & vim maiorem quàm auro, quibusdam gemmis, ad cor exhilarandum, & venena expurganda Medici tribuunt; quomodocumque verò aqua chalybeetur, exsiccare magis certum esse debet, vt si non acqoirat aliquid noxium, eo solo in vda putredine vtilis esse possit.

Vinum

Vinum nisi gratia virium nunquam conceditur, aut quando perspicuum est ventriculi coctionem ob eius defectum vitiari, vt sæpè contingit, quibus per bonam valetudinem vino se replebant, & mero, vt in agricolis sæpissimè obseruaui; multi enim si sola vtantur aqua extremè effœminantur, velut si animo linquerentur, alimentum in ventriculo fluctuat, & infelicissimè coquitur, nec somnum conciliant, iis enim vinum concedendum, nisi vrgens capitis dolor, aut incipiens delirium molestet. Iam vidi vini potatorem, qui ob inflammationem externam vino omninò priuatus delirauit, & statim ac vinum bibit ad mentem rediit, quod & ego pollicitus ita venturum omnibus fui admirationi. Quæ verò fuerit nostra coniectura, *tract. de somno & vigilia* tradidimus, & inter errores Medicorum Cardanus enumerat, quàm religiosè vinum à Medicis denegetur. Legatur *errore* 6. in quo satis doctè id notat, & breui methodo quid faciendum sit, docet. Nunquam mihi placuit tantam virtutis debilitatem admittere, quod ob vrgentiam vinum concedatur, sed multò antea vbi lapsus timetur, propinandum esse existimo, tantum enim languorem cuius instauratio dubia est, prius permittere, irrationabile omninò est, & Medici irrationalis, qui antequam symptomata vrgeant ventura non agnoscit, & sic nec ea præcauet; in hoc enim periti à rudibus præcipuè distinguuntur, quod grauia mala ventura, per leuia ipsorum prælúdia assequantur, & sic ea multò antea præcaueant, obstando eorum creationi, sin minus, quod non tam ferociter ingruant, quæ si non præcauerentur, exitialia omninò forent.

In reliquis rebus non naturalibus moderatio semper procuranda est. Aer frigidus nunquam corpora denudatum alterer, ne impediatur macularum exitus, aut quæ apparuerint, retrocedant, estque magni momenti quod quietus æger decumbat, vt coquatur materia, & maculæ felicius expellantur ad extra. Alui excrementa idoneis clysteribus si opus fuerit deponantur, & si raptus ad superiora timeatur, aliquid expurgantis recipiant, vt reuulsio fiat, aut quod melius est, euacuatis primò fæcibus expurgantes clysteres iniiciantur, ne impediatur attractio, & si in initio accessionum moueatur materia ad cerebrum, aut cor, magnum auxilium est cucurbitas cum multa flamma ante horam accessionis venturæ affigere, & si opus fuerit, aliquas scarificare, vt Tralianus docuit. Crurum frictiones vtilissimè imperantur ante cibum, aut eo iam coneocto, ad euocandam materiam ad partes à corde distantes, præcipuè si menstrua instent, quo tempore cauendum ne partibus superioribus cucurbitæ apponantur, & aliqua auxilia imperanda menstrua mouentia, ea nimirum quæ febris permiserit. Impetus naturæ maximè obseruandi sunt, interdum sudores, aliquando aluum, nonnunquam parotides moueat, ne auxiliis aliquibus impediantur, vt solet. Sunt verò præcipuè obseruandi in diebus decretoriis, quando iam coctio materiæ apparere incipit; in eis enim per leuea quasdam motiones solet natura ad quid se inclinet insinuare, oportetque non solùm eam non interturbare, sed potius idoneis auxiliis inclinare magis, non quidem vehementibus, ne ante tempus coctionis perfectæ crisim intempestiuè irritata tenet, sed suauissimis. Quod si per parotides iudicationem tentet, curabis vt quantum vires permiserint, corpus inaniatur; est enim iudicatio illa parum secura, & fallacissima, quia aut retrocedere solet, aut si magnus tumor fiat, trahere cerebrum in consensum ob affinitatem, aut tardissimè suppurari, assiduis doloribus ægros excruciando.

Somnus conciliandus omni ingenio, si ægri non dormiant. Norat Mercatus, quod sit perniciosum à cibo dormire, aut incipiente, crescenteve accessione, sicut est vtile à potu tempestiuè dato, quando nimirum iam

A declinat accessio. Verùm mox à cibo dormire multa suadere possunt, languor nempe ventriculi, aut vomitus, aut nausea, quæ post alimentum assumptum molestare solent, singultus etiam somnum à cibo maximè amat, quia assidua motione pessimè coquitur, & si vigiliis molestetur æger, nullum commodius tempus quàm mox à pastu dormire, quia nunquam maior, & naturalior cerebri humectatio; & si per salutem consueuit æger à cibo dormire, sine ratione somnus impedietur, quia nullum incommodum est, quod consuetudinem peruertere cogat, præsertim in acutis, in quibus tenoe alimentum semper datur. Quod verò in extremis partibus augmenti, & in vigore accessionis sit aliquando vtile dormire, Galenus docuit 2. *aphor. com.* 1. iis verbis; *Nam & aliquando morbo iam consistente adhibitus*

B *manifestam affert vtilitatem, & quandoque in extremis partibus augmenti, quæ ad consistentiam copulantur: sed manifestissima omnium vtilitas in declinationibus fit.* Ego verò qua ratione sit intelligenda Galeni doctrina in communi methodo curatiua febrium exposui, vbi docui quibus conueniat in vigore, & augmenti fine dormire: non placet communis Medicorum methodus, qui viribus debilibus alimento, & potu statim succurront, cùm sæpe salubrius fuisset, somnum conciliare, & nullum propinare alimentum.

Est etiam magni momenti, quod aër cubiculi optimis odoribus imbuatur, quos res temperatissimæ, aut ad frigidiorem naturam accedentes exspirent, vt spiritus instaurentur, in quorum copia spes curationis col-

C locanda præcipuè est. Optimus est odor aceti rosacei, quod & semina contagii dissoluit, & putredini mirè obstat, necnon permittendum (vt multi aliter sine ratione faciunt) quod nouus aër ad cubiculum intret; timent enim ne cutis densata, aut maculas non recipiat, aut receptas intrò rursus repellat, quasi impossibilis sit aëris noui ingressus, & non infrigidari ægrotantium halitum, cùm tam facile sit vtrumque bene disponere: est enim perniciosum eundem aërem semper inspirare, cùm fieri nequeat, vt rursus cum eo exspiratæ foliginea, & tetri, corruptique vapores non inspirentur, & cùm hoc semper sit malum, est in temporibus calidis grauissimum, quòd tunc in suo vigore quæ exspirata sunt maneant, & simili prauitate rursus attrahantur.

D

QVÆSTIO VLTIMA.

De Parotidibus, & vltimis remediis.

ANtea dictum est, materiam huius febris nonnonquam à natura retro aures expelli ad glandulas scilicet retro illas existentes, & esse indifferentem terminationem ad bonum, & malum iudicium, nonnunquam enim liberant, & interdum mortem afferunt, quod cuicumque iudicio commune est, sed parotidibus magis proprium est occidere, quòd cum certo periculo fiant, etsi liberetur æger non sine graui molestia: de quarum causa, & præsagiis multa diximus

E *tract. de morbis acutis*; non enim causa febris malignæ pauca esse potest, quam si totam retro aures natura expellere tentet, vt iudicium perfectum sit, magnum tumorem creare necesse est, qui grauissimus, & periculo plenus erit, tum ob cerebri viciniam, tum etiam ob dolores ingentes, & distentiones magnas, à quibus debilitatus æger de nouo, & impotens redditus, & tantæ, & tam malignæ materiæ coctionem, vel facilè retrocedit, & breuissimè ægrum occidit: si verò materia tota non expellatur, iudicium imperfectum efficitur, & absque cómodo æger cruciatur, & nouus morbus additur priori febri non iudicatæ: ob id docui magni momenti esse, quod eueniat hæc fallacissima, & periculosa terminatio, quoad fieri possit corpore euacuato, vt absque

absque ingenti tumore sufficiens esse possit. Vnde totum Medici consilium erit, vt tumor ille moderatus fiat, ne ob paruitatem sufficiens non sit; aut si magnus fiat, ægrum suffocet, conuellat, aut cerebrum in consensum trahens occidat, aut non coneuctus retrocedat, cum eodem mortis periculo, quamvis id perpetuum non sit, vt constat ex historia Andreæ 7. *epid. text*.30. qui cum euanescentibus & retrocedentibus parotidibus euasit. In principiis verò morborum, & ante septimum earò non sunt mortales, vt notauit Hollerius, qui fatetur ingenuè se rarò salutares parotides vidisse.

In iis tumoribus putat Vallesius noster non esse expectandam suppurationem, aut resolutionem, sed statim vrendos esse. Sic docet 5. *epid. com.* in historia Hypocomij, iis verbis: *Ego quoque in parotidibus, quæ ex morbis aliis non leuibus fiunt, citò, vel nulla expectata suppuratione, vstione vtor in ipso tumore; nulla enim ratione melius prouidetur ne tumor recurrat, sed materia per ipsum vlcus, quod infligitur, expurgatur.* Quæ doctrina quibusdam limitationibus intelligenda est, prius enim oportet quod iustam magnitudinem tumor acquisierit, & quod iam natura ab expulsione cessauerit, aut paucissimum sit, quod mittit: quippe si multum mittendum superest, & locus vratur, magna attractio fiet calore, & dolore cauterij, & pericula iam enarrata & iis tumoribus magnis debita æger incurret: si verò tumor moderatus sit, & coctio materiæ præcesserit, & constet virtus ad eius resolutionem, aut suppurationem, vstione opus non est, quia robusta natura retrocessum non admittet, eo ipso quod ad coquendum, aut resoluendum sufficiat. Consilium ergo Vallesij sequendum est, quando grandior tumor efficitur, vt tumor sit ne suppurari, aut resolui facile possit, & ob id timendus etiam eius retrocessus, præcipue si virtus satis firma non sit. Quod si tumor magnus iam factus crescat, adhuc vstio cauenda est, ob timorem ingentis attractionis, vt antea docui, quin potius secanda vena humoralis est, tumori directè respondens, scarificandæ cucurbitulæ in dorso eiusdem lateris, vt magno incremento tumoris occurratur. Iam verò sedato violento naturæ impetu, cauterium affigetur, & quò grandior tumor apparuerit, vrgentius tale auxilium indicabitur, quia maior metus retrocessus ad intra, eo quòd insuperabilior sit, & irresolubilior. Et rursus Vallesius 7. *epid. text*.92. sic scripsit: *Ego quidem huiusmodi ægrotis, quibus per febres malignas parotides oriuntur, quid facere soleam, dicere non grauabor, quandoquidem censeo multos esse ita seruatos, qui alioqui interiissent. Mox ac oriri incipiunt, partem laxante oleo foueo, vt chamæmelino, atque si exire cunctentur, ibi ipsi cucurbitam affigo, ne abscessus sit minor quàm vt possit conferre. Vbi autem satis manifestus iam factus sit, si breui plurimùm increscat, mitto rursus sanguinem, ne sit maior quam possit sustinere: mox verò durum adhuc tumorem, neque vlla suppuratione expectata, ignito ferro aperio, altera quidem in parte, si alteram solum obsederit tumor, in vtraque verò, si vtraque; & cataplasma suppurans appono: plerumque res cedit benè, nam breui computrescens cum inusta scara tumor, manare pus incipit, & reliqua viscera perpurgantur; nec hoc videri debet cuiquam atrox, pars enim adenosa per se quidem bilis est, quamque ob id licet vrere, & secare, & vtrumque contemnere.* Est de parotidibus celebris historia Riuerij *cent*. 1. *obseruatione* 42. apparebant enim circa nonum, aut vndecimum, & omnes peribant: remedium fuit eodem die apparitionis (etiamsi infirmi pulsum haberent paruum & frequentissimum, & ferè formicantem, vt in agone mortis esse viderentur) venam secare partitis vicibus bis, & ter eadem die, & sequenti die expurgare. Qua via omnes quibus hæc remedia fuerunt administrata, feliciter euaserunt, neque vllus deinceps interiit.

D. Petr. M. de Heredia, de Febribus.

A Extrema auxilia sunt duplicis naturæ; quædam enim quando iam natura morbo succumbere incipit, & nondum coctio apparet, translationem materiæ, quæ domari non potest, in partes ignobiles procurant; nam quando iam tentata sunt omnia auxilia absque fructu, coctio speranda non est, sed tota spes, vt dixi, in materiæ translatione collocabitur: dixit enim Hippocrates 3. *prog. textu* 67. *Abscessus quidem in crura in fortibus, periculosisque pulmoniis vtiles sanè omnes, &c.* vbi planè docet, quod etiamsi fiant cum materiæ cruditate, omnes sunt vtiles, & id Galenus admittit dicendo; *Si verò etiam minimè cocto morbo abscessus in cruribus oriatur, ille quidem hominem à periculo eximet.* Ex quorum authorum doctrina liquet, quod si causa pulmoniæ, quæ extrauasata necessariò est, potest à natu-
B ra in articulos reiici, & cum magno commodo, etiamsi materia non sit emendata, poterit natura maiori facilitate materiam febris in articulos pellere, quia extrauasata non est, & præsentem perniciem æger effugiet: hanc verò materiæ translationem Medicus tentabit pharmacis attrahentibus, articulis, & partibus inferioribus applicitis, vt sic natura etiam ad mouendum in easdem partes inclinetur; non enim videtur maior ratio cur à cruda pulmonia æger liberetur, & non à febre maligna.

Sunt ergo applicandæ cucurbitæ cum multa flamma inguinibus, & articulis; sint verò ventricosæ, angusti orificij. Vngendi etiam articuli oleis laxantibus, & attractoriis, vt amygdalarum dulcium, irino, costi-
C no, rutaceo, aut euphorbij, reiterabunturque inunctiones, sed magis cucurbitæ; quæ si non sufficiant, cerata articulis applicanda sunt ex diachylone ireato, cum puluere sinapis, aut cantharidarum: neque ad huiusmodi auxilia magnus languor virtutis expectabitur, quia nec virtus reiicere poterit, neque medicamenta actuabit ob caloris penuriam: quod genus auxilij indicatur magis si materiæ coctio desperata sit, aut nimis dubia. Conferent etiam translationi materiæ in crura assiduæ frictiones, inunctis manibus oleis prædictis, quibus post frictiones articuli fouebuntur, & pòst cucurbitæ apponentur, & tandem scharotica, aut vesicantia.

Amatus Lusitanus *cent*. 1. *curat*. 63. duo extrema auxilia tradidit pro deploratis. Syndone calida ægrum inuol-
D uunt, & vitella ouorum cum vino generoso propinat, & nonnulli (inquit) euadunt, sed quibus corpus alget ob febris malignitatem, bolus armena orientalis (quam terram lemniam aliàs appellant) cum vino generoso, & aqua rosacea, aut cum carnium succo, aut alio liquore exhibita, efficax auxilium expertum est. Vt hæc sunt vltima, sic in pestilente febre primum secretum, & expertissimum est, authore Mizaldo *in horto medico, campo* 5. *area* 9. duas vncias succi calendulæ propinare, deinde in lectulo benè coopertum ægrum sudare; est statim in initio dandus.

Riuerius sudorem mouet in febre purpurata, non expectata coctione, quando magna datur, & omnia
E periculosa videntur adhuc cum alui fluxu, vt *obseruatione* 24. *cent* 1. patet. Remedium fuit scrupuli duo pulueris sudorifici, camphoræ gran. xij. aquæ cardui benedicti ℥. iiij. sudor excitatus fuit in die quinto, à quo diarrhæa, deliriaque cessarunt, & solùm semel sanguis extractus fuerat, mox à sudore secta fuit vena, & morbus euanuit. Idem refert *obseruatione* 26. in febre cum diarrhæa, dilirio, & ferè moribundo. Si verò Medicus percipiat quòd cor sit putredinis focus, quod ex magna cordis oppressione, pulsuum debilitate, & inæqualitate, tristibus suspiriis, & interdum bunitate veinæ assequimur, celebre remedium est prope ipsum cor, vbi magnæ arteriæ pulsus sentitur, cucurbitam scarificare, & oleo Mathioli scarificationes implere, sic enim quod cor obsidebat, extrahitur, & oleo illo

quod superest, resoluiatur. Et si à prima scarificatione vtilitas percipiatur, applicabitur rursus noua cucurbita supra locum scarificatum, sed sine nouis plagis inductis: reiterabitur verò hæc secunda appositio post sex, aut octo horas antequam vlcuscula agglutinata, aut vnita sint: quod auxilium extremum est, & quando iam totum est omni modo euacuatum, imperari debet. Non legi tamen hactenus authorem illud imperantem, sed Magistri mei eo vtebantur, & *in prælectionibus artis curatiuæ ad Glauconem, cap. de terriana perniciosa*, Magister meus Petrus Garzia, vt nimis vtile commendat, & ratio etiam id dictat, quia à parte affecta venenosum humorem proximè euacuat.

Si verò sopore profundo, vt solet, æger periclitetur, occipiti duæ vstiones candenti ferro affigendæ sunt, & duo vesicatoria coxis, & alia duo brachiis, & vnum sub occipite: suturæ verò coronali fotus admoueatur ex decocto aceti acerrimi cum hyssopo, thymbra, thymo, pulegio, & castoreo addito, & spongia decocto imbuta semper applicata manebit, expressa tamen priùs, & moderatè calida, nunquámque frigescere permittatur: ori verò dandum oxy uel cum castoreo paulatim degluciendum, & cum antea dicto decocto nares solicitandæ, aut cum sternutatoriis ex elleboro albo, nigella, euphorbio, pyretro, & castoreo, nicotiana, & semine fœniculi, cum diambra, ad robur conciliandum, roborandum cerebrum, & reprimendam prauitatem aliorum simplicium, & palati cœlum theriaca dissoluta in serapio stæchados assiduè inungendum, & cur[illegible], & extra firmabitur. Aqua vitæ si optima sit, naribus attracta, aut cum syringa paruula iniecta, vt secretum habetur, robur enim conciliat, resoluit optimè, & graui odore, irritationeque expergefacit, & si sumpta somnum conciliare credatur, acria suppositoria idonea sunt, aut expurgantes clysteres sine oleis; ligaturæ etiam, dolentes maximè: sunt enim tam profundè, inexpugnabilitérque dormientes, apoplecticis proximi, & vt tales tractandi, & totum caput thymbra circundabitur, dormietque supra illam, quia somni profunditatem tollit; estque magnum auxilium si per nares syringà intromittatur acetum album acerrimum, in quo thymbra prius incoxerit.

QVÆST. POSTHVMA.

De febribus eradicatu difficilibus.

SECTIO VNICA.

CAPVT I.

De causis contumacitatis febrium, de præceptis ad earum curationem, &c.

INNVMERA medicamenta febres fugantia, & eradicantia ab Authoribus traduntur, quæ si indifferenter propinentur, morti occasionem esse posse, certum esse debet. Quia cùm omnes febres putridæ à succorum putredine oriantur, & putredo à prohibita ventilatione, & hæc à multitudine, aut crassitie, aut lentore excrementorum, & horum copia à parte aliqua talia excrementa creante, aut in se imbibita continente, & tenaciter retinente, ideo tot possunt esse sortes medicamentorũ febribus salutares. Nec modò loquimur de communibus auxiliis maioribus, sectione nimirum venæ, & expur- A gatione; sed de aliis, quæ passim ab authoribus traduntur, & præcipuè commendantur, quando iam febres diuturniore prolixâ, molestissimaque longitudine, aut mortem, aut tabem producunt, & coctio materiæ nondum apparet, aut si apparet, & corpus iam sit expurgatum, durant tamen, & molestant accessiones. Tam longæ autem, & fastidiosæ durationis causa principalis esse solet obstructio stabilis alicuius internæ partis; aut firma, & quasi hectica distemperies alicuius visceris excrementum illud, à quo febris emanat, creans. Propterea nullum celebrius præceptum ad febrium eradicationem, & impediendam earum diuturnitatem, quam in auferendis obstructionibus insistere, notando solicitè earum causam. Quandoque enim, etsi sit crassa, est B etiam simul satis calida, & mordax, quia crassa bilis impacta redditur, & cum immobilis sit, quotidiè de nouo aduritur, & implacabilis sitis ob adustionem excrementorum frigidam aquam sumere cogit, à qua densatur magis, & maioris durationis morbi causa efficitur.

Est tamen non dubiè frequentior occasio diuturnitatis cruditas, quæ ex alimentis quotidie sumptis ob ventriculi languorem ægrotantis, morbo anteacto consumpti, generatur inenitabiliter; aut quia ingesta (quamuis optima sint) calor imbecillis completè conficere nequit. Conducit etiam quamplurimum ad tantam morbi diuturnitatem largior, & frigidior potus, præsertim in febrium vniuersalium principio: est enim in illo corpus plenum rimis, obstructum, & pessimè ventilatur, C & calor vitalis ob dicta suffocatur, & inde putredo prævalet cum vrinæ cruditate, & corruptione. Potus autem frigidior, & in maiori copia, quam conueniat, exhibitus, corpus obturat de nouo, & viscera iam debilia magis effeminat, excrementa etiam cruda, & obstruentia incrassat, & densat magis: vnde si in perniciem citò necantem febrem non mittet, diuturnitatem non dubiè febribus affert, vt quotidiano experimento docemur. Crassorum copia longitudinis morbi causa manifestissima est, sicut & totius corporis densitas. Primum significauit Hip. 2. *aphor.* 28. per hoc quod febris sit omnino longa, cuius corpus morbidum non extenuetur, sic inquit: *Febricitantium non omninò leuiter permanere corpus, & nihil minui, vel etiam plus quàm ratio* D *postulat, contabescere malum, illud enim morbi longitudinem, hoc verò imbecillitatem significat.* Et 2. *epidem. sect.* 10. secundum Valles. diuisionem: *Si venæ in manibus pulsent, & facies rectè valet, & hypochondria non sint mollia, diuturnus morbus fit, sine conuulsione non soluitur, aut sanguine multo ex naribus, dolor coxæ.* In quo textu, per *facies rectè valet*, idem significauit ac in aphorismo per illud, *corpus nihil minui*: simulque posuit in *loco epidem. cit.* aliam causam principalissimam diuturnitatis febris, scilicet, quod *hypocondria non sint mollia*, sed tensa, & obstructa absque inflammatorio affectu, nam iste non longam, sed breuem, atque mortalem febrem parit, vt 1. *prognost.* docuit. Vnde constat lege contrariorum, nil esse quod ad febrium breuitatem ita conducat, vt hypochondria mollia, & ab omni obstructione libera esse; quia E & corpus optimè difflatur, & expulsioni excrementorum facilis, & expedita via per mesenterium ad aluum inferiorem datur, & vrinæ etiam viæ patentissimæ sunt. Obstructa autem hypochondria contrarios effectus creant: omnia enim excrementa intra se incarcerata detinent, & paucissimum, vel tarde resoluunt, quòd eorum calor naturalis ob aggrauationem imbecillis, languidusque sit; & propter hoc humorum cruditatem, crassitiemque significauit, quæ longitudinis febris causæ magnæ sunt. Densitas corporis similia incommoda causat, quæ pertinax obstructio inducit, de qua dispositione *lib. de alim. com.* 4. *text.* 5. *secund. Gal. diuis.* sic scripsit Hip. *Qui probè perspirant, debiliores, & saniores sunt, & à morbis facilè conualescunt. Qui malè perspirant, priusquam ægro-*

te:

tent, fortiores sunt. Vbi autem ægrotarant, difficilius à morbis conualescunt. Hac autem, & toti, & parti. Quem locum adduxit Gal. *lib.1. de sanit. tuend.* in quo docuit, quàm salubre sit in pororum constitutione, corpus esse moderatum; quia corpus rarius causis extrinsecis resistere non potest, densius autem ab excrementis, quorum est ineuitabilis generatio, capitur perpetuò, de quo *in expositione loci adducti ex lib. de alim.* dixit: *Quidam verò sic à principio sunt malè constituti, vt semper ægrotent, neque possint valere, etiamsi eis ipsum Appollinem præficias. Hacque non modò in toto corpore, sed etiam in singulis particulis visuntur. In causa* (inquit Galen.) *sunt excrementa quæ per halitum non excluduntur.* Qui locus aureus à nobis fuit adductus *tract. de hect. febre*, ad ostendendam habitualem dispositionem, in qua hectico modo æger paranit, & à qua causa hectica illa dispositio dependeat. Sed quod pulchrum in hoc loco est, quod cautos Medicos reddat, ne assiduis euacuationibus in morbis pertinacibus ægros fatigent: sed accuratè inquirant, sitne pars, quæ patitur, densior præter naturam, vt inductà raritate, excrementa euacuentur, alioqui sanescit nunquam.

Liquet ex dictis, quod (febres si breuiores fieri debent) corpus sit euacuandum, vt permittunt vires, quippe causæ multitudo ad morbi diuturnitatem semper facit; rursus ventilationi totius, viscerum præsertim, solicitè incumbendum; vt fiet extenuando excrementa crassa, detergendo lenta, laxando totum, & cutem rarefaciendo, & excrementorum expulsionem per cibi destinatas cloacas, & vias solicitando; nam quo purius corpus redditur, vitalis calor gliscit, & abundat magis: coctioni humorum excrementa sic non obstabunt, & si celeriùs euenient crises, & iudicia citiùs, & perfectissimè fiunt, quia calor vitalis robustissimus est, & viæ ad materiæ coctæ expulsionem liberrimæ; & hoc est aureum præceptum memoriæ mandandum, vt morbi breuiores (quatenus per artem possumus) fiant. Quibus addendum, quod caloris vitalis augmentum omni ingenio solicitetur; est verò modus duplex. Primus morbum imminuendo, & eius grauiora symptomata virtutem semper effœminantia moderando. Secundus per cibum, & potum, & debitam rerum non naturalium dispositionem, aut reliquorum omnium ad œconomiam ægrotantium pertinentium; in qua non minus, quam in reliquis instructus Medicus esse debet, de qua *Hip. 6. epid. sect. 2. text.* 36. scripsit: *Circa ægrotantem, œconomia, & quæ in morbum interrogationes, quas narrat, qualia vt accipiendi sermones, quæ ad ægrotantem, quæ ad assistentes, & externa.* Et clariùs *eodem lib. sect. 4. text.* 7. sequentibus verbis: *Laborantibus gratias, vt mundè facere, aut potus, aut cibus; quæ videt, molliter quæcumque tangit; sed non vt valdè lædant, aut non bene emendabiliter, vt frigida, vbi hæc est opus. Introitus, sermones, figura, vestis ægrotanti, tonsura, vngues, odores.* Cuius doctrinæ expositionem optimè noster Valles. tradit: Illa enim, quatenus benè disposita, ægros exhilarant, lætitia magnam vim ad salutem habet; morbos etiam, quatenus lætitiam inducunt, contrahere faciunt.

Est aliud præceptum magni momenti ad morborum solutionem conducens, de quo Hipp. 6. *epid. sect.* 7. *text.* 8. ait: *Multa de quocumque rectè præcipi possunt, alia quidem eadem potentià, alia autem non. Quale est talia diffundi, exsolui, & educi, & indurari, & maturari, & vbi opus est è lecto pellere, & torpentes ad ea, quæ agunt, seriùs excitabis.* Verbis autem vltimis consulito, quod è lecto surgant ægroti, quando iam præ morbi diuturnitate, nimia quiete insignem debilitatem ægri contraxerunt; vt enim membra paralytica præ aliis tabescunt propter exercitij defectum; excrementa nutritionis non reiiciuntur longè, atque calor vitalis eorum membro-

A rum, aut suffocatus ab excrementis non expulsis, aut calore exercitij, aut ventilatione deficiente, non reuiuiscens; aut quod certius videtur, non attractus vitalis calor ad membra ob obstructionem eorum, & quietem: simili modo quando ob morbi diuturnitatem in longa quiete membra detenta fuerint, extinguuntur, & languida fiunt, & excrementa non expulsa ipsi membro mutationem præbent, & calorem vitalem minuunt, & sic coctio retardatur, longiorque morbus efficitur. Est igitur remedium, vt morbus propulsetur, *è lecto surgere*; quod quotidiana experientia vtilissimum esse docet, vt citiùs ægri conualescant, & febres exstirpentur à lecto surgentes, quàm si nunquam moueantur: est enim certum, quod moderata motio calorem vitalem per totum distribuit, & reuiuiscit, atque augetur: sicque excre-
B menta impetu delationis spirituum commouentur, extenuantur, & resoluuntur, & quæ obstruendo tenaciter hærebant, concussione calefiunt, & resolui, mouerique incipiunt, quod aut nunquam, aut multò tardius, si quiescerent, assequerentur. Sunt autem tardiores, & aërem minus depuratum inspirant iacentes, quia omnia, quæ corrupta, & deprauata transpirant, & exspirant, inspirant rursus, & cor, & interiora contaminant, estque ipse æger in lectulo, quasi in proprio cœno inuolutus, quia ab his, quæ transpirat, perpetuò alteratur. *Nimirum* (inquit Valles. noster) *morbi quidam sunt difficilis indicationis, quorum solutionem si expectes, antequam ægroti è lecto surgant, illi certè languescunt, & facultates obliuiscuntur suorum munerum, & intereunt.*

Est fragmentum nomine scriptorum super 6. *lib. de*
C *vulgar. morb. & in sect. 7. text. 10.* sic legitur: *Et vbi opus est homines à lecto propulsare, vbi timidos à lecto extrudas, & torpentes ad ea, quæ agunt, seriùs excitabis.* Quam sententiam Gal. intelligit de illis, qui iam à morbis liberati sunt; timent verò nihilominus à lecto surgere, quoniam eo oblectantur. Verum hoc fragmentum Galeno falsò tribuunt, & de ipsis ægrotis multò meliùs intelligitur, vt dixit noster Valles. in eius loci expositione: *Oportet sæpe ita ægrotantes cogere, vt è lecto surgant, etiam nondum curati integrè: atque torpentes ad ea, quæ agunt, seriùs excitare, hoc est cogere, vt rebus agendis se inserant, etiamsi pigri sint, & demissi, & id faciant tardè, ac segniter. Euenit enim paulatim eam pigritiem deponi, & facultates velut reminiscere, atque ita*
D *deinde morbos paulatim superari, qui alioqui à iacentibus & otiosis, ac de sua tantum miseria cogitantibus, nunquam superarentur. In longis autem locum habet hoc præceptum, aut decidentibus ex acutis.* Hactenus Valles.

Aliud consilium adduxit *Hip. 6. de vulg. morb. sect. 5. text.* 19. dicendo: *Terram mutare conuenit in morbis longis.* Cuius præcepti rationes duas adduxit Galenus, primam, quæ sequatur ipsam motionis vtilitatem, quoniam & ipsa motio, & exercitium ad caloris vitalis, & natiui augmentum conducit, inde ad concussionem, & resolutionem, & expulsionem excrementorum; quod commodum omninò prætermittit Valles. Secundam vtilitatem affert terræ mutatio, quando in contrariam temperiem morbo, & causæ mutatio fit; non enim, vt vulgus putat, decet semper ægros alienam terram occi-
E tantes, in propriam, & natiuam transferri: quia in patriam solam mutari, vt salutare esse potest, ita potest esse nocentissimum. Est igitur æger transferendus in terram conuenientem: est autem talis, quæ ipsi morbo, & eius causæ, aut occasioni ægrotandi opponatur; aër enim in quo pertinaciter æger ægrotat, suspectus debet esse, tum præcipuè si constet, ægrum in nullo, quod ad idoneam curationem, & victus institutionem pertineat, delinquere; ea tamen mutatio extrema esse non debet, ne in morbũ contrarium permutatio fiat: Sic enim Æthiopes in Hispaniam translati læduntur vehementer. Com-

plutum pedibus inſalubre eſt, Matritum verò ſaluberrimum; capiti autem noxium exiſtit Matritum, & ſalubre Complutum; ſicuti & vtile etiam pro omnibus melancholicis, & quartanis cenſetur, quia calidum & humidum eſt, vnde quia humidum, eſt inimicum hydropicis, Matritum verò ob nimiam ſiccitatem ſalubre.

Eſt igitur primum auxilium celebre pro eradicandis febribus ſectio venæ ſaluatellæ in manu dextrâ, aut ſiniſtra. Celebratur autem, euacuato, & expurgato priùs corpore, ſi fieri poſſit, & propriè conuenit, quando iecur, aut lien obſtructa, aut incenſa percipiuntur cum determinata tenſione. Circa quod auxilium peccant paſſim Medici ſaluatellam dextram ſemper ſecantes, quando tertiana extenſa ægrum moleſtat, ſicut & ſiniſtram ſaluatellam tundere præcipiunt ad exſtirpandam quartanam: quod quamuis frequentiſſimum ſit, perpetuum tamen eſſe non debet. Sæpe enim in tertiana ſpuria tumor in liene manifeſtus percipitur, & ſectâ venâ ſaluatella ſiniſtrâ eradicatur, vt ſæpe mihi iam contigit, & in præſenti anno cum maxima vtilitate in tertiana notha illam ſecauimus, cuius vrina tam incenſa erat, quod ſi per ſolam relationem auxilium imperandum foret, non viſo ægroto, dextram ſaluatellam ſecare conſentaneum videretur. Erant enim acceſſiones vehementiſſimæ, & extenſæ, quæque ab ea ſectione, etſi ex toto non euanuerunt, mitiores multò, & breuiores fuere redditæ: fortaſſis autem non defecerunt omninò, quia corpus prius euacuare non potui, expurgato autem iterum eandem ſecare præcepi, & morbus omninò euanuit; in quo etiam peccare ſolent Medici, quoniam ſemel tantùm illam ſectionem in eadem febre celebrare agnouerunt: veluti ſi vnica ſectio materiam totam exhaurire ſemper debeat, aut poſſit. Ab ea ſectione iecur, aut lien fouenda ſunt idoneis medicamentis deobſtruentibus, tum fotibus, tum vnguentis, quæ ſi non ſufficiant ad febris eradicationem, ſcarificanda cucurbitula eſt ſuper viſcus tumidum, vt quod craſſum, melancholicum, & fæculentum eſt, extrahatur, ne ſi ſchirrhoſum fiat, lentâ, & diuturnâ febre ægrum conficiat, & tabidum reddat, aut in hydropem, vt ſolet, permutet; eademque die cucurbitula ſuper ſcarificationes rurſus applicabitur, ſine noua tamen ſcarificatione, quod magni momenti eſſe ſolet.

Oleum, quo magnam opem lien obſtructum ſentire ſolet, eſt quod ex floribus geniſtæ paratur: ſunt enim infundendi in oleo capparorum, amygdalarum amararum, & chamæmeli, in quibus ſtent in ſole, & loco calido per aliquot dies, & cum illo oleo, & guttulis aceti ſchillitici lien ſæpius vngatur, aut cum cera fiat linimentum. Poteſt etiam ſequens vnguentum parari. Olei amygdalarum amararum, capparorum, & nardini ana ℥. ß. aceti ſchillitici ℥. j. coquantur ſimul vſque ad conſumptionem aceti, & poſtea addes ammoniaci diſſoluti in aceto ʒ. ij. radicum aſſari ʒ. j. ß. nigellæ, & corticum capparorum ana ʒ. ij. croci ʒ. j. ceræ, quod ſufficiat pro linimento; quod vtiliſſimum eſt, præſertim ſi poſtquam lien fotus iam ſit cum oleo geniſtæ, applicetur: aut parabitur decoctum ex radicibus altheæ; corticibus radicum capparorum, tamariſci, cucumeris agreſtis, centaurij minoris, florum geniſtæ, chamæmeli, ſeminis agni caſti, ſcolopendrij, meliloti, epythimi, & vtriuſque ſpicæ, addendo conuenienti quantitati huius decocti oleum chamæmeli, capparorum, amygdalarum amararum, ſpicæ, geniſtæ cum aceto ſambucino, aut ſchillitico, quod ſufficiat ad penetrationem, quo foueatur lien, & poſtea vngatur vnguento iam dicto, cui ſi admiſceatur quarta pars vngenti magiſtralis ex Mercurio, &

A puluere nicotianæ, quando durities magna in liene percipitur, magnum auxilium erit. Eſt etiam in officinis paratum vnguentum deoppilatiuum lienis, quod eodem modo applicandum eſt. In communi radices filicis macerandæ ſunt, aut paranda aqua, in qua cortices myricæ cum carne paſſularum deacinatarum coctæ ſint cum modico cinnamomi.

Eadem methodo iecori obſtructo occurrendum eſt: Sic enim fotus parabitur. ℞. abſinthij viridis, & eupatorij ana m. ß. meliloti m. j. ſeminis lini, & fœnugræci, & florum chamæmeli ana p. ß. ſpicæ nardi, & celticæ, atque ſchenanti ana ℈. ij. florum centaurij minoris, & chicorij cum radicibus ana m. ß. radicum apij, petroſelini, & eringij ana ℥. ß. roſarum rubrarum p. j. coquantur ſecundum artem in ſufficienti quantitate aquæ communis, decocti ſume libras B duas, quibus adde olei chamæmeli, abſinthij, & roſacei ana ℥. ß. olei ſpicæ, & amygdalarum amararum ana ℥. ß. aceti roſati ℥. j. miſce. Quo decocto calido iecur ſpongiâ foueatur, deinde exſiccetur, & inungatur vnguento deoppilatiuo iecoris cum guttulis aceti roſati, & ſi nimia iecoris obſtructio, & durities ſit, eadem medicamenta illi auxiliantur, quæ pro liene tradita fuere, & inter omnia primas tenet ammoniacum in aceto ſchillitico diſſolutum cum puluere ſchenanthi, & radicum aſſari. Et ſi humores frigidi obſtruant, ſic vnguentum parabitur. ℞. ſucci abſinthij, fumariæ, & agrimoniæ ana ℥. j. ſucci apij, paſſij, & chicorij ana ℥. ß. aſſari, iunci odorati, abſinthij, ligni aloës, & ſchenanti atque vtriuſque ſpicæ ana ʒ. ß. olei roſati, amygdalarum amararum, chamæmeli, & abſin-C thij, omnium ℥. iij. aceti roſati ℥. ß. ceræ parum, fiat linimentum, cui, ſi velis, addere poteris puluerem trochiſcorum de rhabarbaro, aut de abſinthio, vel corticum radicum capparorum: ſi autem ſchirrhoſam duritiem percipias, ſic vnguentum parabis: Hepatis lupi num. j. coquatur in oleo amygdalarum dulcium, cui adde radicis iridis ℥. j. colentur, & in colatura diſſolue ſtyracis, bdellij, myrrhæ, & ammoniaci ana ʒ. iij. ſpicæ celticæ, & ſchenanti ana ʒ. j. miſce. Et interim dum fit, adde vini albi modicum, & fiat vnguentum. Aetius *tetrab.* 3. *ſerm.* & *cap.* 2. auxilia præclara ad iecoris obſtructiones laudat: In primis *ſemen Pelecini, quod in frumentis naſcitur, tritum, & cochlearis men-D ſurâ datum cum vino, aut mulſa, & præterquam quod deobſtruit ventriculum, & iecur roborat* (Hiſpanè dicitur la *encorbada*) ſed magis extollit *ſuccum capnij, aliàs fumaria, expreſſum, & exſiccatum, & redactum in paſtillos, nam ſemel tantùm exhibitum dolorem iecoris eradicat, ſi verò ter repetatur, affectionem omninò tollit, & viſcera ſimul confirmat.* Dicit enim Aëtius, quod nomen chelidoniæ inuenit. Ego autem cenſeo eſſe dandum ſuccum fumariæ loco illius, nam in Dioſcoride non inuenitur, quod aliqua ſpecies chelidoniæ capnium dicatur. De fumaria, quod Capnos appelletur, ſcripſit, & quidem fumariæ ineſſe eximias dotes ad deobſtruendum viſcera, & roboranda ſimul omnes prædicant, Meſues præſertim, quam propter eius copiam E in contemptum veniſſe, cum nullum innocentius, certiuſque auxilium ad deobſtruenda naturalia viſcera, & lotium prouocandum, inuentum hactenus ſit, vt magnum auxilium putetur ſi ℥. j. ſucci illius depurati cum ℥. iij. decocti radicum eringij, graminis, chicorij, dauci, & ſchenanti, cum ℥. j. aut ß. oxymellis ſimplicis detur, aut quod eſt in communi vſu, prædictus ſuccus quo ſpica nardi, & flores vtriuſque bugloſſæ infuſi fuerint, aut radices etiam fragorum, quæ iecori obſtructo, & exuſto magnè conferunt: & à noſtro Principe ad exſtirpandas febres chronicas, & quartanas fumaria commendatur: & quid mirum, tam

vtilem

vtilem putati, si aluum solicitat, & mouet; lotium prouocat, deobstruit, & simul visceribus robur conciliat, & sanguinis perinde omnes impuritates emendat, vt non sine ratione Dioscorides doceat, indicationes ad detrahendas febres chronicas complere; est eius vsus præcipuus, si à succis adustis atrabiliariis obstructio iecoris, aut alterius visceris erecetur: Hos enim electiuè educit, & felicior, certiorque euacuatio sequetur, si in seri ℥. v. ʒ. ij. foliculorum sennæ sine lignis, ʒ. j. epythimi cum modico spicæ infundantur, & eius captessionis ℥. iiij. succi fumariæ ʒ. j. ß. summo manè propinentur; semper tamen accuratè notabitur, si simul cum obstructione incensum sit viscus aliquod, vt temperatiora deobstruentia imperentur, aut si aliquod deobstruens ex calidioribus dare sit opus, frigido aliquo deobstruente ictur.

Est pro tertianis nothis celebre auxilium, quod ex succo gentianæ ab Augenio *tom.1. lib. 7. epist. 8.* parat, cuius effectum nunquam frustratum fuisse dicit. Præbet autem succi gentianæ condensati ʒ. j. liquidi autem ʒ. j. ß. turis pulle ℥. iiij. specierum diarrhodonis Abbatis, & specierum aromatici rosati ℈. j. ad ventriculo robur indendum. *Capiat* (docet Angenius) *ante accessionem horis tribus; in multis vomitum prouocat; in aliis aluum moat; sed maximà commoditate vtrumque facit, quia futuram accessionem prohibere solet, aut certè adeo illam diminuere, vt ægroto sit contemptui. Succum liquidam non intelligo* (inquit dictus Author) *depuratum, sed cum sua face recenter extractum: succi extrahendi ratio hac est. Contusa radix quinque diebus aquà maceratur, postea in eadem tantisper decoquitur, dum flent radices, & vbi refrixit aqua linteo excolatur, mox discoquitur, dum mellis crassitudo fiat, fictilique reconditur: id (inquit) scribo quod plaries vidi, & certissimè obseruaui.* Datur etiam eiusdem radicis decoctum, aut aqua stillatitia; sed modus traditus suprà expertus intelligendus. Propriè verò conuenit vbi obstructiones febres diuturnas creant, & à crudis dependent. Vomitus enim, quæ tenaciter hærent, exturbat. Est enim efficacissima gẽtianæ radix. Dicit Gal. *6. de simp. medic. facult. Huius herba radix multum est efficax, cum opus est extenuatione, purgatione, abstersione, obstructionis liberatione. Nec mirum si hac possit, cum impensè sit amara.* In eundem finem Galen. *1. ad Glauc.* docuit *cap. 10. de curat. tertiana notha in fine*, vomitum à prandio celebre auxilium esse, vt febris eastirpetur. Idque sibi fuisse obseruatissimum insinuauit Rodet. à Fonseca *tom. 2. consultat. 51. Sed præ cæteris* (inquit) *aqua chamameli extracta ex succo florum illius per balneum ad longas febres, & pertinaces solet esse magnum remedium, si manè exhibeatur vncia vna ieiuno ventre per tres, vel quatuor dies.* Quod auxilium quia securissimum, & in maiori quantitate, & tempore maiori imperari potest, confert, quia extenuat, aperit, laxat, & rarefacit, & virtute cutem mouet, sicque à foco putredinis etiam reuellit; vomitum etiam mouere solet; sed rarò, de cuius virtute Galen. *lib. 3. de simp. medic. facult. cap. 10.* legatur, vbi febres omnes soluere prædicat, si coctio humorum præcessit, sed biliosas propriè eradicare; reliquas verò pituitosas, & melancholicas adiuuat, & etiam pendentes ab inflammatione. *Nam & harum remedium* (profert) *chamamelum est, vel strenuissimum, vbi concoctis adhibetur scilicet.* Inde Mathiolus ex flore puluerizato chamæmeli trochiscos parat, quorum drachmam vnam præbet in iure; decoctio florum illius longas febres fugat. Et *lib. 3. cap. 137.* Sic scripsit. *Anthemidis flores absque foliis decerpti, tusique in mortario, & ex oleo in pastillos conformati, si ex eodem oleo dissoluantur, iisque febrientes à vertice capitis vsque ad pedes*

A *illiniantur, moxque stragulis, vt sudent, integantur, quascumque febres sanant, si sudor copiosiùs fluxerit. Ita omnium reliquis scriptum Nichefor Ægyptius.* Galen. *loco citato ex lib. 3. de simp. medic. facult. cap. 10.* diatt, quod *ab Ægyptiorum sapientissimis soli consecratum est, febriumque omnium vnicum putatur remedium.* Occasio illius est euacuato corpore, & coctâ materià tribus, aut quatuor horis ante accessionem; sic enim humor, qui in sucum fluxurus erat, per cutem attrahitur, & morbus cessat: vt autem detur per os, non esse requisitam coctionem, quia illi non parum auxiliatur: itaque post coctionem etsi omninò febris exstirpetur, danda est, ante coctionem attamen nullo modo eradicabitur, verum vt coctio maturiùs eueniat, magnum erit auxilium. Mathiol. enim *lib. & cap. 3.* aquam stillatitiam
B gentianæ febres ab infarctu viscerum, & vasorum excitatas mirificè tollere expertus est, dum dicit: *Eius aqua, præsertim qua vase duplici balnei vapore vitreis organis elicitur, febres (vt ego sæpius expertus sum) ab infarctu tum visperum, tum vasorum excitatas mirificè pellit.* Hæc Mathiolus. Et Sauanarul. *cap. 15. de febr. melanch. rubr. a. circa fin.* sæpe vt expertum auxilium tradidit, quod est vtilis *drachma vna gentiana cum vino subtili ad eradicandum quartanam.* Idem etiam facit *drachma vna pulueris cranei humani*, quod etiam tanquam secretum iste author ab alio accepit.

Centaurium minus confert non parum, & vim æqualem ad eradicandas febres chronicas cum gentiana attentat, immò & maiores habere tenendum est,
C cum sit amariùs, bilem, & pituitam electiuè exigit, meritòque deobstruit, vt hac ratione febrifuga hæc planta dicatur: propinari potest eodem modo, quo gentiana, aut in decocto, aut aqua stillatitia, aut succus illius; verum in hac planta radices sunt inutiles, sed tota virtus in foliis, & floribus inuenitur, & in floribus multò valentior, vnde ex decocto florum centaurij minoris cum saccharo mirabilis parant syrupus ad expurgandam bilem crassam, & pituitosum succum, iecur, aut viscera obstruentia. *Febrium ex bile ortarum* (inquit Ioseph. Querect. *sua pharm. dogm. rest. cap. 13. de syr.*) *ferociam compescit, & facillimo negotio edomat, ac biliosum illum succum benignè euacuat, & educit: hepar insuper, cæteraque viscera ab obstructione liberat, & omnis generis ictericia conducit.* Est centau-
D tium minus calidum, & siccum in secundo gradu; inde febribus à crassis, & biliosis pendentibus, & diuturnis mirè auxiliatur, & in omnibus febribus, quarum causa obstructio viscerum pertinax est, magnum putatur auxilium: tales enim febres obstructionis multitudine, aut stabilitate potius, quàm incendio molestant; si autem calor, aut siccitas intensa percipiantur, parcendum erit auxilio prædicto, aut idoneo temperante corrigetur.

Corrigi autem poterit si succo plantaginis, aut decocto radicum eius misceatur; nam plantago ad eradicandas febres etiam commendatur, & sæpe ita conuenire experimentum docuit: præcipuè autem conuenit, quando iecur obstructum simul & calidum febrium est author; refrigerat enim in secundo gradu,
E & siccat etiam, & cum quadam adstrictione roborante deobstruit simul; ob quod Galenus *lib. 6. de simpl. medicam. facult.* & radices, & folia, & semina magis iecori, & renibus obstructis auxiliari docet, quia omnia facultatis detergentis sunt. Inde Dioscor. *lib. 2. cap. 519. secund. Matthiol. diuis. ait: Tres radices plantaginis cum tribus vini cyathis, & pari aqua modo, tertianis auxiliari: & quatuor quartanis.* Zecchius autem *lib. de rat. cur. putr. feb.* in paroxysmi initio succi foliorum plantaginis vnc. vnam cum scrup. vno aromatici rosacei præbet, quo ego vsus fui in tertiana notha,

& calida faris, & manifestè febrem diminui concepi. Vveekerus ex Misald. *lib. 5. de febr. fol. mihi 96.* sic loquitur. *Succus plantaginis cum mulsa exhibitus duabus horis ante accessionem quartanæ, illam emendat, & repetitione facta tandem abolet, sicuti à multis obseruatum intellexi.* Potest ergo accessionem tollere, quia deobstruit, & detergit, & multò magis, quia frigotis excessu, & aquæ humiditate acrimoniam humoris, quâ partes excitari debent, mitigando, ac demulsendo, expulsio ad focum impeditur. Solent etiam radices modo tradito à Dioscor. ingestæ, quando instat accessio, vomitum non omninò segniter mouere, & sic vehementer conferre. Est ergo auxilium securissimum; impetandum tamen corpore bene euacuato, & purgato, quando iam calor febrilis vstione mordacitatis causam febris efficit. Nam eodem modo succus extractus ex foliis coronopi, si cum modica aqua extrahatur, plantaginis præsertim, & eius succi vnciæ quatuor, aut sex in initio propinentur, aufertur tertiana; reprimit enim humoris mordacitatem: fuit mihi secretum reuelatum tanquam expertum à Varignana *tract. 1. serm. 2. de feb. cap. 4.* sic enim loquitur: *Verùm dixit etiam, quod succus plantaginis minoris si cum mulsa detur duabus horis ante accessionem quartanario, miraberis effectum eius, & pro certo expertus sum, quod confert.*

De pentaphyllo scripsit Diosc. *lib. 4. cap. 38. sec. Mathiol.* quod folia bibita febres paroxysmales eradicant. Hæc sunt verba: *Cum hydromelite autem, vel diluto vino, & piperis exiguo, bibuntur folia contra febrium circuitus: in quartana quidem quaternum ramulorum; in tertiana verò ternum; in quotidiana vnius.* Vveeher. *loco cit.* sic ex Cornel. Agric. transcripsit, *Eius folium, bis quotidie vnum in vino sumptum, curat ephemeram; tria tertianam; quatuor quartanam.* Per ephemeram quotidianam intelligere oportet, quia vt ephemera quotidie nascitur, & perit. Id esse verum tanquam expertum mihi retulit quartanâ vehementer oppressus, & eis ab ea liberatus hoc auxilio fuit. Non sumpsit numerum certum foliorum, vt auctores citati dicunt; sed puluerem foliorum cum vino in initio rigoris, & excitatâ aluo vehementer morbus euanuit. Mirum quidem quod aluus monetetur tam vehementer, quòd contra alui fluxus, & dysenteriam præsertim, magnum soleat esse remedium in eius radicibus, si aqua decoctionis earum bibatur; sed cùm in foliis sit non leuis asperitas, qua fortasse partes stimulat, sic aluom sollicitat, in his præsertim, qui acutioris sunt sensus. Aut fortassis dices meliùs, ob nimiam siccitatem puluis consistens efficitur, quia in partes tenues diuisus pungit, & expultricem stimulat. Aut dicendum est ob nimiam vim detersoriam aluum eiere. *Foliorum succus tribus cyathis aliquot dies potus, celerrimè regio morbo medetur, vt lib. 4. cap. 38. cit.* Dioscorid. docuit. Galen. tamen *lib. 8. de simpl. medic. facult.* nullam vim ad eradicandas febres pentaphyllo tribuit. *Est enim hac radix (inquit) desiccatoria ex tertio quodammodo ordine, minimum habens euidentis caliditatis*: prætetea cum partium tenuitate est omnis mordacitatis expers, & propterea magnum auxilium contra fluxus dysentericos, quia tam siccatoria cum detersione simul, & quadam astrictione sine morsu; vtilissimeque in aqua, aut vino decoquitur pro communi potu; est etiam accutatè cauendum, ne in febribus, iecore obstructo cum sicca distemperie decoctum radicum propinetur: vbi autem à crassis, & crudis succis obstruitur, magnam sentiet opem, licet eandem sentient hæmorrhoides, si saceulus ex radicibus, & foliis eius, assiduè illas attingens applicetur: partem enim laxatam nimio mucore stabilit, & siccat, humoremque contentum resoluit.

A Assari radices & in forma pulueris, & in decoctione ad exstirpandas febres commendantur, de quo Mesues *lib. 2. de simpl. medicament. purgant. deligendis, & castigandis, cap. proprio* (mihi 22.) scripsit, quod confert diuturnis febribus, eis præsertim, quæ ex contumaci infarctu proueniunt, & magnum est auxilium iecori, & lieni obstructis, & scirrhosis: pituitam, & bilem expurgat; sed pituitam faciliùs extenuat, & resoluit. Sicque decoctum eius sudores non leuiter mouet. Est etiam auxilium vomitorium, vnde magnam vim habet ad febrium eradicationem; vel ex eo constat, quod nulla sit euacuatio vtilis, quam assarum non tentet, quoniam & præter dicta commoda vtioas efficaciter mouet. Inde Mathiol. *lib.*
B *5. cap. 9.* dicit: *Quod à Mesue edocti fortasse in Germania rustici tertianam febrem, & quartanam curant à pondu assari, ex vino decocto, melle, maci, cinnamomo, & id genus aromatibus additis. Bibunt enim huius decocti calidi cyathum vnum, alij quotidie, alij alternis diebus, itaque aluum subducunt, & quandoque bilem, aut pituitam vomitionibus reddunt. Accedente autem paroxysmo, dorsalem spinam, & plantas pedum inungunt oleo calido, in quo assarum diu fuerit insolatum, & deinde in lectulo se componunt calido, sic enim horror minuitur, & sudor copiosus funditur.* Hactenus Mathiolus ex Mesue, qui simul dicit *lib. & cap. iam citat. Et inungitur dorsum, & spina ex oleo ipsius cum laudano, & faciat sudare.* Notat insuper: *Sustinet autem assarum de*
C *decoctione, & contritione rem mediocrem, & laboratio in contritione ipsius facit magis prouocatiuum, quam solutiuum.* Docet deinde *eodem capite*, quod assarum *calidæ complexionis est, & sicca in tertio gradu, mordicat gustum*: ac per consequens febribus pituitosis securiùs auxiliatur, sicut & visceribus à crudis obstructis, præsertim quando primam regionem, & partem iecoris cauam obstructiones tenaces offendunt; eas enim vomitu enneitato, aut omninò eradicare, aut magna ex parte minuere potest. Docuit enim Dioscorides *capite proprio*, quod sicuti helleborum album expurgat, quas proprietates mirum est silentio inuolutas fuisse à Galeno, præcipuè *lib. 6. de simpl. medic. facult.* Est autem Rulandi Frisingensis communissimum auxi-
D lium ad eradicandas longiores febres, decoctum assari hac ratione paratum. Cardui benedicti m. iij. radicum assari ℥.i. ß. aquæ, & vini albi ana ℔. iij. ß. Coquantur ad dimidias, & dentur manè longè à paroxysmo ℥. viij. & ad sudandum æger componatur. *Cent. autem 2. curat. 51.* sic dispensat. Card. bened. m. ij. rad. assar. incisar. ℥. j. decoquantur in aquæ mensura quanta opus est, ad medias, & huius decocti dentur ℥. iij. calidæ, & æger bene coopertus sudet. Temporibus autem nostris nullum medicum hactenus in Hispania vidi febres, mediis sudoribus, exstirpare conantem, cum sit Galeni consilium per loca infinita, præsertim 11. *meth.* quæ sunt putrida, per aluum, vrinas, & sudores esse reiicienda. Conuenit hoc auxilium per sudores pituitosis febribus, sed serosis ma-
E gis, expurgato prius corpore. Est etiam notandum, quod si vomitus mouere cupimus, sit assarum trituratum subtiliter; si autem per aluum euacuare tentemus, crassiori modo terendum est; sed subtile magis, si vrinam, aut menstrua prouocare velimus. Baptista Sard, (vt tradit Ioan. Schenck. *lib. 2. obseruat. med. rar. fol. mihi 235.*) dicit agnouisse *mulierem, quæ omnes febres acutas curabat, & etiam febres puerorum, qui propter longam febrim hectici videbantur*: & præsertim si simul eum pleuritide molestabantur, dando decoctum, aut puluerem florum papaueris rubei: datur pulueris ℈. j. cum ℥. iij. aquæ pimpinellæ, vel scabiosæ, & propinetur

pinetur de tribus in tribus horis, quando pleuritis plurimum molestar, potissimum in principio, & liberantur. Decoctio autem paratur cum ʒ. ij. eorumdem florum, & in eisdem aquis, aut in aqua buglossæ, aut cardui benedicti: ligandi tamen sunt flores in linteo raro quando coquuntur.

Vomitus excitatur sumendo pulueris radicum assari subtiliter puluerizati ʒ. j. oxymel. simpl. ℥.j. ß. iuris pinguis pulli ℥. v. aut vj. misce, & tepidum propinetur. Vrinam verò prouocat puluis sic à Rondeletio paratus *lib.*1. *de composit. med. internor. sect. de puluer. fol. mihi* 983. ℞. gummi prunorum, karabei, cineris cancrorum ana ʒ. j. semin. apij. petrosſ. alkekengi ana ʒ. ß. cinnamomi, schenanti, assari, ana ℈. ij. fiat puluis tenuissimus, vel alchohol; sumatur manè cochlear vnum, superbibendo cyathum vini albi, vel decocti radicum graminis, aut asparagi, rumicis, eringij, erythrodani, ideſt rubiæ tinctorum, & dauci. Est autem notandum, quod vsus medicus mouentium vomitum prætermissus ferè sit temporibus nostris, & non sine magno ægrotantium incommodo, vt optimè Ios. Quercet. notauit, & fundamenta contrariorum vomitum damnantium parui ponderis esse, apertè docet, cum tam celebris vsus vomitoriorum antiquis patribus fuerit. Vnde Rulandi Frisingensis praxis laudanda est, qui ad expugnandas febres vomitus prouocat; sed ex vomitoriis ipsius ordinariis vnicum tantum inuenio, quod ex vegetantium familia depromptum componit ex ʒ. ß. pulueris radicum assari, addendo aquarum hyssopi, prassij, melissæ, & cardui benedicti ana ℥. j. interdum nihil, præter aquæ cardui benedicti ℥. v. aut vj. adiecit, & sic vomitorium parat, & simul sudorificum, cum felicissimo successu in asthmate, diarrhæa, & ipsis etiam febribus quotidianis, & tertianis, & sumptâ iam potione, iubet ægrum in lecto bene tectum decumbere, & plurimùm sudare, & tandem vomere, & hoc modo ipsum restituit, & in momento à febre liberat. Quæ autem requirantur, vt innoxiè vomitus imperetur, ex communi praxi accipienda sunt. Illud autem ignorare non licet, nimirum quod morbi plurimi, nisi vomitoriis eradicentur, incurabiles fiunt alio quouis auxiliorum genere: nullum enim humores in magna copia accumulatos, & glutine tenaciter hærentes, tum inter se, tum viscerum, & vasorum parietibus firmiter additos, nisi quod vomitum mouet, extra corpus reiicere potest, nam concussione illâ violentâ ventriculi, sæpeque repetitâ, glutinis illius inconcussa conditio, & inuiolabilis, ferè vnico vomitu tantummodò dissoluitur, & diuersis admotis, itaut cuiusque expurgationis auxilium, nisi sit simul vomitorium, vim, & potentiam illudat, vt ex historiis adductis à Ios. Querc. *cap. de vom. relato* perspicuum fit. Vnde idem Ruland. quartanam eradicauit dando ℥. vj. vini generosi cum ℈. ij. radicum assari: datur autem potio calida sex horis ante accessionem; sudorem mouet, aluum, & vomitum ciet, quod etiam tradit nouiter author auroræ Med. *lib.*1. *cap.*27.

Semen millij solis, græcè dictum lythospermon, in puluerem redactum, si drachma illius cum vino sumatur in rigoris, aut frigoris initio, quotidianam febrem eradicat, quod etiam expertus Varignan. *loc. cit.* propinauit illud auxilium cum aqua calida per horam ante accessionem, putat enim, & meritò, quod confert, quia diureticum maximè est, & vehementer abstersiuum; sicque per vrinam, tum obstruentem materiam, tum etiam illam, quando accessionem erat factura, impetuosè, & efficaciter pellit, indeque iudicat, quartanis, & quibusvis febribus difficilis eradicationis auxiliari posse. Præbet ille author ab ℥. ß.

A vſque ad ℥. j. quæ dosis magna mihi videtur, & securior videtur à ʒ. j. vsque ad ʒ. ij. pulueris accipere. Exposcit tamen hoc auxilium, vt tutò propinetur, totius euacuationem iam exquisitè factam; alioquin, aut obstructiones geminari, aut vrinam supprimi, timendum est; quoniam, vt antea notauimus, lotium potenter prouocat, & abstersione sui nimiâ lapidem à renibus exturbat. Succus radicum verbasci, vel tapsi barbati si ʒ. ij. illius dentur in ipsa hora accessionis quartanam tollit, vt testatur Arnald. de Villan. *lib.*4. *breu. cap.*27. Vult autem, quod succus extrahatur ex radicibus verbasci fœminæ, antequam caulem proferat. Alij autem medici indiscriminatim succum illum commendant, & esse auxilium summè B vtile Hieron. Card. docet *sect.*3. *method. med. curat.* 24. Nos autem semel hoc auxilio vsi fuimus, & tam impetuosè vomitum suscitauit, quod satis æger remansit debilis; fuit tamen liberatus. Habet talis succus sicut & decoctum radicum eius, vim non leuem deobstruendi renes, & vesicam, vt Laguna testatur: est tamen reiteranda potio ter, aut quater, vt etiam Mathiolus *lib.*4. *cap.*99. ex mente Arnald. de Villan. consulit, qui *lib.*4. *breuiar. cap.*27. *iam citat.* sic loquitur. *Dare* ʒ. ij. *succi radicis tapsi barbati misti cum tantundem boni vini albi, puri, & odoriferi, quartanarios liberat omnes, ad plus infra tertiam, vel quartam accessionem, & hoc sum expertus in me, & in pluribus aliis quartanariis.* Mathiolus autem *lib.* 1. *cap.* 67. dicit, C quod *myrrhæ drachma cum vino cretico calido pota, hora vna ante paroxysmum datur vtiliter quartanariis, sed sudare eos in lecto statim oportet, tribus replicatis potionibus in ipsis accessionibus. Hoc medicamento* (inquit) *ego ipse curatus sum. Valet quoque ad idem in catapotiis cum theriaca conformatis magnitudine ciceris, horum si vnum quotidie voretur hora ante paroxysmum.* Quod auxilium desumpsit Mathiol. ex Arnald. *loc. cit.* Est myrrha calefactoria, extenuans, & detergens, sic resoluit, & obstructiones tollit, somnum simul cum sudore conciliat, & sic paroxysmum impedire potest: necnon stuporem inducit, ratione cuius ex, ultrix compressa humorem non pellit ad focum: ait rursus Arnald. loco cit. *Oleum ruthaceum per os, & nares infusum in principio paroxysmi, & statim sumat in potu pa-* D *tiens vnum granum musci cum vino puro odorifero, & albo optimo, & tollit quemlibet quartanæ typum infallibiliter.*

Est laudatissima aqua stillatitia ex nucibus viridibus, si ℥. iij. aut iiij. in rigoris initio propinentur: sæpe hoc auxilium irritum vidi, neque eius effectus opinionibus respondet; aliquando tamen, vomitu excitato, tertianas nothas eradicari vidi: est etiam remedium securissimum, & inter aquas frigidas ab Vveckero reponitur.

Est aliud auxilium pro expugnandis contumacibus febribus traditum à Ioan. Schenkio *lib.* 6. *Obseruat. medicar. rarior. fol. mihi* 711. Verba sunt: *Auriga quidam non paucos febre diuturna febricitantes, aut aliàs male affectos, haustu vini exhibito, in quo manipulum* E *salis prius dissoluisset, liberauit. Per vomitum, & deiectionem purgati sunt magnâ cum violentia, qui hauserunt. Quidam à diuturno capitis dolore, & febribus tertianis nothis, postquam diu eas sustinuissent, hac ratione conualuere, sed multi alij, quibus intempestiuè exhibitum fuisset pharmacum, aut debiliores extitissent, grauissimè hinc offensi fuerunt. Nonnulli etiam ob hanc causam, vt videbatur, interierunt.* Constat verò, quod hoc auxilium solum febribus pituitosis, quarum firma est imbibitio crudorum in prima regione, in tunicis præsertim ventriculi cum nimia humiditate, securum esse potest. Magna enim est efficacia salis, extersione cuius excrementa cruda tenaciter hærentia, & impacta abraduntur, &

acrimonia salis, & etiam pondere excrementorum abrasorum concitatus ventriculus vtroque ore ad excretionem tantorum excrementorum, & tam molestæ irritationis indigens, vomitum, & secessum impetuosè celebrat. Febres igitur in malum corporis habitum iam firmatæ, si corpus robustum sit, & cerebrum non debile, ab hoc auxilio leuamen suscipient, vnde & magnum lucrum assequerentur laborantes hydrope anasarca: multa enim excrementa cruda euacuat, & distemperiem frigidam, & humidam mirabiliter corrigit, similique actione quodcumque malum à crudis excrementis primæ regionis creatum, commodè auferre poterit; scilicet dolores capitis, hemicraneas diuturnas, & alia huiusmodi ab eadem causa pendentia: erit etiam prius corpus optimè præparatum, velut si helleborum assumere deberet, ne violentiâ vomitus aliquod vas disrumpatur. Eundem effectum præstat (ex Ios. Querc. *cap. 57. de vomit. sua pharm.*) *vomiticum, quod paratur ex sale vitrioli, de quo* (inquit) *accipias grana septem, octo, vel decem pro ægrotantis viribus, idque dissoluas in vino, iusculo, aut congruo aliquo liquore: & exhibeas* (prosequitur) *iis, qui eo opus habent, & mirandos eliciet effectus.* Quam doctrinam historiis eo capite adductis confirmat.

Iam verò diximus doctrinam Ioannis Schenkij, & Baptistæ Sardi fuisse, mulierem illam, quæ omnes febres acutas curabat decocto florum papaueris rubri, puluere ipsorum propinato cum aqua cardui benedicti, scabiosæ, vel pimpinellæ, esseque auxilium perquam celebre, quando simul cum maligna febre dolor pleuriticus complicetur: fuisseque Ruland. Frising. assuetam praxim per auxilia sudores mouentia febres eradicare; quos etiam similiter æmulatur Ludouicus Mercatus sudores promouendo, quando in malum corporis habitum febris pituitosa degenerat. Authores autem citati, dictus Rulandus præsertim, statim à principio (euacuato priùs corpore) sudores commendant, quos, vt antea docui, temporibus nostris prætermissos esse video, nescio quo fundamento; eos enim Galen. consuluit, præsertim *lib. 11. method. cap.* 8. 9. & 10. neque ad hoc genus remedij coctio expectanda est, sed absque illa imperari potest, si corpus prius euacuatum sit, & humores obstruentes extenuati, detersique sint: quod Galen. *cap.* 10. *cit.* docuit, dicendo: *Itaque his, quæ citra calorem liberare obstructiones valeant, vtemur, vbi autem quæ obstruunt, detersa, dissectaque sunt, per aluum, vrinas, & sudorem, ea vacuare tentandum.* Neque obstat, quod *cap.* 9. coctionis signa requirant ad talia auxilia imperandum, nam illud non dixit, neque præcepit absolutè; sed solum vt cum magna salutis fiducia exerceantur. Verba sunt: *Itaque etiam tum maximè eos cum fiducia, vel in balneo lauamus, vel iis quæ habitum rarefaciant, medicamentis vtimur, vel aquam frigidam, vel vinum bibendum damus, cùm notas humorum concoctionis cernimur.* Quod autem humorum coctionem absolutè non exposcat, ex eodem authore constat planè *cap.* 10. *cit.* longè à fine dicente: *Hoc verò tempore etiam vires roborare, quo & putredinem superent, & succos concoquant, studebimus.* Erat verò tempus, in quo & aluum solicitare, & vrinas, & sudores mouere præceperat per euacuationem totius, & extenuationem, & abstersionem crassorum, & glutinosorum. Negari etiam non potest, quod semper sit securius signa coctionis expectare, vt auxilia sudorem prouocantia per os propinentur; quæ autem cutem rarefaciendo ad sudorem præparant, & sæpe mouent (corpore euacuato,) & attenuatis, detersisque humoribus absque noxa imperari possunt. Sic enim seminaria putredinis vlterius exhalant, & simul etiam quæ nullo modo concoqui possunt, corpusque feliciùs ventilatur, & sic inhibetur putredo.

Est autem occasio prouocandi sudores vna hora ante accessionem, alia in fine illius; prima deseruit, vt materia accessionis paulò post futuræ per poros resoluatur, & à foco putredinis reuulsa, & separata, non adueniat accessio, & sic neque cineritium relinquatur ad nouam repetitionem. Est autem danda potio, aut aliud quodlibet auxilium imperandum, si sudorificum esse debet, quinque, aut sex horis ante accessionem, vt Ruland. Fris. *cent.* 6. *curat. medic. curat.* 6. atque plurimis in aliis passim docet, quamuis non deficiant authores talia auxilia consulentes non longè à principio accessionum, quando iamiam ad focum reiicienda est materia accessionem factura: experimento enim constat, sæpe contingere in tertianis exquisitis, & spuriis, quod in hora, in qua rigor, aut horror sperabatur, & nouæ accessionis aduentus, loco eorum sudorem aduenire expulsum à natura per motum, & omninò febrem deficere, quia attenuata materia, & in vaporem permutata, sudor loco accessionis superuenit, & morbus finitur. Quem modum solutionis rectè potest medicus æmulari, & dato remedio sudorifico hora consueta accessionis, aut paulò ante eius aduentum, superueniente sudore, impedire.

Alia occasio est in accessionis fine: mouetur autem materia residua, vt pura intermissio, aut remissio succedat, & sic minus excrementorum putridorum remanet ad nouam accessionem promouendam; sed hoc minus vtile mihi videtur, quia parum superest, quod debeat expelli, neque mouetur sudor absque notabili virtutis detrimento, & languore, quoniam ex progressa accessione effeminatio virtutis non leuis præcessit. Hos enim sudores solum videtur Lemos. commendare *lib.* 11. *meth. ad fin. cap.* 9. *d.* 5. *fol.* 395. & sic auxilium parat, dicitque esse gratum palato. Ecce verba: *Accipe decocti milij decorticati vncias quatuor, vini albi aquosi vncias duas, propinantur actu calida in febrium intermittentium declinationibus.* Eundem effectum præstabit si vnciæ tres aquæ buglossæ, cardui benedicti vnciæ duæ, lapidis bezoar orient. grana quatuor, aut sex propinentur: aut loco lapidis bezoar, drachma semis florum papaueris rubri iniiciatur. Sed mihi, vt dixi, magis placet sudoris excitatio ante accessionem ad eradicandam febrem ob rationes iam traditas, rectèque notauit Lemos. *loco citato*, quod sudor exercetur post euacuationem totius, & requisitam defæcationem alui inferioris, & quod nullum sit alimentum in ventriculo, ne crudum per vasa distribuatur. Si verò malignitatis suspicio sit, aqua stillatitia ex theriaca cum idoneo decocto propinata, & malignitati, & vberiori sudori confert: Aqua etiam stillatitia floris chamemeli optima est, & securissima, vt antea vidimus: febrifuga ab antiquis appellabatur ob proprietatem eradicandi febres. Nunquam tamen huiusmodi curatio tentabatur in tempore frigidissimo, quia ineptissimum est pro ciendis sudoribus, & magna conturbatio absque fructu in humoribus concitabitur, & ob contrariam rationem in tempore calidissimo nimia virtutis exclusio timenda est, nisi leuioribus sudorificis auxilium tenetur. Aëtius *tetrab.* 2. *serm.* 1. *cap.* 88. sic in limine loquitur. *In communi ad omnem circuitum, ac rigores vtiliter exhibentur ea quæ sudores mouere possunt, & sunt hæc: seminis smyrni drachma vna datur potanda ex vino duobus horis ante accessionem.* Legite caput illud, in quo quamplurima auxilia traduntur ad mouendum sudores, & omnia ferè duabus horis ante accessionem propinat.

CAPVT

CAPVT II.

De auxiliis extrinsecis febres fugantibus.

Non solùm internis auxiliis, sed exterioribus etiam ad febrium eradicationem Medici vtuntur. Rondeletius *lib. de cur. febribus*, *tit. de tertiana spuria*, dicit: *Rubea trochiscata Nicolai, & folia bursa pastoris, si post vniuersales purgationes carpis admoueantur, hanc febrem depellunt. Idem* (inquit) *prestat dentilaria, & ea species thlaspi, que similis est bursa pastoris. Terantur simul cum sale, & aceto, & carpis applicentur.* Caricæ etiam cum sale nigro contunduntur, & carpis, & plantis pedum applicantur ante accessionis initium, & per tres, aut quatuor dies reiterantur. Idemque cum absinthio sicco efficitur. Sunt hæc auxilia relata à Roderic. à Fonsec. ad rusticos, & non esse præter naturam dicit. Folia etiam vrticæ cum aceto forti, & sale pistata, eisdem partibus applicata mista commendantur. Sennertus autem *lib. 2. de febribus, cap. 18. de tertiana intermittente*, ex placito aliorum sic consilium parat. ℞. vrticæ minoris m. j. Telæ aranearum ℥. ß. salis communis cochlear j. Contundendo, & addendo aceti cochlear vnum, misceantur pro emplastro quod ad pulsus vtriusque manus per duas horas ante paroxysmum applicetur. Doctissimus Platerus *lib. de cur. febr. periodicar. intermitt. fol. mihi* 141. corticum internorum nucis ramenta q. s. in aceto macerat, & pro intermittentibus febribus manuum carpis magno commodo feliciter applicat. Prosp. Alpin. *lib. 4. de medic. Ægyptior. cap. 13.* quod Ægypij vtuntur vnguento parato (inquit) *multis ex araneis vnà cum suis telis contusis ad modum linimenti cum oleo rosaceo mistis, vel araneas ipsas in oleo predicto incoquunt, quo calido carpum ambarum manuum inungunt.* Est quidem in telis aranearum magna prærogatiua ad eradicandas febres à pluribus Medicis admissa; de quo auxilio Bened. Victor. *lib. de emp. febr. cap. 11. prope finem*, sic scripsit: *Remedium expertum apud me est sequens: ante aduentum paroxysmi per quinque horas, nullo cibo precedente, detur patienti infrascriptus potus, quo assumpto immediatè ligetur sequens mixtura pulsibus manuum, & temporum, & pedum. Potus erit talis. Recip. vini granatorum, vel succi eorum vnc. ij. Mixtura hec est. Recip. vnguenti populeonis vnc. j. tele aranearum drach. ij. misce, & fiant pillula ad quantitatem vnius scrup. & vna cuilibet pulsui superligetur, easque patiens detineat vsque ad tempus, quo timor paroxysmi iam praterierit, & certè sanabitur.* Pamph. Mont. *lib. 4. de febribus, c. 5.* sic auxilium conficit pro ablatione tertianæ, & quartanæ. *Vrtice, angelica, semperuiua, solatri ana m. j. tela aranea, & farina hordei ana ℥. j. cum sale & aceto misceantur optimè, & pulsibus, temporibus, & pedibus applicentur.* Quos authores æmulatus Ioan. Moib. *lib. 2. parab. cap. 21. in fin.* dixit, quod *prastantes, ac celebres quidam medici pillulas ex telis araneorum, & populeo vnguento paratas, horis aliquot ante accessionem illigatas locis, in quibus euidens arteriarum pulsatio deprehenditur, atque ita relictas, plurimùm ad tertiana febris circuitus depellendos valere tradunt.* Et Fumanellus *in method. febr. absolutiss.* sic idem auxilium attulit. *Tela aranea munda vnc. vna, vnguenti populeonis vncia semis, extremitatum, & seminum vrtica pugil. j. Misceantur cum potenti aceto, quo arteria omnes pulsatiles ante periodum linientur.* Et Petrus Baytus *lib. 19. de medend. hum. corpor. mal. cap. 6. de quartana*, scripsit: *Tela aranea alba in corio ligata, collo appensa curat quartanarios.*

A Est etiam mirandum, quod tela araneæ ebibita cum vino puro hora vna ante accessionem, tertianam, & quartanam eradicet. Est tamen auxilium temerarium, quia veneficum, quod semper ferè habet illa tela, si araneus super illam steterit, aut ab illo fabricata fuerit, periculosissimum est, vt Ioan. Schenk. *lib. 7. obseru. med. rar. de venenis ex animalibus*, aliorum experimentis notauit. Dioscor. verò *lib. 2. cap. 57.* docuit, quod *Araneus subactus cum splenio, & linteo illitus, prolatusque vtrisque temporibus, aut fronti, tertianos circuitus persanat.* Et inferius: *Est alterum aranei genus, qui candidam, tenuem, densamque telam orditur, quem in aluta ligatum, & lacerto appensum quartanis circuitibus mederi narrant.* De tela verò araneorum nihil ad eradicandas febres præparauit; est etiam consentaneum,
B quod si araneo pro febribus exstirpandis aliqua vis insit, possit telis illius communicari: sunt enim telæ velut excrementa araneorum, in quibus semina, seu vermiculos deponunt, vnde crediderim, quod sola tela ab araneis contexta, & fabricata contra febrium insultus aliquam vim possideat, & quod ea præcipuè sola eligenda sit. Neque omninò acquiesco placitis affirmantium omnis venenosæ proprietatis esse expertem: Securius enim est omne genus effugere. Vvekerus feliciùs expurgato iam corpore ante, paroxysmum *syr. papauer.* ʒ. iij. *aqua plantag.* ℥. ij. ß. præbebat, vt bibantur, *& pulsibus, in carpo, & temporibus applicabat vnguentum populeo subactum cum telis araneorum.* Auxilium reiterabat, & ægros liberabat, sudore super-
C ueniente. Aliquando etiam potui iamdicto addebat aquam stillatitiam nicotianæ.

Tralianus *lib. 12. cap. 8. de quart.* tanquam certum tradit, quod *Scarabeus quartanarios curat: oportet autem ipsum extrinsecus fuluo linteolo firmiter alligatum, collo suspendere.* In quo capite auxilia multa, partim sordida, partim superstitiosa tradit. Est sordidum, *Sanguinem, qui primus à virgine fuerit excretus naturaliter, quartana aduersari: similiter etiam corrupta sanguinem efficere, si quis ipsum agro ad brachiale dextra manus, aut ad eiusdem brachium alliget. Noui ego quendam, qui hac ratione vtens, quartanam curauerit: dabat mulieri parienti pallium agrotantis ferendum, quod ille interim ferebat illotum, & iam perspirabile: postea à partu pallium recipiens, agro ferendum rursus prabebat, ac quartana non*
D *amplius in posterum affligere, mirabiliter contrarietate quadam, & ratione arcana deprehendebatur.*

Corrigit etiam, quod qui vigorem quartanæ tollit, eo ipso quartanam etiam aufetat, vt Hier. Card. notauit *meth. med. sect. 3. de curat. admir. cur. 24.* ad quod assequendum linimentum conficit *ex oleo de scorpionibus, & pinguedine anseris, & gentiana succo*; quo auxilio bene calido horâ frigoris, aut rigoris totum dorsum inungitur. Alij autem, & non infeliciter, totam spinam melle calido illiniunt, & superspargunt puluerem piperis, cariophyllorum, cubebarum, cinnamomi, & castorei, & postea diligenter æger cooperitur. Sic Arn. de Villan. 4. *lib. breu. cap. 27.* vnguentum hoc ex mente Hectoris Anglici tanquam memorabile tradit. *Recipe succi abrotani, succi rutha,*
E *& arthemisia ana* ʒ. j *olei communis* ʒ. ij. *olei laurini* ʒ. j. *omnia simul lento igne bulliant, & addatur ibi parum thuris puluerisati* ʒ. *tert.* (idest ℈. ij.) *& iterum bulliant, quousque succi consumantur, & adde tunc* ʒ. j. ß. *cera liquefacta noua, & fac vnguentum, de quo vnguento per vnam horam ante accessionem inter duos ignes inunge renes, & spinam dorsi, vsque ad caudam, crura, splenem, vmbilicum, ventrem, & plantas manus sinistra, & pedis sinistri, pulsus, & tempora, & statim collocetur in lecto, & bene cooperiatur, dato aliquo succorum predictorum in potu cum vino odorifero, & hoc pluries fiat,*

quia

quia pro certo in breui curabitur quartanarius, & specialiter si praecesserit vniuersalis purgatio. Aliud etiam expertum sic conficit. *Recipe farinæ tritici cribratæ, thuris masculi, siue albi puluerizati ana ℥. ij. temperentur cum succo menthæ, fiat inde emplastrum, & supra peciam ante paroxysmum tepidum applicetur à primo spondili spinæ vsque deorsum supra caudam, & tamdiu ibi remaneat, quousque per se cadat. Pro certo* (inquit ex cuiusdam Galli experientia) *liberat.* Arnaldi Magister Petrus Maronus de Salerno alio vtebatur optimo ad idem; affert ipse Arnald. *loco citat.* sic. ℞. *castorei, theriacæ ana* ℈. v. *myrrhæ, olei laurini ana* ℈. iiij. *musc. ambræ ana* ℈. j. *conficiantur cum lib.ß. mellis despumati, & de hoc inungant stomachum, cum incipiunt frigescere planta manus, & pedis sinistri simul, tempora, & pulsus, & frons similiter: quia hoc vnguentum est expertum in prædictis. Et fiant statim duo stuelli de panno, vel bombace, & in prædicta mixtura intingantur, statim naribus intromittantur, hoc fiat iuxta bonum ignem, quo facto, statim sumat patiens in potu* ℥. j. *de bona rubia trochiscata cum bono vino albo, & statim pannis mundis calidis optimè cooperiatur in lecto, ad minus fiat in qualibet accessione in tribus, vel quatuor, quia pro certo hoc solo infra tertiam, vel quartam accessionem ad plus Magister meus* (inquit) *quartanarios curauit.*

Inter extrinseca auxilia timor subito incussus meritò numeratur: est enim vtilis, quia aut magno caloris vitalis retrocessu ad intra resoluitur, quod foci putredinis occasionem præbebat, aut violenta illa & inopinata concussione membrorum, quæ obstruendo tenaciter hærebant, dimouentur, & in alios locos capaciores translata non obstruunt, neque putredinem causant, quia ventilationem non prohibent. Sic *loco citato* duas historias tradit Arnaldus, vnam quartanarij, *qui in principio paroxysmi iactatus fuit in quodam paruo flumine, eo ignorante, & propter illum timorem, quem habuit, liberatus est.* Alteram illius, *apud quem factum est quoddam artificiale tonitruum in principio accessionis, qui in tantum timuit, quod liberatus fuit.* Dicitque multos Medicos, qui in curatione quartanæ, solis repetitis purgationibus vtuntur, non attendentes ad alia experimenta, nunquam venire ad perfectam curationem, ob quod esse apud vulgares quartanam dictam vituperium Medicorum.

De quadam muliere habitante in Salmantica relatum fuit mihi, quod certissimè quartanas eradicabat: modus erat carpis vtriusque brachij in die ante accessionem quartanæ applicare herbam quamdam, cuius nomen semper celauit: excitabat enim apposita more caustici medicamenti vesiculas, & quo maiores erant, æger certiùs sanabatur, reiterabat enim dictæ herbæ appositionem bis, & ter in diebus immediatis accessionis quartanæ, & vesiculas aperiebat post sex, aut octo horas à medicamenti appositione, & magna copia seri emanabat. Est autem probabile quodlibet causticum eundem effectum præstaturum, nunquam autem vltra quater reiterabitur. Iam est in communi vsu ad excitandas vesicas, & exulcerandam cutem causticum ex cantaridibus: idem efficit alliorum caro contusa, & carpis applicata, scilicet & ramunculi folia, flores, & cauliculi, vt *lib.2. cap.171.* Diosc. docuit. Confert verò hoc auxilij genus ad febrium eradicationem, quia potenter humores retrahit ad locum exulceratum, eosque à foco putredinis, in quo putredinem conceptura erant, ad causandam accessionem, efficaciter reuellit, & modò quando hæc scribimus, in quodam ægrotante ita esse verum confirmauimus: apposito enim caustico medicamento in dictis partibus inopinatè à quartana longissima fuit liberatus.

Est autem efficacissimum febrifugum contra omnes febres periodicas, quod nuper ex nostra India Occidentali allatum est; remedium quidem in illis Americæ regionibus apud omnes vulgare, apud nos mirandum satis, cum ob nouitatem, tum etiam ob singularem in profligandis circuitibus rebellium febrium præstantiam, hancque præcipuè contra quartanam febrem ostentat mirificè, quamuis tertianis etiam extensis opituletur, & conferat.

Est igitur illud cortex cuiusdam arboris in Prouincia Quiti Regni Peruani nascentis ad oram fluminis magni Amazonidum. Arbor est procera, montuosa, & infructifera, solum ad rem lignariam deseruiens, ab incolis vocata patrio idomate *Quarango.* Vtuntur Indi illius regionis puluere corticis huius arboris, quando algidi ob intemperiem aëris, aut aquæ gelidæ fluminis (cum necessitas cogit transnatare) rigent vehementer, cuius pulueris ope in aqua calida sumpti, citò concalescunt, ad totum corpus redeunte calore. Hac obseruatione Patres Societatis Iesu doctrinam Christianam docentes Indos analogismum fecerunt, vt etiam in rigoribus febrium interpolatarum periculum fecissent ex puluere, confirmante experientia, quod rationalis analogismus dictauerat. Ex qua experientia ad medicas etiam transiit, vt breuibus annis in toto Peruano Regno, pro exstirpandis febribus, apud eos frequentissimus, & efficacissimus esset vsus. Inde ad nos remedij tanti peruenit notitia ex relatione nostri Doctoris Ioannis de Vega excellentissimi Comitis de Chinchon Proregis Peru in Hispaniam reducti cubicularij Medici, qui non solum in India, sed etiam Hispali post reditum multis periculis expertus est.

Post aliquos annos degens Matriti corticem vidi in domo Comitis de Chinchon filij Proregis iam defuncti, & inspectum per me, & pharmacopolas rei herbariæ peritissimos, inuenimus secundùm doctrinam Galen.4. *de simpl. med. fac. per plura capita,* simplicem calidum, & siccum esse in tertio gradu, quam naturam, & temperiem, præter colorem, sapor subamarus cum acritudinis sensu, atque odor aromaticus non obscurè ostentat. Hinc, vt reor, facultatem habet attenuandi, & incidendi lentos, & crassus humores, & ob hoc reserandi vias obstructas, & consequenter cohibendi putredinem; nec facultatis concoquentis ob partem balsamicam erit expers. His facultatibus ornatus cortex iste mirabilis, seu alia occultiori potentia specifica radicata in substantia (de quo in hoc loco non disputo) fermentum putredinis in foco existens, quod seminarium aliàs est futuræ accessionis, depellit, & eradicat, atque etiam obstructionem facis, quæ fixa est, & perpetua causa putredinis causæ coniuncta, destruit oscula reserando per attenuationem, & incisionem crassorum, & abstersionem lentorum excrementorum in ipsis osculis partis obstructæ existentium, vnde pro alia accessione, etsi nouus influxus antecedentis causæ non cesset; si tamen paroxysmi in foco purrilago radicalis, siue seminarium, siue fermentum voces, non detur, cessabit prorsus accessionis repetitio, & sic molesta quartanarum, & tertianarum periodicatio intermittet non dubiè, vt multoties experti sumus.

Dantur pulueres dicti corticis in omni febre accessionali, in qua cum rigoribus, vel horroribus incipiat paroxysmus; præcipuè in quartanis, & tertianis illegitimis. Dantur etiam in his, quæ per sub ingressum accessionum in continuis continuitatem seruant. In exquisitis verò tertianis ardentibus, vel quouis alio modo continuis, non probatur hoc remedium ob vehementem vstionem; dantur insuper coactè ob vrgentiam in syncopalibus non minutis, sed humorosis, & in perniciosis, quando aliis remediis regularibus locus

non

non datur, vel si datur, is coactus, & angustus maximè est, vt exhibito puluere celser accessio, & cum ea praua symptomata, vires citò, & magnoperè resoluentia: nam etsi accessio redituta sit, tamen interim ae redit, æger recreatur, & vires reficiuntur, concessis ex hoc induciis laboribus, & spirituum vehementi, & insigni resolutioni. Notando obiter, nè postquam pulueres corticis huius assumpti sunt, expurgantia imperentur, quia expertum multoties est, intermittentem febrem in continuam acutam transmutari, & ab ea ægros periclitari, geminatis scilicet calorificis auxiliis breui tempore datis.

Pulueres isti intra medicamentorum topicorum classem retinentur, & sic dati non debent in principio, nec augmento vniuersalibus febrium, nec in statu, nisi coctio manifesta iam detur, & absoluta; & corpore priùs sufficienter euacuato per sanguinis missionem, & expurgationem; quarum euacuationum beneficio corpus fluidum factum; & peruium, & à copia excrementorum putridorum ex parte liberatum, infallibile ex puluere remedium accipit, & quod certò sperabatur auxilium: & quamuis aliquando per tres, aut quatuor circuitus redeat typus, & febris recidat, purgato corpore, manente coctione, vel sanguine extracto (si opus videatur) reassumetur puluis iterum, & deficiet febris, & postea non veniet. Propinentur in naturis calidis in aquæ borraginis vnciis quatuor cum vini albi generosi vnciis duabus. Sin minus in vino albo olygophoro subiectis temperatioribus, & in quartana febre, quæ ob succum melancholicum vinum perpetuò amat. Quantitas in robustis est huius pulueris drachma, & pro delicatioribus minus: pro pueris sufficiunt scrupuli duo. Illud tamen non ignorare oportet, quod pulueres tribus, aut quatuor horis ante accessionem infundentur in liquore, in quo assumi debent, & clauso vase seruetur vsque ad horam paroxysmi, in quo, incipiente rigore, propinabitur, & æger bene coopertus custodiatur per totam accessionem sine cibo vsque ad remissionem, quæ sæpenumero sudore terminabitur, quo peracto æger alimento conuenienti, & somno recreabitur. Multi sumentes puluerem violenter anguntur, sed hoc non obstante, non defraudantur auxilio.

Sassonatol. *pract. canon. rubr. 2 de curat. quart. in fin.* dixit; *Cor leporis recenter mortui collo suspensum, vel brachio sinistro, quartanam tollit.* Quod etiam præstat cranium humanum, aut magna eius pars, si in brachio sinistro iuxta cor applicetur.

Columba viuens (vt refert ex Dodon. Ioan. Schenk. *lib. 6. obs. med. rar. fol. mihi 732.*) *in duas partes per dorsum dissecta, & mox cum sanguine sub pedum plantis diligenter ligata, quæ non modò vaporosos spiritus ad caput ferri prohibet, sed & eò perlatos reuocat, atque sic grauissimos capitis dolores sopit, & deliria sedat. Quod frequentiùs experimentis compertum. Eodem etiam modo exanthemata erumpentia ad inferiores partes pertrahit, Sic vt circa faciem, ac caput pauciora; circa verò ipsos pedes plura proueniant. Liganda autem sub pedibus est columba in ipsis febrium præcipuè exacerbationibus, vel paulò ante; pedibus interim calentibus; atque illic horis ad minus duodecim sinenda, deinde adimenda.* Putandum est hoc auxilij genus prodesse, quia calore aucto in pedibus, vehementer ad inferiora attractio fit: est enim temperies columbæ calidissima, & multum nitrosa, & simul aperiens, inde non mirum quod possit attrahere, & simul resoluere: id autem præcipuè præstant silnestres columbæ: domesticæ verò, vulgo *pichones* dictæ, quia teneriores, & domi quiescendo nutritæ, neque sunt tam calidæ, neque siccæ, neque nitrosæ: multis enim excrementis scatent, propterea ad trahendum potenter inefficaces sunt, & minus salubres, vt multi putant Auctores.

Videtur autem ridiculum quod de cucumere tradit Miraldus *lib. 2. de secr. hort. camp. 13.* sed melius *camp. 4. hort. med. art. 2.* sic: *Si febricitanti infanti, qui adhuc lacte nutritur, aut paulò grandiori, paris longitudinis cucumeres dormienti apponantur, & quasi condormiscant, statim sanabitur, febrili calore omni ab illis presso, hausto, & extincto.* Affirmatque esse alterum auxilium expertum, quo omnes febres putridas exstirpare docet *camp. 7. hort. med. art. 7.* per hæc verba: *Nolim insuper omissum, quod qui impleuerit fictile floribus Persicis, & obturato ore, permiserit dies aliquot sub terra macerari, vel in fimo putrescere, exprimet oleum, quo si inungat pulsus, tempora, & spinam ante accessionem febrium putridarum, certo experimento illas curabit.* Hactenus Miraldus.

Alia innumera auxilia Auctores recensent, quibuslibet ex iam dictis maior fides adhibenda est, si cum methodo rationali in principio quæstionis à nobis tradita confectantur, cui præcipuè committendum est, & nunquam deserendum: sæpe verò morborum longitudo, & fastidiosa, aut impatiens ægrotantium conditio omnia tentare cogit, & si bene, & debitè omnia simul imperentur, velut incantamentum prodesse solent. Occasio autem legitima applicationis eorum est, si totum inanitum, & expurgatum optimè sit, & coctionis signa iam apparuerint, corpus sit deobstructum, & humores inciti. In his enim prædictorum auxiliorum felix euentus stabilitur.

INDICVLVS

INDICVLVS

PRÆCEDENTIS POSTHVMÆ QVÆSTIONIS, De Febribus eradicatu difficilibus.

☞ *Nota, bene-vole Lector, quod præ festinatione huius secundæ editionis nondum deuenerat ad manus Typographi præcedens quæstio; ideo licèt ipsa in suo loco, in quantum fieri potuit, collocata sit; subiunctæ tamen sententiæ notabiles in sequenti Indice iam typis dato interseri non potuere; ideoque eas hic subtexuimus, aliquando proprio in loco reponendas.*

INDEX

INDEX
RERVM, ET VERBORVM,
Quæ in hoc Volumine DE FEBRIBVS in duas Partes diuiso continentur.

Prior numerus paginam literâ p. *Secundus columnam literis* col. *Caracteres verò* A, B, C, D, E, *literas inter vtramque columnam interiectas indicant.*

A.

Absinthium.

Index Rerum,

Alteratio.

D. Petr. M. de Heredia, de Febribus.

Cutis

Dysenteria.

Expurgate

Fuligines

M.

Macula.

Melancholia

Index Rerum,

Rigor

Signa

T.

Tabes, Tabidus.

Tactus.

Temeritas.

Temperamentum.

Temperies.

Tempus.

Tenuitas.

Terminus.

Tertiana.

Tetanus.

Theriaca.

Timor.

Tolerantia.

Transpiratio.

Tremor.

Index Rerum, & Verborum.

F I N I S.